
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8 H
44 - G
17
ROMA

PRINCIPIORVM FIDEI DOCTRINALIVM DEMONSTRATIO METHODICA

Per Controuersias septem in Libris duodecim tradita

IN QVIBVS AD OMNES DE RELIGIONE CONTROVERSIAS diiudicandas sola & certissima Norma, & ad easdem semel finiendas sola & suprema in terris Authoritas, Via, & Ratio demonstrantur.

Editio altera ab Authore recognita, & multis in locis locupletata. Cui etiam accesserunt, Successionis Ecclesiasticæ defensio accuratior; & latentis Protestantum Ecclesiæ confutatio copiosior: Contra Gulielmi Fulconis Angli inanes cauillationes aduersus huius Operis Lib. 4. Capita 10. & 11. editas. Liber Decimus tertius & Speculum prauitatis hæreticæ per Orationes decem ad oculos demonstratæ: Item aliæ Orationes tres Funebres.

Authore THOMA STAPLETONO Anglo, S. Theologiæ Doctore, & in Academia Duacena, Controuersiarum Professore Regio & Ordinario.

Controuersiarum & Librorum Argumenta sequens pagina indicabit.

Huic operi triplex adiectus est Index.



PARISIIS,
APVD MICHAELEM SONNIVM, VIA IACOBÆA SVB SCVTO BASILIENSI.
M. D. LXXXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Habes hîc studiose Lector, Operis huius saluberrimi *de Principiis fidei doctrinalibus*, alteram editionem, ab Authore ipso diligenter recognitam, & plurimis in locis auctam: adiecto quoque Libro decimotertio nunc primum excuso. Quibus etiam addidimus varias eiusdem Authoris Orationes, olim publicè habitas, nec minus ad Orthodoxæ fidei explicationem & defensionem salutares. Dabimus tibi breui (fauente Deo) eiusdem Authoris alterum Opus in quo *Uniuersa Iustificationis doctrina hodiè Controuersa* per Libros 12. methodicè traditur, dilucidè explicatur, & solidè defenditur. Tu interim & Authoris laboribus & nostris impensis faue.

RVM ARGVMENTA.

RIMA Controuersia primum fidei Principium doctrinale, in quod cætera vltimò resoluuntur, demonstrat. Et de Ecclesia Christi vera in se, quæ & qualis & apud quos sit, disputat. Hæc propter varias Aduersariorum in hac parte fraudes & tergiuersationes, & ad irrefragabilem tanti principij demonstrationem, in libros 4. distribuitur.

Controuersia prima de vera Ecclesia in se.

Liber primus varias Protestātum sententias, fraudes & tergiuersationes, circa Ecclesiæ definitionem atque naturā aperit, & confutat: simulq; notas quas Ecclesiæ affingunt, euertit. Primus.

Liber Secundus primam Ecclesiæ Christi militantis notam & characterem demonstrat: quòd sit videlicet visibilis semper & conspicua Societas, à prima sua propagatione crescens per orbem terrarum. Secundus.

Liber Tertius alteram Ecclesiæ notā demonstrat, quæ est perpetuitas, seu interrupta fideliū successio. Tertius.

Liber Quartus ex prædictis notis Ecclesiæ Christi militātis omnes proprietates colligit, eámq; plenissimè definit. Deniq; vbi illa sit, & quòd apud Protestātes nullo modo esse possit, luculentissimè demōstrat. Quartus.

Controuers.2.de Potestatis Ecclesiasticæ Subiecto.

Secunda Controuersia seu Liber Quintus alterum fidei Principium doctrinale, quæ est Potestas iudicandi de fide Ecclesiæ data, demonstrat, quatenus sanè ad Subiectum illius Potestatis penes quos videlicet illa sit, attinet. Quintus.

Liber Sextus de Primario Potestatis Ecclesiasticæ subiecto, qui est successor Petri & Rom. Pontifex, ex Scripturis accuratè disputat. Sextus.

Controuers.3.de Mediis Iudicij Ecclesiastici.

Tertia Controuersia seu Liber Septimus de Mediis Iudicij Ecclesiastici, quibus Ecclesiastici Iudices in causa fidei vti possunt ac debent, inquirit. Et probationum Media ab hoc principij genere peti solita, vt à Conciliis, à SS. Patribus, à Regula fidei, aliisque similibus, corroborat. Septimus.

Controuers.4.de Potestate Ecclesiæ formaliter considerata.

Quarta Controuersia seu Liber Octauus de potestate Ecclesiæ formaliter in seipsa considerata pertractat. Sit ne videlicet probabilis tantum, indifferens & humana (vt aduersarij opinātur) an verò infallibilis prorsus necessaria & diuina: ideóque fidei Principium firmum ac stabile. Octauus.

Controuers.5.de Canone Scripturarum Consignando.

Quinta Controuersia seu Liber Nonus de Ecclesiasticæ Potestatis obiecto materiali in specie tractare incipit, vt quot exinde certa fidei principia doctrinalia (ab Aduersariis hodie negata) promanent, constet. Ac primum de Canone ipso Scripturarum per Ecclesiam consignando disputat, docétque Principium fidei esse, à voce determinantis & consignantis Ecclesiæ Scripturas ipsas accipere. Nonus.

Controuers.6.de Scripturarum Interpretatione authentica.

Sexta Controuersia seu Liber Decimus, aliud fidei principium esse ostendit Scripturarum Interpretationem ab Ecclesia datam. Et primum quoad authoritatem interpretandi non nisi in Ecclesia eam residere demonstrat. Decimus.

Liber vndecimus de Mediis, via, & Ratione Interpretandi Scripturas, certis & authenticis pertractat. Ea quoque non nisi in Ecclesia residere ostendens. Vndecimus.

Controuers.7.de Potestate Ecclesiæ circa dogmata non scripta.

Septima Controuersia & liber duodecimus, eam esse Ecclesiæ Authoritatem demonstrans, vt dogmata fidei etiam non scripta tradere valeat, neque solum SS. Scripturarum Canonem esse sufficientem fidei Regulam ac normam ostendens, etiam non scriptam Ecclesiæ doctrinam ad fidei Orthodoxæ principia pertinere docet. Móxque appendicis loco S. scripturæ & Ecclesiæ accurata comparatio instituitur. Duodecimus.

Hunc iam accesserunt.

Liber decimus tertius Successionis Ecclesiasticæ defensionem accuratiorem & latentis Protestantium Ecclesiæ confutationem copiosiorem complectens. Decimus tertius.

Speculum prauitatis hæreticæ per Orationes decem ad oculum demonstratæ.

Verum Ecclesiæ Romanæ religio ab illis hodie reformata fuerit, qui se Ecclesiæ reformatores vel Ecclesiam reformatam hodiè vocant.

Vtra ſit magis Chriſtiana Eccleſiaſtica liturgiæ forma, Miſſa Catholica, an Proteſtantum quæ vocatur Cæna Dominica.

Vtrum maiori ſit in hæreticis noſtri temporis nequitia quam aſtutia.

Vtrum horum temporum hæreſes, proximam Antichriſto viam parant.

Vtrum vlla ſit in hæreticis horum temporum certa & conſtans doctrina.

Vtrum vlla prorſus ſit in hæreticis hodiè Religio.

De hæreſis in genere grauitate, & horum temporum hæreſes multiplici enormitate.

De cauſa graſſantium hæreſum.

De officio pij viri inter medios hæreticos agentis.

Contra Præſcriptionem Proteſtantum, quia veteris tantum Eccleſiæ teſtimonia, in dirimendis controuerſiis admittunt, poſterioris reiiciunt.

Tres Orationes Funebres.



SANCTÆ MATRI CATHOLICÆ ET APOſtolicæ Eccleſiæ Dei & Chriſti eius, per vniuerſum orbem terrarum diffuſæ, eiúſque in terris Supremo Capiti, Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. amoris & obſeruantiæ ergô, Dicatum.

Credo vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.

Epheſ. 1. & 1. Timoth. 3

Quæ eſt Corpus Chriſti, & plenitudo eius, Columna & firmamentum veritatis.

Auguſtinus Tract. 32. in Ioannem.

Credamus fratres. Quantum quiſque amat Eccleſiam, tantum habet & Spiritum Sanctum.

Auguſtinus ad honoratum Manichæum, de vtilitate credendi, cap. 8.

Si iam ſatis tibi iactatus videris, finémque huiuſmodi laboribus vis imponere, ſequere viam Catholicæ Diſciplinæ, *quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque manauit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt.*

A

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO in Christo Patri Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ Pontifici Optimo Maximo, Gregorio XIII. ad humillima pedum oscula.



I Christus Dominus ac Saluator noster (Gregori xiij. Pon-
tifex Optime Maxime) Claues regni cælorum, quas Eccle-
siæ datas grauissimorum Patrum Authoritas docet, & Ec-
B *clesiæ Claues recepto vocabulo nuncupat, ipsi tamen beatis-*
simo Petro, prædecessori sanctitatis tuæ, daturum se dixit,
quia Ecclesiæ sacramentum in Petro erat, & totius
Ecclesię personam in figura gestauit: ídque propter
Apostolatus sui primatum quem in discipulis ha-
buit; *(vt S. Pater Augustinus non vno in loco docet) pro-* Enarrat. in
fecto peccator ego & seruus Domini mei inutilis, doctrinæ modum & exemplum eius Psal. 108.
imitari iure optimo debui: vt qui labor noster in causa & pro causa Ecclesiæ Catholicæ Tract. 134. in Ioan.
nūc in lucē prodit, Beatitudini tuæ, qui Ecclesiæ Catholicæ personā in figura geris, qui sedē
Petri tenes, fidem doces, pietatē & Zelum egregiè imitaris, tanquā proprius nuncupetur.
Rectissimè enim quicquid in corporis totius bonum immediatiùs confertur, Capiti eius
corporis, qui propter primatum totum corpus repræsentat, ante alios omnes offertur, qua-
síque consecratur. Et in Ecclesiæ quidem honorem, vtilitatem ac bonum cedit, quic-
quid vel de rebus hodiè in Religione controuersis, vel de quocunque tandem pietatis
dogmate aut vsu, à Catholicis eius filiis, laboratur, docetur, scribitur. Quicquid etiam il-
lud est, Apostolico capiti importunè nunquam, piè semper consecrari potest: siue vt
eius benedictione accepta crescat in toto corpore, fructúmque vberrimum ferat, siue vt
C *sub tanti Patris atque Pontificis auspiciis profectum atque protectum, vel confratri-*
bus Catholicis gratius, vel rebellibus spuriis terribilius fiat. Quæ autem nunc (pro-
pitio Deo) in lucem nos emittimus, & ipsam Ecclesiam in se veram atque Catholi- 1.
cam à tot hodie falsi nominis Ecclesiis, perditorum hominum conuenticulis, diligen-
ter asserunt, tuentur, discernunt: & ipsius Ecclesiæ amplissimam & variam potesta-
tem, tam in genere (siue eam in seipsa consideratam, siue penes quos ea sit, siue quibus 2. 3.
Mediis in causa fidei tractanda procedat) quàm etiam in particulari, qua circa scri- 4.
pturas sacras consignandas, circa scripturas ipsas interpretandi Authoritatem certam 5. 6.
afferendam, circa eiusdem interpretationis Media firmissima adhibenda, circa denique
dogmata etiam non scripta fidelibus tradenda potestate valet, enucleatiùs explicant, 7.
& contra Aduersariorum rabidos morsus solidè defendunt. Ad quæ sanè capita, om-
nia fidei orthodoxæ Principia doctrinalia, seu ad omnem fidem docendam ac compro-
bandam generalia referuntur. Hanc igitur tam proximam & immediatam ipsius Ca-
tholicæ Ecclesiæ, totiúsque Authoritatis Ecclesiasticæ, circa fidei iudicium, explica-

tionem methodicam, confirmationem orthodoxam, defensionem diligentem, nemini mortalium rectiùs appropriari, digniùs exhiberi, quasique religiosius consecrari posse existimaui, quàm beatitudini tuæ, totius Ecclesiæ Supremo Capiti, & totius Authoritatis Ecclesiasticæ primario subiecto, vt in hoc etiam Opere propter contradicentes hodie ætatis huius allophylos, Idumæos & Philistæos nostros, comprobatum est. D

Rursum Generalis iste Authoritatis Ecclesiasticæ locus, totius religionis orthodoxæ basis & fundamentum, seu (vt certius cum Apostolo loquamur) columna & firmamentũ, *in hoc Opere tractatus & explicatus, sanctitati tuæ, Generali &* [a] Oecumenico Patriarchæ nostro, & [b] Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, *imò (vt vetustissimorum patrum verbis adhuc magis vtamur)* [c] Principi nostro, [d] omnium Ecclesiarum Capiti, cœtus Apostolici *seu Ecclesiæ Apostolicæ* [e] vertici & Coryphæo, *vel (vt* [f] *Epiphanius loquitur)* Coryphæotato, [g] totius orbis Magistro, [h] Rectori domus Dei, *ac* [i] alteri patrifamilias, & [k] primogenito *denique, (vt ipsius Christi verbis loquamur)* [l] Pastori gregis dominici, [m] Piscatori Maximo, [n] Confirmatori fratrum, [o] Petræ & fundamento Ecclesiæ, *meritissimè & iure optimo debetur. Sanctitas enim tua (Gregori Pontifex optime) non officio tantùm ac loco, sed multo magis, ardentissimo reædificandæ domus Iacob Zelo, pientissimo studio, liberalitate seu munificentia potius longè maxima, Generalem domus Dei prouisorem atque Rectorẽ agit: & hos* nobiles Petri honores, *vt* [p] *Cyrillus loquitur (vel* supereminentem gloriam *vt* [q] *B. Hilar. scribit, dignissimè te consecutum esse, illustribus argumentis ostendisti: vt de facto non titulo tantũ,* [r] Vicarius amoris Christi, & alter [s] singulari feruore Petrus, [t] *nec* Dilector tantùm sed & amator Christi, *idque* [u] plus aliis *omnibus verissimè extiteris. Nam vt alia multa prætermittam; amplissimi illi Collegio & Seminario Germanorum sub sapientissimo Patrum Societatis moderamine, à prædeceß. S. T. constituto, redditus perpetui applicati; erectum de nouo Romanæ iuuentutis sub eisdem patribus Seminarium; exædificatum nuperrimè & dotatum Græcorum in vrbe collegium: additus quoque Hebraicis catechumenis erudiendis locus, fundus, redditúsque necessarij; Sabbatina illa præsentibus* Hebræis tam viris quàm fœminis, *tuæ Sanctitatis iussu, honoratissima prædicatio & institutio celeberrima; conuersus non ita dudum, mandato quoque Sanctitatis tuæ, in Græcũ Catechismus Tridentinus, ad reuocandos quantũ fieri potest reliquos adhuc Græciæ schismaticos, in Ecclesiæ Catholicæ vnitatem; exornandorum in vrbe vetustissimorum templorum incredibile studium; sapiẽtissima illa in anno Iubilæi nuper elapso Sanctitatis tuæ tam extra quàm intra vrbem & admirabilis prouidentia, vt nihil rerum omnium accessuris ad vrbem sanctam peregrinis (accesserunt autem maximo numero & cõcursu incredibili toto illo durante anno,) vel etiam in vrbe hærentibus deesset; principum totius orbis Catholici cõstruata hactenus pax & concordia; hac, illac in omnem partem versa, versansque se semper sapientissimi iudicij tui instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum; vere vt dixi, non officio tantum ac titulo, sed reipsa & opere, Generalem totius Christiani orbis patrem, pastorem, prouisorem esse sanctitatem tuam demonstrant.* E F

Quo in genere est tamen quod gens nostra, gens Anglorum, (Gregori xiij. Pater & Pontifex optime) singulare aliquid in sanctitate tua recognoscere, singulariter se sanctitati tuæ obstrictam & æterno quodam beneficio arctissimè deuinctam, profiteri debet; ac profitetur sanè quàm libentissimè. Miserta enim gentis nostræ afflictissimæ sanctitas tua, & eleuatis oculis benignissimæ miserationis tuæ; quasique flens super dilectam quondam Ciuitatem tuam, super Hierusalem sanctam,

1. Tim. 3.
[a] Cõc. Chalc. Act 3.
[b] Ciprianus lib. 3. epist. 11.
[c] Optatus lib. 2.
[d] Victor de persecut. vandal. lib 2.
[e] Chrysostõ. hom. 87. in Ioan.
[f] In anchorata.
[g] Homil. 87. in Ioan.
[h] Ambros. in com. in 1. Tim. 3.
[i] Aug. quæst. ex nouo Testam. q. 45.
[k] Chrysost. homil. 59. in Matt.
[l] Ioan. 21.
[m] Luc. 5.
[n] Luc. 22.
[o] Matth. 16.
[p] Dialog. de Trinitate lib. 4.
[q] De Trinit. lib. 6.
[r] Ambr. lib. 10. cap. 24. in Lucam.
[s] Chrys. hom. 32. in Matth. cap. 24. hom. 55. in Mat. 17.
[t] Ambr. lib. 10. cap. 24. in Lucam.
[u] Ioan. 21.

A *sanctã, à sanctitatis tuæ prædecessore Gregorio primo, Hierusalem factam, & ex barbaro paganismo, ad suaue Christi iugum conuersam; posteáque per complures alios prædecessores tuos, beatissimum illum Gregorium & verè Magnum, gentis nostræ Apostolum, proximè subsecutos; Bonifacium III. Honorium 1. Joannem 1. Vitalianum, Agathonem, & alios, mirabiliter excultam & in perfectissimam quandam Religionis Catholicæ formam redactam; nunc autem postremis his annis, à singulari fero depastam, vastatam, exterminatam, & vsque hodie penè solam in orbe Christiano, vi regia & legum Imperio ad hæresim amplexandam fidémque Catholicam abnegandam, seuerissimè compulsam, ad hanc, inquam, ita hodie deformatam meretricem, ita olim pulcherrimam sponsam respiciens sanctitas tua, non solum Anglos exules omnes ad vrbem religionis ergò venientes, amantissimè & verè paterno sinu excipit, fouet, sustentat, vbi opus esse animaduertit, sed etiam iam ab aliquot annis, satis amplum gentis nostræ seminarium maxima liberalitate aluit, primò quidem in celeberrima Academia Duacensi in Belgio positum, nunc autem propter temporum turbas, Rhemos Campaniæ in Galliis vrbem amplissimam & etiam Academiam translatum. Vt videlicet non solùm reliquiæ gentis nostræ, patria carere contentæ, saluæ fierent, sed etiam vt ex his reliquiis & semine, nouus & vberrimus fructus aliquando multiplicetur.*

Ven. Beda in Historia gentis Anglorum

Sola Anglia ad hæresim coacta.

Seminarium Anglicanum Duaci.

B *Quod & iam egregiè fieri cœpisse, gaudent Angeli, exultat in Domino sanctitas tua, lætissimè vident & sentiunt apud nos boni quamplurimi, vtcunque stridat dentibus Sathan & in aduersum furat. Quid verò, quòd nec hoc tanto beneficio, benignitate tanta contenta sanctitas tua, etiam aliud nunc in vrbe gentis nostræ seminarium, bono iam numero collectum, sub patrum quoque societatis pio moderamine, suis porrò sumptibus & noua liberalitate fœliciter inchoauit? Hæc huiusmodi sunt, (beatissime pater) vt non solum propter argumenti genus, tanquam Generali Prouisori & Patri supremo, Generalis hæc principiorum fidei doctrina meritò dedicari; sed & præterea propter Authoris personam, non nisi Gregorio xiij. hominis Angli & Professoris Duacensis qualiscunque labor, toto animi desiderio, votísque omnibus consecrari debeat.*

Alterum Romæ.

Nostra sane pro fide Catholica afflictissima gens, & à præcipua Nobilitate, vsque ad infimæ ferè sortis mulierculas, iam his aliquot annis bonorum rapinã, carceris squalorem, exilium diuturnum, & in quibusdam fortissimis fratribus suis, gloriosissimam & acerbissimam mortem perpessa; hoc ferè præcipuum in tantis malis post Deum & sanctos eius, solatium habet, quòd alterum iam dudum Gregorium, & orthodoxæ fidei apud

Catholicorũ persecutio in Anglia.

C *illos conseruandæ ac reparandæ Patrem amantissimum in persona sanctitatis tuæ, diuinitus illi datum, fœliciter experta fuerit, experiatur quotidie magis. Fremit hinc certè Sathan, & per ministros ac satellites suos, acrius solito insurgit, & bellum contra sanctos infestius mouet: nouis semper & explorandi & diuexandi Catholicos artibus excogitatis, eísque non solùm ab omni humanitate alienissimis, sed etiam cum summa & apertissima iniustitia coniunctis: ídque ipsorum maximè pseudoepiscoporum aliorúmque Ministrorum & improba* nequitia, *& fraudulenta* astutia, *(quæ duo futuris hæreticis significanter Apostolus tribuit): eorum sanè Ministrorum, quorum prius perpetua cantilena & doctrina fuit, fidem esse donum Dei, ideóque liberam illam & ab omni coactione immunem esse debere. Quam etiam doctrinam diligenter hodie in certis Belgij locis Caluinistæ renouant, vt libertatem quam vocant Religionis introducant: eandem paulo pòst Catholicis Bel-*

Ephes. 4.

gis libertatem daturi (praualere semel si possunt) quam hodie hisque iam aliquot an- D
nis dederunt Catholicis Anglis, Anglocaluinistæ. Nihil tamen hæc tanta & tam diu-
turna persecutio aliud effecit (Deo opt. max. suos nunquam deserente, & neminem
tentante supra id quod potest, sed faciente etiam cum tentatione prouentum) quàm vt
post totos tam viginti huius schismatis annos, plures tamen habeat Anglia domi fo-
rísque Catholicos, quàm vnius alicuius sectæ serios professores. Adeo sane vt in præci-
puis totius Angliæ vrbibus atque oppidis, omnes ferè carceres & custodiæ Catholi-
cis Anglis, Sacerdotibus ac Nobilibus viris plenæ sint, nullus certè carcer vacuus sit:
è contrà verò Protestantum templa in quàm plurimis pagis penè deserta ac desolata
(nisi de nouo, quod subinde fit, violenta tempestas exoriatur) orationis tempore con-
spiciantur: in cœnis verò ipsorum (quæ & perraro celebrantur) communicaturi inui-
ti plerique protrudãtur. De qua sane re, vt in Domino gloriamur, ita post Dominum,
sanctitati tuæ felicitatis huius multo maximam partem, verè & meritò acceptam
ferre debemus: quæ sua scilicet benedictione Apostolica, sollicitudine paterna, liberali-
tate maxima, quacunque in re his malis remedium afferre potest, affert plenissimè.
Quod nunc ergo ad commune hoc malum restinguendum, ego filiorum Sanct. T. mi-
nimus, Apostolico Capiti, imò veritati ipsi & Euangelio collaborans, proferre in lucem E
potui: quo vel grassantis hæresis rabies nonnihil reprimatur, & ad caulas reuocentur
erraticæ oues: vel stantis adhuc orthodoxæ fidei robur & firmitas aliquantulum stabi-
liatur, & constantiùs intra ouilis dominici septa se contineant, qui necdum egressi sunt:
hoc totum sub benedictione Apostolica, vt fructificet, prodire: ad sollicitudinis paternæ
leuamen qualecunque in lucem emitti: ad liberalitatem illam maximam genti nostræ im-
pensam, quadamtenus recognoscendam, gratíque animi testimonium exhibendum, sub
beatitudinis tuæ nomine in orbis conspectum exire, volui. Accipiat ergo (beatissime pa-
ter) sanctitas tua sereno vultu atque animo paterno, eo sane quo gentis nostræ Catho-
licis filiis benefacere solet, Opusculum hoc nostrum, amoris quidem & obseruantiæ er-
gò, quo Matrem Catholicam à prima ætate semper prosecutus sum, ante aliquot annos
elaboratum: nunc autem ad pedes beatitudinis tuæ, quanta possum ac debeo animi sub-
missione depositum: & sub tui Amplissimi nominis planéque supremi in terris Numi-
nis tutela atque auspiciis in lucem emissum. Quicquid in illo dictum aut disputatum est,
Apostolicæ sedis, id est, beatitudinis tuæ grauissimo & sapientissimo iudicio vel proban-
dum vel improbandum depono. Nec mihi aliquando placebit, vtcunque rationibus fir-
In epist. ad Leonem Pap. Lib. 2. cap. 1. ad Bonifaciũ. *missimis roboratum videatur, quod sedes Apostolica*, quæ principatũ in episcopatu F
fidei obtinet, *vt optimi Imperatoris Marciani verbis vtar, vel (vt cum summo Theo-*
logo S. August. loquar) quæ in communi Episcoporum specula pastorali, celsio-
re præeminet fastigio, *vlla vnquam ratione improbabit: nec displicere aliquando po-*
terit, vtcunque à fidei hostibus impetatur, quod illa sola sedes ratum & gratum habuerit.
Hoc igitur nostrum quicquid est, vt ratum gratúmque Beat. T. habere velit, suáque nos
ac labores nostros benedictione impartire, quàm possum humillimè, & ad oscula pedum
beatorum, supplex rogo. Beatitud. tuam Ecclesiæ suæ Catholicæ, nobis ac genti nostræ,
multis annis incolumen Deus Opt. Max. conseruet.

Lutetiæ Parisiorum, sexto Idus Octobris 1578.

Sanctitatis vestræ,

Deuotissimus seruus, & humillimus filius.

Thomas Stapletonus.

A

PRAEFATIO AVTHORIS AD LECTOREM.

GRAVITER & dolenter Apostolus Paulus de Hebræis suis, non quidem omnibus sed permultis, & fortè plærisque eorum ad quos scribit, (licet more Scripturæ ad omnes loquatur quod non omnes tangit,) hunc in modum conqueritur. *Quum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Hebr. 5. B Quibus sane verbis vel tarditatem magnam vel supinam suorum contribulium negligentiam, vel vtramque circa doctrinæ sacræ cognitionem hoc nomine repræhendit, quòd quũ propter tempus siue acceptæ legis & Prophetarum, siue prædicationis Euangelicæ illis factę, quibus omnium primo prædicatum est Act. 2. 3. 13. idque iam à viginti totis annis & amplius, (hanc enim illis Epistolam Romæ expleto ferè custodiæ biennio scripsit,) magistri, & totius doctrinæ fidei sciẽtissimi, atque adeo idonei qui & alios docerent, saltem mysteriorum omniũ & quantumcunque reconditæ sapientiæ capaces & intelligentes auditores esse debebant, tamen quæ eorum erat vel discendi tarditas vel certè puerilis penè imbecillitas (neque enim grauius aliquid dicere Spiritus Apostolicus voluit) huiusmodi facti sunt vt de nouo quasi cathechisandi, & ipsa fidei elementa atque principia edocendi esse viderentur. Hæc enim esse *elementa illa exordij sermonum Dei*, de quibus hic loquitur, in proximo sequenti capite ostendit, dicens, *intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur, non rursum iacientes fundamenta pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deũ.* Hebr. 6. Augustinus de fide & operibus cap. 11. C Hæc enim duo erant pręcipua capita, in quibus rudes & paruuli in fide cathechisari solebant: Vitæ anteactæ pœnitentia, & Articuli seu capita fidei maximè necessaria, quæ postea in Symbolum ab omnibus fidelibus inconcussè credendum Apostoli retulerunt, omnésque hactenus Christiani sanctissimè retinuerunt. Qui ergo in altero horum capitum adhuc hæret, qui vel veteris vitę turpitudine nondum expoliata, nullos in pietate progressus facit, vel circa fidei doctrinam adhuc in principiis laborat, hic sane à quantocunque tempore Christi nomen professus fuerit, Neophytus adhuc & paruulus, lacte non solido cibo pascendus, Apostoli iudicio censetur.

Hodie autem, in hac calamitosissima nostri seculi tempestate, in hac deformatissima totius religionis Christianæ facie, quodlibet horum capitum respicias atque consideres, omnia Neophytorum & paruulorum plena animaduertes. Etenim vtcunque à mille iam & quin-

gentis amplius annis Christi nomen ac fides propagata per orbem vniuersum fuerit, vtcunque & sanctissimorum virorum exempla infinita praecesserint, & vitae bene agendae praecepta ac documenta tum innumera, tum clarissima passim ante oculos versentur, vtcunque de tota fidei Christianae doctrina tam multa tam accuratè tam distinctè tam copiosè à maioribus nostris, hodiéque adeo, scripta & disputata fuerint, nihil vt addi posse videatur: denique vtcunque propter tempus, omnes & singuli Magistri esse debebamus, *omnes docibiles Dei*, omnes & in vitae puritate, & in fidei integritate viri perfecti & consummati, tamen adeo plærique omnes paruuli adhuc sumus & neophyti, adeo ab omni perfectione & sanctitate quàm longissimè absumus, vt ne à lætiferis illis & horrendis sceleribus (quale vnum olim post Baptisma perpetrasse, perinde videbatur ac fidem & Christum abiurasse) vix ac ne vix quidem tuti atque immunes diu persistamus, qui tamen praeclari Christiani censeri volumus. Adeo verò à sincerissima illa sapientia, & recondita mysteriorum fidei nostrae intelligentia iam excidimus, vt vix ipsa fidei nostrae elementa, primáque principia rectè & scienter teneamus. Sed in vtroque genere ab importunis & versipellibus nostrae ętatis hæreticis fœdissimè nos ipsos deludi, & in quàm teterrima errorũ ac dissolutae vitę praecipitia nos abduci passi sumus. Vt sanè quas in pietatis & diuini cultus ratione strages dederunt, & depraedationes fecerunt, dũ monasteria & omnia purioris pietatis domicilia penitus subuertere illis permissum est, dum pestilentissima illa solius fidei & imputatiuæ iustitiae dogmata licenter introducere, dum bonorum operum merita negare, obseruationis mandatorum quae apud Deum iustitię laudem consequatur, impossibilitatem statuere, ieiuniorum rigorem, orationum assiduitatem, pœnitentię saluberrimum vsum, Sacramentorum diuinissimos cultus è medio tollere potuerunt: ita sane non minores imò profectò nobiliores in fidei Orthodoxae doctrina clades dederint, dum praeter sublimiora illa sanę fidei dogmata negata atque conuulsa, de rectò Sacramentorum vsu, effectu, numero, de Iustitię Christianae causis, modo, fine, ac fructibus, de peccatorum origine, discrimine, grauitate, de Dei optimi maximi violata omnipotentia, contaminata prouidentia, praedestinatione & reprobatione, de Naturae humanae libertate sublata, corruptione exaggerata, sanitate per Christum deprauata, de sacratissimo religionis nostrę Sacrificio prophanato, sanctorum cultu & veneratione abolita, defunctorum fratrum piis subsidiis negatis, denique de Christi Mediatoris & noui Testamenti gratia prorsus euacuata, & ad nudum nomen redacta, pręter inquam, hęc sublimiora & perfectiora fidei nostrae documenta, quę perfectorum in fide solidus cibus & consummata disciplina est, illa quae totius disciplinae ac doctrinae Christianę principia & fundamenta sunt, etiã conuellere quantúmque in ipsis erat, penitus subuertere ausi sunt: Eáque apertè & perfricta fronte pernegare vniuersa non sunt veriti, quae in tam multiplici variorum haereticorum hydra, nullus vnquam hactenus vtcunque dementissimus & impudentissimus hęreticus apertè sanè & propalam omnia negare ausus fuit, etsi latenter quidem ex his principiis, aliud vna hęresis, aliud alia negauerit.

Margin notes: Ioan. 6. — *Religionis depraedatio hodie per haereticos facta.* — Section letters: D, E, F.

quae

A Enimuerò quę prima ſunt fidei noſtrę elementa, ſed tamen totius fidei baſes & fundamenta, veram Dei Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicã, quã in Symbolo elementario nos credere profitemur, eiuſdem Eccleſiæ poteſtatem neceſſariam & infallibilem docendi & iudicandi ea quæ ſunt fidei; *Principia & fundamenta fidei ab hæreticis negata, & in hoc opere defenſa.*
perſonas & ſubiecta illa in quibus hæc poteſtas reſidet, 1.
media iudicandi & docendi quibus illæ perſonæ vti ſolent ac debent, 2.
præcipua etiam capita circa quæ hæc poteſtas verſatur, 3.
vt conſignare Scripturarum certum aliquem & authenticum canonem, 4.
earundem Scripturarum certam & authenticam interpretationem dare, 5.
denique præter Scripturę Canonem dogmata non ſcripta tradere & commendare, 6.
hæc inquã omnia quæ ſunt fidei vniuerſæ principia, 7.
eadémque doctrinalia, id eſt huiuſmodi quæ omnẽ fidem docent confirmant, explicant, negarunt hodie, contaminarunt, & deprauarunt fœdiſſimè noſtræ tempeſtatis hæretici, Incredibili ſane & plus quàm Iudaica perfidia & cæcitate. Quum enim apertius de Eccleſia Scripturę quàm de Chriſto loquutæ fuerint (vt ſuo loco in hoc opere oſtẽditur) Lib.1.cap.16. profecto maior eſt hæreticorum hodie cęcitas qui Eccleſiam non vident, quàm Iudæorũ qui Chriſtum non agnoſcunt. Porrò hac ſua ſingulari perfidia id effecerunt, vt ſane quotquot illos audiunt & ſequuntur, multi quoque qui etſi non ſequuntur,
B audientes tamen debiliores in fide facti ſunt, paruuli iterum atque neophyti fiant, & huiuſmodi qui indigeant, *vt doceantur quæ ſint elementa exordij ſermonũ Dei, & quibus opus ſit lacte, non ſolido cibo.* Hebr. 5.

Et Chriſtus quidem, *ne eſſemus paruuli fluctuantes, & ne circumferremur omni vento doctrinæ, dedit Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, Doctores,* quorum videlicet miniſterio, doctrina, Authoritate, *ædificaremur in corpore eius, donec creſceremus in virum perfectum.* *Eccleſiaſtica Authoritas à Chriſto ſtabilita, ne eſſemus paruuli in fide.* Epheſ.4. Et hos quidem ſic voluit audiri, vt *qui eos audiret, Chriſtum audiret:* Lucæ 10. ſic voluit ſperni: vt *qui eos ſperneret, Chriſtũ ſperneret.* Nos verò dum ſinguli viri & perfecti eſſe voluimus, nec ea quæ ſunt fidei ab aliis in Authoritate docendi & paſcendi poſitis accipere, ſed per nos ipſos ſapere, factum eſt vt quantumcunque magni in oculis noſtris nobis ipſis videamur, verè ſimus paruuli, *languentes circa pugnas verborum, nihil ſcientes, & ſemper quidem diſcentes, ſed nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* 1. Timo.6. 2. Timo. 3. Olim Græcis exprobratum eſt, quòd *pueri ſemper eſſent, ſenex autem Græcorum nemo.* Plato in Timæo. Quid ita
C verò, niſi quia nulla docentis Authoritate ſed ſuo quiſque ingenio veritatẽ inueſtigans, nullum inueſtigandi finem fecerunt? Ideóque vt homines nihil certi habentes, *ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere aut audire aliquid noui:* vt Apoſtolus de pręcipuis eius gentis ciuibus notauit: Act. 17. vt meritò Proſper dixerit, *neque Græcam ſcholam, neque Romanam eloquentiam, neque totius mundi inquiſitionem circa inueniendum ſummum bonum acerrimis ſtudiis & excellentiſſimis ingeniis laborando aliquid egiſſe, ſed euanuiſſe in cogitationibus ſuis, & ſtultos factos fuiſſe, quia ſemetipſis ducibus vtebantur.* Contra collatorem ca. 26. Eandem etiam ob cauſam fatetur Porphyrius apud Theodoretum *perpetuam eſſe apud ſuos λογομαχίαν, ſeu verborum diſceptationem, vtpote qui in boni coniecturam humanis rationibus ducantur.* De curat. græc. affect. lib.1. At verò Chriſtus Dominus verus humani generis medicus non ſolùm, vt à peccatis redempti, voluntate in eum feramur, ſed etiam vt *fide corda purificati*, intelle- Act. 15.

ctu eum cognoscamus, constituit domum quandam & societatem vnius populi vtcunque ex omni gente collecti, in qua certos *dispensatores & patresfamilias* constituit, qui *scirent dare in tempore tritici mensuram*, & qui *recte secarent verbum veritatis, partientes vnicuique iuxta mensuram fidei*. Quam etiam ob causam *Vnicuique dedit Deus gratiam secundum mensuram donationis Christi*. Hanc domum ita bonis omnibus affluenter ditauit, ita *spiritu veritatis manente cum ea in æternum* instruxit, ita sua præsentia *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi* roborauit, ita *omnia quæ audiuit à patre suo ei nota fecit* & manifestauit, ita *per omnem iuncturam subministrationis connexam & compactam* fecit, vt eam Apostolus eius, *columnam & firmamentum veritatis, eius quoque corpus & plenitudinem eius* esse, (*ex qua plenitudine omnes accepimus*, quotquot Christi sumus, & Corpori eius inserti) confidenter esse pronunciauerit. D

Matth. 13. 2. Timo. 2. Rom. 12. Ephes. 4. Ioan. 14. Matth. 28. Ioan. 15. Ephes. 4. 1. Tim. 3. Ephes. 1. Ioan. 1.

Causa errorum & hæresum hodie.

Hac tamen nihilominus domo, hac Ecclesia, hoc Corpore, hac plenitudine Christi reiecta: huius domus patribus familias, huius Ecclesiæ pastoribus, huius Corporis capitibus & præpositis, huius plenitudinis dispensatoribus prætermissis, neglectis, contemptis, non tanquam filijfamilias certa mensura suóque tempore alendi, non tanquam ouiculæ pabulo à pastoribus præscripto pascendi, nec tanquam membra vnius Corporis, singula suo loco posita, suam operationem & vocationem adepta, à Capite ad vnúquodque officium dirigenda, in causa Religionis & doctrina fidei versari hodie plærique omnes voluimus, sed arcam ipsam penuarium & Sanctuarium diuinarum Scripturarum confidenter ingressi, reclusis eius confractísque repagulis, violatis adytis & mysteriis, nobis ipsis pabula deligere, nos ipsos pascere, per nos ipsos sapere, quę nostris affectibus & palato placebant, liberè vel licenter potius deuorare, tapere, aliísque obtrudere, & *verbum Dei adulterare*, mysteria prophanare, vnusquisque nostrum incredibili audacia, temeritate, sacrilegio ausus fuit. Hinc videlicet factum est vt *ægri multi sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruerint in venena fallentium. Sapere videlicet plusquam oportet volentes, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Monstra denique & portenta falsorum dogmatum hac vna occasione temere concepta, audacter prolata, pertinaciter defensa, impiè & sceleratè simplicioribus obtrusa, infinitas animarum strages dederunt. Atque ita malitia sane & improbitate magni, sensibus autem & iudicio paruuli remansimus, quum contra diligenter Apostolus monuerit, ex professo superbos Spiritus taxans, *ne pueri efficiamur sensibus, sed malitia paruuli simus, sensibus autem perfecti*. Nempe volumus quidem esse omnes *ædificatio constructa in Christo*, volumus *Christum* solum in verbo eius *audire*, sed non aduertimus quod oporteat nos ędificari per *sapientes architectos* ab eo constitutos, per *pastores & Doctores ab eo datos in ædificationem corporis sui*. Non aduertimus Ecclesiæ Magistros illos esse, quibus *data est gratia Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes*, &c. *Vt innotescat Principatibus & Potestatibus in cælestibus*, PER ECCLESIAM,

E F

2. Cor. 4. Augustin. de vtil. cred. c. 9. Rom. 12. Rom. 1. 1. Cor. 14. Ephes. 2. Matth. 17. 1. Cor. 3. Ephes. 4. Ephes. 3.

A *clesiam, multiformis sapientia Dei.* Denique non aduertimus *nuntiata quidem esse nobis ea quæ Prophetæ nõ sibi ipsis sed nobis ministrauerunt*, sed (vt ait Petrus) *per eos qui Euangelisauerunt nobis, Spiritu Sancto Misso de cœlo:* Ac postremo *verbum* quidem *Domini permanere in æternum*, sed *illud verbum quod Euangelisatum est in nobis:* Rom. 10. haud dubie per eos qui ad Euangelisandum missi sunt. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* Quæ sane incredibilis arrogantia, temeritas, & sacrilega hodie præsumptio eò nunc progressa est, vt nulla vnquam hæresis faciliorem, aut expeditiorem ad Antichristum quum venerit suscipiendum viam strauerit, quàm hodierna; quæ omnem in doctrina religionis Authoritatem labefactare, extenuare, tollere contendit. Illa enim authoritate (*sine cuius graui quodam imperio* (ait sapienter Augu.) *iniri certè nullo pacto vera religio potest*) semel sublata facile eam sibi (quod hodie videmus) impurissimus quisque, vt est paulò audacior & cæteris vel ad fallendum astutior, vel ad blandiendum loquacior, venditabit. A quibus postea leuissimis hominibus eisque inter se miserè dissentientibus atque rixantibus, magnus ille, cuius hij satellites, ministri ac præcursores fuerunt, omnem ad se solum Authoritatem nullo negotio deriuabit. Neque hoc obscurè Ioannes Apostolus significauit quũ
B
diceret. *Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Spiritus enim erroris, qui excellenter est Antichristi spiritus, hanc propriam notam & characterem habet, non audire Ecclesiam, contradicere Magistris Ecclesiæ resistere Moysi & Cathedræ eius. Hij enim omnes in nomine suo veniunt, quod proprium esse Antichristo, Saluator apertè docuit dicens. *Alius veniet in nomine suo, illum accipietis*, disertè Antichristum designans. Et hanc ob causam Constantium illum Atrianum Imperatorem, verum Antichristum doctissimus Athanasius vocauit, eò quòd Episcopis ipsis præsidere atque præscribere, causarúmque Ecclesiasticarum supremum se iudicem & arbitrum constituere non est veritus. Sed de hac re tota in ipso operelatior disputandi locus dabitur.

Præsentes hæresis Antichristo viam latissimã sternunt.

De vtilit. credendi ca. 9.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 5. 4.

Athanas. in epist. ad solitariam vitam agentes.

Grauis ergo sane & fœda calamitas, dura & tristis horum tẽporum conditio est, eo iam per hæreticas fraudes & imposturas religionem redactam esse, vt nudo penè eius nomine retento, tam in pietate morum quàm in doctrina
C fidei, ad elementa iterum redeundũ sit, primísq; principiorũ vestigiis denuo insistendũ, si ad virtutis callẽ & veritatis viã perfectã & solidã aberrãtes hœdos in ouile Christi recolligere volumus. Verecunda sane & ingrata, sed necessaria prorsus præsentibus hisce malis penéque vnica medicina hæc est. Iacienda firmiter & fortiter de nouo fundamenta sunt, si euersam penitus Ecclesiasticæ disciplinæ atq; doctrinæ arcem denuo restaurare, & ad pristinum splendorem atq; nitorẽ reuocare volumus. Sed de disciplinæ quidem restauratione ac reformatione alij & suggesserunt multa, & suggerere adhuc poterunt plura. Ego fauente ac propitio Deo, doctrinæ Orthodoxæ fundaméta stabiliam, eleméta explicabo, principia demõstrabo, ea sane, quę iam à nobis circa vnum illum Symboli Apostolici articulum de credenda Ecclesia enumerata sunt. Video enim penè frustrà, certè minore cum fructu, in aliis explicandis & confirmandis fidei dogmatibus atque articulis laboratum, & su-

Lib. 3.

Vnica præsentibus malis medicina.

Quare minus hactenus Catholicam scripta apud hæreticos profecerũt.

datum hactenus à permultis doctissimis viris fuisse, crescẽte nihilominus & grassante semper hæretica peste ac prauitate, eã sane ob causam quia principia ipsa, quibus omnis eorum disputatio nititur, & vnde omnia probationũ suarum media petuntur, nondum satis ipsa lectori corrupto & horum temporum hæretica labe infecto, confirmata & eliquata videntur. Quo sane nõdum præstito, quibuscunque argumentis, testimoniis, rationibus rem Controuersam explicueris, confirmaueris, illustraueris, nihil tamen apud lectorẽ vel simplicem vel corruptum, cui omnis, opinor, labor tuus aut certè potissimum desudat, effeceris: sed planè quod dicitur, laterem laueris, & aërem verberaueris. Etenim siue ex Scripturis sacris multa testimonia congesseris, earúmque interpretationem maximè Orthodoxam adhibueris; siue ex traditione aliqua non scripta, Conciliorum tamen, Sanctorum Patrum, totiúsq; antiquitatis consensu & testimoniis roborata aliquid produxeris; siue denique ipsa Conciliorum decreta, Rom. Pontificum responsa, patrum consentientes sententias, consensum denique totius Christiani orbis & fidei regulã ad aliquid probandum aut ad aduersarium refellendum protuleris vides tamen quàm hæc nihil moueant, nihil persuadeant, nisi primùm & antè omnia tum has esse certò canonicas Scripturas quas profers, tum interpretationem germanam esse & authenticam quam adfers; tum traditionem non scriptam, Conciliorum, Pontificum, & patrum decreta, responsa, testimonia, vim Authoritatis habere, cõsensum Ecclesiæ & regulam fidei probationes legitimas esse, lectori tuo vel auditori persuaseris. Nemo enim conclusioni assentit, nisi concessis & admissis Medus. At, inquis, hęc omnia per se clara & indubitata sunt. Quis enim Scripturas negauerit, aut earum interpretationem legitima Authoritate confirmatam respuendam duxerit? Authoritatem autem legitimam vbi demum nisi in Conciliis, in Pontificibus seu Ecclesiarum magistris, in sanctis Patribus, in cõsensu Ecclesiæ quæ errare nõ potest, ponemus, aut ponẽdam esse arbitrabitur quispiam? Rectè sanè ista, vt Orthodoxus & Catholicus profiteris. Et quidẽ si pax nunc Ecclesię esset, aut turbatio modica, nemo fortasse de istis omnibus dubitauerit. At, si nescis, non solum dubitant, sed pertinaciter & refractariè hæc singula tibi quæ tu tam certa & solida Orthodoxus arbitraris, pernegant horum temporum hæretici. Itaque cum illis nihil agitur, nihil promouetur, nisi istis ipsis Principiis solidissimè semel confirmatis & egregiè explicatis. Ita sanè vt non solum ipsa veritas in singulis clarè demonstretur, sed etiam vt aduersariorũ cogitationes & persuasiones contrariæ, ipsorum animis altissimè impressæ, diligenter refutentur, & eorum animis si fieri potest eximantur. Illorum enim salus & conuersio sedulò à nobis & sollicitè procuranda est: Nonsolùm quia fratres & proximi nostri sunt, sed etiam vt Ecclesiam deinceps perturbare & domesticos fidei ab vnitate Catholica auellere desinant. Pax enim & securitas Ecclesiæ, illorum salus est.

Quare non sufficiat prædicta principia ponere.

Principia iam necessariò sunt probanda.

Occasio præsentis operis.

Quare ego operę preciũ me facturũ putaui, rémq; Ecclesiæ Dei salutarẽ, si ad Controuersiarum professionẽ publicam & ordinariam in Alma & celeberrima Duacẽsi Academia ante aliquot annos vocatus, primũ & ante omnia has de fidei Orthodoxæ Principiis doctrinalibus Cõtrouersias in man⁹

sumerem

A mentem, diligenterq; & elaboratè pro scholasticę huius institutionis more & cõsuetudine eas pertractarẽ; posteaq; re confecta, easdẽ adhuc maiori studio domi limatas & expolitas (quantũ sane per quotidianã aliarũ controuersiarũ professionẽ licuit) in lucẽ tandẽ, vt quãplurimis hic labor noster qualiscunq; prodesse posset, emitterẽ. Cuius sane editionis non meũ tantũ iudiciũ, quod mihi merito in meo proprio fœtu suspectũ esse debet, sed alios grauissimos & præstãtissimos viros authores habeo. Inter quos honoris causa duos Illustrissimos paritérq; lõgè eruditissimos Cardinales, Hosium Vuarmiẽsem & Syrletũ nominare debeo: qui visis huius Opusculi librorũ argumẽtis, singulis capitibus, & fragmẽto quodã, quę mecũ in postrema mea superioris anni ad Vrbem peregrinatione detulerã, vehemẽter hortati sunt, vt in lucẽ opus emitterem Reip. Christianæ (vt ipsi asserebãt) longè futurum vtilissimum.

Et sanè siue præsentes Controuersias, siue ea quæ de Controuersiis iã tot ac tanta his rotis saxaginta annis scripta & disputata sunt, cõsideremus, hoc genus scriptionis vel solum ad omnes cõponendas sufficere, vel certè iam solum desiderati posse animaduertemus. Nam quod ad prius attinet, tales sunt hodie & eius generis omnes ferè Controuersiæ, vt quid Ecclesia de illis sentiat, qualis sit circa ipsas Ecclesię vox, consuetudo, praxis: quas leges, quæ decreta iam olim atq; hodie de rebus nunc controuersis Ecclesia tulerit, omnibus sit in re Theologica imò in fide christiana vel mediocriter institutis notissimum atque clarissimum. Olim sane ideo hæreses varię multis diu imposuerunt, ideo Arriana etiam Episcopis doctissimis, quibusdam statim ab initio inhęsit: ideo Pelagiana multos aliquo tempore doctos ac pios decepit; ideo grauis illa de Baptismo hæreticorum quæstio animos etiam piorum & doctissimorũ virorũ plurimũ turbauit, quia nondũ Ecclesię de illis rebus iudicium vel definita sentẽtia liquido innotuerat. In nostris autem hodie Cõtrouersiis quia Ecclesiæ Catholicę praxis ipsamet & cõsuetudo, publicúsque religionis vsus contra hęreticos disertè proclamat, eósque violatæ religionis & innouatæ doctrinæ dãnat, in aliis verò subtilioribus fidei dogmatib⁹, plenariũ iam, Generale & Oecumenicum Conciliũ Tridentinũ de singulis quid tenendũ sit, definiuit: & (vt de Pelagianis scribit Augu. quorum tamẽ hæresis nisi in Prouincialibus quarundam regionum Synodis, in nulla autem generali damnata fuit) *dedit Protestantibus Ecclesia Catholica iudicium, quale debuit, vbi & causa eorũ finita est*, nihil profecto aliud superesse debuit, quam quod de eisdem Pelagianis doctissimus ille paritérq; mitissimus pater S. Aug. scribit: vt videlicet *post factum illis competens sufficiénsque iudicium, vbicunque isti lupi appareant vigilantia & diligentia pastorali conterantur, siue vt sanentur atque mutentur, siue vt ab aliorũ salute atque integritate vitentur.* Hoc sanè solũ & vnicum in hominibus tam apertè ab Ecclesia damnatis superesse debebat, vt anathema à fidelibus omnibus illis diceretur, nec amplius post competens Ecclesiæ iudicium de ipsorum dogmatibus inquireretur, ne nullus tandem quærendi vel altercandi & rixandi potius finis esset. Sed profectò vt omnium qui vnquam extiterunt hæreticorum improbitatem, peruicaciam, & impudentiam nostri temporis hæretici superant, ita vicissim à Catholicis scriptoribus, ipsísque adeo summis Ecclesiæ Pastoribus atque Iudicibus magis istorum infirmitati obtemperatum, vel malitiæ potius cessum & obsecundatum est diligentius

Præsentiũ Operum necessitas & vtilitas.

B

C

Protestantium causa iã per Ecclesia iudicium finita.

Lib. 3. cap. 1. con. Iulianũ, contra 2. episto. Pelag. lib 4 cap. vltimo.

& accuratius vt in viam reducerentur, scribendo, docendo, Colloquia & Sy- D

Ex hoc Opere amplius ad conuertendos hæreticos præstatur, quàm vllis vnquam hæreticis hactenus præstitum fuit.

nodos varias celebrando laboratum est, quàm vt arbitror cum vllis vnquam veteribus hæreticis actum fuerit. Certè quod nunc hoc opere in eorum gratiam præstare conamur, amplius & superabundantius est quàm vllis vnquã hæreticis olim præstitum fuisse memoriæ proditum legimus. Etenim post Ecclesiæ non competens tantum, sed & plenarium amplissimúmque iudicium, post tam manifestas & luce Meridiana clariores singularum hodie hæresum confutationes, post tam illustrem ipsius vniuersæ Ecclesiæ praxin, & consuetudinem, tam aduersa fronte illorum plerisque dogmatibus repugnantem, en tibi nunc ipsius Ecclesiæ & notas ac signa certissima, argumentáque firmissima quibus eam à falsis omnibus Ecclesiis discernas, & Authoritatem prẹterea multiplicem atque amplissimam diligenter assertam & ab

Huius Operis fructus, ac finis.

omnibus aduersariorum cauillationibus & imposturis sedulo vindicatam: vt sanè quia Ecclesiam nec agnoscunt nec audiunt amplius hæretici, Ecclesiam & liquido agnoscere & obedienter audire ex hoc opere discant: vel si discere illi erubescunt, intelligant magis alij (quod iam firmiter credunt,) E
Ecclesiam esse in omnibus de fide dubiis diligenter & humiliter audiendã; eósque qui audire recusant, verissimi nominis hæreticos esse, ideóque à fide-

Ex hoc Opere omnes Controuersiæ terminantur.

libus vt pestem orbis terrarum, procul fugiendos & detestandos esse. Postremò quum de præsentibus controuersiis Ecclesia iudicauerit, vt dictum est, si Ecclesiæ iudicium longè esse certissimum & infallibile, solúmque satis per se sufficere hoc opus ostenderit, profecto prẹsentes omnes Controuersias ex hoc solo opere componi & terminari posse consequenter apparet.

Ad omnes Controuersias sopiendas id solum desiderari, quod in hoc Opere demonstratur.

Iam verò quod ad posterius attinet, huius generis scriptionem, quasi ad omnem nunc altercandi finem imponendum solam desiderari, vel hinc elucescit, quòd hactenus quidem de singulis ferè horum temporum Controuersiis, ita grauiter, copiosè & eruditè disputatum est à scriptoribus Catholicis, vt ad Orthodoxam sententiam in singulis confirmandam, vel aduersam opinionem refellendam, sacrarum Scripturarum, SS. Patrum, & totius Antiquitatis testimonia maximo studio collecta & annotata, apud omnes penè in numerato habeantur, víxque aliquid in hoc genere desideretur. Id verò solum restat vt his testimoniis, huic Authoritati, acquiescere & obtẽpe F
rare aduersarius velit; vt Ecclesiæ vocem Scripturas Sacras interpretantis, in SS. Patribus & tota antiquitate sonantis, audire, reuereri & amplecti non grauetur. Nam hoc nisi fiat, frustra omnis alius labor conuertendis hẹreticis impenditur, quia qui errat circa principia, impersuabilis est: & hoc semel facto ad reliquam fidem facile inducetur qui errat. Qui enim errat saluatis principiis, per ipsa principia reuocari potest. Istud autem vt fiat, in hoc opere studiosè contendimus.

Duo præcipitia indoctorum hodie, dum ratione nõ Authoritate controuersias componere volunt.

Sanè tanta hodie & diligentia & eruditione & eloquentia, & omni contentione vtrinque ab Orthodoxis & hæreticis scriptoribus, disputando, scribendo, conferendo, declamando, concertatum est atque pugnatũ in singulis ferè Controuersiis, vt qui ingenio & studio, qui ratione & argumentis, non Authoritate legitima, litem hanc acerbissimam componere se posse arbitrati sunt, plerosque ex indoctioribus ita dubios & hinc inde ambigentes ac fluctuantès reddiderint, vt in duo præcipitia planè extrema sibíq; cõtraria inciderint

A derint: dum quidam sane ad desperationem propemodum adducti; inueniri liquido veritatem non posse existimant, penéque in Academicorum sententiam cogitationũ suarum fluctibus & impetu feruntur: Alij in vnaquaq; hodiè secta & religione (quandoquidem singulæ & Christi nomen profitẽtur, & fidei fundamenta vt illis videtur, tenent) salutem homines certò consequi posse asseuerant, contentiones autem hodie de religione factas ad fundamenta ipsa fidei Catholicæ non pertinere, sed partim subtilium, partim inanium quæstionum vel non necessarias disputationes vel otiosas esse rixas arbitrantur. Sed vtroque hoc hominum genere nihil vanius, nihil pestilentius. Itaque prioribus illis merito satisfacere debet, quod Augustinus ille ter maximus Ecclesiæ Doctor in eisdem olim animi fluctibus constitutus, sibi satisfecisse, & tumultuanti animo pacem ac serenitatem reddidisse ipsemet scribit. *Sæpe*, inquit, *ego intuens quantum poteram, mentem humanam tam viuacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem: nisi quòd in ea quærenda modus lateret: eundémque ipsum modum ab aliqua diuina Authoritate esse sumendum. Restabat quærere quænam illa esset Authoritas, quum in tantis dissensionibus* *Veritas fidei nisi Authoritate non inuenitur.* De vtilitate credendi c. 8.
B *se quisque illam traditurum polliceretur.* Hæc ille. Hac autem Authoritas (qua profecto omnis fides nititur, vt scientia ratione) in veritate fidei tradenda atque explicanda, quæ tandem, qualis & quanta & penes quos sit, & quomodo, hoc in Opere via & ratione demonstrare contendimus. Et sane non est illa alia quàm quę ab ipso Augustino eodem in loco paucis interiectis, amico suo Honorato adhuc Manichęo, & omni vento doctrinæ pueriliter circumuecto, sapienter his verbis suggeritur. *Si iam* (inquit) *satis tibi iactatus videris, finémque huiusmodi laboribus vis imponere, sequere viam Catholicæ disciplinę, quę ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsque manauit, & abhinc ad posteros manatura est.* Hæc ille. Hanc viã Catholicæ disciplinæ, hâc rationẽ quã in docẽdo & iudicãdo de fide Catholica Ecclesia vtitur, vsa sẽper fuit, & vti debet, nos in hoc Opere studiosè ostendere digitóque demonstrare, iuuante Deo, conati fuimus. *Vbi suprà Via catholica Disciplina.*

Posterioris autem generis opinatores, idq; in tanta & tam immensa tot ac tantarũ hæresum colluuie hodie grassante, sicuti supra ex parte recensuimus, nescio an in numero Christianorum haberi queant. Quis enim Christianus
C nescit aut non credit, *vnũ esse Dei & hominũ Mediatorẽ Iesum Christum*, de hoc Mediatore *vnã esse fidẽ, vnũ Baptisma*, huius vnius fidei vnã esse & *eandẽ Regulã in qua permanere* omnes vtcunque in rebus pręter fidei substantiã *vnusquisque in suo sensu abundet*, diligẽter præcipit Apostolus, vltra & citra quã nihil est de fide credendũ? Hanc regulã nõ in solo Symbolo Apostolico cõtineri, sed alia quàmplurima ad fidem necessaria complecti? Hanc regulam in vna Ecclesia Catholica doceri, tradi, conseruari, extra quam non est salus, quia extra Corpus Christi quod illa est, Spiritus Christi esse non potest? Denique sic custodiri, tanta religione & obseruantia coli, ac retineri, vt ne latum quidẽ vnguẽ ab ea discedere cuiquam liceat: sed quemadmodum in lege morum, *qui offenderit in vno, factus est omnium reus*, ita in doctrina fidei qui vnum articulum pertinaciter negauerit, nullam prorsus fidem habere censendus sit. Hæc vt dixi, nemo christianus ignorare potest, quia ad principia ipsa & fundamẽta fidei Christianæ hæc omnia pertinent. Si quis tamen ita paruulus in Christo est 1. Timo. 2. Ephes. 4. Philipp 3. *Non est Christianus qui in vnaquaque hodie secta salutẽ acquiri posse iudicat.* Iacob. 2.

hæc vt ignoret, inueniet in hoc opere, vnde de singulis instructus in virum perfectum euadat, maximè si quæ de Mediis Iudicij Ecclesiastici libro 7. & quæ de ipsius Ecclesiasticæ vocis necessitate atque infallibilitate lib. 8. deníque quæ de erroris & peccati in Ecclesia tolerati magna discrepantia in libro tertio, obiter disseruimus; ac postremo quę de fraudibus Protestantum circa Ecclesiæ notas describendas disputauimus, vbi huius dementissimæ opinionis ne dicam Atheismi fundamenta in Lutherana, Melanchthonica, ac Caluiniana doctrina manifestè iacta euertimus, diligenter aduertet. D

Lib. 1. cap. 18. *Quare præsentibus hæresibus refutandis hoc scripto genus est necessarium.*

Præterea circa veteres hæreses refutandas Controuersiæ de Ecclesia pertractatio & discussio non fuit fortasse perinde necessaria. Illæ enim ferè omnes particulares erant, & in certo aliquo dogmate constitutæ, quæ propriis argumentis non adeo difficulter solui & conuinci poterant. Hęreses autem hodiernæ vniuersales quodammodo sunt, & vniuersam religionem Catholicam conuellunt. *Vix vllum* (ait Caluinus de Catholicis) *cum ipsis conuentum possumus habere, in quo non aperta idololatria nos polluamus.* Hoc est dicere, nihil est in Catholica Religione atque doctrina, quod istorum hominum vniuersa quędam hæresis seu Apostasia potius non contaminauit, & aliqua ex parte labefactare conata non est. Omnes Catholicæ doctrinę vias (via enim Regia publica & trita est ipsa Catholica) velut infestissimus latro hæresis hodierna obseruauit, obsedit, occupauit: vt nusquam fere in eius dogmatibus versari liceat, vbi non aliquid hodie arrodat hæreticus, ex aliqua semper parte insidietur, alicubi semper infestet, obganniat, aduersetur. Denique ita nunc in nouissimis istis diebus creuerunt cum tritico zizania, vt vix per zizania locus sit tritico, vix per hæreses vlla fidei pars tuta & intacta relinquatur. Ita quasi febris quędam Ethica vniuersum Religionis Christianæ corpus hodiernæ hæreses occuparunt. Debent ergo hodiernę hæreses, non propriis tantum argumentis singulæ confutari, vt olim pauciores quum essent, sed etiam communibus & generalibus armis quasique coniunctis totius ecclesiasticæ armaturæ copiis, oppugnari, opprimi, prosterni. Communis ergo iste & generalis Ecclesiasticę Authoritatis locus vel maximè erat hoc tépore explicandus, roborandus, & ab aduersariorum cauillis ac technis dexterè asserendus. Adde quòd pleræque hodie hæreses directè contra Ecclesiam eiúsque Authoritatem pugnant. Itaque contra negantes principia & ipsa religiónis fundamenta conuellentes; ipsa principia, vt saluti aduersariorum sociorúmque securitati consulatur, necessariò stabilienda fuerant, non solum vt expeditius & facilius, sed etiam vt solidius planéque inuictè aduersarij confutentur.

Institut. libr. 4. ca. 2. par. 9.

E

Præsentes hæreses, quasi febris ethica vniuersum Religionis corpus occuparunt.

Generalis ecclesiasticæ Authoritatis locus hoc tempore necessariò explicandus.

F

Veteres de Ecclesia Scriptores.

Profectò cùm contra Ecclesiam in parte Nouatiani, in vniuersum verò Donatistæ pugnarent, diligenter contra illos Sanctissimus Martyr Cyprianus tum in Epistolis suis sępe, tum etiam ex professo in libro de vnitate Ecclesię siue de simplicitate pręlatorum, vt vetustior habet editio, scripsit. Contra hos verò Optatus, toto libro secundo cõtra Parmenianum, veram Ecclesiam describit atque defendit; copiosiùs autem S. Augustinus etiam ex professo, librum quoque de vnitate Ecclesiæ conscripsit; ipsámque Ecclesiæ Authoritatem quàmplurimis in locis hęreticorum furori opposuit

A opposuit, vt suis in locis hoc in opere commemorabimus. Scripsit quoque de Ecclesia librum Melito Sardēsis Episcopus doctissimus, statim post Apostolorum tempora (vt commemorat Hieronymus) haud dubiè propter hæreticos etiam ea tum ætate Ecclesiæ contradicentes. Et quidem si tanta huius argumenti necessitas hodie non esset, quæ tamen est vel maxima, vtile tamen est extare in Ecclesia & in fideliū manibus versari, de ipsa vera Ecclesia eiúsque multiplici & varia circa Iudicium fidei Authoritate, disputationem aliquam & explicationem, quantum fieri potest, accuratam & solidam: quæ quidem & contra omnes hæreses Antidoti, & ad sanæ doctrinæ conseruationem Amuleti loco esse queat. Qualem sanè etsi hác nostram esse nullo modo existimamus, sed à tanti operis perfectione longè illam abesse ingenuè fatemur, & verè iudicamus, attamen vt talis esset, quantum sanè in nobis erat, adlaborauimus: hoc saltem (vti speramus) assecuti, vt via & ratione nonnihil præmonstrata, occasionem doctioribus dederimus, quod nos conati sumus, aliquando perficiendi, & hæc initia nostra ad vmbilicum tandem & perfectionem perducendi. Arbitramur enim ad sopiendas tandem omnes Controuersias nullam vtiliorem posse disputationem iniri, vtcunque paulò dilutior & minus subtilis, magnísque propterea ingeniis contemptibilior B fortasse videatur. Lac enim certè est, non solidus cibus, paruulis tamen & his temporibus imprimis necessarius.

In Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum.

Ecclesiastica Authoritatis locus per se cognitu dignissimus.

Quam sanè ob causam & multi hac ætate hoc Argumentum de Ecclesia eiúsque Potestate sibi tractandum & explicandum sumpserunt. Et primum quidem pręter communium locorum tractatores pene innumeros, qui omnes hunc locum de Ecclesia diligenter tractarunt, ex professo primus, vt opinor, Iacobus Noguera Decanus Viennensis anno 1560. eleganti sermone Ecclesiam veram eiúsque Authoritatem duobus libris asseruit: sed breuius & succinctius quàm res tanta tractari debuit, nec etiam quod proposuerat, perfecit, aliis (vt videtur) negotiis impeditus. Scripsit Melchior Canus vir doctissimus inter libros locorum Theologicorum, Opus varię & excellentis eruditionis, de Ecclesia quoque librum vnum, atque item de SS. Patrum Authoritate librum alium, aliáque nonnulla huic nostro Argumento affinia. Idem pręstitit Albertus Pighius vir magni zeli & acris iudicij, in libris de C Ecclesiastica Hierarchia. Sed Ecclesiæ magis Authoritatem ídque in genere demonstrare, Ordinémque in ea à Christo positum, quem Babylonica horum temporum hęresis confundere penitúsque è medio tollere contendit, astruere & explicare, quàm vel Ecclesiam ipsam vbi & penes quos esset diligenti inquisitione inuestigare, vel eius multiplicem & excellentem Potestatem via & methodo (quod nos hîc conati sumus) exponere & cōfirmare, propositum vtrique fuit. Edidit quoque eodem fere tempore vir doctissimus & optimus, nunc autem Levvardensis in Phrisia vigilantissimus, longéque dignissimus Episcopus, Petrus Cuneri de proprietatibus Ecclesię libellum vnum, sed eleganti magis breuitate, argumentorum notas & semina commonstrādo, quàm accurata disputatione rem tantam pertractando. Scripserunt quoque de hoc Argumenti genere varia, duo præclara huius ætatis lumina, Illustrissimus Cardinalis Hosius, tum contra Brentij prolego-

Scriptores moderni de Ecclesia eiusque Authoritate.

Iacobus Noguera Decanus Viennensis.

Melchior Canus.

Albertus Pighius.

Cunerus Petrus.

Cardinalis Hosius.

Petrus à Soto. mena, tum in confeſſione Polonica, & venerabilis ac eruditiſſimus vir Petrus à Soto in defenſione Catholica contra eundem Brentium. Sed obiter magis, & ſtrictim quàm vel ex propoſito vel copioſè iſtud argumentum tractarunt. Scripſit quoque ante paucos annos, opus egregium huic noſtro in quibuſdam affine, vir doctiſsimus & optimus Nicolaus Sanderus, noſter à prima ætate amicus ſuauiſsimus, cui titulum dedit *de Viſibili Monarchia Eccleſiæ*. In quo quidem Opere, quod in ſecundo, tertio, & ſexto huius diſputationis noſtræ libris, ex Scripturis ipſis de veræ Eccleſiæ forma, eiúſque Supremo Capite demonſtrauimus, rationibúſque firmauimus, (Proteſtantum vbique ferè omnium, certè præcipuorum & fraudibus detectis, & argumentis confutatis) id ille de facto ita ſe habuiſſe, luculenter Lectori ad oculum demonſtrauit. Reliquas verò diſputationis huius noſtræ partes non attigit: ſatis habens Eccleſiæ viſibilem faciem, curſúmque perpetuum ſub vno Primario Capite demonſtraſſe, & à Magdeburgenſium cauillationibus aſſeruiſſe. Nuperrimè verò & quidem poſtquam hoc Opus iam totum in ſcholis dictaueramus, varij huius Argumenti tractatores prodierunt, quaſi hoc agente per inſtrumenta ſua diuino Spiritu, vt de hoc argumento pleniſsimè & locupletiſsimè fideles (quibus eius luculenta cognitio tam eſt neceſſaria, vt nihil magis,) tandem inſtruerentur. Nam anno quidem *76*. Gerardus Ianſenius Preſbyter de vera Eccleſia eiúſque Authoritate tractatus decem in lucem emiſit. Cuius libri titulum cùm in Catalogo Nundinarum Franckofordienſium viderem, vehementer ſanè gaudebam, exiſtimans illud iam diligenter præſtitum ab alio fuiſſe, in quo ego (finita iam dictatione noſtra ſcholaſtica) limando & excolendo, atque in formam quam nunc habet redigendo, laborare tùm cœperam. Sed poſtea librum nactus, animaduerti virum optimum & eruditum declamatoriè magis & exhortatoriè quā vel methodicè vel iuſto argumentorum pondere hoc argumenti genus tractaſſe: & quidem de ipſa Eccleſia in ſe copioſè, de eius verò Authoritate parcius diſputaſſe, denique in hæreticorum argumentis refellendis non admodum laboraſſe. Prodiit quoque anno ſequenti Martini Eiſengrini viri vndequaque doctiſsimi de Eccleſia liber vnus, in quo quidem ex Scripturis & ex patribus ingentem teſtimoniorum farraginem pro Eccleſia vera demonſtranda eiúſque Authoritate aſſerēda ſtudioſè collegit, aduerſariorum quoque obiectiones maximo numero collectas ſuccinctè confutauit. Sed eſt ille liber argumentorum & locorum ad hoc argumenti genus tractandum diues potius quoddam penuarium, vnde facilè expromi queant, quibus veritatem Catholicam ſolidè aſtruas, & falſitatem hæreticam refellas, quam ipſius huius argumenti ſolida & artificioſa tractatio. Enumerātur enim, non tractantur, non explicantur, non accommodantur rei præſenti prædicta teſtimonia & argumentorum ſolutiones. Prodiit denique eodem anno defenſio Aſſertionum Theologicarum de vera Eccleſia Authore Henrico Blyſſemio ex Societate Patrum Nominis Ieſu: in qua ſanè multa pro veritate Catholica aſſerenda erudite & ſolide diſputantur.

Nicolaus Sāderus. Gerardus Ianſenius. Martinus Eiſengrinus. Henricus Blyſſemius.

D E F

Quid verò in hoc p̄ſenti opere à nobis p̄ſtitū fuerit, vel ſupra, vel p̄ter alios qui hoc argumēti genus ante nos tractarūt, malo lectoris ſit iudiciū q̄ vt à me

lector

A lector audiat. Sanè illud maximè spectauimus & studiosè semper conati fui- *Intentio Authoris in hoc Opere.*
mus, primum vt via aliqua & ratione commoda vniuersum hoc & amplissi-
mum argumentum tractaremus: quod an assecuti fuerimus, ex principiorum 1.
fidei doctrinalium Analysi, quam in fronte totius operis, & in primi libri
principio collocauimus, iudicabit lector: deinde vt veritate Catholica so- 2.
lidè ac plenius confirmata, eadémque confirmatione à cauillationibus ad- 3.
uersariis diligenter asserta & vindicata, postea hæreticorum huius ætatis vel 4.
fraudes vel dolos aperirem, vel cogitationes vanissimas, illorum tamen ani- 5.
mis altissimè impressas amouerem, vel deníque argumentis ipsorum non 6.
quidem omnibus sed iis quæ præcipua videbantur, plenè satisfacerem. Po- 7.
stremò vt hoc totum breuiter & succinctè, quantum ipsa rerum & argumen- *Modus scriptionis præsentis qualis.*
torum natura patiebatur, præstarem. Atque hinc sanè factū est, vt in hoc no-
stro opere præter rerum & argumentorū supellectilem, nihil prętereà orna-
mentorū conspiciatur. Nullæ hîc sunt vel declamationes, vel exhortationes, vel amplificationes, vel denique ad affectus excitandos interrogationes illæ rethoricæ, subiectiones, conuersiones, & his similia, quæ ad dicendi ornatū spectant, schemata. Itaque docetur hic lector: non admodum vel mouetur vel etiam delectatur. Nempe aliud est ex Cathedra scholastica docere, aliud in Cathedra oratoria perorare. Et Auditoribus in schola non verba, sed res & argumenta fuerant dictanda. Ignoscet itaque, prudens Lector, si in doctrinalibus fidei Principiis demonstrandis, nuda doctrina & demonstratione simplici vsi fuerimus. Quanquā tamen in duobus postremis libris, quos sanè Auditoribus, vt hic habentur, non dictauimus, sed argumētorum tantum notas & semina ad huius tum argumēti exitū properantes illis excipienda tradidimus, liberiore stilo rem prosecuti sumus, ideóque aliquid interdum, etsi parcius, mouendis affectibus dedimus.

B

Quid in hoc Opere singulare tractetur.

Iam verò etsi quidem permultas huius operis partes ab aliis (vt iam recensuimus) antea tractatas legere licet aliqua tamen hic sunt, eáque in hoc Argumenti genere maximè cognitu necessaria, quæ à nemine (quod sciam) hactenus pertractata, hoc nostro primùm labore prodeūt: vt veræ Ecclesiæ plenissima definitio, quodque sola Romana illa sit, Protestantum verò multitudo illa esse non posit, multiplex & luculenta demonstratio, toto libro 4. Multa etiam in lib. 7. de Mediis Iudicij Ecclesiastici, totus quoque liber 8. de Potestate Ecclesiæ formaliter in seipsa considerata, totúsque item liber 10. & 11. de Authentica sanctas Scripturas interpretādi Authoritate, déque ipsius interpretationis viis & Mediis, aliáq; nonnulla. Habes Christiane Lector, & huius laboris nostri suscepti causas, & Operis totius Argumentum, & in ipsa Argumenti tractatione, quid à nobis expectare debeas, breuiter explicatum. Quòd si ex eo aliquis ad te fructus perueniat (qui quidem qualis & quam varius esse posit, si eo diligēter vti velis, sub finem totius Operis in ipsa peroratione enumeratum habes,) da quidem gloriam & laudem soli Deo, qui ista nobis dedit velle, dedítque perficere. Nobis autem si aliquid commeriti videmur, vniuersæ mercedis loco, piarum Orationū tuarum subsidia aliquando impartire. Vale.

C

Controuersiæ Primæ Liber primus: de vera Ecclesia in se.

Contro-

Controuersiæ primæ Liber quartus.

Roma-

Romanam Ecclesiam veram esse Dei Ecclesiam, ex quadam ipsorum Protestantum confessione, conuincitur.

Secunda Controuersia & Liber Quintus: de Potestatis Ecclesiasticæ Subiecto.

Liber Sextus de Supremo Iudicio Ecclesiastico in causa fidei vbi consistat.

Liber Septimus & Controuersia tertia de Iudicij Ecclesiastici mediis.

Quum

Liber Octauus & Controuersia Quarta, de Ecclesiæ Potestate in seipsa formaliter considerata.

Liber

Liber decimus tertius, Successionis ecclesiasticæ defensionem accuratiorem, & latentis Protestantum Ecclesiæ confutationem copiosiorem complectens in hæc Capita distribuitur.

FINIS.

Authores in hoc Opere citati.

Veteres.

Ambrosius.
Athanasius.
Athenagoras.
Augustinus.
Hieronymus.
Basilius.
Beda.
Bernardus.
Chrysostomus.
Cyrillus Alex.
Cyrillus Hierosol.
Cyprianus.
Chrysostomus.
Theodoretus.
Gregorius Nazanzenus.
Gregorius Magnus.
Egesippus.
Eusebius Pamphili.
Eusebius Emissenus.
Sedulius.
Socrates.
Sozomenus.
Euagrius.
Iosephus.
Irenæus.
Marcellini Chronicon.
Iustus Orgelitanus.
Iustinus Martyr.
Hilarius.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Origenes.
Prosper.
Tertullianus.
Theophilactus
Theophilus Alexandrinus.
Leo Magnus.
Gelasius.
Innocentius I.
Constitutiones Apost.
Concilium Nicænum I.
Concilium Constantinopol.
Concilium Ephesinum.
Concilium Chalcedonense.
Concilium Nicænum 2.
Concilium Mileuitanum.
Concilium Carthag. 3. & 4.
Concilium Lateranense sub Innocẽtio 3.
Concilium Constantiense.
Concilium Florentinum.
Concilium Tridentinum.
Zonaras.
Vincentius Lyrinensis.
Pacianus Barcilonensis.
Dorotheus Tyri.
Ignatius.
Dionysius Areopagita.
Thomas Vvaldensis.
Algerus.
Thomas Aquinas.
Lactantius.
Epiphanius.
Damascenus.
Paulus Diaconus.
Sabellicus.
Platina.
Fulbertus Carnotensis
Trithemius.
Nilus Græcus.
Suidas.
Anselmus.
Ioan. Lyresius
Philaster.
Isychius.
Fulgentius.
Guido Carmelita.
Aneas Syluius.
Durandus.
Gabriel Biel.

Moderni.

Ioan. Driedo.
Dominicus Soto.
Petrus à Soto.
Pighius.
Eckius.
Melchior Canus.
Sixtus Senensis.
Roffensis.
Franciscus Turianus
Iodocus Tiletanus.
Marsilius Ficinus.
Thomas Caietanus.
Erasmus Roterodamus.
Paulus Aemilius.
Gaguinus.
Coclæus.
F. Laurentius Surius.
Gulielmus Lindanus.
Stanislaus Hosius.
Nicolaus Sanderus.
Rouerus Pontanus.

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIA PRIMA, ET LIBER PRIMVS.

De vera Ecclesia in se.

Principiorum fidei doctrinalium Analysis, & ad vniuersum Opus introductio.

CAPVT PRIMVM.

B

ONSIDERANTI mihi vastum illud & immensum Controuersiarum Chaos quod hodie Religionem Christianam ita perturbauit, vt pessundata penè videatur, ex illis omnibus quædam Principales, quasique cæterarum omnium Capita & fontes esse visæ sunt, in quæ tanquam in doctrinalia quædam Principia omnia probationum media resoluuntur: quibus semel accuratè pertractatis, & ordine explicatis, aliquis tandem Controuersiarum finis & exitus sperari posset. Qui enim in hoc perturbato seculo de aliqua fidei Controuersia Orthodoxè disputat, is ad probationem sententiæ suæ vel ex Scriptura Sacra, vel ex aliqua doctrina non scripta, quam traditionem Ecclesiasticam vocamus, vel certè ex Authoritate aut Patrum aut Conciliorum aut Decretorum Rom. Pont. testimonium adferet. Scripturam aut negabit Aduersarius, aut aliter interpretabitur. Reliquam Authoritatem & Traditionem vel contemnet prorsus, & ad solas Scripturas tanquam ad vnicam disputationis de fide Normam appellabit, vel certè non eo gradu ac loco habebit, quo habere Christianus omnis & Catholicus debet. Orthodoxus contrà tum Scripturam ipsam, tum interpretationem eius vt pro certa & infallibili asseratur, non nisi ex Authoritate Ecclesiæ tueri ac defendere conabitur. Traditionem quoque & Authoritatem omnem prædictam, siue negetur, siue extenuetur, vel ab Ecclesiæ testimonio, vel etiam ex Scripturis asserere & propugnare contendet. Aduersarius ergo negabit necessariò vel in Scripturis exponendis Ecclesiæ Authoritatem prætensam, vel præter Scripturarum testimonium vllam iudicandi Potestatem in Ecclesia esse: siue illa ex Traditione, siue ex Patribus, Conciliis, Decretis Rom. Pont. desumatur. Est hic igitur ab Orthodoxo Ecclesiæ Authoritas ex omni eius parte necessariò defendenda. Et primùm quidem demonstrandum est eam Ecclesiæ Authoritatem esse, vt etiam non Scriptam doctrinam tradere queat: deinde Scripturas interpretandi illam habere Potestatem & maximam & infallibilem: Quin & Scripturas quoque ipsas taxandi & consignandi facultatem, certóque canonicas ab Apocryphis discernendi penes illam esse. His tribus demonstratis, reluctari adhuc potest aduersarius, vt Ecclesiæ Authoritatem in his omnibus probabilem quidem fortasse, sed non certam & infallibilem, liberam quoque non necessariam, humanam denique, non diuinam esse affirmet: itaque testimonium & iudicium eius vel repudiari posse vel non necessariò esse recipiendum, vel denique non nisi humanum ideóque fallax esse contendat. Et hîc ergo demonstrandum est ab Orthodoxo, Ecclesiæ vocem & testimonium certum esse atque infallibile, necessarium, planéque suo modo diuinum. Quin & hoc demonstrato, dubitabit adhuc aduersarius, penes quos sit hæc tanta quā Ecclesiæ esse dicimus, Potestas & Authoritas, eáq; vel ad quēuis fidelē, vel ad paucos Spiritu

donatos, vel etiam ad pios Magistratus pertinere asseret: ideóque ab illis tum Scripturas, D tum Scripturarum sensum accipiet, & an aliquid extra Scripturas in fidem recipiendum sit, discet. Et istud ergo necessariò constituendum est penes quos sit Ecclesiastica illa Potestas de quæstione fidei iudicandi. Verùm & hoc constituto, quia non sine Mediis quibusdam hoc Ecclesiæ iudicium exercetur, & illa quoque media explicanda sunt, vt intelligat aduersarius rectè agere Ecclesiam quum in iudicio dogmatis præter Scripturas ipsas, alia multa adhibeat media: vt Regulam fidei seu consensum Ecclesiæ, Patrum item consentientes sententias, denique Conciliorum, & Rom. Pont. Decreta & Responsa. Quibus sanè omnibus demonstratis, adhuc hæsitare aduersarius potest ac dicere, etsi illa omnia concedantur, tamen tutum sesse quia apud se & suos vera Ecclesia est, non apud alios: ideóque omnem istam Potestatem quam Ecclesiæ asserimus, nihil ad nos pertinere. Est igitur postremo loco demonstrandum, vbi & penes quos sit vera Christi Ecclesia, illa inquam cuius tanta & tam latè patens Potestas asseritur. Qua sane demonstrata, & semel agnita, non habebit aduersarius fidei quod vltra replicet; nec Catholicus quod circa probationum principia vlterius inquirat. Atque hæc sane omnia ponenda erant non demonstranda, nec contra huiusmodi aduersarios ipsa iam Principia negantes, vel disputandum erat, si iure omnium disciplinarum vti liberet. Demonstrabit tamen ea non illibenter Orthodoxus: partim vt aduersariorum incredibilis amentia, & causæ Catholicæ firmitas magis elucescant; partim vt sicut in toto genere disputandi, sic etiam in probandis ipsis Principiis aduersario obsecundetur. His autem, vt dixi, demonstratis, non habebit vltra aduersarius quod replicet, nisi forte ne esse quidem vllam in terris Ecclesiam perfricta fronte E negaret, quod tamen hodie aduersariorum nemo facit; nec si faceret, audiendus magis esset, quàm si Christum venisse, aut Deum esse, vel res humanas curare negaret. Ad atheismũ enim ista potius quàm ad hæresim propriè & proximè pertinent. Dico proximè, quia etiam Ecclesiæ Authoritatem negare, ad atheismum quoque valde prope accedere olim iudicatum est. Sic enim hoc nomine Aëtius apud Socratem in hist. Ecclesiastica, & Eunomius à D. Hieronymo, & Arrius apud Athanasium ἄθεοι vocantur. Quemadmodum ergo in omnibus disciplinis fit, vt quæ artis perfectissima sunt, quasque conclusiones vltimæ, ante omnia animo proponantur, & ferè sola aut certè potissimùm spectentur; ipsa tamen elementa & prima Principia necessariò primo loco addiscantur [quod enim intentione primùm est, actione postremum est] sic sanè & in præsenti disputatione, vt quàm fieri potest ordine aptissimo procedatur, ab illa quæstione quæ in facta iam Analysi postrema est, in quam tota fere contentio de religione desinit, incipiemus: sic ordine ad alias inde pendentes procedendo.

Lib. 2. cap. 28. in epistol. ad Pammachiũ & Oceanum. Sermo. 2. cõt. Arrianos.

Itaque vt omnium principiorum quæ in controuersiæ examine & doctrina fidei afferri solent & possunt, clara & perspicua fiat demonstratio, vt ita semel aliquis sit Controuersiarum finis & exitus, primò & ante omnia Quæstionem de Ecclesia; quid sit (nam de quæstione an sit, nulla vt diximus est Controuersia) tractabimus. Videlicet vbi & Controu. 1. penes quos sit vera Christi Ecclesia demonstrabimus: & erit illa prima longéque amplissima Controuersia. F Demonstrata semel vera Ecclesia, ad quæstionem quomodo descendentes, de eius Potestate & Authoritate non quidem omni, sed ea tantùm quæ in fidei dogmate iudicando versatur, agemus: & primò quidem de eius subiecto, penes quos scilicet est illa Potestas quam Ecclesiæ esse dicimus, penes omnes ne an paucos, & quos paucos. Vbi etiam de primario huius potestatis subiecto Petri successore inquiretur. Et hæc erit seControu. 2. cunda Controuersia. Vbi de Subiecto constiterit, de mediis disputabimus; quibus vti possunt ac debent illi penes quos Ecclesiastica Potestas & de fide iudicandi Authoritas est: & Controu. 3. erit illa 3. Controuersia. Quia verò demonstrata Ecclesia, & ipsis in Ecclesia de fide iudicibus ac Magistris, Mediis quoque quibus vtuntur constitutis, tamen qualis sit illa PoteControu. 4. stas quam exercent, formaliter in seipsa considerata, adhuc dubium manet. Quarta Controuersia erit de illa Potestate in seipsa, sitne videlicet libera an necessaria, probabilisne tantum an etiam certa & infallibilis: denique humanáne an diuina. At verò quia & istis constitutis, tamen quanta sit hæc Potestas & quàm latè pateat, adhuc ambiguum esse potest, Controu. 5. de huius potestatis Ecclesiasticæ obiecto materiali differemus; & in quinta Controuersia, Controu. 6. an ad ipsas S. Scripturas taxandas & consignandas illa se extendat, disputabitur. In 6. Controuersia, an Scripturarum interpretatio certa & infallibilis ab Ecclesia peti possit ac debeat, quiControu. 7. bus etiã mediis ea in re vtatur vel vti debeat, inuestigabitur. In septima postremò Controuersia, an ad

A an ad aliquod dogma fidei non scriptum, sua tamen Authoritate nobis tradendum, Ecclesiæ iudicium se porrigat, disputabitur. Quibus omnibus diligenter & accuratè explicatis atque ordine pertractatis, omnium Principiorum doctrinalium & probationum quæ in causa fidei docenda ac demonstranda afferri solent, possunt, ac debent, perfectissima Norma constituetur; vt tandem litigandi & controuertendi finis hac via & ratione reperiatur: reperto videlicet omnium de fide Controuersiarum certo & supremo iudice, ad cuius vocis arbitrium tota lis componenda est; constituta etiam certa & infallibili totius veritatis Norma, & Regula secundum quam omnes de fide disputationes ineundæ, examinandæ, & finiendæ sunt.

Sunt quidem alia fidei principia, inter quæ potissimùm enumerandi sunt Articuli fidei in Symbolo Apostolico compræhensi. Sed inter illos vnus est de credenda Ecclesia Catholica, qui tanquam transcendens quoddam & generale Principium, etiam ad ipsos primarios fidei Articulos credendos & firmiter retinendos prærequiritur, & quodammodo præcognitus esse debet: etiam si inter ipsos tanquam vnus ex reliquis enumeretur. Cuius rei causam suo loco in hoc opere explicabimus. Ex hoc autem vno Articulo ista quæ hic tractamus, principia profluunt. *In his Controuersiis ago de fidei Principiis doctrinalibus.* Sunt etiam & alia fidei Principia, sed certorum tantum articulorum in se, non vniuersæ fidei in causis suis. Lib.8.cap. 21. Originale peccatum cum effectibus eius, Principium & fundamentum est omnium eorum articulorum & propositionum fidei, quæ totam hominis iustificationem complectuntur, & ex illius vel ignorantia vel errore, vel omnes vel multi in illa materia errores consequuntur. Filium Dei incarnatum esse pro genere humano, Principium fidei est, & omnium illorum articulorum fundamentum qui ad materiam de Incarnatione referuntur. B Deum esse trinum & vnum, Principium est omnium illarum quæstionum quæ ad disputationes de Trinitate reducuntur. Deum esse omnipotentem, esse bonum, nunquam esse iniustum, & similia, sunt etiam multarum de fide propositionum & conclusionum certa Principia & seminaria. Particularium tamen & certarum propositionum certa Principia sunt, non vniuersalia & omnium earum quæ creduntur. Nam ab iis Principiis vel ab aliquo illorum qui discedit, ab illis & illis articulis inde dependentibus, non à tota fide discedit, & ex istis tenere vnum Principium quis potest, altero negato. Non sic in Principiis illis aliis quæ doctrinalia dixi & de quibus in hoc opere sumus disputaturi. Hæc enim huiusmodi sunt, vt ad vniuersam fidei doctrinam, demonstrationem, & defensionem necessariò requirantur. Ita sanè vt iis sublatis atque negatis, non vnus aut alter fidei articulus, sed vniuersa fides omnésque eius articuli & propositiones pariter collabantur, quasi, euerso totius ædificij fundamento penitus corruant. Siquidem ista fidem in genere docent, demonstrant atque confirmant; ideóque doctrinalia nuncupantur vt ex Analysi iam facta satis elucescit, résque ipsa loquitur.

Et sane si quis diligenter aduertat, inueniet horum temporum hæreticos, sicuti & omnes *Protestantium Principia esse his contraria.*
omnium ætatum, sed præsentes maximè, Principiis plane contrariis niti: nec asserere eos tantùm
aut quoquo modo tueri ea quæ in prædictis 7. Controuersiis Catholicæ assertioni contraria sunt,
sed ita illa asserere atque tueri, vt contrarias illas assertiones tanquam doctrinæ suæ Euangelicæ,
quam vocant, Principia, Bases, & fundamenta diligentissimè inculcent, & omnibus modis asse- 1.
C uerent. Quis enim nescit hoc apud omnes hodie protestantes, tanquam Principium exploratissimum, non secus ac fidei Symbolum constantissimè teneri, solas scripturas esse sufficientissimam fidei regulam & Normam; & hoc tanquam caput & arcem totius de religione Controuer- 2.
siæ illos vnanimiter tueri ac defendere? Rursum Scripturarum interpretationem nullo modo
Ecclesiæ alligatam esse, aut ab eius voce pendere; sed liberam esse & donum piorum, nempe illius
Spiritus, qui spirat, vbi vult, æquè illos constanter ac mordicùs ad vnum omnes tueri? Denique
Scripturas ipsas non ex Ecclesiæ iudicio & determinatione nobis innotescere, sed per se, & sua 3.
quadam luce propria atque commendatione? Hæc tanquam certa & indubitata principia eos
omnes firmissimè amplecti, strenuéque propugnare, nemo qui in eorum libris versatus est, ignorare potest. Iam verò pari constantia & certitudine omnes in vniuersum protestâtes, Ecclesiæ 4
Authoritatem, tam ratione Subiecti & in quibus illa ponenda est, quàm ratione Mediorum qui- 5.
bus illa vtitur, siue Sanctorũ Patrum consensum, siue antiquæ fidei regulam, siue Concilia ipsa
proferas; penitus contemnere atque explodere vtinam certum & clarum non esset. Enimuerò
quod ad primarium huius Authoritatis subiectum attinet, Petri videlicet successorem & supremum Ecclesiæ Pastorem, *Nos*, ait Caluinus, *scelerati illius & abominandi sub Antichristo regni ducem & antesignanum apud nos facimus Romanum Pontif. Apud nos*, inquit, *facimus*. Institut. lib. 4.cap.2. Quasi de re iam certa & liquidò clara, communique omnium suorum consensu firmata & stabilita loquitur. Et reuera non tam hoc probant, quàm vt rem per se compertam, & Principiũ quoddam

6. per se notum ponunt protestantes. Idem quoque de ipsa Ecclesiæ Potestate in seipsa considera- D
ta formaliter statuunt,eam videlicet humanam prorsus esse,fallacē quoque & non necessariam.
7. Nam hoc Principio confisi,ab eius decretis & iudicio recedere nihil vnquam sunt veriti. Nec se-
cus Ecclesiam ipsam sibi solis vendicant,tanquam ex comperto iam & indubitato ponentes, in
suis solis conuenticulis eam reperiri. Quanquam tamen serius, & vix tandem ad hanc audaciam
ab illis peruentum est,quum initiò, Ecclesiæ in omnibus detraherent, eámque potius contemne-
rent,quàm sibi asserere præsumerent. Sed iis illi omnibus principiis fortissimè innituntur, quúm-
que in aliis fidei articulis plurimùm inter se discrepent atque dissentiant protestantes, vt in do-
ctrina Sacramentorum, iustificationis, cultus ac regiminis Ecclesiastici: hácque occasione, in
sectas valde multas & factiones abierint, (quod & nos suo loco ostendemus,) tamen in iis,quas
iam commemoraui,assertionibus defendendis,incredibili consensu conspirant omnes. Non alia
sanè de causa quàm quòd euidenter perspiciunt, hæc demum esse schismatis & hæresis propa-
gandæ atque tuendæ manifesta Principia & fundamenta validissima. Quemadmodum sanè
contrà veræ & orthodoxæ religionis asserendæ explicandæ & propagandæ principia atque fun-
damenta, assertiones contrariæ sunt. Hæc ergo propterea & Principia & doctrinalia meritò
nuncupanda censui; eáque hac Controuersiarum professionis nostræ publicæ & ordinariæ oc-
casione subministrata, ante omnia explicanda & demonstranda suscepi.

Explicatio vocis Ecclesia,quia multiplex est. E

CAPVT II.

Vspicaturus ergo quæstionem hanc à multis sane hodie tractatam,
sed nescio an pertractatam, maximè tamen cognitu necessariam de vera
Dei Ecclesia in se, vbi & penes quos, & qualis tandem congregatio illa sit;
Ordo futuræ disputationis. id explicatiùs aut certiùs demonstrari non posse arbitror, quàm si certam
aliquam & luculentam, plenam & absolutam Ecclesiæ definitionem,inqui-
sitione & disputatione diligenti præmissa,tandem confecero: eáque confe-
cta,cui tandem hodie christianorum societati illa competat, ostendero. Fie-
1. ri autem hæc inquisitio clariùs & dilucidiùs non potest, quàm, vt falsis aduersariorum descri-
ptionibus explosis, omnibúsque eius veris proprietatibus collectis, ita demum ex illis,tanquam
2. ex tota sua differentia, veram & germanam Ecclesiæ definitionem statuamus. Sed quia æqui-
3. uocum indistinctum difiniri non potest, icirco ante omnia Ecclesiæ nomen, quia multiplex
Varia Ecclesiæ significationes. & æquiuocum est, distinguemus. Vocis quidem proprietas, vt à Græcis desumpta est, conuo-
cationem seu concionem quamcunque multorū hominum in vnum locum congregatam desi-
1. Paralip 20. gnat. Sic dicitur Salomon *benedixisse omni Ecclesiæ*. Aliquando etiam & in malam partem acci-
pitur,vt illud; *Odiui Ecclesiam malignantium*. Nunc autem vt sacram quandam & fidelium tan-
Psalm. 25. tùm multitudinem significet, vsus Ecclesiasticus, obtinuit. Itaque, quod ante legem significa-
2. bat Arca Noë & familia Abrahæ, quod post legem fuit domus Iacob, Cathedra Moysis & Sy- F
Enarrat. in Psal. 81. nagoga,hoc post Christi aduentum significat Ecclesia. Rationem adfert Sanctus Augustinus,
Vt distingueremur à Iudæorum Synagoga. Verùm & nunc quoque multa significat Ecclesia. In-
terdum sane triumphantem illam in cælo multitudinem, quæ vocatur ab Apostolo *Ecclesia*
3. Ephes 5. *gloriosa,non habens maculam neque rugam*. Hoc autem modo, nisi de illa triumphanti intelligi
Augustinus. sæpe & constanter scribit Augustinus libr. 4. cap.7. contra duas epistolas Pelagianorum, con-
tra Donatistas post collationem, capite 8. & (quod præcipuum est) libr.2. retract. capi. 19. Sic
Hieronymus & Diu. Hieron. in cap. 31. Ieremiæ,& hos secutus S.Thom. 3.p.q. 8. artic.3. Neque verò neces-
se est aut etiam commodum contra tot patres (vt quidam faciunt) illa verba torquere. De hac
Matth 15. etiam Ecclesia illæ intelliguntur scripturæ quæ *de tollendis omnibus scandalis, de regno Dei, & de*
Ierusalem sancta in qua non erit amplius luctus & dolor, loquuntur. Item illud. *Tota pulchra es ami-*
Apocal. 21. Cant. 4. *ca mea*. Sunt enim hæ voces, Ierusalem sancta, regnum Dei, regnum cælorum, Ecclesiæ syno-
nima. Sæpius autem significat in scripturis Ecclesia, militantem hic in terris sub cultu veri Dei
4. multitudinem. Id autem variis etiam modis. Nam primùm Ecclesiæ militantis nomine intel-
5. ligere possumus, vniuersam illam fidelium multitudinem ab initio mundi ad finem Deum
recta fide colentium. Hæc est illa Ciuitas Dei, quam describit Augustinus à principio libr. 13.
vsque ad finem operis de Ciuitate Dei: de qua te vide etiam eundem in psal. 128. Propter hanc
vnam & perpetuam Ecclesiam Dei, dicitur Christus esse *Saluator omnium hominum*: &, *non esse*
aliud

A *aliud nomen sub cælo datum in quo oporteat homines saluos fieri.* Denique, *Agnum occisum fuisse ab origine mundi.* Idem nempe spiritus omnē ab initio Ecclesiam animauit. *Habētes*, ait Apostolus, *eundem spiritum fidei. Quem eundem?* ait August. *nisi quem illi habebant per quos eloquia Dei Iudæis credita, ministrata sunt?* hæc ille in opere contra aduersarium legis & Prophetarum. Sic vocantur Gentiles *socij pinguedinis & radicis*: & hæc est vna & eadem Vinea, quam malè excultam à Iudæis, excolendam dedit Gentibus. Qua verò ratione hæc vna Ecclesia in nouum & veterem populum diuiditur, vide August. contra duas epistolas Pelagianorum lib. 3. cap. 4. & de Spiritu & litera cap. 14. Est autem Ecclesia noua (quæ *regnum cælorum* nouo nomine nuncupatur, & quam suam propriam Christus vocat Matth. 16.) illa Ecclesia de cuius nunc natura inquiritur, & authoritate disputabitur. Hæc Ecclesia noua siue Christiana & militans est, respectu triumphantis; & proprie Catholica est, respectu conuenticulorum quæ facit vel schisma vel hæresis. Sed & ipsa quoque in scripturis multipliciter accipitur. Aliquando pro tota multitudine fidelium & ouium & pastorum, vt Matth. 16. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Actorum 5. *factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia.* Interdum pro solis pastoribus & prælatis, vt Matt. 18. *si te non audierint, dic Ecclesiæ.* Sæpe etiam pro solis ouibus, vt Actorum 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Præterea quod de tota multitudine diximus, vel vniuersam Ecclesiam vbique gentium dispersam notat, vt illud supra Matthæi 16. & 1. ad Timo. 3. *Ecclesia quæ est columna & firmamentum veritatis*, vel priuatam & particularem aliquam vt *Ecclesiam Dei quæ est Co-*
B *rinthi*: Ecclesiam Thessalonicensium & plurima huiusmodi.

1. Timo. 4. Act. 4. Apocal. 13. 2. Cor. 4. Lib. 2. cap. 8. Rom. 11. Matth. 21. 6. 1. 2. 3.

Enumeratio Errorum in describenda Ecclesia.

CAPVT III.

NVNC ad definitionem eius Ecclesiæ de qua hodie Controuersia est, veniamus. At primò, hæreticorum falsas definitiones expendemus; quibus omnibus euersis, veram & legitimam substituemus. Sanè hæretici in definienda hodie Ecclesia summa (vt cæteris in rebus omnibus) inconstantia vsi sunt. Cùm primùm Lutherus Ecclesiam Christi Catholicam desereret, paucorum & occultam eam esse voluerunt omnes, more omnium hæreticorum, vt notat eleganter D. August. lib. 2. cap. 36. de Serm. domini in monte. & in Psal. 31. Propterea sic eam definit Confessio Augustana, vt sit *proprie congregatio membrorum Christi, hoc est, Sanctorum qui verè credunt & obediunt Christo.* Sic definit Musculus in locis communibus, vt sit communio ac *societas tantùm verorum fidelium sanctorum & electorum, constans fide, spe, & dilectione, & Spiritu Christi.* Huc illi etiā accesserunt, qui Ecclesiam definierunt; *prædestinatorum esse cœtum*: & illi postremò qui solos
C puros atque perfectos ad Ecclesiam pertinere docuerunt, quos phanaticos spiritus vocant, & sunt maximè Anabaptistæ. Hi omnes hoc venenum ex Luthero suxerunt, qui passim docet obscuram & occultam esse Ecclesiam Dei. Ideóque in Genes. capit. 28. *Essentialis*, inquit, *Ecclesiæ definitio hæc est. Ecclesia est locus vel populus vbi Deus habitat, sic efficaciter, vt faciat nos intrare in regnum cælorum.* Qui autem sic definiunt Ecclesiam, tres grauissimos errores inuexerunt. Vnum, ex solis electis siue bonis, siue malis: Alterum, ex solis actu bonis Ecclesiam Catholicam constare. Tertium qui hodie Anabaptistarum est proprius, non nisi perfectorum esse Ecclesiam: ex quibus tribus alij duo consequuntur, esse vt plurimum & paucorum & occultam Ecclesiam, Dei. De singulis his quinque erroribus nunc ordine agemus; vt illis depulsis, veras Ecclesiæ proprietates ac notas inuestigemus, & postea ex eisdē Ecclesiam definiamus.

Lutheri definitio. *Quinque Protestantiū errores circa Ecclesiæ definitionem.* 1. 2. 3.

Fundamenta Erroris primi, quod ex solis prædestinatis constet Ecclesia.

CAPVT IIII.

RIMVS Error maiorum nostrorum memoria in Ioan. Huss. condemnatus est, in Cōcilio Constāt. sess. 15. Cuius erroris fundamentum erat illud Pauli, male intellectum: [2. ad Timo. 2.] *Fundamentum Dei firmum stat, nouit dominus qui sint eius.* Vnde collegit soli Deo esse cognitos, qui filij Dei essent, ideoque solos electos ad illum numerum pertinere, siue actu boni essent, siue mali; neque enim ex præsenti aliqua iustitia, sed ex sola Dei electione membra Ecclesiæ censeri debere; ideóque nec Paulum aliquando diaboli membrum fuisse, nec Iudam Christi. Ad horum insaniam accedunt plærique hodie Protestantes, licet aliud præ se ferant. [Caluini sententia.] Prodit se Caluinus docens, *Illam Ecclesiam quam in symbolo credere iubemur, soli Deo cognitam esse & fundamentum eius esse arcanam Dei electionem,* [Instit. libr. 4. cap. 1.] E *nec alios in illam Ecclesiā recipi, nisi qui & adoptionis gratia filij Dei sunt, & spiritus sanctificatione vera Christi membra.* Hæc ille. In quibus verbis ipsissimam Hussi hæresim renouat. Cuius 4. articulus sess. 15. Conc. Constant. damnatus est, *Conuocationem prædestinatorum esse illam Ecclesiam de qua est articulus fidei.* Sed plusculum addit Caluinus, receptionem videlicet per gratiam adoptionis quam Baptismum intelligit. Ideò ne videatur penitus Hussita, distinguit Ecclesiam quam credere in Symbolo iubemur, ab illa cuius communionem obseruare iubemur. [Lutheri distinctio de duplici canone.] Sic sane edoctus à Luthero, qui in cognoscenda Ecclesia duplicem Canonem ponit: fidei & charitatis. *Canone fidei non esse nobis, sed soli Deo cognitam Ecclesiam, ideóque nullum posse sanctum & membrum Ecclesiæ rectè dici, nisi diuino iudicio declaratum. Canone autem charitatis quæ optime de omnibus iudicat, omnes Baptisatos fundamenta veræ doctrinæ tenentes Ecclesiā posse censeri* [In lib. de Ser. arbitrio.] Hæc ille. Qua fraudulenta distinctione vtitur quoque Caluinus. Eadem etiam [Melanchthonis sententia] licet aliis verbis Melanchthon vtitur: scilicet, *Ecclesiam in membris suis esse incognitam, sed innotescere per sanam doctrinam.* [Musculi sententia.] Sic Musculus in locis communibus. *Loquimur* (inquit) *de Ecclesia Dei quæ non modo vocatur per verbum gratiæ* (Baptismum intelligit) *sed etiam ab æterno electa, prædestinata & iustificata fuit.* [Magdeburgensium duplex ecclesia.] Hac etiam de causa duplicem ponunt Ecclesiam Magdeburgenses, Centur. 1. cap. 4. quam à Christo describi dicunt Matth. 7. dum docet *latam esse viam* reproborum & *angustam portam* electorum. Et horum scilicet electorum tantummodo esse dotes illas omnes quas Christus Ecclesiæ promittit, omnes isti prænominati docent. Ex quibus constat hos omnes cum Hussitis & Anabaptistis in solis electis, & prædestinatis ponere F Ecclesiam Dei, de qua hic controuertitur. [Obiect. ex Augusti.] Hanc ob causam, D. Augustinum nobis obiiciūt quasi ille docuerit ex solis prædestinatis esse Ecclesiam Dei, cùm in libris de baptismo contra Donatistas sic scribit, [Lib. 5. cap. 27.] *Numerus iustorum de quibus Apostolus dicit, Nouit dominus qui sunt eius, ipse est hortus conclusus, fons signatus, &c.* & paulo post. *Ex illis omnibus qui (vt ita dicam) intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille hortus conclusus, &c.* Rursus, vt obiicit Caluinus, sic scribit idem Augustinus: *Deus cum Christo omnia nobis donauit: sed quibus nobis? præscitis, prædestinatis, iustificatis glorificatis: de quibus sequitur apud Apostolum. Quis accusabit aduersus dilectos Dei? Nouit dominus qui sunt eius. Ipsæ sunt Oues.* [Tracta. 45. in Ioan.] Et notatur ibi in margine, in editione Parisiensi, [ann. 1555.] *hæc est vera Ecclesia.* Nempe tractat ibi August. qui sunt Oues Christi quæ audiunt vocem Pastoris, hoc est, qui sunt de Ouili quod est Ecclesia. Rursum (quod obiicit Musculus) sic contra Cresconium scribit. [Lib. 2. cap. 21.] *Etiam nesciente Ecclesia propter malam pollutámque conscientiam damnati à Christo, iam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia: quoniam non potest Christus habere membra damnata. Omnia quippe ista monstra, absit, vt intra membra Columbæ illius vnicæ computentur.*

Confutatio

A

Confutatio eorundem.

CAPVT V.

SED nunc huius erroris fundamenta conuellamus. Quod Apostolus di-
cit, *Nouit dominus qui sunt eius*, de iis loquitur qui secundum Dei præ-
scientiam, sunt eius; non de iis qui secundum præsentem statum Eccle-
siæ sunt eius: ideóque statim subiicit Apostolus; *In magna domo non solum
sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia, &c.* quod de Ecclesia di-
ctum non de mundo (vt voluit Nouatianus teste Ambrosio in Comment.
in 2. ad Tim. 2.) post Cyprianum & Ambrosium ibidem Aug. exponit lib. 4. cap. 12. & lib. 7.
cap. 51. de Baptismo contra Donatistas. Quod ad Augustini verba attinet, in primo loco
apertè loquitur Augustin. de Ecclesia non pro statu præsentis vitæ, sed pro ratione præde-
stinationis Dei. Idcirco in eodem loco apertè dicit; *In illa ineffabili præscientia Dei multi qui
foris videntur, intus sunt, & multi qui intus videntur, sunt foris.* Sed cùm prædestinatio nihil Libro 5. capit. 27. de Baptis. contra Donatistas.
ponat in ipso prædestinato, vt docet Sanctus Thomas 1. parte q. 23. art. 2. sed est tantum ra-
tio quædam ordinans in mente diuina, non sequitur, quia secundum præscientiam Dei,
intus est & ouis est, idcirco & reuera & in seipso ouis est & intus est. Alioqui omnia etiam
B in seipsis æterna erunt, quia vt essent ab æterno præordinata sunt. Sic in secundo loco
super Iohan. non de Ecclesia, vt actu ad Christum pertinet, sed vt à Christo præscitur, fore Tract. 45. in Ioan.
vt pertineat, apertè disputat. Nam post verba à Caluino citata statim subiicit. *Aliquando
oues seipsas nesciunt, sed Pastor nouit eas: secundũ prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam,
&c. Nam secundum illam, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus?* & contra. Quid autem
est hoc intus & foris, nisi extra & intra Ecclesiã? Sic enim se statim exponit. *Quàm multi blas-
phemant in Christum credituri, & quàm multi intus laudant blasphematuri?* Denique agit &
Christus & Augustinus de ouibus, & de alienis, non quæ formaliter sed finaliter, non quæ
secundum rei in se existentiam, sed secundum finis in Deo præscientiam tales sunt: nimi-
rum qui sic oues sunt, vt oues esse finaliter perseuerent. Nam eodem loco docet Augustinus Matth. 10.
vocem illam Pastoris quam veræ oues audiunt, & quam alienæ non audiunt, *esse vocem per-
seuerantiæ, qua dicit, Qui perseuerauerit vsque ad finem*, &c. vt non dubites ex Augustini senten-
tia oues illic dici quæ finaliter perseuerant, non quæ pro tempore existunt. At verò (in quo
punctum huius partis controuersiæ est) non semper tales oues sunt in Ecclesia, sed erunt suo
tempore, vnde eodem loco Christus dixit. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas op-* Ioan. 10.
portet me adducere. Ecce oues vocat, quę nondum in ouili erant, sed adducendæ erant: hoc est,
electæ ab æterno, sed nondum temporaliter vocatæ, nondum in Ecclesiæ corpus adductæ,
nondum Christi corpori per Christi sacramenta visibiliter vnitæ. Contra verò multi in Ec-
C clesia sunt qui tales oues non sunt. *Multi enim vocati, sed pauci electi.* Et rursum. *Seruus non ma-
net in domo in æternum.* In quem locum Diuus Augustinus, *Ecclesia* (inquit) *est domus, Seruus* Matth. 20.
peccator est. Non enim dixit, Seruus non erat in domo, sed non manet in domo. Hæc ille. Quæ qui- Ioan. 8.
dem verba ostẽdunt ex Augustini sententia hominem reprobum esse, nihilominus in Eccle- Tract. 41. in Ioan.
sia ad tempus. Contra etiam hominem prædestinatum non esse semper membrum Christi,
eiusdem doctoris verba superius citata ex tract. 45. in Ioan. satis manifestè ostendunt. At ex
Iohan. obiicit Musculus *si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* i. si verè filij Eccle- 1. Ioan. 2.
siæ fuissent, vsque in finem perseuerassent. Itaque antea veri filij non erant. Respon-
detur hos de quibus conqueritur Ioannes, fuisse in Ecclesia. Alioqui non dixisset, *Exie-
runt ex nobis*: fuisse præterea non solum vocatos, sed etiam *Iustificatos & renouatos*, vt as-
serit Augustinus, sed non fuisse ex electis: sic enim perseuerassent. Vnde iterum sequitur, esse De bono perseuerantiæ cap. 8.
in Ecclesia non prædestinatos. Tertius ex Augustino locus citatus cõmodius in sequentis er-
roris confutatione expendetur. Apertissimè autẽ sacræ Scripturæ hunc errorem confutant:
vt illud, *Eratis tenebræ, nunc autem lux*: & iterũ: *Iam vos non estis hospites, sed estis ciues*, &c. Simi- Ephes. 5.
lia habes in Petro, *de populo, & non populo Dei*, & iterum in Paulo, *de membris Christi, & mem-* Ephes. 2.
bris meretricis, quæ loca omnia ostendunt non semper esse membra Christi electos. Quod au- 1. Petr. 2. 1. Cor. 5.
tem Apostolus dicit. *Qui se existimat stare videat ne cadat: & si permanseris in bonitate, alioqui &* 1. Cor. 10.
tu excideris, apertè docẽt reprobos non semper mẽbra diaboli esse. Hunc autem errorem, hoc Rom. 11.

Rom.9. maximum inconueniens ſequitur: Eccleſiam nullam eſſe militantem, ſed ſolum triumphan- D
tem. Nam in Dei præſcientia, non ſolum vocati, electi, & iuſtificati ſunt, qui ſunt eius, ſed etiã
1 Timo. 6. Philip.3. glorificati. At deſcribit Apoſtolus homines huius Eccleſiæ eſſe *currentes in agone*. Poſtremò
ſeipſum, vtiquè prædeſtinatum, *negat tamen adhuc comprehendiſſe*.

Secundi Erroris declaratio & confutatio, quòd nimirum ex ſolis bonis conſtet Eccleſia.

CAPVT VI.

SECVNDVS Error ex ſolis bonis Eccleſiam Chriſti Catholicam & viſi-
Matth. 3. bilem conſtare, Donatiſtarum olim fuit; pleniſſimè à S. Auguſtino refu-
tatus, vt multis aliis argumentis, ita creberrimè parabolis illis Euangelicis,
Matth.13. Matth.16. Matth 25. in quibus dicitur quod *in area dominica* (quæ eſt Eccleſia) *ſint triticum &*
palea: quòd in *ſagena miſſa in mare, cui comparatur regnum cælorum, ſunt piſces*
boni & mali, quòd in *agro dominico creſcunt zizania vſque ad meſſem* tolle-
randa: quòd in *regno cælorum cum virginibus prudentibus ſunt & ſatuæ*: quæ loca tractat Augu-
ſtin. copioſè libr. 3. cap. 2. 9. 12. 28. contra Petilianum. de vnitate Eccleſiæ cap. 13. 15. 16. contra
Donatiſtas poſt collationem cap. 4. & 6. Cyprianus lib. 4. epiſtola 2. contra Nouatianos cir- E
Lucæ.13. 1 ad Cor. 2 Theſſa. 3. ca finem. Hieronymus in dialogo aduerſus Luciferianos circa finem. Sic *infructuoſa ficus ex-*
pectatur in horto dominico, vt fructum ferat: Corinthiorum Eccleſiam agnoſcit Paulus, vbi
erant *fornicarij, contentioſi, ſuperbi*. Theſſalonicenſium agnoſcit, vbi erant *ambulantes inordi-*
natè. Hac itaque tam perſpicua veritate & odioſa Donatiſtarum memoria commoti Lu-
Proteſtãtes dãnant Donatiſtas, & tamen idem docent quod illi. therani, cùm idem quod Donatiſtæ doceant, tamen id facere videri nolunt; ideo mira ſuffu-
gia quærunt. Primùm Donatiſtas nominatim damnant, ſeque ab illis abhorrere profitentur,
quia & verbi Dei & Sacramentorum adminiſtrationes per malos & hypocritas fieri poſſe
contra illos & cum Catholicis aſſerunt, atque affirmant. Rectè hoc quidem. Sed non ſola
1. In cõfeſ. Auguſt. art. 8. *Melanchthonis argumenta & Donatiſtarum eadem.* hæc Donatiſtarum hæreſis fuit. Aſſeruerunt præterea Donatiſtæ peccatores & impios ad
corpus Eccleſię Catholicę non pertinere, ideóque ſe à toto orbe terrarum ſegregarunt, quaſi
diuinorum codicum traditoribus, & traditori Cæciliano impiè communicantibus. Hoc idẽ
Lutherani ſentiunt, *non eſſe vno modo corpus Chriſti qui impiè viuunt*. Quin & eiſdem argu-
mentis quibus vtebantur Donatiſtæ, vtitur Melanchthon in Apologia confeſſionis Augu-
2. Matth. 13. ſtanæ. *Conueniunt huc* (ait ille) *ſimilitudines Chriſti qui clamat. Bonum ſemen, eſſe filios regni, & zi-*
Contra Donatiſtas poſt collationem cap 6. *zania eſſe filios diaboli: agrum dicit mundum eſſe, non Eccleſiam*. Sic plane Donatiſtæ cùm eos
vrgeret Auguſtinus verbis Cypriani docentis in Eccleſia eſſe zizania, *Diu contenderunt*, ait
Auguſtinus, *quòd non in Eccleſia futura prædixit zizania, ſed in mundo. Dixit enim; Ager eſt hic*
2. Cor. 5. *mundus, non dixit, Ager eſt Eccleſia. Nos autẽ mundũ pro Eccleſia poſitũ dicebamus, quia per totum*
mundũ futura præfigurabatur Eccleſia: & cõmemorauimus illud Apoſtoli; Deus erat in Chriſto mũ- F
Ioan 3. *dũ reconcilians ſibi: qui vtique ſibi non reconciliat, niſi Eccleſiam*. Hæc Auguſtinus, citans etiam
3. paulò poſt illud Ioannis. *Non venit filius hominis vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per*
ipſum. lib. eodem, cap. 8. Rurſum cauillati ſunt diutiſſimè Donatiſtæ contra parabolam Sa-
genæ, ſed tandem *conuicti euidentia veritatis* (ait Auguſtinus) *malos in Eccleſia eſſe confeſſi ſunt,*
ſed occultos, quoniam ſic à Sacerdotibus ignorantur, quemadmodum piſces inter retia, cùm adhuc in
mari ſunt, à piſcatoribus non videntur. Eodem planè ſuffugio vtitur Melanchthon; *Chriſtus* (in-
quit) *de ſpecie Eccleſiæ dicit, Simile eſt ſagenæ, &c*. Et docet Eccleſiam *tectam eſſe multitudine*
malorum, ne id ſcandalum, ſi mali innoteſcerent, pios offendat. Idem docet Lutherus in libro de
ſeruo arbitrio. Non eſt ergo dubitandum magna ex parte eãdem eſſe Lutheranorum & Do-
natiſtarum hæreſim. Sed agnoſcit Melanchthon *eſſe malos in Eccleſia, at non eſſe de Eccleſia*. At
nulla eſt hæc euaſio. Nam ſubinfert Muſculus in locis communibus. *Non pertinet ad Eccleſiã,*
qui non eſt de Eccleſia, ſic eôdem res recidit, non pertinere malos ad Eccleſiam: Catholicam
ſcilicet, de qua ſemper Auguſtino cum Donatiſtis fuit contentio; non militantem tantum
aut viſibilem: quaſi aliud eſſet Eccleſia, Chriſti Catholica, aliud militans & viſibilis: vt hodie
non minus nouè quàm imperitè & ineptè proteſtantes nonnulli diſtinguunt, ne Donatiſtæ
videantur.

A *Argumenta aduersariorum quæ pro 2. Errore afferuntur.*

CAPVT VII.

HIs autem argumentis vtuntur. *Ecclesia* (ait Melanchthon) *est Christi corpus; sed in quibus nihil agit Christus, non sunt membra corporis Christi, sed diaboli:* Simile format Musculus, *Quæ tribuuntur veræ Ecclesiæ, quòd sit domus Dei, ouile, Sponsa, & corpus Christi, ista non possunt nisi sanctis conuenire.* Rursum (ait Melanchthon) *Iubemur credere quòd sit Sancta Dei Ecclesia. Impij verò non sunt sancta Ecclesia: imò additur communio Sanctorum, vt intelligatur Ecclesia sola congregatio Sanctorum.* Rursum, *si Ecclesiam ponimus externam politiam bonorum & malorum, non intelligent homines regnum Christi esse iustitiam cordis. At Paulus vocat Ecclesiam, Populum spiritualem.* Adhuc: *regnum Christi est distinctum à regno diaboli, Certum est autem impios in potestate diaboli esse.* Mox ex D. Hieronymo argumentatur dicente; *Qui peccator est, & aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari.* In commentar. ad Ephes. cap. 5. Hæc Melanchthon in Apologia cõfeßion. Augustanæ. Obiicit autem etiam Musculus Augustini verba contra Cresconium. lib. 2. capi. 21. quæ suprà habentur. Huc etiam facit illa distinctio duplicis Ecclesiæ apud Magdeburgenses, Cent. 1. lib. 1. cap. 4. Aiunt enim, *Duplicem esse Ecclesiam Christus docet, discernens iustitiam discipulorum, & Phari-*
B *sæorum; item hypocritarũ à veris piis.* Et Matth. 7. de *porta angusta & via lata*: Matth. 13. de *tritico & zizaniis* Matth. 22. de *duplicibus conuiuiis.* Matth. 25. de *virginibus prudentibus & fatuis*: Ex quibus omnibus colligunt duplicem esse Ecclesiam, Dei. Itaque, quemadmodum olim Tatiani & Encratitæ, ex hypocrisi & superstitione: Cathari seu Nouatiani, atque Iouinianus, ex fastu & superbia: Luciferiani, ex zelo indiscreto: Pelagiani, propter liberi arbitrij vires quas impiè prædicabant, solos sanctos ad Ecclesiam Dei pertinere docebant: sic hodie nostri vnà cum Donatistis, & ex eadem causa qua illi, scilicet, vt ab Ecclesia visibili bonorum & malorum se segregarent, idem docent.

Argumenta Melanchthonis & Musculi.

supra cap. 4. in fine.

Matt. 5. & 6.

Confutatio eorundem.

CAPVT VIII.

SED vt argumentis respondeatur, illud primùm intelligendum est, quæstionem hic esse qui demum ad Ecclesiam Dei & ad populum Dei sic pertineant, vt illo coniunctionis modo Christo vniãtur, quo vnitur Ecclesia visibilis, militans & Catholica. Vnitur autem hæc militans Ecclesia Christo, variis modis. Fide primum, quam in Baptismo, qui est propterea Sacramentum fidei, profitemur. Hanc vnionem expressit Apostolus dicens: *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.* Vbi etiam idcirco datos esse Ecclesiæ Pastores, Docto-
C res, &c. docet, *vt occurramus omnes in vnitatem fidei.* Hinc etiam dicit; *Omnes nos in vnum Baptisati sumus.* Est nempe fides informis, primus motus in actu gratiæ, & vnit nos Christo, licet imperfectè, vt docet Sanctus Thomas parte 3. quæst. 8. artic. 3. ad 2. Vnitur quoque Ecclesia Christo per Charitatem, de qua Apostolus dicit; *In charitate crescamus in illo qui est caput, Christus.* Hanc vnitatem etiam in Sacramento dedit Christus, de quo Apostolus dicit; *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus.* Vnde & Sacramentum vnitatis & charitatis dicitur: & hæc actualis est & perfecta vnio cum Christo. Sed alteruter vnionis modus sufficit, vt vniri Christo in Ecclesia militante visibili, & Catholica dicamur. Et hæc est illa quã toties Augustinus notat, per Sacramentorum vnionem in Ecclesia Catholica permixtio & vnio. Nam hæretici sunt quidem nobiscum in Sacramẽtis, vel omnibus, vel pluribus, vel paucis, vt docet Augustinus, in Psal. 54. super illa verba: *In multis erant mecum.* Sed non sunt *in communione Sacramentorũ*, vt idem docet Augustinus, lib. de vera Religione cap. 5. Mẽbrum enim vel certè pars corporis est non solũ, quod sanum est, sed etiã quod grauiter læsum, munere suo nõ fungitur: imò etiam quod penitus mortuũ est, quandiu à corpore non auellitur. *Omnem palmitem,* ait Christus, *in me non ferentem fructũ, tollet Pater meus.* Ecce, dicit in se esse infrugiferũ palmitẽ, nec ideo sublatum, quia infrugiferum, sed tollendũ nisi tẽpestiuius fructũ adferat. Rursum quæritur hic quæ sit Ecclesia in Christi nomine congregata, cuius authoritatem in rebus fidei sequi oporteat, non qui, aut quales illi sunt, qui in hac Ecclesia salutem consequuntur.

Quot modis vniatur Ecclesia Christo.

Ephes. 4.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

1. Cor. 10.

Augustinus. *Hæretico habẽt Sacramenta nobiscum, sed non communicãt in illis nobiscum.*

Ioan. 15.

De qua Ecclesia hic quæratur.

Quæritur quæ ſit ſocietas illa Chriſtianorum, quæ Eccleſiam Chriſti Catholicam, hic in terris D
militantem, & viſibilibus Sacramentorum ſignis viſibiliter coniunctam conſtituat; cuius &
communionem tenere, & vocē audire, & iudicio acquieſcere fidelis omnis debet. Quo in lo-
co duo errorum extrema diligenter cauenda ſunt. Primum eſt ſolos actu bonos ad Eccleſiam
viſibilem, Catholicam, & ad quam promiſſiones euangelicæ pertinent, ſpectare. Alterum eſt
etiam ipſos hæreticos & ſchiſmaticos, Eccleſiæ Catholicæ ſeu vniuerſalis partes eſſe, licet im-
puros, hanc ſententiam nuperrimè tradidit Philippus de Moruan in libello de Eccleſia gal-
licè conſcripro & anno 79. edito cap. 2. Sed turpiſſimè errat. Non enim ſola profeſſio Nomi-
nis Chriſti Eccleſiæ viſibilis membrum facit. Profeſſio illa eſſe debet iuxta veram & orthodo-
xam fidem, quæ propterea radix eſt, & fundamentum vnionis noſtræ cum corpore Chriſti,
quod eſt Eccleſia. Propter hanc cauſam eiecti ſunt ſemper ab Eccleſia, & extra Eccleſiæ cor-
pus habiti omnes & hæretici & ſchiſmatici, ſicuti in hoc opere ſæpius oſtēditur. Infra cap. 18.
lib. 3. cap. 6. & alibi. Neque verò hæreticorū baptiſmus ideo fuit à veteribus approbatus, quia
habebant hæreticos pro Eccleſia (vt Philippus iſte argumentatur) ſed quia etiam extra Ec-
cleſiam datus baptiſmus verum ſacramentū erat. Quia videlicet ſacramentum non baptiſan-
tis ſed Chriſti ſacramentum erat, in cuius nomine dabatur. Quam etiam ob cauſam & Iu-
deorū quoque & paganorum baptiſmus non ſecus quàm hæreticorum approbatus erat. Quos
tamen Eccleſiæ partes eſſe nec iſte concedet, vide hac de re infra lib. 8. cap. 19. denique di-
ſertè docet D. Auguſtinus baptiſmum hæreticorum, *eſſe quidem de Eccleſia, ſed non fieri in Ec-* E
cleſia, de vnit. eccleſ. cap. 19.

His poſitis, facilè eſt ad argumenta reſpondere. Quæ Melanchthon & Muſculus in primo
Ad 1. argumentum. argumento afferunt, probant quidem malos perfecta vnione non vniri corpori Chriſti: perfe-
cta ratione non eſſe domum Dei, & ſponſam Chriſti: denique, non eſſe viuos lapides & com-
præhenſores, aut poſſeſſores: non eſſe tamen omnino mēbra aut partes, nec ad currentes & via-
tores huiuſmodi pertinere minimè probant. At, ait Melanchthon, *nos de viuis tantùm membris
loquimur, & de ea quæ propriè eſt Eccleſia.* Sic ille quidem vt euaderet Donatiſtarum hæreſim,
diſtinguit, & vocem illam (*propriè*) in 2. editione adiecit, ſed fruſtrà. Nam perpetua eſt cætero-
rum omnium proteſtantum doctrina non niſi Sanctorum cœtum eſſe Eccleſiam, cùm de illa
quæritur quam credere & reuereri iubemur. Nam & idcirco hanc ſolam Sanctorum ſocieta-
tem Catholicam vocari & illam eſſe quam in Symbolo profitemur, affirmant. Idcirco aut illu-
ſit toti orbi Auguſtana Confeſſio, aut eam definiuit, de qua eſt quæſtio. Ad 2. breuiter dici-
Ad 2. argumentum. mus Eccleſiam vere Catholicam, nō quia omnes in ea ſancti ſunt, ſanctam vocari, ſed propter
multos Sanctos qui in ea ſunt, ex meliori parte nuncupari; quod in Canticis ſcriptura expreſſit.
Cant. 1. *Nigra ſum ſed formoſa. Non dicit fui*, ait Auguſtinus, *ſed ſum. Vtrunque ſe eſſe dicit propter tempora-*
De doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 32. *lem vnitatem, intra vna retia piſciū bonorum & malorum.* Hæc ille. Rurſum, *de ſancta Eccleſia*
(ait Auguſti.) *dictum omnis agnoſcit Chriſtianus: Sicut lilium inter Spinas, ſic amica mea inter filias.*
De vnitate Eccleſiæ cap. 13. *Vnde appellat Spinas? niſi propter malignitatē morū: Vnde filias? niſi propter cōmunionem Sacramēto-
rum?* Rurſum alibi. *Non dixit in medio alienarum, ſed in medio filiarum. Itaque illi qui ſacramenta* F
Enarrat. in Pſal. 47. *habent & mores bonos non habent, & Dei dicuntur & non Dei. Et eius dicuntur, & alieni: eius pro-
pter formam pietatis, non eius propter amiſſionem virtutis.* Hæc ille. Ad 3. dicimus, Regnum Chri-
Ad 3. argumentum. ſti eſt ſpirituale, & populus ſpiritualis eo ſenſu quo Eccleſia eſt ſancta. Quòd ſi illa commixtio
malorum ſit noxia, damnatur prouidētia Patrisfamilias, qui *permittit zizania creſcere cum tri-*
Matth. 13. *tico vſque ad meſſem.* Nec obſcuratur propterea doctrina de iuſtitia cordis, quia, vt ait Auguſti-
nus, *aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus.* Quanquam quorſum hoc loco de iuſtitia cor-
dis in veræ Eccleſiæ membris loquuntur, quorum doctrina eſt, vitæ ſanctitatem ad veram iu-
Ad 4. argumentum. ſtitiam non pertinere, ſed ex ſola fide illam conſtare? Ad quartum, reſpondetur nihil eſſe abſur-
Contra Fauſtum, lib. 17. cap. 27. di vt idem homo reſpectu diuerſo & ad Deum pertineat, & à Deo alienus ſit, ſicuti modo ex
Auguſtino audiuimus in Pſal. 47. Quomodo autem illa commixtio conueniat, vide egregiè
explicantem Auguſtinum contra Donatiſtas poſt collationem cap. 6. *Mali* (inquit) *pacis conſer-
uandæ neceſſitate tolerantur vt cum zizaniis triticum pariter ſuauem pluuiam bibat, ſeruet tamen
vbertatem ſuam, nec conuertatur in zizaniorum ſterilitatem, ſed vtrumque ſimul creſcat ad meſſem.
Et cùm intra eadem retia donec ad littus perueniant, pariter diuina ſacramenta percipiant, iſti ſocian-
tur, illi diſſociantur, &c.* Sed magis vrgent ipſa verba Auguſtini modo allegata, maximè quod
ſæpiſſime eam ſententiam repetat, vt in libro de vnitate Eccleſiæ, capi. 12. lib. 2. capi. vlti-
mo contra Petilianum. lib. 3. cap. 32. de doctrina Chriſt. Itaque hæc fuit perpetua Auguſti-
ni ſententia. Malos non pertinere ad Corpus Chriſti, ad vnicā columbam, ad hortum conclu-

ſum

A ſum, ad Eccleſiam ſine macula & ruga. Sed quomodo hoc ſenſerit pleniſſimè explicat contra Donatiſtas, in hæc verba. *Puto me non temerè dicere alios eſſe in domo Dei, vt ipſi ſint etiam eadem domus Dei, quæ vnica columba appellatur, &c. Alios autem dici conſtat eſſe in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem frugiferæ pacificæque iuſtitiæ: nam & iſtos eſſe in domo negare non poſſumus.* Sic de ciuit. Dei lib. 20. cap. 9. docet in regno cælorum quod eſt Eccleſia ſuper terram, alios ſic eſſe, vt ſint etiam ipſi regnũ Chriſti, alios autem ſic vt in regno Chriſti quidem ſint, ſed non ſint ipſi regnum Chriſti. Itaque quamuis alibi, vt locis citatis, apertè dicat non eſſe in corpore Chriſti damnata membra, tamen hîc ſe explicat, non omnino negare, ſed eo ſenſu, quod cum fructu non ſint in corpore, & quod non ſint ipſum corpus Chriſti, non ſint ipſa domus Dei, denique non ſint ipſum regnũ Chriſti. Idcirco cùm in lib. de vnitate Eccleſiæ, cap. 12. negaſſet, *in Eccleſia malos deputari*, tamen proximo cap. oſtendit *perpetuam eſſe in Eccleſia malorum cum bonis commixtionem*: & (quod caput quæſtionis eſt) diſputans contra Donatiſtas pro authoritate & veritate Catholicæ Eccleſiæ, eam vrget & demonſtrat quæ bonos & malos habet: ſed diſputans contra eoſdem pro veritate baptiſmi, vt oſtendat non minus verum eſſe hæreticorum baptiſmum, quàm improborum, docet improbos & impios eſſe quoque extra Eccleſiam, aliter tamen illos quàm iſtos: Illos enim *magis ex domo* eſſe dicit, *quā in domo* lib. 7. cap. 51. & in Pſalm. contra partem Donati hæreticos vocat *ſarmentum quod præciſum eſt de vite*, ſed Enarrat. in Pſalmum 14. de malis addidit. *propinquat palea tritico quod de vno ſemine exit, quod in vno agro radicatur, quod vna pluuia nutritur.* Quæ omnia do-

B cent malos eſſe membra, ſeu partes Eccleſiæ, hæreticos aut ſchiſmaticos non eſſe: Ipſos autem malos non perinde eſſe Eccleſiæ membra aut ad eius vnitatem perinde pertinere, ac bonos. Quam ſanè duplicem quoque vnitatem alibi diſertè docuit. Ait enim; *Non omnes quos generat Eccleſia ad eius pertinere vnitatem quæ vſque in finem perſeuerantes ſaluat, ſed ab illa excludi non ſolùm qui ſeparationis apertæ ſacrilegio manifeſti ſunt, ſed etiam illos qui in eius vnitate corporaliter mixti per vitam peſſimam ſeparantur.* Hæc ille. Ad corporalem ergo & externam Eccleſiæ vnitatem pertinent mali; ad fructuoſam, ad internam vnitatem non pertinent mali, ſed ſoli boni. Ad neutram vnitatem pertinent ſchiſmatici & hæretici. Denique, ne propter vnitatem illam internam & fructuoſam, quam toties commendat Auguſtinus, alteram illam externam vnitatem negaſſe videretur, aut externum hoc Eccleſiæ Catholicæ corpus, in externa iſta ſocietate, communione, gubernatione, & vniuerſa politia fidelium, penes ſolos bonos conſtituiſſe putaretur, apertè & diſertè lib. 2. cap. 18. Retract. monet lectorem, quòd *vbicunque in libris contra Donatiſtas commemorauit Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſſe quaſi iam Eccleſia talis ſit, ſed quòd iam præparetur, vt ſit*: factus videlicet cautior, propter Pelagianos qui poſt illa contra Donatiſtas ſcripta, Eccleſiam perfectorum tantùm eſſe ſtatuerunt.

Lib. 7. cap. 51. de Baptiſ.

Mali & boni non eodem modo in Eccleſia.

Nota diuerſam Auguſtini doctrinam ex diuerſa occaſione.

De Baptiſm. contra Donat. lib. 1. cap. 10.

Retract. lib. 2. cap. 18.

Poſtremò vt certò ſcias Auguſtinum ſenſu longè alio hæc dixiſſe, quàm dicunt hodie hæretici, ille improbat illam Ticonij *Regulam de bipartito corpore domini*, & vult potius dici *de permixta Eccleſia*. Hæretici autem, vt Magdeburgenſes, propter bonos & malos duplicem Eccle-

C ſiam ſtatuunt, alteram quam in Symbolo profitemur: Alteram quæ in mundo externam habet ſocietatem. Et hanc militantem atque viſibilem, illam Catholicam nouo & inaudito commento nuncupant. A quorum tamen ſententia longè diſſentit Philippus de Moruan in libello ſuo de Eccleſia cap. 2. hic enim adeo vult Eccleſiam viſibilem & Catholicam eſſe vnam, vt etiam hæreticos atque ſchiſmaticos in ſuo corpore complectatur: tanquam impuras Eccleſias quidem, tamen Eccleſias & ipſis viſibilis atque Catholicæ partes. Quod ad Hieronymi dictũ attinet, breuiter dicitur eum ibi de Eccleſia non hic congregata, ſed in conſpectu Dei poſita, loqui. Sic enim alibi ipſemet de Eccleſia diſtinguit. *Dupliciter*, inquit, *poteſt Eccleſia dici, & ea quæ non habet maculam & rugam, & verè corpus Chriſti eſt, ſcilicet* fructuoſè & intrinſecus, *& ea quæ in Chriſti nomine abſque plenis perfectiſque virtutibus congregatur.* Hæc ille. Quem germanum eſſe Hieronymi ſenſum eiuſdem aduerſus Luciferianos diſputatio apertè demonſtrat. *Auſculta*, inquit, *quid de communi Eccleſia ſentiendum ſit. Arca Noë typus Eccleſiæ fuit. Vt ibi Pardus & hædi, Lupus & Agni; ita & hic iuſti & peccatores.* Iam verò quæ congerunt Magdeburgenſes, vt duplicem Eccleſiam ſtatuant, faciunt illi quidem ex ſententia Ticonij illius Donatiſtæ, qui bipartitum poſuit domini Corpus, vnum bonorum, alterum malorum: ſed vt illam ſententiam improbat Auguſtinus lib. 3. cap. 32. de doctrina Chriſtiana, ita hanc diuiſionem omnes quas ipſi Scripturas adferunt, confutant. Neque enim diſcernens Chriſtus iuſtitiam credentium à fermento Phariſæorum, duas facit Eccleſias, ſed in vna & eadem Ec-

De doctri. Chriſti. lib. 3. cap. 32.

commentũ proſtratum de duplici eccleſia.

In commentar. ad Galat. cap. 1.

In dial. aduerſus Luciferianos.

Non eſſe duplicem eccleſiam.

clesia esse credentes,& esse hypocritas docet. Neque duas faciunt Ecclesias qui ambulant per D viam latam,& intrant per angustam portam,sed in vna & eadem Ecclesia (vt in Thessalonicensium Ecclesia notauit Apostolus,) *alij ambulant inordinatè, alij secundum traditionẽ ab Apostolo acceptam.* Quod verò de agro, de conuiuis,& de decem virginibus, afferunt, nimis impudens est:vnus enim est ager,qui & triticum & zizania protulit,id est vna Ecclesia,vt diligẽter exponit Aug.cont.donat.post collat.cap.6.vna domus imo & mensa est,quæ duplices conuiuas habuit:vnum regnũ cælorũ,in quo virgines sunt fatuæ,& prudentes: *decem enim virgines* (ait Hieronymus) *non totius generis humani,sed sollicitorum & pigrorum in eadem domo sunt exempla.* Denique,quæcunque in Scripturis de bonis & malis dicuntur, aut permixtam Ecclesiam notant,aut ad duas ciuitates, Dei & diaboli,non ad duas Ecclesias pertinẽt. Vna enim est quam in symbolo profitemur, Ecclesia Sancta Catholica: *vna est domus illa magna*, in qua sunt vasa non solùm aurea & argentea,sed etiam lignea & fictilia. *Vnum est corpus Christi* quod membra habet non solum sana & integra sed etiam ægra & mutilata; *vna vitis est* in qua sunt palmites non solùm frugiferi sed etiam infrugiferi: Ioan.15.

1.Thessal.3.

Lib.1. contra Iouinianum.

Sed hoc commentum duplicis Ecclesiæ ab hæreticis hodie inuentum est, vt prætextu prioris huius & inuisibilis Ecclesiæ,quam ipsi comminiscuntur, sese extra Ecclesiam non esse simplicibus persuaderent:simúlque visibilẽ hanc & verè Catholicam ad impium illum cœtum,ad fermentum Pharisæorum,ad latam & spaciosam viam (quam alteram & impurã Ecclesiam vocant,)pertinere docerent. Sed meritò hic quæri potest; qua demum ratione Ecclesiam Christi Catholicam Sanctorum & iustorum congregationem definiant protestãtes, E cùm ipsi pariter doceant solam fidem absque operibus hominem iustificare. Si enim sola fides absque bonorum operum sanctitate iustificat, vtique & membrum Ecclesiæ Christi faciat necesse est. At verò quòd hæc in speciem pugnantia docent, insigni fraude faciunt. Nempe (vt prudenter aduertit notauitque contra Lutherum Roffensis noster in lib. contra captiuitatem Babylonicam,cap.2.) *duplicem Lutherus excogitauit fidei rationem: alteram qua rudem populum sibi dolosè conciliaret: nempe quòd fides nihil est aliud quàm illud credere quod Deus promittit & dicit,quam fidem nemo Christianus non habet,& est facillima: Alteram,qua se tueatur à doctoribus,videlicet quòd fides esse nullo modo potest,nisi sit viua quædam & indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem sese placere Deo. Neque enim fieri posse quin talis fides omnia bona opera faciat.* Hæc ille. Itaque iuxta hanc posteriorem fidem tantummodo Sanctorum cõgregatio est Ecclesia; iuxta priorem, sanctitas bonorum operum nihil ad iustitiam facit. Sic omnes Lutherani contra Catholicos sanctificationem spiritus docent impartientem remissionem peccatorum, partam per Christum. Contra Antinomos addunt, expurgantem quoque & mortificantem reliquias peccati. Hac detestanda fraude & populo fideli imponunt,& se à repugnantiis aliisque absurdis tuentur.

Causa commẽti de duplici ecclesia.

Roffensis.

Duplex fides à Luthero excogitata.

Tertij Erroris declaratio & confutatio, quòd non ex solis perfectis constet.

CAPVT IX.

F

VNC ad tertium Errorem veniamus,quem quidem paucissimis expediemus. Eisdem enim planè argumentis adeóque multo fortiùs quibus 2. Error cõuictus erat,exploditur. Si enim probatum est malos Ecclesiæ membra esse,quorum fides est vera, necessariò consequitur & minus perfectos ad Ecclesiã pertinere. Itaq; satis hoc loco sit hoc vnum aduertere, quòd vetus est hæc hæresis,& omnibus hodie ferè protestantibus communis. Primùm enim,Nouatianorum hæc erat manifesta hæresis qui *Ecclesiæ suæ generalem sanctitatem* (ait Ambrosius) *sic asserebant,vt cunctos se habere purificatos affirmarent.* Hæc ille in commentar.in 2.ad Thimo.cap.2. Deinde in Pelagianis apertè fuit damnata, de quibus sic scribit Augustinus in libello de hæresibus; *In illud etiam progrediuntur Pelagiani,vt dicant vitam iustorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum,& ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici: quasi non sit Christi Ecclesia quæ in toto orbe terrarum clamat ad Deum; Dimitte nobis debita nostra.* Hanc etiam hæresim conuellit Sanctus Hieronymus,toto lib.2.contra Iouinianum, qui idem cum Pelagianis asserebat, sed ex alio fonte. Nempe ex eo quòd *gratia in Baptismo accepta amitti non poterat. Quicunque enim illam amiserat,eum aqua tantùm non*

Her.88.

In principio lib.2. contra Iouinianum.

etiam

A *etiam spiritu baptisatum asserebat.* Eundem hodie Anabaptistæ apertè profitentur,& hoc nomine a Luthero,Caluino,cæterisque Lutheranis fanatici semper cognominantur:sed profectò eadem plærique protestãtes tradunt. Nam ex illis quidam cum Iouiniano gratiã in Baptismo datam nunquã amitti docēt, licet alio sensu. Nempe non vt non peccetur,sed vt si peccetur,tamē vel quia fidei radix nunquã è pio pectore auelli potest,vt docet Caluinus Inst.lib. 3.cap.2.sect.21.iustificationis gratia fixa manet, vel obesse peccatũ nō potest, quòd sola Baptismi recordatione remittatur.Sic enim docuit Caluinus li.4.ca.15.Institutionum. Rursum alij solã infidelitatem peccatũ esse,vt Lutherus in captiuitate Babylonica, aut (quod omnes docent) solã fidem hominis plenã iustitiam esse dogmatisant,quorum etiam plærique dicunt fidem ociosam esse nō posse, sed semper agere & operari quæ Deo placent, nec in sola appræhensione meritorũ Christi,sed etiã in mortificatione veteris hominis consistere. Quapropter hi omnes licet ex diuersis causis,plenã quãdam & impeccabilem iustitiam in Ecclesiæ membris ponunt. Nouatiani propter quorundã criminum grauitatem in quæ relapsos, Ecclesiæ reconciliari non posse docebãt:Pelagiani propter virtutum omnium perfectionem & plenitudinem studio & labore comparatã.Iouinianus propter gratiæ renouãtis in baptismo acceptæ vim quãdam,quæ amitti non poterat. Hodie Lutherani cum Anabaptistis propter eiusdem baptismi gratiam peccata abolentem,& propter solius fidei commendationem.

Protestantium doctrina eadem cum Pelagia. & Iouiniano.

B

Argumenta pro 3. Errore,& Confutatio eorundem.

CAPVT X.



SANE eisdem fundamentis hodie vtuntur,& scripturis abutuntur Lutherani,quibus olim Iouinianus & Pelagiani.His videlicet.*Omnis qui natus est ex Deo,peccatum non facit;quoniam semen ipsius in eo manet,& non potest peccare,quoniam ex Deo natus est.*Rursum:*nō potest arbor bona malos fructus facere:*& ex Apostolo;*Charitas nunquã excidit:*Has enim omnes Scripturas sicuti olim partim Pelagiani (vt videre est apud Augustinum de peccatorũ meritis & remissione lib. 2.cap.8.& de natura & gratia,cap.14.) partim Iouinianus (vt apud Hieronymum lib.2.aduersus eundem)vsurpabãt,vt perfectã in Ecclesiæ membris iustitiã absque vllo peccato ponerēt,sic hodie Lutherani vsurpãt vt doceant hominem ex sola fide iustũ peccare non posse,sed partim *totius legis impletionem solam fidem esse*,vt docet Luthe.in libr.de libertate Christiana,partim *nullam fidem esse nisi vbi sit tota legis impletio, quia fides non est quæ ociosa est.* Vt Lutherum postea Caluinus & alij correxerunt. Ex quibus constat perinde fanaticos esse Lutheranos atq; Anabaptistas,qui(licet ex alio fonte) vnà cum illis & veteribus Pelagianis,atque Iouiniano hæreticis vera Ecclesiæ membra absque peccato esse docent, Sed citatis Scripturis breuiter respondetur. Ad 1.locum respōdet Augustinus locis iam proximè ex eo citatis,sed exactiùs contra duas epistolas Pelagianorum li.3.cap.3.& lib.de Perfectione iustitiæ prope finem.& hom.50.ex hom.50.quotũ omnium summa est,Quatenus nati ex Deo sumus,& filij Dei renouamur de die in diem;ea sanè innouatione quæ in baptismo cœpta est nō perfecta,& quantũ ad hanc peccare nō possumus,quãdiu semen gratiæ in baptismo acceptæ manet. Quatenus autē vetere homine nondũ abolito,propter reliquias vetustatis manētes filii carnis & filij seculi sumus,eatenus ex infirmitate & ignorãtia peccamus: *& si dixerimus quia peccatum non habemus,nos ipsos seducimus.* Ad 2.locũ respōdet Hieronymus loco superiùs citato ex Matt.*Tandiu arbor mala fructus bonos nō facit,nec mala bonos;quandiu vel in bonitate sua,vel in malitia perseuerat.* Quãquam sanè arbor bona,quæ est bona volũtas(vt illud August.perpetuò exponit) habet interdũ fructus malos,nō bonæ volũtatis,sed deprauatæ carnis. Sic deniq; charitas nō excidit propter leuiora ista carnalis infirmitatis peccata.Nã vt per mortale peccatum amittitur charitas, sic cum veniali consistit. Quãquam Apostolus eo loco de charitate in altera vita permãsura & perficienda,(fide,prophetiis,sciētiis euacuatis,)loquitur.

1.Ioan.3. *Matth.7.* *1.Cor.13.*

Pelagianorum & Iouiniani Argumentis Protestantes vtuntur.

C *1.Ioan.2.*

Contra aduersus Iouinianũ, cap. 26.contra Pelagianos lib. 3 cap. 44.

Quòd Ecclesia est Sancta propter fidem & sacramenta,non propter vitæ integritatem in singulis.

CAPVT XI.

X his ergo quæ hactenus disputata sunt, manifestum est Ecclesiæ Sancti- D
tatem, quam in Symbolo profitemur, non in singulorum membrorũ sanctitate illa consistere, quæ vel prædestinationem certam adiunctum habet, vel motum pietatem aut perfectionem vitæ desiderat. Quòd si iam in qua ergo re illa Sanctitas consistit, scire desideras, quanquam illud ad præsens institutum non adeo spectet, breuiter & hoc quoque adiiciemus. Primùm itaque propter fidem Ecclesia sancta dicitur. Est enim non nisi fidelium congregatio. Et hoc sensu fideles olim quasi proprio vocabulo sancti sunt nuncupa-
Quare Ecclesia dicitur sancta. ti, vt propter fidem à cæteris infidelibus hoc nomine distinguerẽtur. Sic & in veteri Testamẽ-
to bonus ille Tobias dixit filio suo; *Filij Sanctorum sumus*: & passim in literis Apostolicis legi-
1. Tob. mus, *Quanta mala fecit Sanctis tuis? Et; quum vocasset sanctos & viduas. Multos Sanctorum in*
Act. 9. Act. 26. *carceribus inclusi. Necessitatibus sanctorum communicantes. Salutate Sanctos. Sicut decet Sanctos.*
Rom. 12. 16. Et similia quamplurima, vbi perpetuò sanctorum nomine fideles intelliguntur: nempe Deo
Ephes. 5. per baptismum dedicati & consecrati, vt veteres loquuntur. Deniq; nihil aliud in Symbolo
August. de vnico baptis. profitemur, quum cõmunionem sanctorum dicimus, quàm cõmunionem fidelium. Rursum
cap. 9. & de sancta est Ecclesia propter ipsa sacramenta, per quæ Christus eam sibi desponsauit, maximè
bapt. contr. per baptismum, dicente Apostolo, *Christum tradidisse se pro Ecclesia, vt eam sanctificaret, mun-*
Donat. lib. 4. *dans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Nam quod sequitur, *vt exhiberet sibi gloriosam*, &c. alterius
cap. 22. & Epist. 23. generis sanctificatio est, quæ hic quidem inchoatur, & in altera vita perficitur, vt suprà ex Au-
2. gustino ostendimus. Deniq; si etiam sanctitatem vt vulgò ea accipitur, pro vitæ morúmque E
Ephes. 5. puritate intelligimus; & sic etiam Ecclesia vtcunque malis ac peccatoribus mixta sancta erit.
Etenim vt ipsa Ecclesiæ membra vtcunq; sancta ac iusta sunt, veríque mandatorũ Dei obser-
3. uatores, culpis tamen & maculis corruptionis carnalis non carent, quum & ipse Paulus de
carnis macula adhuc inhærente conqueritur, & propter quam, *non quod vult bonum hoc agit, sed quod odit malum, hoc interdum facit*: verè tamen iusti ac sancti tales dicuntur & sunt; sic sanè totum Ecclesiæ corpus sanctum dicitur, vtcunque partes habeat, non tantum ægras ac morbidas, sed pro tempore saltem planè emortuas, ac putridas. Postremò sancta est, quia Christus eam sua gratia perpetuò sanctificat, id est, vt sancta sit, suæ bonitatis dona ei incessanter sub-
ministrat. Propter hanc autẽ sanctitatem quæ non quidem in singulis Ecclesiæ membris in-
4. uenitur, in multis tamen est, in eisdemque verè, propriè & perfectè fidelibus, vocetur Ecclesia *Corpus Christi* eius spiritu animatũ ad Ephes. 1. dicitur *mundata sanguine Christi* ad Hebr. 9. *est radicata & fundata in charitate*, ad Ephes. 2. est *hortus conclusus, fons signatus, vnica columba, & amica sponsi*. Multa enim in scripturis, adeoque in quouis alio sermone de toto corpore per synecdochẽ dicuntur, quæ quibusdam tantũ partibus, nõ toti corpori cõueniunt. Quod sane vel ignorantes, vel dissimulantes hodie protestantes, pro magno argumẽto adferunt, Ecclesiam visibilem & militantem, quæ ex bonis & malis constat, non esse Ecclesiã in Symbolo descriptam, vbi sancta vocatur. Imo si Christo placet etiam Catechismum Tridentinũ ne-
Rom. 7. gare, aiunt ecclesiam Catholicam significare cætum visibilẽ, quia significat Corpus Christi,
& cætera supradicta. Ita scilicet manifestam concilij Tridentini mentem eadem audacia per- F
uertunt, qua scripturas ipsas.

Quartus & quintus Error ostenduntur, & tergiuersatio aduersaria circa illos in genere aperitur.

CAPVT XII.

VNC ad duos postremos Errores, qui ex tribus præcedẽtibus cõsequuntur, venio. Prior est latentem & occultã esse Ecclesiam: Alter paucorum illam esse. Prædestinati enim perfecti & iusti pauciores semper numero sunt, & ab hominibus certò cognosci non possunt. In hac autẽ quæstione de visibili Ecclesia Dei, mirum in modũ se torserunt & tergiuersati sunt hodie hæretici. Dum enim visibilis Ecclesiæ iudiciũ refugiunt, vbi aut in quo se sistãt non inueniunt. Idcirco ante omnia mirabilẽ eorum tergiuersationem describã, & fraudes aperiã. Nam ipsorũ hic hæreticorum sentẽtias in lucem proferre, est confutare. Móxq; de notis Ecclesiæ copiosè disputabimus. Quod ad prius attinet, hæ-
Insignis protestantium tergiuersatio. retici hac in parte nullo modo sibi constant. Etenim cũ contra Catholicos disputãt, Ecclesiã
esse volunt paucorũ atq; occultã: ideoq; Catholicam dici, quia omnes sanctos per vniuersum
orbem

A orbē latenter dispersos significar, non quia multitudo est bonorū & malorum per omnes gētes in Christi fide & nomine conspicuè diffusa. Hoc enim respectu militantē non Catholicā Ecclesiam vocari volunt. At verò quū contra suæ farinæ homines disputāt, vt Lutherus cōtra Sacramētarios, Melāchthō cōtra Stācarum & Illyricū, Caluinus cōtra Seruetū, Vvestphalus contra Caluinū, Beza cōtra Brentiū, & ij omnes cōtra Anabaptistas, tunc ecclesia erit multitudo visibilis & hoc nomine Catholica, idq; duas ob causas: Partim vt sanctorū patrū testimoniis & Ecclesiæ visibilis authoritate aduersarios obruant. Vnde Lutheranos qui in re sacramētaria patrū testimoniis creberrimis vtuntur, vocat Caluinus semipapistas, & ipsi Caluino ac Bezę exprobrāt Trinitarij quòd Deum quemdā Augustinianū faciāt: Partim vt suis cōuenticulis, quæ iam in aliquem numerum & magnitudinem excreuerunt, authoritatem vindicent. Cuius quidem rei euidens argumentum est, quòd in prioribus suis scriptis, quum adhuc pauciores essent, apertè docent occultam esse Ecclesiam, vt in Augustana confessione, & in eiusdem Apologia, vbi Ecclesia *sanctorum esse congregatio & vt plurimum tecta cruce* definitur, atque defenditur. Sic ante illud tempus scribens Lutherus contra Erasmum in lib. de Seruo Arbitrio, Ecclesiam vult esse *margaritum absconditum, ne impius videat gloriā Dei.* Cuius vestigiis insistens Musculus, *germanam Ecclesiæ communionem statuit in electis tantùm ac veris fidelibus, qui soli Deo cogniti sunt.* At verò in posterioribus scriptis, cū iam plures numero esse cœpissent, visibilem esse Ecclesiam volunt. Idcirco Melanchthon in repetitione Confessionis Augustanæ sic Ecclesiam definit: *Ecclesia est visibilis in hac vita cœtus amplectentium Euangelium Christi, & rectè vtentium sacramentis.* Item in locis communibus; *Concedendum*, inquit, *est Ecclesiam cœtum esse visibilem.* Idem denique constantissi. nè docet in lib. contra articulos Bauaricæ inquisitionis. Magdeburgenses quoque Ecclesiam visibilem esse iisdem verbis definiunt quibus Melanchthon. Similiter Caluinus Ecclesiam vniuersalem definit, *collectam ex quibuscunque gentibus multitudinem oculis conspicuam.* lib. 4. cap. 1. sectione 6. Institutionum. Hunc ergo in modum, modo aiunt, modo negant. Sed quàm varia fraude & quibus euadendi artibus hic vsi sint, quàm fieri poterit breuissimè, ex eorum verbis declarabitur. Nempe etsi omnes visibilem verbo dicant, re tamen ipsa visibilem negant. Imò eò rem deducunt, vt omnem Ecclesiam quæ vt Controuersias de fide diiudicet, nota atque conspicua sit, è medio tollant.

Protestantium Sententia de Ecclesia inuisibili.

Eorundem Sententia de Ecclesia visibili.

B

Omnes Protest. Eccles. visibilē negant.

Lutheri inuisibilis Ecclesia, & Tergiuersatio circa illam describendam.

CAPVT XIII.

ATQVE vt à Luthero incipiam, cùm ille *vltra decennium* vt ipsemet scribit in libro de seruo arbitrio, *Authoritate Ecclesiæ sic motus esset, vt incredibile illi videretur illud vnum argumentum superare posse*, tandem tamen sic illud sese superasse putabat, quum Ecclesiam non pro visibili illa & illustri multitudine omnium Christianorum toto orbe, & per omnia tempora dispersorum, non pro tam numerosa serie sanctissimorum Patrum, non pro tot seculorum consensu, non pro Conciliis, Episcopis, Theologis, totáque C plebe Catholica acciperet: sed in paucis quibusdam latentibus sanctis, & electis, mundo incognitis, soli Deo notis, illam poneret. Ecclesiæ enim authoritatem lectori commendante Erasmo, & asserente, *incredibile esse vt Deus Ecclesiæ suæ Errorem dissimularet tot seculis*, &c. Respondet Lutherus, *Errorem hunc non esse à Deo toleratum in Ecclesia sua aut in vllo suo sancto. Hos autem quos ille vocat Ecclesiam Dei non esse Ecclesiam. Talem enim semper fuisse statum Ecclesiæ Dei toto mundi cursu ab origine sua, vt alij dicerentur populus Dei qui non essent, alij verò inter illos, vt reliquiæ essent, & non dicerentur populus Dei*, ideóque sub patribus & Pontificibus ceteráque multitudine Christianorum quam Catholicam dicimus, *seruasse Deum Ecclesiam suam, sed sic, vt non diceretur Ecclesia, sed dicerentur & vocarentur hæretici.* Exemplum enim adfert de Ioanne Huss. condemnato in Concilio Constātiensi, quem cum aliquot aliis piis sui similibus eius temporis Ecclesiam fuisse dicit. Itaque Lutheri sententia est, omnium ætatum hæreticos qui quidem eius dogmatibus aliqua ex parte suffragati sunt, veram Dei Ecclesiam fuisse. Idcirco etiam inter notas Ecclesiæ hanc septimam ponit, vt *vera Dei Ecclesia hæretici vocentur.* Quem in hac parte secuti Magdeburgenses, aiunt; *Veram Ecclesiam ab hypocritis odio haberi, excommunicari, & miris modis vexari.* Huius incredibilis insaniæ hæc, ni fallor, causa est. Animaduerterant Lutherani post iam aliquot annorum stadia, hæreses quas ipsi defendebant, à quamplurimis olim hæreticis defensas fuisse, & in eisdem ab Ecclesia Catholi-

In Diatribā de lib. arb.

Lutheri sententia est, veram Ecclesiam vocare hæreticam.

In tractatū de notis veræ ecclesię tom. 7.

Causa talis Sētentia.

Protestantium Patro.

ca condemnatas: videlicet in Ioanne Huss, in Vvicleso, in Petro Abailardo, in Al- D
marico, in Vvaldensibus, in Albigensibus, in Berengario, in Iconoclastis, in Vigilantio, in Iouiniano, in Pelagianis, in Manichæis, in Donanstis, in Aërio, in Eunomio, reliquisque complicibus. Quo sanè in loco cùm debuerint palinodiam cecinisse, Ecclesiæ gremio se reddere, olim damnatas hæreses execrari, contra id egerunt, vt hinc fortiora insaniæ suæ argumenta peterent: nempe hos hæreticos veram fuisse Dei Ecclesiam, in his conseruatam fuisse semper, & per omnes ætates Ecclesiam. Quanquam nec hi hæretici per omnes ætates fuerunt, sed totis seculis interiectis; nec quisquam ex his nominatis cum Luthero in doctrina conuenit, sed quilibet eorum aut detestandas præterea hæreses à quibus ipse Lutherus abhorret, amplexus fuerit, aut in quamplurimis cum Catholicis senserit, in iis quæ Lutherus negat: de qua re tota postea plura. Sed nunc quo tandem hanc rem deducat Lutherus, videamus. *Si abscondita est Ecclesia* (vt ipsemet sibi opponit) *quid igitur faciemus? cui credimus? aut quid demum nos certos faciet?* Respondet; *Verbum Dei iudex est.* Sed quo interprete, cùm de verbo conuenit? aut quo iudice cùm de verbo controuertitur? *Spiritus*, inquit, *diiudicat omnia. Qui Spiritum Dei habet, is & veram Scripturam à falsa discernet, & ipsius scripturæ Germanum sensum assequetur.* At vnde explorabimus hunc spiritum? Siquidem probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, & omnes sibi spiritum vendicant. Hic distinguit Lutherus, *duplici iudicio spiritus esse explorandos: vno interiori, quo per donum Dei singulare quilibet certissimè iudicat & discernit omnium dogmata & sensus. Hoc necessarium est* E
cuilibet etiam priuato Christiano. Hoc etiam vocat *internam scripturæ claritatem*, singulis videlicet Spiritum Dei habentibus reuelatam. Sed hoc iudicium quia priuatum esse videbat, & huiusmodi quod quiuis hæreticus venditare sibi possit, sicuti hodie fanaticos Anabaptistas fecisse ipsemet confitetur; & nos tam innumeras sectas hodie constanter facere scimus: ideóque nihil ad explorationem illam & iudicium spiritus facere, quod ad dirimendas in Ecclesia Controuersias valeat, pergit & dicit. *Alterum iudicium est externum, quo non modo pro nobis ipsis, sed etiam pro aliis certissimè iudicamus omnium dogmata & Spiritus. Hoc iudicium est publici ministerij in verbo, & hoc pertinet ad duces & præcones verbi, quo vtimur, dum infirmos in fide roboramus, vel aduersarios confutamus: & hanc vocamus externam Scripturæ claritatem.* Hæc Lutherus. In quibus verbis videtur sanè præter priuatam illam quorumcunque hominum spiritus venditationem, publicam in Ecclesia potestatem concedere: Episcoporum videlicet, Pastorum, Doctorum ac huiusce modi, & per duces & præcones verbi hos intelligere: vt in diiudicandis spiritibus qui sibi verbi Dei scientiam vendicant, Prælatorum Ecclesiæ iudicio standum sit. Sed ludit lectorem Lutherus, & nihil aliud dicit quàm quod superius dixit. Quod quidem ipsemet satis luculenter prodit, dum subiicit; *Sic dicimus scriptura iudice omnes spiritus in facie Ecclesiæ esse iudicandos.* Rationem ostendit, *Nam* (inquiens) *id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atque firmissimum; Scripturas sacras esse lucem spiritualem ipso sole longè clariorem:* idque adeo de tota scriptura verum esse vult, *vt nulla omnino eius pars obscura sit*, quod postea copiose probare nititur. Huc ergo F
iterum recidit Lutherus (nequicquam illa data distinctione) vt sola scriptura per se clarissima sit omnium dogmatum iudex, in prædicatione scilicet seu verbi ministerio prolata. Quanquam sanè si per se omnis scriptura clara est, nec ipso verbi ministerio indiget; sed lecta priuatim & inspecta, omnem veritatem apertissimè docebit. At verò quia satis animaduertit Lutherus, non deesse semper, qui resisterent huic tam claræ luci quam in Scripturis ponit & contradicerent, ideóque non posse ex scripturæ claritate probari spiritus, an ex Deo sint, alia rursum distinctione conatur euadere. *Poterunt*, inquit, *resistere vt non persuadeantur confiteri se victos, sed non sic poterunt resistere vt habeant quod contradicant; aut si contradicunt, communis tamen sensus iudicio nihil dicunt.* Ecce per omnia circumactus huc tandem euadit, vt communem sensum faciat arbitrum Controuersiarum omnium. Com-
1. munem autem sensum vocat iudicium vulgi. Nam exemplum afferens de Pharisæis à Christo conuictis, *sic eos*, inquit, *confutauit vt populus conuictos palam videret, & ipsimet sentirent.* Hæc ergo est tota Lutheri Analysis siue Resolutio. Ecclesia Dei est absconditum Margaritum & apud paucos: idcirco illa controuersiarum iudex esse non potest. Verbum Dei iudex erit, ipso spiritu interprete. Iudicium huius spiritus quæritur: sed eo non inuen-
2. to ad verbum Dei reditur. Illud clarum & perspicuum est: sed quia claritati eius resisti-
3. tur, & contradicitur, supremum rei iudicium penes communem sensum erit & populi
4. arbitrium. Quem quidem communem sensum si alij sibi arrogent æque ac Luthe-
5. rus,

Infra lib. 3. cap. 7. & 8.

Fraudulenta Luthero distinctio.

Totum quod de Ecclesia dictum est, in sola Scriptura desinet.

Vltima resolutio Lutheri.

Tota Lutheri Analysis de Iudice Controuersiarum.

A rus,(quis enim tandem communi sensu se carere arbitrabitur?)non habet ille vltrà quod di- 6.
cat,ideóque cum occulta sua & incognita Ecclesia,omnium in Religione Controuersiarum *Nullum est certum iudicium Cõtrouersiarum ex Lutheri doctrina.*
examen,iudicium, & exitum occultum planè facit, atque incognitum, ideóque nullum.
Denique eò rem deducit, vt sicut ante, monuimus, omnem planè Ecclesiam è medio tol-
lat, pariterque omnem Religionem quæ sine Ecclesia quam in Symbolo profitemur, nul-
la est.

Melanchthonis inuisibilis Ecclesia & fraudes eiusdem circa illam describendam.

CAPVT XIIII.

SED ad alios veniamus, qui maiori fraude rem tractant. Nempe cum se- *Apolog.prioris part.1.*
creto consilio(vt refert Fridericus Staphylus)actum esset inter protestan- *Duplex protestantium fraus in visibili ecclesia constituenda.*
B tes,Ecclesiam deinceps visibilem esse censendam, mox in omnibus eo-
rum scriptis visibilis definita est. Sed id duplici fraude. Vult enim Me-
lanchthon, vt ab illo incipiamus, Ecclesiam esse, *cœtum conspicuum fide-* 1.
lium,cui quidem cœtui te adiũgere oporteat, non sic tamen,vt ab illo cœtu ve- 2.
ram doctrinam haurias, sed à paucis quibusdam illius cœtus hominibus, sanè ignotis atque
occultis veritatem discas. Atque hæc est prima fraus. Altera fraus est, vt non Catholicam
Christianorum multitudinem pro huiusmodi cœtu agnoscas, sed illam paucorum societa-
tem,quæ notas seu signa habet ab ipsis constituta,de quibus suo loco agemus. Quod ad prio-
rem fraudem attinet,sic illam prodit Melanchthon. *In cœtu*, inquit, *vocatorum,certò scias ali-*
quos electos esse, & ad hunc cœtum te adiungito in doctrina & oratione. Hæc ille in repetitione
confessionis Augustanæ, Concilio Tridentino exlubenda anno 51. Nempe ab his electis in *Melanchthonis fraudes in visibili quam ponit ecclesia, aperiuntur.*
illo cœtu veritatem vt discas,vult. Id quod apertè in locis communibus posterius editis do-
cet. *Vult*(inquit deus)*Ecclesiam suã non prorsus abditã in latebris & ignotã,sed vult eam exaudiri,*
vult agnosci. Nam illi dedit Pastores & Doctores: & de visibili cœtu scriptum est;Dic Ecclesiæ. Re-
ctè hæc omnia. *Sed*(inquit) *videndum est hic qui sint membra huius visibilis Ecclesiæ.* Nempe se-
cundum illum soli sancti & electi. Hæc ergo prima fraus est,qua Episcopos & Ecclesiæ præ- 1.
latos quoslibet,qui vulgi iudicio parum sancti videbuntur,excludere liceat. *Deinde*,inquit, *nec*
hoc recipiendum est maiorem partem suffragiorum anteferendam esse. Hæc altera fraus est,qua Cõ- 2.
ciliorum & Synodorum omnium Decreta conuelluntur,vbi plurium Patrum suffragiis am-
C bigua veritas definitur. Superest igitur vt veteri ratione conuulsa, nouam iste aliquam,cám-
que certiorem & solidiorem tradat. Vidit ipsemet hoc necessariò postulari. Proinde ait; *Quis*
igitur erit iudex,quando de Scripturæ sententia dissentio oritur, quum tunc opus sit viua voce diri-
mentis Controuersiam? Hic expectamus,vt dexterè rem expediat. *Respondeo*(inquit)*ipsum Ver-* 3.
bum Dei est iudex. Sed quia hoc murum esse sciebat,addit; *Et accedit confessio veræ Ecclesiæ.*
Hoc amplius dicit quàm Lutherus. Sed quænam hæc vera est Ecclesia? Subucit. *Semper enim* 4.
sequuntur verbum tanquam iudicicem aliqui pij, & confessione firmiorum adiuuantur infirmi. Hoc
modo dirimuntur Controuersiæ de doctrina. Hæc ille. Vides ergo quò res redacta sit. Scilicet vi-
sibilis Ecclesia quam ponit,sunt aliqui pij & firmiores quos cæteri sequuntur. At vnde hoc *Melanchthonis visibilis ecclesia sunt aliqui pij & firmiores.*
ipsum nobis cõstat, qui tandè sint illi verè pij & firmiores? Ponamus,quod sæpissimè fit, ma-
iorem partem,imo omnes his piis contradicere,non fidem habere,&c. Quis Controuersiæ
finis? Vidit hoc inconueniens Melanchthon,& miserè respondet. *Hoc cum fit, Deus*,inquit, *Ec-*
clesiæ vindex dirimit tandem Controuersiam & delet blasphemos. Idem prorsus & quidem accu-
ratè docet in comment.in 1.ad Tim.3. Finis ergo Controuersiarum iuxta Melanchthonem.i.
iuxta omnes Saxonicas Ecclesias, est diuina vindicta & iudicium Dei, sicuti iuxta Luthe- *Vltima resolutio Melanchthonis.*
rum communis sensus & iudicium populi. At verò si Melanchthoni credimus, *Ecclesia vera*
plerumque fuit, est, & erit subiecta cruci: & congeruntur à Magdeburgensibus multæ Scri-
pturæ, vt ostendant Ecclesiam veram Dei, *esse perpetuo sub cruce.* Ergo secundum illos
Deus non delet blasphemos sed Pios. Loquitur enim de illa dei vindicta contra blasphe-
mos,quæ in hac vita tẽporaliter exercetur; nõ quæ in futura vita sempiternè infligitur. Vides
igitur futilem & vanã hanc esse euasionẽ,omniáque eò recidere,vt Ecclesiã seu cœtum illum
Piorũ qui dirimere Cõtrouersias deberet,occultã & incognitã statuat. Idcirco mox eodẽ in

loco hanc postremam conclusionem facit. *Non talia sunt*, inquit, *indicia Ecclesiæ, qualia sunt indicia politicorum. Nam in politicis aut Monarcha solus Authoritate sua pronunciat, aut in senatu valet sententia maioris partis* (quibus verbis Romani Pontificis & Conciliorum iudicia taxat) *sed in Ecclesia valet sententia congruens cum verbo Dei & confessione Piorum, siue sint plures, siue pauciores impiis.* Hæc ille. Sed qui sunt iuxta Melanchthonem pij, siue plures sint, siue pauciores, nec ipse, nec quisquam alius certò scire potest. Imò eius est constans doctrina, *Ecclesiam in suis membris occultam esse, innotescere autem per veram doctrinam.* Quare quod semper adiicit verbo Dei, *confessionem Piorum, confessionem veræ Ecclesiæ, iudicium firmiorum*, mera est euasio; vt Ecclesiam videatur visibilem ponere, & aliquem tandem exitum in dirimendis Controuersiis inuenire. Hos enim pios & firmiores, non datos à Christo Ecclesiæ suæ pastores & doctores, in opus ministerij, verè pios & spirituales viros vult intelligi Melāchthon; sed nouæ suæ doctrinæ assertores, à nemine missos, à seipsis ordinatos, intelligit. Quod vt ille de suis, ita vnaquæq; secta de sectæ suæ complicibus affirmat. Sed conclusio ista & misera tergiuersatio Melanchthonis, in exemplo quod adfert clarius elucescet. *Ita* (inquit in locis cōmunibus) *Veteres damnarunt Paulum Samosatenum, & deinde Arrium. Index erat verbum Dei, id est, testimonia ex Euangelio. Sed multum adiuuabantur infirmi in pronuncianda sententia confessione firmiorum scilicet eorum quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ.* Hæc ille. Sed si quis hic à Melanchthone quæreret, quomodo constabat fuisse illos fideles custodes doctrinæ, de quibus hic dicit hoc constasse, plane quod respondeat nō habet. Neque enim hoc de vno aut altero constare vnquam potest, nisi per reuelationes quas isti homines irrident. Sed de tota Ecclesia, vel de prælatis Ecclesiæ legitimè congregatis optimè constat. Et quidem tales fuerunt qui contra Samosatenum & Arrium pronunciarunt. Episcopi erant in Synodo congregati: contra hunc Niceæ trecenti octodecim Episcopi sub Constantino magno, contra illum Antiochiæ maximo etiam numero vt narrat Eusebius. Fuit hoc ergo aut fraudulenter, aut ignoranter à Melanchthone factum, vt quod ab Episcoporum iudicio decretum est, id paucis piis tribueret. Quam sane ob causam tacuit prorsus quòd Episcopi essent. Imo in actis Ratisponēsibus, capite de Ecclesia, hoc exemplum adferens de damnatione Samosateni: *conuenerunt*, inquit, *vicini*. Quasi non Episcopi & Ecclesiæ prælati, sed nescio qui boni viri, vicini videlicet ipsius Samosateni, eum condemnassent.

D

E

Hist. Eccles. lib 7. cap. 22. & sep.

Dolus malus Melāchthonis.

Caluini fraudes in describenda Ecclesia visibili aperiuntur.

CAPVT XV.

AD Caluinum nūc venio, qui pari scelere quo Melanchthon & Lutherus, sed maiori fraude rem tractat. Etenim profitetur apertè, acturus de Ecclesiæ regimine, ordinibus, potestate, *de Ecclesia visibili se agere* libr. 4. cap. 1. Institut. §. 1. & 2. fatetur quoque §. 3. *articulum Symboli ad externam Ecclesiam aliquatenus pertinere: idque eam ob causam, vt se quisque nostrum in fraterno cōsensu cum omnibus Dei filiis contineat, et Ecclesiæque deferat quam meretur authoritatem.* Deinde paragrapho 5. rationes multas ex Scriptura tum veteri tum noua adfert, quibus doceat. *Deum perpetuò externo regimine & hominum ministerio populum suum in his quæ ad Deum pertinent instituisse.* Denique paragrapho 9. visibilem Ecclesiam quibus notis & signis conspicua reddatur demonstrat. Sed cùm de huius Ecclesiæ potestate & iudicio disputat cap. 8. paragrapho 2. eò rem deducit, *vt solum ac purum scriptum Dei verbum omnem doctrinam definiat & Controuersiam dirimat.* De confessione seu testimonio, seu interpretatione veræ Ecclesiæ verbum non dicit sicut Melanchthon fecit, nec de spiritu sicut Lutherus: sed ne suam inuisibilem prodat Ecclesiam, id totum tacet: & in solius scripti verbi ministerio totam doctrinæ administrationem ponit. Secus tamen facere videri vult. Ait enim §. 12. cap. 8. *quòd veritas in mundo non extinguitur, id fie, quòd fidelem habeat custodem Ecclesiam, cuius opera & ministerio sustinetur. Atqui hæc custodia in ministerio prophetico & Apostolico sita est, indéque tota pendet, si verbum Dei fideliter conseruetur, suámque puritatem retineat.* Quibus in verbis ministerium quidem Ecclesiæ tribuit, sed huiusmodi quod in solo verbo consistat. De iudicio autem ipsius Ecclesiæ in re dubia & cōtrouersa prorsus tacet, ne in illas angust as ce geretur in quas ante se Lutherum

F

Caluinus agnoscit Ecclesiā visibilem.

Caluinus controuersia iudicium in sola Scriptura ponit.

Ecclesiæ tamen totum tribuere videri vult.

A Lutherum & Melanchthonem deductos vidit. In proximo verò cap. de Conciliis agens, propius paulò ad rem accedere videtur. Primum enim § 5. *inter Pastores qui verbum Dei tractant & interpretantur delectum esse vult, ne qui dicantur, esse quoque Pastores, continuò existimentur.* Hoc est quod Melanchthon dixit, *videndum esse qui sint membra veræ Ecclesiæ.* Quibus verbis Episcopos & Prælatos (sicut ille) eos admittit quos libet. Deinde monet paragr. 8. *vt non numerentur, sed appendantur sententiæ*: quod aliis verbis dixit Melanchthon, *non esse plurium suffragiis rem discernendam.* Hucusque cùm rem deduxisset, vlteriùs non progreditur: sed rem totam, vt prius concludit, ex solo Dei verbo iudicium pendere. Nam paragrapho 12. indefinita propositione sic rem absoluit. *Nulla conciliorum, pastorum, Episcoporum nomina impedire, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus.* Laudat quidem postea paragraph. 13. Episcoporum Synodos, & pastorum conuentus. *Sed meminerimus*, inquit, *non omnibus seculis vel locis haberi Athanasios, Basilios, Cyrillos, & similes veræ doctrinæ vindices.* Quibus verbis indicat deseri Episcopos posse priuato iudicio & spiritu. Hoc enim illud toties repetitum sonat *Ad diuini verbi Regulam exigamus.* Et Rursum: *Verbo domini examinemus.* Denique (vt apertè dicit) *Chalsedonenses ac Ephesinos patres in iudicando sequimur, vt verbum Dei quod illis præluxit, nobis quoque præluceat*: id est, si propriè loqui velit, nobis placeat. Postremò paragrapho 14. proponit quidem quasi nobis obiicientibus, *ea quæ Ecclesiæ authoritate sancita sunt, pro scripturæ interpretatione habenda.* Huic quidem non respondet, sed ironicè addit: *neque id modò, sed si quid reclamante scriptura statuerit concilium, interpretationis habebit nomen.* Quod conuitium est, non

B responsum. Ad Controuersiæ punctum non venit, vt ostendat visibilis quam dicit Ecclesiæ visibiles dogmatum iudices & interpretes verbi Dei. Huc ergo tota Caluini visibilis Ecclesia recidit, vt quicquid Pastores, Episcopi, Concilia & externi ministri Ecclesiæ statuant, liceat tamen priuato iudicio ab illis recedere, si verbum Dei aliter dicat, id est, si quis verbum Dei aliter intelligat. Nam Conciliis ipsis vide quantulum tribuat. *Concilij*, inquit, *Definitio sit instar præiudicij: ita tamen vt examen non impediat*: id est, vt liceat cuiuis qui sibi sciolus videbitur, Concilij decreta pro suo arbitrio examinare. Postremò vt certò scias quicquid de visibili Ecclesia Caluinus garrit, tamen ex eius sententia non nisi inuisibilem illam esse, aduertendum est quòd iis ipsis in locis, quibus visibilem asserit, admiscet, & interponit perpetuò, *de inuisibili & Arcana iustorum Ecclesia*, cui sanè hoc tribuit, *vt de illa potissimum articulus Symboli intelligatur, & vt illa sola sit quam credere nos profitemur.* Denique, *illam solam esse quæ perpetuò durat & nunquam errat. Deus enim* (ait) *mirabiliter Ecclesiam suam quasi in latebris seruat.* Postremò, *in illius vnitatem qui inserti non sunt, necessariò perire.* Hæc omnia inuisibili tribuit Ecclesiæ. Nam cùm hæc omnia enumerasset cap. 1. paragrapho 3. subiicit; *Ad amplexandam eo modo Ecclesiæ vnitatem, nihil opus est Ecclesiam ipsam oculis cerni.* Quamobrem quòd aliam ponit visibilem quæ Ministros, Pastores, & Episcopos habeat, mera euasio est. Non enim in illis, vt iam ostendimus, veritatis doctrinam ponit, sed in priuato iudicio & examine vniuscuiusque iuxta verbum Dei. Summa ergo est non minus Caluinum quàm cæteros inuisibilem statuere Ecclesiam, & incertum (quia priuatum) de rebus Controuersis iudicium: maiori tamen fraude & astutia id facere quàm cæteros. Quam eius doctrinam sibi ipsi repugnantem, & modo aientē

Caluinus nullos ostendit visibiles Controuersiæ iudices.

Caluiniana Doctrina astutia Pestilens.

C modo negantem, ne quis technarum Caluinicarum imperitus multum miretur, obseruandū est hoc Caluino in singulis propemodum dogmatibus in quibus ab Ecclesia dissentit, propriū atque perpetuum esse, vt prima quidem disputatione, sententiam orthodoxam aut re vera tradat aut rectè tradere videatur, quo lectorem Catholicum & auitę fidei auidum pelliciat: mox verò proprio veneno asperso, idem nihilominus multo fuco obtegere, multis elabendi artibus colorare & excusare conetur. Quod certę dum facit, aut sibi ipsi manifestè contradicit (quod sæpissime fit) aut suam impietatem magis prodit, quod aliquando contingit. Hoc ita se habere, pestilentissima eius doctrina circa causam peccati in deo, quem & velle, & facere, & decernere ac denique destinare peccata omnia quæ fiunt, impiè docet Institut. libr. 1. capit. 17. sect. 6. & 7. cap. 18. sect. 1. & 2. lib. 2. cap. 4. sect. 2. & sequen. lib. 3. cap. 23. sect. 1. & 4. item eiusdem doctrina contra iustitiam operum lib. 2. cap. 2. 3. 11. & 16. aliaque multa doctrinæ capita in eodem opere ab eo tractata vel deprauata potius diligenti lectori manifestum faciunt.

Vuirtembergensium descriptio. D

CAPVT XVI.

ANDEM planè tergiuersationem videre est in confessione Vuirtembergensium Concilio Tridentino exhibita:anno 52. Cùm enim Ecclesiam visibilem esse definiuissent, & eius iudicium in rebus omnibus copiosè probassent, postea cùm de Conciliis agunt, sic produnt: *esse enim in Conciliis sæpe numero paucos electos, & meliorem partem vinci a maiori, ideóque ipsa sæpe errare & eorum sententias examinãdas esse*: ex quibus omnibus necessariò sequitur nullam Ecclesiam esse visibilem, nec vllum relinqui certum de rebus iudicium, sed ex priuato arbitrio vniuscuiusque qui sibi spiritum venditabit, omnia pendere. Vbi obiter sed diligenter nota, quòd in hac tota Lutheri, Melanchthonis, Caluini, & Vuirtembergensium disputatione, exitus omnis Controuersiæ non est obedientia sed electio; id est, non fides sed hæresis. De qua quidem re postea plura. Rursum obserua, quòd quemadmodum de Cælestio Pelagiano scribit August. lib. 2. cap. 18. de peccato originali, *quòd per latebras ambiguitatis falsitati præpararet refugia, ita vt etiã nos* (ait Augustinus) *cùm primum ea legimus, certa vel correcta propemodum gauderemus, sed per latiores disputationes eius in libris suis vbi se aperire compellitur, sententiam suam prodidit*; sic de nominatis hæreticis dicere possumus, eos quidem latebras quærere falsitati, dum Ecclesiam verbo visibilem docent. Sed E postea latius scribendo suam sententiam incautos prodere. Non dissimiliter ab Eunomio hæretico factum legimus. Scribit enim Basilius lib. 1. contra eundem, quòd *cùm Patrum fidem summis laudibus extulisset, eandem post pauca turpissimis probris affecit*. Atque hæc hactenus de prima eorum fraude, qui Ecclesiam Christi visibilem esse verbo aiunt, reipsa negant, & in eisdem plane tenebris cum Luthero Ecclesiam constituunt: illam inquam Ecclesiam, quæ de dogmate controuerso iudicare, quæ fidei doctrinam tradere, confirmare, & suis explicare debet, cuius communionẽ tenere & decretis obtemperare oportet. Ne videlicet dum quandam militantem & visibilem agnoscere se dicunt quæ ex bonis & malis constet, quæstioni de Ecclesia satisfecisse videantur: quasi duæ essent Ecclesiæ Christi aut plures, vel alia in terris esset Ecclesia quàm cuius communionem tenere, quam audire, cui obedire fideles omnes debent.

Lib. 8. cap. 10. & 24.

De notis Ecclesiæ quas ponunt hæretici.

CAPVT XVII.

ALTERA fraus nunc aperienda est multò sane perniciosior: nempe non ipsam Catholicã Christianorum multitudinem pro huiusmodi visibili cœtu qualis est Ecclesia, habendam esse: sed eam demum societatem quæ notas illas & signa habeat, quibus illi discerni Ecclesiam Dei ab hæreticorum F conuenticulis docẽt. In his autẽ notis assignandis, nec inter se, nec sibi ipsis conueniunt. Lutherus Patriarcha cæterorum omnium, septem ponit Ecclesiæ notas tomo 7. in tractatu de notis veræ Ecclesiæ. Primam notam ponit in verbo Dei his verbis: *vbicunque verbum Dei prædicari, credi, lucere in confessione, vita, & moribus exprimi audis, vides, ibi certo statuas esse veram Ecclesiam sanctam & Catholicam, vtut sit exiguus cœtus.* Secundam ponit Baptismi sacramentum. Tertiam, Eucharistiæ sacramentum. Quartam, claues Ecclesiæ. Quintam, Ministerium verbi. Sextam, Orationes publicas, vt orationis Dominicæ & Psalmorum cantus publicos. Septimam, *persecutiones & afflictiones pati, excõmunicari, vocari hæreticos.* Hoc enim totũ vocat *mysterium sanctæ Crucis*: *Et hæc*, inquit, *sunt septẽ, vellẽ dicere septem Sacramẽta, nisi aliter iam vsus obtineret.* Sed has septẽ notas ad quatuor redigunt Magdeburgẽses, vt ex prima Lutheri duas faciant, *verbum Dei prædicatũ & verbum Dei lucens in confessione*: tres medias in vnam coarctant, legitimum scilicet sacramentorum vsum, siue illa tria, seu plura aut pauciora sint. Hoc enim tutius putarunt, quia de numero sacramentorum adhuc inter protestãtes non conueniebat, ac ne nunc quidem cõuenit. Quarto & vltimo loco ponũt ministeriũ verbi & obedientiam erga idem. Sextam & septimam Lutheri penitus reiiciũt. Iam enim cùm florere eorum hæreses cœpissent & habere patrocinia Principũ, aliorum autem sectę persecutionẽ paterẽtur, vt Svvingliani, Anabaptistæ,

Lutherus ponit 7. notas Ecclesiæ.

Magdeburgẽses ponunt 4.

A & Suenchkfeldiani, mysterium illud sanctæ Crucis, quod Lutherus ita deosculatur, amplius nota esse non potuit. Sed nec iste numerus diu placuit aut omnibus. Itaque tria signa ponit Melanchthon, in responsione ad articulos Bauaricæ inquisitionis. Doctrinam Euangelij incorruptam, vsum sacramentorum legitimum, & obedientiam ministerio debitam. Lux illa confessionis quam post Lutherum retinent Magdeburgenses omittitur: eo sane cõsilio quod obscurius iam esse cæpit Lutheri χαχαγγελιον nouis subinde sectis exorientibus, & Lutheri nomen penitus obliterantibus. Sed nec hæ tres notæ diu placuerunt. Illa enim obedientia ministerio debita, nimis politica visa est, magisque ad Catholicæ Ecclesiæ Normam & faciem accedere, à qua illi, quàm longissimè suam differre voluerunt. Idcirco vtcunque molliores Lutherani Vvitembergenses etiam hodie illam tertiam notam retineant, vt suos docuit Georgius Maior in Thesibus anno. 1570. editis: expositione 117. & Philippus de Mornay Caluinista hanc quoque tertiam admittat, quanquam vt externam quandam notam non vt essentialem, & ipse Melanchthon passim alibi, vt in repetitione Confessionis Augustanæ & in locis communibus, & post illum Caluinus, Instit. lib. 4. cap. 1. paragraph. 9. atque Vvittembergenses in sua confessione, denique hodie omnes ferè protestantes duas tantum veras atque legitimas Ecclesiæ notas esse volunt: scilicet *puram Euangelij prædicationem*, & *rectum sacramentorum vsum*. Sic nihil isti homines certum aut constans hac in re tradere potuerunt. Obserua autem hic diligenter quòd in tanta notarum varietate, nemo eorum, aut vnius, aut sanctæ, aut Catholicæ aut Apostolicæ meminerit, quum tamen Symbolum Constantinopolitanum hæc omnia apertè complectatur. Soli Interimistæ in comitiis Augustanis anno 48. duabus postremis notis addiderunt; *vnitatem quæ in Charitate & pace consistit*, & *Catholicum consensum per*
B *omnia orbis loca & tempora*. Sed hoc in illis grauiter repræhendit Musculus in locis communibus, & est à cæteris omnibus Protestantibus explosum: nominatim à Melanchthone & Saxonicis omnibus Ecclesiis (vt se vocant) in actis Ratisbonensibus: Illiricus quidem inuocationẽ & Charitatem cæteris Ecclesiæ notis adiunxit in caput 2. Act. cui & victorinus Strigelius subscribit Comm. in Psal. 109. quod ad inuocationem attinet. Neuter tamẽ consensum illum Catholicum vult agnoscere.

Melanchthon ponit 3. Notas.

Reliqui protestantes 2. notas tantum ponunt.

Detectio fraudum quibus circa has notas vsi sunt aduersarij.

CAPVT XVIII.

ED nunc qua fraude has solas duas notas omnes tandem retinuerint, explicandum est, pariterq; non esse has veras & perpetuas Ecclesiæ notas demonstrandum. Primùm cùm puram doctrinam, & rectum sacramentorum vsum dicunt, non omnem huiusmodi intelligere volunt; sed præcipuas puræ doctrinæ partes, & quæ ad fundamentum religionis pertinent. Idcirco quoties has duas notas Ecclesiæ ponunt, cautè & diligẽter addũt: Non omnem veræ doctrinæ corruptelam, aut sacramentorum abusum veræ Ecclesiæ rationem tollere. Sic Lutherus. *Ecclesiæ*, inquit, *est verbum Dei, licet id aliàs magis, aliàs minùs purè doceatur.* Sic Melanchthon. *Ecclesia ad Euãgelium Dei alligata est, vt sonet in ministerio rectè docen-*
C *tium, etiam si inter hos alij plus, alij minus lucis habeant.* Hoc enim esse ait, Lutherum secutus, *ædificare fœnum & stipulam super fundamentum.* Sic denique Caluinus: *Poterit*, inquit, *vel in doctrinæ vel in sacramentorum administratione vitij quippiam obrepere, quod alienare nos ab Ecclesiæ communione non debeat.* Institutionum libro 4. capite 1. paragrapho 12. Quam illi omnes cautionem variis de causis adhibent. Primùm vt sectæ omnes præter solam Catholicam, quæ nunc est, veræ Ecclesiæ nomine censerentur. Sic Brentius homo Lutheranus scribens contra Bullingerum. *Non damno*, inquit, *Ecclesias Svvinglianorũ, sed damno perniciosum eorum dogma.* Quomodo autem dogma damnat, & Ecclesias tale dogma tenentes non damnat, nisi quòd Ecclesiam vult agnoscere, vbi tamen aliqua est doctrinæ corruptela? Recenset quoque diligẽter Theodorus Besa homo maximè Caluinianus, scribens contra eundem Brentiũ, nunquam sic Lutheranorum præcipuos ab illis dissensisse, vt non eos pro fratribus agnoscerent. Nempe hic erat ille Syncretismus & mutua dissimulatio, quam foueri inter omnes sectas suasit Melanchthon in libello contra Staphylum, vt tanto fortiùs contra Catholicam Ecclesiã omnes vnanimiter conspirarent. Fuit hæc eorum prima fraus, quæ tamen diu non successit: acerbioribus nunc odiis ipsis inter se conflictantibus, quàm cum ipsa Catholica.

Prima fraus.

Nota.

Tom. 7 in tract. de notis ecclesiæ.

In locis communibus.

Causa huius fraudis.

1.

In fine libelli de dispensatione corporis & sanguinis domini.

Syncretismus protestantium.

2. Fraus.

2. Fraus.

D Deinde alia fraudis huius causa erat, vt cùm Ecclesiæ veteris Authoritate vrgentur, patrum scilicet antiquissimorum; hac ratione euadant, vt dicant *eos quidem Ecclesiam Dei fuisse, quia fundamentum tenuerunt; tamen stipulas huic fundamento superædificasse, habuisse suos næuos, omnibus aliquid contagij aspersisse consuetudinem sui seculi*, quum (verbi gratia) de inuocatione sanctorum, de reliquiarum veneratione, de votis monasticis & similibus disputarent. Sic enim de S. Basilio, S. Ambrosio, Epiphanio, Augustino, Bernardo nominatim asserit Melanchthon, & de aliis multis quos non nominat. Hæc sceleratissima fraus est: vt scilicet ad eorum arbitrium Ecclesia Dei vel simus vel non simus, cùm pro eorum arbitrio ad fundamentum & capita & præcipuos articulos fidei ea pertinebunt, quæ ipsi pertinere iudicabunt, sicuti de cœna Domini iudicant Caluinistæ *rem tanti momenti non esse, quin dissentientes à Lutheranis, pro fratribus tamen eorum haberi debeant*: vt scripsit Theodorus Beza in libello contra Brentium: & Petrus Martyr in epistola ad Argentoratenses, & Apologia Ecclesiæ Anglicanæ. Contrà mordicùs tenēt Lutherani, nec eos vnquam pro fratribus agnoscere voluerunt: sicuti probat contra Bullingerum Swinglianum Io. Brentius Lutheranus ex publicis testimoniis ipsius Lutheri, Melanchthonis, & ex historia Io. Lauatheri de re sacramentaria.

Euasio protestantium quo ad primæ Ecclesiæ Scriptores.
In locis commun. in titu. de Eccl.
Vbi supra.

3. Fraus.

Tertiò ideo hoc temperamentum suis duabus notis addunt, vt solam Catholicam Ecclesiam quæ nunc est, ab Ecclesiæ titulo repellant. Mox enim, vbi has notas posuerunt, inferunt: At manifestum est apud papistas & omnem veram doctrinam obliteratam esse, & sacramentorum vsum corruptum. Vbi insigni contumelia & fallacia, quam petitionem principij Dialectici vocant, ponunt pro manifesto quod in quæstionē vocatur, & in quo status totius Controuersiæ versatur. E Qua etiam in re vide quam sibi ipsis repugnanter agant. Quæ enim in nobis vocant & iudicant esse omnem veræ doctrinæ & sacramentorum corruptelam, ipsiusque fundamenti euersionem, eadem in patribus pro fœno & stipulis habent, & ferenda ac tollerenda putant: ne videlicet veterem quoque & primitiuam Ecclesiam damnare viderentur. Ista enim omnia quæ illi in nobis damnant, nos ex patribus & illa prima Ecclesia locupletissimè probamus.

Protestantes sibi ipsis contrarij.

4. Fraus.

Quartò, ideo in vera doctrina næuos & stipulas patiuntur, vt cùm contra sanam doctrinam docuisse à Catholicis conuincuntur, hâc euadant; vt dicant nihil se contra fundamentum Religionis docere, sed in re indifferenti & quæ ad salutem adeò non pertineat, dissentire. Quam fraudem in Pelagio & Cælestio hæreticis copiosè & diligenter notat D. Augustinus; *Volentes*, inquit, *hæreseos astutè inuidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem: vt videlicet si in ea fuerint exorbitasse conuicti, non criminaliter, sed quasi ciuiliter errasse videātur*. Hæc ille. Est autem hæc pars pestilentissimi cuiusdam Atheismi, ac passim hodie regnantis ipsissima radix. Hinc enim emersit illa multorum hodie satanica persuasio, in vnaquaque secta & religione saluari homines posse, vbi retinetur fundamentum fidei. Quin & Philippus de Mornay in libello de Ecclesia cap. 2. docet puræ quidem Ecclesiæ notam esse sanā doctrinam: sed ad hanc puritatem satis esse vt puncta doctrinæ capitalia seu fundamentalia rectè doceantur: non deesse enim etiam in puris Ecclesiis, tam errores in doctrina quàm vel in politia abusus vel in moribus corruptelam.

De peccato orig. lib. 2. cap. 22.

In vera ecclesia semper est doctrinæ plena integritas.

F Quare non fraus tantùm hæc est, sed etiam perniciosus error, in Ecclesia Dei non semper putant ex omni parte esse doctrinam. Etenim vt concedamus, doctissimos in Ecclesia viros suis non carere interdum næuis, hallucinari in quibusdā, (sicuti in Rebaptisandis hæreticis doctissimum Cyprianum) & esse de illorum numero, de quibus Apostolus dicit: *Si quid aliter sapiunt, Deus illis reuelabit*, tamen ab vniuersa Ecclesia Dei vnanimi consensu, nunquam error aliquis cōtra sanam doctrinam aut approbatus, aut toleratus, & dissimulatus fuit. Quod adeò verum est, vt scripserit S. Hyeronimus, *etiam propter vnum verbum aut duo quæ contraria sunt fidei, multas hæreses eiectas fuisse ab Ecclesia*. Imò dicit Gregorius Nazianzenus, (vel S. Ambrosius inter cuius volumina idem tractatus ad verbum repetitur) *nihil periculosius his hæreticis esse, qui cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo quasi veneni gutta vnam ac simplicem fidē inficiunt*. Rursum vt demus multa huiusmodi esse de quibus liberè in alterutram partem sentire liceat; & in quibus vnusquisque in sensu suo abundat; nec ad fidei quæstionem pertinet, sic an secus se res habeat; qualia multa recenset Augustinus loco iam citato contra Celestium & Pelagium, tamen ab iis quæ semel ab Ecclesia Dei vnanimi consensu approbata & vsu recepta sunt, ne quidem in re minima recedendum est: vnde dixit tyranni Valentis præfecto S. Basilius; *Eos qui in sacris literis eruditi sunt, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinere, sed pro illorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus oppetere paratos esse*. Et hoc nomine

Philip. 3.
In Apolog. 3. contra Ruffinum.
In tractatu de fide.
Theodoretus hist. eccl. lib. 4. cap. 17.

A nomine laudat Augustinus Ecclesiæ Catholicæ sapientiam, *quod paria sacramenta celebrantes tamen quia sententia dispares sunt & errores suos animosius defendunt, à sua communione excludit*. Propterea quoque huiusmodi esse verè Orthodoxum idem describit Augustinus, *qui licet ex parte carnalis sit, & ad plenam rerum intelligentiam nondum venerit, tamen vt ab vnitate corporis Christi non recedat, regulam fidei pusillis magnisque communem in Ecclesia perseueranter tenet; & in quod peruenit, in eo ambulat, & cogitationes suas carnales non dogmatisat*. Hæc obiter admonēda fuerunt, tum vt intelligas protestantes omnes, etsi veram Euangelij doctrinam sic extollant, vt eam certissimam Ecclesiæ notam esse velint, tamen eos in hoc ipso, & veræ doctrinæ, & ipsi Ecclesiæ plurimum derogare; hæresibúsque omnibus fenestram aperire, dum næuos, fœnum, & stipulas falsæ Doctrinæ in ea patiuntur ab Ecclesia tollerandas: tùm etiam vt perniciosum errorem sub hac fraude contectum diligenter caueas. Sicuti enim omnis virtus ex tota causa est, nec vel bona aliqua est actio quæ non bene fit, vel bene fieri potest quod ex se bonum opus non est: ita vel maximè fides qua deum colimus, qua & saluari & iustificari coram deo volumus, debet omnino esse integerrima, nulla de deo, aut rebus diuinis falsa opinione imbuta: vtcumque de rebus extra fidei regulam positus aliter sentire quàm veritas habet, damnabile non sit. De vera Religione. cap. 5. Epist. 57. ad Dardanum.

B

Confutatio notarum in quibus tandem Conueniunt aduersarij.

CAPVT XIX.

LIA principalis causa quòd has duas tantummodo notas Ecclesiæ retinent, est, vt & Lutherani & Caluiniani, & Anabaptistæ, & quæuis alia hæreticorum secta, se pro Ecclesia venditare apud rudem plebeculam possit: non quòd apud hos omnes hæ duæ notæ reperiantur (nam ab vtraque omnes quàm lōgissimè absunt) sed quia has duas notas & illi, & quiuis præterea hæreticus apud indoctos prætexere possit. Omnes enim hæretici ab ipsis Ecclesiæ incunabulis apud se esse veram Euangelij doctrinam, & rectum sacramentorum vsum clamitarunt. At verò tales esse debent Ecclesiæ notæ, quas hæreticus ne prætexere quidem probabiliter posit. Alioqui nulla erit Ecclesiæ certitudo, quæ tamen (quia illam nos credere in Symbolo profitemur, & Ecclesiam cognoscete totius est disciplinæ Christianæ principium, aditus, & via, fundamentum quoque & firmamentum primarium) omnibus certissima & perspicua esse debet. Atque hæc prima est ratio, quare hæ notæ Ecclesiæ esse non possint. 1. Ratio.

C Sed huic rationi occurrit sępedictus Philippus de Mornay in libello de Ecclesia cap. 4. quòd etsi vnaquęque secta verā doctrinam apud se esse clamitet, tamen in sola pura & orthodoxa Ecclesia illa verè reperitur, ideoque eius nota certa ac peculiaris est. Vt autē verè adesse ostendatur, ex Scriptura Sacra manifestè deprehendi ait, quæ totius veræ doctrinæ lapis lydius est, & index certissimus. Sed an Scriptura sit nota Ecclesię in proximis cap. agetur. Certè Scripturarum testimoniis vnaquęque secta vtitur, sed sensu & interpretatione diuersa: vt propterea non tam Scriptura quàm legitimus Scripturæ sensus sit veræ doctrinæ index & lapis lydius. vtrūque autē ab Ecclesia accipimus vt li. 9. & 10. infra ostēdetur. Erit igitur Ecclesia vtroq; notior, vt ipsa potius per Ecclesiā, quàm Ecclesia per ipsa inueniatur & innotescat. 2. Ratio.

Rursum hæc duo non demonstrant vbi sit Ecclesia: sed ipsa Ecclesia demonstrat vbi sint hæc duo. Quæ enim sit pura Euangelij prędicatio, & quis sit rectus sacramentorum vsus iuxta legitimum scripturæ intellectum Ecclesia Dei docet atque ostendit. Vt hic ordo seruaretur, *dedit Deus pastores & Doctores vt perueniant omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei*. In hunc etiam finem mittens Christus Ecclesię magistros & testes veritatis, ait: *Qui vos audit, me audit*. Hac denique de causa vocat Apostolus *Ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis*, quia Ecclesię innititur, & ab Ecclesia firmatur atque stabilitur omnis veritas reuelata: nō cōtrà veritati nititur Ecclesia, reuelatæ dico. Nā vt ipsa veritas reuelata, quæ Christus est, docet Ecclesiam, dato Spiritu sancto, *qui inducit Ecclesiam in omnem veritatem, & permanet cum Ecclesia in æternum*, sic reuelatam à Christo & Spiritu Sancto veritatem docet ipsa Ecclesia, *fungens* in hac parte *legatione pro Christo, docens seruare omnia quæcunque mandauit ipsis Christus*, & facta *lux mundi*, sicut Christus lux erat. Sed de hac re latiùs postea. Ephes. 4. Luc. 10. 1. Timo. 3. Quomodo Ecclesia est columna veritatis. Ioan. 14. 2. Cor. 5. Matth. 28.

Illud verò hic obseruatione dignum est, quòd Melanchthon, Magdeburgenses, & maxi- 3. Ratio.

Lib. 5. cap. 7. & 8.

mè atque copiosissime Caluinus, Instit. lib. 4. cap. 1. paragr. 5. docent *fidem veritatis custodem esse Ecclesiam, & ab Ecclesiæ ministerio petendam esse omnem veram doctrinam.* Verissimè id quidem: sed quod necessario consequens est, non vident: nimirum magis & prius notam, claram atque perspicuam esse debere Ecclesiam, quàm sit vera doctrina. Siquidem notior esse is debet apud quem aliquid quæro, quàm idipsum quod quęro, nisi frustra velim quærere, aut nũquam quęrendi finem facere. Prius etiam constare mihi de Doctore debet, quàm de doctrina quæ ex Doctore petenda est. Maximè vbi multi & contrarij sunt qui se pro doctoribus venditant, vt in causa fidei ferè semper, nunc certè euidentissimè se res habet. Alioqui non ex doctore discam, sed ex doctrina præcognita doctorem inueniam; nec ex Ecclesiæ ministerio veritatem petam, sed ex ipsa veritate ministros exquirã. Quæ omnia sunt & rectæ disciplinæ aduersa, & Christi Saluatoris instituto Ordini repugnantia. Non ergo ad inueniendam Ecclesiam nota erit vera doctrina, sed ad inueniendam veram doctrinam necessarium erit veræ Ecclesiæ iam præcognitæ & in confesso positæ ministerium, vox, authoritas. D

4. Ratio.

Ad quæstionem de notis Ecclesiæ quàm præposterè respondent Protestantes.

Rursum hæ duæ notæ, veræ doctrinæ prædicatio, & rectus sacramentorum vsus, aut largissimè hic ab hæreticis intelliguntur, aut strictim & propriè. Si largissimè, certe in ipsorum ambitu ipsa quoque Ecclesiæ vnitas & debita illi obedientia intelligetur. Nam & extra Ecclesiæ vnitatem non valet sacramentorum vsus, nec prodest quicquam ad salutem, ideóque aliquo modo rectus non est, & obedientiam Ecclesiæ debitam vera doctrina complectitur, Euangelium docet: & sic quidem si rem intelligunt, idem per seipsum demonstrabitur. Cùm enim quæritur, quibus notis dignoscitur Ecclesia, quæritur quibus modis illa multitudo dignoscitur quæ veritatem doctrinæ Euangelicæ tenet & tradit, quæ rectum sacramentorum vsum habet & docet. quæ denique omnia huc aliquo modo vel ad sanam fidem spectãtia obseruat, & ministrat. Respondet hodie hæreticus, Illa multitudo veritatem tenet & docet, apud quam est veritas. Illa multitudo rectum vsum sacramentorum habet & tradit, apud quam est rectus sacramentorum vsus. Illa Ecclesia purè prædicat Euangelium, apud quam est pura Euangelij prædicatio. Quod perindè est ac si rogatus quis viam quæ ducit Thebis Athenas; respondeat eam esse, quæ ducit Athenis Thebas, vel eam esse quæ rectà Athenas ducit, nec alicubi aberret. Hoc si est interrogantem deludere, & in eisdem ignorantiæ tenebris, quibus prius laborabat, relinquere, profectò sic hæretici hodie his suis notis veritatem eludunt, dum in Ecclesia dignoscenda & inuenienda rogati respondent, per veram doctrinam & rectum sacramentorum vsum dignosci. Quæ quidem Ecclesiæ nunquam deesse omnes sciunt, non magis quàm à recta via itineris certitudo abesse potest. Sed Ecclesiam illa nobis minimè demonstrant: nõ magis sanè quàm idem per idem demonstrari potest. Sin verò propriè & strictim has duas notas accipiunt, & seorsim ab Ecclesiæ ministerio, vnitate, Authoritate, cæterisq; dotibus & propriis & peculiaribus, tunc profectò hæ notæ non conuertuntur cum Ecclesia; nec vbicunque hæ duæ notę sunt, statim est Ecclesia. Nam in omnibus vel non legitimè ad doctrinæ prædicationem aut sacramentorum administrationem vocatis, vel alioqui post legitimam vocationem factis schismaticis (vbi nullum asseritur hæreticum dogma) potest esse vera & sana doctrina, rectus quoque sacramentorum vsus; sicuti in Meletianis, in Luciferianis, in Donatistis, antequam in hęresim illorum schisma creuisset, atque etiam in Audianis seu Vadianis rem se habuisse historia Ecclesiæ demonstrat. Hi enim omnes seruata tota puritate doctrinæ, & eodem cum Catholicis sacramẽtorum ritu, vel ex odio & liuore, vt Meletiani in Ægipto propter Episcopum suum Meletium in persecutione lapsum iam ab episcopatu depositum, vt refert Socrates; vel ex indiscreto zelo, vt Luciferiani in Palæstina propter conuersos Arrianos hæreticos ad gratiam & honorem pristinum receptos (vt rem narrat prolixè Sanctus Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos) vel ex ambitione & superbia vt Donatistæ in Africa propter prælatum in episcopatu Cartaginensi, Cecilianũ Maiorino, vt cõmemorat D. Augustinus in libello ad Quoduultdeum, vel denique ex contemptu quodam superiorum & stulta arrogãtia, vt de Audianis commemorat post Epiphanium Damascenus, ab Ecclesia segregabant & schismatici facti de Ecclesia non erãt. Quod aurẽ de Donatistis verbi gratia diximus, clarè ostẽdit disputatio quædã S. Augustini, super illa verba: *In medio Ecclesiæ laudabo te: qui timetis dominũ laudate eum:* vbi ait, *vbicunque timetur Deus, & laudatur, ibi est Ecclesia Christi.* Quum enim his verbis notã quandã certam Ecclesię dedisse visus esset, qualem hodie hęretici ponũt, statim de Donatistis prolixè disputat, probatque eos *etsi timent & laudant Deũ, tamen non esse Ecclesiam, quia videlicet non laudant Deũ in Ecclesia magna, quæ est Catholica.* Sequitur enim in eodẽ Psalmo; E F

Lib. 1. cap. 3.

Versus finem dialogi.

Hæres. 69.

Damascenus in lib. de hæresibus.

Enarrat. 2. in Psalm. 21.

A Psalmo; *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, & iterum paulò post. *Reminiscentur & conuertentur vniuersi fines terræ & adorabũt in cõspectu eius vniuersæ familiæ gentiũ.* Psalm. 21. Ex quibus omnibus probat Augustinus nõ in parte Donati, non in aliquo schismate, sed in sola illa fidelium multitudine quæ communicat omnibus gentibus Christianorum, sic timeri & laudari Deum vt sit Ecclesia Dei, etsi in ipso quoque schismate timeatur ac laudetur. Nõ ergo veræ doctrinæ prædicatio & rectus Sacramentorum vsus propriè accepta veram Ecclesiam à schismaticorum conuenticulis distinguunt. Debent autem Ecclesiæ notæ huiusmodi assignari, quæ illam non solum à paganis & Iudæis, sed etiam (idque potissimum) ab hæreticis & schismaticis omnibus clarè distinguant. *Quales debeant esse Notæ Ecclesiæ.*

Iam verò, vt res hæc tota liquidissima fiat, vera Euangelij doctrina, & rectus sacramentorũ vsus propriè ac seorsim accepta, sunt fructus & dotes Ecclesiæ, sunt bona & beneficia per ministerium Ecclesiæ nobis collata: non sunt notæ quibus discernatur Ecclesia. *Non omnes Ecclesiæ dotes sunt Ecclesiæ Notæ.* Non enim quæcunque sunt Ecclesiæ bona, statim illius notæ sunt. Ecclesia est sancta, sed per suam sanctitatẽ non innotescit. Ecclesia est Christiana, sed per Christi nomen nõ innotescit. Ecclesia est vnius Dei cultrix, sed non per vnius Dei cultum innotescit. Sic Ecclesia est docta, nec tamẽ per doctrinam innotescit. Habet sacramenta, habet sacerdotes, habet templa, non tamen per hæc omnia innotescit, id est, ab hæreticis & schismaticis omnibus qui sanctitatem, qui Christi nomen præ se ferunt, qui vnum Deum agnoscunt, docti sunt, sacerdotes, sacramenta & templa habent, non distinguitur. *Simile.* Sic exempli causa in ciuitate aut Republica aliqua ciuili, prudentia,

B legum iustitia, ac morum virtus & similia non sunt certæ notæ & argumenta fidelis populi & legitimo suo principi subditi, vt qui illis valeant, mox se pro veris subditis vẽditare possint: sed sunt populi subiecti dotes quædam, virtutes, atque ornamenta, quibus illi quidem plurimũ iuuantur & illustrantur, & quibus rectè carere non possunt, non tamen quibus à rebellibus & alienis discernuntur. Ipsi enim rebelles hæc omnia habere possunt. Sed legitimè subiecti populi argumentum, est fides seu obedientia suo legitimo & vero principi exhibita. Sic vt multitudo aliqua Christianorum Catholicæ Ecclesiæ, se membrum probet, nõ satis est vt veram doctrinam teneat, verùmque sacramentorum vsum; sed vt hoc totũ in vnitate & obedientia Catholicæ Ecclesiæ teneat: quę non ex istis, sed ex aliis suis verè proprijs, perpetuis & conspicuis notis dignoscitur, de quibus postea in definienda vera Ecclesia agetur. Istæ verò notæ sic Lib. 4. cap. 6.
hæreticos & rebelles Ecclesię filios iuuát, vt easdẽ olim Donatistę pro veris Ecclesiæ insignibus traderent. 6.
Dicebant enim [vt refert ex epistola Vincentij Rogatistę S. Augustinus] *Catholicæ Ecclesiæ nomen non ex totius orbis communione* (quam pro certissima Ecclesię nota Augustinus posuerat & ex scripturis probauerat) *sic dictum esse, sed ex obseruatione præceptorum omnium diuinorum atque sacramentorum*: quod aliis verbis hodie dicunt hæretici, ex vera Euangelij doctrina, & ex recto sacramentorum vsu. Epist. 48. Hęc enim duo in recta obseruatione pręceptorum Dei, quam vera doctrina tradit, & sacramentorum omnium consistere, quis non videt?

Iam verò adeo sunt hæ incertæ, & instabiles Ecclesiæ notæ, vt non solum extra veram Ecclesiam paria interdum sint sacramenta, par & eadem doctrina, vt iam dictum est; sed etiam 7.

C præterea intra ipsam veram Ecclesiam non præluceat semper omnibus, nec illustris aut manifesta sit quibusuis ipsa vera doctrina, & rectus sacramentorum vsus: ideóque pro notis & signis Ecclesiam quærenti demonstrantibus haberi non possint. Hoc enim sanè adeò verum & clarum est, vt nec ipsi protestantes has omnino & simpliciter pro certis & perpetuis conspicuæ Ecclesiæ notis afferant tradántque: sed vt signa tantum & argumenta verisimilia ponant, latentis in illa Christianorum multitudine, & permixtæ alicuius Ecclesię, vbi hæc duo reperiuntur: quia videlicet non sine fructu aliquo, vel docetur Euangelium, vel administrãtur sacramenta. *Ipsorum protestantum iudicio non sunt certæ Ecclesiæ Notæ.* Idcirco Caluinus non simpliciter dixit, vbicunque hæ duæ notæ reperiuntur, illic esse veram Ecclesiã, sed (hæc sunt eius verba) *illic aliquam esse Dei Ecclesiam*: & paulò post. *Non dico vbicunque prædicatur verbum, illic fructum mox exoriri, sed nullibi recipi & statam habere sedẽ, nisi vt suam efficaciam proferat.* Hæc ille lib. 4. cap. 1. parag. 9. & 10. Nempe vult vt ibi aliqui sint semper pij & boni fideles, vbi hæc duo reperiuntur. Quæ etiam Melanchthonis sententia est, vt videlicet vbi nulla Euangelij vox sonat, sicuti inter philosophos & ethnicos, ibi nulla sit Ecclesia: *vbi autem sonat Euangelium & inuocatur Christus, ibi maneant* [ait ille] *aliquæ Ecclesiæ reliquiæ & hæ reliquiæ sunt cœtus ille qui vera Dei Ecclesia dicitur.* Hæc ille in locis communibus. Qua sanè ratione & tota rei supputatione, in quauis multitudine Christianorum, vbicunque sonat Euangelium, etiam apud quosuis hæreticorum greges, esse & latere aliqua Ecclesia potest. Ex quibus omnibus, hæc summa colligitur, nec ipsorum Protestantum sententia proprias

clesia esse credentes, & esse hypocritas docet. Neque duas faciunt Ecclesias qui ambulant per D
1. Thessal. 3. viam latam, & intrant per angustam portam, sed in vna & eadem Ecclesia (vt in Thessalonicensium Ecclesia notauit Apostolus,) *alij ambulant inordinatè, alij secundum traditionē ab Apostolo acceptam*. Quod verò de agro, de conuiuis, & de decem virginibus, afferunt, nimis impudens est: vnus enim est ager, qui & triticum & zizania protulit, id est vna Ecclesia, vt diligēter exponit Aug. cont. donat. post collat. cap. 6. vna domus imo & mensa est, quæ duplices conuiuas habuit: vnum regnū cœlorū, in quo virgines sunt fatuæ, & prudentes: *decem enim virgines* (ait Hieronymus) *non totius generis humani, sed sollicitorum & pigrorum in eadem domo sunt exempla*. Denique, quæcunque in Scripturis de bonis & malis dicuntur, aut permixtam Ecclesiam notant, aut ad duas ciuitates, Dei & diaboli, non ad duas Ecclesias pertinēt. Vna enim est quam in symbolo profitemur, Ecclesia Sancta Catholica: *vna est domus illa magna*, in qua sunt vasa non solùm aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia. *Vnum est corpus Christi* quod membra habet non solum sana & integra sed etiam ægra & mutilata; *vna vitis est* in qua sunt palmites non solùm frugiferi sed etiam infrugiferi: Ioan. 15.

Lib. 2. contra Iouinianum.

Causa commēti de duplici ecclesia.

Sed hoc commentum duplicis Ecclesiæ ab hæreticis hodie inuentum est, vt prætextu prioris huius & inuisibilis Ecclesiæ, quam ipsi comminiscuntur, sese extra Ecclesiam non esse simplicibus persuaderent: simùlque visibilē hanc & verè Catholicam ad impium illum cœtum, ad fermentum Pharisæorum, ad latam & spaciosam viam (quam alteram & impurā Ecclesiam vocant,) pertinere docerent. Sed meritò hic quæri potest; qua demum ratione Ecclesiam Christi Catholicam Sanctorum & iustorum congregationem definiant protestātes, E
cùm ipsi pariter doceant solam fidem absque operibus hominem iustificare. Si enim sola fides absque bonorum operum sanctitate iustificat, vtique & membrum Ecclesiæ Christi faciat necesse est. At verò quòd hæc in speciem pugnantia docent, insigni fraude faciunt. Nempe (vt prudenter aduertit notauitque contra Lutherum Roffensis noster in lib. contra captiuitatem Babylonicam, cap. 2.) *duplicem Lutherus excogitauit fidei rationem: alteram qua rudem populum sibi dolosè conciliaret: nempe quòd fides nihil est aliud quàm illud credere quod Deus promittit & dicit, quam fidem nemo Christianus non habet, & est facillima: Alteram, qua se tueatur à doctoribus, videlicet quòd fides esse nullo modo potest, nisi sit viua quædam & indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem sese placere Deo. Neque enim fieri posse quin talis fides omnia bona opera faciat.* Hæc ille. Itaque iuxta hanc posteriorem fidem tantummodo Sanctorum cōgregatio est Ecclesia; iuxta priorem, sanctitas bonorum operum nihil ad iustitiam facit. Sic omnes Lutherani contra Catholicos sanctificationem spiritus docent impartientem remissionem peccatorum, partam per Christum. Contra Antinomos addunt, expurgantem quoque & mortificantem reliquias peccati. Hac detestanda fraude & populo fideli imponunt, & se à repugnantiis aliisque absurdis tuentur.

Roffensis.

Duplex fides à Luthero excogitata.

Tertij Erroris declaratio & confutatio, quòd non ex solis perfectis constet. F

CAPVT IX.

NVNC ad tertium Errorem veniamus, quem quidem paucissimis expediemus. Eisdem enim planè argumentis adeóque multo fortiùs quibus 2. Error cōuictus erat, exploditur. Si enim probatum est malos Ecclesiæ membra esse, quorum fides est vera, necessariò consequitur & minus perfectos ad Ecclesiā pertinere. Itaq; satis hoc loco sit hoc vnum aduertere, quòd vetus est hæc hæresis, & omnibus hodie ferè protestantibus communis. Primùm enim, Nouatianorum hæc erat manifesta hæresis qui *Ecclesiæ suæ generalem sanctitatem* (ait Ambrosius) *sic asserebant, vt cunctos se habere purificatos affirmarent*. Hæc ille in commentar. in 2. ad Thimo. cap. 2. Deinde in Pelagianis apertè fuit damnata, de quibus sic scribit Augustinus in libello de hæresibus; *In illud etiam progrediuntur Pelagiani, vt dicant vitam iustorum in hoc sæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici: quasi non sit Christi Ecclesia quæ in toto orbe terrarum clamat ad Deum; Dimitte nobis debita nostra*. Hanc etiam hæresim conuellit Sanctus Hieronymus, toto lib. 2. contra Iouinianum, qui idem cum Pelagianis asserebat, sed ex alio fonte. Nempe ex eo quòd *gratia in Baptismo accepta amitti non poterat. Quicunque enim illam amiserat, cum aqua tantùm non*

Her. 88.

In principio lib. 2. contra Iouinianum.

etiam

A *etiam ſpiritu baptiſatum aſſerebat.* Eundem hodie Anabaptiſtæ apertè profitentur,& hoc nomine a Luthero,Caluino,cæteriſque Lutheranis fanatici ſemper cognominantur:ſed profecto eadem plærique proteſtãtes tradunt. Nam ex illis quidam cum Iouiniano gratiã in Baptiſmo datam nunquã amitti docẽt, licet alio ſenſu. Nempe non vt non peccetur,ſed vt ſi peccetur, tamẽ vel quia fidei radix nunquã è pio pectore auelli poteſt,vt docet Caluinus Inſt.lib. 3.cap.2.ſect.21.iuſtificationis gratia fixa manet, vel obeſſe peccatũ nõ poteſt, quòd ſola Baptiſmi recordatione remittatur.Sic enim docuit Caluinus li.4.ca.15.Inſtitutionum. Rurſum alij ſolã infidelitatem peccatũ eſſe,vt Lutherus in captiuitate Babylonica, aut (quod omnes docent) ſolã fidem hominis plenã iuſtitiam eſſe dogmatiſant,quorum etiam plærique dicunt fidem ocioſam eſſe nõ poſſe, ſed ſemper agere & operari quæ Deo placent, nec in ſola appræhenſione meritorũ Chriſti,ſed etiã in mortificatione veteris hominis conſiſtere. Quapropter hi omnes licet ex diuerſis cauſis,plenã quãdam & impeccabilem iuſtitiam in Eccleſiæ membris ponunt. Nouatiani propter quorundã criminum grauitatem in quæ relapſos, Eccleſiæ reconciliari non poſſe docebãt:Pelagiani propter virtutum omnium perfectionem & plenitudinem ſtudio & labore comparatã.Iouinianus propter gratiæ renouãtis in baptiſmo acceptæ vim quãdam,quæ amitti non poterat. Hodie Lutherani cum Anabaptiſtis propter eiuſdem baptiſmi gratiam peccata abolentem,& propter ſolius fidei commendationem. *Proteſtantum doctrina eadem cum Pelagia. & Iouiniano.*

B

Argumenta pro 3. Errore, & Confutatio eorundem.

CAPVT X.

SANE eiſdem fundamentis hodie vtuntur,& ſcripturis abutuntur Lutherani,quibus olim Iouinianus & Pelagiani. His videlicet.*Omnis qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit;quoniam ſemen ipſius in eo manet,& non poteſt peccare,quoniam ex Deo natus eſt.* Rurſum:*nõ poteſt arbor bona malos fructus facere:* & ex Apoſtolo;*Charitas nunquã excidit:* Has enim omnes Scripturas ſicuti olim partim Pelagiani (vt videre eſt apud Auguſtinum de peccatorũ meritis & remiſſione lib. 2.cap.8.& de natura & gratia.cap.14.) partim Iouinianus (vt apud Hieronymum lib.2.aduerſus eundem) vſurpabãt, vt perfectã in Eccleſiæ membris iuſtitiã abſque vllo peccato ponerẽt,ſic hodie Lutherani vſurpãt vt doceant hominem ex ſola fide iuſtũ peccare non poſſe,ſed partim *totius legis impletionem ſolam fidem eſſe*, vt docet Luthe.in libr.de libertate Chriſtiana,partim *nullam fidem eſſe niſi vbi ſit tota legis impletio , quia fides non eſt quæ ocioſa eſt.* Vt Lutherum poſtea Caluinus & alij correxerunt. Ex quibus conſtat perinde fanaticos eſſe Lutheranos atq; Anabaptiſtas, qui(licet ex alio fonte) vnà cum illis & veteribus Pelagianis,atque Iouiniano hæreticis vera Eccleſiæ membra abſque peccato eſſe docent. Sed citatis Scripturis breuiter reſpondetur. Ad 1.locum reſpõdet Auguſtinus locis iam proximè ex eo citatis,ſed exactiùs contra duas epiſtolas Pelagianorum li.3.cap.3.& lib.de Perfectione iu- *1.Ioan. 3.* *Matth. 7.* *1.Cor. 13.* *Pelagianorum & Iouiniani Argumentis Proteſtantes vtuntur.*

C ſtitiæ prope finem.& hom.50.ex hom.50.quorũ omnium ſumma eſt,Quatenus nati ex Deo ſumus,& filij Dei renouamur de die in diem;ea ſanè innouatione quæ in baptiſmo cæpta eſt nõ perfecta,& quantũ ad hanc peccare nõ poſſumus,quãdiu ſemen gratiæ in baptiſmo acceptæ mãnet. Quatenus autẽ vetere homine nondũ abolito,propter reliquias vetuſtatis manẽtes filii carnis & filij ſeculi ſumus,eatenus ex infirmitate & ignorãtia peccamus : *& ſi dixerimus quia peccatum non habemus,nos ipſos ſeducimus.* Ad 2.locũ reſpõdet Hieronymus loco ſuperiùs citato ex Matt.*Tandiu arbor mala fructus bonos nõ facit,nec mala bonos;quandiu vel in bonitate ſua vel in malitia perſeuerat.* Quãquam ſanè arbor bona,quæ eſt bona volũtas(vt illud Auguſt.perpetuò exponit) habet interdũ fructus malos,nõ bonæ volũtatis,ſed deprauatæ carnis. Sic deniq; charitas nõ excidit propter leuiora iſta carnalis infirmitatis peccata.Nã vt per mortale peccatum amittitur charitas, ſic cum veniali conſiſtit. Quãquam Apoſtolus eo loco de charitate in altera vita permãſura & perficienda,(fide,prophetiis,ſciẽtiis euacuatis,)loquitur. *1.Ioan.2.* *Contra adimantũ, cap. 26.contra Petil. lib. 3 cap. 44.*

Quòd Eccleſia eſt Sancta propter fidem & ſacramenta,non propter vitæ integritatem in ſingulis.

CAPVT XI.

b

X his ergo quæ hactenus disputata sunt, manifestum est Ecclesiæ Sancti- D
tatem, quam in Symbolo profitemur, non in singulorum membrorũ san-
ctitate illa consistere, quæ vel prædestinationem certam adiunctam ha-
bet, vel morum pietatem aut perfectionem vitæ desiderat. Quòd si iam
in qua ergo re illa Sanctitas consistit, scire desideras, quanquam illud ad
præsens institutum non adeo spectet, breuiter & hoc quoque adiiciemus.
Primùm itaque propter fidem Ecclesia sancta dicitur. Est enim non nisi
fidelium congregatio. Et hoc sensu fideles olim quasi proprio vocabulo sancti sunt nuncupa-
Quare Ecclesia dicitur sancta ti, vt propter fidem à cæteris infidelibus hoc nomine distinguerẽtur. Sic & in veteri Testamẽ-
1. Tob. to bonus ille Tobias dixit filio suo; *Filij Sanctorum sumus*: & passim in literis Apostolicis legi-
Act. 9. mus, *Quanta mala fecit Sanctis tuis? Et; quum vocasset sanctos & viduas. Multos Sanctorum in*
Act. 26. *carceribus inclusi. Necessitatibus sanctorum communicantes. Salutate Sanctos. Sicut decet Sanctos.*
Rom. 12. 16. Et similia quamplurima, vbi perpetuò sanctorum nomine fideles intelliguntur: nempe Deo
Ephes. 5. per baptismum dedicati & consecrati, vt veteres loquuntur. Denique nihil aliud in Symbolo
August. de vnico baptis. profitemur, quum cõmunionem sanctorum dicimus, quàm cõmunionem fidelium. Rursum
cap. 9. & de sancta est Ecclesia propter ipsa sacramenta, per quæ Christus eam sibi desponsauit, maximè
bapt. contr. per baptismum, dicente Apostolo, *Christum tradidisse se pro Ecclesia, vt eam sanctificaret, mun-*
Donat. lib. 4. *dans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Nam quod sequitur, *vt exhiberet sibi gloriosam*, &c. alterius
cap. 22. & Epist. 23. generis sanctificatio est, quæ hic quidem inchoatur, & in altera vita perficitur, vt suprà ex Au-
2. gustino ostendimus. Denique si etiam sanctitatem vt vulgò ea accipitur, pro vitæ morũmque E
Ephes. 5. puritate intelligimus; & sic etiam Ecclesia vtcunque malis ac peccatoribus mixta sancta erit.
Etenim vt ipsa Ecclesiæ membra vtcunque sancta ac iusta sunt, verique mandatorũ Dei obser-
3. uatores, culpis tamen & maculis corruptionis carnalis non carent, quum & ipse Paulus de
carnis macula adhuc inhærente conqueritur, & propter quam, *non quod vult bonum hoc agit,*
sed quod odit malum, hoc interdum facit: verè tamen iusti ac sancti tales dicuntur & sunt; sic sanè
totum Ecclesiæ corpus sanctum dicitur, vtcunque partes habeat, non tantum ægras ac mor-
bidas, sed pro tempore saltem planè emortuas, ac putridas. Postremò sancta est, quia Christus
eam sua gratia perpetuò sanctificat, id est, vt sancta sit, suæ bonitatis dona ei incessanter sub-
4. ministrat. Propter hanc autẽ sanctitatem quæ non quidem in singulis Ecclesiæ membris in-
uenitur, in multis tamen est, in eisdemque verè, proprie & perfectè fidelibus, vocetur Eccle-
sia *Corpus Christi* eius spiritu animatũ ad Ephes. 1. dicitur *mundata sanguine Christi* ad Hebr. 9.
est radicata & fundata in charitate, ad Ephes. 2. est *hortus conclusus, fons signatus, vnica columba,*
& amica sponsi. Multa enim in scripturis, adeoque in quouis alio sermone de toto corpore
per synecdochẽ dicuntur, quæ quibusdam tantũ partibus, nõ toti corpori cõueniunt. Quod
sane vel ignorantes, vel dissimulantes hodie protestantes, pro magno argumẽto adferunt, Ec-
clesiam visibilem & militantem, quæ ex bonis & malis constat, non esse Ecclesiã in Symbo-
lo descriptam, vbi sancta vocatur. Imo si Christo placet etiam Catechismum Tridentinũ ne-
Rom. 7. gare, aiunt ecclesiam Catholicam significare cætum visibilẽ, quia significat Corpus Christi,
& cætera supradicta. Ita scilicet manifestam concilij Tridentini mentem eadem audacia per- F
uertunt, qua scripturas ipsas.

Quartus & quintus Error ostenduntur, & tergiuersatio aduersaria circa illos in genere aperitur.

CAPVT XII.

VNC ad duos postremos Errores, qui ex tribus præcedẽtibus cõsequun-
tur, venio. Prior est latentem & occultã esse Ecclesiam: Alter paucorum
illam esse. Prædestinati enim perfecti & iusti pauciores semper numero
sunt, & ab hominibus certò cognosci non possunt. In hac autẽ quæstione
de visibili Ecclesia Dei, mirum in modũ se torserunt & tergiuersati sunt
hodie hæretici. Dum enim visibilis Ecclesiæ iudiciũ refugiunt, vbi aut in
quo se sistãt non inueniunt. Idcirco ante omnia mirabilẽ eorum tergiuer
sationem describã, & fraudes aperiã. Nam ipsorũ hic hæreticorum sentẽtias in lucem profer-
re, est confutare. Móxque de notis Ecclesiæ copiosè disputabimus. Quod ad prius attinet, hæ-
Insignis protestantium tergiuersatio. retici hac in parte nullo modo sibi constant. Etenim cũ contra Catholicos disputãt, Ecclesiã
esse volunt paucorũ atque occultã: ideoque Catholicam dici, quia omnes sanctos per vniuersum
orbem

A orbē latenter dispersos significat, non quia multitudo est bonorū & malorum per omnes gētes in Christi fide & nomine conspicuè diffusa. Hoc enim respectu militantē non Catholicā Ecclesiam vocari volunt. At verò quū contra suæ famæ homines disputāt, vt Lutherus cōtra Sacramētarios, Melāchthō cōtra Stācarum & Illyricū, Caluinus cōtra Seruetū, Vvestphalus contra Caluinū, Beza cōtra Brentiū, & ij omnes cōtra Anabaptistas, tunc ecclesia erit multitudo visibilis & hoc nomine Catholica, idq; duas ob causas: Partim vt sanctorū patrū testimoniis & Ecclesiæ visibilis authoritate aduersarios obruant. Vnde Lutheranos qui in re sacramētaria patrū testimoniis creberrimis vtuntur, vocat Caluinus semipapistas, & ipsi Caluino ac Bezę exprobrāt Trinitarij quòd Deum quemdā Augustinianū faciāt: Partim vt suis conuenticulis, quæ iam in aliquem numerum & magnitudinem excreuerunt, authoritatem vindicent. Cuius quidem rei euidens argumentum est, quòd in prioribus suis scriptis, quum adhuc pauciores essent, apertè docent occultam esse Ecclesiam, vt in Augustana confessione, & in eiusdem Apologia, vbi Ecclesia *sanctorum esse congregatio & vt plurimum tecta cruce* definitur, atque defenditur. Sic ante illud tempus scribens Lutherus contra Erasmum in lib. de Seruo Arbitrio, Ecclesiam vult esse *margaritum absconditum, ne impius videat gloriā Dei.* Cuius vestigiis insistens Musculus, *germanam Ecclesiæ communionem statuit in electis tantùm ac veris fidelibus, qui soli Deo cogniti sunt.* At verò in posterioribus scriptis, cùm iam plures numero esse cœpissent, visibilem esse Ecclesiam volunt. Idcirco Melanchthon in repetitione Confessionis Augustanæ sic Ecclesiam definit: *Ecclesia est visibilis in hac vita cœtus amplectentium Euangelium Christi, & rectè vtentium sacramentis.* Item in locis communibus, *Concedendum*, inquit, *est Ecclesiam cœtum esse visibilem.* Idem denique constantissimè docet in lib. contra articulos Bauaricæ inquisitionis. Magdeburgenses quoque Ecclesiam visibilem esse iisdem verbis definiunt quibus Melanchthon. Similiter Caluinus Ecclesiam vniuersalem definit, *collectam ex quibuscunque gentibus multitudinem oculis conspicuam.* lib. 4. cap. 1. sectione 6. Institutionum. Hunc ergo in modum, modo aiunt, modo negant. Sed quàm varia fraude & quibus euadendi artibus hic vsi sint, quàm fieri poterit breuissimè, ex eorum verbis declarabitur. Nempe etsi omnes visibilem verbo dicant, re tamen ipsa visibilem negant. Imò eò rem deducunt, vt omnem Ecclesiam quæ vt Controuersias de fide diiudicet, nota atque conspicua sit, è medio tollant.

Protestantium Sententia de Ecclesia inuisibili.

Eorundem Sententia de Ecclesia visibili.

B

Omnes Protest. Ecclesi. visibilē negant.

Lutheri inuisibilis Ecclesia, & Tergiuersatio circa illam describendam.

CAPVT XIII.

ATQVE vt à Luthero incipiam, cùm ille *vltra decennium* vt ipsemet scribit in libro de seruo arbitrio, *Authoritate Ecclesiæ sic motus esset, vt incredibile illi videretur illud vnum argumentum superare posse*, tandem tamen sic illud sese superasse putabat, quum Ecclesiam non pro visibili illa & illustri multitudine omnium Christianorum toto orbe, & per omnia tempora dispersorum, non pro tam numerosa serie sanctissimorum Patrum, non pro tot seculorum consensu, non pro Conciliis, Episcopis, Theologis, totáque

C plebe Catholica acciperet: sed in paucis quibusdam latentibus sanctis, & electis, mundo incognitis, soli Deo notis, illam poneret. Ecclesiæ enim authoritatem lectori commendante Erasmo, & asserente, *incredibile esse vt Deus Ecclesiæ suæ Errorem dissimularet tot seculis*, &c. Respondet Lutherus, *Errorem hunc non esse à Deo toleratum in Ecclesia sua aut in vllo suo sancto. Hos autem quos ille vocat Ecclesiam Dei non esse Ecclesiam. Talem enim semper fuisse statum Ecclesiæ Dei toto mundi cursu ab origine sua, vt alij dicerentur populus Dei qui non essent, alij verò inter illos, vt reliquiæ essent, & non dicerentur populus Dei*, ideóque sub patribus & Pontificibus ceteráque multitudine Christianorum quam Catholicam dicimus, *seruasse Deum Ecclesiam suam, sed sic, vt non diceretur Ecclesia, sed diceretur & vocaretur hæretici.* Exemplum enim adfert de Ioanne Huss. condemnato in Concilio Constātiensi, quem cum aliquot aliis piis sui similibus eius temporis Ecclesiam fuisse dicit. Itaque Lutheri sententia est, omnium ætatum hæreticos qui quidem eius dogmatibus aliqua ex parte suffragati sunt, veram Dei Ecclesiam fuisse. Idcirco etiam inter notas Ecclesiæ hanc septimam ponit, vt *vera Dei Ecclesia hæretici vocentur.* Quem in hac parte secuti Magdeburgenses, aiunt; *Veram Ecclesiam ab hypocritis odio haberi, excommunicari, & miris modis vexari.* Huius incredibilis insaniæ hæc, ni fallor, causa est. Animaduerterant Lutherani post iam aliquot annorum stadia, hæreses quas ipsi defendebant, à quamplurimis olim hæreticis defensas fuisse, & in eisdem ab Ecclesia Catholi-

In Diatribā de lib. arb.

Lutheri sententia est, veram Ecclesiam vocari hæreticam.

In tractatū de notis veræ ecclesię tom. 7.

Causa talis Sētentia.

Protestantium Patres.

ca condemnatas : videlicet in Ioanne Huss, in Vvicleso, in Petro Abailardo, in Almarico, in Vvaldensibus, in Albigensibus, in Berengario, in Iconoclastis, in Vigilantio, in Iouiniano, in Pelagianis, in Manichæis, in Donatistis, in Aërio, in Eunomio, reliquisque complicibus. D Quo sanè in loco cùm debuerint palinodiam cecinisse, Ecclesiæ gremio se reddere, olim damnatas hæreses execrari, contra id egerunt, vt hinc fortiora insaniæ suæ argumenta peterent : nempe hos hæreticos veram fuisse Dei Ecclesiam, in his conseruatam fuisse semper, & per omnes ætates Ecclesiam. Quanquam nec hi hæretici per omnes ætates fuerunt, sed totis seculis interiectis; nec quisquam ex his nominatis cum Luthero in doctrina conueniat, sed quilibet eorum aut detestandas præterea hæreses à quibus ipse Lutherus abhorret, amplexus fuerit, aut in quamplurimis cum Catholicis senserit, in iis quæ Lutherus negat : de qua re tota postea plura. Sed nunc quo tandem hanc rem deducat Lutherus, videamus. *Si abscondita est Ecclesia* (vt ipsemet sibi opponit) *quid igitur faciemus? cui credimus? aut quid demum nos certos faciet?* Respondet; *Verbum Dei index est.* Sed quo interprete, cùm de verbo conuenit? aut quo iudice cùm de verbo controuertitur? *Spiritus*, inquit, *diiudicat omnia. Qui Spiritum Dei habet, is & veram Scripturam à falsa discernet, & ipsius scripturæ Germanum sensum assequetur.* At vnde explorabimus hunc spiritum? Siquidem probandi sunt spiritus, an ex Deo sint, & omnes sibi spiritum vendicant. Hic distinguit Lutherus, *duplici iudicio spiritus esse explorandos : vno interiori, quo per donum Dei singulare quilibet certissimè iudicat & discernit omnium dogmata & sensus. Hoc necessarium est* E *cuilibet etiam priuato Christiano.* Hoc etiam vocat *internam scripturæ claritatem*, singulis videlicet Spiritum Dei habentibus reuelatam. Sed hoc iudicium quia priuatum esse videbat, & huiusmodi quod quiuis hæreticus venditare sibi possit, sicuti hodie fanaticos Anabaptistas fecisse ipsemet confitetur; & nos tam innumeras sectas hodie constanter facere scimus : ideóque nihil ad explorationem illam & iudicium spiritus facere, quod ad dirimendas in Ecclesia Controuersias valeat, pergit & dicit. *Alterum iudicium est externum, quo non modo pro nobis ipsis, sed etiam pro aliis certissimè iudicamus omnium dogmata & Spiritus. Hoc iudicium est publici ministerij in verbo, & hoc pertinet ad duces & præcones verbi, quo vtimur, dum infirmos in fide roboramus, vel aduersarios confutamus : & hanc vocamus externam Scripturæ claritatem.* Hæc Lutherus. In quibus verbis videtur sanè præter priuatam illam quorumcunque hominum spiritus venditationem, publicam in Ecclesia potestatem concedere: Episcoporum videlicet, Pastorum, Doctorum ac huiusce modi, & per duces & præcones verbi hos intelligere : vt in diiudicandis spiritibus qui sibi verbi Dei scientiam vendicant, Prælatorum Ecclesiæ iudicio standum sit. Sed ludit lectorem Lutherus, & nihil aliud dicit quàm quod superius dixit. Quod quidem ipsemet satis luculenter prodit, dum subucit; *Sic dicimus scriptura iudice omnes spiritus in facie Ecclesiæ esse iudicandos.* Rationem ostendit. *Nam* (inquiens) *id oportet apud Christianos esse imprimis ratum atque firmissimum; Scripturas sacras esse lucem spiritualem ipso sole longè clariorem* : idque adeo de tota scriptura verum esse vult, *vt nulla omnino eius pars obscura sit*, quod postea copiosè probare nititur. Huc ergo F iterum recidit Lutherus (nequicquam illa data distinctione) vt sola scriptura per se clarissima sit omnium dogmatum iudex, in prædicatione scilicet seu verbi ministerio prolata. Quanquam sanè si per se omnis scriptura clara est, nec ipso verbi ministerio indiget; sed lecta priuatim & inspecta, omnem veritatem apertissimè docebit. At verò quia satis animaduertit Lutherus, non deesse semper, qui resisterent huic tam claræ luci quam in Scripturis ponit & contradicerent, ideóque non posse ex scripturæ claritate probari spiritus, an ex Deo sint, alia rursum distinctione conatur euadere. *Poterunt*, inquit, *resistere vt non persuadeantur confiteri se victos, sed non sic poterunt resistere vt habeant quod contradicant; aut si contradicunt, communi tamen sensus iudicio nihil dicunt.* Ecce per omnia circumactus huc tandem euadit, vt communem sensum faciat arbitrum Controuersiarum omnium. Com-

Infra lib. 3. cap. 7. & 8.

Fraudulenta Lutheri distinctio.

Totum quod de Ecclesia dictum est, in sola Scriptura desinet.

Vltima resolutio Lutheri.

Tota Lutheri Analysis de Iudicio controuersiarum.

1. munem autem sensum vocat iudicium vulgi. Nam exemplum afferens de Pharisæis à Christo conuictis, *sic eos*, inquit, *confutauit vt populus conuictos palam videret, & ipsimet sentirent.* Hæc ergo est tota Lutheri Analysis siue Resolutio. Ecclesia Dei est absconditum Margaritum & apud paucos : idcirco illa controuersiarum iudex esse non potest. Verbum
2. Dei iudex erit, ipso spiritu interprete. Iudicium huius spiritus quæritur : sed eo non inuen-
3. to ad verbum Dei reditur. Illud clarum & perspicuum est : sed quia claritati eius resisti-
4. tur, & contradicitur, supremum rei iudicium penes communem sensum erit & populi
5. arbitrium. Quem quidem communem sensum si alij sibi arrogent æque ac Luthe-

rus,

A rus,(quis enim tandem communi sensu se carere arbitrabitur?)non habet ille vltrà quod dicat,idcóque cum occulta sua & incognita Ecclesia,omnium in Religione Controuersiarum examen,iudicium, & exitum occultum planè facit, atque incognitum, idcóque nullum. Denique eò rem deducit, vt sicut ante, monuimus, omnem planè Ecclesiam è medio tollat, paritérque omnem Religionem quæ sine Ecclesia quam in Symbolo profitemur, nulla est. 6.

Nullum est certum iudicium cōtrouersiarum ex Lutheri doctrina.

Melanchthonis inuisibilis Ecclesia & fraudes eiusdem circa illam describendam.

CAPVT XIIII.

SED ad alios veniamus, qui maiori fraude rem tractant. Nempe cum secreto consilio(vt refert Fridericus Staphylus)actum esset inter protestantes, Ecclesiam deinceps visibilem esse censendam, mox in omnibus eorum scriptis visibilis definita est. Sed id duplici fraude. Vult enim Melanchthon, vt ab illo incipiamus, Ecclesiam esse, *cœtum conspicuum fidelium,cui quidem cœtui te adiūgere oporteat,* non sic tamen,vt ab illo cœtu veram doctrinam haurias, sed à paucis quibusdam illius cœtus hominibus, sanè ignotis atque occultis veritatem discas. Atque hæc est prima fraus. Altera fraus est, vt non Catholicam Christianorum multitudinem pro huiusmodi cœtu agnoscas, sed illam paucorum societatem,quæ notas seu signa habet ab ipsis constituta,de quibus suo loco agemus.Quod ad priorem fraudem attinet,sic illam prodit Melanchthon. *In cœtu*, inquit, *vocatorum,certò scias aliquos electos esse, & ad hunc cœtum te adiungito in doctrina & oratione.* Hæc ille in repetitione confessionis Augustanæ, Concilio Tridentino exhibenda anno 51. Nempe ab his electis in illo cœtu veritatem vt discas,vult. Id quod apertè in locis communibus posterius editis docet.*Vult*(inquit deus)*Ecclesiam suā non prorsus abditā in latebris & ignotā,sed vult eam exaudiri, vult agnosci.Nam illi dedit Pastores & Doctores:& de visibili cœtu scriptum est,Dic Ecclesiæ.*Rectè hæc omnia.*Sed*(inquit)*videndum est hic qui sint membra huius visibilis Ecclesiæ.* Nempe secundum illum soli sancti & electi. Hæc ergo prima fraus est,qua Episcopos & Ecclesiæ prælatos quoslibet,qui vulgi iudicio parum sancti videbuntur,excludere liceat.*Deinde*,inquit,*nec hoc recipiendum est maiorem partem suffragiorum anteferendam esse.*Hæc altera fraus est,qua Cōciliorum & Synodorum omnium Decreta conuelluntur,vbi plurium Patrum suffragiis ambigua veritas definitur. Superest igitur vt veteri ratione conuulsa, nouam iste aliquam,eámque certiorem & solidiorem tradat. Vidit ipsemet hoc necessariò postulari. Proinde ait; *Quis igitur erit iudex,quando de Scripturæ sententia dissentio oritur, quum tunc opus sit viua voce dirimentis* Controuersiam? Hic expectamus,vt dextrè rem expediat.*Respondeo*(inquit)*ipsum Verbum Dei est iudex.* Sed quia hoc mutum esse sciebat,addit; *Et accedit confessio veræ Ecclesiæ.* Hoc amplius dicit quàm Lutherus.Sed quænam hæc vera est Ecclesia?Subdit. *Semper enim sequuntur verbum tanquam iudicicem aliqui pij,& confessione firmiorum adiuuantur infirmi. Hoc modo dirimuntur Controuersiæ de doctrina.* Hæc ille. Vides ergo quò res redacta sit. Scilicet visibilis Ecclesia quam ponit,sunt aliqui pij & firmiores quos cæteri sequuntur. At vnde hoc ipsum nobis cōstat, qui tandē sint illi verè pij & firmiores? Ponamus,quod sæpissimè fit, maiorem partem,imo omnes his piis contradicere,non fidem habere,&c. Quis Controuersiæ finis? Vidit hoc inconueniens Melanchthon,& miserè respondet. *Hoc cum fit*, Deus,inquit,*Ecclesiæ vindex dirimit tandem Controuersiam & delet blasphemos.* Idem prorsus & quidem accuratè docet in comment.in 1.ad Tim.3.Finis ergo Controuersiarum iuxta Melanchthonem.i. iuxta omnes Saxonicas Ecclesias, est diuina vindicta & iudicium Dei, sicuti iuxta Lutherum communis sensus & iudicium populi. At verò si Melanchthoni credimus, *Ecclesia vera plerumque fuit, est, & erit subiecta cruci*: & congeruntur à Magdeburgensibus multæ Scripturæ, vt ostendant Ecclesiam veram Dei, *esse perpetuo sub cruce.* Ergo secundum illos Deus non delet blasphemos sed Pios. Loquitur enim de illa dei vindicta contra blasphemos,quæ in hac vita tēporaliter exercetur; nō quæ in futura vita sempiternè infligitur. Vides igitur futilem & vanā hanc esse euasionē,omniáque eò recidere, vt Ecclesiā seu cœtum illum Piorū qui dirimere Cōtrouersias deberet,occultā & incognitā statuat. Idcirco mox eodē in

Margin notes, top to bottom:

Apolog. prioris part. 1.
Duplex protestantium fraus in visibili Ecclesia constituenda.
1.
2.
B
Melanchthonis fraudes in visibili quam ponit ecclesia, aperiuntur.
1.
2.
C
3.
4.
Melanchthonis visibilis Ecclesia sunt aliqui pij & firmiores.
Vltima resolutio Melanchthonis.

loco hanc postremam conclusionem facit. *Non talia sunt*, inquit, *iudicia Ecclesiæ, qualia sunt iudicia politicorum. Nam in politicis aut Monarcha solus Authoritate sua pronunciat, aut in senatu valet sententia maioris partis* (quibus verbis Romani Pontificis & Conciliorum iudicia taxat) *sed in Ecclesia valet sententia congruens cum verbo Dei & confessione Piorum, siue sint plures, siue pauciores impiis.* Hæc ille. Sed qui sunt iuxta Melanchthonem pij, siue plures sint, siue pauciores, nec ipse, nec quisquam alius certò scire potest. Imò eius est constans doctrina, *Ecclesiam in suis membris occultam esse, innotescere autem per veram doctrinam.* Quare quòd semper adijcit verbo Dei, *confessionem Piorum, confessionem veræ Ecclesiæ, iudicium firmiorum*, mera est euasio; vt Ecclesiam videatur visibilem ponere, & aliquem tandem exitum in dirimendis Controuersiis inuenire. Hos enim pios & firmiores, non datos a Christo Ecclesiæ suæ pastores & doctores, in opus ministerij, verè pios & spirituales viros vult intelligi Melãchthon; sed nouæ suæ doctrinæ assertores, à nemine missos, à seipsis ordinatos, intelligit. Quod vt ille de suis, ita vnaquæq; secta de sectæ suæ complicibus affirmat. Sed conclusio ista & misera tergiuersatio Melanchthonis, in exemplo quod adfert clarius elucescet. *Ita* (inquit in locis cõmunibus) *Veteres damnarunt Paulum Samosatenum, & deinde Arrium. Iudex erat verbum Dei, id est, testimonia ex Euangelio. Sed multum adiuuabantur infirmi in pronuncianda sententia confessione firmiorum, scilicet eorum quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ.* Hæc ille. Sed si quis hic à Melanchthone quæreret, quomodo constabat fuisse illos fideles custodes doctrinæ, de quibus hic dicit hoc constasse, plane quod respondeat nõ habet. Neque enim hoc de vno aut altero constare vnquam potest, nisi per reuelationes quas isti homines irrident. Sed de tota Ecclesia, vel de prælatis Ecclesiæ legitimè congregatis optimè constat. Et quidem tales fuerunt qui contra Samosatenum & Arrium pronunciarunt. Episcopi erant in Synodo congregati: contra hunc Niceæ trecenti octodecim Episcopi sub Constantino magno, contra illum Antiochiæ maximo etiam numero vt narrat Eusebius. Fuit hoc ergo aut fraudulenter, aut ignoranter à Melanchthone factum, vt quod ab Episcoporum iudicio decretum est, id paucis piis tribueret. Quam sane ob causam tacuit prorsus quòd Episcopi essent. Imo in actis Ratisponẽsibus, capite de Ecclesia, hoc exemplum adferens de damnatione Samosateni: *conuenerunt*, inquit, *vicini*. Quasi non Episcopi & Ecclesiæ prælati, sed nescio qui boni viri, vicini videlicet ipsius Samosateni, eum condemnassent.

Hist. Ecclef. lib 7 cap. 22. & sep.

Dolus malus Melãchthonis.

Caluini fraudes in describenda Ecclesia visibili aperiuntur.

CAPVT XV.

AD Caluinum nũc venio, qui pari scelere quo Melanchthon & Lutherus, sed maiori fraude rem tractat. Etenim profitetur apertè, acturus de Ecclesiæ regimine, ordinibus, potestate, *de Ecclesia visibili se agere* libr. 4. cap. 1. Institut. §. 1. & 2. fatetur quoque §. 3. *articulum Symboli ad externam Ecclesiam aliquatenus pertinere: idque eam ob causam, vt se quisque nostrum in fraterno cõsensu cum omnibus Dei filiis contineat, Ecclesiæque deferat quam meretur authoritatem.* Deinde paragrapho 5. rationes multas ex Scriptura tum veteri tum noua adfert, quibus doceat. *Deum perpetuò externo regimine & hominum ministerio populum suum in his quæ ad Deum pertinent instituisse.* Denique paragrapho 9. visibilem Ecclesiam quibus notis & signis conspicua reddatur demonstrat. Sed cùm de huius Ecclesiæ potestate & iudicio disputat cap. 8. paragrapho 2. eò rem deducit, *vt solum ac purum scriptum Dei verbum omnem doctrinam definiat & Controuersiam dirimat.* De confessione seu testimonio, seu interpretatione verè Ecclesiæ verbum non dicit sicut Melanchthon fecit, nec de spiritu sicut Lutherus: sed ne suam inuisibilem prodat Ecclesiam, id totum tacet: & in solius scripti verbi ministerio totam doctrinæ administrationem ponit. Secus tamen facere videri vult. Ait enim §. 12. cap. 8. *quòd veritas in mundo non extinguitur, id fit, quòd fidelem habeat custodem Ecclesiam, cuius opera & ministerio sustinetur. Atqui hæc custodia in ministerio prophetico & Apostolico sita est, indéque tota pendet, si verbum Dei fideliter conseruetur, suámque puritatem retineat.* Quibus in verbis ministerium quidem Ecclesiæ tribuit, sed huiusmodi quod in solo verbo consistat. De iudicio autem ipsius Ecclesiæ in re dubia & cõtrouersa prorsus tacet, ne in illas angustias cogeretur in quas ante se Lutherum

Caluinus agnoscit Ecclesiã visibilem.

Caluinus controuersia iudicium in sola scriptura ponit.

Ecclesiæ tamen totum tribuere videri vult.

D E F

A Lutherum & Melanchthonem deductos vidit. In proximo verò cap. de Conciliis agens, pro-
pius paulò ad rem accedere videtur. Primum enim § 5. *inter Pastores qui verbum Dei tractant*
& interpretantur delectum esse vult, ne qui dicuntur, esse quoque Pastores, continuò existimentur.
Hoc est quod Melanchthon dixit, *videndum esse qui sint membra veræ Ecclesiæ.* Quibus verbis
Episcopos & Prælatos (sicut ille) eos admittit quos libet. Deinde monet paragr. 8. *vt non nume-*
rentur, sed appendantur sententiæ: quod aliis verbis dixit Melanchthon, *non esse plurium suffragiis*
rem discernendam. Hucusque cùm rem deduxisset, vlteriùs non progreditur: sed rem totam,
vt prius concludit, ex solo Dei verbo iudicium pendere. Nam paragrapho 12. indefinita pro-
positione sic rem absoluit. *Nulla conciliorum, pastorum, Episcoporum nomina impedire, quo minus*
omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus. Laudat quidem postea paragraph. 13.
Episcoporum Synodos, & pastorum conuentus. *Sed meminerimus*, inquit, *non omnibus seculis*
vel locis haberi Athanasios, Basilios, Cyrillos, & similes veræ doctrinæ vindices. Quibus verbis in-
dicat deserti Episcopos posse priuato iudicio & spiritu. Hoc enim illud toties repetitum sonat
Ad diuini verbi Regulam exigamus. Et Rursum: *Verbo domini examinemus.* Denique (vt apertè
dicit) *Chalsedonenses ac Ephesinos patres in iudicando sequimur, vt verbum Dei quod illis præluxit,*
nobis quoque præluceat: id est, si propriè loqui velit, nobis placeat. Postremò paragrapho 14. pro-
ponit quidem quasi nobis obiicientibus, *ea quæ Ecclesiæ authoritate sancita sunt, pro scripturæ in-*
terpretatione habenda. Huic quidem non respondet, sed ironicè addit: *neque id modò, sed si quid*
reclamante scriptura statuerit concilium, interpretationis habebit nomen. Quod conuitium est, non Caluinus nullos
B responsum. Ad Controuersiæ punctum non venit, vt ostendat visibilis quam dicit Ecclesiæ ostendit visibiles
visibiles dogmatum iudices & interpretes verbi Dei. Huc ergo tota Caluini visibilis Eccle- Cõtrouersiæ iudices.
sia recidit, vt quicquid Pastores, Episcopi, Concilia. & externi ministri Ecclesiæ statuant, li-
ceat tamen priuato iudicio ab illis recedere, si verbum Dei aliter dicat, id est, si quis verbum
Dei aliter intelligat. Nam Conciliis ipsis vide quantulum tribuat. *Concilij*, inquit, *Definitio sit*
instar præiudicij: ita tamen vt examen non impediat: id est, vt liceat cuiuis qui sibi sciolus videbi-
tur, Concilij decreta pro suo arbitrio examinare. Postremò vt certò scias quicquid de visibili
Ecclesia Caluinus garrit, tamen ex eius sententia non nisi inuisibilem illam esse, aduertendum
est quòd iis ipsis in locis, quibus visibilem asserit, admiscet, & interponit perpetuò, *de inuisibili*
& Arcana iustorum Ecclesia, cui sanè hoc tribuit, *vt de illa potissimum articulus Symboli intelli-*
gatur, & vt illa sola sit quam credere nos profitemur. Denique, *illam solam esse quæ perpetuò durat*
& nunquam errat. Deus enim (ait) *mirabiliter Ecclesiam suam quasi in latebris seruat.* Postremò, *in*
illius vnitatem qui inserti non sunt, necessariò perire. Hæc omnia inuisibili tribuit Ecclesiæ. Nam
cùm hæc omnia enumerasset cap. 1. paragrapho 3. subiicit; *Ad amplexandam eo modo Ecclesiæ*
vnitatem, nihil opus est Ecclesiam ipsam oculis cerni. Quamobrem quòd aliam ponit visibilem
quæ Ministros, Pastores, & Episcopos habeat, mera euasio est. Non enim in illis, vt iam osten-
dimus, veritatis doctrinam ponit, sed in priuato iudicio & examine vniuscuiusque iuxta ver-
bum Dei. Summa ergo est non minus Caluinum quàm cæteros inuisibilem statuere Eccle-
siam, & incertum (quia priuatum) de rebus Controuersis iudicium: maiori tamen fraude & Caluiniana Doctrinæ astutia
C astutia id facere quàm cæteros. Quam eius doctrinam sibi ipsi repugnantem, & modo aientē Pestilens.
modo negantem, ne quis technarum Caluinicarum imperitus multum miretur, obseruandū
est hoc Caluino in singulis propemodum dogmatibus in quibus ab Ecclesia dissentit, propriū
atque perpetuum esse, vt prima quidem disputatione, sententiam orthodoxam aut re vera tra
dat aut rectè tradere videatur, quo lectorem Catholicum & auitę fidei auidum pelliciat: mox
verò proprio veneno asperso, idem nihilominus multo fuco obtegere, multis elabendi arti-
bus colorare & excusare conetur. Quod certe dum facit, aut sibi ipsi manifeste contradicit
(quod sæpissimè fit) aut suam impietatem magis prodit, quod aliquando contingit. Hoc ita
se habere, pestilentissima eius doctrina circa causam peccati in deo, quem & velle, & facere,
& decernere ac denique destinare peccata omnia quæ fiunt, impiè docet Institut. libr. 1.
capit. 17. sect. 6. & 7. cap. 18. sect. 1. & 2. lib. 2. cap. 4. sect. 2. & sequen. lib. 3. cap. 23. sect. 1. & 4. item
eiusdem doctrina contra iustitiam operum lib. 2. cap. 2. 3. 11. & 16. aliaque multa doctrinæ ca-
pita in eodem opere ab eo tractata vel deprauata potius diligenti lectori manifestum fa-
ciunt.

Vuirtembergensium descriptio.

D

CAPVT XVI.

ANDEM planè tergiuersationem videre est in confessione Vuirtembergensium Concilio Tridentino exhibita:anno 52. Cùm enim Ecclesiam visibilem esse definiuissent, & eius iudicium in rebus omnibus copiosè probassent, postea cùm de Conciliis agunt, se produnt: *esse enim in Conciliis sæpe numero paucos electos, & meliorem partem vinci à maiori, ideóque ipsa sæpe errare & eorum sententias examinãdas esse*: ex quibus omnibus necessariò sequitur nullam Ecclesiam esse visibilem, nec vllum relinqui certum de rebus iudicium, sed ex priuato arbitrio vniuscuiusque qui sibi spiritum venditabit, omnia pendere. Vbi obiter sed diligenter nota, quòd in hac tota Lutheri, Melanchthonis, Caluini, & Vuirtembergensium disputatione, exitus omnis Controuersiæ non est obedientia sed electio; id est, non fides sed hæresis. De qua quidem re postea plura. Rursum obserua, quòd quemadmodum de Cælestio Pelagiano scribit August. lib. 2. cap. 18. de peccato originali, *quòd per latebras ambiguitatis falsitati præpararet refugia, ita vt etiã nos* (ait Augustinus) *cùm primum ea legimus, certa vel correcta propemodum gauderemus, sed per latiores disputationes eius in libris suis vbi se aperire compellitur, sententiam suam prodidit*; sic de nominatis hæreticis dicere possumus, eos quidem latebras quærere falsitati, dum Ecclesiam verbo visibilem docent. Sed postea latius scribendo suam sententiam incautos prodere. Non dissimiliter ab Eunomio hæretico factum legimus. Scribit enim Basilius lib. 1. contra eundem, quòd *cùm Patrum fidem summis laudibus extulisset, eandem post pauca turpissimis probris affecit.* Atque hæc hactenus de prima eorum fraude, qui Ecclesiam Christi visibilem esse verbo aiunt, reipsa negant, & in eisdem plane tenebris cum Luthero Ecclesiam constituunt: illam inquam Ecclesiam, quæ de dogmate controuerso iudicare, quæ fidei doctrinam tradere, confirmare, & suis explicare debet, cuius communionẽ tenere & decretis obtemperare oportet. Ne videlicet dum quandam militantem & visibilem agnoscere se dicunt quæ ex bonis & malis constet, quæstioni de Ecclesia satisfecisse videantur: quasi duæ essent Ecclesiæ Christi aut plures, vel alia in terris esset Ecclesia quàm cuius communionem tenere, quam audire, cui obedire fideles omnes debent.

Lib. 8. cap. 10. & 14.

E

De notis Ecclesiæ quas ponunt hæretici.

CAPVT XVII.

ALTERA fraus nunc aperienda est multò sane perniciosior: nempe non ipsam Catholicã Christianorum multitudinem pro huiusmodi visibili cœtu qualis est Ecclesia, habendam esse: sed eam demum societatem quæ notas illas & signa habeat, quibus illi discerni Ecclesiam Dei ab hæreticorum conuenticulis docẽt. In his autẽ notis assignandis, nec inter se, nec sibi ipsis conueniunt. Lutherus Patriarcha cæterorum omnium, septem ponit Ecclesiæ notas tomo 7. in tractatu de notis veræ Ecclesiæ. Primam notam ponit in verbo Dei his verbis: *vbicunque verbum Dei prædicari, credi, lucere in confessione, vita, & moribus exprimi audis, vides, ibi certo statuas esse veram Ecclesiam sanctam & Catholicam, vtut sit exiguus cœtus.* Secundam ponit Baptismi sacramentum. Tertiam, Eucharistiæ sacramentum. Quartam, claues Ecclesiæ. Quintam, Ministerium verbi. Sextam, Orationes publicas, vt orationis Dominicæ & Psalmorum cantus publicos. Septimam, *persecutiones & afflictiones pati, excõmunicari, vocari hæreticos.* Hoc enim totũ vocat *mysterium sanctæ Crucis*: *Et hæc*, inquit, *sunt septẽ, vellẽ dicere septem Sacramẽta, nisi aliter iam vsus obtineret.* Sed has septẽ notas ad quatuor redigunt Magdeburgẽses, vt ex prima Lutheri duas faciant, *verbum Dei prædicatũ & verbum Dei lucens in confessione*: tres medias in vnam coarctant, legitimum scilicet sacramentorum vsum, siue illa tria, seu plura aut pauciora sint. Hoc enim tutius putarunt, quia de numero sacramentorum adhuc inter protestãtes non conueniebat, ac ne nunc quidem cõuenit. Quarto & vltimo loco ponũt ministeriũ verbi & obedientiam erga idem. Sextam & septimam Lutheri penitus reiiciũt. Iam enim cùm florere eorum hæreses cœpissent & habere patrocinia Principũ, aliorum autem sectę persecutionẽ paterẽtur, vt Svvingliani, Anabaptistæ,

F

Lutherus ponit 7. notas Ecclesiæ.

Magdeburgenses ponunt 4.

A & Suenckfeldiani, mysterium illud sanctæ Crucis. quod Lutherus ita deosculatur, amplius nota esse non potuit. Sed nec iste numerus diu placuit aut omnibus. Itaque tria signa ponit Melanchthon, in responsione ad articulos Bauaricæ inquisitionis. Doctrinam Euangelij incorruptam, vsum sacramentorum legitimum, & obedientiam ministerio debitam. Lux illa confessionis quam post Lutherum retinent Magdeburgenses omittiturrco sane cõsilio quod obscurius iam esse capit Lutheri χαρακτηριστικόν nouis subinde sectis exorientibus, & Lutheri nomen penitus obliterantibus. Sed nec hæ tres notæ diu placuerunt. Illa enim obedientia ministerio debita, nimis politica visa est, magisque ad Catholicæ Ecclesiæ Normam & faciem accedere, à qua illi, quàm longissimè suam differre voluerunt. Idcirco vtcunque molliores Lutherani Vvitembergenses etiam hodie illam tertiam notam retineant, vt suos docuit Georgius Maior in Thesibus anno. 1570. editis: expositione 117. & Philippus de Mornay Caluinista hanc quoque tertiam admittat, quanquam vt externam quandam notam non vt essentialem, & ipse Melanchthon passim alibi, vt in repetitione Confessionis Augustanæ & in locis communibus, & post illum Caluinus, Instit. lib. 4. cap. 1. paragraph. 9. atque Vvirtembergenses in sua confessione, denique hodie omnes fere protestantes duas tantum veras atque legitimas Ecclesiæ notas esse volunt: scilicet *puram Euangelij prædicationem*, & *rectum sacramentorum vsum*. Sic nihil isti homines certum aut constans hac in re tradere potuerunt. Obserua autem hic diligenter quòd in tanta notarum varietate, nemo eorum, aut vnius, aut sanctæ, aut Catholicæ aut Apostolicæ meminerit; quum tamen Symbolum Constantinopolitanum hæc omnia apertè complectatur. Soli Interimistæ in comitiis Augustanis anno 48. duabus postremis notis addiderunt; *vnitatem quæ in Charitate & pace consistit, & Catholicum consensum per*
B *omnia orbis loca & tempora*. Sed hoc in illis grauiter reprehendit Musculus in locis communibus, & est à cæteris omnibus Protestantibus explosum: nominatim à Melanchthone & Saxonicis omnibus Ecclesiis (vt se vocant) in actis Ratisbonensibus: Illiricus quidem inuocationẽ & Charitatem cæteris Ecclesiæ notis adiunxit in caput 2. Act. cui & victorinus Strigelius subscribit Comm. in Psal. 109. quod ad inuocationem attinet. Neuter tamẽ consensum illum Catholicum vult agnoscere.

Melanchthon ponit 3. Notas.

Reliqui protestantes 2 notas tantum ponunt.

Detectio fraudum quibus circa has notas vsi sunt aduersarij.

CAPVT XVIII.



SED nunc qua fraude has solas duas notas omnes tandem retinuerint, explicandum est, pariterq; non esse has veras & perpetuas Ecclesiæ notas demonstrandum. Primùm cùm puram doctrinam, & rectum sacramentorum vsum dicunt, non omnem huiusmodi intelligere volunt; sed præcipuas puræ doctrinæ partes, & quæ ad fundamentum religionis pertinent. Idcirco quoties has duas notas Ecclesiæ ponunt, cautè & diligẽter addũt: Non omnem veræ doctrinæ corruptelam, aut sacramentorum abusum veræ Ecclesiæ rationem tollere. Sic Lutherus. *Ecclesiæ, inquit, est verbum Dei, licet id aliàs magis, aliàs minùs purè doceatur.* Sic Melanchthon. *Ecclesia ad Euãgelium Dei alligata est, vt sonet in ministerio rectè docen-*
C *tium, etiam si inter hos alij plus, alij minus lucis habeant.* Hoc enim esse ait, Lutherum secutus, *ædificare fœnum & stipulam super fundamentum.* Sic denique Caluinus: *Poterit, inquit, vel in doctrinæ vel in sacramentorum administratione vitij quippiam obrepere, quod alienare nos ab Ecclesiæ communione non debeat* Institutionum libro 4. capite 1. paragrapho 12. Quam illi omnes cautionem variis de causis adhibent. Primùm vt sectæ omnes præter solam Catholicam, quæ nunc est, veræ Ecclesiæ nomine censerentur. Sic Brentius homo Lutheranus scribens contra Bullingerum. *Non damno, inquit, Ecclesias Svvinglianorũ, sed damno perniciosum eorum dogma.* Quomodo autem dogma damnat, & Ecclesias tale dogma tenentes non damnat, nisi quòd Ecclesiam vult agnoscere, vbi tamen aliqua est doctrinæ corruptela? Recenset quoque diligẽter Theodorus Besa homo maximè Caluinianus, scribens contra eundem Brentiũ, nunquam sic Lutheranorum præcipuos ab illis dissensisse, vt non eos pro fratribus agnoscerent. Nempe hic erat ille Syncretismus & mutua dissimulatio, quam foueri inter omnes sectas suasit Melanchthon in libello contra Staphylum, vt tanto fortiùs contra Catholicam Ecclesiã omnes vnanimiter conspirarent. Fuit hæc eorum prima fraus, quæ tamen diu non successit: acerbioribus nunc odiis ipsis inter se confligentibus, quàm cum ipsa Catholica.

Prima fraus.

Nota.

Tom. 7 in tract. de notis ecclesiæ.

In locis communibus.

Causa huius fraudis.

I. In fine libelli de dispensatione corporis & sanguinis domini.

Syncretismus protestantium.

2. Fraus.

2. Fraus.

Deinde alia fraudis huius causa erat, vt cùm Ecclesiæ veteris Authoritate vrgentur, patrum D scilicet antiquissimorum; hac ratione euadant, vt dicant *eos quidem Ecclesiam Dei fuisse, quia fundamentum tenuerunt; tamen stipulas huic fundamento superædificasse, habuisse suos næuos, omnibus aliquid contagij aspersisse consuetudinem sui seculi*, quum (verbi gratia) de inuocatione sanctorum, de reliquiarum veneratione, de votis monasticis & similibus disputarent. Sic enim de S. Basilio, S. Ambrosio, Epiphanio, Augustino, Bernardo nominatim asserit Melanchthon, & de aliis multis quos non nominat. Hæc sceleratissima fraus est: vt scilicet ad eorum arbitrium Ecclesia Dei vel simus vel non simus, cùm pro eorum arbitrio ad fundamentum & capita & præcipuos articulos fidei ea pertinebunt, quæ ipsi pertinere iudicabunt, sicuti de cœna Domini iudicant Caluinistæ *rem tanti momenti non esse, quin dissentientes à Lutheranis, pro fratribus tamen eorum haberi debeant*: vt scripsit Theodorus Besa in libello contra Brentium: & Petrus Martyr in epistola ad Argentoratenses, & Apologia Ecclesiæ Anglicanæ. Contrà mordicùs tenēt Lutherani, nec eos vnquam pro fratribus agnoscere voluerunt: sicuti probat contra Bullingerum Swinglianum Io. Brentius Lutheranus ex publicis testimoniis ipsius Lutheri, Melanchthonis, & ex historia Io. Lauatheri de re sacramentaria.

Eusio protestātium quo ad primæ Ecclesiæ Scriptores.

In locis commu. in tit. de Eccl.

Vbi supra.

3. Fraus.

Tertiò ideo hoc temperamentum suis duabus notis addunt, vt solam Catholicam Ecclesiam quæ nunc est, ab Ecclesiæ titulo repellant. Mox enim, vbi has notas posuerunt, inferunt: At manifestum est apud papistas & omnem veram doctrinam obliteratam esse, & sacramentorum vsum corruptum. Vbi insigni contumelia & fallacia, quam petitionem principij Dialectici vocant, ponitur pro manifesto quod in quæstionē vocatur, & in quo status totius Controuersiæ versatur. Qua etiam in re vide quam sibi ipsis repugnanter agant. Quæ enim in nobis vocant & iudicant esse omnem veræ doctrinæ & sacramentorum corruptelam, ipsiusque fundamenti euersionem, eadem in patribus pro fœno & stipulis habent, & ferenda ac tollerenda putant: ne videlicet veterem quoque & primitiuam Ecclesiam damnare viderentur. Ista enim omnia quæ illi in nobis damnant, nos ex patribus & illa prima Ecclesia locupletissimè probamus. E

Protestantes sibi ipsis cōtrarij.

4 Fraus.

Quartò, ideo in vera doctrina næuos & stipulas patiuntur, vt cùm contra sanam doctrinam docuisse à Catholicis conuincuntur, hâc euadant, vt dicant nihil se contra fundamentum Religionis docere, sed in re indifferenti & quæ ad salutem adeò non pertineat, dissentire. Quam fraudem in Pelagio & Cælestio hæreticis copiosè & diligenter notat D. Augustinus; *Volentes*, inquit, *hæreseos astutè inuidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem: vt videlicet si in ea fuerint exorbitasse conuicti, non criminaliter, sed quasi ciuiliter errasse videantur*. Hæc ille. Est autem hæc pars pestilentissimi cuiusdam Atheismi, ac passim hodie regnantis ipsissima radix. Hinc enim emersit illa multorum hodie satanica persuasio, in vnaquaque secta & religione saluari homines posse, vbi retinetur fundamentum fidei. Quin & Philippus de Mornay in libello de Ecclesia cap. 2. docet puræ quidem Ecclesiæ notam esse sanā doctrinam: sed ad hanc puritatem satis esse vt puncta doctrinæ capitalia seu fundamentalia rectè doceantur: non deesse enim etiam in puris Ecclesiis, tam errores in doctrina quàm vel in politia abusus vel in moribus corruptelam.

De peccato orig. lib. 2. cap. 22.

In vera ecclesia semper est doctrinæ plena integritas.

Quare non fraus tantùm hæc est, sed etiam perniciosus error, in Ecclesia Dei non semper F puram ex omni parte esse doctrinam. Etenim vt concedamus, doctissimos in Ecclesia viros suis non carere interdum næuis, hallucinari in quibusdā, (sicuti in Rebaptisandis hæreticis doctissimum Cyprianum) & esse de illorum numero, de quibus Apostolus dicit: *Si quid aliter sapiunt, Deus illis reuelabit*, tamen ab vniuersa Ecclesia Dei vnanimi consensu, nunquam error aliquis cōtra sanam doctrinam aut approbatus, aut toleratus, & dissimulatus fuit. Quod adeò verum est, vt scripserit S. Hyeronimus, *etiam propter vnum verbum aut duo quæ contraria sunt fidei, multas hæreses eiectas fuisse ab Ecclesia.* Imò dicit Gregorius Nazianzenus, (vel S. Ambrosius inter cuius volumina idem tractatus ad verbum repetitur) *nihil periculosius his hæreticis esse, qui cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo quasi veneni gutta vnam ac simplicem fidē inficiunt*. Rursum vt demus multa huiusmodi esse de quibus liberè in alterutram partem sentire liceat; & in quibus vnusquisque in sensu suo abundat; nec ad fidei quæstionem pertinet, sic an secus se res habeat; qualia multa recenset Augustinus loco iam citato contra Celestium & Pelagium, tamen ab iis quæ semel ab Ecclesia Dei vnanimi consensu approbata & vsu recepta sunt, ne quidem in re minima recedendum est: vnde dixit tyranni Valentis præfecto S. Basilius; *Eos qui in sacris literis eruditi sunt, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinere, sed pro illorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus oppetere paratos esse.* Et hoc

Philip 3.

In Apolog 3. contra Ruffinum.

In tractatu de fide.

Theodoretus hist. eccl. lib. 4. cap. 17.

A nomine laudat Augustinus Ecclesiæ Catholicæ sapientiam, *quod paria sacramenta celebrantes tamen quia sententia dispares sunt & errores suos animosius defendunt, à sua communione excludit*. Propterea quoque huiusmodi esse verè Orthodoxum idem describit Augustinus, *qui licet ex parte carnalis sit, & ad plenam verum intelligentiam nondum venerit, tamen vt ab vnitate corporis Christi non recedat, regulam fidei pusillis magnisque communem in Ecclesia perseueranter tenet; & in quod peruenit, in eo ambulat, & cogitationes suas carnales non dogmatisat*. Hæc obiter admonẽda fuerunt, tum vt intelligas protestantes omnes, etsi veram Euangelij doctrinam sic extollant, vt eam certissimam Ecclesiæ notam esse velint, tamen eos in hoc ipso, & veræ doctrinæ, & ipsi Ecclesiæ plurimum derogare; hæresibúsque omnibus fenestram aperire, dum næuos, fœnum, & stipulas falsæ Doctrinæ in ea patiuntur ab Ecclesia tollerandas: tùm etiam vt perniciosum errorem sub hac fraude contectum diligenter caueas. Sicuti enim omnis virtus ex tota causa est, nec vel bona aliqua est actio quæ non bene fit, vel bene fieri potest quod ex se bonum opus non est: ita vel maximè fides qua deum colimus, qua & saluari & iustificari coram deo volumus, debet omnino esse integerrima, nulla de deo, aut rebus diuinis falsa opinione imbuta: vtcumque de rebus extra fidei regulam positis aliter sentire quàm veritas habet,

B damnabile non sit.

De vera Religione, cap. 5.

Epist. 57. ad Dardanum.

Confutatio notarum in quibus tandem Conueniunt aduersarij.

CAPVT XIX.

LIA principalis causa quòd has duas tantummodo notas Ecclesiæ retinent, est, vt & Lutherani & Caluiniani, & Anabaptistæ, & quæuis alia hæreticorum secta, se pro Ecclesia venditare apud rudem plebeculam possit: non quòd apud hos omnes hæ duæ notæ reperiantur (nam ab vtraque omnes quàm lõgissimè absunt) sed quia has duas notas & illi, & quiuis præterea hæreticus apud indoctos prætexere possit. Omnes enim hæretici ab ipsis Ecclesiæ incunabulis apud se esse veram Euangelij doctrinam, & rectum sacramentorum vsum clamitarunt. At verò tales esse debent Ecclesiæ notæ, quas hæreticus ne prætexere quidem probabiliter posit. Alioqui nulla erit Ecclesiæ certitudo, quæ tamen (quia illam nos credere in Symbolo profitemur, & Ecclesiam cognoscere totius est disciplinæ Christianæ principium, aditus, & via, fundamentum quoque & firmamentum primarium) omnibus certissima & perspicua esse debet. Atque hæc prima est ratio, quare hæ notæ Ecclesiæ esse non possint. 1. Ratio.

C Sed huic rationi occurrit sępedictus Philippus de Mornay in libello de Ecclesia cap. 4. quòd etsi vnaqueque secta verã doctrinam apud se esse clamitet, tamen in sola pura & orthodoxa Ecclesia illa verè reperitur, ideoque eius nota certa ac peculiaris est. Vt autẽ verè adesse ostendatur, ex Scriptura Sacra manifestè deprehendi ait, quæ totius veræ doctrinæ lapis lydius est, & index certissimus. Sed an Scriptura sit nota Ecclesię in proximis cap. agetur. Certè Scripturarum testimoniis vnaquęque secta vtitur, sed sensu & interpretatione diuersa: vt propterea non tam Scriptura quàm legitimus Scripturæ sensus sit veræ doctrinæ index & lapis lydius. vtrũque autẽ ab Ecclesia accipimus vt li. 9. & 10. infra ostẽdetur. Erit igitur Ecclesia vtroq; notior, vt ipsa potius per Ecclesiã, quàm Ecclesia per ipsa inueniatur & innotescat. 2. Ratio.

Rursum hæc duo non demonstrant vbi sit Ecclesia: sed ipsa Ecclesia demonstrat vbi sint hæc duo. Quæ enim sit pura Euangelij prędicatio, & quis sit rectus sacramentorum vsus iuxta legitimum scripturæ intellectum Ecclesia Dei docet atque ostendit. Vt hic ordo seruaretur, *dedit Deus pastores & Doctores vt perueniant omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei.* In hunc etiam finem mittens Christus Ecclesię magistros & testes veritatis, ait: *Qui vos audit, me audit.* Hac denique de causa vocat Apostolus *Ecclesiam Dei columnam & firmamentum veritatis*, quia Ecclesię innititur, & ab Ecclesia firmatur atque stabilitur omnis veritas reuelata: nõ cõtrà veritati nititur Ecclesia, reuelatæ dico. Nã vt ipsa veritas reuelãs, quæ Christus est, docet Ecclesiam, dato Spiritu sancto, *qui inducit Ecclesiam in omnem veritatem, & permanet cum Ecclesia in æternum*, sic reuelatam à Christo & Spiritu Sancto veritatem docet ipsa Ecclesia, *fungens* in hac parte *legatione pro Christo, docens seruare omnia quæcunque mandauit ipsi Christus*, & facta *lux mundi*, sicut Christus lux erat. Sed de hac re latiùs postea.

Ephes. 4. *Luc. 10.* *1. Timo. 3.* *Quomodo Ecclesia est columna veritatis.* *Ioan. 14.* *2. Cor. 5.*

Istud verò hic obseruatione dignum est, quód Melanchthon, Magdeburgenses, & maxi- *Matth. 28.* 3. Ratio.

A Psalmo; *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, & iterum paulò post. *Reminiscentur & conuertentur vniuersi fines terræ, & adorabût in cõspectu eius vniuersæ familiæ gentiû.* Ex quibus omnibus probat Augustinus nô in parte Donati, non in aliquo schismate, sed in sola illa fidelium multitudine quæ communicat omnibus gentibus Christianorum, sic timeri & laudari Deum vt sit Ecclesia Dei, etsi in ipso quoque schismate timeatur ac laudetur. Nô ergo veræ doctrinæ prædicatio & rectus Sacramentorum vsus propriè accepta veram Ecclesiam à schismaticorum conuenticulis distinguunt. Debent autem Ecclesiæ notæ huiusmodi assignari, quæ illam non solum à paganis & Iudæis, sed etiam (idque potissimum) ab hæreticis & schismaticis omnibus clarè distinguant. *Psalm. 21.* *Quales debeant esse Notæ ecclesiæ.*

Iam verò, vt res hæc tota liquidissima fiat, vera Euangelij doctrina, & rectus sacramentorû vsus propriè ac seorsim accepta, sunt fructus & dotes Ecclesiæ, sunt bona & beneficia per ministerium Ecclesiæ nobis collata: non sunt notæ quibus discernatur Ecclesia. Non enim quæcunque sunt ecclesiæ bona, statim illius notæ sunt. Ecclesia est sancta, sed per suam sanctitatẽ non innotescit. Ecclesia est Christiana, sed per Christi nomen nô innotescit. Ecclesia est vnius Dei cultrix, sed non per vnius Dei cultum innotescit. Sic ecclesia est docta, nec tamẽ per doctrinam innotescit. Habet sacramenta, habet sacerdotes, habet templa, non tamen per hæc omnia innotescit, id est, ab hæreticis & schismaticis omnibus qui sanctitatem, qui Christi nomen præ se ferunt, qui vnum Deum agnoscunt, docti sunt, sacerdotes, sacramenta & templa habent, non distinguitur. Sic exempli causa in ciuitate aut Republica aliqua ciuili, prudentia, legum iustitia, ac morum virtus & similia non sunt certæ notæ & argumenta fidelis populi & legitimo suo principi subditi; vt qui illis valeant, mox se pro veris subditis vẽditare possint: sed sunt populi subiecti dotes quædam, virtutes, atque ornamenta, quibus illi quidem plurimû iuuantur & illustrantur, & quibus rectè carere non possunt, non tamen quibus à rebellibus & alienis discernuntur. Ipsi enim rebelles hæc omnia habere possunt. Sed legitimè subiecti populi argumentum, est fides seu obedientia suo legitimo & vero principi exhibita. Sic vt multitudo aliqua Christianorum Catholicæ Ecclesię, se membrum probet, nô satis est vt veram doctrinam teneat, verûmque sacramentorum vsum; sed vt hoc totû in vnitate & obedientia Catholicæ Ecclesię teneat: quę non ex istis, sed ex alijs suis verè proprijs, perpetuis & conspicuis notis dignoscitur, de quibus postea in definienda vera ecclesia agetur. Istæ verò notæ sic hæreticos & rebelles ecclesię filios iuuât, vt easdẽ olim Donatistę pro veris Ecclesiæ insignibus traderent. Dicebant enim [vt refert ex epistola Vincentij Rogatistę S. Augustinus] *Catholicæ Ecclesiæ nomen non ex totius orbis communione* (quam pro certissima ecclesię nota Augustinus posuerat & ex scripturis probauerat) *sic dictum esse, sed ex obseruatione præceptorum omnium diuinorum atque sacramentorum*: quod alijs verbis hodie dicunt hæretici, ex vera euangelij doctrina, & ex recto sacramentorum vsu. Hęc enim duo in recta obseruatione pręceptorum Dei, quam vera doctrina tradit, & sacramentorum omnium consistere, quis non videt? *Non omnes ecclesiæ dotes sunt ecclesiæ Notæ.* *Simile.* *Lib. 4. cap. 6.* *6.* *Epist. 48.*

B

Iam verò adeo sunt hæ incertæ, & instabiles Ecclesiæ notæ, vt non solum extra veram Ecclesiam paria interdum sint sacramenta, par & eadem doctrina, vt iam dictum est; sed etiam præterea intra ipsam veram Ecclesiam non præluceat semper omnibus, nec illustris aut manifesta sit quibusuis ipsa vera doctrina, & rectus sacramentorum vsus: idcóque pro notis & signis Ecclesiam quærenti demonstrantibus haberi non possint. Hoc enim sanè adeò verum & clarum est, vt nec ipsi protestantes has omnino & simpliciter pro certis & perpetuis conspicuæ ecclesiæ notis asserant tradántque: sed vt signa tantum & argumenta verisimilia ponant, latentis in illa Christianorum multitudine, & permixtæ alicuius ecclesię, vbi hæc duo reperiuntur: quia videlicet non sine fructu aliquo, vel docetur euangelium, vel administrãtur sacramenta. Idcirco Caluinus non simpliciter dixit, vbicunque hæ duæ notæ reperiuntur, illic esse veram Ecclesiã, sed (hæc sunt eius verba) *illic aliquam esse Dei Ecclesiam*: & paulò post. *Non dico vbicunque prædicatur verbum, illic fructum mox exoriri, sed nullibi recipi & statam habere sedẽ, nisi vt suam efficaciam proferat* Hæc ille lib. 4. cap. 1. parag. 9. & 10. Nempe vult vt ibi aliqui sint semper pij & boni fideles, vbi hæc duo reperiuntur. Quæ etiam Melanchthonis sententia est, vt videlicet vbi nulla Euangelij vox sonat, sicuti inter philosophos & ethnicos, ibi nulla sit Ecclesia: *vbi autem sonat Euangelium & inuocatur Christus, ibi maneant* [ait ille] *aliquæ Ecclesiæ reliquiæ & hæ reliquiæ sunt coetus ille qui vera Dei Ecclesia dicitur.* Hæc ille in locis communibus. Qua sanè ratione & tota rei supputatione, in quauis multitudine Christianorum, vbicunque sonat Euangelium, etiam apud quosuis hæreticorum greges, esse & latere aliqua Ecclesia potest. Ex quibus omnibus, hæc summa colligitur, nec ipsorum Protestantium sententia proprias 7. *Ipsorum Protestantium iudicio non sunt certæ Ecclesiæ Notæ.*

C

has, stabiles & perpetuas esse eminentis & conspicuæ Ecclesiæ notas, sed signa tantùm esse, *vbi aliqua sit Ecclesia*, vt loquitur Caluinus, licet illa *in reliquis quibusdã lateat*, vt loquitur Melanchthon: & *vtut sit exiguus cœtus*, vt loquitur Lutherus. D

Mens hæreticorum in ponendis illis duabus notis.
CAPVT XX.

NEQVE verò illud hoc loco prætereundum est, Protestantes omnes, cùm Ecclesiæ notas ponunt, veram doctrinam & rectum sacramẽtorum vsum, id tacitè intelligere, vt scriptum Dei verbum sit veræ Ecclesiæ nota: siquidem illorum iudicio illa demũ & sola est vera doctrina, ille solus est rectus sacramentorum vsus, quem expressum Dei verbum tradit; quod quidem apertissimè Lutherus hoc loco docet. Primam enim notam facit Verbum Dei. *Propter hoc verbum*, inquit, *Ecclesia dicitur sancta*. Sic passim dicit Melanchthon; *Ecclesiam alligatam esse ad Euangelium*, in locis communibus. Sic Caluinus, *Nos*, inquit, *volumus Ecclesiam verbo annexam, nec ab eo separari patimur*. lib. 4. cap. 8. §. 13. Instit. Nõ ergò per has notas describunt nobis Ecclesiam visibilem, quæ Dei verbum interpretetur, & cõtrouersias diiudicet; sed alligant Ecclesiam ad scriptum Dei verbum, vt ibi sit Ecclesia, vbi solum scriptum Dei verbum sonat. Cuius sanè sententiæ multiplex est insania. Primùm, nullus est Controuersiarum in Religione exitus, si hoc obtineat. Nam vel de scripto Dei verbo non constat, dũ varij hæretici varias sacræ scripturæ partes eradunt, vel de intelligentia scripti verbi disceptatur. *Neque enim*, ait Augustinus, *omnes hæretici Catholicas scripturas legunt: nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt*. Hæc ille. Et; *Non de scriptura* (ait Hilarius) *sed de intelligentia hæresis oritur: sensus non sermo fit crimen*. Idem copiosè scribit Tertullianus, in libello de Præscriptionibus aduersus hæreticos. Hanc ergo vel de scripto verbo, vel de intelligentia scripti verbi, Controuersiam si non dirimit Ecclesia, quo tandem iudice dirimetur? Aut si dirimit Ecclesia, quare cum scripto verbo confunditur; aut ad illud, tanquam ad signum illustrius alligatur? Deinde, si scriptum verbum est nota visibilis Ecclesiæ, cùm scriptum verbum sit dubium, anceps, obscurũ, Controuersum; quantò magis erit Ecclesia? Rursum scriptum verbum plerique & hodie & olim hæretici complectuntur, legunt, audiunt, venerantur: ergo tot erunt Ecclesiæ, quot schismata, & hæreses Christianorum. Præterea, nemo inter Christianos tam idiota est qui non cognoscat, videat, colátque Ecclesiam. Contrà, maximus eorum numerus est qui nec scriptum verbum vnquam legerunt, nec doctrinam ex verbo colligere norunt, nec sacramentorum naturas & rationes sciunt. Ergo si per verbum innotescit Ecclesia, ignotum per ignotius innotescit. Vnde iterum atque iterum sequitur; quantumcúnque de notis & signis Ecclesiæ disputant hodie nouatores, reuera tamen occultam Ecclesiam, & quæ nullis signis internosci queat, eos relinquere, iuxta illud quod Saluator dicit; *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem; vt non arguantur opera eius*.

Ecclesiam non alligari ad verbum scriptum. E

1.

De Genes. ad lit. lib. 7. ca. 9.

Lib. 1. de Trinitate.

2.

3.

4.

Ioan 3.

Primi generis argumenta ex scripturis petita pro stabiliendis notis hæreticorum, & solutio eorundem.
CAPVT XXI. F

ARGVMENTA hæreticorum ad has duas notas probandas ex scripturis & patribus detorta, etsi futilia admodum sunt, & quæ parum ad rem faciunt; tamen quia multa & varia ab illis afferuntur, silentio inuoluenda non sunt. Quin & operæpretium est videre, quã putidis argumentis rem longe maximam, & totius veræ religionis vel fundamentum firmissimum vel ruinã certissimam, stabilire & confirmare poterunt. Errare enim circa inueniendam veram Ecclesiam, est errare circa vniuersam fidem, quam sola vera docet Ecclesia. Quæ ergo ex scripturis colligunt loca, in triplici differentia poni videntur. Primi generis loca probant Ecclesiam non posse absque vera doctrina Euangelij consistere, neque habendos illos esse pro Ecclesia Dei, qui contra Euangelium docent; qualia sunt ista: *Si quis aliud Euangeliũ docet, Anathema sit*. Item illud: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Denique illud; *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo*, &c. Quæ loca citat Melanchthõ in repetitione confessionis Augu. in locis communibus. Et post

Galat. 1. Ephes. 2. Esaiæ. 59.

A post illum Magdeburg.centuria 1.lib.1.cap.4. Quibus etiam hæc addunt; *Docentes eos seruare om-*
nia quæcunque mandaui vobis. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. At verò nihil aliud pro- Matth. 28. Ioan. 18.
bant hæc omnia [quod ad rem præsentem attinet) quàm non separari ab Ecclesia veram doctri-
nam. Quod quidem nos libentissimè concedimus, quia ab Euangelij doctrina nunquam dissen- controu. 7. lib. 12. cap. 9.
tit Ecclesia, ac ne potest quidem. At non inde consequitur certam Ecclesiæ notam & euidens si- *Ineptissima*
gnum, quo vera Ecclesia à falsa liquidò discerni queat, esse veram & purè Euangelicam doctri- *Vuitembergẽsium Protestantium argumẽta.*
nam: vt iam modo cap. 19. manifestum fecimus. Sed quòd ex his locis etiam illud inferũt; veram
Ecclesiam illam esse, quæ solo Dei verbo scripto nititur, & ineptissimè colligitur, éstque falsissi- Ioan. 10.
mum (cùm hæc loca omnia, nec de scripto verbo quicquam loquãtur; & multò minus de eo so-
lo amplectendo) & præterea nihil ad rem præsentem faciunt, ideóque suo loco refutabitur. Rur-
sum sic ex scripturis argumentantur Vuitembergenses in sua confessione, Concilio Tridentino
exhibita. *Illos dixit Deos ad quos factus est sermo; Ergo ibi est Ecclesia Dei, vbi est verbum Dei.* Et ite- Ioan. 15.
rum; Iam vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis. Sermo igitur Christi, qui est Euã-
gelium, demonstrat vbi sit Ecclesia quæ coram Deo sit munda. Hæc illi ad verbum. Nihil autẽ potuit
ineptius colligi. In priori loco disputat Saluator contra Iudæos. *Si illos dixit lex vestra deos, ad quos* Ioan. 10.
sermo Dei factus est; dicente scilicet ipso Deo; *Ego dixi, dij estis,* Psal. 81. *nec solui potest scriptura, me*
quid blasphemare dicitis quòd filius Dei sum? Tale ergo est horum argumentum: Deus in scriptura,
sermone ad quosdam facto, vocat illos deos; ergo ad quoscunque Sermo Dei fit, illi sunt dij: &
vbicumque verbum Dei scriptum habetur, illi sunt filij Dei & Ecclesia. Nempe à parte conclu-
B dunt totum; & in æquiuoca voce pueriliter ludunt. Nam & Sermo Dei in illo Psalm. 81. per as-
seuerationem & reuelationem specialem ad quosdam factus, alius est à scripto toto Euangelio:
& nuncupatio illa deorum, videlicet propter potestatem & regimen illis commissum, longè di-
uersa est à nuncupatione filiorum Dei in Ecclesia Christi, qui propter fidem sic nuncupantur.
Posterior locus adhuc ineptiùs concludit: Nam primùm nihil aliud demonstrat ille sermo, pro- 1.
pter quem mundi erant discipuli, quàm (vt ipsimet in argumento ponunt) illos coram Deo mun-
dos fuisse. At hîc quæritur de nota Ecclesiæ quæ hominibus, non Deo demonstret qui sint vera
Ecclesia. Præterea, rursum relabuntur ad occultam Ecclesiam soli Deo cognitam. Deinde ser- 2.
mo de quo loquitur ibi Christus, non est verbum scriptum, sed est (vt Augustinus exponit) *ver-* 3.
bum seu forma baptismi, de quo Apostolus ait; Christus mundasse Ecclesiam suam Lauacro aquæ in ver- Ephes. 5.
bo: Idem enim, ait Augustinus, *non dixit, Mundi estis propter baptismum, sed propter verbum, quia* Tract. 8.
& in aqua verbum mundat. in Ioan.

Secundi generis argumenta, & solutio eorundem.
CAPVT XXII.

ALTERIVS generis scripturæ prædicationem verbi & Euangelij necessariam esse
Ecclesiæ ostendunt, quales sunt istæ. *Euangelium est virtus ad salutem omni credenti.* Rom. 1.
Omnia sanctificantur per verbum Dei, & orationem: ergo verbum sanctificat Eccle-
siam. Sic enim ex his locis disputat Lutherus in tractatu de notis Ecclesiæ. Similia 1. Tim. 4.
addunt & Magdeburgenses: *euntes prædicate, &c. appropinquat Regnum cælorum,* Matth. 10.
C *&c. prædicate Euangelium omni creaturæ.* Primus Lutheri locus, & duo postrema à Magdeburg. Marc. 16.
citata nihil aliud probant, quàm necessarium, & ordinarium medium ad fidem esse prædicatio-
nem Euangelij, vt Apostolus dicat; *Fides ex auditu, & quomodo audient sine prædicante?* Hoc totũ Rom. 10.
facilè conceditur, sed nihil ad rem præsentem conficitur. Adiumenta & ornamenta hæc sunt
veræ Ecclesiæ, non ipsius notæ & insignia, vt suprà in re simili ostendimus. Deinde prædicatio-
nem Euangelij in legitimis ministris illustrem valdè & propriam esse Catholicæ Ecclesiæ notã Lib. 4. cap. 5
concedimus, & in sequentibus probabimus. Hæc enim est ordinaria & perpetua illa Episcopo-
rum, sacerdotum, atque pastorum successio, ab ipsis Apostolis cõtinua serie ad nos vsque dedu-
cta, vnde & Apostolica in Symbolo vocatur Ecclesia: vnde etiam Apostolus cùm dixisset *fidem* Rom. 10.
esse ex auditu, & quomodo audient sine prædicante? subiecit; *Quomodo autem prædicabunt nisi mittan-*
tur? Sed isti homines prædicationem à legitimo ministerio separant, & cum scripto verbo con-
fundunt. Vbi multipliciter errant, & in errorem ducũt. Primò quia scriptum verbũ absque præ- 1.
dicatione mutum est, & omnibus hæreticis commune. Deinde latius patet prædicatio, quàm
verbum scriptum. Illa enim præter verbum scriptum etiã traditiones Apostolicas non scriptas, 2.
& Ecclesiæ decreta ex scripto verbo [tanquam ex suis principiis conclusiones] deducta comple-
ctitur. Rursum verbum nisi à legitimo ministro prædicetur, si à lupo, si à latrone, si à ministro sa- 3.
tanæ, [vt Saluator & Apostolus futurum præmonuerũt] proferatur, non salutem, sed perniciem Matth. 7.

1. Cor. 11. adfert, nec ouile Christi, & Ecclesiam Dei, sed causas hæreticorum, & Synagogam satanæ demonstrat. Non ergo verbum Dei quomodocunque prædicatum, denotat Ecclesiā. Posterior D
autem à Luthero citatus locus turpissimè deprauatur. Neque enim Apostolus dixit omnia sanctificari per verbum Dei, vt Lutherus loqui Apostolum facit, indéque colligit per verbum Dei sanctificari Ecclesiam, sed de cibo tantùm loquitur, sumēdo cum gratiarum actione, quem *sanctificari dicit per verbum Dei & orationē*, id est, interprete Chrysostomo, *facta benedictione in nomine Dei per signum crucis impressum*. Neque ex eo quòd cibus sanctificatur per verbum Dei sensu quo diximus colligi, nisi ineptissimè potest, per scriptum verbum sanctificari Ecclesiam, & multò minus per illud verbum innotescere & demonstrari Ecclesiam visibilem atque conspicuam, in quem finem eum locum citauit Lutherus.

Homil. 12. in 1. ad Tim.

Tertij generis argumenta, & solutio eorundem.
CAPVT XXIII.

Ioan. 10. Ioan. 17. Matth. 7. Luc. 11. Ioan. 8. Ioan. 15.

POSTREMI generis loca huiusmodi sunt. *Oues meæ vocem meam audiunt. Sanctifica eos in sermone tuo.* Quæ loca citat Melanchthon. Rursum; *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro prudenti. Mater mea, & fratres mei sunt qui audiunt verbum & faciunt illud. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Vos amici mei estis si feceritis ea quæ ego præcipio vobis.* Quibus ex locis aliísque similibus, colligunt Magdeburgenses propriam ac germanam Ecclesiæ notam esse verbum syncerum; sed nulla planè consequentia. Nihil enim aliud probant hæc loca, quā in vera ecclesia esse semper qui obediunt verbo Dei, non tamen ex hac obedientia verbi Dei, innotescit & conspicua redditur Ecclesia. Pri- E
1. mùm quòd hæc obedientia in istis citatis scripturis commendata, in obseruatione mandatorū Dei consistit. At illa obedientia tātummodo piorum & sanctorum est, qui vt homines latent, & soli Deo sunt cogniti; sic ecclesiam, occultā non visibilē faciunt. Rursum vt obedientia fidei est communis omnibus & singulis in Ecclesia, ita obedientia mandatorum Dei non est in singulis, etsi in tota Ecclesia. Nam iniquitas morum tametsi nunquam approbatur, tamen sæpe necessariò toleratur à tota ecclesia: vt docet Augustinus de fide & operibus cap. 5. & contra Faustū lib.
Infra lib. 3 cap. 6. 20. cap. 21. vt suo postea loco citabitur. Nota autē Ecclesiæ esse non potest quæ licet in tota, tamen in singulis eisque multo pluribus non reperitur. Præterea hæc obedientia mandatorū vt est
3. Prouerb. 24. occulta, sic incerta & maximè mutabilis est, adeo vt *septies in die cadat iustus & resurgat.* Nota au-
4. tem constans & perpetua esse debet. Deinde Donatistarum hæc nota est, vt suprà ex Augustini epistola 48. ostendimus, & Donatistarum ipsissima hæresis, vt in antecedentibus satis est demōstratum. Denique nō in illis verbis vniuersalem suam Ecclesiā Christus descripsit, sed præcipua
5. tantum & viua membra Ecclesiæ suæ, nec conspicuam illam omnium fidelium societatem de-
Matth. 20. monstrat, sed occultum paucorum piorum numerum insinuat, de quibus ipse dixit, *Multi vocati*
6. *pauci verò electi.* Postremò, quis nescit longe aliud esse verbum scriptum quàm sit obedientia mandatorum? tamen non eos pudet ex hac illud inferre: & ex obseruatione verborum Christi doctrinæ veritatem concludere: quum & hæc sine illa esse aliúsque prodesse possit, & illa hanc F
vtilem quidem faciat & salutarem ipsi docenti, neutra tamen ecclesiæ corpus perpetuò & certò demonstret: sed magis ab Ecclesia demōstretur. Sic illi alienissimum in sensum detortis scripturis notam esse ecclesiæ Scripturas probant. Quod quia perspexit Caluinus, cùm has notas longa & speciosa oratione lectori commendaret, ne vnum tamen verbum ad illas confirmandas ex Scripturis produxit: cæteris quidem hac in re cautior infirma argumenta reticendo, sed multò impudentior nullis argumentis rem tantam asserendo.

Argumenta hæreticorum ex patribus, & solutio eorundem.
CAPVT XXIIII.

AD speciem solidiora & magis probabilia videntur esse, quæ ex patribus ad hāc sententiam confirmandam producūtur. Docent enim patres in Scripturis quærendā esse Ecclesiam, & ex Scripturis demonstrari quę sit Ecclesia. Sic enim scribit Augustinus, vt citat Musculus in locis communibus; *In scripturis didicimus Christū. In Scripturis didicimus Ecclesiam. Has Scripturas communiter habemus. Quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Rursum contra Donatistas in libro de vnitate Ecclesiæ (quem locum citant Vuittembergenses in sua confessione) *Inter nos* (inquit Augustinus) *& Donatistas quæstio est vbi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quæsituri sumus?*

Epist. 166.

A *sumus, an in verbis capitis sui domini nostri? Puto quòd in illius potius verbis quærere debemus qui veritas est, & optimè nouit corpus suum.* Rursum cap. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, hæc dicit dominus. Sunt certè libri Dominici quorum Authoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostrã:* & paulò post. *Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Ecce apertissimè dicit Augustinus, & in Scripturis quærendam Ecclesiam, & ex ipsis Scripturis demonstrari Ecclesiam. Hoc sanè totum verissimum est. Sed non eo sensu hæc dixit Augustinus quem volunt hæretici. Non inquam, vt doctrina verbi esset nota Ecclesiæ, id est, illa multitudo Ecclesia censeretur quæ verbũ Dei proferret (protulit enim & Diabolus, Matth. 4. & Iudæi Ioan. 7. & 19. contra ipsum Christum verbum scriptum) aut quæ in diiudicandis Controuersiis solis Scripturis niteretur. Nihil minus ibi docet Augustinus, sed hoc docet: Ecclesiæ lucem, splendorem, firmitatem, durationẽ, Auctoritatem, cæteráque dotes in Scripturis apertissimè, plenissimè, & copiosissimè describi, vt non in humanis documentis, id est, non in quorumcunque hominum probata innocentia, quã sibi solis venditabant Donatistæ, & hodie commendant protestãtes, demonstretur Ecclesia, sed in Scripturis: id est, talis & sic dotata credatur Ecclesia, qualis & qualiter dotata in Scripturis describitur. Idcirco in locis ipsis ab hæreticis citatis, probat Augustinus copiosissimè ex Scripturis Ecclesiam Christi esse multitudinem illustrem toto orbe diffusam. Quibus locis & scripturarũ & ipsius Augustini in sequenti disputatione vtemur. Dicimus ergo & libentissimè dicimus cum Augustino, in Scripturis quærendam esse Ecclesiam, id est, quæ sint notæ, dotes, proprietates Ecclesiæ, ex Sacræ Scripturæ oraculis, non ex coniecturis humanis inuestigandum esse. Hoc & nihil aliud dicit Augustinus: sed hoc in Augustino animaduertere noluerunt hæretici.

Sensus Augustini in locis prædictis.

B *Quomodo per Scripturas innotescit Ecclesia, & tamen Scriptura non est nota Ecclesiæ, sed Ecclesia ipsa notior quàm Scriptura.*

CAPUT XXV.

Cæterum manet adhuc scrupus nec leuis nec leuiter prætereundus. Etenim vt verum sit ex Augustino non colligi ipsas Scripturas sic esse notam Ecclesiæ, vt vbicunque scriptura doceatur, ibi sit Ecclesia, & per solius scripturæ doctrinam discernatur Ecclesia ab omni alio cœtu; tamen hoc colligitur, ex Scripturis demõstrari Ecclesiam, per Scripturas innotescere Ecclesiam, item quæ, qualis & vbi sit Ecclesia, ex Scripturis esse petendum. Quæ si ita sunt, erit Scriptura magis clara & illustris 1.
quàm Ecclesia (frustrà enim alioqui in Scripturis quæreretur Ecclesia) erit Scriptura certum & firmum documentum ad inueniendum Ecclesiam: denique erit certa & illustris nota veræ Ec- 2.
clesiæ. Male ergo reprehendimus hodie hæreticos, qui pro nota Ecclesiæ Scripturas ponunt. 3.
Deinde si in Scripturis quærenda est Ecclesia, quare & cætera dogmata similiter quærenda nõ sunt? Neque enim propter solam Ecclesiam describendam & cognoscendam datæ sunt Scripturæ, neque alia dogmata minùs sunt cognitu necessaria quàm hoc de Ecclesia. Ergo consequi videtur, si Scripturæ demonstrant nobis Ecclesiam, demonstrare quoque easdem & Christũ &
C sacramenta & quæcunque quæ ad fidem pertinent, absque medio Authoritatis & iudicij vel definientis vel interpretantis Ecclesiæ. Huic scrupo seu dubitationi affinis illa quæstio est, qua quæritur certiúsne sit iudicium maiórque Authoritas & latius patens, Ecclesię quàm Scripturæ, aut (quod adhuc subtilius quæritur) an formalis ratio fidei nostræ sit Ecclesiæ Authoritas, id est, an vltima & suprema resolutio fidei de omnibus Controuersiis sistat in testimonio & Authoritate Ecclesiæ potius quàm Scripturæ diuinitus reuelatæ. Quam vtramque quæstionem suo loco in hoc opere tractabimus. Sed nunc vt in re proposita maneamus, cùm certum & confessum sit ex Sacræ Scripturæ verbis, & testimonio innotescere nobis quæ & qualis sit Ecclesia, item quanta sit eius potestas & Authoritas, meritò quæritur an propterea statuenda sit Scriptura pro nota Ecclesiæ; & si Ecclesiæ nota, cur non etiam aliorum omnium dogmatum, quæ in Ecclesia controuertuntur, sola & vnica Norma?

Lib. 12. cap. 16. & seq. lib. 8. cap. 20. & seq.

Huic quæstioni, vt plenius respondeatur, animaduertendum ante omnia, non simplicem esse huius propositionis sensum. Scriptura est nota Ecclesiæ. Primũ enim, hic esse sensus potest. Scriptura sic nota seu signum est Ecclesiæ, vt vbicunque Scriptura rectè prædicatur, ibi sit Ecclesia; & in hoc sensu falsam esse propositionem, siue eam generaliter, siue strictim intelligas, in iis quæ superiùs disputauimus demonstratũ est. Alius sensus esse potest. Scriptura sic nota est Ecclesiæ, vt per scripturã scias non solùm quæ, qualisque sit ipsa Ecclesia, seu vera credentium multitudo,

In triplici sensu dici potest Scripturas esse notã Ecclesiæ.
1. Sensus.
2. Sensus.

ſed etiam quæ,& qualia ſint quæcunque dogmata in Controuerſiam vocata: vt Eccleſiæ no- D
mine intelligantur,& tota fidelium multitudo,& vniuerſa fidei dogmata Quo ſanè in ſenſu illi
hanc propoſitionem intellexerunt,qui ex citatis Auguſtini locis,Scripturam eſſe notam Eccle-
ſiæ voluerunt. Dicere enim Auguſtinum,vel putarunt,vel finxerunt,ſic in Scripturis quærendã
Eccleſiam,vt quæcunque in Eccleſia controuerterẽtur,à ſolis Scripturis peterentur. In hunc ſi-
nem citant VVirtembergenſes,vnà cum Auguſtino, Chryſoſtomum in hæc verba ſcribentem.
Homil. 49 in Matth.opes. imperfect. *Ex quo obtinuit hæreſis Eccleſias, nulla probatio eſſe poteſt veræ Chriſtianitatis,neque refugiũ poteſt eſſe*
aliud Chriſtianorum volentium cognoſcere fidei veritatem,niſi ſcripturæ diuinæ. Et paulò pòſt; *Qui er-*
go vult cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti,vnde cognoſcat, niſi tantummodo per Scripturas? Sed
hunc ſenſum ab Auguſtino nunquam intentum fuiſſe iam oſtenſum eſt,& eſſe à ratione alienũ
Lib.1 2.per totum. poſteà oſtendetur,cùm de iudicio,& Authoritate Eccleſiæ diſputabitur. Quod ad citatum hic
Chryſoſtomum attinet,non ſunt veri Chryſoſtomi verba,ſed ex opere imperfecto in Matth.de-
ſumpta,quod quidem opus ab Arriano aliquo totum conſcriptum eſt, aut poſteà ab Arrianis
corruptum.Itaque nihil miramur nouos noſtros hæreticos veterum hæreticorum voces vſurpa-
3. Senſus. re.Alius ſenſus huius propoſitionis eſt;vt qualis ſit ipſa Eccleſia, qualiter dotata, quibus prærọ-
gatiuis ornata,quibus inſignibus nota,& illuſtris ſit, Scriptura demonſtret: ideóque notam eſſe
Eccleſiæ Scripturã,quia veras Eccleſiæ notas Scriptura tradit. Totus hic ſenſus verus eſt,& in
hoc ſenſu Auguſtinus loquutus eſt:Sed non ſequitur in hoc ſenſu(quod in facta dubitatiõne in-
fertur)magis notas per omnia Scripturas eſſe,quàm ſit Eccleſia;aut quia per Scripturas innoteſ-
cit Eccleſia,idcircò per eaſdem cætera omnia fidei dogmata innoteſcere: idque varijs modis o-
1. ſtendere conabimur.Primùm,quia de Eccleſiæ Authoritate maximè litigaturi erãt omnes hæ- E
Quare apertius de Eccleſia loquitur Scriptura quàm de alijs dogmatibus. retici,propterea in Eccleſia deſcribenda copioſior,& apertior voluit eſſe Scriptura,quàm in alijs
dogmatibus,quæ poſtea per Eccleſiæ magiſterium ſemel conſtitutum, & in confeſſo poſitum,
declaranda,& definienda fuerant.Quod adeò verum eſt, vt de ipſo Chriſto, non tam apertè,
quàm de Eccleſia loquantur Scripturæ:non minus etiam crebrò, & copioſè de Eccleſia, quàm
Enarrat. in Pſal.30. de Chriſto. Totam hanc Spiritus ſancti prouidentiam notauit S. Auguſtinus his verbis; *Obſcu-*
rius dixerunt Prophetæ de Chriſto , quàm de Eccleſia:puto propterea; quia videbant in ſpiritu contra Ec-
Concione 2. *cleſiam homines facturos eſſe particulas,& de Chriſto non tantam litem habituros: de Eccleſia magnas*
contentiones excitaturos.Ideò illud,vnde maiores lites futuræ erant,clariùs prædictum,& apertiùs Pro-
phetatum eſt,vt ad iudicium illu valeat,qui viderunt & foras fugerunt à me. Hæc ille. Et exemplo
Gen.12. rem illuſtrat in hiſtoria Abrahæ,& immolatione Iſaac. Quæ enim ad Chriſtum pertinebant,
ſub typis,& figuris ipſius Iſaac portantis ligna ad ſacrificium,qui Chriſtum baiulantem crucem
figurabat;& ipſius arietis hærentis cornibus,qui crucifixionẽ denotabat;exprimere voluit Scri-
ptura. *Sed cùm cœpit ſpiritus Dei*,ait Auguſtinus,*prædicare velle Eccleſiam,abſtulit figuras,dicens; Be-*
nedicens benedicam tibi,& implendo implebo ſemen tuum,ſicut ſtellas cæli,& arenam maris,& benedi-
centur in ſemine tuo omnes gentes terræ.Et pene vbique Chriſtus in aliquo inuoluto ſacramento prædica-
tus eſt à Prophetis,Eccleſia apertè Hęc ille. Ratio autem quare de Eccleſia magis,quàm de Chriſto
Lib. 1.Epiſt,3. & lib. 4. Epiſt.9. litigaturi erant hæretici, ea eſt,quòd ad omnes hæreſes refutandas maximũ,& certiſſimum cõ-
pendium ſit Eccleſię Authoritas:*nec aliunde in Eccleſia hæreſes fiant*,vt ſcripſit B.Cyprianus,*quàm*
quòd ſacerdotibus Dei non obtemperatur:id eſt, Eccleſiæ vox in ſuis miniſtris, & prælatis non audi- F
tur. Quàm autem ſit in hac re crebra,& frequens ſcriptura,plurimis in locis demonſtrat Augu-
ſtinus,ex propoſito quidẽ,in lib.de Vnitate Eccleſiæ,per multa capita:obiter verò libro de Pa-
Cap.14. ſtoribus,vbi ait;*Prope omnis pagina nihil aliud ſonat,quàm Chriſtum & Eccleſiam toto orbe diffuſum.*
Rurſum in Epiſt.156.verſus finem vbi multa exempla adfert ex Pſalmis & Prophetis,quoties de
Chriſto Scriptura loquitur,toties de Eccleſia ſtatim ſcripturam loqui. Ex quibus conficitur,hac
ſanè vna in re,id eſt, in deſcribenda Eccleſia,magis claram eſſe Scripturam ſicuti oportebat; nõ
autem ſequitur in reliquis omnibus dogmatibus diſcernendis, maiorem in Scripturæ verbis
quàm in Eccleſiæ iudicio eſſe claritatem.

2. Ratio eiuſdẽ. Iam verò quàm ſit rationi conſentaneum,vt in Eccleſiæ & Authoritate deſcribenda & natura
tradẽda magis copioſa & aperta debeat eſſe Scriptura;in reliquis autem dogmatibus ita aut du-
bia,aut parca,vt eorum omnium iudicium ab ipſa Eccleſia non à ſe ſola peti voluerit, ex alio ca-
Simile. pite demonſtrari poteſt.Simile enim hoc eſt,ac ſi hæredem quis teſtamento ſcribat, aut admi-
niſtratorem teſtamenti conſtituat verbis apertiſſimis;cætera in teſtamento,aut magna ex parte
taceat,iubeátque ab hærede ſeu adminiſtratore inquiri,aut obſcurius ponat,iubeátque in illorũ
explicatione hæredis vel adminiſtratoris iudicio ſtare;quem quidem in hunc finem plenius de
rebus omnibus priuatim inſtruxerit.Neque enim in hoc exemplo ſequeretur:quis ſit hæres &
adminiſtrator,

A administrator, testamentum mihi apertè dicit, ergo & cętera quæ ad hæreditatem pertinent, nō
ab hærede vel administratore, sed ab ipso testamento petam. Planè sic in re proposita se res ha-
bet. Ecclesiam enim totum hæredem esse testamento Dei scriptam nemo dubitat, vocāte Apo-
stolo fideles omnes, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Et rursum; *Si vos Christi, ergo semē* Rom. 8.
Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes, Quòd verò apud ipsam Ecclesiam *omnem deposuerit* Galat. 3. Lib. 3. cap. 4.
veritatem [vt loquitur Irenæus] & omnia quæ ad hæreditatem pertinent consequendam, præci-
puis quibusdam de Ecclesia administranda reliquerit, partim testamento & literis mandata, par-
tim non scripta; copiosè quidem postea cōmodiùs demonstrabitur, breuiter autem & hic ostēdi- Lib. 8. 9. & 12.
tur. Nempe Christus vt pleniorem Ecclesiæ & hæredis sui Authoritatē ostēderet, primū paucis
annis, triēnio tantùm, & vnica tantùm in regione, Iudæa scilicet, docuit; deinde testamentū ipse
non scripsit, sed ab ipsa Ecclesia testamentū suum scribi, & omnes gētes ex ore Ecclesiæ suę vsq;
ad finem seculi ad fidem conuerti, & in fide conseruari voluit: ea quoque tam in scribendo testa-
mēto quàm in viuæ vocis prædicatione aut dici aut prætermitti, quæ Ecclesiæ suæ (quā de om-
nibus plenissimè instruxerat) aut scribenda, aut dicenda, aut prætermittenda viderētur. Ecclesiæ Matth. 13.
enim principibus dixit testator; *Vobis datum est nosse mysteria regni Cælorū: cæteris autē in parabolis*:
& cùm alias parabolas adiecisset, addit; *Intellexistis hæc omnia*? Respōdent. *Etiam domine*. Ait illis;
Ideo omnis scriba doctus in Regno Cælorū similis est homini patrifamilias qui de thesauro suo profert ve- Ioan. 15.
tera & noua. Rursum; *Vos dixi amicos, quòd omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*, & in
quē finem ostēdit, addens; *& posui vos vt eatis & fructū afferatis, & fructus vester maneat*. Postre-
mò discessurus ab ipsis, *Docete*, inquit, *omnes gentes, docentes eos seruare quæcūque mādaui vobis*. His Matth. 28.
& aliis multis dispensatricē voluntatis suæ designauit Christus Ecclesiam, hoc est, Ecclesiæ, Pri-
mates. Quòd autē non omnia testamento scribenda reliquerit, sed pleraque tacuerit ab ipsa po-
stea dispensatrice Ecclesia inquirenda, aliis verbis ostendit. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō* Ioan. 16.
B *potestis portare modò. Cùm autē venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Nēpe hoc
est illud depositū quod à Christo acceptum, & per manus traditū, administrator & dispensator
ille fidelis Apostolus Paulus alteri dispensatori commendauit, dicens; *O Timothee depositū custodi,* 1. Timo. 6.
deuitans prophanas vocū nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ quā quidam promittētes circa
fidem exciderunt; apertissimè designans hæreses contra sanam doctrinam. Hāc ob causam in alia
epistola idem depositum vrgens, ait; *Formam habe sanorum verborum quæ audisti à me in fide; bonū* 1. Tim. 2.
depositum custodi. Et rursum, ostendens perpetuam esse debere hanc dispensationem seu admini- 2. Tim. 2.
strationem testamenti, ait. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus qui idonei erunt* Lib. 3. cap. 4. & lib. 5.
& alios docere. Sic Iręneus vocat Ecclesiam, *amplum quoddam & diues depositoriū, in quod Apostoli*
omnia quæ sunt veritatis plenissimè contulerint, vt omnis quicunque velit, ex ea potum vitæ sumat. Sic
Dionysius ille Areopagita ait *primos illos, Hierarchię nostræ duces ac principes*, id est Apostolos, vt Hierarch.
primos huius testamenti administratores, *cum à diuina bonitate plenè cumulatéque res sacras accepis-* Eccles. cap. 1.
se, tum ab eadē Dei benignitate apud posteros id propagandi causa missos fuisse. Illud verò duobus modis
fecisse, *partim accepta mysteria in sanctis ac Theologicis libris*, id est scripturis, *commendasse, partim ex*
animo in animum medio intercurrente verbo, sine literis transfudisse, id est viua voce tradidisse. Sic
Tertullianus vetustissimus scriptor aduersus hæreticos præscribere docuit, quòd videlicet scri- *Tertullianus in*
C pturæ ad solam Ecclesiam pertineant, & apud illam depositæ fuerint, ideóque in illa sola & *Præscriptioni-*
quærendæ essent Scripturæ, & petendus Scripturarum sensus. *Dispici*, inquit, *debet cui compe-* *bus.*
tit possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eandem cui nullo modo competit: & paulò post. *Ordo*,
inquit, *rerum desiderabat illud, prius proponi quibus competat fides ipsa cuius sint Scripturæ, à quo &*
per quos, & quando & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt homines Christiani. Mox enarrans ex
actibus Apostolicis primordia Ecclesiæ per Apostolos facta, *Primò*, inquit, *per Iudæam Ecclesiis*
constitutis, dehinc in orbē profecti eandē doctrinam eiusdē fidei nationibus promulgauerunt, & proinde
Ecclesias apud vnā quāq; ciuitatē cōdiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde
Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuātur vt Ecclesiæ fiāt, ac per hoc & ipsæ Ecclesiæ deputabuntur
vt soboles Apostolicarū Ecclesiarum. Hæc ille in libro de pręscriptionibus aduersus hæreticos. Hęc
est videlicet dispensatio illa seu administratio testamenti Dei, & hic administrationis ordo. Ipsi *Propagationis*
dispensatores voluntate testatoris cognita, eam nobis perpetuò communicant: quod in sequen- *fides & dispen-*
tibus sic explicat Tertullianus. *Quid prædicauerint Apostoli à Christo missi, id est, quid illis Christus* *sationis Testa-*
reuelauit, & hic præscribam non aliter hoc probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli *mētaria Ordo.*
condiderunt: ipsi videlicet eis prædicando tam viua voce, quàm per epistolas postea. Hæc ille. Deni-
que vt ab huius testamenti dispensatione, & eorum quæ testamento comprehenduntur tracta-
tione, hæreticos omnes quàm longissimè repellat, solísque Apostolorum successoribus, id est, ve-
ræ Ecclesiæ id muneris vendicet, hæreditatem hāc, depositum, & testamenti fidē apertis verbis

commemorat. Sic enim in eodem libro sui temporis hæreticos, Marcionem, Valentinum, Ap- D
pellem, elegantissimè alloquitur. *Vos qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis nō mei? quo iure Marcion Siluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? quid hic cæteri ad voluntatem vestrā seminatis & pascisis? Mea est possessio: olim possideo: habeo origines firmas ab ipsis Authoribus quorū fuit res: ego sum hæres Apostolorū: sicut cauerūt testamento suo. sicut fidei cōmiserunt. sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos & inimicos. Vnde autē extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ quam vnusquisque de suo arbitrio contra Apostolos, aut protulit, aut recepit?* Hæc ille ibidem. Quæ quidem totidem verbis Luthero, Caluino, Melanchthoni, cæterísque hodie archihæreticis dici possunt. Satis ergo demōstrant hæc omnia, etsi per scripturas innotescat Ecclesia, & quis sit testamenti hæres, administrator ac dispensator, satis ex testamento appareat (quod fuit in primis necessarium) tamen postquam testator omnem voluntatem suam hęredi exposuerit, ipsúmque adeò testamentum ab hærede conscribi voluerit, non esse absurdum, imò maximè esse rationi & religioni consentaneum; vt reliqua quæ ad testamentum pertinent, vel in eo non scripta, vel obscurius posita, ab ipso hærede, & dispensatore seu administratore testamenti petātur. Quam etiam ineundæ & conseruandæ religionis rationem, videlicet vt ab hærede quæ est Ecclesia, petatur & testamentum & testamenti expositio, pulchrè docet S. Augustinus in libro
Lib 2. cap 6. de vtilitate credendi, qui locus aliàs aptius & commodius tractabitur.

Lib. 5. cap. 5. & lib. 8. cap. 7. Rursus (vt res ista magis elucescat) perhibet Scriptura testimonium Ecclesiæ & vicissim Ecclesia Scripturæ. Sic venit præcursor Ioannes, *vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent* E
3. *per illum.* Ipsa quoque lux testimonium perhibuit Ioanni, asserens quòd esset *plusquam propheta,*
Mutuum testimonium Scripturæ & Ecclesiæ. & ille ipse de quo scriptum esset. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viā tuam ante me.* Sic in Euangelio; *Pater clarificat filium, voce de cælo missa.* Vicissim, *Filius clarificat patrem super terrā, & manifestauit nomen eius hominibus.* Præterea (quod ad rem institutam propius accedit) Christus testimonium perhibuit Apostolis. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Et patrē alloquens; *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Vicissim Apostoli *magna virtute testimonium reddebant resurrectionis Christi: cuius nos,* (ait Petrus) *testes sumus: & eritis mihi testes* [ait Christus] *in Iudæa & in Samaria, & vsque ad vltimū terræ.* In hac reciproca testificatione cogniscitur, reuelatur, manifestatur Christus per Ioannem, Ioannes per Christum: pater per filium, filius per patrem, Apostoli per Christum, Christus per Apostolos. Nec dissimili ratione Ecclesia per Scripturas, & Scripturæ per Ecclesiam innotescunt, demonstrantur, mutuáque testificatione cognoscuntur. Scriptura est ipsa lux & veritas, est vox patris, verbum Dei, doctrina Christi. Ecclesia huic luci, & veritati, voci, verbo, doctrinæ, testimonium perhibet, vt omnes crederent per illam, scilicet Ecclesiam. Nec hæc mutua testificatio Ecclesiæ & Scripturæ, Authoritati & prærogatiuæ alterutrius partis quicquam demit; sed altera alteram mirificè iuuat & illustrat: vt vtraque suam nihilominus vim & Authoritatem propriam retineat, id est: iudicet nihilominus Ecclesia quæ sit Scriptura legitima atque canonica, item quis sit Scripturæ sensus genuinus atque Orthodoxus: demonstret quoque Scriptura quæ sit Ecclesia, & quanta eius Au- F
Ioan. 1. thoritas: sicuti digito demonstrauit Christum Ioannes, dicens; *Ecce agnus Dei.* vicissim Ioannis testimonium comprobauit Christus in verbis suprà citatis ex Matth. 11. Quemadmodum ergo
Ioan 5. in hoc exemplo nec Christo derogatur, quia ei Ioannes testimonium perhibet, sed habet nihilominus [vt ipsemet dixit] *testimonium maius Ioanne,* à patre videlicet qui eum misit: nec testimonium Ioannis infirmatur, aut quia illud vicissim à Christo comprobatur, aut quia eo maius testimonium Christus habet: sic in re pręsenti nec Scripturæ Sacræ derogatur, quòd ea testimonium accipiat ab Ecclesia, quamuis habeat maius testimonium à Spiritu Dei, quo Authore scripta est: nec Ecclesiæ testimonium & Authoritas infirmatur; quòd, aut à Scriptura vicissim testimonium accipiat, aut quia præter Ecclesiæ ministerium Authorem habet Spiritum Sanctum; sed retinet vtraque vim suam, Scriptura lucis & veritatis demonstrantis & comprobantis Ecclesiam, Ecclesia testis & ministri testificantis & dispensantis Scripturam. Maius tamen quiddā & excellentius in re præsenti quàm in exemplo hoc Ioannis & Christi reperitur. Ioannes enim testis tantummodo fuit, non etiam minister & dispensator earum rerum quæ ad Christū pertinebant. Ecclesia non solum testis, sed & minister ac dispensator verbi Dei relicta est, siue id scripto mandatum fuerit [quod Scripturam vocamus] siue per manus traditum, de qua re postea copiosiùs. Hæc breuiter sufficere possunt, ad dubitationē illam tollendam, quam inde oriri diximus, quòd in Scripturis Ecclesia quærenda esset, & per eas demonstranda.

Controuersiæ primæ Libri primi finis.

A

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIÆ PRIMÆ, LIBER SECVNDVS.

De vera Ecclesia in se.

PROOEMIVM.

B ATQVE hæc hactenus de hæreticorum fraudibus, variisque tergiuersationibus circa Ecclesiæ descriptionẽ, quam illi quidem qui saniores videri volunt, verbo visibilem dicunt, re autem ipsa negant: & de notis quas affingunt, quæ incertam, vagam, & obscuram, non exploratam, stabilem, & illustrem reddant: denique de argumentis quibus has suas notas stabilire conantur, diximus. Nunc ad secundam factæ distributionis partem circa duos postremos errores ex quinque initio disputationis prænotatis confutandos veniamus. Nempe vt firmissimis argumentis demonstremus veram Ecclesiam Christi & visibilem esse, & in multitudine non in paucitate positam. Deinde verò vt anteà præstitutum est, hæreticorum argumentis, quibus vel occultam illam vel paucorum esse contendunt, respondebitur. Primùm itaque, vt Ecclesia Christi visibilis esse ostendatur, & in multitudine non in paucitate posita, ex Scripturis disputabimus; eámque non ex humanis documentis, sed ex diuinis oraculis demonstrabimus, id quòd perpetuo à nobis hodie hæretici & pertinacissimè flagitant: idque Sancti Augustini vt volunt exemplo. C Sane quia in describenda Ecclesia ad Scripturas ex Augustino appellarunt, ad Scripturas ex Augustino ibunt. Nempe describunt nobis Scripturæ Ecclesiam secundum statum noui Testamenti & temporis Euangelici, non hîc aut illic apud paucos latitantem, quasíque incertis semper sedibus vagantem, vt eam imaginatur Melanchthon, scribens eam *vagari vt Scholasticos exulantes*, sed vbique terrarum per omnes gentes vbi Christi nomen prædicatum est, in magna multitudine dispersam, illustrem, certam atque conspicuam. Si aliter eam nobis descripsissent, latibulis hæreticorum & partibus horum & illorum locorum & temporum fides habenda fuisset. Et, vt vtamur Augustini verbis, lib. de vnitate Eccl. cap. 3. *Si Sacræ Scripturæ in Africa sola designassent Ecclesiam, & in paucis Romæ Montensibus, quidquid de chartis aliis proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ: Si in paucis Mauris prouinciæ Cæsareensis eam Sacra Scriptura determinat, ad Rogatistas transcendum est. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis, Maximinianistæ ad eam prouenerunt.* (Fuerunt autem hi omnes sectæ quædam Donatistarum, vt hodie Lutheranorum

Marginal notes: 1. 2. 3. *Præsentis libri Argumentum.* 1. 2. 1. *loci communibus.* Augustinus.

ſectæ ſunt Anabaptiſtæ, Caluiniſtæ, Oſiandrini, aliíque permulti: *Iſti in ſolis* D *Orientalibus, inter Arrianos, & Macedonianos & Eunomianos, & ſi qui illic alij ſunt, requirenda eſt. Quis autem poſſit ſingulas quaſi hæreſes enumerare ſingularum gentium? Si autem Chriſti Eccleſia Canonicarũ Scripturarum diuinis & certiſſimis teſtimoniis in omnibus gentibus deſignata eſt, quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt; Ecce hîc eſt Chriſtus, & ecce illic, audiamus, ſi oues ſumus, vocem paſtoris noſtri, Nolite credere: Illæ quippe ſingulæ in multis gentibus vbi Eccleſia eſt, non inueniuntur. Hæc autem quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur. Ergo in Scripturis Canonicis eam requiramus.* Hæc Auguſtinus. Accommodemus hæc ad præſentes hæreſes, & dicamus; Si Scripturæ in ſola Geneua, in quibuſdam Helueticorum pagis, & in comitatu Palatino Rheni, & in Britanniæ inſula Eccleſiam fore deſcripſiſſent, ſoli Caluiniſtę eam obtinerent. Si Vvirtembergę, Lipſię, Magdeburgi, ad ſolos Melanchthonicos ſeu molliores Lutheranos tranſeundum eſſet. Si in ſuperiori Saxonia, vt Lubecę & Hamburgi & in ducatu Vvirtembergenſi, ſoli eam tenent rigidi Lutherani. Si in Pruſſia, ſoli Oſiandrini. Si in Sileſia, ſoli Suenckfeldiani: Si in Morauia & in quibuſdam huius inferioris E Germaniæ pagis, ſoli Anabaptiſtæ Eccleſiam habent. Cæterùm ſi nec hîc nec illic, ſed vbique nulli certo loco aut incluſam aut alligatam fore Eccleſiam Scripturæ prædixerunt, ſoli illam habent Chriſtiani qui vbique ſunt; & qui propterea etiam ab ipſis hæreticis Catholici, quaſi ad vniuerſum corpus pertinentes, nuncupantur. Fides enim quæ Catholica dicitur, in omnibus locis prænominatis reperitur. Reliquæ hæreſes non in omnibus Chriſtianorum populis, ſed vnaquæque ſuis certis locis graſſatur. Ergo in Scripturis pręſentem quoque Eccleſiam exquiramus. Vt autem in pertractãdis Scripturis, quantum fieri à nobis poteſt, & ſolidè & dilucidè verſemur, de Chriſto pariter & de Eccleſia, de capite & de corpore coniunctè diſſeremus. Vtrumque enim eadem fere opera ſimul & coniunctim Sancta Scriptura nobis deſcribit atque commendat.

Diſperſio ſectarum huius temporis.

Quòd

A

Quòd Ecclesia Christi, iuxta noui Testamenti statum, sit credentium multitudo visibilis, & illustris, Demonstratio ex promissis ante legem.

CAPVT PRIMVM.

ILLVD ante omnia obseruandum est, quòd quemadmodum non statim post hominis lapsum caput Ecclesiæ, qui Christus est, apparuit, sed propter varias & maximas causas (quas hoc loco recensere prolixum est, & nimis ab instituto remotum) primùm absque lege scripta vtcunque sperabatur, deinde sub lege certiùs expectabatur; sed ita vt lex illa venturum eum promitteret, non præsentem præstaret, obscuriùs quoque sub figuris & vmbris, ceremoniis & sacrificiis ad tempus, exerceret, & pædagogus magis esset prima elementa tanquam pueros docens, quàm magister eruditus, qui omnem veritatem apertè doceret, & tanquam viros solido cibo pasceret, sic nec ipsum Christi corpus quod est Ecclesia, statim illustre & conspicuum esse cœpit, sed quibusdam quasi gradibus atque vestigiis ad suam plenitudinem Ecclesia peruenit, sicuti paulatim multis præcedentibus vmbris, rerum figuris, prophetiis, oraculis ipsemet tandem Christus & tota veritas patefacta mundo est. Nempe sic magis ac magis semper innotuit Ecclesia Dei, quò magis ac magis manifestari cœpit Christus filius Dei. Quod ex historia

Christus & Ecclesia eius paulatim innotuerunt eisdem semper gradibus & incrementis.

B sacra liquidè constabit. Ante diluuium, vt perexigua erat de Christo mentio, & rara prædictio, scilicet in solis illis verbis; *Ipsa conteret caput tuum*; & in Abelis Sacrificio, sic credentiũ 1.
maxima paucitas legitur. Seth & filius eius Enos cum paucissimis familiæ suæ posteris, Mathusala, Enoch & ipso Noë, in cuius sola familia octo hominum (toto reliquo orbe propter scelera demerso) veri Dei verus cultus remansit. Dixit enim ei dominus, *Ingredere tu & omnis domus tua in Arcam. Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Neque tamen hic plenioris futuræ Ecclesiæ typus defuit. *Ipsa enim Arca in eo quòd omnia animalium genera intra se contineret, omnes gentes significabat quas Ecclesia continet*: ait Augustinus lib. 12 cap 15. cõtra Faustum Manichæum, & docet S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Sed hæc adhuc obscuriora fuerunt.

Gen. 3. Gen 4. Gen. 7. Augustinus. Hieronym.

Post diluuium totis trecentis annis, nempe vsque ad ætatem Abrahæ, nulla planè fit credentiũ, aut purè Deum colentiũ euidens mentio: *Non quia toto illo tempore defuerint* (ait Augustinus) *sed quia si omnes commemorarentur, esset hæc magis historica diligentia, quàm prophetica prouidentia.* Hæc ille de Ciuitate Dei lib. 16. cap. 2. Nempe quia non aliter procursum Ecclesiæ, seu Ciuitatis Dei describere voluit Spiritus Dei, quàm de ipso Christo prophetias texere, quum toto hoc tempore de capite Christo nulla figura, aut prædicto intercesserit, de Ecclesia quoque eius corpore par silentium fuit. Extitit enim illa quidem, sed in vnica tantum familia. *Nam in diluuio multarum superstionum* (ait Augustinus libri præallegati cap. 12) *per vniuersum mundum vna remanserat domus Thare, qui pater Abrahæ fuit, in qua custodita est plantatio Ciuitatis Dei.*

2. Augustinus. Augustinus.

C At verò, *in Abraham* (ait ibidem Augustinus) *sicuti clariora leguntur promissa diuina de Christo, sic euidentior incipit esse notitia Ciuitatis Dei.* Nunc enim promittitur apertè semẽ, in quo benedicentur omnes gentes, quod est Christus, & designatur familia ex qua nasciturus esset. Gen. 12. & 18. Designatur quoque futura Ecclesia his verbis; *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris.* Gen. 22. Hoc enim non ad Israëliticam tantũ gentem pertinet, sed ad illud etiam semen, quod futurum est secundum imitationem fidei toto orbe terrarum, vt docet Augustinus libro citato cap. 21. & 32 Rursum in Psal. 30 conc. 2. & in lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 6. vbi sic Donatistas alloquitur, tractans illa verba. *In semine tuo benedicentur omnes gentes. An Iud eorum nobiscum peruersitate contẽditis, vt dicatis in solo populo nato ex carne Abrahæ intelligendum semen Abrahæ? Quid ergo dicat Apostolus, audite. Abrahæ dictæ sunt repromissiones, & semini eius, quod est Christus. Ecce in quo semine benedicentur omnes gentes. Ecce testamentum Dei. Aperite aures. Hominis testamentum nemo irritum facit aut superordinat. Et quare vos irritum facitis testamentum Dei dicendo, nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse iam de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis dicẽdo: In nullis terris hæredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohæredem habere Donatũ?* Hæc ille. Quæ

3. Augustin. de vnit. eccl. cap. 6. Gal. 3.

totidem verbis Luthero, Caluino, aliísque hodie nouatoribus dici debent. Illi enim omnes D testamentum Dei irritum faciunt, quotquot hodie non omnium gentium Ecclesiam ponunt: sed iam ex omnibus gentibus sub Papatu defecisse, & apud paucos remansisse, in locis videlicet prænominatis impudentissimè asseruit. Sed pergamus in historia sacra.

4. Eadem promissio & Christi, & Ecclesiæ facta est Isaac filio Abrahæ, eisdem planè verbis Gen. 26. & Rursum ad Iacob Gen. 28. sed maiore paulò euidentia. *Erit*, inquit Scriptura, *semen tuum quasi puluis terræ; dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem & Meridiē. Date mihi* (ait Augustinus Donatistis) *hanc Ecclesiam si apud vos est; Ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici*, hoc est, Christi nomen profiteri. *Date hanc, aut furore deposito accipite.* Hæc ille de vnit. Ecclesiæ cap. 6. Est etiam in benedictionibus Iacob aperta Prophetia de Christo his verbis; *Non deficiet Princeps de Tribu Iuda, donec veniat qui mittendus est*: & subiicitur statim de Ecclesia. *Et ipse erit expectatio gentium. Quod clarius est videndo, quā exponendo*, ait August. de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 41. quia videlicet per omnes gentes diffusa iam est Ecclesia, in statu noui Testamenti & reuelati atque exhibiti mediatoris mundi.

Gen. 49.

5. Iam verò data ipsa lege sicuti magis per varias ceremonias & figuras innotuit Christus (ipse enim Moyses, ait Augustinus de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 11. *Christum Prophetauit per figuras obseruationum carnalium in tabernaculo & sacerdotio & sacrificiis, aliísque mysticis plurimísque mandatis*) ita & ipsa fidelium magis creuit Ecclesia, sacerdotio Aaronico tunc instituto, & Tribu Leuitica Deo consecrata, vnde eius Ecclesiæ rectores perpetuò sumerentur, de fu- E tura quoque Christi omnium gentium ecclesia; omniúmque oculis conspicua clariùs & crebrius prophetatum fuit. Iam enim terram promissionis impleuerant Israëlite: & sub Iudicibus, dein Regibus, postremò pontificibus suis in satis illustri & conspicua multitudine vixerunt. Ne tamen completum id totum putaretur quod Abrahamo, Isaac, & Iacob toties promissum fuit, de multiplicando semine eorum, non cessarunt de futura adhuc longè ampliori ecclesia prædictiones. Itaque ante Psalmos & Prophetas, Anna mater Samuelis, *Qui transferendi Iudæorum sacerdotij typus erat, & in quo tempus prophetarum cœpit* (ait Augustinus) quemadmodum de Christo sic etiam de ecclesia conspicua prædixit his verbis. *Repleti prius pro panibus se locauerunt & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Repleti panibus* (ait Augustinus libro citato, cap. 4.) *illi sunt Israëlitæ quibus credita sunt eloquia Dei: famelici autem sunt gentes totius orbis. Sterilis enim erat in omnibus gentibus Dei Ciuitas, antequam iste fœtus, per quem eam factam fœcundam cernimus, oriretur: id est, antequam Christus nasceretur. Dicat ergo Ecclesia Christi, ciuitas Regis magni, gratia plena, prole fœcunda; dicat quod de se tanto ante tempore prophetatum est. Exultauit cor meum, &c.* Hæc ibi Augustinus, huius noui Testamenti sub Christo iam reuelato & exhibito statum illustrem atque gloriosum describens.

De ciuitat. Dei Lib. 7. cap. 1.

1. Reg. 2.

Rom. 3.

Demonstratio visibilis & latè diffusa Ecclesia, ex Psalmis. F

CAPVT XVII.

QVOD si psalmos hîc consulamus, infinita nobis occurrunt de hac re testimonia. Sed nos summatim præcipua perstringemus. in Psalmo. 2. de Christo dicitur; *Filius meus es tu*: móxque de ecclesia subiicitur; *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam extremos fines terræ. Nemo Christianus hanc hæreditatem aliud esse quàm Ecclesiam vnquam intellexit*, ait Augustinus de vnitate eccle. cap. 8.

In Psam. 18. de ecclesia dicitur (interprete Apostolo, ad Rom. 10.) *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Rursum; *In sole posuit tabernaculum suum*, id est; *In manifestatione posuit S. Ecclesiam suam* (ait Augustinus) *non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum Quid tu hæretice fugis in tenebris? quid latitare conaris?* Hæc ille in enarrat. Ibidem; mox quoque de Christo subiicitur; *Ipse tanquam sponsus, &c.*

enarrat. ibidem.

In Psalm. 21. quum de passione Christi multa prædicta essent, vt illud; *Foderunt manus meas, &c.* de ecclesia subiicitur; *Conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Notat hic Augustinus enarratione in hunc locum; *Si*

dixisset

A *dixisset propheta fines terræ, nec adiecisset, vniuersi, dicerent Donatistæ; Ecce habemus fines terræ in Mauritania.* Nec minus hodie dicerent Caluinistæ Angli: Ecce habemus in Britania:& sic de cæteris. *Sed dixit Propheta; Vniuersi fines terræ: O hæretice* (ait Augustinus) *vniuersi dixit: Quà exiturus es vt euadas quæstionem? Non habes quò exeas, sed habes quò intres.* Hæc ille; In Ecclesiæ Catholicæ Arcam conspicuam & domum magnã intrare debes, si ad eam societatem pertinere vis, quæ mediatoris Christi passionum particeps fit; & vt particeps fiat, ex vniuersis gentibus ad eam conuertitur.

Rursum in Psal. 44. quum obscuriùs de Christo dictũ esset; *Eructauit cor meum verbũ bonũ &c.* De Ecclesia apertè subiicitur; *Pro fratribus tuis nati sunt tibi filij: Constitues eos principes super omnem terram. Hæc est Catholica Ecclesia* (ait Augustinus in Enarrat. ibidem) *Agnoscant qui præcisi sunt; veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Templum suum Deus vbique collocauit, vbique firmauit, super omnem terram.* Hæc ille.

Sed apertissimus hac in re est Psal. 47. *Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Hæc est Ciuitas* (ait Augustinus) *in monte posita, quæ abscondi non potest. Hæc est lucerna quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata.* Sequitur enim; *Fundatur exaltatione vniuersæ terræ mõs Sion. Latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni. &c.* Nec minus apertè in Psal. 49. de Christo dicitur; *Deus deorum loquutus est.* Móxque de Ecclesia additur; *vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum: Ex Sion species decoris eius. Quid hic exurgunt pseudochristi & pseudoprophetæ* (ait Augustinus) *dicentes; Ecce hic est Christus, ecce illic? Non audio ostendentes partes: Deus deorum totũ mihi ostendit.* Hęc ille. Simili & breuitate & claritate in Psal. 56. legimus; *Exaltare super cælos Deus*, de Christo; *Et super omnem terram gloria tua*, de Ecclesia. *Cur dominum Christũ exaltatum super cælos creditis, & eius gloriæ super omnẽ terrã non cõmunicatis?* ait Augustinus Donatistis. Neque verò dubitari potest de Christo & eius Ecclesia dici. Psalm. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, & quæ sequuntur. Vbi super id quod in fine illius Psal. dicitur, *Replebitur maiestate eius omnis terra, fiat fiat*, sic concludit Augustinus; *vicit vos verbum Dei dicens; Fiat. Ecce manifestata est in psalmis Ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit gloria Regis eius.* Hæc ille, loco posterius allegato. Totidem verbis Lutheranis hodie, Catholicus tantundem dicito.

Enarrat. ibidem.

Enarrat. ibidem.

B

De vnitate eccles. cap. 8.

Demonstratio eiusdem ex prophetis.

CAPVT III.

VENIO nunc ad prophetas, qui pari diligentia illustrem nobis & amplissimam futuram Ecclesiã Christi in noui huius fœderis ac testamenti statu describunt. Primus Esaias tam copiosus & luculentus hac in parte est, vt hoc nomine à S. Hieronymo in prologo commentariorum in Esaiam, & à S. Augustino lib. 18. cap. 19. de Ciuit. Dei, non tam propheta quàm Euangelista nuncupetur. Sic enim ipso statim initio de Christo & de Ecclesia pariter prophetiã suam texit. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi & dicent; Venite, & ascendamus ad montem Dei*, qui est Christus, *& ad domum Dei Iacob*, quæ est Ecclesia. His verbis non numerosam tantùm, sed & conspicuam fore Ecclesiam Christi prædixit. *Quid enim* (ait Augustinus) *tam manifestum quàm mons? Sed sunt & montes ignoti, quia in vna parte terrarum positi sunt. Iste autem mons non sic, sed erit mõs in vertice omniũ montiũ, & fluent ad eum omnes gentes. Quis errat in hoc monte? Quos odiũ excæcauit, qui fratres non iligunt. Isti se separarunt ab orbe terrarum*, Hæc ille. Rursum quum de Christo dixisset; *Egredietur virga de radice Iesse*, & multa alia, subiicit de Ecclesia; *Repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientis.* Sed vt omittamus plæraque ex cap. 26. & 27. item ca. 40. & duobus sequentibus, quæ de Christo & de Ecclesia in hunc sensum habentur, vnum aut alterum adhuc locum subnotabimus.

Cap. 2.

C

Tract. 1. in epist. Ioan.

Cap. 11.

Postquam de Christi gratia & amore erga populum suum multa dixisset, de futura Ecclesia sic scribit; *Ecce & isti de longè venient & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi.* Et iterum; *Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*: quasi alludens ad promissionem Abrahæ factam Genes. 12. vbi iubetur *leuare oculos suos. &c.* Et paulò pòst; *Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ*, hoc est, filij gentium: *Angustus est mihi locus: fac spacium mihi vt habitem*, &c. Quibus sanè verbis Ecclesiam Christi in illustri multitudine, non in obscura paucitate positam describit; adeoque numerosam forè vaticinatur, vt vniuersus quasi orbis eam non capiat. Simile his

Cap. 49.

D

Cap.54. est quod alibi dicit; *Parauit Dominus brachium sanctum suum*, id est Christum, *in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare* Dei *nostri*. Et iterum; *Lætare sterilis quæ*
Cap. 60. *non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia plures fily desertæ, quàm eius quæ habet virum*: (quæ verba Apostolus de Ecclesia Christi exponit ad Gal.4.) *Dilata locum tentory tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende: ne parcas: longos fac funiculos tuos; ad dexteram enim & ad læuam penetrabis*,&c. Præclara & dilucida hæc sunt, magis autem quæ sequuntur; *Surge, Illuminare Hierusalem*,&c. *Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gētes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Læua in circuitu oculos tuos & vide: Omnes isti*
Obiectionis remotio. *congregati sunt, venerunt tibi. fily tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & afflues, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Hæc ille. Ne verò in variis quidem gentibus futura videretur Ecclesia, sed ta-
Cap 61. men apud huiusmodi homines qui soli Deo essent cogniti, & mundo incogniti (quod hodie protestantes ferè omnes imaginantur) adhuc apertius dicit, capite sequenti. *Scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint illos, cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Planè ita illustrem & conspicuam fore Christianorum Ecclesiam prædicit, vt etiam digito demonstrari illa possit, etiam ab iis qui non sunt eius.

Sed alias nunc prophetias texamus. Quæ enim Spiritus S. toties inculcare & repetere voluit, non pigere nos debet etiam repetere. Maximè in hac quæstione de Ecclesia, quæ sola co-
Tract. 2. in piosissimè ex Scripturis ostenditur, & in qua demonstranda ad Scripturas appellarunt hæreti- E
apist. Ioan. ci. Huc accedit quod S. Augustinus diligenter monet, *eas Scripturas maximè memoriæ commendandas esse, quæ contra hæreticos valent plurimùm, quorum insidiæ infirmiores quosque, & negligentiores circumuenire non cessant.*

Cap.17. Proximè Esaiam sequitur Hieremias, qui de Ecclesia sic scribit; *Sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra.* His enim verbis *docet illam Ecclesiam prædictam esse, quæ omnibus eminet &*
Contra Faustum lib.13. cap 13. *apparet*, ait Augustinus, & ex eo postea copiosiùs suo loco ostendetur. Ezechiel quoque de Christo & eius futura gratia prædicens, eam gentibus conspicuam fore his verbis docet. *Erit*
Cap 37. *tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, quum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Certè si vel
Dan. 2. apud paucos vel obscura hæc Christi sanctificatio, quæ in toto Christianæ religionis vsu con-
Tract. 1. in apist. Ioan. sistit, esset, sciri illa à gentibus non posset. Nec minus perspicuè Daniel. Christus enim *lapis ille est excisus de monte sine manibus, qui factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Quod de Ecclesia prędictum & impletum esse docet Augustinus. Sed & alibi idem de Chri-
Dan.7. sto & Ecclesia pariter prædicit in hæc verba; *Datus est ei principatus & honor & Regnū, & omnes populi & tribus & linguæ seruient ipsi.* Præclarè quoque Aggæus propheta de Christo dicit;
Cap.1. De ciuit. Dei lib.18.cap 45. Cap. 3. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* De Ecclesia subiungit; *Implebo domum istā gloria. & magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquàm primæ.* Quod quidem non de reædificato Salomonis templo per Nehemiam, sed de Ecclesia Christi prædictum fuisse docet Augustinus accu-
Lib.16.cap.19. De ciuit. Dei lib.18. cap.32. cap. 3. cap. 9. ratè. Micheas eandem de Christo & Ecclesia prophetiam ad verbum habet cap. 4. quàm ex Esaiæ ca 2. supra citauimus. Abacuch quum de Christo dixisset, *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharā*, vt exponit Augustinus contra Faustum Manichæum, statim de Ecclesia subiungit; *Operuit cælos gloria eius, laudis eius plena est terra: Splendor eius vt lux erit.* Quod totum de Ecclesia dici demonstrat Augustinus copiosè. Nec tacuit hoc Sophonias, cùm scriberet, *Tunc reddam populis labium erectum, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno.* Apertiùs autem Zacharias de Christo quum dixisset, *Ecce venit Rex tuus tibi mansuetus*, ad-
cap 1. dit de Ecclesia; *Potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.* Postremus Malachias vno & eodem Spiritu cum cæteris describens Iudaici populi derelectionem, ait de Ecclesia Christi; *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.*

Augustinus. Prætermittenda hoc loco non sunt, quæ sapientissimus Salomon diuino etiam Spiritu afflatus tā de Christo quàm de Ecclesia Christi mysticè prophetauit. Etenim quæ in Cāticis Cāticorum de sponso & sponsa scribuntur, *de Christo & de sancta Ecclesia dicta esse, omnis Christianus agnoscit*, ait Augustinus lib. de vnit. Eccle. cap.13. In principio ergo illius diuinissimi colloquij, in quo & sponsi & sponsæ admirabiles dotes & virtutes describendæ essent, ante omnia quęritur, vbi sponsus inueniri possit, & quę sit Eccl. in qua Christus inuenitur. Dicit ergo spōsa, id est, Ecclesia. *Indica mihi, quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes in meridie: Veniet enim*

dies

A *dies medius*(ait Augustinus hunc locum exponens) *quando ad vmbracula cõcurrent pastores*: veniet lucida illa prædicatio nominis tui, quando ad lambula se recipient segregati pastores, relicto vnico vero pastore. *Et fortè latebit me vbi tu pascis, vbi cubas, Volo vt mihi annuncies.* Et caussam subiicit huius sui desiderij. *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*: vel vt legit Augustinus, *Ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium suorum.* *Ego enim* (ait in persona Ecclesiæ Augustinus huius loci interpretationem prosequens) *manifesta sum, sed ne sicut occulsa, & sicut cælata incidã super greges sodalium tuorum. Omnes enim hæretici à Christo exierunt, omnes qui facti sunt pastores mali habentes greges suos sub nomine Christi, illius sodales fuerunt, illius conuiuium acceperunt: simul cum illo dulces capientes cibos* (vt legimus psal. 54.) *Annuncia ergo mihi, ne forte se præterito incidam in sodales suos, qui nominu consortium portant, Christiani dicuntur, sed separati aberrant. Audio enim varias esse partes, sed vnam esse vniuerso tuo cohærensem. Tu ergo dic vbi cubas, ne forsè incurram in greges hæreticorum.* *Sodales enim Christi* (ait Iustus Orgelitanus episcopus) *quadam ex parte hæretici vocantur, quia natiuitatem, passionem & Resurrectionem eius profitentur, habentes formam pietatis, &c.* *Huic interrogationi, seuerissimè* (ait Augustinus loco citato) *non blande respondens sponsus, sed pro magnitudine periculi: Nisi cognoueris* inquit, *temetipsam, ô pulchra inter mulieres, exi: & abi post vestigia gregum suorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* In quibus verbis *vnumquemlibet ex Ecclesia tanquam Ecclesiã Christus alloquitur*(ait Augustinus) *& dicit; Nisi cognoueris temetipsam, exi: id est, aut cognosce te aut exi. Quia si te non cognoueris, exitura es. Exire autem hæreticorum est.* Ideo subdit; *Et abi post*

Lib. de Pastoribus cap. 15.

In Annotationibus super cãticum canticorum.

B *vestigia gregum tuorum, sequendo malos greges; Et pasce hædos tuos, iam non oues. Exierunt enim ab Ecclesia. Manenti Petro dicitur; Pasce oues meas. Exeunti hæretico dicitur, Pasce hædos tuos.* Hæc ibi August. Sic & alibi hunc locũ, sed paulò enucleatius tractat. *Nisi cognoueris temetipsum, exi tu. Non ego te eiicio. Sed exi vt dicatur de te; Ex nobis exierũt: sed non erant ex nobis. Exi tu non in vestigiis meis, sed in vestigiis gregum, nec vnius gregis, sed diuersorum gregum & errãtium, & pasces hædos suos, nõ oues meas, & in tabernaculis pastorũ, nõ in tabernaculo pastoris, vbi est vnus grex & vnus pastor. Cognoscit enim semet ipsam Ecclesia, ne hoc ei cõtingat, vt abeas in deuia hæreticorũ, quia eis cõtingit hoc qui se in Ecclesia non cognouerũt*: id est, quibus Ecclesia incognitũ & occultũ quiddam videtur, vt hodie protestãtibus. Nec dissimiliter hũc locum tractat Iustus Origelitanus episcopus scriptor eruditus, elegans, & antiquus qui ante annos mille & amplius scripsit. *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, id est, o gloriosa inter hæreses, ne aberres me alibi extra te quærendo vllo modo. In te quippe, vbi me hactenus non quærebas tanquam in meridie requiesco. Christus enim in Ecclesia Catholica tanquam in meridie cubans, mũdum vniuersum suo fulgore perfundit. In illis ergo te esse recognosce, quibus post* Resurrectionem *meam veraciter repromisi; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ seculi: Quòd si quadam promissorũ meorum dubitatione aliquo modo fluctuas, nec meam præsentiam nec tuam pulchritudinem cognoscis, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. Meritò enim post vestigia gregum perget, qui pastoris præsentiam dereliquit. Et pasce hædos suos, iuxta tabernacula pastorum, iniustos homines oblectans traditionibus vel conuenticulis hæreticorum. His etenim redargutionibus obiurgari merentur, qui Christum in Catholica Ecclesia,*

Pascere hædos hæreticorum est.

Luc 22.

Epistol. 48. ad Vincẽtinum.

Vide hunc Authorem in Bibliotheca Sacra tomo 6.

C *vel seipsos Catholicam Ecclesiam esse non cognoscunt.* Hæc ille in annotationibus seu commentariis super Cantica Cant. Ex qua tota disputatione illud colligitur; Christum cubare & pascere in Ecclesia cognita; & inueniri sponsum non nisi in manifesta Ecclesia, de qua manifesta Ecclesia qui semel dubitat, exire incipit: ad hæresim tendit. Idcirco pergens sponsus eam describere dicit; *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*, vt eius videlicet illustrem splendorem ostenderet.

Demonstratio eiusdem veritatis ex Euangelio.

CAPVT IIII.

ATQVE hæc quidem hactenus ex veteri testamento, ex legẽ, Psal. & prophetis Quæ omnia, ne in alienum sensum detorta cuiquam videantur, ipsum hic Saluatorem interpretem adhibebimus: Et (vt loquitur Augu. *ipsum caput audiemus verissimum demonstratorem corporis sui.* Quũ enim post gloriosam Resurrectionẽ apparens discipulis suis, & aperiens illis sensum, vt intelligerent Scripturas, dixisset illis; *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis, & psalmis de me tan-*

De vnit. ecclesi. cap. 9.

De vnit. ecclesiæ cap. 9. *quàm si quæreremus* (ait Augustinus) *vtrum in eo quod dixit de me, illic intelligenda esset Ecclesia,* D
Gen. 2. *propter id quod scriptum est; Erunt duo in carne vna, & non solum de capite, verumetiam de corpore,*
certa diuina oracula teneremus, sequitur & dicit eis; Quoniã sic scriptum est, & sic oportebat Christum
pati, & resurgere à mortuis tertia die. Hic ipsum caput ostenditur. Vide autem quemadmodum
de corpore adiungat, quod est Ecclesia, vt nos nec in sponso nec in sponsa errare permittat. Et predicari
(inquit) *in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, per omnes gentes, incipientibus à Ie-*
rusalem. Nihil hac voce veraciùs, nihil manifestiùs. Quæ ergo Abrahæ, Isaac & Iacob ante le-
gem promissa sunt, quæ futura psalmi & prophetæ creberrimè inculcabant, hoc nunc ne-
cessario implendum esse, ipsa veritas dilucidé affirmat. Quin & frequentius hoc idem
Saluator in Euangelij sui prædicatione præmonuerat. Primùm enim, Matth. 5. quum
multa discipulos suos in monte seorsim à turbis docuisset, sic eos totius fidelium Ecclesiæ
Matth. cap. 5. personam gerentes alloquitur; *Vos estis lux mundi: Non potest ciuitas abscondi super montem*
Matth. 18. *posita.* Deinde, quia multitudo conspicua futura erat Ecclesia, Controuersias quæ pri-
uatim terminari non poterant, ad illam referri iubet. *Si peccauerit*, inquit, *in te frater tuus,*
corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum vel duos: vtrum-
que hoc priuatum est, & paucorum arbitrium. Nunc vt multitudinem designet conspi-
cuam & certam ad quam referri causa possit, subiicit: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*
Quo præcepto nihil vanius esset, si ipsa Ecclesia, quæ hic adiri & audiri à fidelibus iube-
tur, occulta prorsus & incognita fidelibus futura esset posita vel in deserto paucorum, vel in E
multitudine incognita.

Rursum de pseudochristis & pseudoprophetis, id est hæreticis apertissimè admonens,
Matth. 24. eos à paucitate & latebris imprimis cauendos docet. *Si quis*, inquit, *vobis dixerit; Ecce hic*
De vnit. ecclesiæ cap. 20. *est Christus, ecce illic, nolite credere.* Et iterum; *Si dixerint vobis, ecce in deserto, quasi vbi non est fre-*
quentia multitudinis, ait Augustinus, *nolite exire. Ecce in penetralibus, quasi in secretis traditionibus*
atque doctrinis, nolite credere. Postremò in nouissimis verbis suis quæ habuit in terris (vt notauit
Ibidē cap. 16. diligenter Augustinus) manifestam & copiosam demonstrauit Ecclesiam, dicens iamiam ad
patrem ascensurus; *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & in Samaria & vsque ad*
vltimum terræ.

Act. Est autem obseruatione dignissimum, vt hæc Saluatoris verba verbis propheticis aptè res-
Verba Christi cum verbis prophetarum cum ecclesia comparantur. pondeant. Quod enim dixit Esaias, *de monte domus domini futuro in vertice mõtium, & eleuan-*
do super omnes colles, apertiùs dixit Christus Apostolis præsentibus, Ecclesiæ suæ primitiis; *Non*
potest ciuitas abscondi super montem posita. Quod dixit Dauid; *Exaltare super cælos Deus*, dixit
Isa. cap. 2. Christus; *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: Quod adiicit statim Dauid;
Matth. 5. *& super omnem terram gloria sua*, adiecit statim Christus; *& prædicari in nomine eius remis-*
sionem peccatorum per omnes gentes. Quod dixit Dauid; *Ex Sion species decoris eius*: & Esaias;
Luc. 24. *De Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem*, dixit apertè Christus; *Incipientibus ab Hie-*
rusalem. Et tunc hæc omnia dixit Christus, quum doceret discipulos, *aperient illis sensum vt in-*
telligerent Scripturas, quomodo *necesse esset omnia impleri, quæ scripta sunt de illo in lege Moysi, in* F
psalmis & prophetis.

Iam verò ne quod futurum dicit Saluator, diutiùs expectandum videatur, aut post mille
tandem & quingentos annos implendum, describit diligenter historia sacra omnia per ordi-
nem subsecuta fuisse, sicut Saluator prædixerat. Nam in Hierusalem primò cœpisse Eccle-
siam, Actorum caput secundum demonstrat: *baptisatis ibi vno die 3000. hominum.* Rursum
orta persecutione Hierosolymis, dispersos fuisse fideles in regionibus Iudææ & Samariæ, A-
ctor. 8. qui *transeuntes per castella & ciuitates, Euangelisabant verbum Dei.* Quia ergo restabat,
vt prædicato Euangelio in Iudea & Samaria prædicaretur ex ordine *per omnes gentes*, vt Salua-
tor prædixerat, *vsque ad vltimum terræ*, vocatur Saulus de cœlo, Actorum nono. Fit ex perse-
Act. 9. cutore prædicator, & dicit de illo dominus ad Ananiam; *Vas electionis mihi est, vt portet nomen*
meum coram gentibus & regibus, & filiis Israel. Rursum, quum ipsi Paulo Iudæi resisterent &
Act. 13. contradicerent Antiochiæ, ipse & Barnabas dixerunt ad eos; *Vobis oportuit primum loqui ver-*
Rom. 5. *bum Dei: sed quia repulistis illud, conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis dominus dicens; Posui*
te lumen gentibus, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. Quod quidem totum quemadmo-
dum postea consecutum sit, & *in omnem terram exiuerit sonus eorum*, (vt Apostolus ipse adhuc
de suo tempore scripserat) tum Acta & literæ Apostolicæ, tum tota reliqua historia Ecclesia-
stica demonstrat.

Ex

A Ex his omnibus vtriusque instrumenti Scripturis, luce clarius demonstratur veram Christi Ecclesiam, iuxta præsentē huius noui testamenti statum, multitudinem esse fidelium, non paucitatem; eámque illustrem, non obscuram; & vbique gentium diffusam, non hic aut illic conclusam. Nec cuiquam aut inutile, aut curiosum videri hoc debet, quòd tantam testimoniorum farraginem ad vnius rei veritatem demonstrandam collegerim. Fecit hoc ante me Augustinus cōtra Donatistas, quorū multo hac in re minor erat insania, & tolerabilior dementia, quàm nostrorum hodie hæreticorum furor est. Illi enim sui tantum temporis Ecclesiam toto orbe diffusam damnarunt, aut saltem à Cæciliani tantum tempore vix centum adhuc annis periisse de toto orbe Ecclesiam impudenter clamitabant. Nostri verò hodie totis & amplius mille annis Ecclesiam totius orbis damnant. Rursum illi posse quidem Ecclesiam toto orbe perire docere videbantur, sed non illud Ecclesiæ proprium & necessarium esse docebant, vt vel incognita, vel paucorum esset. Nostri hodie proprium & necessarium esse veræ Ecclesiæ volunt, vt mundo incognita sit, vt penes paucos subsistat, vt semper cruci subiecta sit. Denique notam & characterem veræ Ecclesiæ esse, vt pro hæreticis & excommunicatis habeantur, qui ad Ecclesiam pertinent. Postremò veram & Catholicam Ecclesiam non nisi bonorum & Sanctorum societatem esse. Præterea Donatistæ non re vera hoc quasi dogma proprium docebant. Ecclesiam periisse, aut ex illa persuasione ab Ecclesia recedebant; sed quum alia de causa iam ab Ecclesia exiissent, istud tanquam ex eorum doctrina & schismate consequens, illis semper obiiciebat & imponebat, tum Optatus, tum Augustinus, tum alij Catholici. Quod quidem illis obiectum, ineptè sanè illi &
B impudēter tuebantur, necessitate tamen quadam magis cœpti schismatis eò impulsi, quàm sponte adducti. Nostri verò hodie, hoc primùm fundamento iacto; Papam esse Antichristum, & Ecclesiam totius orbis scortum eius, sic à nobis recesserunt; & tanquam precipuum Religionis suæ mysterium exosculantur, paucorum electorum esse Ecclesiam, & veritatem in mundo subinde exulare, & similia. Iustissimè ergo D. Augustini diligentiam hac in re imitari debui, & aduersus hostes persimiles, imo in hoc genere longè pestilentiores, telis & armis similibus dimicare. Quanquam sanè non tantum ad hæreticorum hodie dementissimam hanc sententiam prorsus euertendam; sed & præterea, ídque multò magis, ad veræ Ecclesiæ Christi illustrem & certissimam quandam notam ac proprietatem demonstrandam, indéque eius tandem definitionem plenam & absolutam conficiendam, hæc è Scripturis studiosè commemorauimus. De qua quidem veræ Ecclesiæ Nota seu proprietate, eiusque vsu ad rem præsentem accommodatissimo, latius infrà disputabitur.

Quare tot testimonia ad Ecclesia propagationem demonstrādam coaceruata hoc loco fuerint.

Maior est hodie protestantium quàm olim donatistarū furor.

Vide supra lib. 1. cap. 13. & 17.

Vide infra ca. 8. & 16.

Lib. 4. cap. 2. & 3.

Quo sensu sit verum quòd Ecclesia Christi sit multitudo illustris, iuxta allegata Scripturarum testimonia.

C

CAPVT V.

IAM verò, ne quis erret, quo sensu hoc totum verum sit, quod de Ecclesia diximus multitudinem illam esse illustrem, & toto orbe diffusam, diligenter explicandum est. Non enim sic Ecclesia Christi iuxta statum Euangelij, omnium gentium & vbiq; esse, ex his Scripturis colligitur, vt vno & eodem momento per omnes orbis partes diffundatur. Neque enim nunc Ecclesia Christi vbique terrarum est, aut aliquando vbique terrarum fuit simul & semel; ne quidem ipso Apostolorum tēpore; præcisè loquendo, & singulas gentes aut nationes hominum complectendo. Nec propterea tamē, vel desinet nunc esse vera Christi & Catholica Ecclesia, vel olim desiit. Sed neque hæreticorum paucitati aut obscuritati quicquam propterea patrocinabimur. Sed describitur vera Christi Ecclesia in Scripturis, pro Ecclesia omnium gentium & populorum, pro Ecclesia longè latéq; diffusa, illustri & conspicua, variis de causis & respectu vario. Primum vt intelligamus illam societatem Christianorum, esse veram Ecclesiam, quæ in fide communicat illi hominum Christianorum societati quæ successiuè & per partes, per omnes

Quare Ecclesia dicitur esse omnium gentium.

Circa finem cap. 45.

gentes diffusa & propagata fuit; quod ex continua pastorum & plebium successione D ostenditur. Nam quemadmodum illæ Scripturæ citatæ impletæ sunt, *non simul & vno statim momento, sed paulatim & per partes* (quod etiam disertè docet S. Hieronymus in cõmentariis ad Esaiæ cap. 45.) sic illa est Ecclesia quæ non simul, sed per partes ætatum & temporum, habet totius orbis consensum, & omnium gentium societatem. Erit ergo illa Ecclesia Christi vera, quæ illam fidem tenet & vnitatem illam amplectitur, quam olim omnes gentes amplexæ fuerunt; quandoquidem omnium gentium est Ecclesia. Itaque etsi pauciores hodie gentes Ecclesia Catholica Romana complectatur, tamen quia illa communicat Christianis omniũ gentiũ qui olim fuerunt, erit illa vera Christi Ecclesia: de qua re plura pòst. Sic Algerus vir doctissimus, vt probet fidem suam esse Orthodoxam, ostendit eam cum fidelibus antecessoribus suis conuenire. Ex eo autem quòd cum illis conueniat, ad Ecclesiam verè Catholicam se pertinere demonstrat; quia alioqui periisset Ecclesia in Scripturis descripta, quæ omnium gentium esse describitur. *Cùm*, inquit, *preteriti & presentes fideles vbique terrarum hoc credant, si hæc vniuersalis fides Ecclesiæ vera ad salutem non extitit, aut nunquam Ecclesia Catholica fuit, aut periit. Neutrum Catholicus dixerit. Nam quum Ecclesia & prophetiis & Euangeliis instituta sit, vbi est quòd veritas Abrahæ repromisit? In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et quod in Euangelio dicitur; Docete omnes gentes? Quum enim omnes gentes ita se credere glorientur, si salutis benedictione caret, vtrobique veritas Dei & in prophetia & in Euãgelio periclitatur.* Hæc ille. Vides clarissimum harum Scripturarum vsum, & vnam causam, quare E omnium gentium Ecclesia in Scripturis describitur.

Lib. 4. cap. 17.

De Sacramento lib. 1. cap. 13.

Gen. 12.

Math. 28.

Respectu totius orbis Ecclesia omnes hæreses propagatione superat.

Cap. seq.

De vtilitate credẽdi ca. 7.

Alia causa est, vt discat fidelis Ecclesiam Christi eam agnoscere, quę non respectu vnius regionis aut loci, vel etiam respectu paucarum regionum & locorum, sed quæ respectu totius orbis & omnium gentium diffusa multitudo est. Fieri enim sanè potest, & quàm sæpissimè factum est, vt respectu habito ad vnam aliquam regionem, vel aliquas, numero & multitudine, societate & communione hæretici Catholicos superent. Sed respectu totius orbis, diuina prouidentia factum est propter causas quas mox dicemus, vt vna tantùm esset Catholica, quæ omnes hæreticas societates fama & nobilitate superaret. Animaduertit hoc sapienter S. Augustinus, & notauit sic scribens; *Proculdubiò à Catholica Ecclesia sumendum exordium. Christianorum enim quum sint hæreses plures, atque omnes se Catholicos velint videri; aliósque præter se hæreticos nominent; vna tamen est Ecclesia, vt omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine: vt autem qui nouerunt affirmant, etiam veritate syncerior.* Hæc ille. Vbi obserua diligenter quod dicit; *Si totum orbem consideres.* Ecclesia enim, quum omnium gentium esse in Scripturis describatur, certè secundum id quod se habet in omnibus gentibus consideranda est, non secundum id quod se habet in hac vel illa gente. Semper enim respectu omnium gentium numerosior, magisque illustris est Catholicorum multitudo, quàm quorumcunque hæreticorum segregata turba; maximè si hæreticos non simul omnes, sed vnamquámque sectam & speciem seorsim accipias; puta Donatistas, Arrianos, Lutheranos & similes: deinde non Donatistas omnes, sed singulas illorum sectas; vt Rogatistas, Maxi- F minianistas, Circuncelliones; sicuti nec Lutheranos omnes, sed seorsim Confessionistas, Flaccianos, Caluinistas, Anabaptistas. Suenckfeldianos, Puritanos, & sic de cæteris. Et ad huius causæ demõstrationem faciunt quæ supra ex Augustini lib. de Vnitate Ecclesiæ, cap. 3. prolixè commemorauimus. *Singulæ quippe hæreses in multis gentibus, vbi Ecclesia est, non inueniuntur: Ecclesia autem quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur.* Hæc ille. Et idcirco non harum aut illarum; sed omnium gentium Ecclesia describitur.

Consideranda Ecclesia secundum id quod se habet in omnibus gentibus.

In prœmio huius 2. partis.

Respectus autem seu consideratio, propter quam Ecclesia Christi præcisè & simpliciter semper est longè, latéque diffusa per multas gentes Ecclesia, duplex est. Partim sanè respectu hæreticorum, partim respectu Iudæorum, non solùm pro statu in quo olim erant, sed etiam pro illo in quo nunc sunt, & vsque ad finem seculi erunt, quandiu extra Ecclesiam sunt. Quod ad primum attinet; vera Ecclesia sic vbique est, vt vbicunque Christi nomen prædicatur, per omnia huiusmodi loca eius vera doctrina luceat & obtineat, non autem ita vlla hæresis: sed aliæ hæreses per hæc loca, aliæ per illa grassentur, nullæ verò in omnibus locis. Notauerunt diligenter hoc discrimen Sancti Patres, idque propter prophetias & Scripturas talem Ecclesiam describentes. Theodoretus Cyri episcopus quum hæresum præcedentium longam seriem texuisset, eas omnes in paucitate sua euanuisse docens, solam Catholicam vbique eminere monuit. *Iis*, inquit, *qui colunt veritatem, plena quidem est terra, pleni quoque sunt ipsi orbis terræ fines. Vera est enim Dei prædictio,*

Ecclesia respectu hæreticorũ est omnium gentium.

Hæreticarum fabularum lib. 3. in fine.

quam

A *quam fecit per linguas prophetarum.* Vbi quibusdam prophetiis enumeratis ex Esaia & Psalmis, quas & antea produximus; *Hæ* inquit, *omnes prædictiones per Ecclesiam finem accepere. Hæreticorum autem doctrina partim radicitùs euulsa est, partim à semiaridis arboribus nihil differens, in paucis vrbibus & vicis manet.* Hæc ille. Idem discrimen obseruauit S. Augustinus his verbis; *Hæretici sunt oues errantes super omnem faciem terræ: Non quidem omnes hæretici super omnem terram, sed alij hic, alij ibi: Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia: sic diuersis in locis sunt diuersæ. Sed vna mater Catholica omnes habet Christianos toto orbe diffusos: verbi gratia; Est in Africa pars Donati. Eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hic Catholica. Sunt in Oriente Eunomiani, ibi autem non est pars Donati, sed cum Eunomianis ibi est Catholica. Illa est enim tanquam vitis crescendo vbique diffusa. Isti tanquam sarmenta inutilia, agricolæ falce præcisa. Et ista quidem vbi præcisa sunt, ibi remanserunt: crescere & se diffundere nequierunt. Illa verò tanquam vitis crescens per omnia, & sarmenta sua nouit quæ in illa adhuc manserunt, id est, malos; & iuxta se habet quæ de illa præcisa sunt; id est hæreticos.* Hæc ibi Augustinus. Idem iterum docet in Epistolam Ioannis, vbi etiam asserit *impletum suo tempore esse, quod ante tot annos promissum est Abrahæ; in semine eius benedici omnes gentes.* Impletum autem, non quia illo suo tempore præcisè omnes gentes ad fidem conuersæ essent (alibi enim disertè agnoscit nonnullas adhuc gentes superesse, in quibus Euangeliũ non est prædicatũ) sed quia creuit Euangelij fides tanquam vitis per omnes illas gentes, vbi Christi nomen audiebatur: hæreses autem non ita crescebant, ac ne crescere vnquam possunt, propter innatas ipsis dissentiones mutuas; & quia tanquam sarmenta ab vnitate Spiritus (quæ propagationis vitale principium est) præcisa sunt. Sed ad patres redeamus. His sanè verbis

Lib. de Pastoribus cap. 8.

Nota discrimen hæresis & Ecclesiæ.

Tract. 1. prope finem.

Contra Crescoium lib. 3. cap. 65. & de Natu. & gratia ca. 2. & de vnitate Eccl. cap. 14.

B Theodoretus & Augustinus per omnes gentes Ecclesiam sui temporis extitisse, & adimpletas prophetias illas veteres ac Christi promissiones affirmant: Sed id respectu tantùm hæreticorum qui per omnes gentes non essent, verùm aliæ hic, aliæ illic. Alioqui multas gentes etiam tunc temporis fuisse, quæ ad Ecclesiam Christi non pertinerent, euidentissimum est. Nam vt nouum, quem vocant, orbem nostrorum patrum memoria inuentum, quique varias & amplissimas gentes habet, taceam, vbi ante hæc tempora aut nulla vnquam fuit, aut quàm diutissimè cessauerat Christi prædicatio, produnt historiæ omnes fere has Septemtrionales partes, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Dalmatiam, Bulgariam, totámque Germaniam superiorem, maximam quoque huius inferioris Germaniæ partem vt Brabantiam, Flandriam, Phrisiam, Hollandiam, quin & magnam quoque Hispaniarum partem aliquot seculis post Augustini & Theodoreti tempora ad Christi fidem conuersa fuisse. Ab anno videlicet 600. & infrà. Quemadmodum ergo horum patrum tempore contra hæreticos, omnium gentium communio & Ecclesia vrgebatur, licet (vt obiicit Vincentius Rogatista & non abnuit Augustinus) *quantum ad totius mundi partes pertinet, modica pars esset in compensatione totius mundi, in qua fides Christiana tunc nominaretur;* sic & hodie contra præsentes hæreses Catholica omnium gentium manet Ecclesia, licet illa nunc modica esse videatur, in comparatione totius mundi. Nempe quia etiam hodie in multis gentibus, regnis & populis Catholica fides obtinet, vbi horum temporum hæreses penitus exploduntur. Nulla verò hæresis in omnibus Ecclesiæ Catholicæ locis reperitur, sed alia illic, alia isthic: In quibusdam Germaniæ partibus Lutherani, in aliis Cin-

Apud Augustinum epist. 48.

C glianj, in aliis Anabaptistæ. Nulla autem secta vbique, id est per omnes illas gentes vbi Christi nomen prædicatur, reperitur; sed in plerisque gentibus ignoratur. Ex qua differentia & comparatione concludit Augustinus Donatistas ad Ecclesiam non posse pertinere, hoc argumento planè syllogistico. *Non estis in montibus Sion; quia non estis in ciuitate super montem constituta, quæ certum signum hoc habet, quòd abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus: Pars autem Donati ignota est pluribus gentibus: Non est ergo ipsa.* Hæc ille contra Petilianum Donastitam. Quæ totidem verbis ad nostros hodie erraticos hœdos dici possunt. Hoc ergo, id est hæreticorum respectu, dicitur Ecclesia omnium gentium; id est, longè latéque diffusa, quòd crescit illa, & diffunditur, instar vitis per omnes gentes, in fieri (vt sic intelligentius loquamur) etsi non in esse: hæreses verò, sicut sarmenta, non crescunt, non propagantur in vlla certa specie aut natura; sed vel prorsus extinguuntur, vel aliæ aliis specie & natura diuersæ succedunt; & tanquam Hydræ capita, præcisis & extinctis istis, aliæ nouæ suboriuntur; ita tamen vt amplitudinem vitis veræ nunquam occupent aut æquiparent.

Lib. 2. ca. 104. in fine.

Iam verò respectu synagogæ Iudæorum, propter omnium gentium certam successio-

Respectu Iudæorum Ecclesia est omnium gentium.

D

nem & propagationem, plurium verò semper gentium existentiam ipsam, omnium gentiũ est Ecclesia Christi, non vnius gentis aut populi, vt illa fuit. Quo quidem respectu, facilè Catholica ab omnibus hæreticorum latibulis discernitur. Nam & ipsa Iudæorum multitudo, etiam hodie magis illustris & copiosa est, quàm quæcunque hæreticorum secta. Sunt enim hodie & in Italiæ vrbibus quamplurimis, & in Germaniæ nonnullis, & in frequentissimis totius orientis partibus Iudæorum Synagogæ, vbi & sabbata seruantur, & fit Circuncisio, & legũtur Scripturæ, & ritus atque cerimoniæ omnes (vno excepto sacrificio quod in solo templo Hierosolymitano, vnde perpetuò exulant, celebrari potest) sedulò obseruantur. Quorum quidem omnium tantus & tam conspicuus numerus est, vt facilè etiam hodie quamcunque hæreticorum sectam, quantumuis numerosam, sua amplitudine superẽt. Hoc discrimen apertè prædixit Esaias dicens, *Multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum*: vnde sic Donatistas compellat Augustinus. *Non timetis ne vobis dicant Iudæi; Vbi est quòd Paulus vester Ecclesiam vestram intelligit, vbi dictum est; Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum; præponens multitudinem Christianorum multitudini Iudæorum, si Christi Ecclesia est paucitas vestra?* Hæc ille. Tantundem hodie & Lutheranis & Caluinistis, & Anabaptistis, & cuicunque alij sectæ, imò omnibus pariter sectis Iudæi dicere possunt. Itaque monendi & conueniendi hodie sunt huius ætatis hæretici, quemadmodum Donatistas monet Augustinus. *Comparent Donatistæ multitudinem suam in Africa constitutam cum multitudine Iudæorum, qui per omnes terras quacunque dispersi sunt, & videant quàm sint in illorum comparatione paucissimi. Rursus; comparẽt multitudinem Christianorum per omnes gentes quibus non communicant, & videant quàm pauci sint in comparatione omnes Iudæi; & tandem aliquando intelligant in sola Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, istam prophetiam esse completam. Multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum.* Hæc ille. Idem rursus discrimen prędixit Malachias, docens Iudæorum sacrificia quæ in solis Hierosolymis celebrari poterant, cessatura, & aliud successurum, *quod in omni loco offeretur*, videlicet quia Ecclesia Christi futura esset omnium gentium atque locorum, non vnius gentis, vt illorum Synagoga. Vrget hoc contra Iudæos Augustinus in oratione aduersus Iudæos, & Chrysostomus quoque oratione secunda cõtra Iudæos, circa finem. Hoc ergo duplici respectu, & Iudæorum scilicet, & sectarum omnium hæreticarum: non autem respectu infidelium & Paganorum multitudo illustris per varias gentes diffusa prædicatur fore Ecclesia Christi in lege, Psalmis, prophetis & Euangelio. Pagani enim seu infideles, à prima prædicatione Euangelij vsque ad hodiernum diem, vel plurimas totas gentes occuparunt (vt postremis his seculis pulsis Christianis, in Africa Mauri, in Ægypto & Syria Saraceni, in vtraque Asia & toto Oriente, ab annis plus minus centum, Turcæ, quibus tamen successerunt in fidem nominis Christi, amplissimè in Europa & in nouo orbe gentes superiùs nominatæ) vel Christianis permixti per omnes gentes erant, vt totis ferè sexcentis primis annis post Christum. Non sic vnquam vlla hæreticorum secta ac multò minus Iudęorum religio, quæ extra vnum Hierosolymitanum templum integra constare non potest. Hoc ergo duplici respectu, & his de causis, omnium gentium & totius orbis describitur, promittitur, & creditur Ecclesia Christi. Qua in re illud maximè obserua, quòd non in esse omnes occupat gentes Ecclesia simul & semel; sed in fieri & successione perpetua crescit per omnes gentes; (vt docet Augustinus in lib. de pastoribus) donec impleantur tempora gentium, idque vsque ad finem; quia *prædicato Euangelio per vniuersum mundum, in testimonium omnibus gentibus* (ait Saluator) id est, vt per omnes gentes innotescat Euangelium; *tunc veniet consummatio*. Vnde etiam & alio sensu dicitur Ecclesia Christi esse omnium gentium, quia *nota est omnibus gentibus*, vt contra Donatistas docet Augustinus. Nota enim sanè omnibus gentibus est sola Catholica Romana; siue Christianę illæ sint, siue non: fuitque perpetuò ab illo primo Apostolico elogio, quo Romanis dixit, *Vestra fides annuntiatur in vniuerso mundo*: Non sic Lutheranę aut cuiuscunque sectę nomen. Hoc autem, vt dixi, hoc loco breuiter obseruamus tantùm, ad planiorem demonstrationis iam factę sensum & intelligentiam assequendam, plenius de hac re tota in sequentibus mox dicturi.

E

F

Esai. 54.

Epist. 48.

Lib. de vnita. Eccles. cap. 7.

Mala. 1.

Cap. 9.

Cap. 8.

Matth. 24.

Ecclesia est omnium gentium quia nota est omnibus gentibus.

Lib. 2. ca. 104. contra Petilianum & lib. 3. cap. 5. contra Parmenianũ.

Rom. 1.

Tres

A

Tres causæ necessariæ visibilis semper & illustris Ecclesiæ.

CAPVT VI.

VT autem necessaria hæc veritas de Ecclesiæ illustri semper amplitudine magis elucescat, & citatæ Scripturæ ad rem præsentem applicentur, causas persequemur ob quas debeat semper necessariò illustris multitudo esse Ecclesia. Prima & maxima causa est, vt ipsi fideles Ecclesiæ fidem certò amplectantur, & eius præceptis securè obtemperent. Hanc causam expressit Saluator cùm diceret Apostolis, Ecclesiæ personam gerentibus; *Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabro, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* In domo autem sunt fideles boni & mali: illis lucere Ecclesia debet. Rursum cùm diceret; *Si illos non audierit, dic Ecclesiæ.* Esset enim plusquam ridiculum, iubere vt Ecclesiæ dicerent, si Ecclesia quæ esset, aut vbi esset à fidelibus nesciretur. Referenda est Controuersia ad Ecclesiam, iubēte Saluatore, ergo necessariò cognita & explorata esse
B debet Ecclesia. Et notandum quòd non dixit Christus, Scrutare aut inquire Ecclesiam, tanquā rem dubiam aut inuentu difficilem: sed ait *Dic Ecclesiæ*, cognitæ scilicet & exploratæ omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt. Et hic vnus locus adegit Philippum Melanchthonem, vt à priori sententia, de occulta piorum Ecclesia recederet; & *portentosam* vocaret *eorum opinionē, qui occultam Ecclesiam ponerent.* In præfatione vltimæ editionis operum suorum, anno 1560. Propter hanc causam dicit Esaias de Ecclesia Christi; *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* De gentibus & regibus baptizatis loquitur; Nō qui veniunt ad lumen, sed qui ambulant iam in lumine Ecclesiæ. Deniq; propter hanc causam voluit Deus in prædicatione verbi, in doctrina fidei, hominum ministerio, Ecclesiæ medio vti; *Fides*, ait Apostolus, *est ex auditu, quomodo autem audient sine prædicante, & quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Et rursus; *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam verò prophetas, &c. Ad consummationē sanctorum in opus ministerij.* Iterum iubentur pastores, *attendere gregi in quo posuit eos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Vocat Apostolus Ecclesiam Dei *columnam & firmamentum veritatis.* Et vt omni Controuersiæ finem imponat. *Si quis*, inquit, *contentiosus esse videtur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ex quibus omnibus sic inuictè argumentari licet; Fides audienda est ex ore prædicatoris legitimè missi, consummatio & ædificatio nostra petenda est à pastoribus & doctoribus ad hoc institutis, veritas ab Ecclesia, cui vt columnæ innititur, exquirenda est. Consuetudo Ecclesiæ, omni sopita contentione, retinenda est. At nec fidem à prædicatore audire, nisi ipso legitimo prædicatore benè cognito, nec à pastore &
C doctore institui quem nescio, nec ab incognita Ecclesia veritatem exquirere, nec incognitæ Ecclesiæ consuetudinem vel retinere vel scire vllo modo possum. Debent ergo necessariò cogniti mihi esse legitimi prædicatores. Debent mihi explorati & certi esse pastores atque doctores, quos sequar. Debet mihi nota esse Ecclesia, à qua veritatem exquiram. Debeo postremò nullo modo Ecclesiam ignorare, vt eius cōsuetudines retineam atque obseruem. Coëgit hæc ratio fateri & dicere Caluinum, *nos per educationem Ecclesiæ adolescere in Christo debere, spiritualem animi cibum nobis per manus Ecclesiæ porrectum esse, Deum seruare nos per Ecclesiam, per homines & magistros nos docere, & huic ordinario docendi modo nos alligasse. Subeundum denique hoc iugum esse, vt ore & ministerio hominum doceri nos patiamur.* Hæc ille libr. 4. capi. 1. paragr. 5. Institutionum. Cæterùm in eo fallit & fallitur, quod etsi visibilem Ecclesiam his verbis doceat, pariter tamen & aliam ponit inuisibilem Sanctorum Ecclesiam (quod eius commentū, iam antea exposuimus) & ipsam visibilem pastorum & doctorum multitudinem, partim à iudicio dogmatum remouet, partim ex notis incertis & fallacibus describit, vt est antea demonstratum. Ex quo sequitur, vt etsi visibilem verbo dicat perspicua & irrefragabili veritate ad id compulsus, tamen re ipsa neget, quia aliter schisma & Apostasia eius ab ecclesiæ visibilis vnitate, defendi non potuit. Nos verò propter causam iam dictam vnicam, solam, visibilē, certam & stabilem ecclesiam, & verbo ponimus & re ipsa ostendimus, eam scilicet quæ per omnes gentes Christianorum est, & Catholica nuncupatur.

Alia causa necessariò visibilis & conspicuæ ecclesiæ est, vt ab omnibus hæreticorum partibus Catholica siue vniuersa fidelium multitudo clarè & liquidò distinguatur. Id verò quia duobus modis fieri debet; tùm ne qui iam fidelis est, abducatur à fide; tum vt qui infidelis adhuc atque paganus est, ad fidem perducatur: duplex in hac parte causa ac necessitas est visi-

Marginalia: 1. Ratio. Conspicua semper Ecclesia. — Matth. 5. — Matth. 18. — cap. 60. — Rom. 10. — Ephes. 4. — Act. 20. — 1. Tim. 3. — 1. Cor. 11. — Caluini confessio de ecclesia docente necessitate. — Lib. 1. cap. 7. — Caluini destructio sibi contraria. — 2. Ratio. Conspicua semper Ecclesia.

cap. 2. bilis Ecclesiæ. Propter priorem causam, Sponsa in Cāticis cupit certò scire *vbi cubet sponsus,* D
ne fortè vagari incipiat post greges hæreticorum. Propter eādem causam dixit propheta de Eccle-
Lib. 18. ca. 32. de Ciuit. Dei. sia. *Splendor eius sicut lux erit*, id est, ait Augustinus, *fama eius credentes illuminabit*; ne videlicet
ad obscuri nominis sectam aliquam, relicta nominatissima Catholica, transeant. Propter ean-
dem causam, quoties Spiritus Sanctus ab hæreticis cauere in scripturis iubet: toties de parti-
Matth. 24. bus & de latibulis cauendum monet. Idcirco præmuniens nos Saluator contra hæreticos, di-
sertissimis verbis monuit cauere ab his qui ad deserta, ad paucorum solitudinem quandā sin-
gularem, & ad penetralia, id est, occultas traditiones & opiniones inauditas nos vocant; *Noli-*
Matth. 7. *te*, inquit, *credere, nolite exire*, quia relicto toto ad partes trahunt. Rursus cùm dixisset Saluator;
Attendite vobis à falsis prophetis, subiunxit; *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Fructus sunt*
Fabularum hæret. lib. 3. *noua & inaudita dogmata*, ait Theodoretus. *Hæc enim per se sufficiunt ad suum patrem ostenden-*
dum. Sic rursum apud Ioannem describens Saluator furem & latronem id est hæreticum &
Act. 20. schismaticum; *Non venit*, inquit, *nisi vt mactet & perdat*, quia videlicet segregat, spargit, auel-
2. Petr. 2. lit. Sic Paulus prędicens Ephesiis de subintrogressuris lupis rapacibus, *Abducent*, inquit, *disci-*
pulos post se. Et Petrus similiter de huiusmodi; *Introducent*, inquit, *sectas perditionis.* Hæc omnia
vt ostendunt hæreticorum proprium esse ad partes trahere, ita vicissim demonstrāt, fidelium
proprium esse toti adhęrere, id est, Catholicæ & vniuersæ Ecclesiæ cōstanter coniungi. Istud
Ecclesia conspicua Authoritas compēdiosa præscriptio. autem vt fieri possit, necessariò illustris, conspicua, certa, & indubitata hæc Catholica & vni-
uersa Ecclesia esse debet: Alioqui enim deuitari partes non possent, nec ab Orthodoxa com-
munione discerni. E

Hanc denique ob causam sanctissimi patres, vt tutissimè & compendio ab omni hæresi
ac schismate fideles præmunirēt, ad notam & conspicuam Ecclesiam confugere docent. *Nul-*
August. contra Parmen. lib. 3. cap. 5. *la*, inquit Augustinus, *securitas vnitatis* (qua ab hæresi & schismate conseruemur) *nisi ex pro-*
missis Dei Ecclesia declarata, quæ super montem constituta abscondi non potest. Et ideo (scilicet ad cō-
seruandam vnitatem) *necesse est vt omnibus terrarum partibus nota sit.* Hæc ille contra Parme-
Greg. Nazianzenus lib. 2. de Theologia. nianum. Sic Hieronymus cōtra Luciferianos in dialogo; *Poteram*, inquit, *omnes propositionum*
tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare. Sic Nazianzenus contra Arrianos. *Nobis*, inquit, *satisfa-*
cere debet, quòd abhorret hinc Ecclesiæ nostræ doctrina. In quem modum & Athanasius Arrianos
Athanasius in epist. ad Epictetum. repellit. *Quæ*, inquit, *manifestò peruersa sunt & abducentia* (id est ab vniuersa omnium fide alie-
na) *tantummodo ad ea respondendum est, quòd ipsum per se sufficit, ea Orthodoxæ Ecclesiæ non esse, ne-*
Prosper. *que maiores nostros ita sensisse.* Nec aliunde B. Prosper hæreticum definit, quā quòd à generali
Augustinus epist. 118. Ecclesia deficit. *Generali*, inquit, *Ecclesiæ communicans Christianus est Catholicus: Ab hac segrega-*
tus est hæreticus & Antichristus. De promissis & prædictionibus Dei cap. 5. Hinc profectò, *inso-*
lentissimæ insaniæ esse, scripsit Sanctus Augustinus, *Contra ea disputare quæ vniuersa per orbem fre-*
Theodoretus in Philoteo in vita B. Iacobi Nisibensis episc. *quentat Ecclesia.* Quē modum secuti sanctiss. patres in primo Cōcilio generali Niceno dicto
(quasi formam toti posteritati dantes) non aliter contra Arium definierunt quàm ex totius
Ecclesiæ recepta sententia. Notauit hoc disertè Theodoretus his verbis. *Multa ibi benè & re-*
ctè, nonnullis etiam perperam sentientibus, obtinuit illa quæ tunc per vniuersum orbem vicerat ac di-
Irenæus li. 3. cap 3. *uulgata fuerat fidei confessio.* Sic Irenæus vt Valentinianos hæresim docere conuincat, ad vni- F
uersalem orbis Christiani fidem prouocat, *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo ma-*
Infra lib. 4. cap. 3. *nifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint videre.* Postremò, (nā latiùs hæc per
tractandi alius locus erit) Sanctus Augustinus cū omnes aut fere omnes ante sua tēpora hære-
Augustinus. ses, in libello ad Quoduultdeum enumerasset, hunc in modū concludit. *Quid contra ista sentiat*
Catholica Ecclesia superfluò quæritur, cùm propter hoc scire sufficiat, eā contra ista sentire, nec aliquid
horum in fide debere suscipere quemquam. Docent hæc omnia ad repellendas & cauendas omnes
hæreses, præstantissimū cōpendium & tutissimum remedium esse, patrum iudicio & exēplo,
ad Ecclesiam Dei vbique diffusam oculos conicere, & ei mordicùs adhærere. Frustrà autem
à patribus hoc factum fuisset, nec à nobis fieri posset, si obscura ipsa esset Ecclesia, aut certo lo-
co conclusa, non vbique diffusa. Nouus enim idémque maior labor in quærenda Ecclesia
subeundus esset, quàm in cuiusque Controuersiæ veritate inuestiganda. Præterea nec omni-
bus pateret, sed iis tantùm qui illo certo loco agerent, aut ad quos eius fama perueniret; quæ
si obscura & paucorum esset Ecclesia, aut raro, aut nunquā ad hominum notitiā perferri pos-
3. Ratio, siue 2. causæ pars 2. set. Debet ergo Ecclesia nota & illustris, vbique locorum vel esse, vel certè cognosci, postquā
in eius communione, sola & certa fidelium securitas consistit.

Quod ad posteriorem causam attinet, vt apertus semper aditus pateat infideli & pagano
ad fidē Christi accessuro, etiam hoc nomine necessariò illustris & passim cognita esse debet.

Propter

A Propter hanc causam dixit Esaias,& post eum Michæas,cap.4.futurum,vt gentes olim dicerent,*Venite, ascendamus ad montem domini,& ad domum Dei Iacob,& docebit nos vias suas.* Neque verò dubitari debet,quin sic Ecclesiam suam instituerit Christus,vt perpetuò pateat quibuscunque gentibus ad fidem eius accedere volentibus.Hoc insinuauit propheta cùm diceret de futura Christi Ecclesia;*Aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte,non claudentur,vt afferatur ad te fortitudo gentium.Gens enim & regnum quod non seruierit tibi,peribit.* Et produnt nobis historiæ in omni ferè ætate ac sæculo, aliquas gentes à paganismo ad fidem Christi conuersas fuisse:sicut & nostra hac ætate plurimæ & amplissimæ gentes, in nouo , quem vocant, orbe, conuersæ fuerunt,hodiéque adhuc conuertuntur.Vt autem ad fidem gentes adducantur,necessaria est illustris Ecclesia,nota atque conspicua.Atque initio quidem Ecclesiæ, illustris illa fuit per descensum Spiritus Sancti cum sonitu, & dono linguarum, quæ omnes ad admirationem excitarent.Deinde etiam miraculis creberrimis & gloriosis martyriis celebris illa fuit, vt contra Paganos disputat Augustinus,lib.22.cap.5.de Ciuit.Dei:& præterea omnes historię Ecclesiasticæ demonstrant.Postea verò cùm in montem magnum creuisset lapis ille angularis,& impleuisset orbem terrarum cessantibus donis externis,miraculis,atque martyriis, Catholica multitudo & sola fama nominis Christiani vbiq; florentis, absque miraculis reliquas gentes ad fidem induxit.Quin & decrescente postea Christianorum multitudine,ipsa nominis sui Antiquitate celebris erat Ecclesia,totáque mũdo notissima.Hoc totũ sapienter notauit Sanctus Augustinus in aureo illo libello de vtilitate credendi. *Christus enim*, inquit, *afferens medicinam humano generi,primùm miraculis conciliauit authoritatem,dein Authoritate meruit fidem,fide contraxit multitudinem,multitudine obtinuit vetustatem,vetustate roborauit Religionem.*

Esaiæ cap.2.

Esa.60.

Quibus modis conspicua semper fuerit Ecclesia propter gentes conuertidas.

Cap.14.

B Hæc ille. Quo autem ordine Christus, eodem postea Apostoli & Apostolici viri progressi sunt. Cuius sanè ratio hæc est.Homines ante fidem in his rebus,quæ ad Deum pertinẽt stulti sunt.*Animalis enim homo non percipit ea quæ Spiritus Dei sunt.Stultitia est enim illi, & non potest intelligere.Et sapientia carnis inimica est Deo.Et ambulant gentes in vanitate sensus sui,tenebris obscuratum intellectum habentes,&c.* Stultis autem summa & vnica felicitas est,si à sapientibus se regi & duci patiantur.Sed magnum est hoc in stultis malum, quòd sapientes à quibus regantur,eligere ipsi & inuenire non possunt.Sic enim stulti non essent.Nullum ergo hic aliud remedium quàm sola authoritas.*Sola est Authoritas*, inquit Augustinus, *quæ commouet stultos, vt ad sapientiam festinent.* Cuius rei exemplum natura nobis in morionibus dedit.Nullis enim isti præceptis,sed sola Authoritate in officio & metu continentur. Hæc autem authoritas, præcipuè quidem in Deo est,intus agente,veritatem inspirãte,& ad Christum trahente. Sed quia *inter sincerissimam Dei veritatem & stultitiam hominis , medium quiddam est homo sapiens*, vt docet Augustinus;tale medium tùm Christus ipse fuit , vt homo factus homines doceret, tùm vt idem medium semper nobis adesset, Deus voluit.*Homini enim stulto ad imitandum salubriter,nihil est homine sapiẽte propinquius*:& Apostolus dicit,*Fides ex auditu*.De hoc itaque externo & ordinario authoritatis medio nunc loquimur.De hac dicit Aug.*Desperandum non est ab ipso Deo aliquam Authoritatem constitutam,qua velut certo gradu innitentes,attollamur in Deũ. Hæc autem Authoritas dupliciter nos mouet,partim miraculis,partim sequentium multitudine. Ac primum quidem facta sunt miracula,cùm Deus ipse in vero homine huic mundo apparebat , vt his tan-*

1. Cor. 2.
Rom.8.
Ephes. 4.

Necessaria est ignorantibus Deum Ecclesiæ Authoritas.

Lib. citati cap. 16.
Ioan. 6.
cap.15. ibidem.

Rom. 10.

De vtilitate credendi. cap.16.

C *dem multitudine credentium congregata atque propagata , in ipsos mores vtilis conuerteretur authoritas.* Hæc ille. Quemadmodum ergo primùm miraculis creberrimis & potentissimis tum Christus ipse,tum postea Apostoli atque Apostolici viri authoritatem sibi compararunt, vt gentes ad fidem conuerterent:ita postea propagata fide in gentes ac populos multos, cessarũt quidem miracula, sed remansit multitudo gentium Christianarum illustris & copiosa, quæ sua autoritate,tum omnes hæreses superaret,tum infideles adhuc gentes vehementer commoueret.

Huius autem rei exempla quędam in medium proferamus. Diuus Augustinus paganis miracula petentibus,vt credant Christo,Respondet;*Necessaria fuerunt miracula priusquam crederet mundus,ad hoc vt crederet mundus.Quisquis autem adhuc prodigia inquirit vt credat,magnum est ipse prodigium,qui,mundo credente,non credit.* Hæc ille. Idem verò in libello de vtilitate credendi,ostendens ex proposito non in aliqua obscura paucitate hæreticorum , sed in sola nominatissima multitudine Catholicorum Authoritatem esse , quæ ad fidem pertrahere & inducere posset,sic scribit;*Tune*,inquit,*hæretice,me docturus es,Christo vt credam? Sine paululum mecum ipse considerem. Ego sanè Christum ipsum quomodo apparere hominibus voluit, non vidi. Quibus autem de illo crediderim animúmque induxerim , Christo credendum esse,nullis me video cre-*

De ciuitate Dei lib. 22. cap.8.

In lib. de vtilitate credendi cap. 14.

didiſſe,niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni atque famæ admodum celeberrimæ. Hos D
autem populos Eccleſiæ Catholicæ myſteria vſquequaque occupaſſe. Et paulò poſt. *O hæretice,ego Chriſtum eſſe non putarem,ſi abs te mihi hoc cōmendaretur eſſe credendum. Sed hoc credidi, vt dixi, famæ celebritate,cōſenſione,vetuſtate roborata.Vos autē & tam pauci & tam turbulenti, & tā noui,nemini dubium eſt,quin nihil dignum Authoritate proferatis.* Hæc ille. Sic etiam alibi Donatiſtis improperat,obiicientibus quòd per leges Imperatorum,quibus ipſorum hæreſis puniebatur,religio Chriſtiana à Iudæis & paganis blaſphemaretur. *Plane,*inquit,*Et Iudæi & Pagani ſi*
Epiſt. 48. *tam paucos putarent eſſe Chriſtianos,quàm pauci vos eſtis,qui ſolos vos Chriſtianos eſſe perhibetis, nec blaſphemare vos dignarentur,ſed & nunquam ridere ceſſarent.* Tantùm abeſt,vt hæretici aliqua Authoritate in tanta paucitate pollere poſſint,qua ad Chriſtianam religionem amplectendā vel Iudæos vel Paganos inuitarent. Hortatur præterea Auguſtinus; Honoratum amicum
De vtilitate cred. cap. 7. ſuum,ſed Manichæum,*vt præceptorem ad pietatem quærat,qui talis eſſe,multis conſentientibus dicatur;cuius & præceptis melior & doctrina peritior fiat.* Atque ne longiùs eum ambagibus ducat; *Proculdubio*,inquit,*à Catholica Eccleſia ſumendum exordium.* Et rationem ſubiicit; *Chriſtianorū enim cùm ſint hæreſes plures,atque omnes ſe Catholicos velint videri, aliósque præter ſe hæreticos nominent,vna tamen eſt Eccleſia,vt omnes concedunt,ſi totum orbem conſideres,refertior multitudine: vt autem,qui nouerunt,affirmant,etiam veritate ſyncerior.* Hæc ille. Vide vt ad Eccleſiam amicum errantem reuocat,quæ refertior eſt multitudine, idque non reſpectu vnius alicuius regionis,ciuitatis aut loci(fieri enim facilè poteſt, vt vno aliquo in loco, puta vbi hæreſis diutiuſculè graſſatur,& numero,& multitudine,hæretici Catholicos ſuperēt) ſed reſpectu totius E
orbis. Ideóque prouidentiſſimè adiecit;*Si totum orbem conſideres.* Semper enim reſpectu totius orbis numeroſior eſt Catholicorum vbique diffuſa multitudo,quàm quorumcunque hæreticorum ſegregata turba. Non dico quàm omnium ſimul aut pro tempore exiſtentium hæreticorum,ſed quàm quorumcunque,id eſt,quàm alicuius certæ hæreticorum ſectæ. Quin verò hanc ipſam rationem infideli eſſe tenendam, vt ad fidem Chriſti tutò atque ſecurè ve-
Lib. 2. cap. 6. niat,ne ſi in hæreticos incidat,*ſanatus vulnere idololatriæ ſiue infidelitatis,grauius feriatur vulnere ſchiſmatis* (vt de infidelibus quos baptizarant Donatiſtæ, ſcribit Auguſtinus in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas) Spiritus Sanctus per Hieremiam Prophetam docuit:vt ex eo colligit Sanctus Auguſtinus. Oſtendens enim & prolixiùs deſcribens Sanctus Auguſtinus quaſi formam quandam Catechizandi infideles,& ad fidem Catholicam inducendi:poſtquam ad
contra Fauſtum Manichæum lib. 13. cap. 13. Chriſto credendum ex quibuſdam Hieremiæ & aliorum prophetarum verbis induxiſſet,& multa dubia,quæ à fide retrahere poſſent,diſſoluiſſet; *Quòd ſi,*inquit,*in hoc gentilis moueretur, cur etiam ipſi,qui appellantur Chriſtiani in multas hæreſes variáſque diſcedunt, hoc quoque futurum prophetæ prædixerunt. Et ipſe Hieremias velut catechizandi ordinem nobis inſinuans, continuò ſubiecit; Clamauit perdix,congregauit quæ non peperit,faciens diuitias non cum iudicio. In dimidio dierum ſuorum derelinquetur,&c.*
Ierem. 17. Hic enim perdicis nomine hæreticos ſignificari ait Auguſtinus, qui Chriſtianos ſeducunt,& iam per Euangelium natos ad ſuas partes trahunt. Hoc itaq; à Propheta inſinuato, futuras nempe hæreſes; vt minus hoc ſcandalo moueretur catechumenus, F
quod tāto ante tempore prædictum videt, quia tum adhuc quærere cathecumenus poſſet &
cap. 13. ibidē. dicere;*Quo ergo ſigno manifeſto ego adhuc paruulus & nondum valens liquidā diſcernere à tot erroribus veritatem,quo,*inquam,*iudicio manifeſto tenebo Eccleſiam Chriſti? Propheta Hieremias,tanquā motus animi eius ordinatiſſimè excipiens,docet eum,Eccleſiam Chriſti illam eſſe prædictam, quæ omnibus eminet & apparet. Idémque ſubiicit;Sedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra. Propter hos enim motus paruulorum,qui poſſunt ſeduci ab hominibus à manifeſtatione claritatis Eccleſiæ* (id eſt,
Matth. 5. non manifeſtata claritate Eccleſiæ) *Dominus quoque prouidens ait; Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita,quia vtique ſedes gloriæ,*id eſt Eccleſia, in qua Chriſtus tanquā caput in corpore habitat & requieſcit,exaltata eſt,ſublimis & illuſtris eſt:*vt non audiantur illi qui ad ſciſſu-*
Recapitulatio præcedentium. *ras religionum,& partes traducunt dicentes;Ecce hic,ecce illic.* Hæc ibi pene ad verbum omnia Auguſtinus. Ex quibus omnibus,hæc ratio colligitur. Stultus & à veritate rerum diuinarum aberrans,ſiue is infidelis ſit,& Spiritum Dei non habeat,ſiue fidelis quidem ſed animalis, & qui non ſapiat ea quæ ſunt Spiritus Dei,vt ad verā ſapientiam perueniat, authoritate ducendus eſt. Hæc authoritas ceſſantibus iam miraculis,in multitudine credentium poſita eſt. Ergo,vbi multitudo maxima credentium totius orbis reſpectu eſt,ibi debet eſſe Eccleſia. Rurſum,vt Catechumenus in hæreticos non incideret, in manifeſto ponitur Eccleſia, & illam adire iubetur quæ eminet & apparet. Debet ergo neceſſariò & in multitudine credentium conſiſtere Eccleſia, & eſſe manifeſta.

Alia

A

Alia causa nobilissima visibilis semper & illustris Ecclesiæ, est ipsa Christi gloria, & Regnum eius in hoc mundo conspicuum.

CAPVT VII.

4. Ratio conspicuæ semper & illustris ecclesiæ.

LIA adhuc causa planè necessaria, manifestæ & illustris Ecclesiæ, est, gloria & commendatio ipsius christi; quæ quidem multis argumentis demonstrari potest. Nempe, quemadmodum totum ipsum vetus ac nouum Testamentum, filiíque veteris ac noui testamenti non ita dicuntur, quasi vel ante christum natum nulli essent filij noui Testamenti, vel post Christum natum, nullus sit amplius veteris Testamenti filius, sed in vtroque temporum statu, vtriusque generis homines fuerunt, & carnales scilicet & spirituales, & pueri & perfecti: tamen quia per Christum reuelatum est testamentum nouum, & magis manifestata est illa gratia, quæ homines renouaret; propterea à Christo incepisse nouum Testamentum dicitur, & soli Christiani filij noui Testamenti nuncupantur (vnde *in his nominibus vetus, & nouum testamentum, reuelationes eorum cōsiderantur, non institutiones*, ait Augustinus) sic, & ad eundem planè modum, ipsa Ecclesia, seu filiorum noui Testamenti congregatio, manifestato iam in carne Christo, magis manifesta & illustris esse cœpit. Facta, inquam, noui Testamenti reuelatione, fit etiam Ecclesiæ reuelatio, manifestatio & magis illustris quàm anteà propagatio.

Lib. 3. cap. 4. cōtra 2. epist. pelag.

B

Ex reuelatione noui Testamenti sequitur Ecclesiæ propagatio.

Quam sanè filiorum Dei, id est Ecclesiæ, maiorem manifestationem & propagationem nouo Testamento propriam; cuius author & reuelator Christus fuit, satis perspicuè scripta prophetica pronuntiarunt. Neque enim aliud Propheta regius cecinit, cùm de Christo apertissimè prophetaret, dicens; *Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis; Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Hoc enim ad Regnum Christi in Ecclesia militante pertinere, satis quæ sequuntur ostendunt. *Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion* (quia *de Sion exibit lex*, ait Esaias: *Incipientibus à Hierusalem*; ait Saluator) *dominari in medio inimicorum tuorum*; id est florere semper & regnare in medio siue Paganorum, siue hæreticorum. Et, vt Augustinus loquitur, *frustrà circumlatrantibus hæreticis, culmen Authoritatis obtinere.* Qui etiam Augustinus in Enarra. psalmi & versus præallegati; hoc totum de transitorio Christi regno, quod incipit à Christianis, apertissimè dici copiosè ostēdit. Idē quoq; de tēporali Christi regno seu militante hac in terris Ecclesia dictū esse, optimus interpres Apostolus Paulus exponit. *In Christo*, inquit, *omnes viuificabuntur: vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, deinde finis, cùm tradiderit regnū Deo patri. Oportet autē illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors.* Finem dicit extremum iudicij diem: vsque ad quod tempus regnare oportere Christum docet, vt omnia subiiciantur pedibus eius.

Psal. 109.

Esaiæ 2.

Luc. 24.

De vtilitate credēdi ca. 17.

1. Cor. 15.

C

Quæ quidem subiectio rerum Christo, vt non alia esse putetur quàm obedientia populorum, & gentium Christo credentium, Apostolus ad Ephesios apertè docet: *Omnia*, inquit, *subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius & plenitudo eius.* Hæc est reuelatio noui Testamenti Christo propria. Hæc virga virtutis est. Hæc inimicorum eius subiectio, sedente ipso ad dexteram patris: videlicet Ecclesiæ plenitudo, manifestatio, propagatio, vt ipse sit caput non obscurū obscuri corporis, sed illustre, gloriosum, & huiusmodi quod regnet. Hinc Ecclesia regnum christi vocatur, & in ea Christus regnare dicitur & glorificari. Quale illud est; *Regnum eius regnum sempiternum.* Et iterum; *Ponam te in superbiam seculorum.* Et rursum; *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis.* Denique Angelus in ipso Incarnationis dominicæ puncto. *Dabit*, inquit, *illi dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Ad Ephes. cap. 1.

Regnum christi subiectio populorum credentium.

Dan. 7.

Esa. 60. & 61.

Lucæ 1.

Postremò Apostolus volens ex incarnato iam & orbi manifesto Christo Ecclesię quoque manifestationem inferre, cùm dixisset, *Ecclesiam Dei viui, esse columnam & firmamentum veritatis*, quasi rationem eius rei reddens, ostendénsque & qualis hæc Ecclesia esset, & quomodo sit nobiliter dotata, subiicit. *Et manifestè, magnum est pietatis sacramentum* (Incarnationis mysterium intelligit) *quod manifestatum est in carne,*

Ex manifestato orbi Christo sequitur manifestatio Ecclesiæ.

1. Timo. 3.

iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Quibus verbis ex manifestato iam in carne Christo, Ecclesiæ quoque manifestationem infert: Quia quod manifestatum est in carne, &c. iam prædicatum est in gentibus, & creditum est in mundo. Quemadmodum ergo reuelatus & manifestatus nunc Christus est, non amplius sub typis & figuris, vt in veteri lege: quemadmodum regnat ipse in domo Iacob, quæ est Ecclesia, & possidet omnes fines orbis, non solius Palestinæ fines; sic proculdubio manifestata est eius Ecclesia, illustre est ipsius regnum, amplum quoque & tanti regis gloria dignum. Propter hanc sanè causam prophetiæ illæ omnes, quas antè ex lege, psalmis, & prophetis recensuimus, vna & eadem opera de Christo & de Ecclesia, de capite & de corpore, de spōso & de sponsa locutæ sunt: & vtriusque gloriam, splendorem, manifestationem, amplitudinem & propagationem pariter prosequuntur. Qualia sunt illa; *Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri.* Et rursum; *Super omnem terram gloria tua.* Et iterum; *Laudis eius plena est terra. Et laus mea in Ecclesia magna.* Denique & illud; *Replebitur maiestate eius omnis terra.* Quæ quidem omnia diligentissimè perpendens Augustinus, sic scribit; *Quomodo confidimus ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam? Quaslibet quisque ansas & vncos aduersus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicut Anathema erit; qui annunciauerit Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse; Sic erit Anathema quisquis annunciauerit Ecclesiam præter communionem omnium gentium, quia eadem veritate vtrumque consequenter accepimus in illis verbis; Oportebat Christum pati, &c.* Hæc ille. Vbi aduerte, quod de vno illo Lucæ loco, verbi gratia (quem locum suprà habes) scribit Augustinus, id de omnibus locis illis superiùs ex vtroque instrumento citatis, verum esse, vbi pariter de Christo & de Ecclesia prophetatur. Nempe qui Ecclesiam illustrem ac visibilem negat, non minus Anathema esse, quàm si christum iam gloriosum & visibilem in mundo, olim apparuisse negaret. Quam rem etiam in tract. 2. in Epist. Ioannis disputat Augustinus, & ipsis Donatistis his verbis alibi improperat. *Si ipsum Christum quem legitis, & nō videtis, tamen propter Scripturarum veritatē, creditis; quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis?* Ergo propter christi gloriā quæ in sola Ecclesia verè relucet, debet necessariò Ecclesia relucere. Et si creditur in Christum, toto orbe iam manifestatum, credenda est quoque Ecclesia, quæ per totum orbem celebratur & clarescit.

Psalm. 47.
56. 21.
Abac. 3.
Psal. 71.
Epist. 48.
Anathema esse qui negat Ecclesiam manifestā & omniū gentium.
Luc. 24.
Supra cap. 4.
Epistol. 166.

Rursus, quemadmodum veteribus non defuit Spiritus Sanctus *tum propter dispensationem doni prophetici, tum ob vitæ sanctitatem & meritorum gratiam*, sicuti docet Sanctus Augustinus in quæstionibus veteris & noui Testamenti, & iterum contra aduersarium legis & prophetarum, tamen non eis adfuit in tanta copia, neque tam abunde quàm fidelibus post christi gloriam, & Spiritus Sancti visibilem descensum: vnde tunc *effundi in nos Spiritum sanctum*, ex Ioële probat Petrus; *Et in lauacro regenerationis effusum in nos abunde Spiritum Sanctum*, Paulus ad Titum scribit, docuit quoque Saluator idem futurum, dicens, quòd *flumina fluerent de ventre eius aquæ viuæ qui crederet in illum*, quod de Spiritu Sancto fidelibus dando dictum, exponit Euangelista, prædixit etiam fore Esaias in illis verbis, *Effundam aquas super sitientem*; sic planè & ad eundem modum magis illustris, & copiosa ipsa christi Ecclesia necessariò debebat esse. Neque enim ita multiplicari olim potuit gratiæ plenitudo, nisi pariter multiplicarentur qui ipsius gratiæ participes forent. Causam enim efficacem efficaciter operantem infallibiliter consequitur effectus. Ab efficaci autem operatione, non à causa ipsa, dicitur Spiritus Sanctus per gratiam Noui Testamenti effundi abunde in corda fidelium. Nec aliunde in Christo est reuelatio noui Testamenti (non institutio) & per Christum copiosa effusio Spiritus Sancti (non prima communicatio) quàm quòd in Christo & per Christum magis illustris & manifesta, magis plena & copiosa futura erat Ecclesia. Hoc enim totum singulariter ad Christi gloriam pertinebat. Satis hoc docet Euangelista Ioannes: Referens enim verba illa Saluatoris; *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*, exponens & interpretans addit. *Hoc autem dixit de Spiritu Sancto, quem accepturi essent credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*; Nempe quia ad gloriam Christi propriam pertinebat, dari abundè Spiritum Sanctum credentibus in eum, non potuit illa dari priusquam christus glorificaretur. Hoc illud est quod ipsemet Saluator discipulis dixit; *Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos; Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quasi dicat, nisi prius intrauero in gloriam patris *vt cla-*

5. Ratio conspicua semper Ecclesia.
Quæst. 123.
Lib. 2. cap. 3.
cap. 2.
Act. 2.
cap. 3.
Ioan 7.
cap. 44.
Ex copiosa Spiritus Sancti effusione sequitur ampla & copiosa Ecclesia.
Hoc ipsum ad Christi gloriam specialiter pertinebat.
Ioan. 16.

A *vt clarificer apud eum claritate quam habui antequam mundus fieret*, effundi in credentes Spiritus S. non potest: vbertas illa gratiæ & plenitudo spiritus in terras non descendet: Sin autem semel clarificatus fuero, mittam illam vbertatem spiritus in vos & in omnes credentes: Et causam subiicit. *Ille me clarificabit*. Ex illius vberrima per orbem effusione mea gloria accrescet. Nam de hoc claritatis genere se loqui ostendit, sic orans ad patrem, *Sanctifica eos in veritate, &c.* (quod est proprium Spiritus Sancti munus) *vt omnes vnum sint, & vt credat mundus, quia tu me misisti*. Hic finis, hæc causa est, effusi Spiritus S abunde, & sanctificationis factæ vt credat mundus, quia Christus ipse est, quem misit pater; vt nota & manifesta sit mundo christi gloria, potestas, autoritas. Sic olim Ezechiel futurum prædixit. *Scient gentes quia ego sum dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis*, id est, effuso abundè Spiritu Sancto in Ecclesiã coram omnibus gentibus, *Scient gentes quia ego Dominus*. Ioan.17. Cap.36.

Quin verò & illud diligenter aduertendum est, hanc Ecclesiæ gloriosam multitudinem, Christi humanitati & passioni tetributam fuisse. Apertè hoc prophetæ prædixerunt. Dauid his verbis. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, possessionem tuam terminos terræ*. Esaias quoque; *Ideo dispertiam ei plurimos*, vel vt August. legit. *Ideo hæreditate possidebit multos, & fortium diuidet spolia pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est*. Quod etiam Apostolus apertè confirmat ad Philippenses. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, &c.* Propter quod *& Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*. *6. Ratio conspicua semper Ecclesia.* psal.35. Cap. 2.

B Vt ad hanc Christi exaltationẽ etiam terrestris gloria pertineat non in rebus seculi & mundi delitiis, sed in omnium fidelium confessione, de qua mox addit Apostolus, *vt omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*. Hæc est Catholicæ fidei confessio per omnes gentes, populos & linguas, iuxta illud Dan. 7. *Omnis tribus, populus, & linguæ ipsi seruient*. Et sanè Esaiæ prædicta verba his Apostoli verbis simillima, vrgens Augustinus ait; *Quid est, heretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea dominus Iesus Christus traditus est, vt hæreditate multos possideret?* Et qui sunt hi multi & quàm latè occupent terram, in sequenti capite quinquagesimoquarto, docet Esaias in illis verbis. *Letare sterilis, &c. dilata locum tentory tui, &c. Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur*. Hic est Deus Catholicæ Ecclesiæ. Quæ omnia cùm ad longum citasset Aug. cum aliis etiam eiusdem prophetæ verbis ex cap. 62. & 63. sic concludit. *Ecce ex vno propheta, quàm multa, quàm clara, & tamen resistitur & cõtradicitur: & ab eis qui nomine Christiano gloriari volũt, ipsius Christi gloriæ inuidetur, ne ista quæ tanto ante de illo prænunciata sunt credantur impleri, cùm iam non prænunciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur*. Hæc ille de vnitate Ecclesiæ cap. 7. Sic ante eum Optatus hoc Christi meritum amplissimus verbis cõtra eosdẽ Donatistas vrget. *Si sic* (inquit) *pro volũtate vestra in angustũ coarctatis Ecclesiã, si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud quod filius Dei meruit? Vbi erit quod libenter ei largitus est pater, dicens; Dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c. vt quid tale infringitis promissum vt à vobis mittatur quasi in quendã carcerem latitudo regnorũ? Quid tantæ pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita mulitatis? Permittite filium possidere concessa: Permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites?* Hæc ille, & alia multa in eandem sententiam lib. 2. contra Parmenianum, statim ab initio. In hanc quoque sententiam eleganter S. Hieronymus ad personam schismatici iam tandem ad religionem Catholicam conuersi, sic scribit. *Gratulor tibi quòd à falsitatis ardore, ad totius te orbis saporem conuertisti, nec dicis more quorundam, Saluum me fac domine quoniã defecit in me Spiritus: quorũ vox impia crucẽ Christi euacuat, Dei filium subiugat diabolo, &c. Sed absit, vt frustrà Deus mortuus sit. Alligatus est fortis & vasa eius direpta sunt. Allocutio Patris impleta est. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et paulò post aliis in eum sensum Scripturis citatis, *vbi quæso*, inquit, *sunt isti nimium religiosi, imò nimium prosani qui plures Synagogas asserunt esse quàm Ecclesias? Si Ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia non habet, nimium pauper factus est.* Hæc Sanctus Hieronymus, apertè demonstrans ad Christi gloriam eámque merito Crucis comparatam pertinere, vt ampla & illustris eius esset Ecclesia. Diuus verò Chrisostomus ex eadem illustri & vbique diffusa Christi Ecclesia, etiam Christi diuinitatem egregiè confirmat: ostendens videlicet non secus ex verbo illo Christi, *Aedificabo Ecclesiam meam*, creuisse semper & propagatam fuisse per vniuersum orbem Ecclesiam eius, quàm ex verbo, *fiat cœlum*, quicquid ad cæli ornatum pertinet, procreatum

De vnit. ecclesiæ. cap. 7.

Christus Deus catholicæ Ecclesiæ.

C

In Dialogo aduersus Luciferianos.

Ecclesiæ perpetua propagatio probatur ex verbis illis. Aedificabo Ecclesiam meam.

In demonstratione quòd christus est Deus.

fuerat. Sic enim scribit citatis illis verbis ad Petrum, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Examina quid sibi hoc verbum vult. Nam nõ solum hoc mirum est quòd ædificauit eam per totum mundum. sed quia inuictam fecit, & inuictam licet tot bella insurgant.* Et paulò post. *Nec quia paucis dicitur, Aedificabo Ecclesiam meam, transcurras breuiter. Sed considera & cogita tecum, quid sit in tam exiguo tempore omnes sub sole terras tantis Ecclesiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi.* Qua sanè re multis postea verbis amplificata, concludit tandem. *Sicut dixit, fiat cælum & monstrauit opus, omniáque verbo operatus est; eodem modo idem & illas Ecclesias plantauit, & verbum hoc, Aedificabo Ecclesiã meam, hæc omnia operatum est.* Hæc Sanctus Chrysostomus, multáque ibi alia in eandem sententiam. Vt sanè Ecclesiæ Christi vel ruinam, vel defectionem statuere, nihil sit aliud quàm Christi veritatem & omnipotentiam negare, atque Christum ipsum, (ô blasphemiam) vel fallacem, ea promittentem quæ non præstitit; vel impotentem, ea in se recipientem quæ præstare non potuit, constituere. Hæc enim Protestantum hodie doctrinam necessariò consequuntur. D

Atque hæ generales quædam causæ sunt necessariò visibilis Ecclesiæ. Sunt & aliæ magis speciales. Nam & quæ scripturæ canonicæ sunt & authoritatis diuinæ, & quis earum Germanus sensus & Orthodoxus; item traditiones quæ sint verè Apostolicæ atque Catholicæ; patres etiam qui demum probandi & sequendi sint: quę Concilia legitima habenda sint, ipsa quoque miracula atque martyria, ipsa remissio peccatorum, sacramentorum vsus, & vniuersus Dei cultus, vbi & quando valeant; non nisi ex Ecclesiæ approbatione, consensu, authoritate, vnitate, cognoscitur & iudicatur: vt omnium horum nomine atque respectu, necessariò E
debeat visibilis & certò cognita esse Ecclesia. Sed aptiùs de his rebus magna sanè ex parte alio
Recapitulatio præcedentiũ probationum visibilis ecclesiæ. loco agetur, cùm de ipsius Ecclesiæ potestate in sequentibus disputabitur. Satis autem copio-
sè atque inuictè hæc quæ diximus, demonstrant Ecclesiæ Christi, visibilem multitudinem
esse oportere: eos verò qui contrà sentiunt, & in paucitate quadam piorum, eáque latente &
1. occulta, Ecclesiam ponunt; primùm quidem appertissimis & creberrimis scripturis in lege, in
2. psalmis, prophetis, & in ipso Euangelio contradicere. Deinde totam Christi œconomiam in
3. externa prædicatione verbi, & doctrina fidei institutam euertere. Vnitatis etiam conseruan-
4. dæ, & ab hæresi ac schismate cauendi, præcipuam maximéque propriam rationem penitus
5. tollere. Infidelibus quoque, maximè efficacem ad Christi fidem aditum præcludere. Po-
strenò, Christum sua gloria nouo huic testamẽto propria, & gloriosissimæ Passioni ipsius debita, repromissa, & retributa, sceleratè & cum ingenti blasphemia spoliare.

Cauillationes quædam Protestantum refutãtur.

Sed non est hoc loco dissimulanda vna atque altera Protestantum, quamuis vana & futilis cauillatio. Aiunt enim ad corporis Christi gloriam & splendorem satis esse, quòd ipsi Christo capiti, eiúsque membris inter se cognitum & exploratum sit. Quòd ad alios verò attinet, qui huius corporis membra non sunt, minimè necessarium esse vt illis semper sit cognita Ecclesia, qui ad eam nunquam accedere, atque societati eius se adiungere volunt. Regno quoque Christi non repugnare, vt seculo quidem huic & mundo contemptibile atque vile, aut etiam obscurum appareat. Mundi enim esse proprium, vt Christum, & eos qui chri- F
Matth. 10. sti sunt, odio atque contemptui habeat, iuxta illud Saluatoris: *Odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum.* Et illud Apostoli; *Non multi sapientes secundum carnem, non multi po-*
1. Cor. 1. *tentes, non multi nobiles; Sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes; & quæ infirma sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortes.* Nihil ergo mirum, si viles & contemptibiles mundo habeantur, qui ad Christum & veram eius Ecclesiam, corpus & Regnum pertinent. Sed ad vtramque hanc cauillationem breuiter & solidè responderi potest; ad primam quidem, propterea non esse satis vt soli Christo, membrisque corporis eius innotescat
Esai. 60. Ecclesia, quia vt futurum prædixit Esaias, *portæ eius non claudentur die nec nocte*, id est saluti gentium & populorum, qui ad Christi corpus nondum pertinent, aperta, cognita, & explorata semper debet esse Ecclesia, iuxta ea quæ modo in causa 3. disputauimus. Alioqui
Ephes. 4. Christus, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem nominis eius peruenire*, atque in eum finem pastores, doctores, &c. id est, ecclesiæ magistros dedit, vtique semper voluit eosdem ecclesiæ magistros, etiam iis qui extra ecclesiam sunt, viam salutis quærentibus cognitos, atque inuentu faciles esse. Quis autem dixerit non esse necesse, vt vniuersæ Prouinciæ, ciuitati, parochiæ pastor innotescat, & verbi prædicatio fiat; etiam si permulti illic sint qui nullum inde fructum percipiant? Quamquàm sanè non solum propter au-

ditorum

A ditorum fructum & vtilitatem, sed multò magis propter ipsam Christi gloriam nominisque eius celebritatem (sicuti antea demonstratum est) oportuit Ecclesiam eius semper illustrem & conspicuam esse, etiam illis *qui non audierunt, de eo*, vt ait Esaias, id est, qui non crediderunt in eum. *Omnis enim qui audiuit & didicit à patre, venit ad Christum.* Deinde vt concedamus nō quidem singulis annorum momentis, & præcisè perpetuo Christi Ecclesiam illustrem esse, sed aliquo fortasse tempore obscuriorem latere (quod etiam nō esse huic quam asserimus cōspicuæ claritati Ecclesiæ Christi, contrarium postea ostendetur) quale tamen illud esset, totis his mille annis obscuram, latentem & incognitam Christi Ecclesiam extitisse? Tot enim annis multóque pluribus (vt postea dicetur) penitus defecisse veram Christi Ecclesiam aduersarij contendunt. Iam verò quod de contemptu & odio suorum futuro Christus prædixit, minime ad vniuersum propagandæ Ecclesiæ suæ tempus pertinere potest, sed ad illud tantum temporis referri debet, in quo vel ipsi Apostoli, vel alij postea Apostolici viri, & noui veritatis Euangelicæ præcones, fidem Christi de nouo prædicare cœperunt. In prima enim fidei prædicatione, aduersarios & contemptores vbique existere satis constat. Quin & ipsa quoque crescente atque florente Ecclesia, qui inter ipsas Christianorum turbas, viam angustam ambulant, & gradu quodam perfectiore in cælum nituntur, illi sanè quantò rariores & excellentiores, tantò profectò & odio & inuidiæ & contemptui, etiam ab ipsis Christianis viam latam percurrentibus, obnoxij sunt. At verò si ipsum Christi corpus, & totam Ecclesiam respicimus, non in paucitate perfectorum & electorum, sed in multitudine profitentium & B vocatorum, si regnum Christi consideremus, videbimus verum necessariò esse debere quod Apostolus fieri oportere denunciauit; *vt omnis lingua confiteatur nomini eius*, quod Esaias futurum prænunciauit, *Ponam te in superbiam sæculorum: fortitudinem gentium comedetis.* Quod item Ezechiel atque ipsemet Saluator denunciauit; *Scient gentes quia ego sum Dominus, & vt sciat mundus* (non solum membra electa aut vocata) *quia tu me misisti.* Quæ omnia aliaque plurima his affinia, quia superiùs commemorauimus, magisque adhuc alio in loco perstringenda sunt, hic nihil repetendum, aut præterea addendum est. Satius fortasse erit, vt argumenta deinceps omnia, saltem præcipua, quibus hanc Ecclesiæ illustrem & conspicuā faciem hæretici hodie impugnandam censuerunt, pariter & semel proponamus, ac eisdem postea singulis & ordine respondeamus. Istud nunc ergo agamus.

Margin notes: Esai. 52. — Ioan. 6. — Infra cap. 18. — Philip. 2. — Esai. 60. & 61. — Ezech. 36. — Ioan. 17. — Supra cap. 3. & 4.

Argumenta hæreticorum varia & præcipua contra visibilem Ecclesiæ multitudinem.

CAPVT VIII.

C PRo paucitate Ecclesiæ argumenta hodie hæreticorum hæc sunt, Primùm ex Scripturis Euangelicis multa congerunt hæretici, inter quos sic disputant Magdeburgenses Centur. 1. lib. 1. cap. 4. *Indicat* (inquiunt) *Christus exiguum plerumque cœtum esse qui ad veram Ecclesiam pertinent: Contra verò falsā Ecclesiæ numerosissimum. Intrate per angustam portam, lata enim & spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui ambulant per eam: Angusta autem & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Rursum, Quarta tantummodo pars seminis in bono agro consistit ac fructificat, reliquæ depereunt. Item, *Nolite timere pusille grex, quia complacitum est patri meo dare vobis regnum.* Hæc illi. Ex quibus conficiunt paucorum esse regnum Christi quod est Ecclesia.

Margin notes: Arg. 1. — Matth. 7. — Matth. 13. Luc. 12.

Abutitur autem & aliis noui testamenti Scripturis ad paucitatem Ecclesiæ demonstrandā Musculus in loc. com. in cap. de Ecclesia par. 1. *Non moramur*, inquit, *multitudinem fidelium aut locorum, vbi congregantur congregationes. Neque enim Ecclesiam suam Seruator ipse, vel multitudine, vel locorum qualitate metitur, cùm dicit, Vbicunque fuerint duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quis autē Ecclesiā Christi esse negabit, vbi inter duos vel tres in nomine Christi congregatos medius est ipse Christus?* Hæc ille. Ad cuius rei probationem subiungit varias huiusmodi paucorū Ecclesiæ ex Scripturis appellationes. *Sic*, inquit, *Apostolus vnius domus familiam Christo fidelē non dubitat vocare Ecclesiam, cùm salutare iubet Priscam & Aquilā, & quæ erat*

Margin notes: Arg. 2. — Matth. 18. — Rom. 16.

D

in domo illarum Ecclesiam. Sic ad Coloss. Salutare iubet Nympham, *& quæ in domo eius est, Ecclesiam*. Quin & Aug. alicubi domum Iulianæ vocat *paruam Ecclesiam*. Ex quibus omnibus confici vult, ad veram Dei Ecclesiam inueniendam, nec multitudinem fidelium, nec locorũ varietates desiderari: Sed posse eam in quauis exigua familia & paucitate reperiri. Ad huius autem rei maiorem confirmationem, paulò post §. 4. Quod Aug. Catholicam Ecclesiam in- Epist. 170. de sic nuncupari scribit, *quia per totum orbem terrarum diffunditur*, non aliter verum esse vult, quàm quia omnium fidelium & electorum ab initio mundi vsque ad finem toto orbe corporaliter dispersa, sed spiritualiter vnita vera est Ecclesia. Quod hac ratione probare nititur. *Vniuersitatu*, inquit, *notà, si totum mundum complectitur, ad Christianam fidem non pertinet. Illa enim totum mundum non complectitur, nec vbique, aut omnium est; Ideóque hoc sensu, nihil minus quàm Catholica est*. Hæc ille. Multitudinem ergo vult esse Ecclesiam vniuersalem atque Catholicã, quæq; per totum orbem diffunditur, non quia vnquam in præsenti fidelium multitudine multas gentes occupet, sed quia omnes ab initio mundi fideles vsque ad præsens tempus complectitur, qui modò pauci, modò plures, sed sæpius pauci, hîc illícque dispersi, & vno spiritu coniuncti sunt. Hoc modo Catholicam seu vniuersalem Ecclesiam facit. Probare autem hoc cõmentum suum vult authoritate Isychij, qui vniuersalem Ecclesiam definit esse *eam ciuitatem* Isychius. *Dei quæ continet Ecclesiam primitiuorum conscriptam in cælis*. In Leuitic. cap. 14. lib. 4. Et iterũ authoritate Gelasij Papæ, cuius hæc citat verba, ad Anastasium Augustum; *Catholica Ecclesia illa veraciter est quæ ab omnibus perfidis, atque ab eorum successoribus atque consortibus syncera, pura & immaculata communione diuisa est*. Hæc Musculus.

E

arg. 3. Deinde exemplis agunt ex vtroque testamento; & primùm ex nouo sic disputant Magdeburgenses, vbi suprà; *Rarum*, inquiunt, *numerum membrorum* Ecclesiæ, *Christo viuo, fuisse, historia Euangelica testatur: videmus qualem penes se turbam habeat secúmque trahat Christus, nempe piscatorum, publicanorum, & vt vna voce dicamus, infimam turbam*: Sed *pontifices, scribæ, seniores, populi, Pilatus, aliique dignitate, eruditione, potentia & Authoritate præcellentes, tanquam è sublimi, ingenti supercilio fastidiunt Christum*. Hæc illi. Et istud ex illis verbis Christi colligunt. *Gratias tibi ago* math. 11. *pater, quòd abscondisti hæc à sapientibus*, (nempe Scribis & Pharisæis) *& reuelasti ea paruulis*. Eandem Ecclesiæ faciem describit Melanchthon, Christo nascente, fuisse. *Mariæ*, inquit, *tempore, erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Ioseph, Elizabeth, Maria, Anna, pastores, & alij multi, qui de pura doctrina consentiebant, & audiebant non Saducæos au Pharisæos, sed Zachariam*, Simeonem, *Annã, Mariam & similes*. Hæc ille in Repetit. Confess. Augus. & in loc. com. Et hoc argumentum in ore est omnium Protestantum: Nos scilicet & Catholicam hodie Ecclesiam Pharisæos & Scribas reputare; se verò paucos illos esse Christi comites. Sic Caluinus quasi ab inuicto loco argumentatur Inst. lib. 4. cap. 9. parag. 7. *Vnum*, inquit, *exẽplum quod est præ alijs memorabile pro omnibus sufficiat. In eo Concilio, quod collegerunt pontifices & Pharisæi Hierosolymis aduersus Christum, quid desideres, quod quidem ad externam speciem attinet? Nisi tunc fuisset Hierosolymis Ecclesia, nunquam sacrificiis aliisque ceremoniis communicasset Christus: fit solennis conuocatio: præibat summus pontifex: totus ordo sacerdotis assidebat: damnatur tamẽ illic Christus, & eius doctrina è medio profligatur. Hoc facinus documento est, Ecclesiam minimè fuisse in illo Concilio conclusam. Quare nullo modo concedendum est Ecclesiam in pastorum cœtu consistere*. Hæc ille. Quòd si nõ in pastorum cœtu, multò minus in tota fidelis populi multitudine, cuius pastores capita sunt. Hoc argumento vtitur Brentius in Prolegomenis contra Petrum à Soto. Et hoc vnum quasi fortissimum Achillem, & Ecclesiæ visibili multitudini, & Conciliorum authoritati, & pastorum & episcoporum successioni, ordini, & iurisdictioni omnes ad vnum protestantes opponunt. F

argu. 4. Ex veteri autem testamento plura congerunt, & primum statum veteris Ecclesiæ sub Elia propheta vehementer vrgent. *Eliæ tempore* (ait Melanch. in loc. com.) *erant Ecclesia Elias, Elizeus & eorum auditores. Neque erat Ecclesia sine ministerio. Erant enim ministri Euangelij prophetæ ipsi; & erant aliqui pij sacerdotes eis adiuncti: fuitque mediocris multitudo Sanctorum, dicente textu, Reliqui mihi 7. millia, qui non curuauerunt genua ante Baal*. Quo exemplo Eliæ vtitur Caluinus, & in præfat. Instit. & lib. 4. cap. 1. paragr. 3. vt probet Deum *Ecclesiam suam in latebris conseruare*. Hoc autem exemplum ad præsens tempus Melanchthon applicans, paulò post dicit. *Vagatur iam Ecclesia, vt scholastici exulantes. Et quanquam Deus alicubi præbet mediocria hospitia, tamen maior est potentia hostium Euangelij*. Hæc ille. Idem quoque in responsione ad articulos Bauaricæ inquisitionis, ad tertium articulum, sic visibilem esse Ecclesiam conce- Argum. 5. dit; vt tamen in cœtu paucorum consistat, quod & his Scripturis confirmare nititur. *Nisi Do-*

minus

A *minus nobis reliquisset semen, velut Sodoma essemus facti, & Gomorrha. Et iterũ; Etiam si erit populus vt arena maris, tamen reliquiæ saluæ erunt.* Sic de Ioanne Huss. & Hieronymo Pragensi, hæreticis in Concilio Constant. damnatis dicit, *Quòd cum suis auditoribus erant cœtus visibiles, licet non sic vt pompa pontificia, & licet disiuncti ab ordinaria potestate. Talis enim cœtus,* inquit, *est vera Ecclesia, qualem describit propheta; Reliqui mihi populum pauperem in terra conuocantem nomen Domini.* Hæc ille. Addunt etiam alij, vt probent visibilem Ecclesiam fornicari à Christo posse, illud, Esaiæ 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis? &c.* quæ sequuntur. Argum. 6.

Caluinus, etsi copiosissimè de Ecclesia disputat, Instit. lib. 4. per multa capita, tamen pro paucitate hac Ecclesiæ (quam tantopere alij omnes exosculantur & vrgent) non disputat. In præfatione autem totius operis, quæ est Epistola nuncupatoria ad Franciscum regem Galliæ, in qua omnibus quibus potest argumentis, ab Ecclesia catholica, Christianissimum regem auertere contendit, pro hac veræ Ecclesiæ paucitate, & contra multitudinem plurima in medium adfert. Primùm à communi rerum vsu sic disputat; *Vix vnquam tam benè se habuerũt res humanæ, vt pluribus placerent meliora. Sed ex priuatis multorum vitiis publicus error plerunque factus est, vel potius communis vitiorum consensus, quem nunc boni isti viri pro lege esse volunt.* Hunc autem communis sensus vsum Scripturis probare nititur. *Sic,* inquit, *quondam electus Dei docebat Esaias in hæc verba Ait dominus ad me ne irem in via populi huius. Omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est, & timorem eius ne timeatis, Dominum exercituum sanctificate, ipse sit pauor vester.* ca. 8. *Nunc itaque vt volent* (infert Caluinus) *& præterita secula & præsentia exempla nobis obiectent, si Dominum exercituum sanctificauerimus, non valde terrebimur.* Hæc ille. Ex his B prophetæ verbis satis se cumulatè probasse putat multitudinis consensum, ad veræ Ecclesiæ rationem nihil pertinere, sed contra suspectum esse debere. Esai. 8. Argum. 7.

Subiicit autem varia exempla, quibus hanc rem magis confirmet. *Sine,* inquit, *in similem impietatem multa secula consenserint, fortis est Deus qui vltionem in tertiam & quartam generationem faciat, siue totus simul orbis in eandem nequitiam conspiret, experimento docuit quis sit eorum exitus, qui cum multitudine delinquunt, quando vniuersum hominum genus diluuio perdidit seruato Noe cum modica familia.* Et iterum paulò post. *Si repræsentat Ecclesiam multitudo pastorum & fideliũ, Aaron,* inquit, *cæterique præfecti Israel, nõne pastores erant & filij eius iam sacerdotes designati? Errauerunt tamen cum vniuerso populo, quando vitulum fabricauerunt & adorauerunt.* Exod. 32. *Rursum secundũ hanc rationem; Cur non Ecclesiã repræsentassent quadringenti illi prophetæ qui deceperũt Achab? At Ecclesia stabat à partibus Micheæ solius quidem & cõtẽptibilis, sed ex cuius ore verbũ egrediebatur,* primi Reg. cap. 22. *Præterea, nonne & nomen & faciem Ecclesiæ præ se ferebant prophetæ cùm vno impetu aduersus Hieremiam insurgerẽt clamãtes; Lex non peribit à sacerdote,* capite decimo octauo. *Cumque solus ille contra nationem totam prophetarum à Deo mitteretur,* capite quarto. His ferè argumentis Caluinus, Melanchthon, Musculus, Magdeburgenses, præcipui nostri temporis hæretici suam paucitatem defendere, & in paucitate credentium Ecclesiam ponere contendunt. Quæ enim Lutherus in hanc rem adfert, assseuerationes potius sunt impudentissimæ (sicut solet) quàm probationes legitimæ: Breuiter tamen attingemus. Argum. 8.

Asserit ergo & prolixè narrat Lutherus diaboli hoc consilium esse, vt semper falsa Ecclesia numerosa esset, vera autem paucorum. Sic enim scribit. C *Cùm cerneret diabolus Deum Ecclesiam sibi sanctam constituere, non cessabat ille quidem, sed continuò sibi quoque sacellum longe maius & amplius ipsa Ecclesia Dei iuxtà condebat. Fuit enim ille supra omnem modum ipso Deo semper instructior in sacramentis, prophetis, apostolis, euangelistis. Et eius sacellum multò semper amplius ipsa Ecclesia Dei. Habet idem longe maiorem hominum multitudinem in sua sanctitate quàm ipse Deus. Denique est ipse magnus ille Deus in mundo, princeps mundi huius, vt à Christo appellatur; Et Deus huius seculi, vt à Sancto Paulo vocatur.* Hæc ille in tractatu de notis veræ Ecclesiæ, tom. 7. vt hunc in modum ratiocinari videatur. Diabolus est princeps huius mundi, & Deus huius seculi, magnúsque Dei & perpetuus æmulus: Ergo quæ in hoc mundo & seculo illustris est & conspicua in Christi nomine Ecclesia, diaboli sacellum est iuxta veram Dei Ecclesiam extructum. Argum. 9. Alibi verò exhortaturus Senatũ ac populum Pragensem in Bohemia, id est, paucos ibi clancularios hæreticos, vt sibi ipsis prædicantes ac ministros instituant, Clerum autem Catholicum penitus auersentur ne suorum paucitate deterreãtur, sic ad eos scribit. *Iam si & hic vos scrupulus terret, vos non esse certò Ecclesiam Dei; Respondeo, Ecclesiam non numero sed verbo cognosci.* Quod vt probet subiungit .1. ad Cor. 14 dicit Apostolus, *Infideles si in Ecclesiam introierit, videritque eos prophetare & casurum in faciem, & confessurum quod verè Deus in illis habitet. Hoc autẽ certum est esse apud vos in multis rebus verbum Dei & cognitionem Christi. Quare nihil est*

quod dubitetis, apud vos esse Ecclesiam Christi, etiamsi tantum decem, vel sex essent qui verbum habent. Hæc ille in libello de instituendis Ecclesiæ ministris, tomo secundo. Hoc vno argumento putauit Lutherus ab vniuersali Ecclesia Pragenses auellere, & ad suum schisma pertrahere. Atque hæc pro paucitate Ecclesiæ apud eos disputata inueniuntur. D

Argumēta Protestantium pro inuisibili & obscura ecclesia.

Quæ autem pro obscuritate Ecclesiæ disputant, & vt non necessariò semper visibilis sit, argumentantur, ferè eadem sunt cum locis & argumentis iam propositis: Quædam tamen ad hanc causam magis propria adferunt, quæ quia pro paucitate etiam facere videntur cæteris subiungam:

Erasmi præscriptio.

Et, vt à Luthero incipiam, cùm Erasmus Roterodamus in diatriba sua de libero arbitrio, expendere iubeat lectorem, *vtrum plus tribuendum sit, tot eruditorum, tot orthodoxorum, tot sanctorum, tot martyrum, tot veterum, ac recentium, theologorum & summorum pontificum in orbe Christiano præiudiciu, quàm vnius aut alterius priuato iudicio: Addatque, incredibile esse, vt Deus tot seculu errorem Ecclesiæ totius dissimularit.*

argum. 10.

Lutherus qui hanc sibi diatribam confutandam suscepit, videns se hîc authoritate Ecclesiæ premi, & fidelium multitudine obrui, sic respondet, vt planè inuisibilem esse sempérque fuisse Ecclesiam statuat. Itaque primum constanter asserit, *Ecclesiam veram nec errasse vnquam, nec errare potuisse. Sed hic*, inquit, *Hic labor, hoc opus est certo constare, an illi quos tu Ecclesiam vocas, Ecclesia sint, vel potius an tota vita errantes, demum ante mortem resipuerint. Neque enim sequitur statim. Si Deus illos omnes, quos adducis, quantumuis longa serie seculorum eruditissimos viros passus sit errare, ergo Ecclesiam suam passus est errare. Nempe quia isti quos totus orbis pro Ecclesiæ membris veneratus est, fortasse Ecclesiæ membra non fuerunt.*

Probationes Lutheri pro inuisibili sua Eccles.

Quod cùm exemplis ex veteri lege productis, quæ supra citata sunt, probare sibi visus esset, sic concludit. E *Quis igitur & nunc negare audeat, Deum sub istis principibus viris (non enim nisi publicè ministerij & nominis viros recenses, vt episcopos, pastores, & doctores) in vulgo sibi seruasse Ecclesiã, & illos omnes exemplo Israelitici regni perire permisisse.* Cuius absurditatis vel blasphemiæ potius has causas vel probationes subiicit. *Quandoquidem*, inquit, *peculiare est Deo electos Israel impedire & pingues eorum occidere* Psal. 77. *fæces verò & reliquias Israel seruare, vt Esaias dicit. Nisi Dominus reliquisset nobis semen*, &c. *Rursum sub ipso Christo omnes Apostoli scandalizati sunt, & ipse ab vniuerso populo negatus & damnatus est, vix vno & altero Nicodemo & Iosepho cum latrone in cruce seruatis. At nunquid illi pauci tum populus Dei nuncupabatur? erant quidem populus Dei reliquus, sed non nominabatur: & is qui nominabatur, non erat.* Hæc ille. Et vt in vniuersum, rem sic se habere concludat, subiungit. *Quis scit, si toto mundi cursu ab origine sua semper talis fuerit status Ecclesiæ Dei, vt alij dicerentur populus & sancti Dei qui non essent. Alij verò inter illos & reliquiæ essent & non dicerentur populus aut sancti, sicut monstrat historia Cain & Abel, Ismael & Isaac, Esau & Iacob:*

argum. 11.

Mox etiam exemplo Christianæ Ecclesiæ idem confirmat. *Vide*, inquit, *Arrianum seculum, vbi vix quinque in toto orbe episcopi Catholici seruati sunt, iique à sedibus pulsi, regnãtibus vbique Arrianis publico nomine in officio Ecclesiæ. Nihilominus sub istis hæreticis suam Ecclesiam seruauit Christus: Sed sic vt minimè Ecclesia putaretur aut haberetur.*

Hilarius.

Hoc autem Arrianæ persecutionis exemplum fortius adhuc premit Caluinus, idque ex verbis iisdem Sancti Hilarij, qui eo tempore vixit. Sic enim scribit Sanctus Hilarius tum in Phrygia exulans, in libello quem fecit contra Auxentium. *Vnum moneo, cauete, Antichristum. Male enim vos parietum amor cœpit, male Ecclesiam Dei, in tectis ædificiisque veneramini, male sub iis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? montes mihi & syluæ, & lacus & carceres, & voragines sunt tutiores. In his enim prophetæ aut manentes aut demersi prophetabant.* F Hæc Hilarius. Ex quo sic colligit Caluinus. *Quid aliud hodie in Episcopis suis veneratur mundus, nisi quia sanctos esse religionis præsules autumãt, quos celebribus vrbibus & populis videt præsidere? Apagesis hanc tam stupidam æstimationem; quin potius permittamus domino vt quando ipse solus nouit qui sui sunt, interdum etiam* Ecclesiæ *suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.*

argum. 12.

Hæc Caluinus in præfat. Huius autem rei aliud argumentum adfert Lutherus. *Quid mirum*, inquit, *si Deus Ecclesiæ maiores sinat ire vias suas, qui sic omnes gentes permisit ire vias suas, vt* Paulus *in Actis dicit*; Vt videlicet, non magis mirum sit, multitudinem credentium ad veram Ecclesiam non pertinere, quàm olim multitudinem Philosophorum & gentium à vera religione excidisse. Postremò concludit, *Ecclesiam non esse rem tam vulgarem, quàm est hoc nomen Ecclesiæ* Dei, *sed esse absconditum illud Margaritum (cui Saluator in Euangelio regnum cælorum comparat) ne impius videat gloriam Dei.*

argum. 13.

Hæc Lutheri disputatio est, & his argumentis nititur. Caluinus verò præter ea omnia que hactenus ex eo citauimus, alio adhuc argumento visibilem Christi Ecclesiam euertere se penitus non dubitat. *Quòd si*, inquit, *ex animo loquuntur, qui omnino volunt Ecclesiæ formã semper apparere & spectabilem esse, respondeant mihi bona fide, vbinam*

gentium

A *gentium & locorum Ecclesiam residere existimant, ex quo Basiliensis Concilij Decreto deiectus & abdicatus est Pontifex Eugenius 4. subrogato in eius locum Amadeo. Negare nequeunt Concilium quantum ad externos ritus legitimum fuisse. Damnatus autem est illic Eugenius cum omnibus suis. Postea tamen principum fauore sustentatus saluum pontificatũ recepit. Illa Amadei electio in fumum abiit: & ex hoc Eugenio uniuersus postea prodiit orbis Christiani clerus. Hic deprẹhẽsi hæreant necesse est. Vtram enim in partem Ecclesiæ nomen conferent? Negabũnt-ne Concilium generale fuisse, cui nihil ad exteriorem maiestatem deerat, à duobus Pontificibus Romanis indictum Martino 5. & Eugenio 4. præsidente Rom. sedis legato Iuliano Cardinale consecrato? Aut fatebuntur schismaticum esse Eugenium cum tota sua cohorte, à qua omnes sanctificati sunt? Aut igitur Ecclesiæ formam aliter definiunt quàm à visibili multitudine credentium & Prælatorum, aut quotquot sunt, habebuntur à nobis schismatici, qui à talibus ordinati sunt.* Hęc ille in pręfatione Institut. Vnum est adhuc Brẽ- argum. 14.
tij argumentum contra visibilem Ecclesiam in prolegomenis contra Petrum à Soto, & est omnibus Protestantibus commune. *Si visibilis est Ecclesia sensibus corporeis perspecta, delendus ergo erit articulus ille Symboli; Credo Ecclesiam sanctam Catholicam: & reponendus sic erit; Video & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam.* Hæc ille. Quia videlicet *fides est Argumẽtum rerũ non apparentium*, vt Apostolus definit ad Hebræos 10. Neque quæ videmus, credimus, sed scimus potius. Hæc sunt hodie contra visibilem Ecclesiæ multitudinem hæreticorum argumenta, vel certè omnium argumentorum capita & fontes, ad quę cętera omnia referri possunt: Quibus nunc singulis ordine respondebitur.

B

Ad argumentum primum respondetur, & qui pertineant ad angustam viam, ad quartam partem seminis, & ad pusillum gregem ostenditur.

CAPVT IX.

IN primo argumento citatæ Scripturæ non Ecclesiæ totius sed bonorum atque iustorum in Ecclesia paucitatem designant, nec ad fidei prædicationem, sed ad præceptorum obseruationem pertinent. Credentiũ enim est multitudo, piè viuentium paucitas, iuxta illud Saluatoris. *Multi vocati, pauci electi.* Multi in Ecclesia, pauci in cælo: multi sacramenta Matth. 20.
percipiunt, pauci salutem ex sacramentis capiunt. Denique multi currunt in agone, pauci comprehendunt. Infideles enim ne vocati quidem sunt, foris sunt, iam iudicati sunt. Hæretici quoque & schismatici foras exierunt & proprio iudicio condemnati sunt. Et quod ad primum locum attinet ex Matth. 7. quem etiam Petilianus Donatista pro sua falsa Ecclesia produxit, apud Augustinum, lib. 2. cap. 45. contra Petilianum: *Lata & spatiosa est via* huius seculi, in qua etiam filij Ecclesiæ plerique ambulant;
C suntque filij huius seculi propter carnis & seculi inordinatum amorem, nihilominus tamen filij Dei propter fidem. Sic sapienter distinguit Augustinus, inter filios seculi & filios diaboli.
Filios enim diaboli (ait ille) *infidelitas facit, filij autem seculi sunt interdum fideles, quia mali sunt.* Vnde Saluator in Euangelio eodem Matth. cap. 7. *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data darẽ filijs vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit spiritum suum petentibus se?* Vbi sic ratiocinatur Augustinus; *Si filij* Dei *non essent, non diceret, Pater vester qui in cælis est: & tamen eos malos dicit, quia videlicet filij adhuc huius seculi sunt: nec arctam viam ambulãt.* Hæc ille. Rursum ex Luca clarissimè constat dixisse hæc verba Christum, non de vocatis in Ecclesiæ corpus; sed de electis & saluandis. Sic enim rem narrat Lucas. *Ait illi quidem, Domine si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos; contendite intrare per angustam portam.* Vbi apertissimè angustam portam vocat non Ecclesiæ amplissimos fines, sed saluandorum exiguum numerum. Cæterum (quod aduertendum imprimis est) produnt se hic insigniter Magdeburgenses aliique Protestãtes qui his Matthæi verbis pro veræ Ecclesiæ paucitate ostendenda abutuntur. Produnt se inquam, ad falsam Ecclesiam pertinere, & hæreticos esse. Saluator enim ipse, quia præuidebat hæc verba trahi posse ab hæreticis ad paucitatis commendationem, quæ solet hæreticis omnibus esse propria, quia partes & scissuræ sunt: mox in sequentibus verbis, cauendos hæreticos monet disertè. Vnde hæc verba tractans Augustinus, *Intrate per angustam portam &c. Hic* inquit, *precipuè cauendi sunt hæretici, qui se plerumque paucitate commendant: Et*

Lib. 5. cap. 5. contr. 2. epist. Pelagianorũ. Cap. 33.

Vide hac de re Basilium in com. ad cap. 2. Esaiæ.

Protestantum argumenta ostẽdunt eos hæreticos esse.

De serm. Domini in monte lib. 2. cap. 32.

ideo cum dixisset Saluator paucos esse qui inueniunt viam angustam & portam angustam, ne illi se supponant nomine paucitatis, (quod hodie Magdeburgenses in hoc argumento faciunt,) *statim subiecit. Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.* Hæc Augustinus. Paucitatem ergo commendat Christus, non in toto Ecclesiæ corpore, sed in præcipuis & sanioribus huius corporis membris. Hunc etiam sensum habent aliæ Scripturæ pariter citatæ. De quarta parte seminis fructum afferentis, & de pusillo grege, videlicet præstantium in Ecclesia, fructum afferentium, prædestinatorum ad regnum pusillum esse gregem. Prædestinati enim illi sunt, quibus complacitum est patri dare regnum. Ex quibus solis Ecclesiam non constare, iam ante satis demonstratum est. Itaque licet illi pauci sunt, non tamen Ecclesia paucorum est: sed communio multorum tenenda in paucitate bonorum. Sic cathecumenum recenter ad fidem conuersum docet Augustinus. *Sciet*, inquit *cum paucis hæreditatem Dei, cum multis autem signacula eius participenda: cum paucis communicare sanctitatem vitæ, cum multis autem sanctitatem sacramenti.* Postremò notandum nec bonorum in Ecclesia paucitatem hæreticorum paucitati vlla ex parte suffragari. Neque enim boni omnino & simpliciter pauci esse dicuntur, sed in comparatione latæ & spatiosæ viæ, in qua mali ambulant. Alioquin per se & ipsi maximam multitudinem constituunt. Vnde Augustinus. *Hæc est*, inquit, *ipsa Ecclesia de cuius paucitate dicitur in comparatione plurimorum malorum; quia angusta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ambulant in ea. Et rursus; Hæc ipsa est de cuius multitudine dicitur; Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris. Iidem quippe fideles sancti & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, & per semetipsos multi sunt.* Hæc ille. Pertinet ergo etiam ad rectè credentium Ecclesiam lata illa & spatiosa via, non pertinet ad falsam aliquam Ecclesiam aut hæreticorum aut schismaticorum, aut denique infidelium, sicut illa Saluatoris verba intelligunt hæretici. Idem iterum docet Aug. eisdem verbis lib. 13. ca. 16. & lib. 20. ca. 23. contra Faustum. Est ergo Ecclesia & in paucis & in multis Sanctitate vitæ, pietate, electione in paucis: communione fidei, societate sacramentorum, vocatione publica in multis.

[Margin: Lib. 13. ca. 16. cont. Faust. — Epist. 48. ad Vincentium. — Ecclesia in paucis & in multis.]

[Right margin: D, E]

Respondetur ad secundum argumentum, vbi quo sensu dicenda sit Ecclesia vbicunque Christus adest docetur, loco Matth. 18. ex Cypriano luculenter explicato.

CAPVT X.

NVNC ad secundum argumentum quod est Musculi. Quæ adfert ex Matth. 18. & ex verbis Paulinis, probant esse quasdam priuatas familiarum, locorum, & regionum congregationes, quæ meritò ecclesiæ vocentur, iuxta multiplicem Ecclesiæ acceptionem, vt initio docuimus. Non probant autem tales priuatas congregationes esse Catholicam Ecclesiam illam, & vniuersalem de qua hic quæritur; quæ vnica est, non plures. Rursum, non hæ omnes aliter Ecclesia sunt, quàm quia membra & partes sunt vnius Catholicæ Ecclesiæ. Quam etiam ob causam partes hæreticæ, vt pars Donati, pars Nouatiani, & similes, Ecclesiæ nomine vocari non possunt. Vnde Augustinus cùm varias Apostolicas Ecclesias enumerasset, Romanam, Corinthiacã & alias, *Ecce*, inquit, *sunt in Ecclesia Ecclesiæ & vniuersali totius nomine & nominatim designatæ & expressæ: Et sunt hæ omnes membra vnius Ecclesiæ toto orbe diffusæ.* Hæc ille in libro de vnitate Ecclesiæ. Istæ ergo nominatim designatæ paucorum esse possunt. Sed illa vna Catholica, non nisi multorum, in qua etiam omnes illæ vna sunt Ecclesia: & sic pauci faciunt quidem Ecclesiam, non autem Catholicam, nisi in Catholicę vnitate & communione. Est enim *Ecclesia* (vt doctè notauit Thomas Vvaldensis doctrinalis fidei lib. 2. cap. 15.) *corpus homogeneum, cuius singulæ partes denominationem seruant totius*, quod quidem propter admirabilem vnionem partium singularum cum toto fit, maiorem scilicet magísque arctam, quàm quæ in corporum membris cernitur. Sed quod ad Matthæi locum attinet, à Musculo citatum, eum sanctiss. Cypriani verbis explicatum satius est accipere. Agens enim ex proposito de vnitate Ecclesiæ, in tracta-

[Margin: De vnitate eccle. cap. 11. — Ecclesia corpus homogeneum. — Protestantium argumenta sunt veterum hære.]

[Right margin: F]

tu quem

A tū quem sic inscripsit, vel vt vetustior editio habet, de simplicitate prælatorum, quia hoc ipso Matthæi loco quidam etiam tunc hæretici abutebantur vt hodie Musculus & Caluinus Instit. lib. 4. cap. 1. §. 9. in hunc modū scribit. *Nec se quidē vana interpretatione decipiant, quòd dixerit dominus; Vbicunque fuerint duo aut tres, &c. Corruptores Euāgelij atque interpretes falsi, extrema ponūt & superiora prætereūt. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, sic vnius capituli sententiam scindunt:* Nēpe in proximis præcedētibus verbis dixerat dominus: *Dico vobis quoniam si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quācunque petierint fiet illis: vbi enim duo aut tres, &c.* Non ergo simpliciter promisit se in medio quorumcunque fore in nomine eius congregatorum: sed *vnitatem,* ait Cyprianus, *prius posuit, concordiam pacis ante præmisit.* Hanc autem vnitatem & concordiā pacis, hæreticos non habere sic probat Cyprianus. *Quomodo potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum vniuersa fraternitate non conuenit?* Hæc ille. Ergo nullo modo ad hæreticos & schismaticos hæc verba pertinere possunt. At dicent illi; Nos in nomine Christi conuenimus quia Christo & Euangelio eius coniungimur. At nec istud in hæreticis verum esse probat Cyprianus. Subiungit enim; *Quomodo duo aut tres possunt in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ab eius Euangelio separari?* Hoc autem constare sic probat. *Non enim* (ait) *Nos ab illis, sed illi à nobis recesserūt: Cùm hæreses & schismata postmodum nata sunt, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt,* id est, quia ab Ecclesia recesserunt, ideo ab Euangelio, à veritate & à Christo separantur. Denique de legi-
B timo & germano horum verborū sensu præclarè subiungit S. Cyp. *Dominus de Ecclesia sua loquitur; Ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, & si secundum quod mādauit & monuit, duo aut tres licet collecti vnanimiter, duo aut tres licet sint, impetrare possūt, quæ postulāt.* Hæc copiosè S. Cyp. Sic Christus in medio eorū est qui etsi paucissimi sint in nomine eius cōgregati, si in Ecclesia, in cōmunione totius corporis Ecclesiæ congregantur: & tunc sunt Ecclesia, id est membra totius Ecclesiæ vbique diffusę, vt modo ex Augustino audiuimus. Quod ad confirmationem argumenti Musculus adfert, dici ab Augustino Ecclesiam toto orbe diffusam, non quia multitudinem præsentem contineat, sed quia omnes quotquot olim erāt & futuri sunt fideles, complectatur, etsi nunc aliásque paucissimi existunt, luce clarius est, manifestum esse commentum contra apertissimam Augustini mentem, quam toties iam ex co cit animus ex lib. de vnitate Ecclesię cap. 6. 7. & 1. & ex Episto. 48. & ex libello de vtilitate credendi, cap. 9. & 14. Ex enarratione eius in Psal. 30. & 31. Et ex aliis eius scriptis quę repetere superuacaneum est. Verissimum tamen est, non ex sola præsenti multitudine Ecclesiam Catholicam dici, sed etiam ex ipsa multitudinis per omnes ætates successione, vt suprà dictum est. Quæ ex Gelasio adfert, nihil pro eo faciunt. Etenim rectissimè dicit Gelasius; verè Catholicam illam esse, quæ ab omnibus perfidis pura communione diuisa est; puram autem cōmunionem intelligit fidei & Orthodoxæ doctrinæ, quæ purissimè & sincerissimè in solius Catholicæ vnitate retinenda est, planè diuisa à perfidis hæreticis atque schismaticis. Non autem pura illa communione solam electorum purissimam paucitatem intelligit, vt Mu-
C sculus imaginatur. Vrget enim Gelasius contra Anastasium illum Imperatorem, qui hæreticis Eutichianis propter pacem Ecclesiæ fauebat, licet eorum hæresim damnaret, vnitatem solius Ecclesiæ Catholicæ. Et ostendens quàm immane periculum immineat, si semel ab vnitate fidei recedatur; *Nulla,* inquit, *causa superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum pandamus.* Hæc ille. Isychij verba multò adhuc minus sensum, quem fingit Musculus, iuuant. Fatemur quidem in tali sensu Ecclesiæ vocem accipi, sicuti iam in initio huius Controuersiæ distinximus. Sed non aliunde Catholicam dici vanissimum est, vt postea suo loco ostendemus.

[Margin: Ecclesiæ] ...torum argumenta.
[Margin:] Cypriani locus insignis.
[Margin:] Concordia in hæreticis esse non potest.
[Margin:] Supra cap. 1. 2. 3. & 4.
[Margin:] Lib. 2. cap. 9.
[Margin:] Infrà lib. 4. cap. 1. & 2.

Respondetur ad 3. argumentum, vbi de exemplo Scribarum & Pharisæorum totiusque Synagogæ à qua Christus & Apostoli sese separasse videntur, copiosè disseritur.

CAPVT XI.

N tertio argumento plurimum sibi placent omnes hodie Protestantes. A
Accusati enim schismatis & apostasiæ quòd à Catholica omnium Christianorum Ecclesia defecerunt, hoc exemplo se perpetuò defendunt,
Errores protestãtum circa discipulos christi.
quòd discipuli Christi paucissimi essent; maxima autem turba Pontifices & Scribas sequeretur. Quo tamen in exemplo multipliciter errant. Primùm enim qui Christo vel crediderunt, vel adhæserunt, non propter ea Phariseos & Scribas templúmque Hierosolymitanum abominabantur, aut sese ab eo separarunt, vt hodie hæretici Catholicam abominantur. Nam quod ad B. Virginem, attinet Zachariam, Annam, Iosephum, Simeonem & pastores, quorum exemplũ toties citat Melanchthon, etsi Christi nati fidem susceperant, in reliquis tamen omnibus Synagogæ fidẽ amplexi sunt. Neque enim vel à sacrificio destitisse Zacariã sacerdotẽ, vel templũ Hierosolymitanũ aspernatos postea fuisse Simeonẽ, Annã & Pastores, vspiã legitur. Certè B. virgo & Ioseph filium Iesum quẽ filiũ Dei crediderunt, circuncidi octauo die fecerunt:
Lucæ 2.
Et postea iterũ; *Impletis diebus purgationis, iuxta legem Moysi, tulerũt eum in Hierusalem, vt sisterent eum domino, &c.* Iidem quoque quotannis *ascendebant in Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi*, vt Lucas eodem cap. narrat. Itaque isti omnes ad obedientiam & vnitatem Synagogæ adhuc pertinebant, etsi Christum Saluatorem mũdo natum præter communem opinionem Synagogæ credebant. Neque enim adhuc mundo manifestatus erat Christus.
Act. 10.
Sed quemadmodum resurrectionem suam non toti populo Iudaico Christus manifestauit, B
sed tantummodo *testibus præordinatis à Deo*, sic natiuitatem suam non toti populo, sed paucis
3. parte q. 36. art. 2. ad 2. Ibidẽ art. 6.
manifestauit: primùm Mariæ matri & Ioseph, *tum propter necessariam proli conceptæ reuerentiam, tum propter conueniens proli nasciture obsequium*, ait Sanctus Thomas; Deinde ipsis pastoribus tanquam Iudæo populo: Exinde Magis tanquam Gentilibus: Postremò Simeoni & Annæ iustis, tanquam plenitudini Iudæorum postremò intraturæ.
Discipuli christi non recesserũt à Synagoga.
Ioan. 19. Ioan. 10. Lucæ 22. Lucæ 5. & 17.
Iam verò cùm Christus ipse viua voce prædicaret Euangelium & discipulorum turbam secum traheret, nec adhuc à veteri Synagoga discessum est. Christus enim ipse *semper erat docens in Synagogis & in templo, quò omnes conueniebant. Ascendit Hierosolymam ad diem festum cum discipulis suis*: Celebrat pascha legale cum discipulis suis. Mittit sanatos de lepra ad sacerdotes templi: Denique, vt omnis ambiguitas tollatur, etsi acerrimè & frequentissimè Pharisæorum & Scribarum impurissimos mores redarguat, iubens *ab eorum fermento cauere*, id est propriis traditionibus &
Math. 23.
consuetudinibus; tamen vt doctrinam Synagogę publicam adhuc sanam esse ostenderet, disertè dixit; *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite.* Ex quibus omnibus luce clariùs constat, non in solis paucis illis, seu Christum natum credentibus, seu
Secundus error Protestantum.
postea in prædicatione Christi comitibus & discipulis eius, sed in tota illa Israëlitici populi multitudine, quæ Synagogam & tẽplum venerabatur, quæ pontificibus, Scribis & Pharisæis in doctrina fidei, & morum obtemperabat (inter quos, comites Christi & eius discipuli erant) Ecclesiam Dei fuisse. Deinde non illa vel discipulorum vel comitum turba Ecclesiam Christi constituerunt, quæ propriè sic dicitur à veteri Synagoga distincta, sicut in hoc argumento
Quando cœpit Ecclesia christi propriè dicta.
imaginantur hæretici. Nempe Ecclesia Christi quæ sic dicitur, non nisi Christo iam assumpto ac glorificato esse cœpit: eo sane tempore quo peracta iam œconomia salutis humanæ C
descendit Spiritus sanctus in Apostolos reliquósque discipulos in die Pẽtecostes. Tunc enim
Cap. 2. Luc 24.
de Sion exiuit lex & verbum Domini de Hierusalem, vt Esaias fore prædixit. Tunc *prædicari cœpit in nomine Christi remissio peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem*, vt Christus ipse post resurrectionem futurum præmonuit.
Ioan. 19.
Tunc desiit synagogę authoritas, *rupto iam tẽpli velo*, quod Moyses posuit in pędagogia illa vmbrarum & figurarum, & *effuso iam abũde Spiritu sancto* quem Christus misit in adoptionem filiorum Dei. In cuius rei argumentum
Math. 15. Math. 10.
Euangelium suum Christus non toti orbi prædicauit, sed solis Iudæis: Imo & apertè dixit, *se non missum esse, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Nec minus apertè interdixit discipulis quos ad euangelizandum *miserat, vt non irent in vias gentium.* Cuius rei caussas varias adfert
Suprà cap. 7.
Sanctus Thomas 3. p. q. 42. art. 1. quarum hæc vna est huic loco propria, quia per Crucis victoriã meruit Dominiũ in omnes gentes, vt suprà inter caussas visibilis Ecclesiæ explicuimus.
Quare Christi ecclesia non cœperit nisi post Passionem eius.
Math. vlt.
Hinc nempe factum est, vt nondum sua prædicatione, Ecclesiã nouo Testamento propriam colligere Christus voluerit, sed ei colligẽdæ fundamenta ponere, & ad id muneris obeundũ ministros atque Apostolos delegare. Idcirco discessurus ad patrẽ, tum demũ iubet Apostolos *ire ad omnes gentes, & prædicare vniuersæ creaturæ*. Idcirco etiam ante passionem, cùm quidam gentiles cuperent Iesum videre, & hoc ei Apostoli renunciarent, respondit. *Nunc venit*

hora

A *hora vt glorificetur filius hominis.* Annuncians videlicet intraturam mox plenitudinem gentium. Sed quia altitudinem glorificationis præcedere debuit humilitas passionis, subiunxit, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuũ fuerit, multum fructum adfert.* Ioan.12. Hic fructus multus, est multiplicatio nominis Christi in fide populorum, qui *ante Christum passum & glorificatum fieri non debuit,* ait Augustinus. De hoc fructu dixit Christus Apostolis. *Posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Hæc omnia satis ostendunt, nondum prædicante & præsente Christo, Christi Ecclesiam collectam fuisse, qualis futura prædicebatur, qualemque hodie, & in Symbolo profitemur, & oculis cernimus; sed id actum fuisse, vt absoluta tota Christi in terris dispensatione, tunc demum colligeretur. Idcirco minitatur in Euangelio sub parabola agricolarum qui post occisos ministros & filium Domini sui occiderunt, præsentibus Scribis, & Pharisæis fore *vt vineam suam locaret alteri,* apertè subiiciẽs, vt narrat Matthæus, *quòd auferretur ab eis regnum Dei, dareturque genti facienti fructum*: apertissimè ostendens nondum sublatum ab illis regnũ Dei. i. fidem & religionem, sed primo quoque tempore auferendum; nec aliis adhuc locatam esse vineam suam, sed breui locandam. Fuit ergo adhuc, Christo nondum passo, ipsa Iudæorum Synagoga vera Dei Ecclesia.

Ioan.12. Tract. 15. in Ioan. Euang. Ioan.15. Luc. 20. Cap.21.

His ita positis & constitutis, impudentia Melanchthonis, Magdeburgensium, cæterorumque omnium pro‹ ›stantum, qui hodie hoc vnum argumentum pertinacissimè vrgent, B euidenter conuincitur. Non enim qui Christo nato crediderunt, aut in prædicatione eius discipuli postea fuerunt, pauci quidem numero & obscurioris famæ homines Ecclesiam Christi, quam hic describimus & quærimus sic propriè dictam, constituerunt, nec à templo Hierosolymitano & synagoga Iudaica sese separauerunt, vt hodie hæretici à Catholica apostatarunt. Nihil ergo hoc exemplum pro ipsorum vel paucitate vel schismate facit. Deinde, etsi in primordiis ipsis & incunabulis Ecclesiæ, etiam post Christi Ascensionem iam propagari cœptæ, paucorum fortasse hominũ, & obscura ad aliquot annos fuit Christianorũ societas seu Ecclesia, quum intereà per totum ferè orbem paganismus & græcismus obtineret, ipsumque templum Hierosolymitanum cum suis adhuc ceremoniis superstes, in ipsis conuersis Iudæis & gentibus liberam omnino Christianæ religionis formã & politiam non parum impediret, quia honorificè sepelienda Synagoga fuerat, non tamen hoc totum contra Ecclesiæ visibilem multitudinem quam hic asserimus, quicquam facit. Quæritur enim hic & stabilitur à nobis Ecclesiæ, non propagari cœptæ, sed iam propagatæ; nec aliquo momento consideratæ, sed in perpetuo suo cursu continuandæ, visibilis & perspicua multitudo.

De Concilio Sacerdotum & Scribarum contra Christum, quod nihil contra Ecclesiæ multitudinem, atque consensum faciat, vt iactabundè scribit Caluinus.

C

CAPVT XII.



SED vt ista Melanchthonis & Magdeburgensium argumentum soluunt, ita quod ex Caluino adiectum est magis confirmare videntur. Nam si docente & in terris adhuc agente Christo, vera Dei Ecclesia erat synagoga cum Pontificibus, Sacerdotibus, totóque populo Iudaico, profectò cùm illa tota, inito Concilio, Christum damnaret, & eius doctrinam reprobaret, paucis & fere nullis Christi doctrinam tunc approbantibus, illo saltem tempore paucorum erat Ecclesia; non autem multitudinis illius, quæ faciem Ecclesiæ & synagogæ præ se ferebat. De hoc facto Pontificum & Sacerdotum sic hodie quidam doctissimi viri respondent, vt quamuis animo sceleratissimo Pontifices & Sacerdotes Christum damnarint, tamẽ quia & verissimam sententiam protulerunt (dicente ipso summo Pontifice cui omnes consenserunt, *Necesse est vt vnus homo moriatur pro populo*: quod ab eo dictum esse per modum prophetiæ, *quia Pontifex erat illius anni*, Euangelista confirmat) & etiam rem vtilissimã humano generi operati sunt; idcirco etiam tunc in cathedra Moysis veritatem & iudicium non defuisse, nec penitus eam excidisse. Alij quia legitima Pontificum successio circa

1. Respons. Ioan.18. 2. Respons.

Iosephus lib. 11. ca 14. Antiquit. Euseb. Hist. eccles. lib. 1. cap. 6.

tempus Christi nati per Herodem & Romanos dirupta est, non ex Aaronico genere, sed vi- D
lissimis quibusque ad illum gradũ euectis, (sicuti narrat post Iosephum, Eusebius Pamphili)
non fuisse legitimũ sacerdotium hoc tempore respondent; Ideóque absque præiudicio sacer-
dotalis ordinis illos à veritate excidisse. Cæterum nec illa Caiphæ prophetia (quæ gratia erat
gratis data non gratum faciens) reliquam impietatẽ excusare potuit, aut etiam ab errore reli-
quo liberare; nec qui tunc erãt Pontifices & Sacerdotes, vtcúnque ignobiles essent, illegitimi
fuisse putandi sunt; sed plena Authoritate cathedram Moysis occupasse propter causas su-
3. Respons. periùs ex Euangelio allatas. Itaque aptiùs responderi putamus Pontifices tunc & Sacerdotes,
maximamque populi turbã planè à veritate aberrasse; nec Dei Ecclesiam, sed Satanæ tunc
Synagogam fuisse, ex mera inuidia atque malitia apertam veritatem cernere nolentes, Chri-
stúmque & promissum in lege Messiam perfidè, & obstinatè repellentes; paucissimos vero il-
Luc. 24. los qui *verè tunc expectabant redemptionem Israel*, sicut illi duo discipuli euntes in Emaus de se,
Ioan. 12. atque de aliis dicebant, *nos sperabamus, quia ipse erat redẽpturus Israel*: sicut etiã narrat Ioannes,
Multos credidisse in eum etiam ex principibus, qui propter Pharisæos non confitebantur, ne eiicerentur
Error quasi vniuersalis Synagogæ non præiudicat possibilitati similis erroris in Ecclesia. *ex synagoga*:) hos inquam, paucos non consentientes Concilio cęterorum, licet teuuem & im-
perfectã fidem adhuc haberent, ad Ecclesiam Dei pertinuisse. Neque tamen huius temporis
exemplum pro simili paucitate quasique Eclipsi fidelium, in hac iam propagata Christi fide,
quicquã facit. Cuius sanè ratio hæc est. Iam olim per prophetas pręddictus erat synagogæ prin-
cipúmque eius in Christi aduentu à fide lapsus, *vt illorum delicto salus esset gentibus*, vt ait Apo-
stolus. De tempore venturi Christi dixit Isaias; *Excæca cor populi huius*: & quæ sequuntur. Sub- E
iungit enim; *Multiplicabitur quæ derelicta fuit in medio terræ.* Quod de Ecclesia gentium intel-
Rom. 11. Isai. 6. ligi clarum est. Non credentibus Christo Iudæis, adimpletam hanc de illis prophetiam Euã-
Matth. 13. gelistæ affirmãt; quibus subscribit Apostolus ad Rom. ca. 11. Sic Hieremias de aduentu Chri-
Ioan. 12. Hiere. cap. 4. sti prædicens, *In illa*, inquit, *die peribit cor regis & cor principum, & obstupescent sacerdotes.* Eze-
Ezech. cap. 7. chiel quoque apertiùs. *Lex peribit à sacerdote & consilium à senioribus.* Similiter & Michæas
Mich. cap. 3. *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione.* Quæ omnia vt ad totum pręedicatio-
In comment. ad Isa. cap. 3. 5. 6 7. 9. & 63. nis Christi triennium referuntur, ita potissimum ad Dominicæ Passionis tempus referenda
esse, docet copiosè & crebro D. Hiero. Hoc præterea & eo potissimum tempore futurũ esse,
Matth. 21. & 22. Saluator in Parabolis vineæ & nuptiarũ Pharisæis improperauit. Et postea factum fuisse iux-
ta veteres Prophetias Apostoli ipsis Iudæis exprobrarunt, ne Iudæorum duritia cæteris scan-
Act. 13. & 28. dalo esset. Quæ cùm ita sint, nihil mirandum est, si in Christi persona & doctrina damnanda
totus ille populus Iudaicus vna cum Pontificibus & Sacerdotibus, id est, maxima eorum pars
errauerit atque defecerit. Hoc enim totum ita fore prædictum est: & *vt gentium plenitudo in-
traret*, sic fieri diuina prouidentia voluit. Hoc enim mysterium est illud de quo Apostolus lo-
quitur. *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, quòd cæcitas ex parte in Israel contigit, vt plenitudo
gentium intraret.* At verò de Christi Ecclesia similiter suo aliquando tempore ruitura & peni-
tus defectura, nullas habemus in sacra Scriptura prophetias aut prædictiones. Sed contrà, eam
Rom. 12. Lib. seq. cap. 2. & 3. perpetuò permãsuram vsque ad finem seculi, clarissimas & creberrimas habemus promissio-
nes, quas suo loco mox referemus. Rursus non expectatur nunc alius Messias post Christum F
Saluatorem, non aliud sacrificium & Sacerdotium, non alia sacramẽta, non alia denique Ec-
clesia, quæ Christi sacrificio, sacerdotio, sacramentis, Ecclesiæ succedat, sicut Moysi Christus,
legi Euangelium, Aaronico Sacerdotio & sacrificio, Melchisedecianum in Christo Sacerdo-
Caluini inscitia & impietas. tium & sacrificium, denique Synagogæ Ecclesia succedere debuerunt. Quare *memorabile hoc
exemplum* Caluini, *& quod vnum* ait *pro omnibus sufficere*, memorabilis est non solum inscitia
historię sacræ, sed etiam impietas contra mysteriũ fidei, quę vna pro omnibus sufficere possit
ad illius hominis & crassam inscitiam & flagitiosam impietatem demonstrandam. Quem-
admodum enim Synagogam iam labentem & cadentem Ecclesiæ Christi comparat, sic se-
metipsum alium Christum facit, & nouum quendam totius orbis Messiam. Quod etiam ex
his quæ postea in libro quinto Controuersiæ secundæ, ex ipso Caluino aliísque nostræ ætatis
hæreticis disputabimus, multò adhuc manifestius apparebit. In hac enim sceleratissima com-
paratione, omnibus hodie Protestantibus solenni & vsitatissima ita confidenter progrediun-
tur, vt quemadmodum Ecclesiam totam Pharisaicæ turbæ cum magno suorum applausu
perpetuò confirunt, sic vel Lutherum suum Lutherani, vel Caluinum Caluiniani, vel cuius-
cunque sectæ Authorem quilibet sectarij, nouum Christum constituant. Quod quidem si
non vident, nec intelligunt, ignorantia est qua nulla crassior dari potest: si intelligunt, blasphe-
mia est omni exceptione maior. Sed nunc ad alia confutanda argumenta pergamus.

A *Ad argumenta quartum & quintum respondetur, vbi de tempore Heliæ totiusque veteris Synagogæ accuratè disputatur.*

CAPVT XIII.

AD quartum argumentum & exemplum veteris Ecclesiæ tempore Heliæ respondit olim S. Augustinus. Idem enim prorsus Donatistæ obiecerũt. Respondit autem primum quòd Helias & Elizæus ei succedens, cæterique prophetæ ipsis adhærentes, quos tanquam verbi ministros ponit Melanchthon ab ordinaria cathedra separatos, non se à reliqua multitudine, quæ in tribu Iuda & Hierosolymis remansit, religione & fide separarunt. *Deus enim* (inquit Augustinus) *illas tribus iussit separari, non vt religio, sed vt regnum divideretur*. Quod vt intelligatur, breuiter historia sacra inspicienda est. Nempe cùm decem tribus, quæ postea Samariæ nomen acceperunt, à tribu Iuda & Beniamin reciderent, vt Ieroboam seruo Salomonis, non Roboam filio Salomonis seruirent; illa recessio & diuisio imperij tantùm fuit, non religionis: idque ipso Deo iubente propter peccata Salomonis. Facta autem regni separatione, consecutum quidem est religionis schisma, faciente Ieroboam
B duos vitulos aureos, & priuata erigente altaria, ne ascendente populo vt facerent sacrificia in Hierusalem, conuerteretur cor eorum ad dominum suum Roboam regem. In hoc tamen schismate non omnes schismati consenserunt, sed sicut Scriptura narrat, *Sacerdotes & Leuitæ omnes transibant ad Iudam & Hierusalem*. Neque sola sacerdotalis tribus hoc fecit, quæ tota migrauit, sed & præterea, *ex his qui remanserunt in Samaria*, ait Ibidem Scriptura, *de cunctis tribubus Israel quicunque dederat cor suum vt quæreret Dominum, venerunt in Hierusalem ad immolandum victimas Domino Deo patrum suorum*, id est, quos patres & maiores sui coluerant. Horum posteri erant in Samaria, Helias & Elizęus & quicunque illis adhęrebant. Hi omnes verum Dei cultum obseruabant, sed ita vt cum templo Hierosolymitano & tribu sacerdotali fide & religione vnirentur, etsi locis & regno separati: nec alibi immolarent victimas quàm in Hierusalem quæ est figura Catholicæ Ecclesiæ. Quare nihil hoc exemplum hæreticos iuuat, qui ab Ecclesia catholica se penitus separarunt, sed eos damnat magis. Præterea nec tanta paucitas erat, qualem fingit Caluinus, vt *huius temporis exemplo Deum dicat Ecclesiam in latebris conseruare*. Nam præter illa septem millia quæ sibi Deus reseruasse dicitur ignorante Elia (vbi certum numerum pro incerto ponit) etiam eodem tempore, Abdias vir iustus in persecutione illa Iesabelis, *abscondit prophetas domini quinquagenos & quinquagenos in speluncis*. Postremò etsi tum hoc Eliæ tẽpore, maxima pars decem tribuum in Samaria, & sequẽti tempore, tum tota Samaria tum etiam ipsa tota tribus Iuda sub impiis regibus Dei cultum prorsus dereliquisset, nihil tamen illius temporis status Ecclesiæ Christi præiudicare potuisset.
C Primùm enim status Synagogæ vnius tantũ populi fuit, status Ecclesiæ omnium gentium est. *Multi enim filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Et magna est gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* Vnde dominus in Euangelio (sicut notat Hilarius canone 4. in Matt. *Synagogam modio comparat, quæ susceptos fructus intra se tantum receptans certum modium dimensæ obseruãtiæ continebat. Quæ etsi adueniente domino fructu se omni vacuarit, tamen quia occultare lumen non potuit lucerna Christi (non recondita sub modio, neque operimento occultanda Synagogæ) in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura.* Hæc ille. Deinde vt suo tempore desitura erat Synagoga, ita nec stabiles habet repromissiones, imo apertè prædictũ est, fore, vt ad idola subinde conuerterentur, paritérque vt à Deo propterea subinde desererentur. Quod quidem sæpe factum fuisse, & liber Iudicum, & historia Regum demonstrat. Cõtrà verò Ecclesia Christi habet firmissimas repromissiones. *Quòd portæ inferi non præualebũt aduersus eam. Quòd Spiritus veritatis manebit cum ea in æternũ.* Quòd Christus cũ ea futurus est *omnibus diebus vsque ad consummationẽ seculi*. Quã vtriusque testamẽti, & fœderis differentiã tractat ex Hier. ca. 31. Apostolus, ostendens quòd *in melioribus repromissionibus sancitũ est Testamentũ nouum, cuius mediator Christus est*, quã erat illud vetus, cuius minister Moyses fuit. *Ecce dies veniet, dicit Dominus, & consummabo super domũ Iudæ Testamentũ nouum, non secundũ quod feci patribus eorũ, &c. Quoniã ipsi nõ permãserunt in testamẽto meo, & ego neglexi eos, dicit dominus*, id est, propter peccata populi violabitur fœdus, & cessabit sacrificiũ: At de nouo testamẽto subiũgit. *Hæc dicit dominus, Si defecerint leges istæ corã me, tũc & semẽ Israel, vt nõ sit gens*

Marginal notes: Augustin. de vnitate eccles. cap. 12. — *Protestãtum & veterum hæreticorum eadẽ argumenta.* — 3. Reg. 12. — 2. Paralip. cap. 11. — *Hierusalẽ figura Catholicæ ecclesiæ.* — 3. Reg. cap. 19. — *Discrimẽ status synagogæ.* — Esai. 54. — Aggæi. 2. — Hilarius. — Deuter. 31. & 32. — Iosuæ. 2. 3. & 24. — Iud. cap. 2. 3. 4. 6. 11. 13. — Reg. 6. ca. 17. — Paralip 2. cap. 36. — Matth. 17. — Ioan. 17. — Matth. 28. — ad Hebr. 8.

coram me cunctis diebus. Quasi dicat. Si leges scriptæ in cordibus fidelium (quas suprà nominauerat) si fides populi Christiani deficiat, deficient gentes super terram. Propterea, paulò D
post in eodem cap. Hieremias concludit. *Sanctum domini non euelletur & non destruetur vltrà in perpetuum.* Hanc etiam ob causam vocat Apostolus, statum veteris populi, statum cadu-
2. Cor. cap. 3. cum, *antiquandum & euacuandum*: statum autem præsentis Ecclesię stabilem, & qui perpetuò
mancat. *Si, inquit, quod euacuatur in gloria est, multo magis quod manet in gloria est.* Idem etiam discrimen videre licet apud Ezechielem. cap. 34. circa finem capitis. Hæc est ergo latissima vtriusque testamenti, populi & temporis differentia, vt planè ineptissimè vel certè impudentissimè veteris populi exempla nobis hac in parte obiiciant hæretici. Licet enim idem fundamentum & caput illa Synagoga haberet, Christum videlicet Mediatorem, sed futurum; & eandem formam specificam, eundem videlicet spiritum fidei, eundem quoque finem propter spem eandem vocationis suæ; tamen ita diuersus erat vtriusque status conditio, & quasi ætas, vt non easdem dotes, non parem firmitatem haberet cum Ecclesia noua: propter singularem Christi iam manifestati gloriam, propter abundantiorem Sancti Spiritus effusionem, propter denique ipsius veritatis (cessantibus omnibus typis & vmbris) exhibitionem. Atque hinc ad quintum Argumentum patet responsio. Non enim quia in cæcitate hac Iudeorum
Ad argum. 5. prædictâ, *reliquit sibi Dominus semen nec omnem plebem suam repulit: sed reliquiæ secundum electio-*
nem gratiæ Dei saluæ factæ sunt; propterea quoque in plenitudine gentium talis expectanda est
Obiectionis remotio. cæcitas, vt in reliquiis paucorum consistat Ecclesia & numerus vocatorum. Fieri quidem B
Mahtt. 24. potest, imo futurum dixit Saluator, vt tanta olim in Ecclesia sua persecutio orirentur, *vt*
De vnitate eccl. cap. 13. *filius hominis quãdo venerit, vix inueniat fidem in terra.* Verùm hoc de fide dixit non publica & omniũ vocatorum, sed de fide viua & electorum, vt contra Donatistas ostendit Aug. his verbis. *Item dicunt* (scilicet Donatistę) *de Apostasia orbis terrarum dictum quod ait dominus, filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? Quod nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus Sanctis sicut in ipso Moyse inueniatur aliquid vbi trepidauerint vel trepidare potuerint, vel propter illam iniquorum abun-*
In dialog. aduersus Lucif. *dantiam & paucitatem bonorum de qua satis diximus.* Hæc ille. Idem quoque docet Sanctus
Hieronymus his verbis. *Quòd si de illa quæ in Euangelio scripta est sibi sententia blandiuntur; Pu-*
Luc. 18. *tásne cùm venerit filius hominis inueniet fidem in terra? sciant illam fidem nominari, de qua ipse Do-*
Matth. 9. *minus aiebat: fides tua te saluum fecit. Et alibi de centurione: Non inueni tantam fidem in Israel. Et*
Matth. 8. & Luc 7. Matth. 10. *rursus ad apostolos: Quid timidi estis modicæ fidei: Necnon & in alio loco: Si habueritis fidem sicut*
Luc. 17. *granum sinapis, dicetis huic monti, Transmigra, & transmigrabit.* Hæc ille. Alioquin sanè nunquàm publica fidei prædicatio in Ecclesia deerit vsque ad finem seculi, etiam in illustri & conspicua Catholicorum multitudine, vt (quod ad durationem attinet) paulò post probabitur. Quare non potest vera Ecclesia Christianorum [quæ ex omnibus gentibus vocatis & electis consistit] talis esse cœtus, qualem describit propheta. *Reliqui mihi populum pauperem in terra* [vt ait in argumento Mel.] licet talis aliquando fuisset Ecclesia Iudæorum, quod tamen ex iis quæ hactenus dixerunt hæretici, probatum non est. Non potest inquam propter differentias suprà dictas. Quod verò ex Esai. 1. additum fuit, non de Ecclesia Christi, sed de Syna- F
goga loquitur; nec à fide, sed à legis & mandatorum obseruatione illa fornicatio fuit, quàm eo in loco taxat Esaias.

Respondetur ad 6 argumentum, vbi declaratur quomodo paucorum sit veritas.

CAPVT XIIII.

NVNC ad Caluini argumenta, quæ sexto loco ponuntur, veniamus. *Raro*, inquit, *pluribus placent meliora.* Hoc idem est quod in persona Manichæi scribit Augustinus. Ait enim *Apud paucos quosdam veritas est.*
De vtilitate cred. cap. 7. Cui obiectioni respondet. *Pauci quidem sunt qui veritatem accuratè norunt, & secundum eam religiosè viuunt, sed ij pauci Authoritate sua multitudinem tenent, vnde se in illa secreta expedire & quasi eliquare paucitas posset*, id est, Profitentium veritatem, multa est & magna turba, ex qua turba tanquã

A ex massa quadam & mole congesti metalli eliquatur & expurgatur ipsa excellentium paucitas. Et quemadmodum in metallis scoria multa est, puri autem auri & argenti minus: sic laudant meliora multi, amplectuntur pauci. Item quemadmodum absque metalli ipsius magna mole modicum illud purioris substantiæ non eliquatur, sic absque credentium & profitentium multitudine ampla, bonorum illa & iustorum paucitas non expeditur. Etenim (vt subiungit postea Augustinus) *verissimus & sincerissimus Dei cultus quamuis sit apud paucos, tamẽ apud eos est quibus multitudo, quanquam cupiditatibus inuoluta & à puritate intelligentiæ remota, consentit*. Et rursus cap. 17. eiusdem lib. Cùm ostendisset imperitum vulgus Christianorum virorum & fœminarum in multis diuersisque gentibus & credere & extollere ieiuniorum, virginitatis & voluntariæ paupertatis supremos & intentissimos gradus, *pauci*, inquit *hoc faciunt, pauciores benè prudentérque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, populi denique suam imbecillitatem, quòd ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant*. Hæc ille. Sic ergo & veritas & pietas paucorum sunt, vel purè intelligentium vel perfectè amplectentium, multorum tamen sunt profitentium & approbantium ac consentientium: qui sanè multorum consensus, ipsa fama & opinione sui futuram excellentium paucitatem attrahit: attracta verò paucitas ipsam multitudinem in officio continet. Hæc est Ecclesiæ Catholicæ facies & forma. Exemplis rerum humanarum illustrat rem Augustinus. *Quàm pauci*, inquit, *summam eloquentiam consequuntur, cùm per totum orbem Rhetorum scholæ à recentium adolescentium gregibus perstrepunt, & in hoc studio appetunt omnes, quæ maiorum authoritate confirmata sunt, vt Tullianam facundiam non Cecilij aut Erusij obscurorum oratorum. Assequuntur tamen illam Tullianam perpauci, agunt & fiunt oratores pauciores, clarescunt paucissimi. Tale quiddam est Religio. Multitudo imperitorum & peccatorum frequentat Ecclesias, pauci eius religionis mysteriis perfecti fiunt. Nunquid ergo paucorum erit religio? Profectò si tam pauci studerent eloquentiæ quàm pauci sunt eloquentes, nunquàm nos parentes nostri magistris talibus commendandos putarent*. Hæc ille. Similiter, si tam paucorum esset religio & Ecclesia, quàm pauci in religione excellunt & in Ecclesia perfecti sunt, profectò nunquam ad Ecclesiam tot gentes & populi confluxissent: Neque hodie tot parentes suos liberos baptizarent. Proinde concludit Augustinus in hæc verba. *Cùm igitur ad hæc studia rerum humanarum nos multitudo inuitauerit, quæ ex imperitorum parte copiosa est, vt id quod pauci adipisci possunt adamaremus, cur nobis esse similem in religione nolumus causam, vt eam sequamur, quam plures amplecti cernimus, & quæ toto orbe magis frequentatur? Certè si à studio liberalium artium, à comparenda & retinenda bona valetudine, ab ipsa beatæ vitæ appetitione & similibus multitudo nos non deterret*, (Hæc enim omnes aut certè plures appetunt, licet paucissimi assequuntur) *cur ab ineunda religione multitudo deterreret?* Hæc ille, vt ad Ecclesiæ Catholicæ fidem ineundam & amplectendam amicum inuitet. Multò hæc magis ad eandem conseruandam & retinendam valent. Non ergo paucitas religionem commendat, sed multitudo. At verò paucitas potiùs suspectam facit: est enim diuisioni & partibus, sectis, & schismatibus propria, de qua re posteà. Quod ad confirmationem huius commenti adfert Caluinus ex Esaia, prohibente Deo, *ne iret in viam populi huius*
C *nec populi timorem timeret, sed sanctificaret Dominum*, vnde fortissimé infert, *Nec præterita secula, nec præsentia totius orbis exempla præiudicare ipsis posse modo Dominum sanctificarent*; Respondemus, Hæc prophetæ verba non fidem aut religionem illius tunc populi Israelitici reprobare, sed impurissimos mores, idque non omnium sed quorundam, licet generaliter propheta loquatur more Scripturæ, vt sæpe docet Augustinus. Vitiosum est ergo pluribus modis argumentum. Primò, quod de plurimorum moribus dictum est, ad publicam fidem trahit; deinde ex vnius populi corruptela, omnem cuiuscunque populi & multitudinis consensum vult in perpetuum euertere, & à parte totum concludere. Postremò supponit vniuersum totius Ecclesiæ Christianæ in fide consensum, errorem, & conspirationem esse posse, quod accidere nullo modo posse posteà probabitur.

Paucitas optimorum est in multitudine malorum.

Aug. de vtilit. credẽdi. ca. 7.

Externa Religionis forma qualis aliarum scientiarum est.

Lib. 4. cap. 17.

De vnit. Ecclesiæ cap. 12. & cont. Donat. post collat. cap. 20. & epist. 48.

Respondetur ad 7. argumentum, vbi demonstratur Ecclesiæ perpetuitatem propter peccata Christianorum non cessare.

CAPVT XV.

D

Augustinus de vnitate eccl. cap. 12. Protestantiũ Argumenta Donatistarum sunt argumenta.

EXEMPLA è Scripturis quæ Caluinus subiicit, & ad septimum argumentum referuntur, nihil plus virium habent. Primùm enim, *fortis quidem est Deus, vt vltionem faciat in tertiam & quartam generationem iis qui oderunt eum*: Sed hæc vltio in Ecclesia Christi nunquam talis futura erat, quantacunque esset populi Christiani impietas, vt propterea fides Ecclesiæ in vniuersum periret. Hoc enim Donatistæ obiecerunt. *Cùm enim cœpissent* (inquiebant illi) *Ecclesiæ crescere per orbem terrarum, noluerũt homines perseuerare, & defecit ex omnibus gentibus Christiana religio, excepta parte Donati.* Respondet Augustinus. *Quasi vero nesciret Spiritus Sanctus Dei futuras hominum volũtates, quas tamen præsciens prædixit, nihilominus perpetuò duraturam Ecclesiam Christi.* Alioqui sanè iuxta hoc Donatistarum & Caluini commentum quilibet esse propheta potuit. Verbi gratia, poterat aliquis prophetare Christum non in cruce passurum, sed gladio moriturum, vt cùm aliter factum esset, respõderent: Homines noluerunt eum crucifigere, sed gladio perimere. Fuit etiã hæc opinio hæresis cuiusdam Gerardi Sagarelli de Parma, quòd tota potestas collata Ecclesiæ à Christo omnino euacuata est propter malitiam prælatorum. Inter capitula etiam Abbatis Ioachim damnata, sextum est quòd Ecclesia Romana destructa est in statu tertio sicut synagoga destruebatur in statu secundo, sicuti post Guidonem Carmelitam in libello de hæresibus commemorat Thomas Vualdensis. Docet autem apertè Scriptura, neque propter peccata hominum perituram aliquando Ecclesiam Christi, siue quia extra gratiam tota Ecclesia nunquam erit, siue quòd si esset (quod tamen probabile non est) non propterea periret prorsus Ecclesia propter peccata filiorum suorum. Huius enim rei illustre est vaticinium & irrefragabile testimonium psal. 88. Cùm enim dixisset; *Disposui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo vsque in æternum præparabo semen tuum.* (quod non nisi de populo christiano, quem verè semen Abrahæ vocat Apostolus, intelligi posse docet in Enarratione in illum locum Augustinus) subiungit: *Si dereliquerint filij eius legem meam, & cætera. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo testamentum meum, quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit.* Idõ alibi apertissimè Spiritus Sanctus prædixit. Quia enim certissima figura Christi erat Salomõ (vnde vocatur in Scripturis christus, rex pacificus, rex mansuetus, & passim in Euangelio filius Dauidis) quia ipsum quoque templum Salomonis certissima figura erat Ecclesiæ christi, sic Dauidi loquitur in Scriptura Deus, *Suscitabo semen tuum post te*, & cætera *Ipse ædificabit domum Nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum: Ego ero ei in patrẽ, & ipse erit mihi in filium, qui si iniquè aliquid gesserit*, scilicet in membris suis, quorum ipse caput est, *arguam eum in virga virorum & in plagis filiorum hominum, Misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Hoc enim totum quia in Salomone & stirpe Dauidica carnali impletum non est (neque enim templum Salomonis ampliùs est) in christo & stirpe eius spirituali implendum necessariò est, sicut docet copiosè Augustinus exemplo illius prophetiæ: *Maior seruiet minori.*

Veterum hæreticorum sententia protestãtium doctrina conformis.

Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 32.

E

Psalm. 88.

Ad Gal. 3.

Isa. 9.

Matth. 21.

2. Reg. 7.

Aug. in enar. psal. 88.

F

Status regni Iudaici figura Ecclesiæ non pereuntis propter peccata hominum.

Hierem. 3.

Huius autem rei figura erat status regni Iudaici. Quemadmodum enim prædictum erat, Non *deficiet sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*: & quantumcunque posteri Dauidis in ipsa tribu Iuda (non in solo Israel) peccarent & sceleratè viuerent, adeò vt Hieremias diceret, *Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricationis Iuda.* Ezechiel verò Ezech. 16. adderet quod *Iustificatæ sunt à Iuda sorores eius, Sodoma & Samaria, quæ dimidium peccatorum Iudæ non peccauit*, tamen vsque ad aduentum Christi in carne non erat translatum sceptrum à tribu Iuda ad alienigenas (videlicet vt in ipsa Iudæa legitimo & pacato imperio regnaret aliquis alienigena) sic vsque ad secundũ Christi aduentum ad iudicium, quantacunque christianorum impietas sit, non transferetur sceptrum spirituale, quod est fides, de tribu Iuda, quæ est Ecclesia, de qua re Angelus prædixit virgini. *Sedebit in domo Iacob in æternum*, &c. Præterea nisi status ille populi Israelitici mera fuisset figura & vmbra spiritualis Israel, id est Christiani populi, & præterea suo tempore necessariò tolenda succedẽte ipsa imagine rerum: nec status ille propter peccata hominũ defecisset. Quòd enim Iudæi defecerint, non solùm propter ipsorum peccata factum est, *sed vt plenitudo gentium intraret*, dicente Apostolo; *Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur.* Quod si ita est, multò minus existimandum est propter peccata populi Christiani perituram Ecclesiam. Non enim alius status superest in Scriptura reuela-

Luc. 2. Iudaismi status propter peccata Iudæorum non est sublatus.

Rom. 11.

A tus qui Ecclesiæ succedat.

At subiungit Caluinus exemplum vnius Noë cum sua familia seruari, toto orbe diluuio pereunte, satis docere totius orbis exemplum, aut multitudinem peccantium nihil excusare. Sed hoc exemplum maximè pro nobis facit. Apertissimè enim prædictum est in scripturis, non magis amplius vniuersam Ecclesiam à fide defecturam, quàm vniuersum orbem iterum diluuio periturum. Sic Esaias in caput quinquagesimum quartum, quod incipit, *Lætare steri-lis* (quæ verba de vocatione gentium dici testis est Apostolus.) *Sicut in diebus Noë istud mihi est cui iuraui ne inducerem vltra aquas supra terram, sic iuraui vt non irascar tibi: Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent. Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur:* hoc est fœdus noui testamenti cum vniuersis gentibus initum. Non ergo (vt argumentatur Caluinus) sicut in diebus Noë paucis seruatis, totus orbis periit, sic nunc in Ecclesia Christi, paucis veram fidem amplectentibus, vniuersa visibilis Ecclesia quæ vocatur Catholica multorum seculorum & gentium Ecclesia à fide aberrabit: sed contrà (vt per Esaiã Deus loquitur) sicut promisit Deus non ampliùs futurum totius orbis diluuium, sic in vocatione gentium per Christum promittitur non ampliùs futurum fidei diluuium, non ampliùs deserendas esse gentes, aut fœdus noui testamenti violandum, & ad priorem paucitatem redu-cendum. Obiecerunt hoc idem exemplum de Noë ipsi Donatistæ, & respondet breuiter Augustinus. *Sicut hoc legunt nobis ex Scripturis de Noë, sic legãt nobis ex scripturis de Ecclesia Christi, illam quoque apostatasse, & solam Donati partem tanquam Noë familiam remansisse. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed sus contentionibus persuadere conãtur, credo illa quæ in Script. Sanctis leguntur, non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Hæc ille. Sic Caluino & cæteris

Illustris prophetia de Ecclesia non peritura. Cap. 54.

Gal. 54.

Caluin. suo gladio iugulatur.

Calu. argum. Donatist. fuit. De vnit. eccles. cap. 12.

B respondere potest. Quod de adorato vitulo addit Caluinus per Aaronẽ & vniuersum populum ex his quæ antea de differentia vtriusque Testamenti & populi dicta sunt, facile soluitur. Non enim si ille populus aliquoties post idola abiit, propterea Ecclesia gentium, pariter etiam aliquando tota apostatabit. Quod de Michæa subiicit, planè sophisticum est: Non enim quadringenti prophetæ, qui vni Micheæ restiterunt, Iudaicam Ecclesiam repræsentabant, aut ad illam pertinebant, vt in argumento supponit Caluinus, sed ex Samaria erant & sacerdotes Baal sub impio Achab rege Israel non rege Iuda, sicut constat ex tertio Regum capite vigesimosecundo. Cùm enim illos quadringentos congregasset Achab rex Israel vt euẽtum belli prædicerent, dixit Iosaphat rex Iuda, *Non est hic propheta Domini quisquam vt interrogemus eum?* Qua occasione vocatur Michæas verè propheta Domini, id est, Deum patrum suorum colens, & sub obedientia & vnitate Synagogæ, etsi in Samaria agens, sicut de Elia & Elizeo suprà diximus.

suprà cap. 13.

Cap. 22.

Ad speciem probabilius est quod de Hieremiæ tempore producit. Qui enim Hieremiæ resistebant eúmque persequebantur, ipsius synagogæ pontifices & sacerdotes erant. Sic enim eorum conspirationem contra Hieremiam exponit Scriptura. *Dixerunt, venite & cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex à sacerdote, neque consilium à senioribus, nec sermo à propheta: venite & percutiamus eum,* & cætera. Breuiter respondemus. Primùm hæc verba non tam de persona Hieremiæ quàm de Christo prædici: Sequitur enim, *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?* Quæ de Christi passione canit Ecclesia. Et

Ierem. 18.

C in concilio inito contra christum *periit lex à sacerdote,* & cætera, vt suprà ostensum est. Deinde vt de persona Hieremiæ hæc verba intelligantur, tamen nec de toto genere sacerdotum illa loquitur, nec ab illorum obedientia & vnitate propterea se subtraxit; nec denique illa sacerdotum iniquitas vlla erat à fide apostasia, sed morum impuritas. Quod ad primum attinet, loquitur propheta sæpè generaliter, quod tamen non ad omnes, sed ad plerosque pertineat, vt videre est in aliis eius verbis. De quo genere loquendi sic monet Augustinus, *Plerumque sermo diuinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, tanquam omnes tales sint, & nullus omnino bonus remanserit.* (Cuius rei exempla multa * adfert) *Hæretici ergo vel imperitè vel fallaciter colligunt de Scripturis talia quæ in malos, bonis vsque in finem permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur, & volunt ea detorquere in Ecclesiam Dei, vt tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur.* Hæc ille, quasi digito Caluinum demonstrans. Rursum quarumlibet siue hunc Hieremiam siue alios etiam prophetas, Esaiam, Oseam, & Amos sacerdotes & pontifices templi subinde persequebantur, non tamen propterea à Synagogæ obedientia & vnitate isti prophetæ vnquam discesserunt, & in sua paucitate partes & schismata constituerunt, sicut hodie protestantes. Quod quia plenissimè Augustinus demonstrat contra Donatistas, hæc eadem prophetarum exempla pro suo schismate & paucitate proferentes, non

Cap. 11.

De 1. Ierem. cap. 8. & 14.

De vnitate eccles. cap. 12. *. epist. 48.

Caluini argumentatio veterum hæreticorũ fuit.

Lib. 3. cap. 4. *Protestantum & veterum hæreticorum eadem impudentia.* Cap. 25. Cap. 52. Psal. 25.

aliis quàm eius verbis explicabitur. Sic enim contra Parmenianum scribit. *Incredibilis est cæcitas hominum, & omnino nescio quemadmodum credi posset, esse in hominibus tãtam peruersitatem, nisi experimento verborum suorum factorúmque patesceret, vsque adeo clausos oculos se habere cordis, vt commemorent Sanctæ Scripturæ testimonia, nec intueantur in factis prophetarum, quemadmodũ intelligenda sunt verba prophetarum; Dixit* Hieremias, *quid paleis ad triticum? Sed an ipse recessit propterea à paleis populi sui? Dixit Esaias. Recedite, recedite, exite inde & immundum nolite tangere. Sed cur ipse in illo populo immunditiam quam grauiter arguebat in vna cum eis congregatione tangebat? dixit* David, *Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo; Absque tamen vlla corporali separatione à malis. Nempe recedit à paleis, immundum non tangit, cum impiis non sedet qui ad peccatum nulli consentit: Qui autem corporaliter deserit, quasi manifestos malos, spiritualiter deserit latentes bonos, & exit de domo vnitatis,* & cætera. Hæc illic Augustinus. Quin & hæc verba, *Quid paleis ad triticum?* alio loco sic interpretatur. *Non,* inquit, *aiebat hæc propheta de Ecclesia, sed de diuinis Prophetarum visionibus & humanis somniis, ne vllo modo compararentur.*

In breuiculo collationum cum Donatistis in collat. 3. diei.

Serm. 18 de verbis Domini. De 3.

Rursum alibi de Hieremiæ verbis, quæ vrget sæpe Caluinus, adhuc apertiùs. *Quàm multa, & quàm vehementer* Hieremias *increpuit in peccatores & sceleratos populi sui? Inter eos tamen erat: vnum cum illis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem impiorum congregatione viuebat: Sed clamando, id est, arguendo, non consentiendo, inde exibat.* Hæc ille. Postremò non fidei, sed morum corruptelam illam fuisse, quam Hieremias taxauit, ipsa historia sacra inspecta statim demonstrat. Sacrificia enim & cæremonias omnes Mosaicas, Sabbatum, Circuncisionem, & reliqua omnia in templo Domini obseruabant. Nihil ergo simile habet hoc eius E temporis exemplum cum præsenti Ecclesia catholica, in qua sceleratissimè fingit Caluinus cũ suis apostasiam à fide. Atque hæc ad obiecta Caluini in septimo argumento congesta.

Ad octauum & nonum argumentum respondetur, vbi detegitur, & confutatur Mysterium magnum Protestantum.

CAPVT XVI.

Lutheri verba. *Mysterium magnum Protestantum.*

VNC ad Lutheri commenta veniamus. Octauum argumẽtum Lutheri commentum est. *Quum diabolus sit princeps huius mundi, & Deus huius seculi, semper habet iuxta Ecclesiam Dei sacellum suum ipsa Ecclesia maius & amplius.* Nempe omnibus hodie Protestantibus persuasum hoc est, & quasi mysterium quoddam amplectuntur, sic Deum res moderari, vt non solũ Ethnicismus & paganismus in amplissima multitudine, diabolo seruiat, sed præterea falsa quædam Ecclesia, quæ vulgò putatur & creditur Ecclesia christi, in maxima quoque hominum multitudine diaboli cultum teneat. Sic scripsit Apologia Protestantum in qua rationem reddunt Tridentino Cõcilio, quare à notissima Ca- F tholica multitudine recederent, *Prædixit,* inquiunt, *vox diuina non solùm multos extra Ecclesiã Dei, Euangelium oppugnaturos esse, quales sunt Ethnici, Mahometistæ & similes, sed etiam in hoc ipso cœtu, qui titulum habet Ecclesiæ Dei, magnam fore multitudinem fascinatam prauis opinionibus & à vera inuocatione aberrantem.* Hæc illi. Ista planè Satanica imaginatio quæ illorum omniũ animis altissimè inhæsit, diligenter confutanda est. Primùm causæ illæ omnes, quas supra attulimus, cur necessariò in visibili semper multitudine Ecclesia cõsistere debeat, istud cõmentum penitus euertũt. Si enim ea esset rerum humanarum moderatio, vt illa hominum societas, quæ Ecclesiæ Dei titulum haberet, & in maiori multitudine & fama appareret, falsos & diabolicos cultus amplecteretur, ipsamq; veritatem oppugnaret, nunquã Ecclesia vera certò & securè cognosci, adiri & audiri; nũquam hæreticus & schismaticus certò internosci atque vitari poterit, nunquam infideli & pagano certus ad fidem aditus patebit; Christi quoque gloria, nouo Testamento propria penitus obliterabitur: nihil deniq; in fide, in religione, in patribus, in Conciliis, in sacramẽtis, in traditionibus, in ipsis deniq; Scripturis nihil certum & securum erit. Quæ quia partim superius demonstrauimus, partim infrà suo loco probaturi sumus, hîc breuissimè insinuasse satis erit. Rursum ipsa Lutheri verba absurditatem rei satis conuincunt. Ait enim, *habere diabolum sacellum magnum iuxta Ecclesiam* Dei. Si sacellum, quomodo magnum? Si magnum, quomodo sacellum? Sed quia vera Ecclesia est Catholica, id

Apologia protestantum verba. *Confutatio eiusdem.* Supra cap. 6. Suprà cap. 6. & infra lib. 3. cap. 7. & seq.

A ca, id eſt, vniuerſalis, cogitur vocare magnum; quia illam tamen videri voluit hæreſim & ſe-
ctam eſſe ſub forma pietatis, vocauit ſacellum. Itaque rei quam fingit abſurditatem, ipſa ver-
borum prodit abſurditas. Cæterum ſacellum hoc quod fingit Lutherus, & omnes Proteſtan- *Sacellum iuxta*
tes imaginantur, eſt hæreſis latibulum, quod ferè per omnes ætates aliquem ſemper angulum *Eccleſiam eſt*
iuxta Eccleſiam occupauit. Non quidem vna hæreſis ſemper aut vbique: ſed modo hæc *hæreſis.*
hæreſis modo illa, & alibi hæc, alibi illa. Sed omnes iuxta Eccleſiam, id eſt ipſi Eccleſiæ ſem-
per aduerſantes, vt meritò & aptiſſimè comparet Auguſtinus hæreticos, *canibus circumlatran-* De vtilitate
tibus Eccleſiam. Qui etiam idcirco vocat Arrianam hæreſim in Orat. de 5. hæreſibus tomo 6. cred. cap. 17. & tract. 1. in
Nouam fabricam ante murum. Si bonum, inquit, *& iucundum eſt habitare fratres in vnum, quæ eſt* epiſt. Ioan.
iſta noua fabrica ante murum? Quaſi diceret. Quod eſt hoc ſacellum iuxta Eccleſiã? Tales ſunt circa finem.
omnes hæreſes, nouæ quædam fabricæ, non intra murum Eccleſiæ, ſed ante murum; *non in* *Hæreſes ſunt*
domo Dei, ſed ex domo Dei, vt diſtinguit illos Auguſtinus à malis Eccleſiæ mẽbris: denique non *noua fabrica.*
in vite palmites, *ſed ſarmenta à vite præciſa*, quæ licet interdum non nihil excreſcant, nunquam De bapt. cõt. Don. lib. 7.
tamen ad vitis magnitudinem perueniunt. Sola Eccleſia vera vitis eſt, vbique ſe diffundens, & cap. 51.
vſque ad finem creſcens, vt docet Auguſtinus. Poſtremò commentum hoc Lutheri atque Lib. de paſto. cap. cap. 8.
omnium hodie Proteſtantum, damnatiſſima eſt illa Vvicleffi blaſphemia, qua dixit *oportere*
totam Eccleſiam militantem duci per regimen Antichriſti, ſicut commemorat Thomas Vvalden-
ſis. Ad ea quæ in nono argumento affert Lutherus, vt paucis Pragenſibus in Bohemia, perſua- Doctrinalis
deat eſſe ipſos veram Dei Eccleſiam, etſi decem tantum eſſent, quia verbum Dei habent, & fid. lib. 2. cap. 29.
B quia Apoſtolus dicit; Infidelem, ſi in Eccleſiam fidelium, prophetantium, & verbum Dei ex- Ad 9. arg.
plicantium introiret, caſurum in faciem, & confeſſurum, quòd verè Deus in illis habitet, id
eſt, quòd ipſi ſint vera Eccleſia, breuiſſimè reſpondetur. Non propter verbum, aut verbi in-
terpretationem, quæ pro ſuggeſtu à paucis habetur, ſed propter ſingulare prophetiæ donum
quod in primitiua Eccleſia fidelibus datum eſt, inductos fuiſſe infideles, vt ad fidem conuer-
terentur, & propter miraculi magnitudinem (*videntes omnes prophetare, ab omnibus ſe conuinci*
& diiudicari, id eſt, vt ſeipſum Apoſtolus explicat, *occulta cordis ſui manifeſta fieri*) paſſos ſæpe-
numero fuiſſe, à pauciſſimis ſe perſuaderi, & ad Chriſti nomen amplectendum induci. Sed
ceſſantibus iam huiuſmodi miraculis linguarum, & prophetiæ donis, non ampliùs à paucita-
te, ſed à multitudine, à populorum & gentium confirmata opinione, inducendus ad fidem Suprà cap. 6.
infidelis eſt, vt ſuprà ex Auguſtini libello de vtilitate credendi demonſtrauimus. Rurſum nec
illi pauci, etſi prohetantes, & miracula facientes pro Eccleſia aliter cenſendi ſunt, quàm ſuprà
in reſponſione ad 2. argumentum diximus, quatenus pars ſunt totius atque Catholicæ Ec- Suprà cap. 10.
cleſiæ.

Reſponſio ad Argumenta Lutheri contra viſibilem Eccleſiam.

C

CAPVT XVII.

ATQVE hæc argumentis quæ pro Eccleſiæ paucitate allata ſunt, ſatiſ-
facere poſſunt. Quæ ſequuntur, contra lucem, & viſibilem Eccleſiæ cla-
ritatem dimicant, quibus nunc pari ordine reſpondebitur. Vt Eccleſia
Dei vera perpetuò aut certè plerumque aſpectum hominum lateat, ar-
gumentatur Lutherus ab exemplis veteris [illegible]s; Maximè ab illo Eliæ,
cui exemplo iam antè reſponſum eſt. Ita quod in argumento infert Lu- Suprà cap. 13.
therus, *Quis ergo negare audeat Deum ſub Epiſcopis, Doctoribus & Sacerdo-*
tibus vulgò dictæ Eccleſiæ, in ipſo vulgo mundo incognito, ſeruaſſe ſibi Eccleſiam, illos autem omnes
exemplo Iſraelitici regni perire permiſiſſe? Et craſſiſſima hiſtoriæ Sacræ ignorantia, & horrenda
blaſphemia eſt, ſicut ex illis quæ in quarti argumenti ſolutione de ſtatu illius temporis, & de
vtriuſque teſtamenti differentia iam diſputata ſunt, animaduertere licet. Sed probationes
quas ad hanc blaſphemiam ſuam confirmandam in hoc præſenti argumento ſubiicit, expen-
damus. Peculiare, inquit, *eſt Deo electos Iſrael impedire, & pingues eorum occidere; fæces verò & re-* Pſal. 77.
liquias ſaluare. Niſi dominus nobis reliquiſſet ſemen, &c. Reſpondetur peculiare quidẽ eſſe Deo, Eſai. 1.
vt principes in Eccleſia viri, ſi delinquant, grauius puniãtur, iuxta illud Sapientis; *Duriſſimum*
iudicium fiet his qui præſunt, & potẽtes potenter tormenta patientur: Et illud Petri, *iudicium incipiet*

1. Petr. 4. *à domo Dei.* Sic enim rebelles illos in deserto pingues & principes interfecit Deus. Sed longè aliud est error & hæresis in principibus ecclesiæ, eorumque consentiente doctrina, quàm omnino repellere, & in perpetua veritate Ecclesiam suam conseruare, peculiare est Deo, & proprium Christianæ Ecclesiæ; vt ex his quæ in responsione ad 7. argumentum dicta sunt, patet: D

Suprà cap. 14. patebitque adhuc magis in 4. Controuersia, lib. 8. Quod de Nicodemo & Iosepho, aliisque paucissimis in Christum credentibus, cùm tota Synagoga eum damnaret, subiungit, responsum iam illi est superius cap. 10. Quòd adhuc addit Luther. *Semper talem fuisse statum Ecclesiæ Dei, vt alij dicerentur populus & sancti Dei qui non essent, alij verò inter illos, vt reliquiæ essent, & non dicerentur populus & sancti Dei* intelligit sanctorum nomine, aut vocatam multitudinem omnium fidelium, aut electorum veréque sanctorum paucitatē. Si hoc posterius, distinguendum est de iudicio & appellatione sanctorum priuata & publica. Nam quod ad priuatam existimationem cuiusque attinet, quanquam ipsi iusti & boni penitus nos non lateāt: (cùm dicat Saluator; *Lucere debere opera bona coram hominibus*: Et iubeat Apostolus *prouidere bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*: Affirmétque Scriptura de pluribus, *quòd iusti essent coram Deo & hominibus*) tamen quia in hoc priuato iudicio facilè erratur, vel dum temerè alios iudicamus (vnde Apostolus: *Mihi pro minimo est ab hominibus iudicari vel ab humano die*:) vel quia licet diligenter obseruemus, tamen liquidò alios & certò cognoscere non possumus (vnde idem Apostolus dixit; *Neminem scire quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est*:) planè Luthero concedimus, quod ad vulgi & quorundam priuatam sententiam attinet, haberi plerumque pro sanctis, qui non sunt, & contrà: ipsa videlicet charitate *omnia credente, nihil perperam cogitante.* Ex qua etiam distinctione duplex illud iudicium de Ecclesia, & quam inde consequi voluit duplex Ecclesiam, quam fingit hoc loco Lutherus, & post eum Caluinus euertitur. In vna enim & eadem Ecclesia priuatum quorumcunque iudicium non nisi charitatis est, publicum autem fidei est: quod etiam in Symbolo profitemur, credētes ecclesiam Catholicam, sanctam, &c. Hoc errare non potest, constans & certum est. Quos enim Ecclesia iudicat sanctos esse, & pro patribus atque doctoribus audiēdos, quem populum pro fideli agnoscit, & in gremio vnitatis suæ recolligit, hos ex fide tales esse, credere debemus. Illud autem alterum iudicium incertum est, & ad Ecclesiæ rationem nihil pertinet. At verò quod ad publicum iudicium ecclesiæ attinet, quæ (vt suo loco ostendemus) errare non potest, nunquā illa pro sanctis colit qui sancti non sunt: nunquam illa pro populo Dei agnoscit qui populus Dei non est. Et hoc de primo sensu. Sed si nomine populi Dei & Sanctorum Dei intelligat Lutherus vocatorum multitudinem & communionem fidelium, vt intelligere debet disputando de Ecclesia, absurdum & impium est dicere, haberi pro Ecclesia qui non sunt, aut contrà: Quod ex caussis necessarus visibilis Ecclesiæ superius demonstratis collige. Quod etiam magis patebit cùm de Ecclesiæ amplissima potestate disputabitur. Illa enim tota superuacanea & nulla esset, si ipsa Ecclesia quænam esset, minimè constaret. E

Iudicium de bonis & sanctis multiplex. Matth. 5. Rom. 12. Lucæ 1. 1. Cor. 4. 1. Cor. 2. 1. Cor. 13. Inst. lib. 4. ca. 1. parag. 8. Suprà cap. 6. Infrà lib. 8. per totum.

Respondetur ad argumentum 11. vbi de statu Ecclesiæ tempore Arrianorum prolixè disputatur, & Ecclesiæ societas semper conspicua, quo sensu sit vera magis aperitur, & per varias distinctiones exactiùs determinatur. F

CAPVT XVIII.



Ad 11. In Dialogo aduersus Luci f.

SEQVITVR in argumento vndecimo aliud exemplum sanè maximum, & ad hæreticorum sententiam confirmandam in specie potentissimum. Arriana enim hęresis ita vniuersum orbem occupauerat, vt scriberet beatus Hieronymus, *totum orbem ingemuisse & se Arrianum esse miratum esse.* Nec prorsus à veritate aberrat, quod ait in argumento Lutherus, *vix quinque toto orbe Catholicos Episcopos reliquos fuisse, eósque suis sedibus pulsos, regnantibus vbique Arrianis publico nomine & officio Ecclesiæ: paucos enim certè, eósque exulantes Episcopos strenuos, & apertos fidei Catholicæ assertores, aliquanto tum tempore fuisse historia*

A *historia Ecclesiastica demonstrat, vt Liberium Rom. Pont. Athanasium Alexandrinum, Hilarium Pictauensem, Eusebium Vercellensem, & paucos alios.* Et quæ ex Hilario in argumento citat Caluinus, vera sunt Hylarij verba, quibus seriò monet Mediolanenses, ad quos scribit, ne publicã Ecclesiæ faciem respiciant, aut Episcopos & Sacerdotes toto orbe constitutos venerentur. Nam in ipsis Ecclesiis sessurum esse Antichristum, Apostolum prędixisse. Quibus etiã adiici potest quod in lib. de Synodis aduersus Arrianos, idem Hilarius scribit; *Decem Asianas prouincias, inter quas exulabat, Deum plane nescire: Et rarum fuisse apud Orientales Catholicæ fidei vel sacerdotes, vel populum inuenire; sed vbique scandala, vbique schismata, vbique perfidias esse.* Quæ Hilarij verba olim Augustino, contra visibilem & vbique diffusam Ecclesiæ Catholicæ multitudinẽ obiecit Vincentius Rogatista. Nihilominus ad hæc singula ordine quo prolata sunt, quàm breuissimè fieri potest, respondebitur.

2. Thess. 3.

Apud Augu. Epist. 48.

Describendus hic tamen antè omnia illorum temporum status, quibus Arriana hæresis & grassari cœpit, & maximos illos tandem progressus fecit, vt de quo tempore patres in argumento citati loquuntur, intelligatur. Post mortem Constantini Magni Catholici principis, sub quo Nicæna Synodus generalis Arrianorum hæresim profligauit, succedente in Oriente Constantio, in aulam & gratiam principis occasione quadam Arriani nonnulli Episcopi, qui tamen Catholici videri volebant, irrepserunt. Horum Consilio ad Athanasium potentissimum in Oriente fidei Catholicæ propugnatorem exturbandum Imperator incitatus, miras in Oriente primùm, ac postea (mortuis duobus fratribus imperij consortibus,) in ipso Occidente ac toto Christiano orbe tragœdias excitauit. Primùm enim huius Imperatoris fauore

Responsio 1. ad 11. Argument.

Naratio breuis de Arriana hæresis propagatione.

B subnixi Arriani, & Athanasium expulerunt, & frequentibus Synodis hæresim Arrianam verbis non apertis, sed fucatis atque ad decipiendum aptis introduxerunt & promulgarũt. Istud cùm primùm aggrederentur, totus Occidens, & bona quoque pars ipsius Orientis integra in fide Nicæna permansit, vt notauit Socrates. Quin & postea cùm de Synodo Antiochæna hæresis ista publicè se commendare cœpit (vt commemorat Socrates) non tamen publicè recepta est. Nam paulò post in ipso Oriente magna Synodus congregata fidem Nicænam confirmauit, quam videre est apud Socratem, & apud Nicephorum. *Cuius quidem Synodi decretum quamuis ab Occidentalibus receptum non fuit, illud tamen propter prolixitatem & nouitatem decreti factum est, non quia doctrina displicebat:* non volentibus videlicet Occidentalibus semel definitam fidem aliis verbis, aut pluribus de nouo formare, vt notarunt Socrates & Nicephorus locis citatis, atque item Sozomenus lib. 3. cap. 10. Quin & proximis pòst annis magnum generale Sardicense concilium ex totius orbis partibus congregatum, ex Occidente trecẽtorum, ex Oriente 97. Episcoporum & fidem catholicam confirmauit, & Athanasium cum aliis restituit. Quanquam eodem tẽpore pauci Arriani Episcopi seorsim Philippopoli conueniẽtes Orthodoxam fidem damnarent. Ex quorum quidem paucorum secessu, schisma & diuisio cœpit ipsius Orientis ab Occidente, vt refert Socrates. Ita tamen vt totus Occidens in fide permanserit, sicuti pluribus verbis eodem loco narrat Nicephorus. Paucis autem pòst annis ex occasione Photini noui hæretici, qui Christum purum hominem esse docuit, Sirmium in Illirico conuentum est tam ex Oriente quàm ex Occidẽte communibus votis, vbi edita qui-

Lib. 2. cap. 2. hist. Eccles. lib. 2. cap. 5.

In Orientali magna Synodo fides Nicæna confirmata.

Lib. 2. cap. 15. Lib. 9. cap. 11.

Semel definita fidei forma non est innouanda.

Socra. lib. 2. cap. 16. Niceph. li. 9. cap. 12. Hil. in lib. de synod.

Initium diuisionis Oriẽtis ab Occidente propter hæresim Arrianam.

C dem Græcè vna fidei formula est Catholica, quam primo loco recenset Socrates, Nicephorus & Hilarius in libello de Synodis, illam per singula capita exponens ac defendens. Sed diutiùs ibi commorantes Orientales quidam Episcopi (vt narrat Nicephorus & Socrates locis proximè citatis) alias subinde formulas planè hæreticas composuerunt, reclamante toto Occidente, & multis etiam Orientalibus in fide persistentibus. Nam contra has blasphemias Sirmii editas, ipsimet Orientales denuò congregati Orthodoxas fidei definitiones promulgarũt, quas recenset & exponit diligenter Hilarius in lib. de Synodis, non longè à principio libri. Etsi huius posterioris Synodi Orientalis nullam in historia Ecclesiastica mentionem inueniam. Vt autem qui in Oriente licet pauciores, tamen potentiores Arriani Episcopi erant, tum reliquos Orientis Episcopos, tum Occidentem totum in suam hæresim pertraherent, frequentibus adhuc Synodis orbem perturbarunt. Iterum enim Mediolani conuentum est, vbi omnia per vim agentibus paucis Arrianis (ipsis autem Catholicis Episcopis numero 300. strenuè resistentibus) Concilium, re infecta, dissoluitur, & mox Hilarius cum quibusdam alijs liberiùs reclamantibus in exilium agitur, vt refert Socrates, & Sozomenus & Nicephorus. His frustrà tentatis, rursum Arimini in Italia ab Occidentalibus, & Seleuciæ in Isauria ab Orientalibus conuenitur, in quo quidem Concilio Ariminensi obtinuisse iam Arriana hæresis videbatur, licet re vera in eodem Concilio sicut in cæteris penitus exploderetur. Etenim in Con-

Lib. 2. cap. 28. Niceph. li. 9. cap. 13.

Sirmij Synodus orthodoxa.

Lib. 2. cap. 25. lib. 9. cap. 31.

Arrianorũ Sirmij perfidia.

Sirmiensis perfidia ab Orientalibus ipsis damnata.

Mediolanensis Synodus Arriana.

Lib. 2. cap. 29. Lib. 4. cap. 8. Lib. 9 cap. 13.

Ariminẽsis & Seleuciana Synodus.

Occidentalium constantia in Ariminensi concilio.

cilio Ariminẽsi proposita à Valente & Vrsatio Arrianis Episcopis, fidei quadam formula, antea in Sirmio edita planè Arriana à 300. & amplius Occidentalibus Episcopis condemnatur. D
Et ipsi Valens atque Vrsatius vnà cum quatuor alijs solis ex Occidente Arrianis Episcopis abdicati sunt. Fides quoq; Nicæna & Orthodoxa denuò stabilita est, & solemnis viginti Episcoporum legatio ad Imperatorem omnium occidentalium nomine destinatur, *non esse à Nicæna fide recedendum, damnare se blasphemias Arrij*: Quæ etiam legatio diu non audita, tandem contempta, constantissimè tamen, neglectis minis Imperatorijs fidem Orthodoxam tuebatur, sicuti omnes historici referunt:[a] Socrates,[b] Theodoretus, &[c] Sozomenus. Et post illos Nicephorus. Cæterùm pauci illi Arriani Episcopi ad Imperatorem confugientes, & solemnẽ cæterorum Episcoporum legationem præuenientes, primùm ne ceteri Episcopi audirentur, impetrarunt; postea alio in Nicæna Thraciæ vocato Concilio, formulam illam Arimini reiectam tanquam in Concilio Ariminensi editam promulgarunt, Episcopis illis legatis Ariminensis Concilij partim dolo in suam sententiam adductis, dum verbis fraudulentis hæresim tegunt, (qua de re copiosè disputat S. Hierony. in Dialogo aduersus Lucif. & S. Hilarius in libro de Synodis versus finem) partim (vt alij referunt) diuturna mora fatigatis, nec respondente, nec eos dimittente Imperatore ad consentiendũ impulsis. Et hinc est illa Hieronymi querela. *Totus orbis ingemuit, &c.* Hoc illud tempus erat, in quo penes paucos exulãtes Episcopos Liberium Rom. Pont. Athanasium Alexandrinum, Hilarium Pictauiensem, Eusebium Vercellensem, Paulinum Treuerensem, & alios nonnullos Orthodoxæ fidei professio consistere videbatur. De hac perturbatione scripsit Hilarius, cùm apud decem Asianas prouincias exulare fidem scriberet; Et cùm Mediolanenses hortaretur ne parietum amore nimium caperentur, aut eorum qui Ecclesias tum possiderent, Authoritate mouerentur. Non de toto illo tẽpore, quo Arriana hæresis vigebat sub Constantio, sub Iuliano, sub Valente Imperatoribus, sed de hoc temporis momento, quod Ariminensem illum conuentum proximè secutum est, loquuntur citati in argumento patres. E

Arimini fides catholica defensa.

a lib. 2. ca. 29. b lib. 2. ca. 18. & 19. c. lib. 4. ca. 16. d. lib. 9. cap. 19.

Arianorũ fraus insignis.

Cessio catholicorum Ariminensium.

Patrum querela.

Cæterùm quamuis res ita se, vt diximus, haberet, non tamen talis aut tanta hęc perturbatio erat, vt propterea Orthodoxa fides, vel apud pauciores, quàm Arriana hæresis obtineret, vel obscurior esset mundóque incognita, vt in Argumento Lutherus & Caluinus probare nituntur. Etenim scribit apertè Theodoretus; *Hanc fidei formulam non in Ariminensi Concilio sed post Ariminense Concilium sub nomine Ariminensis Concilij partim fraude, partim vi introductam, ab Occidentalibus omnibus Episcopis damnatam esse*: Id quod ostendit partim ex ipsorum literis ad Illyrios Episcopos scriptis, partim ex Synodo 90. Episcoporum ex Italia & Gallia per Damasum Rom. Pont. habita. Idem etiam in magnam Occidentalis Ecclesiæ commendationem commemorat Athanasius in Epist. ad Afros apud Theodoretum lib. 2. cap. 23. Quibus suffragatur Ambrosius Nicænum enim dogma prædicans; *Hoc*, inquit, *& in Ariminensi Concilio habuit prima confessio, & post Ariminense Concilium secunda correctio*: de fide lib. 1. cap. 9. ad Gratianum. Quid quòd ipse Hilarius eodem loco, quo vbique esse schismata, vbique scandala dixit, in proximis ferè subsequentibus verbis Germaniæ vtriusque, Galliæ, & Britanniæ Episcopos sic alloquitur. *Sed inter hæc vos beatos in domino, & gloriosos qui perfectam atque Apostolicã fidem conscientia atque professione* (nota vtrumque) *retinentes, conscriptas fides huc vsque nescitis*: apertè demonstrans se, quòd vbique dixit, de solo Oriente intelligere. Sanè & repetit frequenter in eodem libro *secundum numerum Orientalium Ecclesiarum paucos Orientis Episcopos Orthodoxos fuisse*. At verò Occidentalium tam imperturbatam & inconcussam fidem fuisse scribit in principio libri, vt eius rei fama quosdam Orientalium Episcopos ad saniorem mentem reduxerit. F

2 Respon. Arrianahæresis non fuit vniuersalis.

Occidentales ab Arriana hæresi semper immunes.

Hist. trip. li. 2. cap. 23.

Rursum nec illa fraus, quæ post Ariminense Concilium, ipsum siue Orientem, siue Occidentem inuasit, talis erat vt Orthodoxæ fidei professionem & Ecclesiæ faciẽ tolleret. Etenim Nicænam & Orthodoxam fidem animo amplectentes, non in nouã aliquam impietatẽ consenserunt, sed pacis & concordiæ Ecclesiarum causa in id consenserunt, vt vox (*Substantia*) è symbolo tolleretur, nec *vel consubstantialis, vel substantia similis filius patri diceretur, similis tamẽ & æqualis per omnia*. Quam quidem fraudem ab illis admissam, nec in principio animaduersam, vt postea intellectam deplorarunt, ita cùm in ea versarentur non propterea hæretici habentur. Nam hac fraude impliciti erant illi ipsi Episcopi Occidentales, ad quos scripsit Hilarius librum de Synodis; & quorum fidem nihilominus sic prædicauit, vt suprà retulimus: Ideóque in fine libri hanc fraudem aperit, & tanquam deceptos sollicitè & deprecatoriè monet atque hortatur, vt dolum excutiant. Quod quidem paulò post factum fuisse his

3. Respons. Ariminensis illa cessio, multorũ fuit deceptio non hæresis.

Erroris correctio.

A fuisse his verbis commemorat Hieronymus. *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini, & quicquid in Ecclesia sanctũ est, se nihil mali in fide sua suspicatos.* Vide cætera in Dialogo aduersus Luciferianos versus finẽ. Et hæc fuit illa *post Ariminense Concilium secunda correctio*, cuius suprà meminit Ambrosius. De eadem etiam re scribit Augustinus. *Quis nescit illo tempore obscuris verbis multos parui sensus fuisse delusos, vt putarent hoc credi ab Arrianis, quod etiam ipsi credebant: Alios autem timore cessisse & simulatè consensisse, quibus posteà correctis ignotum est?* Hæc ille. Quibus accedit Ambro. dicens de Catholicis ab Arrianis hoc tempore deceptis. *Ibi perfidiæ laqueos inciderunt, vbi fidem esse credebant.* Fuit ergo hoc totum deceptio, quam citò correxerunt, non hæresis in qua perstiterunt. Epist. 48. Lib. 3. de fide ad gratia. c. 7.

Præterea distinguendum hîc est inter statum Ecclesiæ florentem, & afflictum; pacatum & perturbatum. Semper enim quidem Ecclesia apparet, eminet & illustris est, siue in mundo floreat & pace sua fruatur, vt multis iam retrò seculis, siue deprimatur interdum, ac persecutionem patiatur, vt in primis illis tribus centenariis ab Ethnicis Imperatoribus, atque consequêri tum tempore ab Arrianis principibus. Nam & tunc florere & eminere non desinit. Sic distinguit Augustinus de hac ipsa re tractans: *Ecclesia*, inquit, *aliquando obscuratur, & tanquam obumbratur multitudine scandalorum; sed etiam tunc in suis firmissimis apparet, qui sunt quasi stellæ cœli in semine Abrahæ, ac multitudo illa infirmorum atque carnalium fidelium (quæ quasi arena maris est) aliquando tranquillitate temporis libera & quieta apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Tale tunc tempus erat in quo scripsit Hilarius, vnde putasti insidiandum contra tot testimonia diuina tanquam perierit Ecclesia de toto orbe terrarum.* Hæc ille. Tantundem & Hieronymus. *Periclitabatur*, inquit, *nanicula Apostolorum, vrgebant venti, fluctibus latera tundebantur, &c.* Itaque ille turbatus Ecclesiæ status erat, non sublatus; sub cruce militans, nihilominus tamen super montem positus. Nempe vt caput Ecclesiæ Christus cùm maximè affligebatur, tũc maximè eminuit, & in cruce *exaltatus omnia ad se traxit*, sic corpus ipsius Ecclesiæ vtcunque ventis & fluctibus agitetur, cuneis & arietibus impellatur, non desinit tamen *ciuitas esse super montem posita quæ abscondi non potest*; Et *domus supra Petram ædificata, contra quam portæ inferi non præualebunt.* Nempe vt apposite scripsit Hilarius. *Proprium hoc Ecclesiæ est vt tum vincat cùm læditur, tum intelligat cùm arguitur, tum obtineat cùm deseritur.* Ratio autem huius rei est quòd dum ab hæreticis Catholici oppugnantur, hæc ipsa pugna orbi manifesta est, *& esse vnam Catholicam quam varii hæretici impugnant, omnes intelligunt* (vt docuit August. de vtilitate credendi) idque adeo, vt ex aduerso hostium certamine, sui nominis famam latiùs spargat, quæ in pace posita, quasi in domo solitaria conticesceret. Hanc rationem adfert Hilarius. *Eam Ecclesia*, inquit, *doctrinæ suæ lucem etiam imprudentiæ seculi inuehit, vt licet fidei sacramentum non suscipiat, tamen aduersus hæreticos, veritatem sacramenti à nobis intelligat prædicari. Magna enim vis veritatis, quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ illi aduersantur elucet.* Hæc ille. Idem docet Origenes contra Celsum: Quum enim ille Imperatoribus adhuc & legibus publicis, fidem Christianam persequentibus, *Christianorum dogma obscurum & ignobile esse* diceret, respõdet Origenes *vniuerso terrarum orbi, quod prædicant Christiani longe esse notius, quàm philosophorum instituta.* Et tamen tunc temporis sub maxima & perpetua cruce erat Ecclesia. Idem de dispersis per totum orbem fidelibus etiam in maxima Imperatorum persecutione scribit & narrat copiosè Tertullianus in Apologetico. *Externi* (inquit) *sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.* Et paulò post. *Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis suffudisset vtique damnationem vestram tot qualiũcunque amissio ciuiũ; imò etiam & ipsa destitutione punisset. Proculdubio expauissetis ad solitudinem nostram, ad silentium rerum, & stuporem quendam: quasi mortuæ vrbis reliquias quæsissetis, quibus in ea imperaretis. Plures hostes, quàm ciues vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum penè omnium ciuium, penè omnes ciues Christianos habendo.* Hæc ille. Licet ergo Ecclesia siue in pace floreat, seu sub cruce gemat; siue parietes & tecta occupet in templis sacris, & in aulis potentum versans; seu in tuguriis aut priuatis tantũ ædibus atque conuentibus agat, notissima tamen fuit tum Ethnicis Christianorum fama & religio, tum hæreticis omnibus Catholicorum successio & Ecclesia; quando eam maximè vel Imperatores Ethnici persequerentur, vel templa & parietes hæretici occuparent, & sic quidẽ Hilarius rectissimè monuit Mediolanenses, *ne parietum amore caperentur.* Nõ quòd Catholici aut non essent, aut non apparerent, sed quòd episcopales sedes hæretici obtinerent. Simile est

Margin notes: 4 Respons. — *Ecclesia semper illustris est, etiã in persecutione.* — *In ecclesia sunt stellæ cæli & arena maris.* — Ioan. 12. — Matth. 5. 12. & 16. — De Trinitate lib. 7. — Cap. 7. in fine. — *Causa, quare sub persecutione illustris est ecclesia.* — Lib. 7. de Trinitate. — Lib. 1. — Tertullianus apologetic. Cap. 37.

B C

hodie de Germania,& maximè de Anglia,vbi parietes quidem occupant hæretici & in Ec- D
clesiis sedent. Eminet sic tamen illa,& illustris est,tam Germanorum quàm Anglorum, tam domi quàm foris Catholica fides, vt non desit vtriusque populi, & in vtraque gente visibilis Ecclesia.

5. Respons. Distinguendum inter firmos & infirmos. Distinguendum quoque inter ipsius Ecclesiæ siue turbatæ, siue pacatæ triticum plenum ac turgidum, & inane ac subaridum, inter firmos & infirmos. Hi enim vt in pace Ecclesiæ vnà cum cæteris illustres apparent,ita exorta tempestate, vento rapiuntur ac decipiuntur,vel decipi se,mentiuntur:Illi autem *suprà Petram ædificati,nullo vento mouentur.* (*Matth 7.*) De quo discrimine dixit Apostolus;*Oportet hæreses esse,vt qui probati sunt in vobis manifesti fiant.* (*1. Cor. 11.*) Arrianorum tempore grana turgida,immota persisterunt. Infirmi iactabantur quidem, non peribant tamen. Sic rem describit,quod ad firmos attinet,Augustinus.*Illi,* inquit, *qui tunc firmissimi fuerunt,& verba hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt,pauci quidem in comparatione cæterorum, sed tum etiam ipsi per se multi,partim pro fide fortiter exulabant,partim toto orbe latitabant.Et sic Ecclesia quæ per omnes gentes crescit,in frumentis dominicis conseruata est.* (*Epist. 48. ad Vincentium.*) Hæc ille. Quod ad infirmiores attinet,deceptos scilicet atque seductos,dilucidè rem narrat Hieronymus. Cùm enim dixisset,*ingemuit totus orbis,& Arrianum se esse miratus est*:vt non aliter hoc verum esse intelligas quàm sicuti suprà dictum est,subiungit. *Igitur alij intra suam communionem remanere,alij ad eos confessores qui sub nomine Athanasij exulabant cœperunt literas mittere*:(tales erant isti Episcopi ad quos scripsit Hilarius libellum de Synodis) *nonnulli initam societatem meliorum desperatione plan xerunt.Pauci verò*(vt se natura hominum habet)*errorem pro consilio defensauere.* Hæc ille in dialogo aduersus Luciferianos. Vides vt diligenter Episcopos à schismate & hæresi defendat,ostendátque turbatam Ecclesiam non euersam,fluctibus agitatam, non in naufragio positam fuisse. E

6. Respon. Iam verò hoc totum,quia momentaneum erat, perpetuo illi Ecclesiæ splendori & amplitudini nihil derogat. Diu quidem hæresis Arriana Ecclesiam afflixit, sed magna illa vastitas, qualem in argumento vrget Lutherus vix trium annorum fuit, à tempore videlicet Ariminensis Concilij,anno dom. 362. vsque ad Constantij mortem,anno domini 365. de qua re sic scribit Hieronymus. (*Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos.*) *Cùm nihil iam spei superesset,Dominus excitatur,imperat tempestati,bestia moritur,tranquillitas redit,id est,omnes Episcopi atque presbyteri,qui de propriis sedibus fuerant exterminati,per indulgentiam noui principis ad Ecclesias redeunt.* Hæc ille in Dialogo,vt suprà. Non autē magis tollit perpetuum Ecclesiæ splendorem,aut amplitudinem, ipsius religionis pauco aliquo tempore,vel obscura vel rara professio, quàm diei rationem nubium subitanea densitas, solisve interdum plenior Eclypsis. Sed quemadmodum nulla vnquam dies tam nubilosa & obscura erat,quin satis distingueretur à nocte:ita nunquam post Christi gloriam manifestatam sic obscurata Ecclesia fuit,aut erit,vt à gentium cæcitate,& summa rerum diuinarū ignorantia(qualem in Catholica his multis retrò seculis extitisse blasphemant hæretici)liquidò nō distingueretur,& pro vera Christi Ecclesia agnosceretur.Quod adeò verum est,vt in ipso tēpore Antichristi illustrem & conspicuam fore Ecclesiam doceat diuus Augustinus. (*Simile.*) (*De ciuit. Dei lib. 20. cap 8.*)

7. Respons. Postremò,non vna tunc hæresis orbem obtinuit,aut Orthodoxorum communionem vel magnitudine,vel splendore superauit. Etenim,vt narrat historia Ecclesiastica, hoc ipso tempore præter Arrij blasphemias,nouas & diuersas effutiuit Aëtius,nouas etiam post illum Eudoxius,diuersas ab vtroque Photinus; Et hi omnes contra personam filij Dei. Eodem etiam tempore contra Spiritum sanctum sua venena euomuit Macedonius cui se adiunxit mox Eunomius.Habuerunt quoque Nouatiani Ecclesias suas:Quin & Sabellij hæresis adhuc in Galatia floruit,vt ostendit Hilarius:vt taceam quòd ipsi Arriani in varias sectas dissecti erant, vt videre est apud Nicephorum libro duodecimo,cap.29.& sequen. Omnes ergo isti, regnante Constantio,& satagētibus per tot Synodos Arrianis,varias & distinctas suas hæreses promulgarunt,vt quamuis simul omnes magnam tunc Christiani orbis partem tenerent, singuli tamen atque seiuncti,in satis exigua paucitate consisterent. Proinde Arrianum hoc schisma,nec totum orbem vnquam obtinuit,sed cùm erat potentissimum,in Occidente toto damnatum est;in Oriente fraude magis irrepsit,& vi obtinuit,quàm certo consilio admissum est:nec Ecclesiæ Catholicæ faciem sustulit,aut lucem extinxit,nec in vna certa forma Ecclesiarum numero Catholicam superauit,nec denique diu perdurauit. Quare nihil hæreticorum hodie ratiocinationem hoc exemplum iuuat,qui & multis centenariis, & per vniuersum Christianum orbem,totam quanta quanta est Ecclesiam à veritate,religione, ac fide penitus excidisse blasphemant. F (*lib. 7. de Trinitate.*)

Ad tria

A

Ad tria postrema argumenta Lutheri, Caluini, & Brentij breuiter respondetur.

CAPVT XIX.

VODECIMVM Argumentum quod est Lutheri, blasphemiæ multum habet, rationis nihil. Itaque respondemus breuissimè, Deum quidem vsque ad aduentum filij sui *dimisisse gētes ire vias suas*, sed *in præteritu generationibus* tantùm hoc fecisse. Idem verò deinceps nunquam futurum esse omnes illæ scripturæ euidentissimè clamant, quæ Ecclesiæ durationem & sanctificationem perpetuam demonstrant, maximè illud quod de exemplo diluuij tempore Noë ex Esaia in superioribus adduximus: neque etiam res rara est Ecclesia Dei, scilicet vocatorum multitudo veram religionem profitentium, licet qui quod profitentur sanctè exequantur, rari sanè comparatione cæterorum sint & preciosa margarita. Cap. 54.

Sequitur in decimotertio argumento illud, quod Caluinus obiicit, exemplum, vt ipsi quidem videtur, maximum atque inuictum, sed reuera exigui aut nullius momenti. Breuissimè enim respondetur, conuentum illum Basiliensem, licet à duobus Romanis pōtificibus, Martino quinto & Eugenio quarto indictus, multa piè atque legitimè initio sanxerit, tamen quia postea ab eodem Eugenio, Ferrariam primùm, deinde Florentiam translatus obtemperare noluit, sed seorsim colligere, primùm Basileæ manentes, deinde Lausanam commigrantes, non Concilium aut Synodum legitimam censeri debere, sed ex hac posteriori sua parte Conciliabulum esse censendum. Itaque quòd Eugenium ipsum cæterósque ei adhærentes tandē abdicare præsumpsit, & alium substituere, qui se tamen sua sponte mox abdicauit, schismaticè & sceleratè fecit. Huius etiam facti statim principes eorum pœnitentia ducti sunt, Iulianus Card. & Æneas Syluius. Quorum hic postea ad Pontificatum conscendit & Pius secundus dictus est, ille magna pars Concilij Florentini sub eodem Eugenio fuit; quin & reliqui omnes ad obedientiam Nicolai quinti, qui Eugenio successit, paulò pòst accesserunt: vt ex bulla Nicolai quinti apparet. Tomo 4. Cōcil. Vide etiam hac de re bullam retractationum Pij 2. tomo eodem. Ad 13. B

Brentij argumentum quod vltimo loco ponitur, facilè soluitur. Nempe si ideo visibilis esse Ecclesia non debet, quia eam credimus, profectò nec Christus Ecclesiæ caput visibiliter in terris agere debuit, quia Apostoli & Discipuli in eum crediderunt, maximè Apostolo Thomæ dicere non debuit. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Quinetiam nec baptismus visibiliter administrari debet, quia baptismum in remissionem peccatorum, in Symbolo profitemur. Sed quemadmodum de Beato Thoma, ait August. *Aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit, Deum credidit:* & in baptismo ablutionem corporis cernimus, ablutionem animæ credimus; sic Ecclesiam vbique diffusam in membris & partibus suis cernimus, illam autem quam cernimus, credimus veram Dei Ecclesiam, credimus veram de Deo fidem amplecti, conseruare, tradere: Ita quidem vt non sit fidei obiectum quod videtur vt tale, sed tamen circa obiectum visibile versari possit fides. Quanquam etiā alio sensu credere nos Ecclesiam Catholicam in Symbolo profitemur, eò quòd ea omnia credimus, quæ partim Ecclesia Catholica credit, & credenda tradit, partim de ea in Scripturis traduntur atque prædicātur. Et ex his quidem omnibus, hæreticorum argumentis satisfactum est. Nunc vt ad alia pergamus, paulò altius exordium sumemus. Ad 14. Ioan. 20. Tract. 79. in Ioan. C

Controuersiæ primæ libri Secundi finis.

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIÆ PRIMÆ, LIBER TERTIVS.

De vera Ecclesia in se.

PROOEMIVM.

PRINCIPIO *Controuersiæ huius de Ecclesia, explicaturi primò loco quæ, & qualis esset vera Ecclesia: post nominis explicationem, definitionem eius dare voluimus. Illud verò prius facere visum non* E *est, quàm falsas hæreticorum descriptiones, & varios in Ecclesia definienda errores, fraudes, & argumenta omnia, quibus vel errores suos defendunt, vel fraudes tegunt, & aperuissemus & refutassemus. Quòd quidem dum fecimus maxima & expeditissima ad veram Dei Ecclesiam definiendam via aperta est. Jam enim tenemus Ecclesiam Dei multitudinem esse conspicuam per omnes gentes in Christi nomine congregatam, bonis & malis, electis & reprobis permixtam: Et vnam denique ac singularem Ecclesiæ notam esse, vt sit multitudo credentium visibilis. Qua vna nota ab omnibus & recentibus, & veteribus hæreticorum cœtibus vera Catholica Ecclesia nullo negotio discernitur. Etenim (quod diligentissimè hic obseruandum est) etsi non defuerunt ante hæc tempora nostra, qui per varias ætates, & variis in locis eadem magna ex parte dogmata asseruerunt, atque docuerunt, qualia hodie protestantes docent (quæ propria causa est cur latentem & paucorum Ecclesiam hæretici hodie docent) tamen hominum ita asserentium atque docentium nunquam fuit hactenus visibilis & illustris multitudo, talis inquam, quæ vlla ex parte Catholicam æquauerit. Hodiè etsi plurimùm grassatæ hæreses sunt, tamen nec vbique sunt, nec eædem in locis quibus sunt, nec gentium* F *& locorum multitudine Catholicæ pares sunt: Deo sic disponente vt decedentibus à fide Germanis, Gallis & Anglis ex parte, nouus multarum gentium orbis in vtraque India Catholicam fidē amplexus fuerit. Sed de huius proprietatis & notæ vsu plenius in quarta parte differetur. Hac itaque re vtilissima, & inprimis necessaria confecta, ad veræ Ecclesiæ definitionem & rationem tenendam aliæ eius notæ & proprietates inuestigandæ sunt, quibus ab omnibus falsi nominis Ecclesiis clarè & certò distingui possit. Singulis enim prius proprietatibus datis, posteà eam ex tota sua differentia (nam de genere iam dictum est, cùm nominis Etymologia daretur) plenissimè definiemus. Est ergo vera Dei Ecclesia non solum multitudo visibilis, sed etiam talis, quæ per omnes ætates ab eius prima propagatione vsque ad finem seculi duratura est, nec in facie tantùm & titulo Ecclesiæ, sed in vera ac pura religione, & in omni veritate. Quod vtrumque punctum, quia non facilè separari possunt, (& Scripturis & patribus de vtroque pariter loquentibus) simul coniungemus, etsi hoc posterius magis ad Ecclesiæ dotes pertinere videatur.*

Cur paucorum & Latentē Ecclesiam Protestantes docent.

Lib. 4. cap. 3.

Probatur

A *Probatur perpetuitas Ecclesiæ ex Scripturis.*

CAPVT I.

PERPETVITATEM Ecclesiæ Christianæ vsque ad finem seculi, primùm variæ Scripturæ, ipsáque veteris ac noui Testamenti differentia apertissimè docent, quas suprà in responsione ad quartum argumentum [Lib. 2. cap. 11. & capit. 14.] produximus: Item in responsione ad septimum, vbi nec propter peccata vlla populi Christiani, perituram aliquãdo Ecclesiam docuimus. Deinde illæ etiam rationes ex quibus visibilis Ecclesiæ necessitatem ostẽdimus, demonstrant. Neque enim fideles perpetuò & per omnes ætates ad fidẽ Christi perduci possent (quod tamen per omnes ætates futurum, adeóque in ipso Antichristi [Lib. 20. cap 8. De ciuit. Dei.] tempore docet Augustinus) Neque Christi gloria nouo Testamento propria, & passioni eius tanquàm merces tributa, sic manifestari potest vt oportet, nisi perpetuò & per omnes ætates Ecclesia Christi integra & sana persistat. Idcirco Ecclesiæ ruinam & defectum ponere, nihil aliud est, vt diuus Hieronymus ait, *quàm Dei filium subiugare diabolo, & crucẽ Christi euacuare.* [Dialogo aduer. Lucifer.] Quod quia Caluinus ipse quondam in loco dissimulare non potuit, eius quoque confessionẽ hac de re subiiciã. Cùm enim dixisset Seruetus [propter creberrima antiquioris Ecclesiæ con- [Serueti Arriani verba.] tra eum citata testimonia] *vim illam & efficacem operationem Spiritus Sancti quæ totum orbem repleret, nõ statim post eius descensum locum habuisse, sed dilatum illud esse ad aliquod certum tempus,* [Confessio calu. de perpetuitate ecclesiæ.] *quo Papæ regnum aboleretur:* Respondet Caluinus. *Hoc si ita est, ergo ab Apostolorum tempore Ecclesiam suam Christus non cœpit, nec Spiritus Sanctus in cordibus fidelium resedit: Denique vis illa &*

B *potestas intrinseca Spiritus Sancti, qua quidem Christus caput se mysticum Ecclesiæ suæ esse demõstrat, penitus abolita est per Seruetum, vt ille scilicet pro nono quodam Mahomete & restaurator orbis habeatur. Quid verò istud aliud est, quàm Christi gloriam prorsus exinanire, illam sanè quam accepit se-* [Ad Philipp. 2.] *dens ad dexterã Dei patris factus caput Ecclesiæ suæ:* &c. *Verissimè ergo Augustinus docet. Si Christus cum Ecclesia perpetuò coniunctus non esset, fore vt illa minus consequerentur, quæ ei Prophetæ tribuunt, vt sit Redemptor Sion, & salutare illud quod viderunt omnes fines terræ. Prudenter etiam in-* [Lib. de vnit. ecclesiæ.] *fert. Qui Ecclesiam abolitam docent, Ecclesiæ membra esse non posse.* Hæc Caluinus contra errores [Enarrat. in Psal 101.] Michaelis Serueti. Quæ quidem vna ratio anteà breuiter delibata, quia sola inuicta est atque sufficiens, eam præcipuè in hac Ecclesiæ proprietate describenda asserimus & vrgemus. Di- [Eccl. casum statuere est Christi Incarnationem irritam facere.] cimus ergo idem esse, Ecclesiæ casum statuere, & Christi Incarnationem irritam facere, vt plane illi *Christũ soluant, & in carne venisse negent,* [quod Pseudoprophetis, hæreticis, & Anti- [1. Ioan. 4.] christi ministris proprium esse Ioannes præmonuit] qui Christi Ecclesiam à prima sua propagatione aliquando desiisse asseuerant. Quod quidem ex Propheticis & Apostolicis scriptis apertè demonstratur. Nempe quoties venturus de semine Dauid Christus prædicitur; quoties eius pro humano genere Incarnatio prænunciatur; quoties noui testamenti ac fœderis gratia describitur, toties Christi regnum æternum & testamenti perpetuitas docetur, & inculcatur. Quæ Dauid hac de re in psal. 109. prædixit, & Apostolus posteà confirmauit dicens,

C *Oportere Christum regnare donec ponat pater omnes inimicos suos sub pedibus eius: & donec nouissima* [1. Cor. 15.] *destruatur mors,* id est vsque ad finem seculi, anteà explicata sunt dum causas visibilis Ecclesiæ [Suprà ca. 7 psal 7] daremus. Idem verò & aliis in psalmis luculenter docet. Cùm dixisset, *Descendit pluuia in vellus,* &c. addit: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundãtia pacis, donec auferatur luna.* Qui plura ex psalmis ad hanc rem accommodata desiderat, legat Sanct. Augustin. Enarrat. in psalm. 88. super illa verba. *Si dereliquerint filij eius,* &c. In psal. 90. super versum illum. *Inhabitabo in taberna-* [Augustinus.] *culo tuo in secula.* In psalm. 104. supra illum versum. *Memor fuit in seculum testamenti eius, verbi quod mandauit in mille generationes.* In psal. 101. super illa verba. *In conueniendo populos in vnum,* &c. vbi copiosissimè & acerrimè contra Donatistas pro Ecclesiæ perpetuitate disputat. denique in psalm. 47. super illa verba. *Deus fundauit illam in æternum.* His Dauidicis prophetiis accedunt clarissima Esaiæ de Christi incarnatione, paritérque Ecclesiæ perpetuitate vaticinia. Cùm enim dixisset, *paruulus natus est nobis,* adiecit, *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in* [Esai. 9.] *iudicio & iustitia amodò, & vsque in sempiternum,* id est, *ab incarnationis tempore vsque ad finem seculi:* ait ibidem Hieronymus in Commentariis. Rursum cùm dixisset, *Propè est iustus meus,* [Cap. 51.] *egressus est Saluator meus,* &c. quæ de Christo nasci turo dici nemo Christianus ambigit, mox subiungit. *Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut*

hæc interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. Idem repetit ad- D
Cap. 14. Suprà lib. 2. cap. 15. hibens exemplum Noë vt suprà tractauimus, & cap. 55. his verbis. *Erit Dominus nominatus in signum æternum quod non auferetur.* Similia Dauidi & Esaiæ scripsit Daniel, qui describens futuram filij Dei incarnationem, *dedit*, inquit, *ei antiquus dierum potestatem & honorem & regnũ.*
Dan. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Atque idem repetit cap. 7. Neque de hoc regno incarnari filij Dei tacuit Michæas, qui cùm dixisset; *In nouissimo dierum erit mons domus Domini, &c. fluent ad eum populi*, subiungit. *Et regnabit Dominus*
Cap. 4. *super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum.* Quas omnes prophetias confirmauit Angelus Gabriel, quasique interpretatus est, cùm virgini diceret. *Hic erit magnus, &c; Et regna-*
Luc. 10. Duplex Christi regnum. *bit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et ne de alio regno Christi hæc omnia dici videantur, quàm de ipsa Ecclesia, puta de regno illo sempiterno, quo apud patrem regnat homo Deus, intelligendum est Christum vt hominem non solùm in cælo, sed etiam in terris regnum suum habere. Vnde ascensurus ad patrem, & vtrique regno quasi inaugurandus, (Tunc enim cœpit sedere ad dexteram patris tanquam homo, & tunc cœpit incipiendo ab
Matth. cap. vltimo. Ephes. cap. 1. Hierusalem prædicari euangelium) *omnis*, inquit, *potestas mihi data est in cælo & in terra.* Sic vtrumque regnum Apostolus designat. De cælesti enim regno cùm dixisset, *Constituit eum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationẽ &c.* de terrestri quoque regno subtexit. *Et Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput su-*
Enarrat. in Psal. 109. *pra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo eius.* Quibus sanè Scripturis edoctus Augustinus, distinguit disertè de hoc duplici regno Christi, super illa verba; *Virgam virtutis tuæ, &c.* Et alterum regnum sempiternum, alterum vsque ad finem seculi perdurare docet. Temporale autem Christi regnum non aliud esse quàm Ecclesiæ fidem, regimen, & ordinem do- E
Hæresi 29. cet Epiphanius. *Thronus* inquit, *Dauid & regia sedes est sacerdotium in Ecclesia Sancta, quam dignitatem regiam, simúlque pontificiam coniunctim largitus est Dominus Sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam Throno Dauid non deficiente in æternum. Illic enim per successionem durauit Thronus Dauid vsque ad Christum, non deficientibus principibus ex Iuda, donec veniret expectatio gentium. Deinceps verò alienigena Herodes & non amplius successores Dauid regnabant, translapsa iam regia sede in Christo ad Ecclesiam.* Hæc ille.

Quo sensu Ecclesia Christi perpetua est.

CAPVT II.

MERITO tamen adhuc quæritur cur hoc Christi regnum, si de Ecclesia intelligitur, æternum vocatur, & huiusmodi cuius non sit finis, cùm regnum hoc temporale saltem in consummatione seculi finem habebit? Aut quare ex huiusmodi Scripturæ locutionibus Ecclesiæ potius Christianæ, quàm ex similibus scripturæ vocibus veteris Synagogæ regníque Iudaici perpetuitatem vsque ad finem seculi concludimus? Nam de terra promissionis &
Psal. n. 104. regno Iudaico dicitur. *Memor fuit Testamenti sui quod disposuit ad Abraham,* F
& iuramenti sui ad Isaac, & statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum, dicens: Tibi dabo terram Chananeã. Sic Iosue 1. cap. dicitur. *Non te deseram neque derelinquam.* Similiáq; multa & in Leuitico & in Deuter. videre licet de Sabbato, de Circuncisione, de sacrificiis, ceremoniisque veteribus, quòd data sint omnia in fœdus, cultum, & testamẽtum à gene-
Cap. 49. ratione in generationẽ vsque in sempiternum. Sic apud Esaiam, dicẽte Sion, *Dereliquit me Dominus & oblitus est mei.* respondit; *Nunquid potest mater obliuisci infantem vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Aut ergo locutio hæc est & phrasis Scripturæ, qua totũ pro parte ponitur, & tota huius seculi perpetuitas vocatur, quæ nõ est, sed aliqua magni temporis mora (& sic Ecclesia licet diu perduret, perire tamen tandem poterit, ante finem seculi, sicuti illa vetera) aut si in Grammatico sensu accipienda sunt verba & sicuti sonant; cur magis ista quæ de Ecclesia dicuntur, vsque ad finem seculi, interpretemur, quàm illa alia? Huic variæ quęstioni (quod ad Dei populum & vniuersam siue Synagogam, siue Ecclesiam pertinet) vno atque eodem modo respondetur. Videlicet ideò Christi regnum id est, Ecclesiam Christi mi-
Quomodo & Synagoga & Ecclesia sint æterna. litantem, æternum dici, etsi in fine seculi nõ ampliùs sit militaturum; ideò etiam promissiones illas veteres ęternas vocari, etsi Christo veniente finem acceperint; quia horum omnium non tam sublatio est facta, quàm in melius ac perfectius transmutatio: atque ita continuo quodam successu

A ſucceſſu æterna fuerint. Etenim populus Iſraeliticus non interiit, quia carnalis domus Iacob
in ſpiritualem tranſiit & creuit in gentem magnam. Qua de re dixit propheta Iſaias, & repe-
tit Apoſtolus, *Niſi reliquiſſet nobis Dominus ſemen, &c.* Hoc ſemen fuerunt Apoſtoli, & reliqui Cap. 1.
diſcipuli, quorum intuitu Paulus dixit *Deus non repulit plebem ſuam quam præſciuit. Facta* Rom. 11.
enim ſunt vtraque vnum in vno angulari lapide Chriſto. Et inſertæ ſunt gentes oliuæ veteri, factique
ſocij pinguedinis & radicis. Non penitus ſublatus eſt vnus populus vt alter ſtatueretur, aut eradi- Ephes. 2.
cata vetus oliua, vt noua plantaretur. Ideo Saluator in Euangelio dicit, *ſe vineam ſuam aliis agri-* Matth. 21.
colis locaturum, non dicit ſe aliam plantaturum. Sic olim futurum Propheta Dauid oſtendit.
Docet enim *vineam in Aegypto tranſlatam & in terra Chanaam plantatam*, eſſe à Chriſto *perfi-*
ciendam, non extirpandam, qui vtique *non venit legem ſoluere ſed adimplere.* Atque ita propter Psal. 79.
hanc perfectionem, & in melius tranſmutationem, non deſeritur neque derelinquitur popu- Matth. 5.
lus Iſrael: Nec magis interiit tota Synagoga, quàm puer vit factus, aut virgultum tenerum in
vitem amplam creſcens interiiſſe dicendum eſt. Hoc quia Iudæi intelligere nolunt, æternitatẽ
ſuæ Synagogæ etiam hodie vaniſſimè prædicãt. Similiter, ſpiritualis Iſrael quæ Chriſti eſt Ec-
cleſia propriè dicta, etſi ad finem ſeculi tantùm duratura dicitur, tamẽ & æterna vocatur, quia *Eccleſia quomodo æterna.*
migratura ad Chriſtum: tunc ſanè *cùm tradiderit regnum Deo patri*, vt Apoſtolus dicit. Nõ enim
duæ ſunt eccleſiæ (vt contra Catholicos clamabant Donatiſtæ) quia hîc maculas, & permix- 1. Cor. 15.
tos malos habet populo Dei, illic ſine macula ſolos bonos habebit: ſed vna & eadem eſt ec-
cleſia, hic aliter, ibi aliter futura. Sicut vnus eſt Chriſtus (non duo) prior mortalis, poſteà
non moriturus: & vnus homo (non duo) exterior atque interior, puer atque adultus, perfe-
ctus & imperfectus. De qua re lege Auguſtinum. Sic Apoſt. præſentem ſtatum quo vide- *In breuiculo collat. cum Donatiſt. in coll. Diei tertiæ.*
mus per ſpeciem in ænigmate, *paruuli ſtatum* vocat, Alterum autem illum quo videbimus
B facie ad faciem *viri ſtatum* nuncupat, *euacuantis ea quæ ſunt paruuli.* Vnus tamen hic vir eſt
non duo, æternus quoque; licet ſecundum diuerſos ſtatus mutandus. Quod autem ad ritus 1. Cor. 13.
& ceremonias veteres ipſámque terram Chanaan attinet, quarum rerum cultus & poſſeſſio *Quo ſenſu veteres promiſſiones ſunt æternæ.*
æterna vocatur, cùm eas tamen omnes iam olim interiiſſe conſtet; reſpondetur eandem ob
cauſam, illa æterna vocari, licet olim deſtituta, ob quam cauſam Chriſti Eccleſia & ſacerdo-
tium Chriſti æternum vocatur, licet poſt finem ſeculi non ampliùs, vel militantis Eccleſiæ,
vel ipſius ſacerdotij forma & ratio locum ſit habitura. Nempe propter res ipſas, quarum illa
quidem vetera vmbræ erant. Hæc noſtra ipſæ ſunt imagines rerum. Quemadmodum enim
vmbræ illæ veteres æternæ dicebantur, quia illa præſignabant, quæ per omne ſeculum du-
ratent; ſic hæc ipſa per omne ſeculum hîc duratura, ſed in fine ſeculi deſitura; æterna ta-
men nuncupantur, quia ipſius æternitatis olim futuræ, imagines ſunt & illuſtres quædam re-
præſentationes. Et quod ad priorem partem attinet, apertè hoc docet Auguſtinus. Mota enim
quæſtione, quare de domo Hely ſacerdotis ſecundum ordinem Aaron dicitur. *Domus tua,* De ciuit. Dei.
& domus patris tui tranſibunt coram me in æternum: Quæ tamen domus & ſacerdotium iam Lib. 17. cap. 6.
olim ſublatum eſt; Reſpondet Auguſtinus & dicit. *Hoc qui mouet, nondum intelligit ſacerdotium*
ſecundum ordinem Aaron, tanquam vmbram æterni ſacerdotij conſtitutum eſſe: Ac per hoc quando ei
æternitas promiſſa eſt, non ipſi vmbræ ac figuræ, ſed ei quod per ipſam adumbrabatur figurabatúrque
C *promiſſum eſt.* Hæc ille. Sic etiam eodem in loco de regno Saulis quod æternum fore promiſ-
ſum erat, diſputat. Sic de terra Chanaan alibi docet; non alia de cauſa datam eſſe Iſraeli in Enarrat. in Psal. 104.
Teſtamentum æternum, quàm vt æternum aliquid ſignificet. Sic de aliis omnibus ſacramen-
tis & ceremoniis veteribus intelligit. Dicta enim ſunt illa omnia æterna, quia vmbræ erant
æternorum, id eſt, eorum quæ in Eccleſia noui Teſtamenti ſuccederent perpetuò permanſu-
ra. Iam verò quod ad alteram partem attinet, dicuntur hæc noſtra æterna, quia ipſas habemus
imagines rerum æternarum, dicente Apoſtolo. *Vmbram habens lex futurorum, non autem ima-* Hebr. 10.
ginem ipſam rerum. Quam rem copioſè deſcribit Ambroſius, docens *vmbram in lege, imaginem* In Psalm. 38.
in Euangelio, veritatem in cæleſtibus eſſe. Si ergo quæ vmbra tantùm erant æternorum, & promiſ-
ſiones futurorum, æternitatis tamen promiſſionem tum habebant, quanto magis ipſæ nunc
imagines rerum, id eſt, perfectiores magíſque ad viuum expreſſæ rerum æternarum exhibi-
tiones, æternæ vocabuntur & erunt? Vt videlicet quemadmodum vmbræ non ceſſarunt do-
nec imagines ipſæ exhiberentur, ſed perſtitit lex vſque ad Euangelij propagationem; ſic
imagines ipſæ ceſſaturæ nõ ſint, donec veritas in cæleſtibus appareat: id eſt, Euãgelij propa-
gatio & adminiſtratio non ceſſabit vſque ad finem & alterum aduentum Chriſti, *cùm tradi-*
turus eſt regnum Deo patri. Rurſum illud inter vmbram & imaginem, inter legem & Euangeliũ 1. Cor. 15.
diſcrimen notãdum eſt, quòd vmbra licet æterna vocetur propter cauſam iam dictam, tamen *Diſcrimen inter æternitatẽ Legis*

& Euangelij. *De ciuitat. dei lib. 17. cap. 6.*

cessatura prædicitur, ideóque cessabit, vnde Augustinus; *Ne putaretur ipsa vmbra esse mansura, ideo etiam mutatio eius debuit prophetari.* Imaginis autem & Euangelij, quia de eius mutatione aut ruina nihil prophetatum aut prædictum fuit, nefas est ruinam asserere, aut aliter æternam dici cogitare quàm quòd vere vsque ad finem seculi duratura sit: Imò neque vera imago esset futuræ veritatis Ecclesia, si ante exhibitam illam in cælestibus veritatem esse desisteret. Sicut sanè regnum Dauid regni Christi figura esse non potuit, si ante Christi aduentum esse desisteret. Vnde tanto ante tempore prædictum est; *Non deficiet sceptrum de Iuda, &c. donec veniat, qui mittendus est.* Quanquam tamen, quanto perfectior imago est quàm vmbra, tanto regnũ Christi temporale, quod non est quidem de hoc mundo, sed tamen in hoc mundo, perfectiùs durat quàm regnum Dauidis, quod huius vmbra erat. Vt licet in eo quædam interregna fuerint, quasi ante Eclipses graues in Babylonica illa captiuitate; tamen huiusmodi interualla & Eclipses ecclesia nullo modo passura credatur. Hoc enim alterum est vtriusque testamenti discrimen, quod antea luculenter demonstrauimus. D

Ecclesia nõ esset imago futuræ, si vsque ad ipsam veritatem exhibitam nõ duraret. Gen. 49. *Aliud discrimẽ vmbræ & imaginis.*

Probatio perpetuitatis Ecclesiæ ex ratione noui fœderis.

CAPVT III.

ED ex alio nunc capite, ex ipsius videlicet noui fœderis ac testamenti ratione, Ecclesiæ Christi perpetuitatem breuiter ostendemus. Sanè illud disertissimis verbis Prophetæ singuli diligenter expresserunt. Esaias primùm. E *Cùm venerit*, inquit, *Sion redemptor, & is qui auertet impietatem à Iacob* (sic enim legit Apostolus iuxta septuaginta duos interpretes) *hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsque in æternum.* Clarissima est descriptio fœderis noui cum Christiano populo, tale id futurum esse, vt Spiritus Christi datus Ecclesiæ & verba eius prædicata Ecclesiæ, lex scripta in cordibus fidelium, à semine in semen, à generatione in generationẽ, à prima eius propagatione per continuas successiones perpetuò sit permansura. De hoc eodem fœdere tantundem dixit Hieremias. Cùm enim dixisset, *dabo legem meam in visceribus eorum, &c.* subiunxit mox; *si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, vt nõ sit gens coram me cunctis diebus.* Et paulò post. *Sanctum Domini non auelletur & non destruetur vltrà in perpetuum.* Idẽ confirmat Ezechiel. *Percutiam cum illis fœdus pacis, pactum sempiternũ erit cum eis, & fũdabo eos & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum; Et ego ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus; Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorũ in perpetuum.* Operæpretium est autẽ aduertere propter & manifestiorẽ & pleniorem huius rei probationem quomodo hæc Prophetarũ verba confirmat Prophetarum Dominus. Esaiæ verba confirmat cùm dicit: *Euntes docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Hoc est enim, vt verba quæ posuit in ore discipulorum suorum Dominus, non recedant de ore ipsorum, nec de ore seminis ipsorum in sempiternum. F *Neque enim hoc solis Apostolis dixit* [ait Augustinus] *qui vsque ad consummationem seculi non erant, sed illis loquebatur & nos significabat, quia scilicet ad omnes Christianos illa verba spectabant, qui erant futuri & vsque in finẽ seculi peruenturi*: ait idem Aug. serm. 45. de verbis Domini: Et iterum in libris de Genesi ad literam, Hieremię verba confirmat cùm dicit, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis*: Hoc est enim quod Hieremias dixit: *Non deficient leges istæ coram me.* Istæ enim leges illæ sunt, propter quas scriptas in cordibus fideliũ, vocat fideles Apostolus *Epistolam Christi scriptam non atramento, sed spiritu Dei viui in tabulis cordis carnalibus*, Ezechielis verba confirmat cùm dicit. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; Hoc est enim quod dixit ille. *Fundabo eos & multiplicabo.* Rursum promittit Ezechiel *Sanctificationem Dei in medio populi sui in perpetuũ.* Pro eadem orauit Christus. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Sanctificationem petit in cognitione verbi Dei, & totius Orthodoxæ doctrinæ. Ne verò pro solis Apostolis hæc orasse existimetur, subiicit; *Nec pro eis rogo tantùm, sed pro ijs qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Addit Ezechiel; *Vt sciant gentes quia ego Dominus sanctificator Israel.* Addit & Saluator verus sanctificator Ecclesiæ suæ, *vt credat mundus quia tu me misisti.* Et paulò post iterum. *Vt*

cap. 59. Rom. 1. cap. 31. Cap. 37. *Collatio propheticorum verborum cum Christi verbis.* Matth. cap. vltimo. anarrat. in Psalm. 47. sermo. 45. Lib. 6 cap. 8. Ioan. 14. 2. Cor. 3. Matth. 16. Ioan. 17.

cognoscat

A *cognoscat mundus quia tu me misisti*, &c. Hunc sanè in modum prophetarum dictis respondet Euangelium, & seruorum verba confirmat Dominus, vt planè *incredibile sit* (quemadmodum scribit Augustinus in fine sui libri de vnitate Ecclesiæ) *vt Ecclesia tam citò ex tot gentibus peritura, tot testimonijs, tam sublimiter, & tam indubitanter prædicaretur.*

Hæreticorum hodie variæ sententiæ de defectione Ecclesiæ quam supponunt.

CAPVT IIII.

EXPENDAMVS nihilominus quæ contra hanc tam perspicuam veritatem disputant hodie hæretici. Et primùm eorum sententiam de errore Ecclesiæ explicemus. Qui ætate nostra ab ecclesia discesserunt, eius errorem & lapsum præcessisse omnes docent, sed non eodem modo. Etenim Lutherus primò à tempore tantùm Constantiensis Concilij quod paulo amplius quàm centum annis cum præcessit, Ecclesiam defecisse in comitiis Vvormatiensibus anno 1522. confessus est. Sed postmodum anno 51. Authores repetitionis confess. August. à 300. annis errasse Ecclesiam volunt. Quamquam Lutherus ipse in posterioribus suis scriptis vt in lib. contra Papatum Tomo 7. totos ferè sexcentos annos huic defectioni tribuit: vt videlicet post annum salutis millesimum cœperit ista quã supponunt religionis Christianæ Eclypsis: & in hac quidem sententia initio huius schismatis aliquot annis perduratum est, maximè propter illam Apocalypsis Prophetiam *de satana per annos mille ligando, vt non seducat ampliùs gentes, posteaque soluendo.* Hunc enim locum de totius Ecclesiæ defectione post annum millesimum futura, & in Papatu iam facta omnes hodie hæretici interpretati aliquando sunt, sic ab Vvycleffo olim edocti, vt videre est apud Tho. Vvaldensem. Hoc ideo fecerunt, quia quæ in Ecclesia Catholica damnant, primùm à trecentis, deinde à quingentis tantum annis præualuisse principio existimabant, cùm circiter illa tempora scholastica doctrina florere cœperit, & infra hæc secula, Concilia plurima celebrata fuerint, in quibus suas hæreses apertissimè damnari probè sciebant. Postea verò quum & superiora secula non minùs apertè pro Catholicis stare animaduerterent, defectionem Ecclesiæ multò antiquiorem statuunt. Itaque Lutherus ipse in captiuitate Babylonica, & in supputatione annorum mundi; Caluinus passim in Prophetas minores & in Epistola ad Sadoletum; Melanchthon in locis communibus primis æditis: Andreas Smidelinus in Responsione ad Apologiam Frederici Staphyli, primos tantùm quingentos, aut ad summum sexcentos annos Ecclesiæ Christi concedunt. Sperabant videlicet illam saltem antiquitatem pro ipsis stare, nec corruptelas, quas fingunt, adhuc irrepsisse. Ideo vocat Melanchthon in oratione quadam de corrigendis studiis Sanctum Gregorium primùm, qui anno pene 600. floruit, *pereuntis Theologiæ præsultorem*, eúmque scribit, *infœlicissimi seculi casum quod potuit scribendo, docendóque* C *sustinuisse.*

1. Opinio de Eccles. defectione. *2. Opinio.* *3. Opinio.* *Apocalip. 20.* *Tom. 2. doctrin. fidei cap. 18.* *4. Opinio.* *Defectio Eccles. tempore Gregorij magni asseritur à protestantibus.*

B

Similiter Caluinus de hoc Gregorio, *quem* (inquit) *vltimum Romæ Episcopum iure dicere possu.* Idem quoque veteres patres *Irenæum, Tertullianum, Origenem, Augustinum, Optatum meritò & optimo iure successionem doctrinæ ab Apostolis ad ipsos vsque perductæ, contra hæreticos obiecisse* scribit, *& verè sumpsisse quod omnibus nouis erroribus conficiendu sufficeret: quia extra Controuersiam erat, nihil à principio vsque ad illam ætatem mutatum fuisse in doctrina; ideóque ab hæreticis, tunc oppugnari doctrinam, ab ipsis vsque Apostolis constanter & vnanimi consensu retentam.* Hæc ille. Et hanc ob causam cæteri Protestantes primum Antichristum ponunt Bonifacium 3. qui huic Gregorio post sesquiannum intermedium, quo sedit Sabinianus, successit. Ideo etiam hunc Pontificem Bonifacium tertium vocat Pantaleon homo Lutheranus in sua Chronographia *primum Papam, & primum summum Pontificem*, sic videlicet à Phoca Imperatore ordinatum. Sic denique Ioannes Foxus in Actis & monumentis suis ecclesiæ casum deducens, ab hoc Pontifice Bonifacio tertio, eum incœpisse demonstrat. Hac sanè de causa, & inuocationem Sanctorum, & Orationem pro defunctis, & ipsius Missæ vocabulum & vsum, sub hoc Gregorio primo exorta primum & introducta fuisse, Protestantum principes & magistri magna confidentia sed crassa ignorantia scribunt. Melanchthon in Apologia Confess. Augustanę, & in lib. de Ecclesia; Chemnitius in examine Concilij Tridentini in Cap. de Sanctorum

Institut. lib. 4. cap. 17. par. 49. *Lib. eodem cap. 2. paragr. 3.*

cultu;alijque alibi. Sed neque hæc sententia diu placuit,propter celeberrimos & satis frequẽtes Patres,qui primis illis sexcentis annis scripserunt, & Catholica dogmata ab hæreticis hodie negata satis luculenter confirmarunt. Itaque rem magis coarctādam putarunt. Melanchthon qui cæteris apertiùs & synceriùs agere solebat, in locis communibus posteriùs editis, solos trecentos annos puræ doctrinæ tribuit. Nam corruptam doctrinam tradidisse scribit Basilium, Ambrosium, Epiphanium, Augustinum, qui omnes circa annum Domini quadringentesimum scripserunt. Hunc alij secuti, Zosimum Papam Augustino contemporaneum primum Antichristum ponunt,quòd is contra Aphricanos Romanæ sedis primatū in causa Appellationum tueri memoretur. Cęterùm cùm & ij trecenti anni per ora & scripta vetustissimorum Patrum, Dionysij Areopagitæ, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Clementis Alexandrini, Arnobij, & aliorum, præsentes hæreses damnarent, & Orthodoxæ fidei illustria testimonia perhiberent; non puduit tandem, vniuersam Ecclesiam & omnes ætates ab Apostolorum prædicatione, erroris, ignorantiæ, impietatis, & blasphemiæ arguere & condemnare. Ideo Lutherus in conflictu cum Erasmo de libero Arbitrio apertè scribit, *Patres tot seculorum planè omnes cæcutiisse, imperitissimos fuisse sacrarū literarū, & quæ de libero Arbitrio scripserunt, solùm stylo, animo verò peregrinante asseruisse. Denique tota vita errantes, nisi ante mortem reducti fuerint, neque Sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinere.* Hęc ille, libro de seruo Arbitrio circa medium. Similiter Melanchthon in Commentariis ad tertium caput 1. ad Corinth. ait. *Statim initio Ecclesiæ, scriptores veteres obscurauerunt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt esse peculiares cultus: fuerūt duriores quàm oportuit in præcipiendo cælibatu,* &c. Et has vocat stipulas super fundamentum structas. Tantundem Caluinus in Tractatu de scandalis. De vetustissimis patribus Origene, Tertulliano, Basilio, Chrysostomo (hos enim nominat, & alijs similibus scribit, *in causa liberi Arbitrij, frigidam & deformatam Theologiam eos nobis tradidisse: magisque ex Philosophorum placitis, quàm iuxta verbi diuini sensum de eo tractasse.* Similiter de libero arbitrio dicit, *omnes scriptores Ecclesiasticos excepto Augustino, ita ambiguè aut variè loquutos esse, vt certum quippiam ex eorum scriptis haberi nequeat.* Idem in doctrina Satisfactionis, veteris Ecclesiæ doctrinam planè improbat. Ait enim *in describendis pœnitentiæ fructibus vetustos patres dupliciter modum excessisse.* Et iterum paulò post; *Parum me mouent quæ in veterum scriptis passim de satisfactione occurrunt.* Similiter in quæstione de oratione pro defunctis. *Cùm*, inquit, *mihi obijciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vsu hoc receptum fuisse; Respondeo veteres illos hac in re, & mandato Dei, & legitimo exemplo destitutos fuisse, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ dederunt.* Rursus in quæstione de sacrificio Missæ apertè dicit *vetustissimos patres imitatos esse propiùs Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus aut Euangelij ratio ferebat.* Postremò in reseruatione venerabilis Sacramenti, *veterū Ecclesiæ vsum prorsus contemnit.* Huc ergo ventum est tandem, vt non trecentis aut sexcentis aut denique mille annis, sed totis planè mille quingentis annis, ab ipsa Euangelij prima propagatione ad nostra vsque tempora, Ecclesiam Christi errasse, nostri hodie hæretici doceant. Hinc enim certè factum est, quòd iudicet Beza, suis in hac parte ferè omnibus cōtrarius, antichristum de quo Paulus ad Thessal. scribit sub ipso D. Pauli tempore aduenisse. Atque hac ipsa profectò de causa Centuriastæ illi Magdeburgẽses quia nō solùm hęc certissimè sibi persuaserunt, sed & toti orbi persuadere voluerunt, habent hac de re in singulis Centuriis (sola prima quæ apostolorū ætas fuit, excepta) in cap. 4. de doctrina, *Articulum vnum de inclinatione doctrinæ*, vt vocāt, *diuersum & distinctum ab articulo de hæresibus*, & falsis illis doctrinis quæ publico illius tum Ecclesię iudicio damnatæ sunt. In hoc autem articulo incipiendo à secunda Centuria, id est, *ab ætate Apostolis proxima*, notant errores quos putant illius seculi, quos næuos ac stipulas vocant ipsis patribus & Magistris Ecclesiarū inhærentes. Aiunt nempe in Cent. 2. cap. 4. de doctrina in articulo de Inclinatione doctrinæ. *Tametsi hæc ætas Apostolis admodum vicina fuit, tamen doctrina Christi & Apostolorum non parum offuscari cœpit. Multæ enim monstrosæ & incommodæ opiniones passim à doctoribus sparsæ reperiuntur.* Hæc illi. Móxque, *de libero Arbitrio, de iustificatione, de bonis operibus, de pœnitentia, de sacrificio, de inuocatione Sanctorum, de primatu Rom. Ecclesiæ, de merito Martyrij & virginitatis*; sentētias doctorum illius seculi, *Iustini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Ignatij*, & aliorum notant, quasi inclinationem & defectum à sana doctrina. Idem faciunt in 3. 4. & aliis Centuriis subsequentibus multò copiosius: vt videlicet perpetuam Ecclesiæ fidem, ex qua parte illis displicet & eorum dogmatibus aduersatur, Ecclesiæ errores fuisse, idque ab ipso Ecclesiæ exordio lectori persuadeāt. Idcirco propter hanc persuasissimā de vniuersæ Ecclesiæ casu sententiam, nobilis quædam

Margin notes:

5. Opinio quidā 300. post Christum annis.

6. Opinio quòd etiam ab Apostolorū tempore defecerit Ecclesia.

Verba Lutheri impudētissima, contra Patres.

Melanchthonis sententia de errore primitiuæ Ecclesiæ.

Caluini accusatio de eodem.

Instit. lib. 2. cap. 2 par. 9.

Inst. lib 3. ca. 3 par. 16.

Lib. 3. cap 4. par. 38.

Inst. lib 3. c. 5. par. 10.

Inst. lib. 4. ca. 18. par. 11.

Lib. 4 cap. 17. par. 39. & 43.

In explicat. method. in 2. Thessal. 2.

Magdeburgensium insigne facinus.

In præcipuis quæstionibus de fide errasse primitiuam Ecclesiam ponunt.

D

E

F

A quædam hodie Puritanorum secta contra Caluinistas in Anglia nostra infœlici, postremis his annis exorta est, cæterorum dissimulationes ampliùs non ferens, & ab eorum communione seipsos segregans, hæc aperte & propalàm docens; *Nullos patres, nulla Concilia esse audienda; nullam seculorum antiquitatem, nullam veteris Ecclesiæ vocem expectandam esse, soli puro Dei verbo adhærendum. Etenim ab ipsis Apostolorum temporibus errores perpetuò in Ecclesia fuisse, ipsosque primos patres, & Apostolicos viros grauiter errasse.* Et huius sententiæ suæ Authores & socios esse asserunt omnes passim reformatas, vt vocant, Ecclesias in Germania, Gallia, Polonia; seque ex Caluini & Melanchthonis scriptis hanc doctrinam accepisse profitentur. Quod & verum est, vt ex eorum verbis iam declarauimus. Verùm hoc discrimen est, quòd hæc illi publicè & apertè, alij autem tacitè & dissimulanter docent. Illud verò hoc loco meminisse diligenter oportet, solere Protestantes cùm de veteri Ecclesia loquuntur, etsi errores ipsius taxant, tamen, (ne videantur omnem prorsus Christi ecclesiam abolere & condemnare) eam nihilominus pro Ecclesia Dei agnoscere, quia videlicet fundamentum religionis rectę tenuerunt, licet errorum stipulas superextruxerint. Idcirco Melanchthon cùm tales veteris Ecclesiæ stipulas (vt suprà habes) commemorasset, addit. *Tales stipulæ condonantur omnibus ætatibus retinentibus fundamentum.* Móxque definit, *Ecclesiam ibi esse vbi retinetur fundamentum: Et semper manere in Ecclesijs aliquas incommodas opiniones.* Hæc ille in commentariis. De qua eorum euasione, & quàm sit in se ipsa absurda & falsa, & qua fraude, quóque consilio sit ab eis inuenta, quia superius copiosè disseruimus, hîc nihil repetimus: tantùm monemus, vt ad illum locum recurratur. Et istud addimus, vt diligenter notetur, sectam illam quam diximus Puritanorum has stipulas & næuos in vera Ecclesia non admittere, sed illas omnes Ecclesias damnare, quæ vel minimam admixtam habent seu superstitionem, seu corruptelam. Hac itaque fraude & tergiuersatione in Ecclesiæ errore & lapsu vel prolixiore, vel breuiore seu fingendo seu asserendo
B versati sunt. Quam tamen nos errare & deficere nullo momento posse ex apertissimis Scripturis probauimus. Imitati verò hac in re sunt Vviclephi furorem, varium quoque & inconstantem. Is enim [vt scribit Vvaldensis] *in materia de dote Ecclesiæ per mille annos, in materia de pœnitētia per 500. annos, in materia de Eucharistia à toto Apostolorū tempore errasse vniuersam Ecclesiam*, affirmauit. Alibi verò scribit *totum cœtum episcoporum & paparum à Siluestro deinceps esse vnum corpus Antichristi.* Tom. 2. de Sacramentis doctrina 4.

Puritanorum secta in anglia.

Dolus Protestantum.

Ad 3. cap. 1. cor.

Lib. 1 cap. 17.

Vvaldens. Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 22.

Sed coniecturas huius defectionis à fide in Ecclesia etiam statim post Apostolos factæ quas adferunt, operæpretium est videre. Aiunt *primorum seculorum patres quia in refellendis grauissimis hæresibus quæ statim post Apostolorum decessum irrepserunt, toti occuparentur, leuiores quosdam abusus, errores & superstitiones pariter inualescentes vel non animaduertisse, aliis grauioribus studiis detentos, vel neglexisse maioribus curis incumbentes. Atque hoc quidem ex Iustini & Irenæi scriptis facilè apparere, qui extraneas quasdam opiniones de casu Angelorum, de regno Christi post seculi finem temporali, amplexi sunt & tradiderunt.* Sed huic leuissimæ atque vanissimæ coniecturæ in causa omnium grauissima prolatæ, fœdissimæ quoque illorum S. Patrum accusationi breuiter respondetur. Primùm primorum seculorum patres quanto maiori studio & contentione in repellendas suorum temporum hæreses incubuerunt, tanto verisimiliùs
C ab omni errore, abusu, & superstitione tum liberos ipsos fuisse, tum etiam alios liberasse. *Quum enim dormirent homines* [ait Saluator] id est, ministri Domini, non quum vigilarent, sedulóque officio suo incumberent, *venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici.* Quare nihil est hac coniectura Protestantum ineptiùs, nisi illi se fortasse prudentiores & in errorum causis perspiciendis acutiores existiment atque existimari velint, quàm Saluatorem ipsum, *in quo totius sapientiæ thesauri absconditi erant.* Errores autem quos isti curiosi Chamitæ in patribus suis reuelant, priuati ipsorum erant, non totius tunc Ecclesiæ; vt propterea defectionem Ecclesiæ ab illo tempore cœpisse dicere debeant: nec ab illis pertinaciter defensi, sed probabiliter suscepti erant: nec denique ad ipsam fidei substantiam [vt de quibus in contrarium nihil adhuc per Ecclesiam definitum fuerat] pertinebant. Quare iterum contra aduersarios repetimus & inculcamus. Si statim post ipsa Apostolorum tempora defecit Ecclesia, imò si altero aut tertio, quarto aut etiam quinto pòst seculo defecit, sequentur non ex coniecturis humanis sed ex documentis diuinis absurda hæc longè grauissima. Tunc enim secus quàm Christus futurum dixit, *bonum semen non cresceret in agro dominico vsque ad messem.* Id est, sana doctrina non propagabitur in Ecclesia Dei vsque ad finem seculi, vt illa verba ipsemet exposuit Christus. Tunc secus quàm Christus futurum dixit, *portæ inferi* etiam modico pòst

Coniecturæ Protestantiū de Defectione Eccles. ab Apostolorum temporibus.

Responsio.

Matth. 13.

Absurda quæ ex Protestantiū doctrina consequuntur.

Matth. 13.

Matth. 16.

tempore, *præualuerunt* contra Ecclesiam eius. Tunc secus quàm Christus futurum dixit, non D
Math. 26. fuit ipse cum suis *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, sed à multis iam seculis, non diebus & annis tantùm, à suis quàm diutissimè abfuit, suámque Ecclesiam deseruit, aut potiùs nullam in terris esse permisit. Tunc denique secus quàm Apostolus definiuit, non *verita-*
1. Tim. 3. *tis columna & firmamentum* Ecclesia fuit, sed falsitatis, errorum & superstitionum sentina & receptaculum à prima sua propagatione extitit. Quæ si sunt omnia Christianis auribus plus quàm absurdissima, profectò & auribus & cordibus Christianorum omnium detestabilis & execranda, totóque pectore anathematisanda est hæc blasphemia non doctrina, & insania nō coniectura, quam pro Ecclesiæ defectione Protestantes adferunt.

Cauillationes, & fraudes hæreticorum circa allatas Scripturas aperiuntur, & confutantur.

CAPVT V.

NVNC quid contra has probationes è Scripturis petitas afferunt, vel quibus etiam argumentis Ecclesiam errare & deficere posse probare nituntur, dispiciendum est. Primùm Caluinus ipse quamuis antiquissimæ Ecclesiæ vsum toties, vt iam ostendimus, reprobet atque reiiciat (quia aliter E Catholicorum obiecta euadere non potuit) tamen cū de Ecclesia ex professo disputat, cùm præallegatas ex Esaia prophetias interpretatur, Ecclesiæ stabilitatem & perpetuitatem, vi veritatis impulsus, apertè asserit atque defendit. Etenim Inst. lib. 4. cap. 1. par. 10. ex eo quòd *Columna & firmamentum veritatis Ecclesia* vocatur, significare Paulum dicit, *ne intercidat veritas Dei in mundo, Ecclesiam esse fidam huius custodem*. Et paulò pòst parag. 17. *Statuendum*, inquit, *est, Nullum fuisse ab orbe cōdito tempus, quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit, nullum etiam fore vsque ad consummationem seculi, quo non sit habiturus*. Similiter in Esaiæ cap. 9. in Commentariis suis verba præallegata exponens. *Sicut*, inquit, *perpetuum est Christi regnum, quia non moritur, ita consequitur iustitiæ & iudicij perpetuitas, quæ nullo æuo poterit immutari*. Rursum in ca. 55. Esaiæ super illud. *Erit Dominus nominatus in signum æternum: Tametsi*, inquit, *Ecclesia fluctuet, atque agitetur variis modis, tamen quia Dominus plenam sui nominis memoriam vult esse, eam tuebitur ac defendet*: Denique in illud Esaiæ 59. ca. superius citatum; *Promittit*, inquit, *inæstimabili hoc bono Ecclesiam nunquam priuatam iri, quin Spiritu S. regatur & fulciatur Cælesti doctrina. Parum enim esset nobis semel offerri Euangelium, nosque spiritu donari nisi apud nos resideret. Promissio ergo eiusmodi est, Dominū sic affuturum Ecclesiæ suæ, sicque eius curam habiturum, vt eam priuari doctrina nunquam sinat*. Hæc Caluinus in Commētariis suis in Esaiam. Sic etiam Melanchthon in locis communibus, ex eisdem citatis Scripturis probat; *Mansuram esse semper aliquam Ecclesiam, & regnare semper filium Dei*. Probant ergo F Scripturæ allegatæ, etiam aduersariorum iudicio, Ecclesię perpetuitatem. Veruntamē ne huiusmodi Scripturæ pro Catholicæ Ecclesiæ passim notissimæ firmitate, & perpetuitate probanda, quicquam facere videantur, multa disputant, & miris modis tergiuersantur. Quorum hic nihil dissimulādum puto. Ad illas ergo Scripturas, in quibus dicitur Christus sponsam suā nō deserere, sed spiritus sancti magisterio eam regere; Ipsam quoque Ecclesiam columnā esse & firmamentum veritatis, Respōdet Musculus in locis communibus. Primùm, *has Scripturas intelligi debere de illa vna Catholica & Orthodoxa Ecclesia, quæ est communio Sanctorum & Electorum in toto orbe cuncta seculu Christo credentium; non autem de hac Catholica hic esse quæstionem; sed de Ecclesiis particularibus quæ mixtæ sunt bonis & malis: has verò, & errare posse, & sepiùs errasse*. In hac responsione, quæ & omnibus Protestantibus communis est, variæ latent fraudes & sophismata, quibus veritatem eludere nituntur. Primùm enim Catholicam Ecclesiā, quæ errare non potest, vocat Sanctorum & electorum; vt videlicet existimemus illam Ecclesiam, cui stabilitatis repromissiones factę sunt, esse tantùm prædestinatorum vel bonorum tantùm numerum. At verò ostensum quidem superiùs est, ad veram Ecclesiam in hac vita pertinere electos & reprobos, bonos & malos; ad huiusmodi autem electorum & reproborum, bonorū & malorum Ecclesiā, has promissiones pertinere nunc ostendetur. Christus Dominus cum dixisset. *Portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam meam*, subiungit. *Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quod solueris super terram, erit solutum & in cælis, &c.* Manifestè ostendens contra talem

Caluin. sibi insigniter cōtrarius.

Eiusdem cōfessio de firmitate Ecclesiæ.

Musculi tergiuersationes.

1. Fraus. *Promissā stabilitas & perpetuitas pertinet ad Ecclesiā mixtā bonis & malis.* Math. 16.

A talem Ecclesiam portas inferi non præualituras, in qua essent, quibus & soluenda & liganda
peccata essent. Tales autem sunt mali & reprobi. Soluuntur enim malorum peccata, qui pœ-
nitentiam de peccatis agunt: ligantur reproborum qui pœnitentiam agere nolunt. *De iis enim* 1. Cor. 5.
qui foris sunt, non iudicat Ecclesia. Rursum cùm dixisset Saluator, *Spiritum veritatis mansurũ cũ*
suis in æternum, Officium eius postea docens addit: *Ille vos docebit omnia.* Docet autẽ Spiritus Ioan. 14.
sanctus & bonos & malos, per ministerium & bonorum & malorum adeóque reproborum,
dicente Apostolo, *Castigo corpus meum, ne fortè cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et ite-
rum. *Si inuitus Euangelizauero, dispensatio mihi credita est.* Quòd si nulli reprobi & inuiti, id est, 1. Cor. 9.
hypocritæ & carnales docerent, frustrà hoc Apostolus timeret. Denique docet Augustinus
contra Parmenianum, Spiritum Sanctum Magistrum veritatis loqui veritatem, docere, Euã-
gelizare, & aliorum salutem operari per ora reproborum. Præterea cùm dicit Apostolus, *Ec-* Lib. 2. cap. 15.
clesiam esse columnam & firmamentum veritatis; illam Ecclesiam dicit quæ est *domus Dei, & in*
qua oporteat conuersari, id est, in Sacramentorum & doctrinæ cõmunione pariter versari. *Hæc,* 1. Tim. 3.
inquit, *tibi scribo, vt scias quomodò oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui.* In
hac domo ibidem docet, quales ipsi Diaconi & mulieres esse debeant: non dubitãs fore quin
in illa domo, mali bonis, impudici castis, litigiosi modestis miscerẽtur. Rursum in alia ad eun-
dem Epistola dicit, *In magna hac domo non solùm esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fi-*
ctilia, & quædam in honorem, quædam in contumeliam, quosdam electos, quosdam reprobos:
Et tamen hanc magnam domum Dei vocat *columnam veritatis*. Rursum Saluator cùm di-
xisset, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, &c.* Manifestè talem Ecclesiam
B designat, in qua mali fratres essent peccaturi in bonos fratres, & corripiendi propterea à bonis *Ecclesia quæ nõ*
fratribus, vel priuatim, vel coram testibus, vel denique coram Ecclesia, id est, Ecclesiæ *errat est Eccle-*
prælatis atque pastoribus. Denique quia illa Ecclesia quæ errare non potest, necessa- *sia bonorum &*
riò debet esse visibilis, vt antea demonstratum est; quia suos filios vt Catholicos docere; *malorum.*
quia falsos fratres vt schismaticos cauere: quia aduersarios & hæreticos expellere; quia
alienos & Ethnicos ad se vocare debet; sequitur necessariò vt Ecclesia quæ errare non po-
test, aut deficere, non sit Sanctorum tantùm aut electorum, qui nobis incogniti sunt, so-
li autem Deo noti; quam Catholiquam vocant hæretici, sed sit bonorum & malorum in ex-
terna & publica fidelium societate & vocatione vnitorum multitudo, in qua prędicta of-
ficia ac ministeria exerceri possint, quæ sanè multitudo militans Ecclesia est, & Catholica. Et
his quidem prima responsionis fraus, & in qua totum responsionis pondus ponitur, eluitur. 2. *Fraus.*

Altera fraus est quòd addit cunctis seculis in Christum credẽtium. Etenim etsi fuerint qui-
dem à iusto Abel ad Apostolorum tempora aliqui semper electi, qui verè Deum in orbe co-
luerint, tamẽ visibilis semper & externa huiusmodi credentium multitudo semper in orbe nõ Hebr 9.
apparuit. Sed stabilitas Ecclesiæ visibilis Testamẽto nouo (*quod in melioribus repromissionibus*
sancitum est) propria est, & Christi gloriæ & humanitati reseruata, vt iam anteà sæpiùs est de- Lib 2. cap. 7.
claratum. Nam ad hanc noui Testamenti Ecclesiam prophetiæ illæ allegatæ respiciebant, & Matt. 16. Ædificabo Eccle-
de hac sua, Saluator in Euangelio loquitur. Nec denique de alia quàm de hac Christi Ecclesia siam meam.
propriè dicta agitur, cùm de Ecclesiæ firmitate disputatur. 3. *Fraus.*

Tertia fraus est quòd ait de Catholica Ecclesia hic contentionẽ non esse, & neminẽ dicere
C Catholicam Ecclesiam de fide Christi errare. Sanè quidem de catholica eo modo accepta, *De qua Catho-*
quo fingit Musculus, vt solos Sanctos & electos complectatur, non est contentio; nec quæri- *lica Ecclesia sit*
tur an possit errare. Ridiculum enim hoc esset, maximè loquendo de Ecclesiæ membris qua- *hic quæstio.*
tenus sancti & electi sunt, & de errore illorum finali & efficaci: Sed de Catholica, id est, visi-
bili Christianorum Ecclesia ab Apostolorum prædicatione ad nos vsque deriuata, quæ bo-
nos habet & malos, de ea sanè est quæstio inter nos & Protestantes. Hanc illi dum errare pos-
se conantur ostẽdere, idque finaliter, & cùm certa animarũ pernicie, vt inuidiã disputationis
declinẽt, nec veræ catholicæ Ecclesiæ, quã in Symbolo se credere profitentur, errorem assere-
re videantur; aut tot & tam manifestis Scripturis refragari; aliter vocẽ Catholicã interpretan-
tur, in quo sensu Controuersia non ponitur. Quod sophisma est ab æquiuocatione nominis.

Quarta in eo est quòd dicit, omnem nostram cõtentionem esse de Ecclesiis particularibus, 4. *Fraus.*
quæ mixtæ sunt bonis, & malis, quas errare posse, & sæpenumerò errasse asseuerat. Nõ enim,
cũ dicimus Ecclesiã esse perpetuam, & errare non posse, particularem aut particulares, vnam *Non particula-*
vel plures intelligimus; Sed vnam Catholicam siue vniuersalem intelligimus ex multis par- *res Ecclesias sed*
ticularibus conflatam, tanquam vnum corpus ex multis membris. Sed hic protestantium *vnã catholicã*
grauis error est, quòd visibilem hanc Catholicam, siue vniuersalem ex multis totius orbis *errare non posse docetur.*

Error Protestantium circa Catholicæ Ecclesiæ sensum.
Epist. 48.
Alius error circa Eccles. particularium sensum.

Ecclesiis particularibus conflatam, pro Catholica agnoscere nolunt. Sed Catholicam eam dici volunt, quæ sit communio quædam personarum, idque earum quæ mundo sint prorsus incognitæ, scilicet omnium Sanctorum & Electorum toto orbe dispersorũ & per omnia secula in Dei cultu vnitorum, non autem gentium & populorum in publica sanæ fidei professione collectorũ. Non multò sanè aliter, quàm olim Donatistæ, *non ex totius orbis communione*, vt refert Augustinus, *sed ex omnium mandatorum & sacramentorum obseruatione, Catholicam dici* voluerunt. Rursum in eo grauiter errant, quòd particularem Ecclesiam vocent, non alicuius loci aut locorum seorsum acceptam vt Romanam, Corinthiacam & similes, (in quo solo sensu, particularis aliqua Ecclesia dici debet) sed nouo quodam & inaudito sensu eam particularem vocant, quæ sit mixta bonis & malis. Quasi verò si ex ratione bonorum, & malorum censenda esset aliqua Ecclesia, vel vniuersalis vel particularis, & nõ ex ratione gentium ac locorum; non illa potiùs vniuersalis censeri debeat, quæ & bonos & malos habeat, quàm illa quæ solos bonos. Quis enim non videt magis generalẽ & vniuersalem, siue Catholicam, illam esse hominum multitudinem quæ ex bonis & malis, electis & reprobis consistat, quàm eam quæ solos vel bonos vel malos contineat? Vt taceam hac ratione totum in parte contineri, Catholicam videlicet Protestantum infra nostræ particularis Ecclesiæ ambitum comprehendi. Nostra enim Catholica & bonos & malos suo ambitu complectitur. Nos contrà, Catholicam,

Vera Catholicæ Ecclesiæ etymologia.

quam in Symbolo nos credere profitemur, multitudinem esse dicimus, & iam copiosè probauimus, tum Sanctorum, tum impiorum hîc intereà militantem; quæque aspectabilis sit; &, sicuti omnium temporum à prima sua per Apostolos propagatione, sic etiam gentium omniũ atque locorum; cuius pars sit eadémque indiuidua, ea quæ nunc est in terris Ecclesia, ea quæ patrum nostrorum memoria fuit, & ea in qua posteri nostri acturi sunt. Ita vt hæc nostra iam præsens, patrúmque proximè præcedens, & posterorum nostrorum deinceps secutura Ecclesia eiusdem sit firmitatis, roboris, certitudinis, cuius est ipsa tota omnium temporum.

Cuius rei causa est ipsius totius perpetuitas, quam nunc docemus; vnitas quoque perfectissima, & continuata successio, quæ ex hac perpetuitate nascitur, vt posteà docebimus. Sanè

Caluini confessio de externa & visibili Ecclesia.
Instit. lib. 4. cap. 1. par. 3.
Definitio eiusdem.

Caluinus partim vi veritatis impulsus, partim vt lectori vel cordatiori satisfaceret, vel simpliciori imponeret, apertè confitetur, *Ecclesiam externam ad Symbolum pertinere. Hanc externã & visibilem matrem esse nostram §. 4. Ab hac nos doceri. §. 5. Hanc obseruare, eiusque communionẽ colere oportere. §. 7.* Deinique sic hanc definit §. 69. *Esse hanc visibilem multitudinem ex omnibus gentibus collectam, quæ locis dissita in vnius doctrinæ veritatem consentit; & vnius religionis vinculo colligata est.* Hæc ille. De hac ergo visibili loquimur. Hanc errare, deficere, aut funditus interire non posse asserimus propter Scripturas allegatas, quæ de tali multitudine loquuntur. Quamuis enim nulla sit vna particularis Ecclesia quæ errare non potest, tamen vt tota erret Ecclesia, impossibile dicimus, stantibus Dei promissionibus iam allegatis: maximè illa, *Aedificabo Ecclesiam meam*, Non secus enim tenet hæc promissio in propaganda semper Ecclesia

Supra lib. 2. cap. 7.

(vt suprà ex S. Chrysostomo ostensum est) quàm in speciebus rerum creatarum cõseruandis illa Dei vox, *Crescite & multiplicamini*. Quemadmodum ergo species rerum perire non possunt, licet cuiúsque speciei vnumquódque indiuiduum possit interire, & intereat aliis succedentibus, sic multæ Ecclesiæ particulares interierunt, tota tamen Ecclesia interire non potest, aliis semper succedentibus, & ad tempus stantibus. Hactenus, ergo, cauillatorem egit Musculus.

Argumenta hæreticorum pro defectione possibili ipsius Ecclesiæ confutantur.

CAPVT VI.

TANDEM propiùs ad rem accedit dicens. *Status præsentis causæ est, An Romana illa Ecclesia cum reliquis sibi subiectis Christi doctrinam syncerè & constanter tenuerit?* Ita sanè, in hoc controuersia ponitur. An omnium gẽtium Ecclesiæ, quæ Romanæ, vt capiti & primariæ sedi adhærent, eiúsq; Episcopo subiiciuntur, à christi doctrina aliquando defecerint? Quæ quidem Romana, cùm cæteris Ecclesiis in sua communione manentibus, vniuersalis est non particularis aliqua. Siquidem quæcunque sunt, cum Ro-

A cum Romana cohærent, *& ad eam propter potentiorem principalitatem* (vt scribit Irenæus) *omnē
conuenire Ecclesiam necesse est: id est, eos qui sunt vndique fideles.* Hæc ille. Qua quidem adiuncta Lib.3.cap.3.
omnium gentium communione, non iam particularis, sed vniuersalis Ecclesia est ipsa Roma-
na. Vnde factum est vt Catholicam & Romanam pro eadem veteres Patres acceperint. Hie-
ronym. aduersus Ruffinum Apol.1. circa initium. Ambrosius de obitu Satyri fratris. Et alij. De
qua re plura posteà. Hanc ergo nunquam errasse, aut à Christi doctrina defecisse dicimus. Infrà lib. 4.
Aiunt hæretici. Sed quàm parum probare hoc possint, ipsorum argumenta ostendent. Cùm cap.18.
enim arguit Musculus ex Apostoli verbis, *Si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Ex
2. ad Thess.2. *Mittit illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.* Ex 2. ad Tim.3. *Mali ho-* Rom.11.
mines & seductores proficient in peius errantes, & in errorem mittentes. Denique ex 2. ad Cor.11.
Timeo ne excidatis à simplicitate quæ est in Christo, concludit ex his omnibus hunc in modum:
*Quorsum hæc admonuit Apostolus, si cuilibet, hoc est, particulari, præsertim Romanæ dandum est Ec-
clesiæ, quòd errare nequeat?* Hæc ille. Hinc ergo liquet nihil eos aliud probare posse ex Aposto-
lo, quā particulares vel homines, vel Ecclesias errare, & excidere posse; id est, prædicere Apo-
stolum futuras hæreses, & schismata, & apostasias à fide in varijs tum hominibus, tum locis,
Ecclesijs, & gentibus; sicuti iam in toto Oriente & Africa, & in magna Europæ parte factum
cernimus. At nec infert ex his Musculus, nec inferre potest vniuersalis, & totius ecclesiæ erro-
rem, id est, vt nulla penitus supersit Ecclesia. Rursum argumentatur Musculus. *Si Romana ec-
clesia cum suis Episcopis errare non potest, quid timebat Papa Hormisda scribens ad Hispaniæ Episco-*
B *pos, vt sollicitè & diligenter orarent, ne aliquando Christum relinquerent, & vicissim ab illo iustè dese-
rerentur?* Respondetur, Etsi nec Papa nec Ecclesia errare in fide aliquādo poterit, tamen oran-
dum est pro Papa, & pro Ecclesia, sicut Christus orauit pro Petro *ne deficeret fides eius*: Et ora- Lucæ 22.
uit pro Apostolis dicens: *Pater Sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et tamen Petrus Ioan.17.
& Apostoli ex eorum numero erant, de quibus anteà dixerat. *Oues meæ vocem meam audiunt,* Ioan.10.
& non peribunt in æternum, & nō rapiet eas quisquam de manu mea. Orauit quoque Saluator pro
tota Ecclesia dicens. *Nec pro eis rogo tantùm, sed & pro ijs qui per verbum eorum credituri sunt in
me.* Et tamen ex sententia Protestantum ex solis electis constat Ecclesia. Nempe nesciūt Pro- *Prædestinatio iu-
uatur precibus.*
testantes ipsam prædestinationem iuuari precibus: & quæ certò futura sunt, tamen vt fiant Dialog.lib.1.
precibus impetrari, sicut in exemplo sterilis Rebeccæ docet Gregorius. cap.8.

Addit adhuc Musculus; *Sed ridentur ista à Pontificiis ob id securis, quòd sponsum fidelem habet
Ecclesia, à quo deseri nequeat.* Respondemus cum Spiritu Sancto per os Dauidis. *Etiam si dereli-* Psalm. 88.
*querint filij eius legem meam, &c. Visitabo in virga iniquitates eorum, &c. Misericordiam autem
meam non auferam ab eo, neque prophanabo testamentum meum, &c.* vt nulla hominum iniquitas Rom. 11.
Dei fidem semel datam violare queat. *Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.* Vnde *nec* Suprà lib. 2.
ipsi Iudæi sic peccauerunt vt caderent. De qua re priùs. Porrò quis dubitat Protestantes quoque cap.14.
sponsum sæpe deserere & sceleribus diffluere? Sed aliud est misericordia noui Testamenti,
aliud peccata hominum. Quo in loco aduertendum est Musculum cum cæteris Lutheranis *Protestantium
cæcitas vel per-
tinacitas*
longè esse Ticonio Donatista vel cæciores vel pertinaciores. Is enim (vt scribit Augustinus)
omnibus sanctarum scripturarum vocibus circumtusus euigilabat & vidit Ecclesiam Dei toto orbe Contra Par-
men.lib.1.
C *diffusam: quo percepto, suscepit aduersus ipsos suos demonstrare & asserere, nullius hominis quamuis sce-* cap.1.
leratam & improbam vitam præscribere promissis Dei, &c.

Iam verò vt Ecclesiæ Christi possibilem errorem quocunque tandem modo persua-
dear, non veretur, antiquissimas, imò Apostolicas ipsas Ecclesias taxare. Ait enim *Ro-*
manam atque Africanam tempore diui Augustini in hoc errore fuisse, vt infantibus necessaria esset *Antiquissimas
ecclesias errorū
accusat Muscu-
lus.*
*Eucharistia: Primùm quoque in Iudæa Ecclesiam errasse, quòd nimium diu hæserit in obseruatione
legalium. Galatarum verò ita à veritate excidisse, vt contradicente Paulo, suos circuncid:rent*: Ex
quibus sic concludit. *Si tempore Apostolorum Ecclesia ab ipso Christo plantata & manifestissi-
mis argumentis magisterio Spiritus sancti ducta in causa tam magni momenti errare potuit, dicant
qua ratione Ecclesia ex gentibus collecta, post Apostolorum tempora, humanis constitutionibus ado-
bruta errare nequiuerit?* Hæc ille. Breuiter respondemus. Primùm in causa Eucharistiæ in-
fantibus datæ, nec Romanam nec Africanam errasse ecclesiam: fiebat enim illud tunc, &
antegressis etiam seculis ex consuetudine non ex lege; vt religiosum, non vt necessa-
rium: denique tanquam res indifferens quæ vel obseruari potuit, vel omitti, sicuti vi-
deretur ecclesiæ. Prima ecclesia in Iudæa hæsit nonnihil in legalium non tam ob-
seruatione quàm permissione, nec tam vsu quàm veneratione quadam propter infir-
mos Iudæos ad fidem conuersos: partim ne illa vmbratica diuinitus instituta tanquam

idololatrica & gentilitia à Satana inuenta, detestari viderentur; partim vt paulatim ad Chri- D
Epist. 19. ad Hieronymū.
stum Iudæi manuducerentur, & *honorificè sepeliretur Synagoga*. De qua re vide Aug. plenissi-
mè disputantem. Galatarum de circuncisione error quidem erat; sed nec illi Galatæ Eccle-
siam constituebant, nec in illo errore omnes Galatæ impliciti erant.

Argumentatur adhuc Musculus. *Si Ecclesia, quia regnum Christi est, in quo regnat veritas, care-
re veritate non potest, pari ratione & iustitia carere non debet. De Christo enim scriptum est: Regnabit
in iudicio & iustitia. Et* (vt prophetarum verba quæ citauimus, habent) *iustitiæ perpetuitas non
minùs quàm doctrinæ veritas Ecclesiæ promittitur. Ergo si non erret Ecclesia, nec peccabit; Aut si ex
maiori parte peccare possit, sic & maiori ex parte errare in fide possit. Et ita quidem Romanam Eccle-
siam regnum Christi fatemur, propter paucos, quos habet electos.* Sic etiam ad illud christi quòd
Spiritus sanctus docebit Ecclesiam, Et ad illud Pauli, *quòd columna sit veritatis*, respondet. *Non
enim*, inquit, *Ecclesiam Christi prorsus in omnibus ipsius membris à veritate doctrinæ aberrasse dici-
mus. Sunt electi & firmi qui nunquam errant; Et ex hac parte non errat Ecclesia: Sed quatenus Ec-
clesia mixta est bonis & malis, in malis plurimùm errat, labitur, & superatur. Totus enim mundus si-
ue in Ecclesia, siue extra, in mendaciis & errore fluctuat.* Hæc Musculus. Censet ergo eam quæ
vocatur & est vniuersalis Ecclesia sicuti peccare, sic etiam in fide errare ex maiori sua parte.
Eandem tamen vniuersalem Ecclesiam non propriè errare propter paucos firmos & electos
Doctiorū protestantum rima, qua Scripturas de Ecclesiæ perpetuitate eua dant.
quos Deus ab errore conseruat: Quemadmodum eadem vniuersalis Ecclesia vocatur sancta,
propter paucos in eadem bonos & sanctos, à meliori sui parte. Hæc est hodie doctiorum Pro-
testantium rima qua euadere conantur euidentissimas has Scripturas, Ecclesiæ & puræ in ea- E
dem doctrinæ perpetuitatem asserentes. Necessitate autem quàdam, vt hoc dicerent, coacti
Sententia Protestantiū de duratione Eccles.
sunt. Si enim Ecclesia perpetua est, & in ea doctrinæ veritas perpetua, ipsorum autem doctri-
na ante paucos iam annos apostatante Luthero in Saxonia exorta est, & prioribus seculis
mundo incognita, facilè vident se Ecclesiæ membra esse non posse, nisi stabilitatem hanc &
perpetuitatem doctrinæ in paucis electis ponant soli Deo cognitis, mundo autem incogni-
tis. Idcirco in regno Papæ (sic enim loquuntur) aliquos electos, id est aliquos protestantes &
suæ farinæ homines per omnes ætates extitisse supponunt. Hos autem occultos electos Eccle
Melanchth.
siam fuisse. Sic Melanchthon in locis communibus. *Manent semper aliquæ Ecclesiæ reliquiæ, &
hæ sunt cœtus ille retinens verbum incorruptum.* Sic etiam Caluinus. *Quum Ecclesiæ titulum non
Caluinus. Inst. lib. 4. ca. 2. par. 2.
simpliciter concedere volumus Papistis, non ideo Ecclesias esse apud eos inficiamur.* Denique Apolo-
gia Protestantum Concilio Tridentino exhibita, sic loquitur. *Non dubium est, & esse & fuisse
Apologia Protestantum.
semper homines pios in Ecclesia, qui plerosque errores & deplorarunt, & reprehenderunt, alij magis,
alij minus perspicuè. Interim tamen dominati sunt in Ecclesiis pontifices, sacerdotes, &c. Horum iudi-
cia non tribuantur Ecclesiæ Dei. Nam prædixit vox diuina, non solum extra Ecclesiam Dei mul-
tos Euangelium oppugnaturos esse quales sunt Ethnici, Mahometistæ, &c. sed etiam in hoc ipso cœ-
tu, qui titulum habet Ecclesiæ Dei, magnam fore multitudinem fascinatam prauis opinionibus. Sic
Flaccus Illyric.
Petrus nos monet; Fuerunt*, inquit, *Pseudoprophetæ in populo: sic inter vos erunt.* Hæc illa Apo-
Magdeburg.
logia. Vt autem hoc probaretur, contexuit Flaccus Illyricus catalogum illum suum te-
stium veritatis, vt loquitur, ostendere volens per omnes ætates fuisse quibus Papæ regnum F
displiceret. Eadem quoque opera Magdeburgenses Centurias suas confecerunt, vt osten-
derent videlicet per singulos centenarios ab Apostolorum tēporibus, ad nostram vsque ætatē
fuisse in Ecclesia, qui nouis hodie ipsorum dogmatibus suffragarentur: tacitè saltem & clan-
culum, licet generalis & publicus Ecclesiarum vsus contrà sentiret. Huic ergo sententiæ per-
tinacissimè hodie innituntur Protestantes omnes, & longè solidissimum atque validissimum
istud ab Ecclesiæ certitudine argumentum, hac specie eludere se posse existimant. Certissimè
enim sibi persuadēt aut certè aliis persuadere volunt, non defuisse per omnes ætates, qui ea-
dem cum ipsis sentirent; pauciores licet, & à Papistarum (sic enim Catholicos vocant) mul-
titudine obrutos, atque potentia oppressos.

Vt huic argumēto quàm diligentissimè respondeamus, Primum non parem esse iustitiæ &
Tria deinceps demonstranda.
doctrinæ rationem in Ecclesia ostendemus, vt quia plures in Ecclesia peccēt, propterea quo-
que & plures in Ecclesia errent: Deinde electos, siue reliquias seu denique Ecclesias, quales
aduersarij fingunt, per omnes ætates non fuisse. Postremò si qui tales fuerint eos Ecclesiæ
An peccare non possit Ecclesia sicuti non errare.
membra nec fuisse nec esse potuisse.

Quod ad primum attinet, sicuti dici non potest, errare Ecclesiam, ita nec com-
Lib. de vera religione cap. 6.
modè dicitur peccare Ecclesiam. Quamuis enim plurimi in Ecclesia peccent, & ha-
beant interdum carnales opiniones, vt verè dixerit beatus Augustinus, *Carnales suos,
id est,*

A *id est, viuentes aut sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat Ecclesia.* Tamen non sic peccat vel errat Ecclesia, vt peccatum aut errorem aliquando approbet. Nam vt Augustinus eodem in loco subiungit, *Tandiu sustinetur peccatum au error cuiuslibet, donec aut accusatorem inueniat qui peccauit, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat, qui errat.* Et hoc quidem sensu non minus seruatur in regno Christi iustitia quàm veritas. Prohibetur enim iniustitia, & cognita punitur, sicuti exploditur error pertinax. Rursum etsi aliquo sensu dici potest Ecclesiam peccare, quia non solùm carnales, sed etiam ipsi spirituales in Ecclesia absq; peccato non sunt; tamen non similiter errare Ecclesia dicitur. In iis enim quæ ad fidem pertinent, & ad doctrinā necessariam, ne ipsi quidem carnales in Ecclesia errant: etsi enim, *ad sincerissimæ sapientiæ cognitionem in Ecclesia Catholica pauci spirituales in hac vita perueniunt, Cæteram tamen turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutam facit,* ait Augustinus. [cont. epist. fundamenti cap. 4.] In hac ergo duplici consideratione non potest propriè aut commodè dici Ecclesiam errare. Hoc enim cùm dicitur, vel erroris approbationem, vel in rebus necessariis falsam opinionem sonat: Et sic volunt aduersarij errare Ecclesiam, quod tamen fieri non posse ex certis differentiis ostendemus. Primùm enim longè maiorem rationem veritatis, & doctrinæ sanæ, quàm morum integritatis habere semper Ecclesia coacta est. [*Non perinde error toleratur in ecclesia ac peccatum.*] In hac enim graues defectus tolerauit, in illa nullos. Itaque de peccatis in Ecclesia sic scribit Augustinus. *Ad sanam doctrinā pertinet canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ tolerare: Et canibus sanctum, vbi pax Ecclesiæ tuta est, non dare.* [De fide & operibus ca. 5.] Nam vt alibi

B monet, *seueritas exercenda est in peccata paucorum, docendum autē, monendum ex Scripturis, comminandum in multitudine peccantiū.* [Epist. 64.] Denique, *aliud est quod docemus, aliud est quod sustinemus: Alia est disciplina Christianorum, aliud luxuria vinolentorum,* ait idem Augustinus contra Faustū Manichæum. [Lib. 20. ca. 21.] Sic circa peccatores se gerit Ecclesia. At verò in doctrinæ & fidei integritate ne minimum quidem errorem aut pertinaciter susceptum tolerat, aut publicè prolatū dissimulat. [*Ne minimos quidem errores Ecclesia tolerat.*] De qua Ecclesiæ Catholicæ diligentia superius disputatum est circa notas Ecclesiæ ab hæreticis cōfictas. [Suprà lib. 1. cap. 18.] Huius autem rei Argumentū euidēs, sunt *innumerabiles hæreses ab Ecclesia eiectæ*, vt docet Augustinus, in libro de vera religione. [Cap. 5.] Rursum peccator & sceleratus quicunque ad Ecclesiam pertinere potest, vt in principio ostensum est. Deuius autem à fide pertinaciter ad Ecclesiam pertinere non potest. Iam enim à fundamēto excidit quod fides est, & seipsum sua pertinacia præscidit, *proprio suo iudicio condemnatus* (vt Apostolus loquitur.) [Tit 3.] De qua re sic Augustinus. [De vnitate ecclesiæ cap. vltimo.] *Tunc quisque infructuosus & nondum à radice præcisus est, cùm mala cupiditate agit quidem opera illa, quibus dictum est. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Sed cùm pro ipsis operibus malis, etiam veritati apertissimæ qua redarguitur, resistere cœperit, tunc præciditur.* Hæc ille. Postremò, doctrinæ sanæ stabilitas promissa est Ecclesiæ. *Docebit vos omnem veritatem.* [Ioan. 17.] *Columna & firmamentum veritatis.* [1. Tim. 3.] Oratur pro fide Petri, *vt non deficiat.* [Luc. 22.] *Si Ecclesiam non audierit,* corripientem videlicet. [Matth. 18.] *Qui vos audit,* scilicet docentes, *me audit.* [Luc. 10.] At verò vitæ puritas adeò non promittitur, vt moneat disertè Saluator. *Quæ dicunt facite, quæ faciūt nolite facere,* aliaque multa in eam sententiam vt posteà suo loco ostendetur. [Lib. 3. cap. 9. & seq.]

C

Sententia Protestantum, quòd per omnes ætates fuerint aliqui fideles, eadem cum ipsis sentientes in orbe Christiano noti & visibiles, confutatur.

CAPVT VII.

VNC ad secundam partem responsionis veniamus, & non extitisse per omnes ætates electos aut reliquias, quales protestantes fingunt, ostendamus. Qua in re historia priorum seculorum summatim percurrenda est. Constat ergo ante Lutheri in Saxonia apostasiam, quæ anno 1517. cœpit, nullum in religione dissidium extitisse, sed *credentium omnium cor vnū & animam vnam fuisse.* Ipsi autem Luthero tanquā nouatori vndiq; contradictum est. Romanus pōtifex Leo decimus, Comitiis habitis primū Augustæ Vindelicorū per Caietanum legatū suum, deinde Vvormatiæ de eo corrigēdo, his frustrà tentatis, articulos eius quadraginta & vnū edita Bulla dānauit. Imperatoris quoq; edicto

Luther. hæresis nouitas & initia.

exulat. Academiæ non solùm Heidelbergensis, Moguntina & Coloniensis in Germania, sed D
etiam Parisiensis in Gallia, & Louaniensis in Belgio editis articulis hominis doctrinam damnarunt. Libelli eius passim in Germania publicè comburebantur, iubente imperatore. Omnium gentium, ad quas fama Lutheranæ hæresis peruenire potuit, docti viri scriptis libris nouam doctrinam confutarunt. In ipsa Germania Eckius, Pigghius, Coclæus, Gropperus, Erasmus, aliique plurimi. In Belgio Latomus, Tappetus, Driedon, & alij. In Gallia Ioannes Faber. In Hispania Soto & Alphonsus. In Italia Sadoletus & Contarenus. In Anglia Roffensis, Thomas Morus. Sic vndique à voce Ecclesiæ pro hæretico notatur & proclamatur. Non vnus inuentus est in orbe episcopus aut Apostolorum successor, qui Luthero applauderet. Manus omniũ contra ipsum, & manus eius contra omnes, vt de eiecto Ismaele notat Scriptura. Nec Lutherus electos aliquos toto orbe dispersos, quales fingunt latuisse Protestantes, quibus se adiungeret, habebat. Sed qui se illi iungebant, erant Apostatæ nostri, & qui exierunt ex nobis, non præexistentes aliqui Euangelici vel Protestantes. Ad hunc modum Prosper in libro de ingratis ostendit Pelagianæ hæresi statim initio à præcipuis totius orbis Episcopis & Doctoribus restitum fuisse, partim decretis saluberrimis, partim scriptis & disputationibus doctissimis. Recitat enim Romanæ sedis & Orientis Sententias, D. Hieronymi scripta, Attici Constantinopolitani, Ephesi, Siciliæ & Africæ Episcoporum labores, Augustinũ imprimis, Synodos quoque Africanas & Palestinam, omnes vno ore Pelagianam hæresim condemnantes. Ante Lutherum totis centum & ampliùs annis, Romanæ Ecclesiæ, id est Catholicæ, nulla omnino ex parte contradictum est. Sed anno millesimo quadringentesimo E
octauo, extitit in Bohæmia secta quædam Hussitarum à Vvicleffo, qui paulò antè, venenum illud sparserat, exorta, & aliqua ex parte Lutheranæ consensit. Cæterùm incendium hoc citò Ecclesia Catholica extinxit, & conuocato Concilio generali Constantiensi sublatis ducibus postquàm 40. annis plus minus Bohæmiam illa pestis vastasset, penitus deletum est. Vide Æneam Syluium de origine Bohæmorum. Ante Vvicleffum totis ducẽtis annis nihil præsentibus hæresibus simile auditum est. Sed circa annum millesimum ducentesimum Albigẽses in Gallia & Almaricus quidam similia quædam dogmata sparserunt. Cæterum Sancti Dominici & Ordinis prædicatorum hac occasione instituti singulari diligentia citò repressi sunt. De qua re vide Paulum Æmilium & Gaguinum. Præcesserunt Albigenses sexaginta plus minùs annis Vvaldenses siue pauperes de Lugduno. Et eodem ferè tempore Henriciani, & Petrus quidam Abailhardus, qui similia Protestantibus nostris docuerunt. Sed hi omnes, partim Romanorum Pontificum diligentia repressi, vocato contra Vvaldenses Concilio generali Lateranensi, per Alexandrum tertium; contra Albigenses per Innocentium secundum; altero quoque cõcilio generali Lateranensi: partim diui Bernardi aliorúmque scriptis doctissimis confutati, citò quoque euanuerunt. Vide Bernardum in epistolis & in Cantica Canticorum sermone 66. Ante hunc Henricum & Abailhardum centum plus minus annis vnus Berengarius vnica tantùm in re circa Eucharistiæ veritatem litem mouit, quam hodie Lutherus ex parte, sed Zuinglius in toto refricauit. Atqui nec sectatores suæ dementiæ habuit, nec ipse in hac sententia mori voluit. Ante horum quos diximus tempora, nihil Lutheranismo simile in Occidentali Ecclesia per multa secula auditum est. In Orienti Iconomachi (quales hodie omnes Protestantes sunt) annis sexaginta & ampliùs Ecclesiam Dei turbarunt. F
Nempe anno 715. Philippicus Imperator *primus Imaginum hostis legitur*, vt scribit Sabellicus Æneid. 8. lib. 5. Sed hunc Constantius Papa in Synodo Romæ habita dãnauit, vt scribit Platina in vita Cõstantini. Leo Isauricus in Philippici insania pergẽs, plures Orientis Episcopos ad suam sententiã pertraxit, licet eã ob rem plurimi Martyrio afficerẽtur, vt notat Sigisbertus in Chronicis ad annũ 727. Sed Occidẽtalis Ecclesia & sedes Apostolica hæresim vnanimiter damnauit, vocata ad hanc rem Synodo nongentorũ & triũ Episcoporũ Romam à Grægorio secundo, vt notat Sigisbertus in chronicis ad annum 733. Denique Constãtinus sextus huius Leonis filius, ita repugnãte Ecclesia hãc hæresim propagare cõtendit, vt queãdmodum notat Sigisbertus in Chronicis ad annũ 770. *plures sub hoc Cõstantino Imperatore in Oriente Martyriũ passi fuerint, quàm sub Decio, aut alio quouis Ethnico persecutore*. Sed paucis pòst annis sub nepote huius, Cõstantino septimo, & Irene matre, Niceno secũdo cõcilio generali, septimo in Oriẽti habito sub Adriano Papa primo, penitus sopita & extincta hæc hæresis est. Non defuerunt etiam ante hæc tempora, modò hic, modò illic, modò in hac, modò in illa ætate, qui similia Protestantibus dicerent: qualis erat circa annum Domini 400. in Gallia Vigilantius: In Italia Iouinianus: In Oriente Aërius, qui Martyrum & reliquiarum honorem, virginitatis votum

Act. 3.

Lutheranæ hæresi ex omni parte orbis Christiani contradictum est.

Sleidanus lib. 3.

Cařion lib. 3.

Sleidanus lib. 2.

Gen. 12.

Hussitarum secta Lutheranæ proxima.

Cap. 35.

Sectarum Lutheranæ similiũ enumeratio.

Lib. 6 hist.

Vvaldenses.

Epist. 187. & in seq.

Berengarius.

Iconomachi.

A votum & priuilegium, orationes pro defunctis cum nostris hodie Protestantibus negarunt. Sed hi omnes in Catalogo hæreticorum ab Augustino & Epiphanio ponuntur, & pro hæreticis ab Ecclesia reprobantur. Tales enim erant præcedentibus seculis Pelagiani, Manichæi, Donatistę, Nouatiani, Eunomiani, Vadiani, Pepusiani, quorum varias sententias & pleraque damnata dogmata, nostri hodie Protestantes resuscitarunt & amplexi sunt. Nam cum Pelagianis, infantibus Christianorum parentum absque Baptismo promittunt vitam æternam: Cum Manicheis liberum arbitrium tollunt & Deum authorē mali faciunt: Cum Eunomio solius fidei (quam docent) ad salutem sufficientiam astruunt. Cum Vadianis possessiones Ecclesiasticas regnum Satanæ nuncupant. Cum Pepusianis sacros ordines in Ecclesia confundunt. Cum Donatistis in solis bonis & electis Ecclesiam ponunt. Cum Nouatianis soluendi peccata verā & plenam potestatem ab Ecclesia tollunt. Hi sunt, si aliquando aliqui fuerunt, electi illi & firmi, siue reliquiæ quas supponunt Protestantes in Romana Ecclesia semper extitisse. Et hæc est Protestantum Ecclesia Catholica in paucis Sācta, in paucis fidelis, cùm totus intereà mundus tam intra Ecclesiam, quàm extra in mendaciis, & errore fluctuauerit. Sed isti quos putant electi, per omnes ætates, in perpetua duratione non extiterunt, vt ex hac breui enumeratione constat. Multi annorum & seculorum saltus, magna interualla intercesserunt, multis centenariis non apparuerunt. At Christi Ecclesia Catholica perpetua est: ipsi inquam electi vt illi Ecclesiam vocant, nunquam desinunt, nulla non ætate existunt. Quare vel hac sola ratione ad Ecclesiam Dei pertinere non possunt electi, quos fin-
B gunt extitisse semper Protestantes.

Protestantū maiores & electi.

Quòd etiamsi per omnes ætates tales fuissent satis noti, & visibiles, tamen ad electos, & veram Ecclesiam pertinere non potuerint.

CAPVT VIII.

CÆTERVM siue per interualla tantùm, vt nos iam ostendimus, siue per omnes ætates, vt Protestantes fingunt, fuerint tales homines, quales commemorauimus, qui in doctrina & religione similia cum Protestantibus docuerint, & senserint: tamen nec sic eos Ecclesiæ membra esse potuisse, aut pro electis & reliquiis à Deo conseruatis censeri, nunc ostendemus: quod secundo loco facturos nos dixeramus. (Nam hanc promissionem ad puram Ecclesiam electorum propriè pertinere omnes Protestantes volunt).

Primùm ergo si veri electi fuissent, nulla falsa Ecclesia, qualem illi Romanam & vniuersalem totius mundi fingunt, eos opprimere potuisset: Alioqui portæ inferi præualuissent con- *1. Ratio.*
C tra Ecclesiam Christi: Nec omnibus diebus vsque ad consummationē seculi fuisset cum Ecclesia Christus: Denique tot alia testimonia Sacræ Scripturæ in Psalmis, Prophetis, & Euangelio, de Ecclesiæ Christi perpetuitate & firmitate iam allegata, mendacia & falsa deprehenderentur. Præterea (quod notandum valdè est) Spiritus Sanctus cùm hæreses contra Ecclesiam exorituras prædicit, prouidentissimè præmonuit diu has non duraturas. Cùm enim dixisset Apostolus, *Scito quòd in nouißimis diebus*, hoc est, hac postrema mundi ætate, quæ totum est Ecclesiæ tempus *instabunt tempora periculosa, &c. Et quemadmodum Ioannes & Mambres restiterunt* Moysi, *ita & hi resistent veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem*: (In quibus verbis tales describit Apostolus, quales Protestantes nos omnes esse dicunt, quotquot Romanæ Ecclesiæ adhæremus) immediatè subiungit, *Sed vltrà non proficient: Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus*: Manifestè docens non diuturnum fore, quòd huiusmodi homines præualebunt, sicuti & notauit in hoc loco Theodoretus. At verò si Protestantibus credimus, iam totis mille quingentis annis tales in Romana Ecclesia præualuerunt. Rursum cùm Petrus dixisset, *fuerūt Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erūt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis* (quem locum adfert Apologia Protestantum, vt in Ecclesia Romana errores præualuisse ostenderet) statim subiungit: *Quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat*. At verò quantum dormitasset, si tot annorum Centenariis in Ecclesia Romana Mendaces magistri præualuissent? Sic Ioan. in Apocal. cum de ligando diabolo do-

2. Tim. 3. Nullas hæreses durationem habere, quam habet Ecclesia.

Lib. 2. hæreticarum fabularum.

2. Petr. 2.

Apocal. cap. 20.

h iiij

D. [illegible] Capuccini

nec mille anni consummarentur, scripsisset, statim subijcit. *Post hæc oportet illum solui modico* D
tempore: Solutus autem hic fuit, si Protestantibus credimus, non modico, sed maximo tem-
Lib.13.cap.12. Hierem.30.
pore: nec tantùm post mille annos consummatos, totis iam ferè sexcentis annis, sed etiam in ipsis mille annis statim post Apostolorum tempora. *Ligatus enim fuit Diabolus*, ait Ioannes, *vt non ampliùs seduceret Gentes*, quas tamen seductas fuisse aiunt Protestantes. Rursum Hierem. describens futuras hæreses, (vt pulchrè rem explicat Augustinus contra Faustum) & dicens: *Perdix fouit quæ non peperit*, addit prouidentissimè, *in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens*. Hæc ille, ostendens hæreses non diu præualituras. Præualuit autem Ecclesia Romana, idque quàm diutissimè, adeò vt cæteras sectas omnes aboleuerit. Nempe est hoc veræ Ecclesiæ proprium, vt varijs modis impugnata semper præualeat, sicut Psal-

Psal.128.
mista in persona Ecclesiæ canit. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt*

Moralium lib.9.cap.7. Hæreticarum fabularum li.3.in principio. *Ecclesia propriũ esse cõtra omnes hæreses præualere.*
mihi. In quam sententiam multa & sæpè annotarunt patres: Qua de re breuitatis causa vide Gregorium magnum in Iob. Et Hilarium, de Trinitate lib.7. Ambrosium in Lucam lib.9. cap.10. Clementem Alexandrinum lib.6. Stromatum in fine libri. Augustinum in libro de vtilitate credendi cap.17. in fine capitis. Copiosissimè, & elegantissimè Chrysostomum Tom.3. in sermone de Pentecoste. Vnius Theodoreti verba attexam valdè ad rem pertinentia. *Sufficit*, inquit, *hæreticorum exitus ad eorum falsitatem conuincendam. Quod enim falsum est facile dissoluitur; firmæ autem & stabiles sunt veritatis vires Quocirca euanuerunt quidem diabolicæ operationis fabulæ: valuerunt autem & germinarunt Euãgeliorum dogmata Et cùm multi ea oppugnarint populi & populorum duces regésque ac Imperatores, permanserunt supra Petram collocata Eccle-* E
siæ fundamenta. Infaustarum autem execrandarumque hæreseon prædicatores fugerunt nullo perse-

Esai.51.
quente. Dei enim vox est in Esaia. Audite me qui timetis iustum populus meus, lex mea in cordibus eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timeatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea: salus autem mea in æternum erit & iustitia mea non deficiet. Hæc ille. Quæ quidem omnia dupliciter veritati seruiunt. Partim enim ostendunt Romanam Ecclesiam, quæ tot Centenarijs contra reliquas omnes hominum sententias præualuit, ipsam esse veram Ecclesiam; partim probant electos & reliquias, quas fingunt Protestantes, non potuisse vlla ratione Ecclesiæ membra esse; vt pote qui & rarissimè extiterint, & quandocunque extabant, vel obscuri vel oppressi fuerint, atque pro hæreticis damnati & extincti.

2.Ratio.
Prætereà ex istis electis vel per interualla emergentibus, vel (vt illi volunt) perpetuò existentibus, nulli erant Pastores, Doctores, Prophetæ, non Episcopi, non presbyteri, non Diaconi, non cæteri ministri, qui publica Ecclesiæ officia publicè administrarent, & sine quibus nulla est Ecclesia. *Neque enim Ecclesia est, quæ non habet sacerdotem* (ait Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos) non magis quàm sine magistratu, iudicibus, & legum ministris, ciuitas, respublica aut regnum. Hæc enim omnia officia in regno Papæ, vt horum hominum verbis vtamur, à pontificibus prophanis, indoctis sacerdotibus, & auaris Monachis administraban-

Obiectionis remotio.
tur. Sed vocat hoc totum Melanchthon humanæ politiæ præposteram æmulationem, exigere videlicet Ecclesiæ formam ad humanarum politiarum normam. At Saluator hoc apertè F
nos docuit. Vocat enim Ecclesiam suam, *Ciuitatem supra montem positam*: describit in ea *patrẽfamilias qui sciat dare tritici mensuram in tempore*. Voluit *quosdam ligare & soluere, prædicare &*

Ecclesia habet politiam externam. Matth.15. Luc.12. Ioan.20. Matth.vlt. 1.Tim.3. Ephes.4.
docere, Nosse mysteria regni cælorum: Matth.13. Alios verò *Audire* docentes, *& non spernere*: Luc.10. *Audire Ecclesiã* ne habeatur pro ethnico: Matth.18. & *discere in parabolis*. Matt.16. Sic Apostolus vocat Ecclesiam *domum Dei*: Et vult omnia *secundum ordinem fieri*. 1.Cor.14. Dicit quoque in ea à Christo *positos esse Pastores, Doctores, &c.* Hæc omnia politica sunt, non quidem ex humanis placitis, sed ex diuinis legibus per Spiritum Sanctum ministerio ecclesiæ datis. Quâ tota formâ electi isti penitus caruerunt. Non erant ergo Ecclesia Dei.

3.Ratio. *Protestantum electi sunt damnati hæretici.*
Rursum eadem Ecclesia hos omnes electos, id est, præallegatas hæreticorum sectas suo quasque tempore emergentes hæreticas esse pronunciauit, & eorum dogmata damnauit. Eadem, inquam, quæ olim Valentinianos, Marcionitas, Sabellianos, Tatianos, Arrianos, Macedonianos, Nestorianos, eutichetas, Monothelitas, & alias omnes hæreticorum factiones damnauerat: Romana scilicet ecclesia cum reliquis sibi subiectis. Quòd si errauit Romana damnans Vigilantium, Iouinianum, Aërium, Berengarium, Iconomachos, albigenses, Valdenses, Hussitas, Lutheranos, & Caluinistas & cæteros, certe errasse etiam poterat damnando Valentinianos, Marcionitas, & reliquas citatas hæreses. Quo enim iure Lutherani, Hussitæ, & alij dicunt se quidem iniquè à Romana ecclesia dãnatos fuisse cæteros verò meritò, & optimo

A & optimo iure,eodem profectò iure dicent Valentiniani, cæterique omnes citati hæretici se immeritò damnatos esse, cæteros verò merito & optimo iure. Sed vt vna est Ecclesia, quæ omnes hęreticos hactenus damnauit, Romana scilicet,cum cæteris gentibus in sua communione manentibus;sic quotquot illa damnauit hæretici pro certo sunt. Datus est enim Ecclesiæ spiritus veritatis, qui *in æternum maneret* & † *omnem veritatem doceret*: Non qui per interualla adesset, & aliquam veritatem doceret; in aliis autem horrendè errare permitteret.

** Nota, Omnē veritatem.*

Denique si iam enumerati hæretici electi illi sunt & firmi, penes quos constitisse hactenus Ecclesiam fingunt Protestantes;certè non solùm nostro,sed & ipsorum Protestantium iudicio ex hæreticis constabit Ecclesia. Nam vt Manichæos,Pelagianos,Donatistas,Nouatianos & alios omittam;quorum etsi quædam dogmata approbent,vt ostendimus,tamen eos apertè exhorrent & damnant;vt propterea eorum iudicio electi esse non possint:etiam alij illi Iconomachi, Albigenses, Vvaldenses, Hussitæ, Vigilantius, Iouinianus, Aërius quorum nomina isti homines complectuntur & venerantur,duas ob causas easque grauissimas,etiam ipsorum Protestantium iudicio, necessariò pro hęreticis habendi sunt. Etenim plerique illorum præter illa dogmata cum Protestantibus hodie communia, alias graues hæreses ab ipsis Protestantibus damnatas tenuerunt & professi sunt. Aërius enim qui orationem pro defunctis negauit,pariter Arianam hæresim tenuit,vt describit Epiphanius Iouinianus, quem in veterū patrum contemptum libenter amplectitur & publicè laudat Lutherus in libello de votis Monasticis, fœdos præterea errores habuit,*peccata videlicet omnia esse paria: Et post baptismum peccare hominem non posse*,vt commemorat Augustinus ad Quod vult Deum. Quos errores non

4. Ratio.

Protestantiū electi etiam ipsorū iudicio sunt hæretici.

1. Causa.
Aërius
Hæres. 75.
Iouinianus.

B probant Lutherani. Constantinus Copronymus maximus Iconomachus B. virginem Deiparam negauit, venerem coluit, & victimas humanas dæmonibus obtulit, vt scribit Suidas. Petrus Abailhardus, vt multa Protestantibus similia docuit,ita grauissimos preterea errores professus est,& editis libris euulgabat;de Sancta Trinitate,de genitura filij Dei,de processione Spiritus sancti,de anima & persona Christi,vt enumerat Diuus Bernardus:& plenius confutat Epistola.190. A quibus abhorrent etiam Protestantes. Vvaldenses etsi in multis cum Protestantibus nostris conuenirent,tamen certos errores habebant infandissimos, *vt omnem carnalem commixtionem esse licitam. Item nullum iudicem posse pœnam capitalem homini infligere*. Quæ omnia scribit de illis,Guido Carmelita in sua summa de hæresibus. Similiter Albigensium dogmata etsi in variis cum Protestantibus conueniant, tamen in veritate Eucharistiæ nec Lutheri nec Caluini doctrinam,sed Brentij vbiquitatem referunt,docentes sic in pane esse corpus Christi,sicut in aliis rebus omnibus,vt commemorat Paulus Æmilius. Ioannem Huss.& Hieronymum Pragensem quamuis exosculantur hodie & mirificè extollunt Protestantes,vt eos Sanctos vocet Lutherus in libro de Seruo Arbitrio, & illos exempli causa adferat Melanchthon pro cœtu visibili veræ Ecclesiæ, in responsione ad quartū articulum Bauaricæ Inquisitionis;tamen damnata alia dogmata,hi homines præterea docuerunt:vt disertè notat Henricus Pantaleon homo Lutheranus in sua Chronographia dicens,*sectæ Hussitarum varios articulos esse partim recipiendos,partim diligenter reiiciendos à Piis*. Illos autem videre

Hæres. 82.
Abailhardus.
Epistol. 188.
Vvaldenses.
Albigenses.
Histor. lib. 6.
Vvicleff.
Huss.

C licet apud Æneam Syluium,libro de Origine Bohœmorum,cap.35.& tomo.3.Conciliorum in Concilio Constantiensi.sessione 12.& sequentibus. Item apud Thomā Vvaldensem Doctrinalis fidei lib.1.cap.34 38.& 42. Hæc itaque prima causa est propter quam ipsorum Protestantum iudicio non possunt hi omnes electi esse,ex quibus hactenus Ecclesia constiterit, quia videlicet varias hęreses pariter asseruerunt, ipsorum Protestātum iudicio damnatas. Fides enim ita integra & incorrupta esse debet,vt propterea Ecclesiam definierit Melanchthon, *Cœtū huiusmodi qui verbum teneat incorruptum*. Quin & notam veræ Ecclesiæ,doctrinæ puritatem omnes hodie Protestantes posuerunt. Neque verò iuuat hic respondere (quod faciunt aliqui Protestantes) vel mundi tantum iudicio hos pro hæreticis habitos, vel saltem in illis quæ cum Protestantibus tenuerunt,hæreticos non fuisse. Nam non mundi sed Ecclesiæ Christianę atque Catholicæ iudicio,in Conciliis damnati,à S. Patribus cōfutati,in doctorum historiis pro hæreticis notati fuerunt. Et ob ea ipsa dogmata, quæ cum Protestantibus tenuerunt,pro huiusmodi hæretici habiti & damnati extiterunt.

Obiectionum Remotio.

2. Causa.

Alia causa est, quòd videlicet tam isti posterius commemorati, fœdis hisce erroribus impliciti,quàm alij illi Iconomachi, Vadiani, Vigilantius, & si qui alij sunt Protestantium hodie placita professi; etsi aliis hæresibus(quod quidem legitur) impliciti non fuerint,tamen idcirco Protestantū iudicio ad Ecclesiā pertinere non possunt,quia in plurimis aliis dogmatibus à

5. Ratio.

Protestantium doctrina abhorrebant,& Catholicam fidem amplexi sunt. Iconomachi enim in solo imaginum & Sanctorum, Vigilantius in solo reliquiarum contemptu, Vadiani in solis Ecclesiæ possessionibus condemnandis,cum nostris hodie Protestantibus conueniebant: in cæteris omnibus dogmatibus,cum Catholica conspirabant. Alioqui enim & cæteri eorum hac in parte errores notati atque taxati fuissent, sicuti illi alij fuerunt, si cæteros habuissent. Non possunt ergo ipsorum Protestantium iudicio,tales homines pro Ecclesiæ electis haberi, aut ad Ecclesiæ membra pertinere. Obserua autem hic diligenter, quòd etsi in hac fortasse enumeratione nostra aliqui prætermissi fuerint, qui eadem quæ hodie Protestantes docuerint & crediderint; Tamen non posse alios ab ipsis in hac parte nominari, quàm qui olim pro hæreticis condemnati fuerint; Non alios etiam quàm huiusmodi in quibus duplex illa, quã ostendimus, causa vel certè altera illarum locum habeat. D

6. Ratio. Obserua Postremò, cùm tot hodie hæreses Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum,& multorum prætereà nominum grassentur, fieri non posse, vt latentes illi electi, vel reliquiæ cum Protestantium hodie Ecclesia conuenerint: Sed si ad vnam sectam, putà Lutheranorum pertinerent, necesse esse, vt ab alijs discreparint.

Alia sententia, quòd saltem in occultis electis Ecclesia perseuerauerit, euertitur.

E

CAPVT IX.

De occultis electis commenta Protestantium.

Commentum primum.

QVÒD si verò ab hoc loco deiecti Protestantes ad id confugere velint (quod quidem & passim faciunt, sicuti eorum scripta declarant) vt dicant, *Nihilominus aliquos semper extitisse, qui idem cum illis senserint, licet cum cæteris admixti communi ritu vixerint, etsi latuerint huiusmodi, nec per maiorum nostrorum monumenta constet vbi tales vixerint, aut quales fuerint*, vt semel omnis ansa tergiuersationis tollatur, etiam hoc euertemus. Etenim latentes isti electi, aut publicè fidem suam professi sunt,& receptã in orbe doctrinam apertè damnarunt viuẽdo & docendo, vt hodie Protestantes; aut clancularij tantùm fideles erant, qui communi more atque ritu viuebant, etsi aliter sentientes. Si primum factum fuisset, alterum ex his consequi necesse esset. Nempe, aut publica illa tum ministrorum doctrina, tum cæterorum confessio obtinuisset, & falsam Ecclesiam subiugasset, quod est veritatis vi proprium: aut infœliciter succubuisset, idque inter Ecclesiæ illius externæ,&(vt illi fingunt) falsæ res gestas, commemoratum fuisset, sicuti de Hussitis, Valdensibus,& aliis commemoratum fuit. Nunc verò cum totis his mille quingentis annis hæc electorum Ecclesia nec obtinuerit, vt se per omnes gentes propagare posset (quod futurum Saluator & omnes Prophetæ copiosè prædixerunt) nec succubuisse commemorata fuerit, profectò omnem impudentiam superat, talem aliquam latentem Ecclesiam confingere. Si alterum factum fuisset, etiam hæc imaginatio impia est, quæque sibi constare non potest. Neque enim pro electis habendi vllo modo sunt, qui aliud tacitè credunt, aliud publicè faciunt. F
Rom. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confitemur ad salutem.* Et de suis electis dicit Saluator.
Luc. 8. *Qui me erubuerit coram hominibus, & ego erubescam eum coram patre meo.* Denique de falsis
2. Epist. Ioan. Matth. 7. magistris dicit Scriptura. *Nolite eis Aut dicere, Attendite vobis à falsis prophetis. Et oues meæ* (ait
Ioan. 10. Christus) *non solum alienum non sequuntur sed & fugiunt ab eo.* Et de idolorum commercio ait
2. Cor. 6. Apostolus, *Qui consensus templi Dei cum idolis?* Non ergo electi esse poterant, qui cum idolarris, & Antichristi membris (Tales enim nos & maiores nostros, Protestantes esse volunt) modis omnibus externis communicabant, solo animo alieni. Alioquin si fas olim illud erat aliarum ætatum electis, quidni,& hodie idem Protestantes faciunt, & seruata Ecclesiæ Romanæ cõmunione absque schismate, absque tumultu, solo animo & conscientia teste, nos auersantur?

Commentum secundum. *Reuelata*, inquiunt, *iam nobis veritas, & lux Euangelij restituta, hoc nos ampliùs facere non patitur. Illos inuincibilis quædam ignorantia, & pia quædam crudelitas excusatos coram Deo habuit.* At verò, vt hoc ita esse ponamus, non sic tamen excusari maiores nostri potuerunt, quibus ista lux reuelata non fuit: Quod illa apud Ezechielem Dei verba euidenter ostendunt.
Ezech. 3. *Si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaueris, &c. Ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram;* Hic enim tam pastor, quàm populus periturus dicitur, nisi

reuelata

A reuelata & annunciata doctrina vera ad Dominum conuertantur. Sic Apostolus scripsit. [1. Cor. 14.] *Qui ignorat ignorabitur.* Et de huiusmodi quales maiores nostros fuisse fingunt hodie Protestantes, Saluator dicit. [Matth. 15.] *Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt.* Non itaque ignorantia priora secula excusare potuit, quin ambo tam pastor, quàm populus in foueam damnationis caderent. Inuincibilis enim ignorantia non versatur circa ea quæ tenetur quis scire, sed eorũ est quorum nec potest nec tenetur quis ignorantiam vincere. Quo quidem in genere non magis illi commentitij electi, quàm toto orbe Pagani, qui de Christo nunquam audierunt, excusari poterant. [Lib. de ouibus. cap. 16.] Omnem ergo impudentiam superat, latentes tales electos fingere, qui vbi aut quomodo extiterint nemini constet, vt meritò August. dixerit. *Si quis dixerit, fortè sunt aliquæ oues Dei, nescio vbi quas curat Deus, & illas non noui, absurdus est nimis humano sensui qui talia cogitat.* Sed vnus Apostoli locus inuictè probat commentitios istos electos nullo modo extare potuisse, vbi videlicet dicit. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant.* Si enim Romana Ecclesia hæresis fuit, & isti commentitij electi probati illi sint, quos grassantibus hæresibus non defuturos Apost. dicit, [1. cor. 10.] oportet profectò illos manifestos fuisse orbi & ecclesiæ cognitos. At verò isti latuerunt, nec vsquam apparent. Non ergo vlla ratione vel illi ex probatorum numero esse vel Romana Ecclesia ad hæresim pertinere potest.

At distinguit hic Musculus oportunè (vt sibi videtur) de duplici errore. *Duo*, inquit, *sunt genera errorum, sicuti etiam errantium Christianorum; electorum videlicet & reproborum.* [commentũ iteratum. Musculi Ecclesiæ praeditur.] B *Vnum genus est quando veritas Dei prorsus deseritur, sic vt illam ne audire quidem sustineant amplius, de quibus Apostolus: A veritate ad fabulas aures auertent, & mittet illu Deus operationem erroru & credent mendacio. Et erunt homines attendentes spiritibus erroris.* [2. Tim. 4.] Sic Saluator. *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ. Alterum genus est quando erratur ex ignorantia in re aliqua, sic vt non interim discedatur à vera fide in Christum, cuiusmodi error venialis est.* [2. Thessal. 2. 1. Tim. 4. Matth. 24.] *Hoc genere potest Ecclesia errare in electis etiam, donec tempus perfectæ cognitionis aduenìat.* Hæc ille. Hoc ergo tempus nunc adesse vult Musculus, vt ante reuelationes Luthero factas error obtinuerit totam Ecclesiam: reprobos quidem primi generis error, electos verò posterioris generis. Sed meræ fraudes & imposturæ sunt quas adfert. Nam primùm, primi generis error non reproborum in Ecclesia, sed hæreticorum extra Ecclesiam est. De hæreticis enim loquitur, & hæreticos describit Apostolus, & Saluator in locis à Musculo citatis; vt ipsa verba inspecta satis ostendunt. Et certè qui errant ad mortem circa fidem, & in errore pertinaciter persistunt, non iam amplius ad militantem Ecclesiam spectãt, neque de numero vocatorum sunt; sed planè ab Ecclesia exierunt, proprio suo iudicio condemnati. Quare reprobi circa fidem non constituunt Ecclesiam errantem vt comminiscuntur Protestantes quam militantem vocant, vt aliquo sensu errare Ecclesiam posse doceant, sed pertinent ad Ciuitatem Diaboli, ad Babilonem, & ad non populũ Dei, vel vt magis propriè cum Augustino loquamur, *ad purgamenta Ecclesiæ* (lib. de vera religione cap. 5.) *ad Sarmenta præcisa de vitæ* (lib. de pastoribus cap. 8. *ad canes circumlatrantes Ecclesiam* (lib. de vtilitate credendi cap. 17. & tract. 1. in Epist. Ioan) Denique *ad nouam fabricam* C *ante murum, quæ ex domo Dei, non in domo est*, vt docet Augustinus in Orat. de 5. hæresibus tom. 6. & de baptis. contra Donatistas lib. 7. cap. 51. Deinde posterioris generis error est quidem in filiis Ecclesiæ, non tamen eo sensu quo fingit Musculus. Primùm enim talis error, seu potiùs ignorantia rei alicuius leuioris, non est in tota Ecclesia, sed tantum in quibusdam Ecclesiæ membris infirmioribus. Tali enim errore seu ignorantia laborabant Corinthij, cùm eis Apostolus diceret, *Lac vobis dedi potum, non escam: nondum enim poteratis, &c.* [1. cor. 3.] Item Philippenses, cùm eis scriberet. [Philip. 3.] *Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit.* [Gal. 6.] Tamen quia perfecti aliqui non deerunt, & ibi dicit: *Quicunque perfecti sumus hoc sentiamus*: & alibi monet, vt *qui Spirituales sunt, instruant alios in spiritu lenitatis.* Denique huiusmodi leues errores seu ignorantiæ non dominantur in Ecclesia, donec tempus aliquod perfectæ cognitionis adueniat, vt [Philip. 3. vt supra.] Musculus dicit (quasi aliquo tempore tota erret Ecclesia) sed donec ipsis infirmioribus in Ecclesia, vel diuinitus reueletur, quod nesciunt, vt Philippenses sperare iubet Apostolus, vel à spiritualibus in Ecclesia ostendatur ac manifestè doceatur, cuius anteà capaces non erant: quales Corinthios & Hæbræos suos idem Apostolus fuisse notat. [Hebr. 5.] Postremò (quod huic loco proprium est, & maximè aduertendum) Musculus cum cæteris protestantibus quando Ecclesiam Romanam errasse dicunt, non leuiter errasse, aut in huiusmodi ignorantiis, quæ fundamentum & veram in Christo fidem pariter retinerent, eam lapsam fuisse dogmatisant, sed planè ipso fundamento excidisse, & teterrimis erroribus atque superstitionibus obrutã totã

fuisse. Vocat enim illã Musculus *scortum Antichristi, mancipium malorũ spirituum, officinã omnis generis mendaciorum*, Sic Caluinus fatetur sub Rom. Pont. Ecclesias esse, & semper fuisse; *sed quas sacrilega impietate profanarit, quas immani dominatione afflixerit, quas malis & exitialibus doctrinis corruperit, & propemodũ enecarit; in quibus semisepultus lateat Christus, obrutum Euangeliũ, profligata pietas, cultus Dei ferè abolitus: in quibus denique omnia sic sunt perturbata, vt Babilonis potius quàm ciuitatis Dei sanctæ facies illic appareat.* Hæc ille Inst. lib. 4. cap. 2. par. 12. Deniq; omniũ Protestantum nomine edita Apologia recenset valdè multa, in quibus Rom. Ecclesiam penitus à fide excidisse affirmat. Quæ omnia si vera sunt (vt sunt falsissima) nõ leuiter sed grauissimè nec ignoráter sed flagitiosè errauit tota Ecclesia. Vana ergo hoc loco distinctio illa de hæresi & errore. *At*, inquit Musculus, *quum hæc dico, non de electis qui adhuc in Rom. Ecclesia errãt, sed de omnibus qui in illa regnant & veritati aduersantur, loquor.* Scilicet imaginantur Protestantes, & nunc esse & semper olim fuisse in ipsa Rom. Ecclesia qui errent quidem & veritatem quam Protestantes se habere putant, ignorent; tamen non aduersantur ipsi veritati quam Protestantes docent, sed vel gemunt Ecclesiæ corruptelam (Spiritu intus mouente) vel certè tantisper errant donec (quia electi sunt, nec perseuerare in errore possunt) ad veritatem Protestãtum conuertantur. Sed mera est impostura & vanum commentum, ne dicam idolum hæc imaginatio. Posito enim tales fuisse & adhuc esse, illorum error non pertinet ad electorum errorem, qui in rebus leuioribus hallucinantur retento fundamento. Nam tales adhuc per Musculum aut ignorant prorsus veritatem, planéque consentiunt cæteris Romanę Ecclesiæ membris in tota doctrina, fide, religione, (& sic non in leui aliquo errore, sed in grauissimis mendaciorum tenebris iuxta illum tenentur sicut cæteri:) aut si sciunt veritatem ac tenent, & ideò electi sunt, iam nullo errore tenentur, ne leui quidem. Præterea nunc quum de Ecclesiæ errore agitur ex professo, propter manifestissimas Scripturas Ecclesiæ stabilitatem euidentissimè demonstrantes, errare quidem illam posse, sed in suis tantum reprobis circa fidem; quasi reprobi, circa fidem pars essent Ecclesiæ Dei, aut si in electis, certè leuiter admodum, & absque interitu veræ fidei, dicunt, vt sic Scripturas allegatas vel auadant, vel eludant. Contrà verò quando ad particulares Controuersias descenditur, & ex veteris Ecclesiæ & Catholicæ omniumque ætatum testimonio receptum, & approbatum fuisse ostenditur quod Catholici asserunt, ibi non in re aliqua leuiore, sed in rebus planè grauissimis omnem prorsus Ecclesiam à veritate excidisse, asserere non verentur. Sic enim ex ipsorum verbis suprà citatis copiosè audiuimus. Quibus accedere potest Ioan. Vvigandus homo stoicè Lutheranus, vnus ex quatuor illis Centuriastis Magdeburgensibus, in lib. quem inscripsit. *De bonis & malis Germaniæ admonitio. Secundum Germaniæ bonum seu beneficium est* (inquit) *præcipuorum articulorum fidei illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus huc vsque in hoc mundo non est cognita. Discrimen enim legis & Euangelij prorsus obliteratum fuit post Apostolorum tempora, sed per Lutheri ministerium dilucidè explicatum.* Et rursum. *Totũ corpus doctrinæ cœlestis tale est à Theologis Germaniæ traditum, quale in omnium patrum scriptis post Apostolos nullum inuenitur.* Hæc ille. Non ergo (vt hic Musculus calidè subterfugere conatur) quum errare posse, & errare Ecclesiam siue veterem siue recentiorem docent hodie Protestantes, de leuioribus illud erroribus intelligunt, sed de rebus grauissimis & huiusmodi, in quibus, si vera dicunt, exulauit penitus Christus, dominatus est Antichristus. Est ergo Musculi, & cæterorum Protestantum præcipuis argumentis contra perpetuam Ecclesiæ stabilitatem satisfactum. Nec alia rima iam superest qua euadere Lutherani solent, dum vel Ecclesiæ suæ iudicia & monimenta proferre, vel apertissimis Scripturis Ecclesiam perpetuam demonstrantibus respondere compelluntur.

Commentum quartum.

Protestantiũ dolus malus.

Supra cap. 4.

Ioan. Vvigandi accusatio in veterem Ecclesiam.

Caluini Sententia de reliquiis fidelium in ipsa Romana Ecclesia, euertitur.

CAPVT X.

A

Nvs tamen Caluinus qui post Musculum scripsit, nec libenter à Lutheranis discere voluit, aliam euadendi rimam commentus est. Ait enim Ecclesiam quidem perpetuò extitisse, nec errare, aut deficere aliquando posse. Sed cùm aliam in orbe his multis seculis non apparuisse Ecclesiam videat, quàm Romanam cum cæteris illi subiectis Ecclesiis, nouo & mirabili commento, dicit non esse quidem hanc Romanam cum cæteris Dei Ecclesiam, sed esse tamen in hac Romana veras Ecclesias. Quam suam sententiam post multas ambages verborum sic explicat. *In summa, in Papatu Ecclesias esse dico, quatenus populi sui reliquias vtcunque miserè dispersas, ac desertas illic mirabiliter Dominus conseruat. Et quatenus permanent aliquot Ecclesiæ Symbola, atque ea præsertim quorum efficacio nec Diaboli astutia, nec humana proteruitas destruere potest. Sed quòd è conuerso deletæ sunt illic notæ veræ Ecclesiæ* (intelligit puram doctrinam, & rectum sacramentorum vsum) *dico vnumquenque cœtum & totum corpus carere legitima Ecclesiæ forma.* Hæc ille. Dicit ergo esse Ecclesias in Papatu duabus de causis; partim quia reliquiæ seruantur (de qua ineptia iam copiosè disputatum est) partim quòd aliqua Ecclesiæ Symbola permanent, eáque quæ aboleri non poterant. Intelligit autem per Ecclesiæ Symbola, vnicum & solum Baptismum. Hunc enim solum in priori disputatione nominauit dicens. *Quum fœdus suum in Gallia, Italia, Germania, Hispania, Anglia Deus deposuerit, vbi illæ prouinciæ Antichristi tyrannide oppressæ sunt, quò tamen fœdus suum inuiolabile maneret, baptismum illic perpetuò conseruauit, fœderis testimonium, qui eius ore consecratus inuita humana impietate vim suam retinet. Deinde sua prouidentia effecit, vt aliæ quoque reliquiæ extarent, ne Ecclesia prorsus interiret.* Hæc ille. Sed quæ aliæ reliquiæ illæ sunt, nihil vulpes dicit. Nam ex Ecclesiæ Symbolis solum Baptismum nominat. Hunc ergo solum intelligit, & hunc solum Ecclesiæ relinquit. Hæc ergo prima fraus est, vt vnicum Baptismum relinquens, alia sacramenta concedere videatur. Alia fraus est, quòd hunc ipsum Baptismum (sibi planè contrarius) ab Ecclesia Romana auferat. Dixit enim deletas esse notas veræ Ecclesiæ in Romana Ecclesia. At verò altera ex notis est rectus sacramentorum vsus, quæ cùm per Caluinum duo tantùm sint, Baptismus & Cœna Domini; profectò deleri sacramenta non potuerunt, si Baptismus integer permansisset. Rursùm quale hoc commentum est, vt propter solum Baptismum fuerint in Papatu Ecclesiæ? *Quia*, inquit, *Baptismus est fœderis testimonium & ore Domini consecratus inuita humana impietate vim suam retinet.* Ad quod sophisma variis modis respondetur. Primùm enim, vt sint Ecclesiæ, siue electorum reliquiæ, non satis est illos per Baptismum renasci. Sed (vt ipsemet Caluinus præcedente capite, paragrapho 4. & 5. copiosè docuit) *oportet* prætereà, *vt quemadmodum Ecclesia nos concepit in vtero ac peperit, sic etiam alat suis vberibus: porro etiam sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, Neque enim patitur*, inquit, *nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli Ecclesiæ fuerimus.* Itaque docet *per educationem Ecclesiæ adolescentes nos in virilem ætatem oportere; per manus Ecclesiæ cibum animæ nobis porrigendum esse. Denique sub Ecclesiæ Magisterio vniuersam Euangelij prædicationem excipiendam esse.* Hæc ille. Non ergo satis est vt solus baptismus integer superfuerit in Papatu, qui perpetuò peperit filios Dei; sed oportuit prætereà alia sacramenta integra similiter permanere, quibus alerentur iam natæ proles, quale est Sacramentum Cœnæ Domini. Oportuit ordinem saluum esse in quo Doctores & Pastores essent perpetuò instituendi. Oportuit claues integras manere, per quas esset remissio peccatorum. Deinde cur magis inuito mundo mansit Baptismus, quàm Cœna Domini, quàm ordo sacer, quàm claues in Ecclesia, & cætera sacramenta? Certè cùm hæc alia ore Domini etiam consecrata, & instituta fuerint, perinde ac baptismus, nec minus etiam ad perficiendam salutem filiorum Dei necessaria, quàm Baptismus (Teste etiam Caluino) denique cùm eisdem personis tam cæterorum Sacramentorum, quàm baptismi administratio, atque ipsa verbi prædicatio à Christo Domino concredita fuerit, debuerunt illa omnia inuito mundo, non minùs integra permanere quàm Baptismus? Profectò doctrina sana, salus, iustitia sempiterna, lex Dei scripta in cordibus, spiritus veritatis Ecclesiæ promittuntur, quæ non in solo Baptismo consistunt. Manserunt ergo & illa inuito mundo. Sed simili quodam conatur rem illustrare, ex forma videlicet veteris Synagogæ. Ait enim. *Vt manebant olim inter Iudæos peculiares quædam Ecclesiæ prærogatiuæ, ita*

[Margin notes: Commentum aliud Caluini. — Inst. lib. 4. cap. 2. in fine. — 3. fraus. Putidum Caluini sophisma in re grauissima.]

[Margin letters: B, C]

nunc in Papatu manere. Has autem prærogatiuas exprimit in sola Circuncisione: docens D *illam in veteri populo sic remãsisse, vt propter illam solam fuerint inter Iudæos reliquiæ, licet totum Synagogæ corpus formam Ecclesiæ non haberet*: sed (vt in præcedenti paragra. scribit) *profanum esset conuenticulum*. Cui commento breuiter respondemus ex ipso Caluino; (nam de re ipsa latiùs anteà actum est) Quum pessimè illa Synagoga haberet, scilicet veniẽte Christo, tamen erat Hierosolymis verus sacrificiorum, & cæremoniarum cæterarum præter circuncisionem cultus, & vera Ecclesia. *Nisi enim* (ait Caluinus ipse) *tunc fuisset Hierosolymis Ecclesia, nunquam sacrificiis aliisque cæremoniis communicasset Christus*; Hæc ille in Epistol. nuncupatoria Instit. libr. præfixa. Rursum tempore illo quo Sancti Prophetæ Esaias, Hieremias, & alij maximè Synagogam reprehendebant, *non tamen propterea* (ait ipse Caluinus) *nouas sibi Ecclesias erigebant, aut noua altaria extruebant Prophetæ, in quibus separata sacrificia haberent, sed qualescunque essent homines, quia tamen reputabant Dominum apud eos verbum suum deposuisse, & cæremonias instituisse quibus illic colebatur, in medio impiorum cætu puras ad Deum manus extollebant*. Hæc ille. Ecce habuit Synagoga, tum cùm esset corruptissima, præter circuncisionem sacrificia legitima, verbum Dei, & cæremonias à Deo institutas, ipso teste Caluino; adeóque Dei Ecclesia illa Synagoga fuit, vt se ab illa Sancti Prophetæ separare noluerint. Nihil ergo simile cum Romana Ecclesia habet ille Synagogæ status, quando hic Caluinus solum Baptismum relinquit, & Ecclesiæ nomen, ac rem penitus tollit: ibi autem fuerit vera Dei ecclesia & re & nomine; nec sola Circuncisione, sed cæteris omnibus sacrificiis, E & cæremoniis à Deo institutis ac fide vera celebris & integra, vtcunque moribus infamis & corrupta. Postremò, si Caluino credimus, nec ipse Baptismus in Papatu integer permansit. *Plurimis enim*, vt ille censet, *cæremoniis deformatus, & superstitionibus inquinatus est, multa etiam falsa doctrina deprauatus.*

Institu. lib. 4. cap. 2. par. 11.

Lib. 2. cap. 10. & seq.

Instit. lib. 4. ca. 1. para. 18.

Portentosum Caluini Commentum.

Iam verò quale istud monstrum, vt fuerint in Papatu Ecclesiæ, sed non fuerit ipse papatus Ecclesia? Quid est esse Ecclesias, nisi esse cœtus & societates fidelium? Si ergo tales fuerint in Papatu, profectò in eius communione fuerunt, ab illius matris vtero prodierunt, & in eius gremio vixerunt. Alioqui non in Papatu, sed extra Papatum aut iuxta Papatum erant tales fidelium cœtus. Sicuti nec in Ecclesia sunt vel schismatici, vel hæretici, sed extra & iuxta Ecclesiam; nec in ipsius schismatis aut hæresis societate sunt Ecclesiæ, aut cætus fidelium, sed planè extra illam. Monstrum ergo est, & Caluini proprium idolum esse in Papatu Ecclesias, sed non esse ipsum Papatum Ecclesiam. Perinde enim est ac si diceret, esse prolem in parentis domo, puta Salomonem in Dauidis arce, non tamen ad parentem pertinere illam domum, nec Dauidis esse illam arcem: Esse discipulos in Platonis schola, non tamen illius scholæ magistrum esse Platonem: Denique esse Ciues in Romana vrbe, non tamen illam vrbem esse Romam: Postremò, esse membra hominis in corpore, hominem tamen non habere corpus: Aut esse partes in tali toto, ipsum tamen, in quo sunt partes, non esse totum. Si voluit Caluinus Papatum nullo modo esse ipsam Ecclesiam, profectò non debuit in ea ponere Ecclesias. Neque enim Ecclesiæ vel Ecclesiarum reliquiæ alibi nascuntur, crescunt, adolescunt, perficiuntur, quàm in ipsa ecclesia. Sola Ecclesia est domus, schola, Ciuitas, corpus, & totum, vbi Ecclesiæ vel Ecclesiarum reliquiæ habitant, docentur, reguntur, vniuntur, continentur. Vnde Augustinus sic sapienter scribit. *Neque in communione Paganorum, neque in Purgamentis hæreticorum, neque in langore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda religio est, sed apud eos solos qui Christiani Catholici nominantur.* F

Similia.

In sola ecclesia nascũtur & cõseruantur ecclesiarum reliquiæ.

Lib. de vera rel. cap. 5.

Si ergo reliquiæ, quas fingit Caluinus, in Papatu semper extiterunt; eius profectò sacris communicabant, ab eius ministris & Pastoribus verbum Dei audiebant. Neque enim aliter in Papatu esse poterant, nisi hæc omnia præstitissent. Sed contrà, extra Papatum cum cæteris notissimis hæreticis eiecti fuissent. Hinc etiam sequitur, quòd ipse Papatus fuit vera Ecclesia, verum corpus christi, vera ciuitas & domus Dei, vera christi schola. Quemadmodum enim, vbicunq; est vera Ecclesia, in ea sunt fideles, sic vicissim vbicunque sunt fideles, illi sunt in Ecclesia. Neque enim alibi esse, aut extra illam esse possunt, vt ad christum pertineant. Neq; enim quemadmodum in Agro Dominico *superseminat inimicus homo zizania*, sic in agro zizaniorum seminat bonũ semen paterfamilias, sed tantùm in agro Domini sui. Nec quemadmodũ in Ouili grassantur lupi, ita inter lupos aluntur oues; sed tantùm in Ouili sub pastore suo aluntur, & *eius tantùm vocem audiunt, alienos fugiunt*. Caluinus ergo cũ concedit

Extra veram Ecclesiam non possunt esse fideles.

Ioan. 10.

A cedit esse & fuisse semper in Papatu ecclesias, necessariò concedere debet ipsum Papatum fuisse Ecclesiam. Præterea, si Caluino credimus, sic fuerunt in Papatu Ecclesiæ, vt illæ tamē sub Papæ tyrannide manserint, *& ita manserint, vt has sacrilega impietate prophanarit, immani dominatione afflixerit, malis & exitialibus doctrinis corruperit*: In his denique ecclesiis *semisepultum iacere Christum, obruptum Euangelium, profligatam pietatem*. Hæc ille. Hæc si vera sunt non poterant illæ in Papatu reliquiæ esse Ecclesiæ: non magis sanè, quàm si dicas; vniuersa hæc ciuitas rebellis est, tamen aliquos habet fideles, sed ita vt cum cæteris rebellent. Totus hic grex luporum est, aliquas tamen habet oues, sed tales, vt luporum rabie imbuantur. Totum corpus mortuum est, aliqua tamen pars viuit, sed ita vt nullo vitæ officio fungatur, Et infinita alia, quæ dici possent. Hæc autem omnia partim sunt contradictoria, quorū vtraque pars nunquam vera esse potest, partim sunt Paradoxa. Lib. 4 Institu. cap. 2. par. 11.

Postremò, in hac tota controuersia, non quæritur de Ecclesiis, sed de ecclesia; non de membris, sed de toto corpore. Credimus enim ecclesiam non Ecclesias. Christus *ædificauit Ecclesiam super Petram* non Ecclesias. Iubet *audiri Ecclesiam* non Ecclesias. Paulus ait *Ecclesiam*, non Ecclesias *esse firmamentum, &c.* Nisi ergo Ecclesiæ, quæ vna est, stabilitatem & perpetuitatem ostendat Caluinus, nihil facit, ne euanida christi promissio non videatur. Cæterùm mira fraude à toto corpore ad quædam membra; ab vniuerso ad partes disputationem transfert. Atque ita in quæstione de Ecclesiæ perpetuitate, non Ecclesiæ sed Ecclesiarum, vel potiùs reliquiarum nescio quarum perpetuitatem concludit, vt sic euanida non fuisse christi promissio videatur. Sed planè euanida est, nisi vnius ecclesiæ Catholicæ per B vniuersum orbem dispersæ perpetuitas ostendatur, cuius sanè partes omnes particulares Ecclesiæ vel ecclesiarum reliquiæ sunt. In Symbolo. Matth. 16. Matth. 18. 1. Tim. 3. 1. cor. 11.

Euertuntur argumenta quibus hanc suam sententiam confirmare nititur Caluinus.

CAPVT XI.

Sed videamus nunc qua ratione hoc monstrum suum tueatur. *Antichristum*, inquit, *in templo Dei sessurum, prædixerunt Daniel & Paulus. Ille capite 9. Hic. 2. Thess. 2. quibus verbis innuitur tale fore eius regnum, quod nec Christi nec Ecclesiæ nomen aboleat. Hinc igitur patet nos minimè negare quin sub eius quoque tyrannide Ecclesiæ maneant.* Hæc ille. Et hic est omnium Protestantum Achilles, vnicum & præcipuum argumētum, quo probent Romanam Ecclesiam esse regnum Antichristi, tale tamen vt in ea potuerint reliquiæ semper seruari, electi aliqui & Sancti contineri. Contra quam incredibilem hominum insaniam his paucis, sed potentissimis rationibus, breuiter agam. Si Romana Ecclesia C cum cæteris ei subiectis est regnū Antichristi, quum nulla alia Ecclesia in orbe appareat, imò cum ipsæmet reliquiæ quas fingunt aduersarij, non nisi in hac ecclesia & sub huius vmbraculo conseruatæ fuerint; profectò præualuit contra Christum antichristus, & contra veram ecclesiam, regnum eius. Nam præualuisse Romanam Ecclesiam contra has reliquias adeò fatentur aduersarii; vt scribat Musculus, *Ecclesiam veram in hac Romana, reproborum multitudine abundare, nequitia seduci, potentia supprimi. Huic Romanæ Ecclesias omnes esse subiectas: vsum omnium sacrorum in eius esse manibus, omnes denique coniuratos esse Antichristo, & tales vt luporum rabie imbuantur.* Idem, vt suprà audiuimus, copiose asserit Caluinus. Præualuit ergo per istos antichristus. At verò istud est cōtra plurimas illas & euidentissimas Scripturas quas iamiam produximus, & manifestum fecimus fieri non posse, vt præualeat vnquam Satanas, seu mundus cōtra Ecclesiam, stantibus Dei promissionibus. Rursum si Romana Ecclesia cum cæteris ei subiectis est regnū antichristi, nullam hactenus ab apostolorum tēpore habuit Christus ecclesiam, saltem conspicuā & orbi cognitam. Quas enim ob causas nūc regnare Antichristum dicunt aduersarij, propter easdem statim post apostolorū tēpora regnauit. Idq; non solū quia nostra hodie doctrina cū veteri ecclesia planè consentit, nobis sic asserentibus; sed etiam quia ipsimet aduersarij non minùs Institu. lib. 4. cap. 2. par. 12. 1. Refutatio. In loc. com. 2. Refutatio.

veterem illam Ecclesiam quàm præsentem damnant, sicuti ex eorum verbis copiosè D
3. Refutatio. iam ostendimus. Præterea si Romana Ecclesia cum cæteris ei subiectis regnum est Antichristi, ipse Antichristus seipsum destruxit. Omnes enim hæreses, quotquot hactenus fuerunt, à Romana Ecclesia damnatæ & profligatæ fuerunt. Aut ergo illæ omnes vt Arrij, Sabellij, Manichæi, Marcionis, & cæterorum non fuerunt hæreses, & malè à Romana Ecclesia damnatæ sunt, aut si fuerunt, Antichristus antichristum profligauit, & Satan Satanam expulit.
Matth. 12.
4. Refutatio. Hoc verò si factum fuisset, præterquam quod absurdissimum est & incredibile, quomodo tam diu eius regnum stetisset? *Omne enim regnum in se diuisum desolabitur.* Denique si Romana Ecclesia cum cæteris ei subiectis est regnum Antichristi; certè membra Antichristi fuerunt quotquot hodie pro Sanctis, pro Martyribus, pro patribus, doctoribus & Ecclesiæ luminibus, vnà nobiscum aduersarij venerantur, agnoscunt, & colunt. Hi enim omnes & Romanæ ecclesiæ membra fuerunt, & ipsius Romanæ ecclesiæ Authoritate & iudicio pro Sanctis & pro patribus coluntur & habentur.
5. Refutatio. Postremò, si hoc ita sit: Omnia sacramenta, fidei Symbolum, sacras Scripturas, & Christum ipsum Antichristus nos docuit. Nam à Romana Ecclesia hæc omnia accepimus, didicimus, tenemus. Quæ omnia si blasphemiæ & impietatis plena sunt, erit blasphemum, imò omnem blasphemiam superabit hoc Caluini & cæterorum Protestantium commentum. Et est profectò diligenter hic obseruanda incredibilis horum hominum blasphemia, in qua vna seipsos veros & ipsissimos esse Antichristos produnt,
1. Ioan. 2. de quibus Ioannes dixit. *Iam Antichristi multi sunt*: ministri videlicet & præcursores vnius E
Matth. 16. & magni illius Antichristi. Quum enim Christus Petro & soli Petro dixisset, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*:
Insignis Protestantium blasphemia. isti homines contrà dicunt: Contra Cathedram Petri portas inferi præualuisse, idque mox post ipsius Petri obitum sic præualuisse, vt in ipsa cathedra Petri (pro cuius solius fide christus orauit vt non deficeret) ipsemet Antichristus sederit his multis seculis.
Luc. 22. Quo nihil potest dici Christo Domino magis contrarium, & magis verè Antichristianum.

Respondetur ad locum Danielis & Apostoli. Sed quod ad Danielis & Apostoli locum attinet, patres omnes de illo vno Antichristo in fine seculi venturo illum locum exponunt, de quo apertè Saluator Iudæis dixit.
Ioan. 14. *Ego veni in nomine patris mei & non me recepistis, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* De quo vno Antichristo non solum in hunc Pauli locum commentatores omnes loquuntur, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Sedulius, Primasius, Haymo, Oecumenius, Sanctus Thomas; sed & præterea quoties de Antichristo sermo incidit, vnum singularem hominem eum esse docent. De qua re vide copiosè disputantem
Lib. 20. c. 19. Augustinum de Ciuitate Dei, & Hieronymum in Danielis cap. 7. & 11. Et ad Algasiam quæstion. 11. Vide etiam Irenæum, libri 5. Theodoretum in Epitome diuinorum decretorum: Gregorium, Moralium in Iob libr. 14. cap. 11. Hypolitum Mart. in libel. de consummatione mundi.
Quomodo Antichristus in templo Dei sedet. Quod autem in templo Dei sedere dicatur, non hoc innuitur, vt
Lib. 20 cap. 8. de Ciuit. Dei. vniuersum Ecclesiæ corpus Antichristus occupet; sed quòd multi de Ecclesia eum recipient, multi ad eum deficient, alijs etiam multis fortiter in fide persistentibus: Imò etiam *de nouo ad fidem accedentibus*, vt futurum non dubitat Augustinus. Sic rem exponit Sanctus Ambrosius lib. 10. cap. 21. in Lucam. Quinetiam si sic in templo Dei sederet, vt totum Ecclesiæ corpus obtineret, ad breue tamen momentum futurum id erat: nempe (vt descripserit Daniel) *vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis*, id est, per tres annos & dimidium.
cap. 7.
cap. 17. Quod etiam tempus expressit Ioannes in Apocalypsi, dicens; *Datam esse potestatem bestiæ per menses 42.* At per istos totis his mille quingentis annis in templo Dei sedit Antichristus. Quanquàm sanè, si aliorum Patrum sententiam sequimur, non in templo Dei quod est Ecclesia, sedebit Antichristus, sed in templo Hierosolymitano: quod quidem & tunc templum Dei erat, quum hęc Apostolus scriberet: & resuscitatum à Iudæis formam templi Dei & speciem habebit, licet verè tēplum Dei futurum ampliùs non sit cultu Iudaico. Hanc autem sententiam amplectitur Irenæus in fine lib. 5. contra hæreses. Hyppolitus quoque in Oratione de consummatione mundi. Cyrillus verò Hierosolymitanus Episcopus,
Catech. mystagog. 15.
Can. 25. in Matth. *In templo*, inquit, *sedebit quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, vt in hoc id fiat, in quo sumus.* Eandem sententiam non obscurè sequitur Hilarius, & post eum in locis iam citatis Hieronymus, Chrysostomus, & Augustinus. Sensum verò à Protestantibus incredibili im-

A bili impudentia confictum, & impietate maxima defensum; vt videlicet in ipsa Ecclesia Catholica, adeóque in sede & Episcopatu eius Ecclesiæ maximo atque supremo, ídque tot annorum curriculis, Antichristus sederet, nemo vnquam Sanctorum Patrum scripsit, nemo doctus asseruit, nemo vir bonus vel seriò cogitare præsumpsit. Sed de Antichristo ipso, an in Ecclesia aut Sede Romana sedem suam aliquando habuerit, aut habere potuerit, lege plenissimè disputatum in visibili Ecclesiæ Monarchia, à Nicolao Sandero viro longè doctissimo ante aliquot annos conscripta & edita. Atque hæc de Caluini aliorúmque Protestantium contra vnius & veræ Ecclesiæ perpetuitatem cauillationibus hactenus.

Lib. 8. per totum.

Controuersia primæ libri tertij finis.

i iij

D

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIÆ PRIMÆ, LIBER QVARTVS.

De vera Ecclesia in se.

PROOEMIVM.

X his ergo quæ hactenus disputata sunt, tres veræ Ecclesiæ Christianæ proprietates, quibus à falsa omnium hæreticorum & schismaticorum Ecclesia discerni debeat, ex Sacris Scripturis demonstratæ sunt, videlicet, Multitudo, Visibilitas, Perpetuitas: Et quicquid pro E *hæreticorum paucitate, vel obscuritate: vel etiam raritate disputatum ab aduersariis est, in medium productum & confutatum est: illorum etiam notis interim refutatis atque conuulsis, quibus Ecclesiam veram à falsa ipsi internosci atque discerni volunt. Hæc si prolixior fuit disputatio, fecit illud aduersariorum ex parte argumentorum & fraudum ingens varietas, quæ omnis aut saltem præcipua eius momenta (nisi in hac Controuersiarum professione, præuaricatorem agere libuisset) dissimulari à me nullo modo potuerunt. Superest nunc vt ad veram aliquam veræ Ecclesiæ definitionem statuendam, an ex his proprietatibus tota eius & plena ratio inueniri queat, inuestigemus. Hoc autem sic fiet, si & epitheta Ecclesiæ Christi attribui solita, tanquam proprios quosdam eiusdem characteres cum his proprietatibus conuenire, aut potius ex his proprietatibus fluere, ortúmque cepisse ostendamus: Et præterea per easdem proprietates ab omnibus falsò dictis Ecclesiis satis eam luculenter discerni & internosci posse, demonstremus. His enim duobus demonstratis, nihil impedire video, quominus ex eisdem veram Ecclesiæ Christi notionem deprehendamus, verámq; & plenam definitionem inde colligamus. Id enim demum cuiusque rei definitio est, per quod certis quasi finibus atque limitibus ab aliis eiusdem generis affinibus, vnumquodque certè, plenéque discernatur: illis* F *etiam ad rem finiendam assumptis, quæ non illi exotica, sed eius naturæ intrinseca esse videri possunt. Data autem Ecclesiæ plena & luculenta definitione, à thesi ad hypothesim transibimus, & (quod totius huius disputationis finis ac scopus est:) vbi demum & penes quos vera Dei hodie sit Ecclesia, euidenter demonstrabimus: Atque hic demum erit totius huius de vera Ecclesia in se disputationis modus.*

A *Propter Proprietates prædictas vniuersalitatem videlicet, perpetuitatem, & Claritatem, Ecclesiam veram vocari Catholicam.*

CAPVT PRIMVM.

T ergo veræ Ecclesiæ certam & propriam rationem ex iis proprietatibus quæ hactenus demonstratæ sunt inuestigemus, primò statuimus propter hanc proprietatem qua per omnes gentes diffundi & crescere veram Christi Ecclesiam docuimus, eam Catholicam, idque quasi proprio suo nomine ac charactere, nuncupatam esse. Probat sanè hoc quod primo loco diximus. (Nempe Catholicam vocari Ecclesiam quia per omnes gentes diffunditur,) Sanctus Augustinus primùm ex vi nominis. *Catholica*, *enim*, inquit, *appellatur*, *eo quòd per totum terrarū orbem diffunditur*. Et iterum, *Catholica totum tenet*. Et rursum. *Καθ᾽ ὅλον græcè secundum totum*, *latinè dicitur*, *vnde Catholica nomen accepit*: Hæc ille de vi nominis. Deinde ex Scripturæ verbis idem docet. *Dicente*, inquit, *ipso* — *Catholicæ etymologia.* *Epist. 170.* *anarrat. in Psal. 65.*

B *Domino*, *Eritis mihi testes in Hierusalem & Samaria & tota Iudæa & vsque ad vltimum terræ*, *planè indicauit vnde Catholica vocatur*. Libro & cap. citatis contra Petilianum. Idem ex eisdem Saluatoris verbis iam magna ex parte adimpletis colligit & notat venerabilis Beda. *Vnde Ecclesia Catholica sit nuncupata Lucas docet dicens. Ecclesiæ quidem omnes per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebant pacē, & ædificabātur ambulantes in timore Domini*, &c. *Quod enim vniuersale hoc loco latinè, hoc dicitur græcè Catholicon. Vnde liquidò patet quòd inde Catholica vocatur Ecclesia, quod per totius mūdi partes in vna pace, in vno timore Domini ædificetur, vna eademque Sancti Spiritus consolatione repleatur.* Hæc ille. Rursum verò Augustinus, quum Gaudentius Donatista ausus esset dicere, *Ecclesiam Catholicam humanum esse figmentum*, respondet ex Scripturis. *Addis furori tuo verba blasphemiæ, & audes dicere Ecclesiam Catholicam humanum esse figmentum, Cui Deus dicit, dominabitur tui, qui fecit te dominus exercituum nomen eius. Et vt sciamus ipsam eam, sequitur & adiungit, Et redemptor tuus sanctus Israel, Deus vniuersæ terræ vocabitur. Tenentes ergo Ecclesiam, quæ dilatatur per omnes gentes, non figmentum sequimur humanum, sed promissum factúmque diuinum.* Hæc hactenus Augustinus contra Gaudentium. Cùm verò aliunde dictam Catholicam calumniarentur Donatistæ hæretici, scilicet, *ex plenitudine sacramentorum, non ex totius orbis communione*, respondet Augustinus. *Licet possit eum sensum vox Catholica habere, vt vniuersalitatem notet ipsius veritatis, quam sola Catholica totam & integram tenet*, non autem locorū aut temporum, *tamen ex ipsis Dei promissis, & multis manifestísque oraculis* (non ex sola vi Nominis) *Catholicam illam dici & demonstrari, quæ sit Ecclesia omnium Gen-* — *contrá Petil. lib. 2. cap. 38.* *Beda in comment. super Cant. 6.* *Lib. 2. cap. 25.* *Esai. 54.* *Deus vniuersæ terræ.* *Esai. 54.* *Donatistarum cauillatio cōtra dictam etymologiam.* *Epist. 48. ad Vincentium.*

C *tium*. Hæc ille. Ideóque postea in Collatione quadam publicè facta inter Donatistas & Catholicos, cùm de voce Catholica litigarent Donatistæ, séque pro Catholicis haberi vellent non ipsos orthodoxos, Respōderunt orthodoxi, *quia Ecclesiæ toto orbe diffusæ ipsi cōmunicarent, non autem Donatistæ, propterà se Catholicos meritò & esse & vocari*. Vide Augustinum in breuiculo Collationum cum Donatistis in Collatione diei tertiæ circa principium. Ex eo ergo quod per totum orbem diffunditur ratione locorum & hominum, Catholica dicitur quæ vera est Dei Ecclesia. Sic autem dicta Catholica seipsam omnibus notam ac manifestam facit, vt eam ignorare nemini liceat. Probatur istud facile ex verbis Saluatoris. Cùm enim Ecclesia sit corpus eius lapidis, scilicet Christi, qui *factus est mons magnus*; *& impleuit vniuersam terram*, per propagationem, videlicet doctrinæ suæ, sit etiam mons domus Domini in vertice montium, ad quem fluent omnes gentes, ex hac ratione montis excelsi & amplissimi concludit Saluator, discipulósque suos securos facit, quod abscondi aut ignorari sua Ecclesia nunquam posset. Ait enim, *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita*, quasi diceret. Non ignorabitur mea Ecclesia, quæ per vestram prædicationem per omnes gentes diffundetur. Sic etiam colligit Augustinus. Cùm enim verba illa citasset, quæ de Apostolorum prædicatione dicta sunt, *In omnem terram exiuit sonus eorum* ait, *Hinc fit vt Ecclesia vera neminem lateat. Vnde & in Euangelio Dominus dixit: Non potest Ciuitas abscondi*, &c. Hæc ille contra Petilianum. Sic etiam ex eisdem Saluatoris verbis astibi colligit. *Facile*, inquit, *ibi est attendere & videre Ciuitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait* — *In quantū catholica, intantū omnibus nota est.* *Dan. 2.* *Esai. 2.* *Matth. 5.* *Lib. 2. cap. 32.* *Epist. 170.*

in Euāgelio quòd abscōdi non possit. Ipsa est enim Ecclesia Catholica sic appellata quòd per totū orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet. Ideò secundum verbum domini nostri Iesu Christi D
Ecclesia est catholica quia perpetua. abscondi non potest. Hæc August. Rursum, quia Ecclesia perpetua est & omnium temporū, dicta etiam est Catholica. Sic rem explicat Augustinus. *Sequere*, inquit, *viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsque manauit, & abhinc ad posteros manatura est.*
De vtilit. cred. cap. 18. Catholicam disciplinam vocat, quæ omnia tempora complexa est, & maiorum nostrorum & posteriorum. Sic enarratione in psal. 90. Concione 2. & in psal. 65. circa initium. Corpus Christi describit tam secundum rationem temporum quàm locorum. Sic antiquissimus &
Cap 3. doctissimus Scriptor, Vincentius Lyrenensis. *In Ecclesia*, inquit, *Catholica id teneamus quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè propriéque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratióque declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit.* Hęc ille in libello de prophanis nouitatibus.

Ex eo quòd Catholica dicitur, discerni ab omnibus falsis Ecclesiis, vel illa sola nuncupatione.

CAPVT II.

Ex eo quod catholica est, discernitur à falsis Ecclesiis.
De tempore ser. 131. & 181.

IAM verò (quod secundo loco diximus, nempe quasi proprio suo nomine & charactere, Catholicam vocari Ecclesiam,) has proprietates ideò in Symbolo sub voce Catholica Apostoli posuerunt, vt certò semper atque perspicuè vera Dei Ecclesia à falsis hæreticorum Conuenticulis discerneretur. Docet id Augustinus, Symbolum ex professo explicans, *Idcirco*, inquit, *in Symbolo dicimus, Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, id est, toto orbe diffusam, quia diuersorum hæreticorum Ecclesiæ ideò Catholicæ non dicuntur, eo quod per loca, & per suas quæque prouincias continentur. Hæc verò ab ortu solis vsque ad occasum vnius fidei splendore diffunditur.* Hæc ille propter locorum vniuersitatem. Similiter etiam propter temporum durationem, & victoriam contra omnes hæreses, Catholicam in
Aug. lib. 1. de Symbolo ad cathechum. Symbolo dictam docet. *Ecclesia*, inquit, *Catholica illa est, quæ contra omnes hæreses pugnans, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, ipsa autem manet in radice sua.* Hęc ille. Sic olim
Lib. 1 cap. 4. exurgente Arriana hæresi, in vrbe Alexandrina, Episcopus eius vrbis Alexander in Epistola ad cæteros Episcopos, ea de re conscripta, & fidei symbolum accuratè explicans in fine ait. *Ecclesiam porro vnam solam, Catholicam & Apostolicam credimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam expugnare contendat, sic omne hæreticorum Commentum euincit atque profligat.* Hæc ille, apud Theodoreti historiam Ecclesiasticam. Enimuerò, ex ipsa sola vocis Catholicæ nuncupatione veram Christi Ecclesiam à falsis hæreticorum conuenticulis, semper discretam ac distinctam fuisse, perpetua ferè rerum praxis tam in præcedentibus,
Nota. quàm etiam in præsentibus hæresibus probat & demonstrat. Quum enim omnes hæreses, F quia aut certos & nouos Authores habuerunt, non in recepta omnium consensu doctrina permanserunt; aut certis in locis tantùm non vbique viguerunt, aut circa certam doctrinæ partem versabantur non omnem; & ideò vel ab authoribus suis nomina propria singuli acceperunt, Vt valentiniani, Marcionitæ, Manichei, Arriani, & pleræque ferè aliæ sectæ; vel à locis in quibus grassabantur nuncupatæ sunt, vt Cataphryges quia in sola Phrygia, Pepuziani à ciuitate deserta eius nominis, Albigenses ex comitatu Albigensi prope Tolosam in Gallia, pau-
Hist. ecclesi. lib. 4. Hæt. 83. peres de Lugduno, Arabici quia in sola Arabia docuerunt, vt post Eusebium commemorat Augustinus in libello ad Quoduult Deum; vel à doctrina quam oppugnabant, nomen acceperunt, vt olim Anthropomorphitæ, Monothelitæ, Iconomachi, & hodie Sacramentarij, Anabaptistæ, Vbiquitarij & similes, hinc sanè factum est, vt omnes hæreses his propriis nominibus designatæ, etiam ex hac ipsa nuncupatione ostenderent, partes se esse ratione vel locorum, vel temporum, vel personarum, vel ipsius doctrinæ, sola autem orthodoxa, vera
catholicæ ἀιλαιὸγμ. Ecclesia Catholica vocaretur: vt quæ sola nec noua vnquam esset sed perpetua; nec certis in locis sed vbique vigeret; nec ab aliquibus certi nominis authoribus, sed à tota successione Cathedræ Ecclesiasticæ penderet; nec denique partem aliquam veritatis, sed totam veritatem teneret. Ex hac porrò ratione factum est, vt quum alias Ecclesiæ notas & proprietates vendicare sibi variæ, penèque omnes hæreses non sint veritæ, séque & sanctam, & Apostolicam,

ſtolicam, & vnicam Dei Eccleſiam vocarent, atque aſſererent, nam ſanctitatem præ ſe tule-
A rūt plerique hæretici, vt Tatiani, Manichæi, Cathari ſeu Nouatiani, Meletiani, Apoſtolorum veſtigiis ſe inhærere omnes clamitant propter Apoſtolicas Scripturas, quas omnes in ore habent; Vnicam ſe eſſe omnes aſſeuerant propter ipſorum vnam & ſolam fidem, quam ſinguIæ hæreſes veram eſſe prædicant, tamen hanc Catholicæ notam in ſenſu prædicto præ ſe ferre nulla hæreſis potuerit, nec eo ſe nomine venditare vlla hactenus auſa fuerit. Hoc enim ne facerent, partim ipſius rei euidentia non eſt paſſa, quum cuius clarum eſſet, nullam hæreſim aut vbique diffundi & creſcere, aut perpetuam fuiſſe; partim commune totius orbis iudicium à quo ſola Orthodoxa, vulgò Catholica eſt nuncupata, neceſſariò impediuit. Adeò enim ab vniuerſis ſola Orthodoxa Catholica dicta eſt, & adeò ſemper hoc eius proprium cognomen fuit, vt qui aliter loqui & aliter appellare eam vellent, ne intelligi quidem poſſent. Quam rem his verbis notauit Auguſtinus. *Chriſtiana*, inquit, *religio Catholica nominatur, non ſolum à ſuis, verū etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve, ipſi quoque hæretici & ſchiſmatū alumni, quādo non cum ſuis, ſed cum extraneis loquūtur, Catholicam nihil aliud quā Catholicā vocāt. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.* Hæc ille. Nēpe (vt notauit eruditè ante annos mille & ducētos, Pacianus Barcilonēſis epiſcopus doctiſſimus) propter varias ſectas & hæreſes ſtatim ſub Apoſtolorū temporibus exortas, quemadmodū fideles vt à Iudæis & paganis diſtinguerentur, vocabantur proprio nomine Chriſtiani, ſic vt ab hæreticis omnibus diſcernerentur, additū eſt cognomē Catholici. *Cùm poſt Apoſtolos* (inquit, Author ille) *hæreſes extitiſſent, diuerſiſque nominibus columbam Dei, atque Reginam lace-*
B *rare, & per partes ſcindere niterentur, Cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret vnitatem.* Et paulò poſt. *Ne æſtues frater, Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, iſtud oſtendit. Hoc probor, inde ſignificor.* Hæc ille. Nempe apud omnes ſcriptores tam veteres, quàm recentes, quoties de fide ac religione diſputatur, quemadmodum, impio pium, falſo verum, ita hæretico Catholicum ſemper opponitur: & Chriſtiana quidem, vel doctrina, vel profeſſio, vel perſona, Iudaiſmo ac Ethniciſmo: Catholica verò ſoli hæreſi & hæreticæ doctrinæ, aut perſonæ perpetuò contraponitur. Quod certè obſeruatione dignum eſt, vt intelligas hæreticum non Chriſtianæ (hanc enim nuncupationem æquè ac Orthodoxus prætendit & obtinet) ſed Catholicæ doctrinæ, religioni, ſocietati contradicere: ideóque ſatis ab hæretico illam ſocietatem diſcerni, quæ Catholica paſſim nuncupatur. Exempla huius rei paſſim occurrunt. Vt à Donatiſtis Orthodoxi certò diſtinguerentur, de Catholico nomine maxima contentio inita eſt, quam his verbis deſcribit Optatus. *Retento Brixiæ Ceciliano, & Donato non permiſſo redire, miſſi ſunt in Africam duo epiſcopi Eunomius, & Olympius, vt remotis duobus vnum ordinarent. Venerunt Carthaginem. Fuerunt per dies 40. vt pronunciarent vbi eſſet Catholica. De ſtudio partium ſtrepitus quotidiani ſunt habiti. Nouiſſima ſententia eorum epiſcoporum talis legitur, vt dicerent illam eſſe Catholicam quæ eſſet in toto orbe terrarum diffuſa.* Hæc ille. Sed multò maior poſteà hac re contentio in illa celeberrima Carthaginenſi Collatione facta eſt, quam deſcribit accuratè Auguſtinus. *Prima enim contentio facta eſt de nomine Catholico, Orthodoxis probantibus ſe Catholicos meritò & eſſe, & vocari, quia*
C *Eccleſiæ toto orbe diffuſæ ipſi non Donatiſtæ communicarent.* Quod etiam poſteà diligenter repetit in lib. contra Donatiſtas poſt collationem. Sic Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Orthodoxam fidem qui tinebant, *Chriſtianorum Catholicorum nomen iubent amplecti, reliquos hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere.* Sic apud Ambroſium cœtus ille fidelium quem Ambroſius epiſcopus cogebat, Catholici vocantur. Dicebant enim milites, *Imperatori ſe præſtò futuros ſi viderent eum cum Catholicis conuenire; Alioqui ſe ad eum cœtum quem Ambroſius cogebat tranſituros.* Sic etiam apud Epiphanium qui Meletio ab Eccleſia eiecto adhærebant, vocabant ſe *Eccleſiam Martyrum*, propter perſecutionem. Qui verò Petro legitimo epiſcopo ſucceſſerunt, *veras habentes Eccleſias vocabantur Eccleſia Catholica.* Sic apud Sozomenum, quos Arrianus Imperator in Ciuitate Edeſſæ perſequebatur, *Eccleſiæ Catholicæ populus* vocantur. Et iterum inter ſectas Macedonianorum & Nouatianorum recta ſentientes vocat Catholicos lib. 4. cap. 19. Sic contra Sympronianum Nouatianum epiſt. 2. affirmat D. Pacianus, *Cipriani populum nunquam aliud, quàm Catholicum nominatum fuiſſe.* Propter hoc proprium Ortodoxi populi cognomen, Hilarius diſputans de domo digna ſuper quam ſalutatio pacis veniret, *quia* inquit, *varij hæretici penes ſe eſſe veritatem Catholicam mentiuntur, & per verborum fallaciam incidere ignorantes in iſtiuſmodi hoſpite poſſent, docent domo ipſa quæ digna ſit dicta, id eſt, Eccleſia quæ Catholica dicitur, cautè & diligenter vtendum eſſe.* Hæc ille. Vbi

Alias Eccleſ. notas hæretici prætenunt interdū, catholica nunquàm.

Catholica Eccle. cognomen.

Lib. de vera Religione cap. 7.

In epiſt. 1. ad Sympronianū Nouatianum.

Nomen chriſtianum, cognomen catholicum.

Catholicum hæretico opponitur, vt chriſtianiſmum paganiſmo vel Iudaiſmo.

Lib. 1. verſus finem.

Nota huius contentionis exitū.

In breuiculo collat. collat. 3. diei.

cap. 27. & 28.

Cod. de S. Trinit. & fide catho.

epiſt. 33.

Hær 88.

Lib. 6. cap. 68.

cant. 10. In mat.

veram Ecclesiam à falsa volens distinguere & exprimere, eam dicit quæ Catholica dicitur. D

De vera Religione lib. 4. cap. vltimo.

Nec aliter Lactantius, variis enumeratis hæreticis, *Christiani* (inquit) *esse desierunt qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis. Hoc est domicilium fidei.* Hæc ille. Sanè propter hoc tam certum & proprium Orthodoxiæ cognomen, dixit Augustinus, *teneri se in Ecclesiæ gremio propter ipsum Catholicæ nomen.* Hoc etiam nomen argumentum esse accepti Spiritus Sancti alio in loco docet. *Accipimus*, inquit, *Spiritum Sanctum si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si Catholico nomine & fide gaudeamus.* Hæc ait Augustinus. Adeò enim sanè solebat apud veteres patres vera Ecclesia non minùs Catholica, quàm Christiana dici, vt quum de Ecclesia loquuntur, non alio eam nomine quàm Catholicam vocent: & hanc vocem sic vsurpent vt non pro adiectiua & quasi accidente qualitate, sed pro substantiuo & synonimo ipsius Ecclesiæ frequenter ponãt. Vbi obseruatione dignum est, quod quum Ecclesia varias habeat notas seu proprietates, quibus in Symbolo notatur, vt dicatur videlicet vna, sancta, Apostolica, Catholica; absolutè tamen & per se sumpto vocabulo non nisi Catholica nuncupetur.

contra epist. fundamenti. cap. 4.

Tract. 32. in Ioan.

catholica ecclesiæ Synonymon.

Aug. de bapt. cont. Donat. lib. 1. & alibi passim.

Simile.

David Georgius.

Quemadmodum ergo si quis Iesum Mariæ filium esse Christum negaret, & se esse Christum blasphemaret (quod nostra ætate fecit quidam Dauid Georgius Hollandus Apostata cum non modica secta Basileæ congregata) tamen de Iesu Christo aliter loqui non posset, nisi Christum eum vocet, si quidem intelligi velit, de quo Iesu loquatur (non de Iesu filio Naue, non de Iesu filio Sirach, aut alio quoquam) quemadmodum ab omnibus inimicis Christi, Iudæis, & gentibus, & hæreticis omnibus, per vniuersum orbem Christus vocatur: sic E etiam adeò veræ Ecclesiæ proprium est Catholicam dici, vt qui illo nomine eam non vocet, intelligi de qua loquatur non possit. Rursum quemadmodum hoc argumentum inuictum est solum Iesum Mariæ filium esse Christum, in quem creditur, & ex hoc nomine satis designari verum Saluatorem mundi, sic etiam non minùs inuictè sequitur, solam Catholicam esse Ecclesiam Dei, quæ ab omnibus creditur: & hoc Catholicæ nomine satis sciri, quæ sit vera Ecclesia. Illustrem huius rei praxim in suo tempore ostendit Augustinus. Cùm enim ipsius tempore variæ grassarentur hæreses Arrianorum & Manichæorum nondum sopitæ, Pelagianorum, Donatistarum, Iouinianistarum recẽter natæ; tamen nullæ harum sectarum, sed sola Orthodoxa Catholicæ nomen obtinuit. Quod his verbis commemorat. *Non sine causa*, inquit, *inter tam multas hæreses, sic sola Catholica Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Hæc ille contra epistolam fundamenti. cap. 4. Idem docet contra Nouatianos disputans Pacianus. *Nonne*, inquit, *appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam vrbem hodie quum Marcionitas, quum Apollinariacos, Cataphrigas, Nouatianos, & cæteros eiusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationẽ meæ plebis agnoscerẽ, nisi Catholica diceretur?* Hęc ille Epist. 1. ad Sympronianum Nouatianum. Ita & hodie communis rerum vsus docet. Neque enim vel hodie post sexaginta ferè annorum decursum, Lutherana aut Caluiniana hæresis se catholicam vocare, scribere, aut nuncupare vel potuit, vel ausa fuit. Sed in Germania, Gallia & F Anglia, vbi mixtis hæreticis viuunt caholici, se quidem Protestantes vel Euangelicos & scribunt, & vocant. Nos verò cæterósque Orthodoxos, non quidem catholicos semper vocant (sic enim se esse partes & sectas nimis apertè proderent) sed illos qui vulgò pro catholicis habentur, vel qui seipsos catholicos dicunt. Sicuti Vincentius Lyrenensis in persona hæreticorum sui temporis loquitur. *Venite ò insipientes & miseri, qui vulgo Catholici vocitamini* &c. c. 26. Neque enim nisi sic loquantur, aliter se intelligi posse probè sciunt. Quin & ipsum nomen, quod conuitij loco nobis obiiciunt, & quo propriè nos nuncupant, vt videlicet Papistas aut Pontificios aut Romanenses nos vocent, sicuti olim Donanstæ vocabant Orthodoxos Traditores, & Arriani Homousianos, (nam vt sapienter notauit Augustinus, *huic vni Ecclesiæ Catholicæ, variæ hæreses diuersa nomina imponunt, cùm ipse singulæ propriu vocabulis ab omnibus nominentur*, de vtilitate credendi, cap. 7. & in libro contra sermonem Arrianorum. cap. 36.) nos non alios quàm Catholicos esse demonstrant. Non enim partem aut sectam notat, Papistam vocari, quia Papa nec certus aliquis aut nouus author est, vt Arrius, Lutherus, Caluinus; nec vnius loci, sed totius orbis Christiani Patrem ac pastorem dicit; nec hujus temporis personam aliquam, sed perpetuum Ecclesiæ Magistratum atque Episcopum notat. Ergo cùm Papistas nos vocant, nihil aliud quàm oues aut subditos nos nuncupant illius, cui, in persona Petri, Christus oues suas commisit, cui totus Christianus orbis vt capiti vicario subiicitur, aut (quia id iam

Augustinus.

Placianus ep. 1. ad Sympro. Nouatianũ.

Augustinus.

Nomen Papistæ, nomen catholicum.

Ioan. 21.

A id iam Controuersum est) in cuius Ecclesiæ (Romanæ scilicet) communione omnes gentes Christianorum & hodie & semper vixerunt. Quod ipsi aduersarij adeò nobiscum fatentur, vt ob hanc causam Ecclesiam suam ab ipsis Apostolorum temporibus, in quibusdam occultis electis latitantem ponant. Adeò autem hoc verum est Papistas quum nos vocant, Catholicos se intelligere, vt hoc ipsum Catholici nomen non vereantur tandem penitus contemnere, vt suo posteà loco ostendetur. Nunc ad alia pergamus. Infrà cap. 14.

Antiqui Patres ex his proprietatibus vniuersalitatis, locorum & temporum, contra omnes hæreses præscripserunt, sibique veram Ecclesiam vendicarunt.

CAPVT III.

ANTIQVI Patres ex his proprietatibus, locorum videlicet & temporum vniuersitate, contra hæreses omnes præscripserunt, sibique Ecclesiam vendicarunt. Frequentissimè hoc facit Augustinus contra Donatistas, quorum proprius quidam hic error erat, vt generalitatem Ecclesiæ
B negarent, vt ait Prosper. Sed vt alia multa omittamus, illud obseruatione dignissimum est, quòd Sanctus Augustinus, cùm de hoc argumento libellum scripsisset, apud quos esset Ecclesia Dei, apud Donatistas ne an cæteros in Africa Christianos, qui eos auersabantur, non aliunde apud Orthodoxos esse Ecclesiam demonstrauit, quàm quòd illam Ecclesiam tenerent, quæ omnium esset gentium & locorum. Quocirca disputationem ingressurus, hanc propositionem præmittit. *Quicunque ab Ecclesia ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto, quantuncunque diffundatur, vel in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia.* Hæc ille in lib. de vnitate Ecclesiæ. Ad cuius propositionis probationem, cùm à cap. 6. vsque ad 9. varias coaceruasset Scripturas ex lege, psalmis, & prophetis, Euangelio & literis Apostolicis, sic concludit. *Habeo, inquit, manifestissimam vocem pastoris mei, commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam: Mihi imputabo si ab ea aberrare voluero.* Inde autem manifestam dicit, quia toto orbe diffusa describitur. Rursus propter huius notæ & proprietatis certitudinem, ex hac sola probat sæpè Donatistas esse extra Ecclesiam. Sic enim alicubi disputat contra Petilianum Donatistam. *Obiicio tibi schismatis crimen, quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neque enim communicas omnibus gentibus & illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis.* Item eodem libro, duplex facit Enthimema sic. *Ecclesia est ciuitas supra montem posita, quæ certum signum hoc habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gẽtibus.* Deinde subsumit. *Pars autẽ Donati ignota est plurimis gentibus: Non est ergo ipsa vera Ecclesia.* Hęc ille, quasi formaliter disputãdo. Innume-
C ra alia in hanc sententiã ex Aug. produci possunt. Optatus Mileuitanus episcopus, cùm cõtra eosdem Donatistas, easdem Scripturas Ecclesiam vniuersalem describentes produxisset, & varias gentes Christiani orbis enumerasset, hunc in modum concludit: *Cùm manifestum sit & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot prouinciis nobiscum esse, iam videtis vos in parte vnius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos, frustra vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vendicare.* Hæc ille. Ex hoc Argumẽto argumẽtatur contra sui temporis hæreticos Marcionitas & Valentinianos, Tertullianus fortissimè & crebertimè in aureo illo libello de præscriptionibus aduersus hæreticos. Nẽpè quia in concertatione cum hæreticis in ipsarum Scripturarum examine, aut nullam aut incertam esse victoriam statuit, *Quærendum*, inquit, *ante omnia quibus cõpetat fides ipsa, & cuius sunt Scripturæ*, id est, qui & penes quos sit Ecclesia. Hoc vt ostendat, narrat de Apostolorũ prima prędicationẽ. *Illi*, inquit, *Ecclesias apud vnamquamque ciuitatum condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc ipsæ Ecclesiæ deputãtur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* Hæc ille. Ecce tibi propagationẽ, sobolem, & traducem Ecclesiæ perpetuam & per vna quæque loca, tãquam veram Ecclesiæ formam. Addit paulo post, vt seipsum in Ecclesia esse ostendat. *Nos*, inquit, *communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulla doctrina aduersa*, id est, hæresis *facit: Et hoc est testimonium*

Definitio eorum qui non sunt in Ecclesia. Cap. 4.

Cap. 10.

Lib. 2. cap. 16.

1. *Argumẽtatio Augustini.*

Ibidẽ ca. 104.

Abscondi non posse, certum signum Ecclesiæ.

Lib. 2. contra Parmenianũ.

2. *Argumẽtatio Optati.*

3. *Argumẽtatio Tertulliani.*

Communio Ecclesiarum Apo-

ſtolicarum, teſtimonium veritatis.
veritatis. Hæc ille. Vnde tam validum & inuictum Argumentum ſumi putat, vt addat. *Sed* D
quoniam tam expedita probatio hæc eſt, vt ſi ſtatim proferatur, nihil iam ſit amplius retractãdum, lo-
Compendioſa exceptio, contra hæreticos.
cum interim demus aduerſæ parti ac ſi probatum non eſſet. Hæc ille, docens hoc vnico argumento
ſatis quidem conuinci omnes hæreticos; tamen magis elucidandæ veritatis cauſa, ad particu-
lares Controuerſias deſcendere Catholicos. Sic contra Hermogenem ſui temporis hære-
In principio libri.
ticum, idem Tertullianus. *Solemus*, inquit, *compendij gratia hæreticis de poſteritate præſcribere. Ve-*
ritatis enim regula prior. Valet autem hæc præſcriptio, quia eſt omnium temporum Catholica:
noua autem, & certi temporis omnis hæreſis. Sed preſſius hanc vniuerſalitatem locorum &
temporum in libello de præſcriptionibus vrget Tertullianus. *Quid*, inquid, *veriſimile eſt, vt*
tot & tantæ Eccleſiæ in vnam fidem errauerint? Scilicet aliquos Marcionitas, & Valentinianos (dic
hodie Lutheranos & Caluiniſtas) *liberãda veritas expectabat? Interea perperam Euangelizabatur?*
tot millia millium perperam baptiſata? tot opera fidei perperam miniſtrata? tot virtutes, tot chariſmata
perperam operata? tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa? tot denique Martyria perperam &
in vacuum? Hæc ille non ducẽtis poſt Chriſtum annis elapſis. Quanto nunc fortius hoc argu-
4. Argumẽtatio D. Hieronymi.
mentum eſt mille, & quingentis annis antegreſſis? Nec aliter Diuus Hieronymus contra no-
uos ſui temporis Origeniſtas diſputat. *Cur*, inquit, *poſt quadringentos annos docere nos niteris,*
quod ante neſcinimus? vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit. Hæc ille in
Epiſt. ad Pammachium & Oceanum de error. Origeni. Tomo 2. Similiter etiam contra
Luciferianos diſputat. *Poteram*, inquit, *omnes propoſitionum tuarum riuulos vno Eccleſiæ ſole*
In qua eccleſia ſit permanendũ.
ſiccare: ſed breuem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam: In illa eſſe Eccleſia permanendũ, E
quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſtiani non à
Chriſto, ſed ab alio quoquam nuncupari, puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, &c. ſcito non
eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam. Ex hoc enim ipſo quòd poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſ-
5. Argumẽtatio Gregorij Nazianzeni.
ſe iudicant, quos Apoſtolus futuros eſſe prænunciauit. Hæc ille. In fine dialogi aduerſus Luciferia-
nos. Ad eundem modum contra ſui temporis Arrianos, Gregorius Nazianz. argumentatur.
Si ante hos 30. annos fides incœpit, cùm quadringenti ferè ſunt anni ex quo manifeſtatus eſt Chriſtus,
certè & Euangelium noſtrum in tanto tempore fuit inane, inanis & fides noſtra, & hi qui teſtimoniũ
præbuerunt, fruſtrà ſunt teſtificati, fruſtrà præfuere populo præſules tales & tanti. Hæc ille in Epi-
6. Argumẽtatio Hilarij.
ſtola 2. ad Cledonium. Eiuſdem generis argumento vtitur Hilarius. *Cogitemus*, inquit, *tot ſa-*
cerdotes ſanctos & iam quieſcentes. Quid de nobis Dominus iudicabit, ſi nunc anathematizentur à no-
bis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, vt quia Epiſcopi illi nõ fuerunt, nec nos ſimus? Ordinati
Quo rem deducunt Proteſtantes.
enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſacerdotes Hæc ille in libro de Synodis aduerſus Arrianos.
Sic contra Luciferianos Hieronymus. *Epiſcopus iam in mundo nullus eſt, niſi quos illa ſynodus Ni-*
cæna ordinauit. Inualida hæc doctiſſimorum horum patrum contra hæreticos argumenta
fuiſſent, niſi perpetuitas iſta atque duratio, certiſſima fuiſſet Eccleſiæ nota. Imo maximam
7. Argumẽtatio S. Irenæi.
in hoc genere vim eſſe, demonſtrat Irenæi diſputatio contra Valentinianos. Primum enim,
in inquiſitione veritatis, iubet ab Eccleſia illam petere. *Etenim*, inquit, *ſi recondita aliqua myſte-*
Lib. 3. cap. 3.
Succeſſio Epiſcoporum oſtendit veritatem.
ria ſciuiſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebãt (ſic enim dixerũt hære-
tici) *his vel maximè traderent ea, quibus ipſas Eccleſias cõmittebant. Ab illis ergo petẽdam veritatem* F
Illas autem Eccleſias vt inueniat, ad Epiſcoporum ſucceſſionem iubet recurrere. *Hac enim*,
inquit, *ordinatione & ſucceſſione Epiſcoporum, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, ad nos vſ-*
Lib. eodem cap. 4.
que peruenit, & eſt pleniſsima oſtenſio vnam & eandem fidem eſſe, quæ ab Apoſtolis vſque nunc ſit
confirmata. Hæc ille. Vbi veram doctrinam apud illam Eccleſiam eſſe docet, quæ ſucceſſio-
nis perpetuitatem vſque nunc tenet. Contrà verò, à nouitate & ex abrupta iſta ſucceſſionis ſe-
rie, hæreſim probat. Probaturus enim Valentinianos & Marcionitas ad Eccleſiam non perti-
nere; *Neque enim*, inquit, *congregatio fuit apud eos, neque doctrina aliqua inſtituta. Ante Valenti-*
num enim, non erant qui ſunt à Valentino; neque ante Marcionem erant, qui ſunt à Marcione. Móx-
que tempora ſingulorum quibus docere cœperant, oſtendens, idemque addens, de Cerdone
& Menandro Gnoſticorum patre, concludit. *Omnes hi multo poſterius, mediantibus iam Eccleſiæ*
temporibus, inſurrexerunt in ſuam Apoſtaſiam. Hæc ille. Vides ergo vt inde hæreſim probant tot
patres, quia poſteriùs & nuper exorta eſt, quia ſucceſſione caret. Eodem ſanè Spiritus ſancti in-
ſtinctu, diuus etiam Cyprianus à nouitate & poſteritate probauit, ad Eccleſiam non pertine-
Argumentatio S. Cypriani.
re ſui temporis hæreticos Nouatianos. *Conſtat*, inquit, *eos cũ corpore Eccleſiæ non cõuenire*. Et vi-
de, quomodo hoc probat. *Non enim*, inquit, *nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Et cùm hæreſes &*
ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conuenticula ſibi aduerſa conſtituunt, veritatis caput atque ori-
ginem reliquerunt. Hæc ille, in libro de ſimplicitate prælatorum, vel, de vnitate Eccleſiæ.

Nempe

A Nempe quia vera Ecclesia perpetua est, nec intercidit vnquã; profectò quod nouũ est, & posterius accessit, non ad Ecclesiam, sed ad hæresim pertinere conuincitur. Hoc argumenti genere creberrimè vtitur Diuus Augu. Nec aliunde magis hæreses describit, siue Cathecumenos & fideles doceat, siue Paganos ad fidem inuitet, seu deniq; hæreticos ab Ecclesiæ societate arceat. *Hæreses*, inquit, *omnes de Ecclesia Catholica exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua.* De Symbolo ad Cathecumenos. Sic & alibi tam ecclesiam quàm hæresim breui quasi periphrasi describens, his verbis Paganos quosdam Afros alloquitur. *Videtis*, inquit, *multos præcisos à radice Christianæ societatis: quæ quid. m societas, per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur: hos autem præcisos de sola figura originis, sub Christiano nomine, quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses & schismata nominamus.* Hæc ille. Vbi nota, quòd veram Ecclesiam describit à perpetua propagatione, & ab vniuersali per orbem diffusione; hæreses verò à præcisione & à separatione. Sic etiam Apostolus Ioannes hæreticos describit. *A nobis*, inquit, *exierunt sed non erant ex nobis.* Quem locum tractans August. & euidenter ostensurus, qui erãt suo tempore illi hæretici seu Antichristi, de quibus eodē in loco Ioannes loquitur, ipsēne cum cæteris Orthodoxis, an potius Donatistæ cum suis, sic ratiocinatur. *An* (inquit) *ipsi à nobis exierunt, an nos potius ab ipsis? Sed absit, vt nos ab ipsis.* Quo etiam argumento hoc probat; *Tenemus*, inquit, *hæreditatem Christi, illi eam non tenent:* Et quare? Subiicit. *Non communicant orbi terrarum, non communicant vniuersitati redemptæ sanguine Domini. Securi sumus de vnitate hæreditatis. Quisquis huic hæreditati nō communicat, foras exiit.* Hęc ille. Neque aliunde apud se & suos esse Ecclesiam probat Optatus

Argumentationes aliæ D. Augustini. Lib. 1. cap. 5. Epist. 42. *Successiones Episcoporum.* 1. Ioan. 2. *Communio hæreditatis Christi.* Tract. 3. in epist. Ioan.

B Milleuitanus Episcopus contra Donatistas toto libro 2. contra Parmenianum, quàm ex hac omnium gentium communione, & locorum vniuersitate. *Si apud vos Donatistas*, inquit, *est Ecclesia in vno angulo Africæ, apud nos in alia parte Africæ non erit. In Hispaniis, in Italia, in Gallia, vbi vos non estis, non erit.* Moxque aliis plurimis Regionibus enumeratis, concludit his verbis; *Et per tot innumerabiles insulas, & cæteras prouincias, vbi vos non estis, non erit. Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, quòd sit rationabilis & vbique diffusa?* Deinde enumeratis variis Scripturis, quæ huiusmodi Ecclesiam describunt, *Ergo*, inquit, *probauimus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit toto terrarum orbe diffusa.* Hæc ille. Ad eundem modum Basilius. *State in fide; Ipsum orbem inspicite, & videte quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat. Reliqua verò vniuersa Ecclesia, quæ ab orbis finibus vsque ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam doctrinam sectetur, à cuius communione, vt ne excidatis, petimus: &c.* Postremò illustre est, quòd Athanasius cæterique episcopi Ægypti, Thebaidis, & Lybiæ in vnum congregati ad Imperatorem Iouinianum pro Nicenæ fidei defensione scribentes, eumque ad eã amplectendam hortantes, hoc potissimum argumento Imperatorem inducunt. Scribunt enim, vt commemorat Theodoretus in hist. Eccles. lib. 4. cap. 3. hunc in modum. *Dedimus operã necessariò, vt fides in Concilio Niceno roborata tuæ pietati traderetur: quò ipse intelligas quanto in errore versentur hi qui fidem contrariam doceant. Nam pro certo scias velimus Auguste sanctissime, hanc ipsam ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse.* Hanc confirmarunt S. patres Niceæ coacti: *huic omnes vbique Ecclesiæ assensæ sunt: vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ,*

Alia Optati argumentatio. *Catholici Nominis proprietas.* Epist. 72. *Argumentatio S. Basilij.*

C *& omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Isauriæ, & Ecclesiæ Aegypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum, Orientis denique Ecclesiæ, exceptis paucis quæ sectæ fauent Arrianæ. Nam istarum omnium re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam literásque ab illis accepimus, proque certo scimus, Auguste sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicãt, non tamen præiudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso.* Hæc ibi Athanasius cum cęteris Ægypti, Thebaidis, & Lybiæ episcopis ad Imperatorem Iouinianum, vt fidem suam, Catholicam esse & ecclesiasticam persuadeant. Diligenter videlicet & perpetuam atque omnium temporum, & vniuersalem atque omnium locorum illam esse demonstrant. Vides vt firmissimè se argumentari sancti patres nõ dubitēt, Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Grægorius Naziãzenus, Optatus, Basilius, Athanasius, & omniũ maximè Augu. dũ vel apud se Ecclesiã esse, vel aduersarios in ecclesia nõ esse demõstrare volũt. Illud enim partim ab vniuersitate & omniũ gentiũ cõmunione, partim à perpetuitate demõstrant: Quos patres sequuti Vincẽtius Lyrinẽsis & Thomas Vvaldēsis, docẽt ex hac duplici locorũ & temporũ vniuersitate, tũ verã Ecclesiã Catholicã inuenire, tũ falsò dictas hæreticorum Ecclesias cognoscere, & deuitare. Hic in doctrinali fidei tomo 1. lib. 2. ca. 17. & 18. Ille in libello cõtra prophanas omniũ hæresum nouitates. Ex quibus omnibus satis liquida fit huius duplicis notę ac proprietatis, in vera ecclesia inuenienda, veritas compertissima, & praxis manifestissima.

D

Propter easdem duas proprietates, locorum videlicet vniuersitatem, & temporum perpetuitatem, Ecclesia Christi vocatur vna.

CAPVT IIII.

ROPTER has duas proprietates, seu duplicem vniuersalitatem locorum & temporum, dicitur in Symbolo Ecclesia Vna. Nempe quia illa est vera Ecclesia, quæ per vniuersum orbem diffusa est & Catholica; nec aliter tenetur ista omnium gentium communio, quàm quia vna est per vniuersum orbem Christianum fides, & in vnitate fidei omnes communicant; profectò quia Catholica est, vna est, & propter vniuersitatem quã habet, tenet vnitatem. Quod quidem hac ratione ostenditur. In Scripturis Ecclesia Dei; *Regnum, Ciuitas,* Domus, *Familia, Ouile, Corpus,* vocatur. Hæc omnia si ampla esse debent, sine vnitate & concordia id esse non possunt. Nam quod de Regno, Ciuitate & domo dixit Christus; *Omne regnum in se diuisum desolabitur: & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se non stabit,* idem quoque de Ouili, de Corpore, de Ecclesia verum est. Nisi ciuitas vni & eidem principi, familia seu domus vni & eidem Patrifamilias, Ouile totum vni Pastori, Corpus & eius membra singula vni capiti obediant, consistere nullum horum potest. Obedientia autem Ecclesiæ, est obsequium fidei. Idcirco Apostolus ostendens nos esse *vnum Corpus & vnum Spiritum,* addit. *Sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ: vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Si ergo Ecclesia est corpus per vniuersum orbem diffusum, Ciuitas ampla, Domus magna, &c. esse autem hæc omnia absque vno Domino, & vna fide non potest, profectò quia vniuersa est, ideo vna est. Quod eleganter his verbis expressit Optatus. *Ecclesiæ* inquit, *dotes,* id est, Ecclesias particulares, (nam *primam de dotibus* vocat *Cathedram Petri,* Ecclesiam Romanam:) *ita sibi connexas & indiuiduas esse constat, vt intelligatur vna ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine sub vno intellectu suo* (id est vna fide) *iunguntur in corpore, vt in manu digiti; quos interuallu singulis videmus esse distinctos. Vnde qui tenet vnum, totos teneat necesse est, cum vnusquisque à partibus separari non possit. Itaq; non vnum solum sed omnes propriè possidemus.* Hæc ille. Describit etiam hoc pulchrè Cyprianus, variis à rerum natura exemplis petitis. *Quomodo,* inquit, *solis multi radij, sed lumen vnum; & rami arboris multi, sed robur vnũ tenaci radice firmatum; Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine: sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem terrarum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur: Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit; Vnum tamen caput est, & origo vna, & vna Mater fœcunditatis successibus copiosa.* Quibus verbis amplitudinem Ecclesiæ demonstrat vnitate colligatam; & sic colligatam, vt hæc vnitas si abesset, non vnum corpus, aut vna Ecclesia multarum gentium, sed variæ & distinctæ Ecclesiæ nominarentur; vóxque illa locum haberet. *Ecce hic est christus, ecce illic.* Hac sanè de causa non à loco aliquo nomen accepit Ecclesia, vt vel Hierosolymitana, vel Corinthiaca diceretur. Sed etsi interdum à loco denominetur, additur tamen Dei aut Christi, vt ad Corinthios. *Ecclesia Dei quæ est Corinthi.* In quæ verba Chrysostomus; *Ecclesiam,* inquit, *Dei appellat, vt ostendat in vnum eam redigi oportere. Nam si Dei est, vna est; non Corinthi solùm, sed vniuersi orbis Ecclesia. Nomen enim Ecclesiæ non separationem, sed vnitatem & collectionem significat.* Hæc ille. Propterea quoque dixisse postea Apostolum dicit; *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini, in omni loco ipsorum & nostro; vt ostenderet, in vniuerso orbe, vnam oportere esse Ecclesiam, quanquam locis diuisam pluribus. Deus enim eam coniungit, qui omnibus est communis.* Hæc ille. Vides igitur, vt ex communione & collectione omnium gentium in vnam fidem, vnitatem Ecclesiæ ostendat. E F

Matth. 11. & 5. 2. Tim. 3. Matth. 24. Ioan. 10. Rom. 12. 1. Cor. 12. Matth. 12.
Ephes. 4.
Optatus li. 2. cont. Parme.
Cyp. in libel. de Simplicitate prælatorũ, siue de vnitate eccl.
Matth. 24.
Ecclesia non accepit nomen à certo aliquo loco.
1. & 2. epist. cap. 1.
Homel. 1. in prim. ad Cor.
Nomen Ecclesiæ collectionem in vnum signat.

Rursum propter perpetuitatem adeò vna est Ecclesia, vt maxima vnitatis ratio ex illa dependeat. Cùm enim dupliciter aliquid vnum esse possit; vel in esse & re permanente, vt corpus & omne totum continuum; vel in fieri & re successiua, vt dies, annus, flumen, ciuitas, quæ successione & continuatione vnum sunt; Ecclesia sicuti propter suam vniuersitatem locorum & hominum, id est, propter omnium gentiũ fidelium cõmunionem vna est, vt corpus, vt arbor

Ex Perpetuitate Ecclesiæ vnitatis ratio dependet.

A vt arbor, vt regnum, vt ouile, vt totum quiddam existens & permanens; ita propter suã perpetuitatem & continuationem vna est vt dies, vt annus, vt flumen, & similia. Hęc enim omnia vnum sunt, quia vnam originem habuerunt, vna & interrupta successione fluxerunt, & in ipso fluxu prioris cum posteriore perpetuam similitudinem retinent. Neque enim (verbi gratia) flumen vnum erit, quod diuersas origines habuit, posteaque coaluit, sed duorum fluminum erit concursus. Nec eodem nomine censebitur, si postea, vel fluere desistat & in stagnum desinere, vel aliis se aquis immisceat, vt cùm flumina in mare decurrunt. Sic Ecclesia ideo continuatione vna est, primùm quia vnica eius origo fuit illa Ecclesia Spiritu sancto perfusa in die Pentecostes: de qua origine Saluator dixit. *Incipientibus ab Hierusalem.* Deinde quia ab illa origine, sic per omnes gentes *vsque ad vltimum terræ* (vt Saluator prædixit) propagata est, vt ab eo tempore, nunquam fluere & crescere desierit, iuxta christi promissum. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Postremò, quia in hoc toto fluxu & continuatione, sibi semper similis fuerit, videlicet, *eodem Dei Spiritu in æternum edocta*, eadem fide, & religione à maioribus accepta, ad posteros per manus tradita, & deinceps semper tradenda. Hæc est Ecclesiæ perpetuitas, & propterea vnitas. Hinc Cyprianus in verbis modò allegatis apertissimè Ecclesiam, propter primi generis vnitatem *lumini Solari, & arbori*, comparauit, quę in esse & re permanenti vna sunt. Propter huius posterioris generis vnitatem, *flumini* comparauit, *cuius origo est vna, sed fœcunditatis successibus copiosa.* Sic ex aduerso, hæreses vocat Athanasius *decumanos fluctus, qui subinde variis doctrinæ ventis agitati, in sese tandem reuoluti, despumantes euanescunt: Ipsa interim Ecclesia constanter & solide gubernaculum tenente rectæ & piæ fidei, in Cymba Apostolica.* Hæc ille. Ex hac sanè perpetuitate eiusdem doctrinæ, vnitatem fidei probans

B Sanctus Basilius ait; *Si alias licet, atque alias fidei confessiones scribere & pro temporum varietate mutare, falsa est sententia eius qui dixit.* Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma. Hæc ille. Est ergo Ecclesia, quia perpetua & semper sibi similis, ideo vna.

Ecclesia vna esse & tempore. — *1. Ecclesia origine vna.* — Luc. 24. — *2. Continuatione vna.* — Act. 1. — Mahtt. 28. — *3. Fidei stabilitate vna.* — Ioan. 14. — Gal. 1. — *Hæreses decumani fluctus. Athanasius in fine Sermonis contra omnes hæreses.* — Basilius epistol. 73.

Vocatur Ecclesia propter easdem etiam duas proprietates, Apostolica.

CAPVT V.

ECCLESIA propter suam perpetuitatem & generalitatem, verè Apostolica est. Nempe non aliam magis ob causam in Symbolo dicitur Ecclesia Apostolica, quàm quia ab Apostolis per omnes terras propagata est: (Iuxta illud, *In omnem terram exiuit sonus eorum.*) & quia Apostolica prædicatio cæteris Ecclesiis communicata, perpetua successione in Ecclesia conseruata est. Sic ex hoc loco antiquissimi patres contra sui temporis hæreticos præscripserunt. *Apostoli*, inquit Tertullianus, *apud vnamquanque ciuitatem, Ecclesias condiderunt*; vel per se scilicet, vel per alios: vt Apostolus Paulus Tito mandauit, *vt constitueret per ciuitates Præsbyteros. Ab his autem ciuitatibus, seu Ecclesiis ab Apo-*

C *stolis constitutis, traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne enim genus ad originem suam censeri debet. Erunt itaque tot & tantæ Ecclesiæ, vna illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum omnes vnã probant vnitatem.* Hæc ille. Propter hanc causam, prouocat ibidem sui temporis hæreticos, vt si ad Ecclesiam pertineant, perpetuitatem suam ab Apostolis vsque deductam ostendant. *Edant*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cũ Apostolis perseuerauerint, Authorem habuerit & Antecessorem. Hoc enim modo, Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Hæc ille. Móxque de Smyrnæorum & Romanorum Ecclesia, quarum illa ad Ioannem, hæc ad Petrum originem suam refert, exemplum subiiciens. *Confingant*, inquit, *tale aliquid heretici. Sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolis comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, nec Apostolici viri.* Hæc ille. Pari ratione & Irenæus contra hæreticos disputat. *Habemus*, inquit, *enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & succes-*

Quare in Symbolo Ecclesia dicitur Apostolica. — Rom. 10. — *Tertullianus in libello de præscriptionibus.* — Tit. 1. — *Origo & successio probat ecclesiam Apostolicã.*

Irenæus li. 3. cap. 3. *Successionum ordo.* D

sores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt: &c. Sed quoniam valde longum esset omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & ab omnibus cognitæ, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ fidem, per successiones Episcoporum ad nos vsque peruenientem, indicamus: Móxque omnes Romanos Episcopos, à Petro vsque ad Eleutherium tunc Romæ sedentem enumerat, & hanc vocat *Plenissimam veræ Ecclesiæ ostensionem*, seu demonstrationem. Similiter & alibi. *Agnitio*, inquit, *vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secūdum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodita, &c.* (Lib. 4. cap 63.) Eodem argumēto vtitur contra Donatistas Optatus. (Optatus li. 2. contra Parm.) *Vestræ*, inquit, *cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare*: Enumerauerat enim eodē in loco Romanos Episcopos, à Petro vsque ad Siricium sui temporis Papam, *qui*, inquit, *noster est socius, & cum quo nobis totus orbis commercio formatarum* (id est, literarum testimonialium vt hodie vocantur) *in vna communionis societate concordat.* Hæc ille. Nec aliter post hunc Augustinus contra eosdem Donatistas disputat, vt eos in Ecclesiæ sinum recolligat. (*Augustinus successionis ordinē vrget.*) Sic enim scribit, in Psal. contra partem Donati principio Tom. 7. *Venite fratres, si vultis, vt inseramini in vite: dolor est, cùm vos videmus ita præcisos iacere.* Rationem autem qua inserantur volens ostendere, subiungit. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in illo patrum ordine quis cui successit videte.* (Epist. 165.) Hæc ille. Et quod hic facere Donatistas suadet, facit ipse alibi cōtra Donatistas disputans: enumerans enim Romanos Episcopos à Sancto Petro vsque ad Anastasium; tunc Romanum Pontificem: (Hæresi 66.) *In hoc*, inquit, *ordine successionis, nullus Donatista Episcopus inuenitur.* Sic & Epiphanius contra Manichæos omnium Hyerosolymitanorum Episcoporum seriem & successionem producit. E Et contra Carpocratianos, Romanorum Pontificum successionem profert: móxque rationem subiicit. (Hæres. 27.) *Et ne quis miretur quòd singula ita exactè recensemus: Per hos enim semper id quod manifestum est in fide, ostenditur.* Sic autem hi doctissimi Patres contra hæreticos disputarunt, vt suam Ecclesiam inde Apostolicam esse ostenderent, quia Ecclesiis ab Apostolis fundatis communicarent. (Lib. 2. cap. 16. cont. Petilia.) Quam sane ob causam, cùm alibi Petilianum Donatistam schismaticum esse, inde probare vellet Augustinus, quòd non communicaret cum omnibus gentibus, addidit, *nec illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis.* (De vnit. Ecclesiæ. cap. 10.) Hinc etiam in libro de vnitate Ecclesiæ. *Vos*, inquit, *Donatistæ, solas Apostoli Epistolas ad Romanos, ad Corinthios & Ephesios in lectione retinetis; Nos autem & Epistolas illas in lectione ac fide, & Ecclesias ipsas in communione retinemus.* Hæc ille. (Opt. lib. 6.) In eandem sententiam scribit Optatus. *Vt quid*, inquit, *audetis Epistolas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthiis communicare noluistis? Vt quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scripta recitatis, in quorum communione non estis? Cùm hæc omnia ita esse constet, intelligite vos ab Ecclesia Sancta esse concisos & nos non esse pollutos.* (*Apostolica ecclesia quæ dicenda.*) Ergo inde Apostolica censetur Ecclesia, quia communicat Ecclesiis Apostolico labore per vniuersum orbem fundatis, & in fide Apostolica perpetua successione persistentibus. Idem vrget Augustinus contra Cresconium Donatistam lib. 3. cap. 35.

Vera Ecclesia iuxta statum noui Testamenti definitio plenissima, & data definitionis defensio. F

CAPVT VI.

Recapitulatio præcedentis disputationis.

SATIS iam supérque in Ecclesiæ notis ac proprietatibus inuestigandis, laboratū videri potest, vt quæ tandem & penes quos illa sit, certò & euidenter concludatur. Nam primùm quidem, aduersariorum errores & opinio-
1. nes vanas circa veræ Ecclesiæ notionem ita confutauimus, vt nec ex solis bonis, aut perfectis, aut denique prædestinatis, eam consistere; nec societa-
2. tem aliquam esse Christianorum hominum, vel obscuram & latentem;
3. vel paucorum & raram; vel denique interruptam & subinde emergentem, quasíque semper
4. cum tenebris reluctantem; sed contrà, societatem illam esse claram, & visibilem, per omnes
5. gentes diffusam & crescentem; stabilem quoque & perpetuam ostenderimus. Notas quoque fallaces & vanas quibus veram Ecclesiam describere & demonstrare conati sunt, obiter
Lib. 1. cap. 11. euertimus. Postremò, vt euersis primis erroribus, quare Sancta Ecclesia diceretur, ostendimus; ita posterioribus his commentis sublatis, fraudibus aduersariorum vbique detectis, cauilla-

A cauillationibus repressis, argumentis cōfutatis, veræque Ecclesiæ visibili claritate, illustri amplitudine, certa perpetuitate demonstrata: ex eisdem proprietatibus, vocari & esse verā Christi Ecclesiam, vnam, Catholicam, Apostolicam: deniq; quanti has notas certa ratio valere doceat, totáque Antiquitas semper fecerit, demonstrauimus. Quibus sanè omnibus ita explicatis, & confirmatis, vera & quidem, ni fallor, plenissima veræ Ecclesiæ definitio, seu potius descriptio, hæc statui potest. 6. 7.

Ecclesia Christi secundum statum noui Testamenti, est multitudo collecta fidelium omnium Christi nomen profitentium, incipiens à Hierusalem, indéque per vniuersum mundum visibiliter dispersa; crescens per omnes gentes; successione & pastorum & populorum perpetua; semper illustris & manifesta; mixta bonis & malis, electis & reprobis; fide & sacramentis sancta; communione totius vna; origine & successione Apostolica; amplitudine & perpetuitate Catholica; fidei propagatione & conseruatione firma; vsque ad finem seculi duratura. *Plenissima Ecclesiæ definitio seu descriptio.*

Verbosior hæc paulò definitio videri fortasse cuiquam potest. Sed is expendat oportet, primùm dialectico more strictam & formalem Ecclesiæ definitionem hic à nobis non quæri, quæ ex solo genere & essentiali differentia constet, sed omnes eius proprietates & notas, hic B contineri propter Controuersiæ & aduersariæ litis quæstiones, vt potius quo modo certè nobis innotescat, quàm quid & quæ eius natura sit, definiatur: Deinde ipsam Ecclesiam huiusmodi quid non esse, vt paucis definiri queat, etsi sola eius natura quæreretur, absque remotione falsi nominis Ecclesiarum; quod hîc potissimum spectatur. Aliud enim est collectum aliquid & cōpositum definire, aliud simplex & absolutum. Sed quod ad rem ipsam attinet, singulas huius definitionis partes in vera Ecclesia desiderari, & ei proprias esse, vt nec in aliam aliquam collectam multitudinem quæ vera Christi Ecclesia non sit, illæ competere possint, neç quæ illis careat, pro Ecclesia censeri debeat, ex superiori tota disputatione probatum & demonstratum est. Vnum adhuc forte addi definitioni possit, de huius multitudinis vicario Capite, Petri successore, ne Corpus absque Capite definitum videatur. Sed quia ratione tantùm non re distinguitur à capite totum corpus, estque ipsius corporis membrum, præcipuum quidem, membrum tamen, propterea definiendo corpus, de capite nihil diximus. Veruntamen & huius Capitis in proxima Controuersia, validissima afferetur & lucidissima (fauente Deo) demonstratio. Lib. 6.

Vt autem definitionis datæ ratio & cōgnitas nonnihil elucescat, & de proprietatum quas collegimus necessitate magis constet, (nam de veritate rerum ipsarum quæ in definitione ponuntur, satis disputatum est,) pauca ea de re subiiciemus. Itaque quod ad proprietates à nobis collectas, & tanto studio cōfirmatas attinet, vt inde Ecclesiam describeremus; Prima & potissima causa est, quia per tales proprietates eam nobis Sacra Scriptura describit, atque huiusmodi societatem ac corpus, Christianam Ecclesiam fore creberrimis testimoniis affirmauit, vt C non occulta sed conspicua & illustris, non paucitas sed multitudo & in omnium gentium communione posita, denique non interrupta sed perpetua esset, ad finem vsque seculi fidelium & pastorum successio. Si aliter eam nobis Scripturæ descripsissent, & aliter de eius natura censeremus. Non enim quia hæ proprietates nobis sunt commodæ, nec simpliciter quia tale corpus hactenus Christianorum Ecclesia de facto fuit, sed quia spiritus sanctus eam taliter & in Scripturis fore promisit, & postea de facto huc vsque exhibuit, propterea taliter eam describimus, & tali Ecclesiæ humiliter adhæremus. Et hoc est quod sapienter Augustinus cōtra Donatistas scripsit. *Vtrum ipsi teneant Ecclesiam, non nisi diuinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere quòd in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus commendauit Mileuitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alij innumerabiles nostræ communionis Episcopi, aut quia nostrorum collegarum Conciliis ipsa prædicata est, aut quia per totum orbem nostra frequentatur communio;* (scilicet quia de facto hactenus talis extitit) *sed quia* (vt per totum illum librum copiosè demonstrat) *talem Ecclesiam commendant Scripturæ diuinæ, in lege, psalmis, prophetis, & Euāgelio, quæ per orbem terrarum diffunderetur, & cresceret vsque ad messem, hoc est, vsque ad finem seculi.* Hæc ille. Eādem rationem eiusdem libri cap. 3. adfert, vt est à nobis antea commemoratum. 1. Ratio. *Talis Ecclesia definitur, qualis in Scripturis futura describitur.* De vnit. Ecclesiæ, cap. 16. Lib. 2. in proœmio.

Deinde hoc ipsum Ecclesiæ naturæ & rationi maximè conueniebat. Etsi enim esse visi- 2. Ratio.

bilem, esse huiusmodi quæ crescet per omnes gentes, esse perpetuam Ecclesiam, non videtur D
quicquam ad religionem ipsam qua Deus ab Ecclesia colitur, pertinere; sed conditiones & qualitates videantur politicæ potius quàm Sacræ, & humanæ magis quàm diuinæ; tamen ad Ecclesiæ veræ naturam inuestigandam, sunt profectò conuenientissimæ planéque necessariæ. Nam aliud est quærere, quid constituit religionem ipsam, cultum Dei, aut fidem, siue hominem fidelem in quo illa sunt; aliud, quid constituat totam fidelium societatem quæ Ecclesia dicitur. Religio enim certè, cultus Dei, fides, & similia, quum sint virtutes sacræ, ex ea actione, obiecto, fine cognoscuntur, & describuntur, quæ ad ipsarum virtutum naturam pertinent; puta credere in Deum vt oportet, & colere vt oportet. Sic etiam & fidelis ex iis describi debet, quæ propriè fidelem constituunt; qualia sunt, recta fides, sana doctrina, charitas, deuotio, pietas & his affinia. At verò Ecclesia, quum sit collecta fidelium multitudo, ex iis cognoscitur & definiri debet, quæ tali collectæ multitudini, quatenus tali, sunt propria. Itaque sicut fides à perfidia, & fidelis ab infideli, religio quoque à superstitione, rectissimè dignoscuntur per sanam doctrinam, per rectum Sacramentorum vsum, per verbum Dei agnitum, prædicatum, & obseruatum, (hæc enim illis intrinseca sunt) sic Ecclesia à falsis conuenticulis dignoscitur per ea, quæ fidelium multitudini legitimè congregatæ, atque eo quo oportet modo collectæ conueniunt, quæque illi vt tali multitudini sunt propria. Cuius sane distinctionis vel ignorantiæ, vel neglectio in causa fuit, vt Protestantes Notas suprà citatas veræ Ecclesiæ stultè admodum affingerent. Huiusmodi autem sunt Vniuersalitas locorum, siue propagatio per omnes gentes, perpetuitas & continua successio, vtraque etiam clara & illustris. Conuenticula enim econtrà, sunt paucorum & hominum, & temporum, & locorum; sunt rara, sunt obscura, sunt scopæ dissolutæ; sunt hic & illic, in deserto, in penetralibus, in partibus, in sarmentis E
præcisis; neque hoc fortuitò aut per accidens in illis reperitur; sed planè vt ita se haberent, diuina prouidentia propter grauissimas causas superius citatas disposuit, volens videlicet veram Ecclesiam, corpus & sponsam filij sui redemptoris nostri huiusmodi claris, perspicuis, & illustribus notis ac signis, ab adultera & fornicaria, à schismatica & hæretica turba discerni, atque discerminari.

Ecclesia per ea quæ collectæ multitudini sunt propria definienda.

Falsæ ecclesiæ Conuenticula qualia.

Lib. 2. cap. 6. & 7.

3. Ratio.

Rursum Ecclesia quum sit Corpus, non membrum; per ea cognoscitur quæ corpori, vt tali conueniunt, non quæ membris vt talibus competunt. Itaque alia debet esse descriptio Ecclesiæ omnium fidelium, alia ipsius fidelis. Ex quo fit, vt Ecclesia definita tanquam Corpus, per illa corporis propria definiatur, Visibilitatem, multitudinem, perpetuitatem; quia Ecclesia corpus est visibile, crescens per omnes gentes, & perpetua successione perdurans, quasique his tribus dimensionibus constans. Longitudo enim & latitudo huius corporis in ipsa amplissima eius multitudine longè latéque diffusa conspicitur. Crassities & robur in ipsa eius firmitate & duratione apparet. Quòd si dicas, nihilominus Ecclesiam quoque, vt corpus est, & multitudo collecta, quia non nisi in fide & vera religione colligitur (nam alioqui & sectæ Mahometanæ magna est & ingens collecta multitudo, longa quoque & multorum annorum successio) debuisse propterea per ipsam veræ fidei doctrinam, & veræ Religionis vsum describi, & à falsis Ecclesiis internosci, ad hoc dupliciter respondemus. Primùm, conceditur sanè internosci posse veram Ecclesiam à falsa per veram doctrinam in qua colligitur, & qua F
nunquam carere potest: sed non id cuiuis obuium & expeditum esse; paucorum hoc & non nisi perfectorum atque spiritualium, id est Ecclesiæ Magistrorum esse; litigandi semper & rixandi materiam ex tali discrimine relinqui. Quæritur autem hic talis Ecclesiæ descriptio seu definitio, quæ eam omnibus non solùm sapientibus & eruditis, sed etiam rudibus ipsis & imperitis fidelibus, imò infideli quoque ipsi conspicuam reddat, cognitúque facilem. Idque ob hanc causam, quia omnibus est necessaria Ecclesiæ cognitio, rudibus ipsis & infidelibus: his, vt ad Ecclesiæ fidem accedere, illis vt in Ecclesiæ fide contineri possint. Quemadmodum ergo discernunt hominem à bruto, paruuli quidem & infantes per externa tantum lineamenta corporis, & figuram hominis, (quia iudicium eorum non excedit sensum,) adulti verò & rationis vsum habentes, indocti tamen & rudes, per operationes vitæ & functiones propriè humanas; vt loqui, more humano ambulare, & similia; sapientes autem & prudentes, quorum iudicium altius penetrat, per animi prudentiam aliasque dotes homini adhuc magis excellenter proprias; sic Ecclesia Christi à sapientibus quidem cognoscitur per sanam doctrinam, & rectum sacramentorum vsum: ab imperitis autem fidelibus, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis & mediis considerata iudicare non possunt, & ab ipsis quoque infidelibus, qui parum aut nihil de Ecclesiæ doctrina norunt,

Obiectionis Remotio.

Ecclesia sic debet describi, vt ab omnibus cognoscatur.

Simile.

A runt; per externam faciem & multitudinem populorum credentium & Pastorum. Debet autem Ecclesia cognosci, non solùm à peritis sed etiam ab imperitis, ideóque sic definiri, vt ab vtrísque cognosci queat. Deinde, colligitur sanè Ecclesia in vera fide ac religione, neque ea carere potest; sed Ecclesia vt Corpus non per ipsam religionem aut fidem subsistit proximè, aut conseruatur immediatè (licet in vnoquoque Ecclesiæ membro hoc verum sit) sed subsistit, conseruatur, & operatur per huius corporis capita Pastores, Doctores, & Magistros. Per quos sanè Pastores legitimè missos, tum à schismaticorum & hæreticorum factionibus, tum etiam multo magis à secta Mahometana, (cuius successionem, durationem & amplitudinem Protestantes hodie quasi quiddam Catholicę simile obiiciunt) aut alia quacunque infidelium Multitudine, quantumcunque numerosa & annosa, facillimè discernitur. Nam vt in persona Capitis Christi nomen, sic in forma Corporis, Pastorum & Magistrorum à Christo datorum legitima & ordinaria successio, veram Christianorum Ecclesiam à quacunque infidelium, paganorum, aut quarumcunque sectarum societate & multitudine, longè latéque discernit. Quanquam sanè hoc in loco id solum discrimen & eas differentias quærimus, quibus à Christianorum hæreticis & schismaticis vera Christi Ecclesia dignosci queat. *Ecclesia vt corpus subsistit immediate per pastores, non per ipsam fidem.*

Ex hac quoque consideratione, elucescit ad alteram definitionis partem, quæ à successione Episcoporum & Pastorum desumpta est, elucidandam, & quòd conueniens ac idonea ad rem præsentem sit demonstrandam, euidens ratio. Nam per quæ subsistit aliquid, conseruatur, operatur; per ea commodissimè dignoscitur. Sic enim corpus quidem viuens per vitæ principium in eo agens, sensibile per sensus operationem, totus homo per rationis vsum dignoscitur & deprehenditur. Quia ergo subsistit Ecclesia per *Pastores*, *Magistros*, *& Præpositos* suos legitimè vocatos & ordinatos (hæc autem vocatio & Ordinatio legitima non fit nisi per legitimam successionem, vt suo postea loco demonstrabitur) fit vt per successionem veram atque legitimam Episcoporum atque pastorum, dignoscatur vera Ecclesia. Rursum quia conseruatur Ecclesia per vnitatem Spiritus & animorum consensum in religione stabilem (hinc enim fit vnum corpus, & in perpetuo fieri conseruatur) sanè per consensum totius orbis Christiani, seu communionem omnium gentium in vna fide collectam, vera Ecclesia dignoscitur. At verò quia consensus iste & vnitas fidei, quæ est vitale principium propagandæ & conseruandæ Ecclesiæ, & quicquid præterea per Ecclesiam Deus operatur ad salutem nostram, siue docendo & prædicando fidem, siue administrando sacramēta, siue formandis moribus leges imponendo, siue Scripturas Sacras exponendo, siue ipsas Scripturas Sacras nobis commendando, seu alia denique quacunque in re *ad ædificationem Ecclesiæ & consummationem Sanctorum* pertinente; quia inquam hoc totum nec per quemuis fidelem, nec per totum Ecclesiæ cœtum, sed per Pastores & Magistros Ecclesiæ facit (vt suo loco ostēdetur) profectò per ipsos Ecclesiæ præpositos, & eorum certam successionem, intelligetur vbi & penes quos fuerit Ecclesia: quemadmodum sanè ibi est Senatus, vbi agit Princeps; vel Regum, vbi Regum successio obtinet; vel omnis denique Multitudo, quæ quidem ordinata est,

4. Ratio.

B

Ephes. 4. Hebr. 13.

Lib. 5. cap. 7.

Ephes. 4.

Lib. 5. cap. 5. & seq.

C vbi Caput conspicitur.

Postremò, Ecclesia quum à nobis in Symbolo fidei credenda præscribitur non aliis epithetis, quasi notis ac characteribus propriis exprimitur, quàm vt Catholica, & Sancta; vt Apostoli eam vocarunt, posteàque Apostolica, & vna, & in Conciliis Sacris Nicæno & Cōstantinopolitano primis nuncupata est, diceretur. Vocata est autem Sancta quia non nisi fideliū est societas, quasi nomine proprio: Sed addita est Catholica, vt cognomen, quo inter ipsos sanctos, hoc est, fideles seu Christianos dictos, discrimen certum haberetur. Huic etiam cognomini maioris lucis & distinctionis causa, adiectus porro est Apostolicæ & vnius titulus. Iam verò in superioribus ostensum est, has tres notas & characteres Ecclesiæ Christianæ, Catholicam, Apostolicam, vnam, non nisi propter tres illas proprietates ex Scripturis à nobis collectas, Multitudinem videlicet per omnes gentes diffusam, Perpetuitatem nunquam intermissam, vtramque etiam conspicuam, & illustrem, ipsi Ecclesiæ attributas & appropriatas fuisse. Rectissimè ergo ex illis proprietatibus, vera Ecclesiæ veræ definitio & natura, (qua scilicet à falsò dictis Ecclesiis omnibus clarè & liquido discerneretur) inuestigari atque constitui debuit: sicuti & antea obiter præstituendo monuimus. Atque hæc quidem datæ definitionis rationes & causas breuiter, sed efficaciter satis complecti videntur.

5. Ratio.

Cap. 2. 3. 4. 5.

Demonstratio, quòd Protestantum multitudo ad veram Ecclesiam nullo modo pertinere potest. Et primùm, quia non communicant omnibus gentibus.

D

CAPVT VII.

HIs ergo ita in genere hactenus de Ecclesia disputatis, eáque semel definita, & in suis notis ac proprietatibus certissimè descripta, à thesi ad hypothesim transeamus, & (quod totius disputationis huius nostræ finis ac scopus erat) id concludamus, aduersarios ad Ecclesiam nullo modo posse pertinere; nos verò singulari Dei beneficio in illa societate esse, quæ vera & sola Christi Ecclesia est. Priùs autem de priori parte, de altera posteriùs dicemus. Dico ergo multitudinem & cœtum Protestantum, qui se hodie Euangelicos dicunt, & qui ab Ecclesia Romana recesserunt, veram Dei & Christi Ecclesiam esse non posse. Probatur autem hæc assertio nostra variis modis, & argumentis; idque, ni fallor, luculentissimè & inuictè.

1. Probatio. Prima probatio erit, quia non cōmunicat omnibus gentibus, Christi nomen & fidem etiã hodie profitentibus. Aduersatur enim & execratur non Romanę tantũ vrbis aut diœcesis, sed & omnes Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, Galliç, Hispaniarũ, Germaniæ, vtriusque superioris & inferioris (quas duas cùm dico, multas & magnas gentes dico:) Heluetię, Poloniæ, Hungariæ, Illyrici seu pannoniæ, Bohemiæ, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, vtriusque Indię, Orientalis per Lusitanos, & Occidentalis seu potius Noui orbis per Hispanos, recenti patrũ nostrorum, & nostra memoria à paganismo ad Christi fidem conuersæ, Armenię, Æthiopię, cæterarúmque gentium (neque enim omnes à me recenseri possunt) Ecclesias frequẽtissimas & populos amplissimos, vni Romanæ Ecclesiæ in fide ac religione vnitos. Itaque non habetur eorum communio, vbicunque Christi nomen prædicatur; sed certis tantùm in locis, vt in quarundam quidem ex his gentibus certis ciuitatibus, Comitatibus, ducatibus; in plærisque verò harum gentium non omninò, vt in tota Italia, in tota Hispania, tota Lusitania, tota Sabaudia, tota Sicilia, Sardinia, Corsica, Pannonia, in multis ipsius Germaniæ celeberrimis prouinciis, vt in tota Bauaria, tota Carinthia & Tirolensi Comitatu, aliísque variis dominiis, denique in tota Græcia, tota Armenia & Æthiopia, tota India Orientali, & toto nouo orbe, qui varia & amplissima Regna (quæ vniuersam planè Europam magnitudine & amplitudine longè superant) complectitur. Etsi enim in multis Germaniæ partibus, in Anglia & Scotia pene dominentur: in Gallia, Polonia, & Heluetia valdè grassentur; tamen & in illis ipsis locis, frequens & ampla, illustris & conspicua est Catholicorum communio, Ecclesiæ Romanæ vnita. In plurimis verò locis est Catholica, vbi non sunt Protestantes: imò multæ gentes

Communione Christiani orbis carent Protestantes.

F

Lib. 2. cap. 16. cont. eúdem. Libr. eodem. cap. 104. Lib. de vnit. Ecclesi. cap. 3. & 4. Lib. de Pastoribus cap 8. Augu. Epist. 161.

sunt, ad quas adhuc nec fama Protestantum peruenit. Hoc argumento, vt suprà vidimus, probat Sanctus Augustinus, Petilianum esse schismaticum; & postea Donatistas vniuersos non esse Ecclesiam. Imò omnes hæreticos hinc conuinci, quòd extra veram sunt Ecclesiam, pluribus in locis demonstrauit; vt supra ostensum à nobis est, ex lib. de vnitate Ecclesiæ & de Pastoribus. Quibus adde, si placet, breuem sed egregiam eiusdem doctissimi Patris disputationem epist. 161. Enumeratis enim variis totius orbis Ecclesiis (sicuti iam à nobis factum est) *his omnibus*, inquit, *Ecclesiis nos communicare manifestum est, sicut manifestum est vos illis Ecclesiis non communicare. Ecclesia enim Catholica est etiam in Africa: pars autem vestra quæ Donati dicitur, non in omnibus illis locis.* Hæc ille. Vel hac ergo sola ratione, (nisi fortè iam naturam & speciem suam Ecclesia mutauerit, aut vanum hoc argumentandi genus toties ab Augustino, & aliis patribus vsurpatum videatur,) euidenter probatum fuerit, Protestantum cœtum & multitudinem ad Ecclesiam Christi pertinere non posse.

2. Probatio. Sed altera quæ sequitur firmior probatio erit, non ex humanis coniecturis, sed ex diuinis documentis desumpta. Quamuis enim inuenirentur hodie Protestantes in omnibus Christiani orbis partibus; nec minus in vtrinsque Indiæ amplissimis regionibus, Armenia, Æthiopia, Hispaniis, Italia, Lusitania, aliísque his adiacentibus Insulis & regnis nunc grassarentur, quàm in Germania, Gallia, Anglia, grassentur; nec si tamen Ecclesiam Dei Catholicam & veram

A verã cõſtituerent;idque propterea, quia cum harũ gentiũ Germaniæ, Angliç, Galliæ, Scotiæ, aut aliarũ quarumcunque in quibus nunc ſunt, Chriſtianis fidelibus, quotquot ante hęc tẽpora fuerunt non cmunicant, ſed locorum, ciuitatum, & regionum in quibus nunc agunt, (ſicuti & aliarum gentium omnium) maiores omnes adeóque ipſos ſingularum gentium Apoſtolos, vt in Germania S. Bonifacium; in Phriſia, Vvillebrordum; in Hollandia Suibertum, in Anglia Auguſtinum, alióſque alibi, idololatriæ, ignorantiæ, ſuperſtitionum, & meri Antichriſtianiſmi nomine condemnant. Cuius rei argumentum euidentiſſimum eſt, quòd ſuperiorum ætatum omnium, Paſtores, Doctores, epiſcopos, Synodos omnes ſeu Concilia primùm à trecentis, poſtea à mille annis, demum vſque ad ipſos Apoſtolorum proximos ſucceſſores, damnant: atque repudiant pro teſtibus veritatis, ſicuti ex eorum verbis antea audiuimus. Quibus etiam maioris adhuc lucis cauſa addemus vnius Ioannis Vvigandi verba, hominis Stoicè Lutherani, & Centuriaſtæ Magdeburgenſis, qui in libro cui titulum fecit, De bonis & malis Germaniæ Admonitio, anno 66. edito, *Secundum*, inquit, *Germaniæ beneficium eſt, præcipuorum articulorum fidei illuſtratio, qualis ab Apoſtolorum temporibus huc vſque in hoc mundo non eſt cognita. Diſcrimen enim legis & Euangelij prorſus obliteratum fuit poſt Apoſtolorum tempora. Sed per Lutheri miniſterium dilucidè explicatum. Totum denique corpus cæleſtis doctrinæ, tale eſt à Theologis Germaniæ traditum, quale in omnium patrum ſcriptis nullum inuenitur.* Atque hæc quidẽ Lutheranus ille pro ſe ſuáque ſecta. Vide ex altera parte an non tantundem ſibi vendicet Caluiniſta. Theodorus Beza, in vita Caluini quam obiter deſcripſit, affirmat: *Vni Caluino poſt Christum & Apoſtolos, deberi veram & germanam de Cœna Domini intelligentiam.* Hæc il-
B le. Tantundem de aliis ſuis Magiſtris, alij ſectarij venditant. Quibus ſanè omnibus cum D. Hieronymo reſpondeo. *Poſſem credere, ſi hoc vnus diceret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Interim tamen ſatis opinor apertè omnes aliarum nationum & temporum Eccleſias vtraque ſecta condemnat, atque in ſolis illis qui nouos hodie Theologos ſequuntur, & in hoc ſolo tempore Eccleſiam ponit. Hinc ſanè euidenter apparet, quòd Eccleſiis omnium gentium non communicant, ideóque membra illius Eccleſiæ non ſunt, quæ iuxta promiſſiones propheticas & Chriſti Saluatoris, per omnes gentes creſcere, omniúmque gentium communio & ſocietas eſſe debebat, conſequenter autem neque veræ Eccleſiæ. Illa enim talis eſſe debet, qualis in Scripturis, prædicta, promiſſa & deſcripta eſt.

Proteſtantes nõ communicant cũ Eccleſia maiorum.

Vide Cent. Soery ad an. 1566.

In epiſt. ad Damaſum.

Idem demonſtratur, quia à parte nomen habent Proteſtantes omnes, & recenter exorti ſunt.

CAPVT VIII.

C PRAETEREA. Proteſtantum omnis multitudo à parte nomen habet, nec aut à Capite Chriſto Chriſtiani, aut à toto corpore Catholici, proprio vocabulo nuncupantur; ſed vel ab Authoribus ſuis nomina acceperunt, vt Lutherani à Luthero, (ſic enim ſeipſos diſertè vocant in repetitione Confeſſionis Auguſtanæ, non longè ab initio: vbi & Lutherum ipſum ſic extollunt, vt dicant; *Politicam poteſtatem magis ornatam & illuſtratã eſſe Lutheri ſcriptis, quàm vllis aliorũ ſcriptis poſt Apoſtolos*) à Caluino Caluiniani, vel à noua & inaudita ac ſingulari doctrina, ſingulari titulo nũcupati ſunt, vt à rebaptiſatione Anabaptiſtæ, à venerabilis Sacramẽti negata veritate Sacramẽtarij, à commentiria illa Chriſti corporis omnipræſentia, Vbiquitarij & his conſimiles. Sunt ergo hæretici, nec ad Chriſti Eccleſiam, ſed ad Antichriſti Synagogam pertinent, vt ſuprà ex D. Hieronymo in dialogo aduerſus Luciferianos, & ex D. Auguſtino in lib. de Vtilitate credendi cap. 7. & ex Lactantio lib. 4. oſtendimus. *In parte enim litigant vt totum perdant*, vt de Donatiſtis dixit Auguſtinus. Quibus addam præclaram hac de re doctiſſimi patris Athanaſij diſputationem. *Nunquam*, inquit, *populus fidelis ab Epiſcopis ſuis ſed à domino cui creditum eſt, nomen acceperunt. Illi verò qui aliunde originem ſuæ fidei deducunt, meritò authorum ſuorum cognomenta, vt ad quos pertineant, præ ſe ferunt. Quapropter quum omnes à Chriſto Chriſtiani diceremur, exploſus eſt Marcion inuentor hæreſis; reliqui autem qui cum exploſore Marcionis remanſere, Chriſtiani titulum retinuerunt: qui verò ſequuti ſunt Marcionem, non iam inde Chriſtiani, ſed Marcionitæ appellati ſunt.* Idem mox de Valentinianis, Baſilidianis, Manichæis, Symonianis, Nouatianis, Meletianis,

3. Probatio.

Lutheranorum intemperãs arrogantia.

Supra cap. 5. & 2.

Epiſt. 17.

Orat. 2. cõtra Arrianos.

Arrianis factum fuisse ostendit. At, inquit, *qui manserunt cum* Alexandro, (qui Arrium excom- D
municauit) *eiusque successoribus, nec ab Alexandro, nec ab aliquo eius successore nomen acceperunt;*
sed consueto more Christiani, vt prius vocati sunt. Contrà, qui hæreticos sequuntur, tametsi mille mille
successores habeant, omnes tamen nomen eius, qui primi hæresim adinuenit, referunt. Hæc ibi, multá-
que in hanc sententiam alia Athanasius; vocans hoc *eximium & admirabile argumentum, ad se-*
ctam hæreticam explorandam. Similia scribit Athanasius in quæst. ad Antiochum q. 44. vt citat
Franc. Turrianus in Apologetico contra Boquinum cap. 3. Hæc autem omnia præsentibus
hodie sectis applicare, facillimum est. Illis enim omnibus varias nomenclaturas adeptis, &
quidem necessariò, vt ab aliis diuersæ sententiæ sectis distinguerētur; sola vera Ecclesia vetus
nomen retinuit, vt Christiani Catholici, vel (quod idem valet vt suprà ostensum est) Pontificij
Supra cap. 2. & Papistæ nuncuparentur.

Protestantum excusationi occurritur. Neque verò quicquam hoc loco vana illa quorundam Protestantum excusatio, aut exce-
ptio iuuat, qua dicunt eos demum hæreticos censendos esse, qui huiusmodi propria nomina
sibi assumpserunt atque elegerunt, non autem semper pro hæreticis habendos, qui aliquo sin-
gulari nomine nuncupati sunt. Nam ab Arrianis veram Catholicorum Ecclesiam, Homou-
sianos & Athanasianos quasi nouo & proprio nomine vocatam fuisse. Huic enim excusatio-
1. ni breuiter respondetur, primùm tam Lutheranorum (vt modo ostendimus) quàm Protestan-
tum vocabula (hoc enim se nomine passim nuncupant) etiam assumpta, atque à seipsis sibi
2. ipsis attributa fuisse. Deinde non ideo à propriis nominibus hæretici censentur, quia huius-
modi nomina sponte suscepta sunt (rara enim hæc vel impudentia, vel imprudentia est) sed E
quia res ipsa semper coegit, huiusmodi propriis nominibus hæreticos vocari, vt à reliquis
Christianis hac ratione distinguerentur. Ægrè tulerunt Nouatiani se hoc nomine designari,
& populum Cypriano adhærentem Catholicum vocari, vt videre est apud D. Pacianū Epist.
Suprà cap. 3. 2. ad Sympronianum. Nec existimandum est Marcionitas, aut Arrianos, huiusmodi sibi no-
mina elegisse. Tamen ab ipsa huiusmodi noua & propria nomenclatura, meritò illos pro
3. hæreticis & sectariis deprehendendos, docuerunt S. Patres Hieronymus, Augustinus &
Athanasius, vt est in præcedentibus declaratum. Quod autem de vocabulo Homousianorū
adiectum est, respondet Augustinus id quidem nomen à solis Arrianis, & à nulla alia secta
Orthodoxis impositum fuisse. Nomina autem sectarum huiusmodi esse, vt ab omnibus tam
Orthodoxis quàm aliarum sectarum professoribus illis imponantur, & eodem modo ab om-
Serm. contra Arrianos cap. 36. tom. 6. nibus vsurpentur. Sic enim scribit. *Ita sese habet Catholicæ veritatis antiquitas, vt ei omnes hære-*
tici diuersa nomina imponant, cùm ipsi sua singula sicut ab omnibus appellantur, obtineant. Arriani
quippe & Eunomiani, non alij hæretici, nos vocitant Homousianos. Hæc ille. Idem quoque obser-
cap. 7. uauit in libro de vtilitate credendi, vt superiùs commemorauimus. At sanè eodem modo Ec-
Suprà cap. 2. clesiam Christianorum hodie quæ sola Catholica est, non omnes aliarum ætatum hæretici,
sed horum tantum temporum sectarij, Papisticam aut Pontificiam vocant: quod tamen no-
Supra cap. 2 men non alicuius sectæ aut partis est, sed huiusmodi quod veris Catholicis probè conueniat,
Quare tam diuersæ hodie hæreses vnum nomen catholicis imponunt. vt est superius demonstratum. Quæ etiam causa est, quod omnes hodie hæreses, quamuis
plurimùm inter se discrepantes, hoc vno nomine nos appellitent. Si enim à doctrinæ ipsius
per nos defensæ significatione, nomen nobis imponerent (quale illud Homousianorum erat) F.
profectò quot essent doctrinæ diuersæ hæreses, tot nobis nomina imposuissent, vt aliter nos
Lutherani, aliter Anabaptistæ, Trinitarij & Osiandrini aliter nuncupassent, sicuti Augustini
tempore aliter Arriani qui Homousianos, aliter Pelagiani & Iouinianistæ (vt commemorat
August. lib. 1. cap. 2. cont. 2. Epist. Pelagianorum:) qui Manichæos, aliter Donatistæ, qui tradi-
tores, aliter Apollinaristæ qui Anthropolatras (vt commemorat Gregorius Nazianz. Epist.
1. ad Cledoniū:) aliter Montanistæ, qui Psychicos Orthodoxos appellabant. Nunc verò quia
Papistæ aut Pontificij vocabulum hominem notat Ecclesiæ Præpositis aut summo Pastori
adhærentem; hæretici moderni, quibus hoc commune est, vt Ecclesiæ præpositos, maximè
Supremum eius Pastorem omnes æquè contemnant, communi etiam vocabulo Papistarum
aut Pontificiorum singuli nos nuncupant. Lutheranos verò, Caluinistas, Anabaptistas, Vbi-
quitarios, aliásque sectas hodie grassantes, non nos tātum sed & ipsi se inuicem, aliæque sectæ
& gentes omnes, ad quas eorum fama peruenit, eo nomine ac vocabulo, nec alio nuncupant;
quia re vera sectarum & factionum propria vocabula sunt.

4. Probatio. Protestantes vnde dicti. Rursum hoc ipsum nomen Protestantum nouum est, nostra memoria ortum, & à Marti-
tino Luthero ante annos sexaginta plus minus natum, siue quia in Conuentu Vvormatiensi
an. 1521, celebrato, contra Concilium Constantiense, & Sanctorum Patrum (non solùm scho-
lasticorum,

A lasticorum, vt initio defectionis suæ, sed iam etiam Ecclesiasticorum Patrum) atque doctorum & Romanorum Pontificum decreta Protestatus est, dicens hunc in modum: *Nisi conuictus fuero testimoniis Scripturarum, aut ratione euidenti, reuocare eorum quæ scripsi, neque possum, neque volo quicquam*: quæ quia in fœdere illo Smalcaldico, contra Tridentinum Concilium tanquam non liberam Synodum, maléque vsurpatum Iudicium, Protestati sunt Lutheri sectatores; siue denique, quia contra decretum Cameræ Imperialis Spiræ anno 1529. habitum, quo cautum erat, vt nihil in religione innouarēt vsque ad Concilium, tanquam libertati ipsorum aduersum, & iniquum, Protestati sunt: siue alia quacunque de causa hoc nomen sibi asciuerunt. Sed etsi nomen nouum non esset, at tota eorum religio & doctrina, seu (vt vocant) religionis atque doctrinæ reformatio, noua est & ante paucos annos cœpta. Ex historicis enim horum temporum, non nostrorum tantum & Catholicorum, sed eorum etiam qui parti Lutheranæ fauent, vt Sleidani, Carionis, Pantaleonis in Chronographiis suis, & aliorū, liquidò constat, primùm omnium Vvittembergæ in Saxonia, à paucis hominibus Indulgentias cōtemptas atque damnatas, Missæ sacrum abolitum, Imagines demolitas fuisse; primum sacerdotem Carolostadium meretricem vxoris loco duxisse, totam denique innouationem quam cernimus, cœptam fuisse. *Cœperunt illi* (ait Sleidanus de Monachis Augustinianis Vvittembergensibus) *omnium primi intermittere ritum missarum.* Sed hoc totum notius est, quàm vt commemoratione indigeat, & aliàs de hac re plura diximus. Dicimus ergo cum B. Hieronymo. *Docent quod nesciuit hactenus Ecclesia Dei, vsque ad hanc ætatem nostram* (totis mille quingentis annis) *sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Non est ergo talis Ecclesia, *quam docuerit Spiritus S. omnem veritatem in æternum.* Non est talis Ecclesia, *cum qua Christus fuerit omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*: & consequenter Christi Ecclesia non est. Sic Origenistas Hieronymus in Epistol. ad Pammachium & Oceanum, sic Arrianos Nazianzenus, sic Donatistas Optatus, sic Valentinum, Cerdonem & Marcionem Irenæus, sic Hermogenem Tertullianus, in libro contra ipsum, sic Nouatum Cyprianus in Epist. ad Magnum, sic Manichæos & Carpocratianos Epiphanius, sic alios hæreticos alij patres (neque enim omnia aut meminisse, aut vidisse potuimus) hæreticos esse, & à vera Dei Ecclesia alienos, tanquam ex loco & argumento firmissimo demonstrarunt. Horum patrum verba suprà cap. 3. produximus.

[Margin: 2. | 3. | Lib. 3. | Suprà lib. 3. cap. 7. | In Epist. ad Pammachium & Oceanum de error. Orig. | Ioan. 17. | Matth. 28. | B | In epist. 2. ad cledonium. | lib. 1. | lib. 3. cap. 4. | lib. 1. epist. 6. | Hær. 66. & 27.]

Idem demonstratur, quia non fuerunt conspicua multitudo, nisi ab annis paucissimis: & carent successione.

CAPVT IX.

C IAM verò, licet vanissimè contendant & dicant se quidem orbi parum cognitos, tamen per omnes ætates semper extitisse, (quòd somnium suprà confutauimus) non fuerunt tamen illustris multitudo, hoc est, passim omnibus gentibus Christianorum cognita, quod nobis ad rem præsentem satis est. Sic enim conuincuntur non fuisse talis Ecclesia, qualem Scripturæ nobis describunt. Illa enim est *Ciuitas super montem posita, quæ abscondi non potest.* Illa talis est, de qua dici & digito demonstrari potest, *Hoc est semen cui benedixit dominus.* Illa denique propter multas & grauissimas causas superiùs enumeratas semper conspicua & illustris est. Isti talis multitudo non fuerunt: non erant ergo neque sunt Ecclesia Christi.

[Margin: 5. Probatio. | Lib. 3. cap. 9. | Matth. 5. | Esai. 61. | lib. 2. cap. 6. & 7.]

Neque quicquam eos iuuare potest, quod nunc demum aliquantulum illustres, & per varia loca propagatę horum temporum sectæ sint. Omnes enim alicuius nominis hæreses ad tempus, & alicubi terrarum, illustres fuerunt; sed nulla semper aut vbique. Arriani longo tempore floruerunt, penéque vniuersum orbem occuparunt: sed post annos 80. aut circiter obscuri esse cœperunt, Catholica præualente Ecclesia. Donatistæ in Africa quidem ita florebant, vt plusquam 200. Episcopatus haberent, passim ferè per omnes Africæ ciuitates, in Italia autem eodem tempore latitabant in speluncis, & montibus, vnde *Montenses* dicti sunt, vt scribit Optatus. Diu quoque illa secta, vsque ad Gregorij magni tempora durabat, (vt ex Registro eius apparet) reliquiis eius nec dum in Africa sublatis. Manichæi in Oriente, maximè in Perside, notissimi erant; sed Romæ Aug. tempore latitabant, vt in Confessionibus

[Margin: Causam protestantium nihil iuuat quòd hodie longè latéque propagantur. | lib. 2. | lib. 2. Epistol. 72. libr. 2 epistol. 34. lib. 5. epist 32. & 35.]

ſuis meminit. Nouatianorum à Cypriani tempore vſque ad Theodoſium ſecundum, annis D
ducentis & amplius erant Eccleſiæ, ſed obſcuræ & paucis tantùm in locis cognitæ. In tota
Conf. lib. 5. cap. 10. enim Occidentali Eccleſia, penitus exularunt. Iconomachi per totũ Orientem latiſsimè pro-
pagati ſunt, ſed poſt vnum aut alterum ſeculum prorſus extincti ſunt. Atque hæ ſanè hæreſes,
Hær 75. maximè è cæteris omnibus, vel in loca & regiones diſperſæ ſunt, vel tempore perdurarunt. Re-
Ad Quoduult Deum. Hær. 82. liquæ hęreſes non item; ſed vel citiſſime euanuerunt vel latè ſerpere non potuerunt. Aërius *fu-
gatus omnibus Eccleſiis, vicis ac ciuitatibus* (vt ſcribit Epiphanius) *in ſiluis cum ſuis latitabat.* Vigi-
lantius exiguam ſolam Galliæ partem ſeducere potuit, ſtatim à Hieronymo profligatus. Ioui-
niani hæreſis *cito* (ait Auguſtinus) *oppreſſa & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum ſa-*
Lib. 3. cap. 7. *cerdotum potuit peruenire.* Idem de Berengario, Albigenſibus, Vualdenſibus, Abaillardo, ipſó-
que Vviclepho ſuprà notatum eſt. Tale quiddam, & prorſus eiuſdem generis, eſt hodie
Proteſtantum cœtus. A paucis annis cæptus varia loca ſed non omnia occupauit, ſuo tempo-
re ſicut cæteræ ſectæ interiturus. Non ergo Eccleſiæ faciem, ſed ipſiſsimam hæreſis ſpeciẽ ge-
runt Proteſtantes, etiam ſi (quod fingunt) ante hanc noſtram ætatem extitiſſent, quia clarum
6. Probatio. id & illuſtre non eſt quòd ſic extiterint.

His omnibus accedit validiſſimi argumenti loco, quòd non poſſunt *ædere origines Eccle-*
Carent ſucceſſione Proteſtantes. *ſiarum ſuarum*, non poſſunt *euoluere ordines Epiſcoporum ſuorum.* Lutherus in Saxonia, Zuin-
glius Tiguri, Caluinus Geneuæ, Rotmannus in Vveſtphalia, Oſiander in Pruſſia, Zvuenck-
Lib. 1. Epiſt. 6. lib. 1. feldius in Sileſia, aliíque alibi ſectarum authores, *Nemini ſuccedentes à ſeipſis ordinati ſunt*, vt
de Nouato ſcribit Cyprianus: *de ſe naſci voluerunt*, vt ſcribit Optatus Donatiſtis, & proinde
ad Eccleſiam pertinere non poſſunt, vt his verbis probat Cyprianus. *Habere*, inquit, *aut* E
Vbi ſupra. *tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui in Eccleſia ordinatus non eſt.* Eccleſia enim vera non
Eccleſia perpetua eſt, per certas Epiſcoporum Succeſſiones. ſolùm perpetua eſt, ſed per certas Epiſcoporum ſucceſſiones ab Apoſtolis deriuatas, perpe-
tua eſt; vt ſuprà oſtendimus, magiſque adhuc ſuo loco oſtendemus. Proteſtantes hanc
ſucceſſionem oſtendere non poſſunt. Non ſunt ergo Eccleſia. Sed vt omnia in Luthe-
Suprà cap. 5. Infrà lib. 5. cap. 5 6. 7. ro veteribus hæreticis ſimilia agnoſcas, fuit Lutherus in Saxonia, qualis Victor Donati-
ſta Romæ in Italia. Nam vt Vvittembergæ in Saxonia, Georgius Maior Ioanni Po-
Lutheranorum ſucceſſio Donatiſtarum ſimilis. merano, Pomeranus Melanchthoni, Melanchthon Luthero ſucceſſit, ſed ipſe Luthe-
rus nemini (monachus enim Apoſtata non Epiſcopus fuit; & ſi Epiſcopus fuiſſet, vt
Conſtantinopoli Macedonius & Neſtorius, tamen propter doctrinæ nouitatem à ma-
Lib. 4. ca 43. & 44. ioribus diſſonantem nemini ſucceſſiſſet, quia *illis præsbyteris* (ait Irenæus) *obaudien-*
Lib. 2. *dum eſt, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum patris*
Lib. 1. *acceperunt*: ſic olim Romæ apud Montenſes Donatiſtas, (vt commemorat Optatus)
*Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius
Victori Garbenſi ſucceſſit; ipſe autem Victor* (ait Optatus) *nec ante ſe aliquem illic ſediſſe mon-
ſtrare poteſt, nec Cathedram aliquam niſi peſtilentiæ oſtendere. Erat itaque ibi Victor filius ſine pa-
tre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſ-
pes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo.* Hæc ille. Sic etiam alibi de Maiorino
primo Cartaginenſi Donatiſtarum Epiſcopo, ſcribit. *Non Cæcilianus à Maiorino auo tuo*
(Parmenianum alloquitur) *exiuit, ſed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus receſſit à Cathe-* F
*dra Petri, vel Cypriani; ſed Maiorinus, cuius tu Cathedram ſedes, quæ ante ipſum Maiorinum ori-
ginem non habebat.* Hæc ille. Talis erat Vvittembergæ in Saxonia Lutherus, cum Me-
lanchthone, Pomerano, Maiore, & aliis ſibi ſuccedentibus, Lutheranæ ſectæ origo. Ta-
lis erat Tiguri in Heluetia Zuinglius cum Bullingero, Gualtero, aliíſque ei ſuccedentibus,
Sacramentariorum patres à Lutherana ſecta diſiuncti. Talis erat Geneuæ Caluinus, &
Beza ei ſuccedens, Caluiniſtarum primi Magiſtri. Talis erat in Sileſia Suenkfeldius ſuæ ſe-
ctæ primus Author, in Pruſſia Oſiander alterius factionis Dux, in Vveſtphalia Bernar-
dus Rotmannus Anabaptiſtarum peſtilentiſſimus princeps. Omnes hi à ſeipſis orti & ordi-
nati, nemini ſuccedentes, ſed à nobis exeuntes, non Dei Eccleſiam, quæ vna eſt in origi-
ne ſua, vt flumen; & vna in iunctura partium vt corpus; ſed veriſſimi nominis ſectas & hære-
ſes conſtituunt.

Noua

A

Noua quorundam Protestantum Argumenta, contra conspicuam & perpetuam Ecclesiæ successionem, refutantur.

CAPVT X.

ED cùm contra visibilis huius successionis ratione personarum & locorum necessitatem, multa cauillentur hodie Protestantes, ea breuiter soluemus. Aiunt *successionem continuam in fide quidem & Doctrina Ecclesiæ Christi promissam, non autem personarum & locorum fuisse, ideóque ad huiusmodi successionem demonstrandam, eos à nobis cogi non posse nec debere.* Deinde *nullo modo se ambigere* dicunt, *quin per omnes ætates multisque in locis Deus fideles sui verbi præcones excitauerit, vtcunque illi mundo semper conspicui & cogniti non fuerint.* Ad prius horum respódemus. Fidei & puræ doctrinæ perpetuitas in Scripturis promittitur tum aliis multis, tum his in locis. *Portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam meam. Bonum semẽ crescit vsque ad messem. Messis autem est finis seculi. Ego vobiscũ sum vsque ad consummationẽ seculi.* At fides sine perpetuis prædicatoribus verbi, eisdémque legitimè missis perpetuò subsistere & perdurare non potuit. *Quomodo enim credent sine prædicante, & quomodo prædicabunt nisi mittantur?*

Protestantium cauillationes cõtra Successionẽ.

Matth. 16. Matth. 13. Matth. 28.

Rom. 10.

B ait Apostolus. Et rursum: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatus est à Deo tanquam Aaron.* Et iterum. *Christus dedit Pastores & Doctores, ad ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei, &c.* Est ergo non secus Pastorum, prædicatorum & fidei magistrorum certa perpetuitas & perpetua successio, quàm est ipsius fidei atque doctrinæ. Tales quoque Pastores & Magistri sunt certæ & distinctæ à reliquis fidelibus personæ, nec nisi in certis locis, certis ac definitis paræciis ac diœcesibus huiusmodi personæ agunt. Non secus ergo Personarum & locorum certa successio, quàm ipsius fidei & puræ doctrinæ perpetuitas promittitur. Denique non secus propterea illam demonstrare protestantes debent, si sibi Ecclesiam Christi vendicare volunt, quàm fidei & puræ doctrinæ Euangelicæ perpetuam quandam integritatem, sese demonstrare posse iactitant, sed vanissimè & falsissimè. Nam quod addunt, *non dubitare se quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles, verbi sui ministros,* in quibus videlicet ista puræ doctrinæ perpetuitas conseruata fuerit, licet vbi fuerint aut sederint, nesciatur; id quàm futile perfugium sit, alio iam in libro ostendimus. Sed & nunc præterea dicimus, hoc ipsum de quo se non dubitare affirmant, nisi ostendant tamen claréque demonstrent, qui & vbi locorum illi ministri fuerint, non nisi summa cum leuitate, temeritate, & insania illis credi à quoquam sanæ mentis posse: maximè quum nihil sit facilius, quàm hoc asserere: sítque præterea cuiuis stultissimo hæretico non solùm qui nunc est, sed etiam qui vnquam futurus est, perinde facile asserere & affirmare, suæ sectæ homines iam olim quàm plurimos, idque per omnes ætates extitisse, etsi eos demonstrare non valeat: cui

Hebr. 5.

Ephes. 4.

Suprà lib. 3. cap. 7. 8. & 9.

C etiam sic asserenti eadem facilitate & temeritate qua nostris hodie hæreticis creditur, credi posset: vt ita nullus nouarum hæresum & sectarum finis ac modus reperiri queat, huiusmodi stultissimæ coniecturæ & impudentes assertiones si semel audiantur aut præualeant. Postremò si mundo incogniti huiusmodi ministri erant, profectò prorsus inutiles mundo erant. Nihil etiam simile cum illa Ecclesia quam Christus in mundo plantaturus venit, illi belli ministri habebant. Christus enim orauit pro suæ Ecclesiæ pastoribus, *vt vnum essent, vt mundus,* (inquit Patri suo) *cognoscat quia tu me misisti.* Ipsius quoque in persona dixit. *Vos estis lux mundi, Non potest Ciuitas abscondi super montem posita.* Quare nihil hac tergiuersatione & cauillatione, vel ineptius, vel etiam impium magis.

Ioan. 17. Matth. 5.

5. cauillatio.

Addunt præterea, vt hanc successionis Personalis necessitatem declinent, *scriptum esse in Apocalypsi sub typo mulieris, fore vt Ecclesia fugeret in desertum è conspectu & notitia hominũ fugata, ab Antichristo grandem & diuturnam persecutionem passura; ideóque si personarum & locorum successiones ipsi recensere & demonstrare possent, hoc ipsum argumento fore, ipsorum Ecclesiam verã Christi Ecclesiam minimè esse: Quin & propterea maximo argumento esse, adulterinam & Antichristianam esse nostram, quia huiusmodi successionem Episcoporum & populorum re vera producimus, & recensemus. Itaque illos quidem pauciores suæ doctrinæ præcones, sed illos præcellentissimos & omni exceptione maiores proferre. Proferimus enim* (aiunt illi) *Petrum, Paulum, Matthæum, Ioannem, Marcum, Lucam, Timotheum, Epaphram, Iustinum, Irænæum, Cyprianum, Athanasium, Hilarium,*

Apocal. 12.

Vide incredibilẽ Protestantiũ impudentiam.

Successio episcopalis Protestantium.

Ambrosium, Augustinū, Gildam, Bertranum, Marsilium de Padua, Ioannem de Ganduno, Brunonem Andegauensem, Vviclephum, Ioannem Huss, Hieronymū Pragensem. Et cum primis sane illis Apostolis & Euangelistis, omni ex parte, cum cæteris sequentibus, in præcipuis & essentialibus Christianæ fidei articulis nostra doctrina consentit atque conspirat. Hæc nuper Anglus quidā, Theologiæ se doctorem dictitans, edito libello vernacula lingua, constanter asseruit & serio docuit, vt nostro huic de successione argumento quàm plenissimè responderet. Quæ quia ille ex communi (vt videtur) fratrum suorum sententia scribit, & his vanissimis fucis simpliciori populo imponit, imò maximo cum Protestantum Anglorum applausu [vt audio] tam stolidæ cauillationes exceptæ sunt, & pro inuictis deprædicatæ, à me hoc loco breuiter confutari oportet. D

Primum ergo, textus ille Apocalypseos ita obtorto collo in sententiā longè alienissimā pertrahitur & torquetur, vt nec olim Donatistæ (qui tamē ad perpetuam Ecclesiæ Christi durationem euertendam plurimis S. Scripturæ locis abusi sunt, vt videre licet apud Augustinū in lib. de vnitate Ecclesiæ) nec hodie Lutherus, Melanchthon, Musculus, Caluinus, Centuriastæ Magdeburgenses, aut quispiam alius inter Protestantes doctior, hoc textu in huiusmodi sensum vsus vel abusus potius fuisse legatur. Et quidem loci ipsius circunstantia luculenter reclamat, sensúmque huiusmodi exhorret apertissimè. Sic enim se habent verba. *Et mulier fugit in solitudinem vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus* 1260. Et paulò post. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie serpentis.* Hæc ergo mulier, quæcunque tandem illa sit, trium tantùm annorum cum dimidio persecutionem, à diabolo passura erat. Illa verò Protestantum conficta Ecclesia totis his mille ferè vt minimum annis in deserto latuit, à Romano (vt aiunt) Antichristo à tempore saltem Bonifacij primi, perpetuò proculcata & oppressa. Itaque poterit fortasse hæc mulier Ecclesiam sub finem seculi regnante Antichristo futuram designare, illámque eius temporis grauissimam, sed breuem paucorum annorum persecutionem præfigurare: [quanquam si Augustino credimus, nec tunc quidem obscura erit Ecclesia, sed ita illustris, vt ad eius gremium etiam sub ipso Antichristo, aliquæ gentes se recepturæ & conuertendæ sunt] totum verò Ecclesiæ Christianæ, vel ab ipsis eius primordiis, vel à mille iam annis, progressum & cursum, hæc latitans in deserto mulier, nullo modo significare potest. Hoc enim ex diametro Christi Saluatoris apertissimis & luculentissimis verbis repugnaret, qui diligētissimè & manifestissimè nos præmonuit, ne in deserto Ecclesiā quæreremus. *Si dixerint vobis, ecce in deserto, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere.* Aduersus ergo luculentissima hæc, & manifestissima Saluatoris verba, ex obscura prophetia suspiciones quærere, & insignis dementia est & impietas maxima. Deinde quàm plurima S. Scripturæ loca, eadémque Meridiana luce clariora, nullis tenebris inuoluta, nullis ambagibus circumfusa, nulla difficultate obscura, pro perpetuitate & propagatione illustri Ecclesiæ Christi, ex lege, ex Psalmis, ex Prophetis, ex Euangelio, in præcedentibus produximus. Et quēquam ne ita desipere, aut salutis suæ ita prodigum, aut negligentem esse existimabimus, vt aduersus tot ac tāta Scripturæ, eadémque *ita manifesta testimonia, vt nullo egeant interprete* (ait Augustinus) illustrem nobis, conspicuam, amplam, per omnes gentes diffusam, stabilem, permanētem, & nullis casibus perituram Ecclesiam demonstrantia; vnius prophetiæ obscuræ, quæque in multos probabiles sensus à multis trahi possit, ad obscuram aliquam in deserto quærendam Ecclesiam abduci se patiatur? Non est hoc aut prudendis, aut sobrij, aut etiam pij cuiusquam Christiani: sed eorum tantùm qui abiecto semel omni pudore, & perfricta in omnem audaciam fronte, quam semel defendendam sententiam susceperunt, eam per fas nefásque, quóve iure quáve iniuria, tueri ac asserere pertinacissimè, apud sese statuerunt. Sed quod olim Donatistis Augustinus in eadem prorsus causa respondit, hoc Protestantibus hodie responsum velim. *Perscrutentur* (ait) *Scripturas, & contra tam multa testimonia, quibus ostenditur Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, vel vnum proferant tam certum, & tam manifestum, quàm illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi periisse de cæteris gentibus, & in sola Africa* [vel vt isti volunt, in deserto] *remansisse, tanquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine* [vel vt isti hodie volunt, ab Vvittemberga Saxoniæ] *vbi primò Episcopum contra Episcopum leuauerunt*: imò quod deterius est vbi Monachum Apostatam, & simplicem Sacerdotem, contra totius Christiani orbis Episcopos leuauerunt: id est, docentem audire, & nouas hæreses introducenti credere, & obsequi voluerunt. Vbi etiam non altare contra altare, aut Cathedram contra Cathedram erexerunt, vt de Nouatianis Cyprianus, de Donatistis Augustinus & Optatus olim conquesti sunt, sed altaria prorsus demoliti sunt, & Cathedras

Margin notes: Cap. 13. & 14. — Apocal. 12. — E — De Ciuitate Dei. lib. 20. cap. 8. — Matth. 24. — *Protestantes in deserto quærunt Ecclesiam, contra manifestissimam Christi doctrinam.* — Lib. 2. & 3. — In lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. — F — De vnit. eccles. cap. 4. — *Protestantes hodie Donatistis & Nouatianis longè sceleratiores.*

A Cathedras omnium subuerterunt, omnes totius orbis Episcopos, & Pastores, imò omnes omnium ætatum Patres & Doctores, (vt vni Luthero applauderent) non sine conuitiis & scommatibus explodentes.

Deinde si fugiente in desertum Ecclesia, cessarunt illa Episcoporum, Pastotum, & Doctorum munera, quibus propagari, pasci, regi & gubernari Ecclesia solet ac debet; quomodo illa
Christi verba vera esse poterunt quibus dixit, *oportere prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma*, quòd videlicet ex tali ini- Luc. 14.
tio propagata Ecclesia, cresceret per omnes gentes, impleret omnes nationes terræ, & (vt ali- Matth. 24.
bi Christus dixit) *prædicaretur Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniret consummatio*? Nam vel iam impleuit Euangelium omnes nationes incipiens ab Hierusalem, & sic consummatio iam venisse debuerat; vel deficiente illa ab Apostolis cœpta & propagata Ecclesia, atque in desertum his aliquot seculis fugiente, profectò quæ supersunt adhuc gentes, quibus videlicet Euangelium prædicatum non est, audire iam de nouo Euangelium debent, ex altero quodam & secundo initio prædicationis, neque ab Hierusalem, vt *Vnicum est initium prædicationis Euangelicæ.*
Saluator dixit, sed aliunde sumpto; puta ab Vvittemberga, vt hodie Lutherani volunt; vel ex Bohemia vt Vviclephistæ volunt, vel denique ex Geneua, vt Caluinistæ plerique contempto Luthero desiderant: vt ita demum per Protestantes ad omnes gentes [quas hactenus sub Antichristo latuit] propagato & illustrato Euangelio, Christi verba vera comprobentur. Sed hanc *Legant Protestantes reparationem Ecclesiæ ab alio initio futuram.*
Ecclesiæ reparationem, & hoc secundum exordium, legite nobis ô Protestantes in Scripturis,
B sicuti vobis legimus, *Incipientibus ab Hierusalem*. Sanè de hac dementissima olim Donatistarum, nunc vestra sententia, sic præclarè scriptum reliquit Augustinus. *Nisi fortè hoc restat hominum insaniæ, vt dicant, non ex illis Ecclesiis quæ fundatæ sunt per Apostolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus; sed illis pereuntibus, earum reparationem futuram ex* De vnitate Eccles. ca. 15.
Africa per partem Donati & residuarum gentium acquisitionem. Puto quod ipsi etiam † *rideant cùm hoc audiunt. Et tamen nisi hoc dicant, quod erubescant si dicant, non habent omnino quod dicant.* Et † *Non rident; sed grauiter hoc asserunt hodie Protestantes.*
paulò post, citatis illis Apostoli verbis, *In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit in vos, sicut in omni mundo est fructificans & crescens, sicut & in vobis, ex qua die audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate: Hæc* (inquit) *verba conueniunt cum Euangelio, vbi dictum est, Simile est regnum* coloss. 1.
cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Postea exponitur, ager esse hic mundus. Sicut enim hic ex quo seminatum est, crescere prædictum est vsque ad messem, ita & Apostolus dicit, In omni mundo fructificans & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis. Crescet autem vsque ad Matth. 13.
finem; quia vsque ad messem. Messis enim est finis seculi. Dicent ergo non solum Colossenses, ad quos data est, sed etiam cæteri omnes apud quos legitur hæc Epistola, vbi per Apostolicas literas constat bonum semen esse seminatum, etiam tunc crescere, & fructificare cœpisse; † *Quid nobis adfertis noui?* † *Hoc modo Protestantes hodie conuenendi sunt.*
Nunquid iterum seminandum est bonum semen, quando ex quo seminatum est, crescit vsque ad messem? Si dicitis perisse in illis locis, quod erat per Apostolos seminatum, & ideo esse rursus ex Africa seminandum; Respondetur: Legite nobis hoc ex diuinis oraculis. Quod profectò legere non potestis, nisi priùs ostenderitis falsum esse quod scriptum est, semen illic antè seminatum, crescere vsque ad messem. Et
C *quia nullo pacto sibi diuina eloquia contradicunt, nullo modo in eis inuenietis, quod contra hoc tam manifestum recitare possitis. Restat ergo vt non ex diuinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur, Anathema sitis. Tenent enim Ecclesiæ Apostolico labore fundatæ, cum quanta cura sibi prædictum sit. Si quis vobis Euangelisauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Hæc ille. *Augustinus Anathema Protestantibus dicit.*

Vobis ergo Protestantum infœlix turba, meritò anathema dicit Catholica & vera Christi Ecclesia, qui in deserto Ecclesiam quæritis; qui quasi deperdita illa quam Apostoli incipientes à *Anathema Protestantibus.*
Hierosolyma cœperunt, & plantauerunt, ab alio secundo initio propagandam, & de nouo plantandam Ecclesiam venditatis; quid quod per Apostolos seminatum fuit periisse, idcóque rursus ex Vvittemberga seminandum dicitis; vt propter vos mendax ipsa veritas inueniatur quæ
dixerit, *semen Ecclesiæ crescere vsque ad messem*, id est, vt seipsum exposuit; *vsque ad finem seculi.* Ioan. 13.
Sed quia vobis flagitiosè mentientibus [mendaces enim *Magistri* estis] semen veræ doctrinæ 2. Petr. 2.
crescit vsque ad messem, nec crescere potest, nisi per *operarios missos in messem*, iterum sequitur Ioan. 5.
Catholicam vulgò dictam Ecclesiam, solam esse veram Christi Ecclesiam, solam esse verè *Sola Catholica Ecclesia est ager Dominicus.*
agrum dominicum, quæ videlicet operarios suos, ministros verbi & Ecclesiarũ Pastores, perpetua per omnes ætates successione demonstrare potest.

Iam verò successio quam prætendiris, Apostolorum & Euangelistarum, merum est otiosi hominis nugamentum. Nunquid enim & nos, imò nomine omnes sectæ Christianorum, pro-

A non ex suffragiorum pluralitate Cõtrouersias composuerunt. Ad Ecclesię verò Iudiciũ quod attinet, quo fratres turbulenti adducendi erant, in Ecclesia sub cruce posita & persecutionẽ assiduam patiente, expectari hoc non debere. Baptisari autem, ad Synaxim conuenire, matrimonium inire, aut alioqui huic Ecclesiæ, se de nouo adiungere qui voluisset, eam quanto studio ac diligentia potuisset quærere illũ & indagare debuisse, vt illa tandem inuenta, voto potiretur suo. Neque enim multum referre, manifesta ne sit Ecclesia, nec ne. Nam & in tot Romanorũ Pontificum schismatibus, Ecclesiæ caput obscurũ & incertum fuisse, vt cui adhærendũ esset, non satis sciri tum possit. Illa verò schismata etiã totis 40. annis interdũ perdurasse. Romanam tamen Ecclesiam nequaquam propterea penitus defecisse dici posse. Postremò occultam & incognitam mundóq; despicabilem suorum societatem, Christo nihilominus, eiúsque viuis membris conspicuã, & gloriosam extitisse. De templis erectis, de religionis suæ monimẽtis designandis laborandũ adeò non censer. Neque enim templorum ædificationẽ necessariò probare, pios esse qui ædificarunt; Quanquã etiam Constantinus [ait ille] multas nobis Basilicas extruxit: Neque Apostoli, si hoc ipsum rogati ab Ethnicis fuissent, alia monimẽta quàm ethnicæ superstitionis designare potuissent. Nihil itaque hoc postulatum valere. Hæc ille; satis, vt sibi videtur, aptè & acutè singulis respondenda locutus. Quamquam verò hæc misera suffugia, cordato & erudito lectori etiam nauseam penè mouere, certè magno fastidio esse non dubito, tamen ne simplicioribus aliquo fuco imponatur, & breuiter commemoranda, & succinctè refutãda existimaui. Quod vt statim aggrediar, ad primum euasionis genus, quo in Romanæ Ecclesiæ persecutionẽ (vt vocat) omnem culpam pretermissi Sacramentorũ vsus, & neglectæ disciplinæ Ecclesiasticæ confert, breuiter respondeo; vel ex hac ipsa miseri hominis cõ-

Replica ad singulas Respons. partes.

Ad 1. de persecutione qua Religionis vsum sustulisse dicitur.

B fessione, luculenter conuinci, confictam eorum Ecclesiam sectam & adulteram fuisse, nostrã verò Romanã veram & germanam Christi sponsam extitisse. Preualuit enim Romana Ecclesia, ex hac confessione, aduersus illam suam in deserto positam: idque multis iam seculis. At disertè Saluator de sua Ecclesia dixit; non solum quòd nescis quia Papa Romanus, aut Paparum successio, sed quòd nec ipsæ portæ inferi aduersus eam præualerent. Nec ergo illorum commentitia Ecclesia vera Christi Ecclesia esse potuit, aduersus quam tot seculis & tam continua tot annorum serie præualitum est; nec Romana Ecclesia quæ vna sic præualuit, aut secta aliqua aut Antichristianismus esse potuit, sed ipsissima Christi Ecclesia: quæ sane huiusmodi est, vt non solum contra eam nullo vnquam tempore præualeatur, sed etiam præualeat ipsa contra omnes falsi nominis scientias & sectas; tanquam ipsius *veritatis* [vt Apostolus loquitur] *columna* validissima *& firmamentum* solidissimum: Præterea de sectis & hæresibus dixit Apostolus, quòd *vltrà non præualerent, sed insipientia eorum manifesta omnibus* futura esset; Petrus quoque de eisdem dixit. *Perditio eorum non dormitat.* De bestia quoque in Apocalypsi [quam isti homines Romanum Antichristum esse volunt] disertè dicit Scriptura, *Oportet eum solui modico tempore.* Hæc sectarũ & hæresum nota est, vt à vera Ecclesia conculcẽtur omnes & obliuioni tradãtur: vt copiosiùs est suprà disputatũ. Sic istorum hominum maioribus, quos fingunt in deserto, (neque enim ostendunt in mundo vllos) accidit sub Romanæ Ecclesiæ gubernaculis. Protriti semper sunt omnes gladio Spiritus & vi verbi Dei citò repressi, quoties emergere aut caput vspiam terrarum attollere potuerunt. Nam quod ad persecutionem & cru-

Matth. 16.

1. Tim. 6.
2. Tim. 3.
2. Petr. 2.

Apocal. 20.
Suprà lib. 3. cap. 9.
Secta propriũ est ab Ecclesia extingui.

C cem attinet, quam etiam subinde vera Ecclesia Christi sustinet, illa talis non est nec vnquam fuit, vt lucem prædicationis Euangelicæ extinguat, vel extinxerit aliquando; vt Sacramentorum vsum sustulerit: vt disciplinam Ecclesiasticam fregerit: vt externam Ecclesiæ politiam aut formam, in iis quæ ad salutem necessaria sunt, impediuerit. Hinc enim factum est, vt etiam de tribus primis Centuriis Ecclesiæ christianæ, quæ sane grauissimas penéque perpetuas persecutiones (raris admodum & breuibus induciis datis) passæ fuerunt, clarissima Religionis Orthodoxæ monimenta habeamus. Extañt illorum temporum de doctrina Religionis, nobilissima scripta: Habemus Episcoporum & Pastorum illorum temporum in Ecclesiis maximè illustribus, Romana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, Ephesina, & aliis (in quibus tamen locis maximè feruebat persecutionum rabies) perpetuam seriem & successionem testatissimam, in historiis videlicet Ecclesiasticis Eusebij, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Euagrij, Ruffini. Notantur illorum temporum hæreses. Scitur quorum Patrum opera & studio repressæ fuerint. Multa de illorum temporum disciplina, de excommunicationibus, degradationibus, aliísque pœnis & censuris Ecclesiasticis leguntur. Imò tum demùm maximè & seuerissimè Ecclesiæ disciplinam viguisse, quum multa alia, tum pœnitentiæ illæ publicæ, & solennes, & ad multos annos productæ, de quibus tam multa apud Anti-

Vera Ecclesia persecutio externam eius formã & politiam nũquam sustulit.

quissimos scriptores, Tertullianum, Originem & Clementem reperiuntur, testatum faciunt. D
Quid, quòd etiam illis ipsis temporibus contra hæreses & hæreticos Concilia crebrò coacta fuerint? Sub Victore Romæ, circa quæstionem paschatis, persequente Ecclesiam Seuero. Antiochiæ contra Paulum Samosatenum semel atque iterum, etiam ipsius Valeriani Imperatoris ethnici ope implorata & impetrata. Carthagine & Romæ contra Nouatum persequente Ecclesiam Decio. Denique ab Apostolis ipsis, præsbyteris, & senioribus, nequicquam persequente eos tota Hierosolymitanæ vrbis totiúsque Iudeæ politica potestate, Hierosolymis in Synodo conuentum est, & de re grauissima definitum: Plura huius generis postea ex alia occasione proferemus. Tale aliquid (vos Protestantes) in vestra commentitia Ecclesia dum in deserto latitaret, factum aliqua ex parte fuisse ostendite. Verum quidem est, remissiorem aliquando & intensiorem Ecclesiæ disciplinam fuisse, propter Ecclesię vel persecutionem vel pacem, vt commemorat Cyprianus: Non tamen nulla fuit. Vos autem disciplinam vestræ Ecclesiæ nullam, nec intensam nec remissam ostendere potestis.

> Euseb. lib. 7. cap. 24.

> Infrà libr. 7. cap. 8.
> Serm. 5. de lapsis.

Quàm verò ridiculum est, hæreses à vobis tepestas fuisse, persecutionem illatam toletando? Imò verò olim hæreses repræsserunt Sanctissimi Episcopi primorum illorum seculorum, ac non etiam sententiis latis, scriptis libris, coitione Synodali, eas repræsserunt? An non legistis beatum Petrum Alexandrinum Episcopum, etiam in vinculis constitutum, Arrium excommunicasse; suúmque successorem Achillam primò, deinde Alexandrum designasse? Cyprianū quoque exulem ad suos scripsisse, ne ad Nouatianorum Basilicas accederent? Sic alij Episcopi in carcere, in vinculis, in exilio, ad metalla damnati, officium tamen Episcopale exercuerunt. E
Cuius rei exempla historia Ecclesiastica permulta suppeditat.

> V. Beda in martyrolog. lib. 1. epist. 8.

> Ad 2. de prædicatione & sacramentorum vsu.

Illud verò perbellum est, prædicatum illis fuisse qui audire voluerunt, & sacramentorum vsum illos habuisse qui latentem Ecclesiam diligenter quæsitam inuenire potuerunt, aut denique in Ecclesia afflicta, Iudicij normam expectari non debere. Quæ nescio an ridiculè magis & ineptè quam sceleratè & impiè dicantur. Hæc enim ne aliquando fierent, ne prædicationis defectus esset, ne sacramentorum vsus [res ad salutem maximè necessaria] vllo vnquam tempore petentibus deesset, ne disciplina iaceret, ne ad fidem christi aditus non pateret, his inquam aliísque grauissimis de causis, Ecclesiam suam Christus, conspicuam, manifestam & illustrem, non sibi tantum & membris sui corporis viuis, sed etiam toti mundo esse voluit, vt alio in loco accuratè satis, nisi fallor, demonstratum est.

> Lib. 2. cap. 5. & 6.

Quod ad consistoria verò attinet, habuerunt illa Apostoli, vbi sedes fixerunt, & Cathedras posuerunt, Romæ Petrus, Hierosolymis Iacobus, Ephesi Ioannes, aliique alibi. Nec si non habuissent, succedenti tamē tot seculis Ecclesiæ illa defuisse debere vlla ratione sequitur. Quod autem postremo loco, tanquàm magnum aliquid subiicitur, de Romanorum Pontificum schismatibus, nihil simile habet cum commentitia hac Protestantium in deserto Ecclesia. Aliud enim est, de supremo Ecclesiæ capite & Episcopo dubitare, quæ persona locum legitimè occupet; aliud nullum plane episcopum, nullum pastorem Ecclesiæ suæ, idque per totos mille annos & amplius proferre posse. Etsi incertus tum Papa esset, certi tamen erant singularum Ecclesiarum episcopi & Pastores. Deinde non tam difficile erat doctoribus, à quibus multitudo pendebat, intrusum à legitimo Pontifice dignoscere. Nec erat illud religionis, sed regiminis schisma. Nec à Pontifice simpliciter, sed ab hac persona, tanquam non legitimè Pontificatum adepta, sese homines segregabant. Deinde paucorum annorum hæc schismata erant, maiúsque pietati & morum sanctitati propter scandalum, quàm fidei & puræ doctrinæ detrimentum afferebant. Tota reliqua politia, & disciplina Ecclesiastica in singulis Christiani orbis prouinciis, hoc non obstante schismate, vigebat. Quare nihil affine, nihil simile habet, cum hac deserta & fugitiua; quæ nec Sacramentorum vsum, nec disciplinæ vigorem, nec prædicationem verbi, nec vllum denique Christianæ religionis vestigium aut monimentum, per aliquot seculorum seriem, nullos Pastores, nullos Episcopos, nullam Ecclesiæ formam continua serie decurrentem proferre, aut demonstrare potest. Quamobrem quod de templis aliísque religionis Christianæ monumentis subiungit, primùm ex templorum structuris, non probari sanam fidem eorum qui extruunt, deinde Constantinum illis Basilicas extruxisse, ac postremò, idem ab Apostolis postulari sed iniquissimè potuisse, ad primum respondetur; templorum structuram certum esse Religionis alicuius argumentum, in cuius vsum & officia illa templa extruuntur; vtcunque ille qui structurę author est, improbus & hypocrita esse queat. Itaque quæ religio nullum sibi extructum toto orbe templū designare potest, illa quin sit vanissima meréque cōmentitia dubitari non potest. Constantinus autem

> Ad 3. de consistoriis, & de schismate Romano.

> Ad 4. de templis aliísque Religionum monumentis.

Basilicas

A Basilicas suas Romæ potissimum extruxit vt S.Petri, S. Pauli, S. Sebastiani, S. Crucis in Hierusalem, aliásque amplissimas quæ vsque hodie visuntur, sed Romanæ Ecclesiæ & religionis Romanæ (quam execrantur Protestantes) vsibus illas extruxit, non Protestantum Ecclesiæ quæ nondum vsquam extiterat. Ab Apostolis verò postulari talia Religionis monumenta nisi stultissimè non poterant, quia gentibus vniuersis noua prorsus, & toto orbe inaudita fuerat, quam afferebant, & prædicabant, Religio. Nunc verò post mille quingentos Christianæ religionis annos, idem à vobis Protestantibus postulare, qui vobis solis verum Christianæ Religionis vsum & veram Ecclesiam vendicare vultis, non stulta tantum non est, sed planè æquissima & necessaria postulatio est. Cui profectò aliter satisfacere non potestis, nisi vos ipsos totius orbis Apostolos esse, nec alios illos à Christo missos legatione sua rectè functos fuisse, sed sine fructu laborasse (quem tamen Christum *allaturos ipsos, & mansurum quoque fructum quem attulerant*, disertè promisit) ore impudentissimo dicatis. Quamobrem missa iam vanissima obstinatorum horum hominum tergiuersatione, variáque contra Successionis tam necessarium punctum cauillatione, ad reliqua iam falsæ ipsorum Ecclesiæ illustria argumenta proferenda pergemus. Ioan. 15.

Quòd Protestantes, ad veram Ecclesiam non pertineant, inde demonstratur, quia non sunt Ecclesia aut Societas Apostolica.

B

CAPVT XII.

QVIN & hæc iusta & firma contra eos probatio erit, quòd non sit Protestantum multitudo, Ecclesia Apostolica. Non enim communicat Ecclesiis Apostolicis; Romanæ scilicet, quæ sola iam Apostolica remāsit; & quæ sola, quum cæteræ remanerent, tantæ tamen authoritatis fuit, vt non nisi ex illa sede certam episcoporum successionem peterent, Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, Optatus, Augustinus, vt iam ex eorum verbis audiuimus. Sed etsi cæteræ Ecclesiæ apostolicæ, Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana, Corinthiaca, Ephesina & aliæ Christianæ iam esse desierint; manet tamen illarum Ecclesiarum fides & doctrina, illustris & vsque hodie notissima, per sacerdotum & Episcoporum monimenta qui in illis sedibus floruerunt. Quid enim olim crediderit Ephesus, quid Alexandria, quid Antiochia, quid Hierusalem, quid Corinthus, partim per Conciliorum decreta, quibus harum sedium Episcopi & Præsbyteri interfuerunt; partim ex historiis veterum temporum; partim etiam per quorundam scriptos libros etiam hodie eluceſſit. Athanasij, Cyrilli, Theophili Alexandrinorum; Cyrilli Hierosolymitani, Ignatij Antiocheni, Maximi, Epiphanij, Theodoreti, Chrysostomi, Basilij, & aliorum scripti libri, harum rerum testimonia sunt. Nam & hac ratione cum Ecclesiis Apostolicis communicare non posse docet Tertullianus. *Ipsa*, inquit, *doctrina hæreticorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius Authoris esse, nec Apostolici viri. Ad hanc itaque formam prouocabuntur hæretici ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis viris Authorem suum proferant, tanquam multo posteriores, & quia quotidie nouæ instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputabuntur, pro consanguinitate doctrinæ.* Hæc ille. Protestantum ergo multitudo quæ omnium Apostolicarum Ecclesiarum fidem, doctrinam, communionem damnat, aspernatur, violat; [nam statim post Apostolorum tempora, cœpisse passim in Ecclesias errores docent] quæ Patres, Episcopos, Synodos omnium Ecclesiarum, quæ vel ipsæ Apostolicæ, vel Apostolicis consentientes erant, similiter auersatur & contemnit; certè Apostolica societas non erit: & proinde nec Ecclesia vera nec Apostolica esse potest; vtcunque de Scripturis Apostolicis atque Propheticis [quod omnes hæretici semper fecerunt] glorientur, séque eo nomine, quia solas illas legunt & amplectuntur, Apostolicam esse societatem mentiuntur & imperitis imponunt. Præterea sicuti olim Donatistis Augustinus dixit, *Vos ad Romanos Epistolam tenetis, sed Ecclesiæ Romanæ non communicatis*; (De vnitate Ecclesiæ capit. 10.) & ante eum Optatus, eidē dixit, *Vt quid audetis Epistolam ad Romanos legere, in quorū communione non estis?* [libro sexto contra Parmen.] sic hodie Protestantibus meritò Catholicus dixerit. Frustrà

C In lib. de præscription.

Epistolam ad Romanos legitis, qui Romanę ecclesię communicare non vultis. Quin & cum D
Optati verbis (loco citato) contra eos rectè concludimus. *Cùm hæc ita se habere constet, intelligite ab Ecclesia Sancta vos esse concisos.*

Idem demonstratur, quia nullam habent fidei aut religionis vnitatem.

CAPVT XIII.

8. Probatio. — T superest adhuc vna ratio, sanè euidentissima & efficacissima, quæ planè ostendit ad veram Dei Ecclesiam Protestantes pertinere non posse. Ea est, quòd non solùm à nobis, & à totius orbis Christiani communione separati sunt atque diuulsi, sed & inter seipsos in varias sectas & factiones mirabiliter dissecti atque diuisi sunt. Hæc enim perpetua est hæresis nota,
Diuisio perpetua hæresis Nota. — sicut vnitas Ecclesiæ. Nam de vera Ecclesia dicitur, quod sicut *vnus est Dominus, ita vna est fides*: & pro vera ac tota Ecclesia quum oraret Christus, id prolixè rogauit, vt in vnitate conseruaretur, dicens. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro*
Ephes. 4. — *eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in* E
Ioan. 17. — *te; vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.* In hunc etiam vnitatis conseruandæ finem, datos fuisse à Christo Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, Paulus do-
Ephes. 4. — cet. *Vt occurramus*, inquit, *omnes in vnitatem fidei, nec circunferamur omni vento doctrinæ.* Contrà
Matth. 12. — verò, *omne regnum* [ait Christus] *in se diuisum desolabitur*: & exclamat Apostolus. *Nunquid di-*
1. Cor. 1. — *uisus est Christus?* quia nihil hoc absurdius, aut à vero Dei populo alienius esse iudicauit. Fuit ergo mutua hæc dissentio & diuisio perpetua hæresis nota, sicut vnitas est Ecclesię perspicuus & proprius character. Istud verò, si veteres omnes hæreses inspiciamus, erit adhuc multò il-
Lib. de præscription. — lustrius. De Valentinianis & Marcionitis sic scribit Tertullianus. *Mentior si non à regulis suis*
Valentinianorũ & Marcionitarum Diuisio. — *variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis quod Valentino; idem Marcionitis quod Marcioni; de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectæ omnes hæreses, in multis cum authoribus suis dissentientes deprælienduntur.* Hæc ille. Eandem Valentinianorum mutuam dissen-
Lib. 4. cap. 69. — tionem describit Irenæus; indéque colligit, ad Ecclesiam eos pertinere nõ posse. Quum enim varias eorum & pugnantes sententias enumerasset; *Semetipsos*, inquit, *quales sunt arguunt, de*
Ambrosi. de fide lib. 1. c. 4. — *eisdem verbis non consentientes. Nos autem vnum & solum verum Deum Doctorem sequentes, &*
Epiph. hær. 73. de Semiarianis. — *regulam veritatis, habentes eius sermones, de eisdem semper eadem dicimus.* Hæc ille. Nec aliter primi Arrianæ hæresis parentes, Theodotus, Asclepiodotus, Hermophilus, Artemon, vnam & ean-
Niceph. li. 12 cap. 29. — dem hæresim profitentes, turpissimè tamen dissidebant. Quod his verbis apud Eusebium ex
Arrianorum diuisio. — Scriptore quodam Ecclesiastico illic citato refertur. *Si quis cuiusquam illorum exemplaria in manus sumere, accuratè peruestigare, & inter ipsa conferre voluerit, reperiet profectò illa quàm maximè* F
inter se dissidere. Nam Asclepiodoti exemplaria cum illis quæ sunt Theodoti admodum discrepant. Ac multa planè suppetunt: propterea quòd illorum discipuli exemplaria ab vtrisque (vt illi appellant) correcta (vt nos) corrupta studiosè & sedulò descripserunt. Hæc ibi lib. 5. cap. 27. Iam verò ipsorum Arrianorum mirabilem diuisionem Ambrosius, Epiphanius, & Nicephorus copiosè describunt. Ab Arrianis enim reliquis secessit Aëtius, & eius sectator Eudoxius. Ab ipso Eudoxio segregatus Eunomius, suos quoque sibi seorsim conuentus fecit. Ab hoc quoque Eunomio Theophronius, quòd in magistri doctrina acquiescere nollet, reiectus est, & sub suo nomine hæresim instituit. Alius quoque Eutichius ab eodem Eunomio reiectus, suæ quoque hæresis author extitit, vt horum discipuli Eunomioeutychiani & Eunomiotheophroniani dicti fuerint. Arrianorum autem duo præcipua capita fuerunt, Dorotheus, quem veteres Arriani sequuti sunt; & Marinus, cuius sectatores Gothiani seu Psathyriani vocati sunt.
Diuisio hæreticorũ hodierna, veteribus hæreticis simillima. — Plane sicut hodie & nostræ se hæreses prodiderunt. Discessit enim à Luthero Zvvinglius; vt ab Arrio Aëtius. Discessit ab vtroque Osiander vt alter Eunomius. Et ab ipso Osiandro sic discessum est, vt alij nunc Antosiandrini, alij Semiosiandrini nuncupentur, sicut olim Eunomioeutychiani, & Eunomiotheophroniani. Veteres Lutherani adhærent hodie Flacco Illyrico, vt veteres Arriani Dorotheo. Recentiores Melanchthonis vestigia sequuntur, vt illi, alij Marinum sequuti sunt. Quanquam hoc hodie discrimen est, quod multo numerosior

A rosior sectarum diuisio facta est, quàm sub vlla vnquam hæresi factum legimus. Nam præter
iam enumeratos, habemus Anabaptistas, Caluinistas, Vbiquitarios, Trinitarios, Adiaphoristas,
Puritanos, familiam amoris, Laicocephalos, & alias permultas sectas vsque ad numerum pe- *Macedonianorum Diuisio.*
ne centenarium, sicuti in suo Dubitantio collegit Gulielmus Lindanus. Sed ad alias hæreses
pergamus. In hæresi Macedonianorum, duo Capita erant. Macedonius ipse, & qui ab eo dis-
cessit Eutropius. Ex Nouatianis, alia Sabbatianorum secta exiuit. Donatistarum variæ erant
partes. Rogatistæ, Maximinianistæ, & Circũcelliones. Nestoriana & Eutychiana hæresis cir-
ca personam Christi in duobus extremis errans, Conciliorum Ephesini & Chalcedonensis *Donatistarum Diuisio.*
authoritate damnata, nihilominus propter hominum pertinaciam tantæ Authoritati pa-
rere nolentium, statim in plurimas sectas abiit. Mox enim post Chalcedonense Conci- August. ad
lium longè amplissimum, plurimi à Catholica Ecclesia sese separantes, vno vocabulo [illegible] Quoduultdeũ hær. 69.
[illegible], quasi dicas ambigentes & dubitantes sese vocarunt, quasi quibus nondũ satisfa- *Protestantes veteres.*
ctũ esset: quemadmodum sanè hodie, nequicquã celebrato celeberrimo cõcilio Tridentino,
vocant se hæretici moderni Protestantes, quia adhuc quasi contra sententiam iniquè latam,
aut vim à iudice iniquè illatam protestantur. Istorum autem ambigentium seu Protestan-
tium, duodecim statim sectæ exortæ sunt, suis nominibus & Authoribus distinctæ. Qui enim
Eutychetis hæresim amplexi sunt, & propterea Monophysitæ dicti, eam non vno modo as- *Eutychetianorũ Diuisio.*
serendam putarunt. Aliter enim Acephali duce Seuero, aliter Iacobitæ authore Iacobo, ali-
ter Theodosiani & Iulianistæ à suis ducibus nuncupati Eutychetis hæresim defendebant.
B Nestorio quoque plurimi adhærebant, sed incredibili discordia. Ex Nestorianis enim hæ se- Vide Nicephor. lib. 18. cap. 45.
ctæ prodierunt. Tritheitæ duce Ioanne Philopono, Agnoetæ duce Themistio Philosopho,
Theopaschitæ, Armenij, Seueritæ, Aphthartodocitæ, & his aduersi Phantasiastæ. Alia illustris
erat Monothelitarum hęresis, propter quam 6. generale Concilium Constantinopoli congre- *Nestorianorum Diuisio.*
gatum fuit. Horum diuisionem commemorat Agatho Papa, in Epistola ad Imperatorem
Constantinum, demonstrans eos planè ab Ecclesia alienos esse, cuius vna & eadem est sem-
per in rebus fidei vox & doctrina. *Omnes*, inquit, *& alterutrum vnusquisque eorum condemnat,* Action. 4.
sicut variæ eorum & instabiles in scriptis definitiones asseuerant: modo vnam voluntatem & vnam
operationem in Christo ponentes, modo nec vnam nec duas operationes; modo rursum vnam volunta- *Monothelitarũ Diuisio.*
tem & vnam operationem, modo duas voluntates & duas operationes; itémque vnam voluntatem &
vnam operationem; & denuo nec vnam nec duas, & alias vnam & duas. Hæc ille. Hæc de præci-
puis & nominatissimis hæresibus breuiter attigisse sufficiat. Sanè qui Euthymij Panopliam,
Theodoreti libellum hæreticarum fabularum, Epiphanij Panarium, Augustinum ad Quod-
uultdeum, Philastrium & Damascenum de hæresibus, & maximè historiam Ecclesiasticam
Eusebij, Socratis, Sozomeni, Euagrij, ac post eos Zonaræ, diligenter inspiciat, facilè animad-
uertet nullam hactenus alicuius nominis hæresim extitisse, quæ non statim in varias sectas &
partes, dissecta fuerit.

Videamus ergo quæ sit Protestantum vel vnitas vel diuisio: siquidem & illa veræ Ecclesiæ, *Diuisionis Protestantium, argumenta.*
& hæc hæresis nota est quàm certissima. Sanè multis ad hanc rem demonstrandam verbis
opus non est. Notissimæ enim sunt sectæ Lutheranorum, Zvvinglianorum, Caluinistarum,
C Vbiquitariorum, Anabaptistarum, Osiandrinorum, Zvvenkfeldianorum, Trinitariorum, plu- 1.
rimorúmque aliorum, quorum singulas opiniones & sententias quas asserunt, loca in quibus *Nomina sectarum.*
habitant, authores quos sequuti sunt, commemorat diligenter vir celebris memoriæ Frideri-
cus Staphylus, in Apologia sua priori, parte 3. & adhuc copiosius (quod ad opiniones & sectas
attinet) Gulielmus Lindanus in suo Dubitantio.

Huius quoque dissensionis mutuæ, planè acerbissimæ & implacabilis, euidentissimo argu- 2.
mento esse possunt, mutua eorum & cruenta de religione certamina; quibus alter alterũ editis *Libri & mutua concertationes edita.*
libris coarguit, maxima animorũ cõtentione impugnat, cõuitiis, maledictis & opprobriis one-
rat, proscindit, lacerat. Enimuero statim post huius noui Euangelij exortũ, anno sanè 1528. Zv-
vinglius & Oecolãpadius cõtra Confessionẽ Lutheri de Cœna Domini publicè scripserunt.
Quúmque an. 30. contra pacta cõuentus Marpurgici [vbi vt de hac Controuersia neutra pars
aliquid scriberet conuentũ vtrinque fuerat,] Lutheri sententiam Melanchthon scripto propu-
gnaret; cõtra eundẽ, stilum suũ satis acerbè stringit Oecolampadius. Lutherus quoque ipse, vt
omnem contra Zvvinglianos moueret lapidem, scribit ad Albertum Marchionem Brande-
burgensem anno 32. eodémque fere tempore Argentoratensibus; necnon & sequenti anno 33. *Lutherus persequitur Zuuinglianos.*
Francofurtensibus; ne vllo modo Zvvinglianis communicent, néue apud se illos residere per-
mittant. Quum verò hoc disidiũ tantum & tã vehemẽs, omnibus modis celare & occultare

Zvvingliani contenderent, scripsit Ioachimus Vadianus an. 36. sex libros Aphorismorum de consideratione Eucharistiæ, ostendens nullo modo Zvvinglianis cum Luthero conuenire. D

Mendax Caluini vanitas.

Deinde quum an. 38. scripsisset Caluinus libellum, cui titulum dedit, *Summa confessionis de Sacramentis*, ibique asseruisset, *Augustanam confessionem eandem esse cum Tigurinorum doctrina*; Hanc eius impudentissimam vanitatem, eodem anno certatim oppugnant Lutherani. Nec id quidem immeritò, quum toti Germaniæ notissimum esset, paucis ante annis, [anno videlicet 30.] quum Augustæ Lutherani Cõfessionem suam Cæsari & Principibus exhibuissent, [quæ & inde Augustana dicta est,] eodem tempore à quatuor ciuitatibus, Argentorato, Constantia, Menminga & Landauia, aliam Confessionem porrectam fuisse, quæ Zvvinglij dogma complecteretur. Quin nec ipsis inter se Lutheranis, in sua ipsorum Confessione satis conueniebat. Acriter enim Saxonicos ministros, Luneburgenses Lutherani & qui Lantgrauio Hessiæ subdebantur, reprehenderunt; quòd in quæstione regiminis Ecclesiastici nimium Catholicis cessissent. Sed ob illam Caluini reprehensionem supradictam, graue & implacabile inter Lutheranos & Zvvinglianos bellum exarsit; quod multis colloquiis & conuentibus inter ipsos postea habitis (de quibus mox dicemus) causam dedit. Sed quum multis colloquiis frustrà tentatis, gliseeret magis ista contentio, & cresceret Zvvinglianismus, temperare sibi Lutherus non potuit, quin an. 44. postremam suam (vt vocat) Confessionem de Cœna Domini ederet; multùm reluctante [vt quidem scribunt] & dehortante Melanchthone, in qua sanè Zvvinglianos *apertè hæreticos & in æternum damnatos* pronunciat. Respondent verò proximo statim an. 45. Tigurini per Apologiam satis accuratè; de quibus mox per Theses publicè propositas, se vendicat Lutherus. Nam in Thesi 27. *Hæreticos, inquit, seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zvvinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant Corpus & sanguinem Christi, ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.* Ex qua sanè acerbissima contentione, quum nonnulli Lutherani remitterent aliquid de Lutheranæ sententiæ rigore, facta est anno 48. & sequenti mollium & rigidorum Lutheranorum diuisio. Móxque anno 51. Osiandrina factio in Prussia emersit. Et quidem propter bella Imperatoris aduersus Protestantes intermissum erat toto fere triennio Lutheranorum cum Sacramentariis bellum istud calamarium, qualicunque simulata concordia.

Rosc̃rus Pontanus lib. 5.

E

Lutherus pronunciat Zuuinglianos hæreticos.

Vvestphalus contra Sacramentarios.

At verò non longè post anno 53. succumbentis iam Lutheranæ partis commiseratus Ioachimus Vvestphalus Superintendens Hamburgensis, primum Scriptum in lucem emisit contra Sacramentarios. Móxque biennio fere post, an. 55. secundum scriptum contra eosdem in lucem dedit. Cui eodem anno respondet Caluinus. Nec mora, eodem quoque anno replicat Vvestphalus. Móxque anno sequenti 56. Sneppius & Erasmus Albertus Lutheranorum quoque partes strenuè tuentur. Sed & eodem anno, ne sibi in tali articulo deesse viderentur Zvvingliani, quasi coactis copiis, vno eodémque tempore Henricus Bullingerus Tiguri suam Apologiam, Bernardinus Ochinus defensionem primam, & secundam suam defensionem Caluinus contra Vvestphalum scribunt. Quibus etiam auctarij loco accessit Ioannes à Lasko, Zvvinglij partes contra Lutheranos acriter defendens. Anno verò sequenti 57. nihil tot hostium telis deterritus Vvestphalus, respondet Ioanni à Lasko & Caluino: huius quidem [vt ait] conuiciis per Epistolam, illius verò scripto per breuem responsionem. Quo etiam tempore Confessiones Saxonicarum Ecclesiarum colligit Vvestphalus, & in libellum redactas contra Caluinum remittit. Cui mox Caluinus, vltimam (vt vocat) admonitionem ad Ioachimum Vvestphalum scribendo, respondet. Quem tamẽ ne hac terribili Admonitione prostrauisse Caluinus videretur, eodem adhuc anno alium fœtum emittit Vvestphalus, cui titulum dedit, *Iusta defensio aduersus insignia mendacia Ioannis à Lasko.* Móxque anno sequenti, Apologetico in Caluinum replicat. Quum autem ad suam maiestatem non pertinere existimaret Caluinus, vnum hostem toties lacessere; huic succenturiatus Theodorus Beza Caluini discipulus proximo anno 59. in Vvestphalum scribit. Sed & eodem anno ipsis inter se Lutheranis grauis tempestas exorta est, quum & comites Mansfeldenses & Saxoniæ Principes iuniores publico edito scripto, vndecim Lutheranorum sectas notauerint, & vt execrabiles hæreses condemnauerint. Acerba quoque eodem anno inter Tilmannum Heshusium & Gulielmum Clebitium de Cœna Domini concertatio in Academia Heidelbergensi facta est. Sequenti nihilominus anno sexagesimo in Ducatu Vvirtembergensi contra Sacramentarios graue edictum promulgatur. Ienenses quoque Ministri edunt supplicationem ad Ioanem Fredericum Ducem Saxoniæ, aliosque Ordines Confessionis Augustanæ, pro legitima Synodo, in qua soli Lutherani conueniant. Eodem tamen anno

Zvvinglianorũ agmen contra Vvestphalum.

F

Lutheranorum inter se concertatio.

Lauatherus in hist. contra sacram.

A anno ad causam Sacramentariorum in Germania sustentandam prodiit contra VVestphalum posthumum quoddam Ioannis à Lasko scriptum. Heshusius quoque ab Academia Heidelbergensi eiicitur: edito ibidem decreto de Lutheri & Brentij catechismis extra Ecclesiam eiiciendis.

Sed hac occasione nouus statim prodit contra Sacramentarios Antagonista, minimè contemnendus, idem Tilmannus Heshusius. Contra hunc anno sequenti 61. scribunt cateruatim Sacramentarij, Caluinus, Beza, Boquinus. Scribit quoque & Guhelmus Clebitius. *Victoriam* [vt vocat] *veritatis & ruinam papatus Saxonici.* Eodem tamen anno, ne planè hastam abiecisse Lutherani viderentur, nouus exurgit idémq; egregius Lutheranorū Athletes. Martinus Kemnitius. Edit is in lucem *Repetitionem sanæ doctrinæ de vera præsentia corp. & sang. in Cœna Domini.* Eodem quoque anno veteranus alter miles vel dux potius, ad pugnam in causa Lutheranorū procedit, Ioannes Brentius; & edito libro *de personali vnione duarum naturarum*, Lutheranam præsentiam stabilire nititur. Sed huic statim respondit Petrus Martyr, & causam Zvvinglianam tuetur. Nihilominus & eodem anno contra Henricum Bullingerum alium libellum emittit Brentius, quod quidem nouo & ingenti certamini causam dedit. Proximo enim an. 62. Bullingerus edito libello se tuetur cōtra Brentiū; & ipse Brentius vicissim tam contra illum quàm contra Petrum Martyrem *Recognitionem* quam vocat, scribit. Eodem quoque anno, nihil tot hostium concursu territus Heshusius contra Caluinum, Boquinum, Bezam & Clebitium, scribit *piam defensionem* (vt vocat) *præsentiæ corporis Christi.* Sequenti verò anno

Tilmānus Heshusius, contra Caluinistas.

Martinus chēmitius Lutheranorum defensor.

congressus Brētij & Bullingeri.

B 63. respondet iterum Brentio Bullingerus (ipso Martyre opportunè iam vita functo) scribens *Repetitionem & dilucidiorem explicationem* [vt vocat] *veritatis.* Nec multo pòst anno 65. nouus Lutheranorum defensor Ioannes Marbachius superintendens Argentoratensis surrexit, qui contra Caluinistas & zvvinglianos scriptum bene longum emisit. Sed & huic mox à quamplurimis Caluinistis certatim responsum est. Sequenti quoque an. 66. ingens scriptum contra Bullingerum Zvvinglianum, edidit Brentius Lutheranus; insigni & pene incredibili maledicentia refertum, si Bullingero credimus. Huic verò Brentio eodem fere tempore respondet quoque Theodorus Beza, vacillantem iam & delassatum Bullingerum vtcunque sustentans. Sed & eodem anno alter Lutheranus, Ioannes VVigandus vnus ex quatuor Cēturiastis Magdeburgēsibus in libro quem edidit *de bonis & malis Germaniæ*, pro septimo beneficio recenset repressionem hæreticorum, inter quos numerat secundo & proximo post Anabaptistas loco Sacramentarios, móxque *Cothurnifices seu concionatores Christi & Antichristi*, quorum nomine Melanchthonicos & molles Lutheranos (est enim iste ex Rigidis) intelligit. Mox verò inter mala Germaniæ primo loco recenset, *quòd duo Schismatum genera in ea excitata fuerint: vnū à Sacramentariis, alterum ab Interemistis*, per quos iterum molles Lutheranos intelligit. Eodem verò anno [hac ipsa Lutheranorum inter se altercatione magis adhuc gliscente] scribit Christophorus VValtherus VVittembergensis, contra Ioannem Aurifabrum Vinariensem, Lutheranus contra Lutheranum, de corrupta editione operum Lutheri. Lutherani enim quidem isti esse volunt; de scriptis tamen & libris & doctrina Lutheri nihil adhuc certum & constitutum habent. Denique & nupertimè ante annos circiter decem, insignis inter Anglo-

Ioannes Marbachius contra Caluinistas.

Ioannes VVigandus sacramētarios pro hæreticis habet.

Puritanorū & Anglocaluinistarum certamina.

C caluinistas exorta Puritanorum secta, non satis habens, ab eorum se templis, cultu & communione separare; etiam scripto rem tentare est ausa. Itaque dum publica regni comitia haberentur, porrigunt ad Regni ordines Puritani admonitionem quandam, in qua multarum rerum reformationem enixè petunt. Huic Admonitioni postea typis excusæ, aliísque quibusdam sparsis in vulgus chartulis, excusis tamen; iusto volumine respondet Ioannes VVhitgift Theologiæ doctor. Contra hunc replicat Puritanorum nomine Thomas Carterovitus; vnus è sedecim illis ministris, qui non multo ante propter hoc religionis dissidium, ex Anglia Geneuam profugerunt. Huic Replicæ diligenter respondet VVhitgift, & prioris responsionis defensionem accuratam euulgat. Nec quicquam territus Carterovitus secundam etiam replicam iam anno superiore typis excusit. Postremò iam anno superiore an. 79. contra Domum charitatis seu familiam amoris, ab aliquot quidem annis in Anglia latitantem, sed nunc demum latius propagari cœptam sectam, libellum edidit Ioan. Regerius Anglocaluinista. Sed hæc quidem omnia lingua nostra vernacula scripta, ad nostras quidem manus peruenerunt, aliarum verò gentium doctis innotescere non possunt. Quæ sane horum Anglocaluinistarum acerbissima contentio, quo tandem exitura sit, non est difficile conijcere, nisi quod quid detineat scimus. Atque hæc quidem hactenus de mutuis horum Protestātum concertationibus

breuiter perstrinximus. Nam omnia huius generis referre & difficile nobis est, ad quos horum D hominum scripta rarò & pauca perueniunt, & nimis prætereà prolixum esset. Certè qui Catalogos librorum in Nundinis Franckofordianis recenter venalium leget, inueniet in singulis propemodum Nundinis, mutuas huius generis concertationes varias. Nec enim dum extincta hæc flamma est, sed adhuc sub iudice lis est.

Colloquia Protestantum frustrà tentata.

Iam verò aliud acerbissimæ & notissimæ inter eos dissensionis argumentum idémq; lucuentissimum, esse possunt varia illa penéque innumera habita inter ipsos de hoc dissidio cōponendo, colloquia & conuentus. Nam primùm quidem an. 29. Marpurgi inter Lutheranos & Zvvinglianos celeber conuentus habitus fuit, vbi enixè hoc saltē contendentibus Zvvinglianis, vt pro fratribus à Lutheranis haberentur, nec illud impetrare potuerunt. Itaque eodē adhuc anno, studio & opera Philippi Lantgrauij primum Suabachi, deinde Smalcaldiæ iterum eadem de re iidem euangelici conuenerunt: nec tamen iniri vlla ratione concordia potuit. Idē quoque frustra tentatum est in Synodo (quā vocant) Costantiæ habita an. 34. Desperata itaq; concordia, Zvvingliani ipsi an. 35. iam numerosiores facti, ideóque audaciores, Tiguri contra Lutherū conueniunt, atque conspirant. Arouiæ tamen (quod oppidum Bernensium est) de ineunda concordia eodem anno iterum conuenerunt: sed frustrà. Mouit hæc res ita Lutherum, vt anno sequenti 36. mensis Maij 14. omniū Euangelicorum Synodus generalis Vvittembergæ in domo Patriarchæ Lutheri haberetur. In qua tamen nihil ad communem concordiam cōfici potuit. Nam eodem anno frequentes Synodos (sic enim vocari eas volunt) habuere vicissim contra Lutheranos Zvvingliani: Basileæ quatuor; Tiguri vnam: Apud Bernates quoque E vnam, quam vocarunt generalem; cui 300. fere ministri interérant. Denique & Arouiæ, vbi disertè decretum est, ne quis Zvvinglianorum ad Synodum à Luthero Vvittembergæ indictam veniret. Eodem sane iure quo & illi & alij Protestantes, ne ad Catholicam Synodum aliqui ex suis veniant, interdicunt. Fit tamen iterum anno 37. alius conuentus Smalcaldicus sed Lutheranorum tantùm, vbi ad sarciendam aliquam concordiam, omnes Confessionem Augustanam profitentur. Itaque anno sequente 38. iterum Tiguri conuenitur plurimùm satagente Bucero, vt inter Zvvinglianos & Lutherum concordia iniretur. Quod totum quum vanus & irritus labor esset, cœpit se tum à Zvvinglianis apertè abalienare Bucerus. Ab eo tempore de ineunda vnquam inter Lutheranos & Zvvinglianos concordia desperari cœptum est.

Zvvingliani pro fratribus à Lutheranis haberi nō possunt.

Lauatherus in hist. consacram.

Lauatherus.

Zvvingliani suis interdicunt Synodo Lutherana interesse.

Lutheranorum inter se graues dissensiones.
Lauatherus.
Ronerus Pontanus.
Lutherani à suis è colloquio eiecti.

Multum iam erat vt ipsi saltem inter se Lutherani probè conuenirent. Sed nec illud diu impetrari potuit. Cùm enim anno 57. Colloquium Vvormatiæ inter 12. Catholicos doctores, & 12. Lutheranos Magistros institutum fuisset, adeo malè ipsis inter se Lutheranis conuenit; vt ex illis duodecim, quinque à colloquio exclusi & eiecti à suis Symmystis fuerint: Nicolaus Gallus, Nicolaus Amsdorffius, aliique tres, Rigidi omnes & Stoici Lutherani. Quæ eiectio, maximę postea & ardentissimæ inter ipsos Lutheranos contentionis & odij seminarium fuit, quod multis acerbissimis scriptis duo illi Nicolai postea fouerunt, vel etiam accenderunt magis. Biennio quoque pòst [an. 59.] vndecim illæ Lutheranorum sectæ notatæ, & publico multorum principum iudicio à cæteris reiectæ fuerunt, quas suprà meminimus. Anno verò 61. in Principum quidem conuentu Numburgi in Thuringia habito, de Sacramentariis solenniter F condemnandis frustrà laboratum est: in Conuentu autem Lunæburgensi Lutheranorum Saxonū, damnatur nominatim Albertus Hardemburgius Zvvinglianus. Sed et eodem anno Bremenses vrbe sua Lutheranos omnes eiiciunt. Francofordia autem galli Zvvingliani vel Caluinistæ potius efficiuntur. Habitum est autem non diu pòst [an. 64.] magno studio maximáque animorum contentione inter Lutheranos & Caluinistas Colloquium Mulbrunnense, præsentibus ibidem ex parte quidem Lutheranorum Duce Vvirtembergico, Caluinistarum verò Comite Palatino electore. Vbi post longam inter vtriusque factionis ministros disputationem habitam, adeò nulla inter eos constituta pax est, vt simultas & odium etiam acrius inter eos exarserit. Soluto enim Colloquio, primùm Vvirtembergici ministri de Actis eius Colloquij scriptum ediderunt; in quo Palatinis Ministris insignem impudentiam & vanitatem impingunt. Contrà verò Palatini aliud scriptum euulgant; in quo illud Vvirtembergicum & mendacij crebrò insimulatur, & prætereà prolixè confutatur. Sic isti Cadmæi fratres egregiè inter se conspirant, vt veteli scilicet notique columbi. Sed magis adhuc insigne est, quòd diffractis iam penitus omnis pacis & concordiæ inter Lutheranos & Caluinistas repagulis, & desperata inter illas duas Nobiles sectas vnione; nec inter ipsos Lutheranos

Colloquiū Mulbrunnense.

ranos

A ranos sarciri adhuc cōcordia potuit. Nam præter apertissimā dissensionem inter rigidos Lu-
theranos (vt Mansfeldenses Illyricanos & Tubingenses) ac molles Lutheranos, Ienēses, Lip-
sienses atque Vvittembergenses, etiam nec ipsis inter se mollibus conuenire iam potuit. Nu-
perrimè enim quum, Altemburgæ anno.68. Colloquium celebre inter Lutheranos Electo-
rales & Saxonicos, id est, Vvittemburgenses & Ienenses institutum fuisset, totisque mensibus
quinque continuatum, nihil aliud effectum est, nisi vt maioribus odiis vtrinque discederetur,
maiores animorum acerbitates & contentionum flammæ accenderentur. Quod sane eius
Colloquij Acta à Ienensibus dogmatistis valdè prolixè etiam latinè edita, toti orbi testatissi-
mum fecerunt. Maximè verò, quòd inter causas huius editi colloquij septimo loco adferūt.
Electorales illos & molles Lutheranos Vvittemburgenses primùm suo priuato arbitrio, alio-
rum consensu (à quibus nempe quàm longissimè dissentiebant) non expectato, hoc Collo- 1.
quium abrupisse: deinde etiam aliam Synodum ex suarum partium Theologis coegisse; nec- 2.
non in eadem istos alios rigidiores absentes, suo calculo & decreto damnasse; ac postremò 3.
hanc damnationem in Ciuitates & aulas Principum ac potentum sparsisse. Quæ enim ma- 4.
ior esse potuit aucta acerbitatis, & accensæ magis contentionis significatio? Sed docuit hoc
maximè Colloquium, aliter inter istos Protestātes nunquam se rem habituram, neque alium
vllum has contentiones finem habituras. Causa enim huius erat (quæ & omnibus Protestan-
tibus est communis) quòd de Norma disputationis, de Principiis ipsis doctrinalibus, inter
eos conuenire tunc non potuit. Dum videlicet molliores illi & Electorales pro Norma dispu- *Causa perpetua*
tationis, (præter Sacra Biblia) etiam Lutheri scripta omnia, ac Melanchthonis Corpus do- *litis inter ipsos*
B ctrinæ in Authoritatem recipi postularent: Alii verò vt Ienenses, Lipsenses, & alii, nec om- *Protestantes.*
nia Lutheri scripta admittere, nisi quæ certò ipsius esse, minimèque corrupta constaret; nec
Melanchthonis vlla (nisi quatenus verbo Dei consentiant) approbari voluerint. Vt plane quia
de Norma conuenire inter eos non potuit, sine vllo fructu, imò maiori cum animorum acer-
bitate, discessum vtrinque fuerit. Sunt hæc ergo mutuæ illorum & implacabilis dissensionis
argumenta, luce meridiana clariora.

Iam verò Lutherus ipse, tantam & tam grauem suorum à se dissentionem esse iudicauit,
vt *Zvvinglianos excommunicauerit* verbis acerbissimis. *Et obtestatur Deum & totum mundum,* *Excommunica-*
quòd cum Sacramentariis non sentiat, neque vnquam senserit, neque in æternum sensurus sit. Et quia *tiones reciprocæ.*
illi contentionem hanc de re leui esse dicerent, (quod & hodie dicere homines impuden- *Lutherana ex-*
tissimi planèque effrontes non cessant) concordiámque optarent, & pacem fraternam, etsi iu- *hortatio.*
dicio hic dissentirent, iterum dicit Lutherus. *Ego Lutheranam hic adiiciam exhortationem;*
& hoc ex animo dico. Maledicta sit in omnem æternitatem ista charitas & concordia. Hæc om-
nia Lutherus in libro cui titulum dedit, *Defensio verborum Cœnæ.* tom. 7. operum suorum.
Zvvingliani vicissim Lutherum condemnant, & illum *plenum Cacodæmone* pronunciant, vt *In defens. 2. co-*
eodem in libro Lutherus commemorat. Hæc autem animorum & sententiarum tam gra- *tr. Vvestphalū.*
uis & acerba dissensio fuit, vt conqueratur Caluinus de Lutheranis, quòd Papistæ esse mal-
lent quàm ad suam & suorum sententiam accedere. Conqueritur contrà Spangenbergius
Lutheranus de Caluinistis, quòd Lutherum summa ingratitudine deseruerint, in libro cui Ann.1561.
C talem titulum dedit: *Declaratio beneficiorum Dei, per Martinum Lutherum in Germania acce-* 5.
ptorum, & maximæ ingratitudinis erga beneficia accepta. Sed & ipsi quoque Lutherani in- *Querela de iniu-*
uicem conqueruntur. Conqueritur enim grauissimè Ioannes Vvigandus rigidus Luthe- *riarum acceptis.*
ranus, & vnus è 4. Centuriastis Magdeburgensibus, quòd ipsorum libris typographorū præ- Vide Surium.
la in tota Saxonia, per molliores scilicet Lutheranos, sub pœna excommunicationis negen- Ann.1566.
tur. Conqueruntur grauiter Magdeburgenses in præfatione Centuriæ 5. quòd in permultis
articulis alii Lutherani catholicis cesserint, & quòd eos Luthero mordicus adhærentes, *Stoi-* 6.
cos & seditiosos nuncupent. Sed ne longè abeamus, domestica habemus & illustria huius ma- *Templa sectarū*
nifestissimæ dissentionis documenta, in hoc Belgio oculis nostris visa. Nuper enim An- *diuersa.*
tuerpiæ, in primis tumultibus Geusianis, extructa de nouo templa erant separata, Martini-
starum & Caluinistarum: conuentus quoque Anabaptistarum in priuatis ædibus non obscu- *Censura Luthe-*
ri erant. Quæ omnia ita erant separata, vt nefas censeretur alterum ad alterius templa *ranorū de litur-*
cultus aut religionis causa accedere. Eodem quoque tempore Confessionem fidei edi- *gia Caluinista-*
derunt Martinistæ seu Lutherani, quam postea scripto defendit Flaccus Illyricus, in qua *rum.*
caput 17. est huius tituli. *Contra errorem Sacramentariorum.* Vbi etiam his verbis vtuntur.
Caluinistarum liturgia non vno sacrilegio vitiata contaminatáque est: eáque (proh dolor) innume-
ras animas æterno exitio inuoluit. Hæc illi. Vide confutationem eiusdem Confessionis per

Iudocum Tiletanum. Aliam & aduersam Confessionem eodem tempore in eadem vrbe ediderunt Caluinistæ, quam refutauit Franciscus Sonnius Episcopus Buscoducensis. Nō potest D
esse apertius nouissimæ dissentionis argumētum. Separatum & seorsim in eadem vrbe conue-
1. niunt. Distinctis sectarum nominibus sua templa insigniunt. Sacramentorum & verbi Dei
2. communionem inire recusant. Inuicem erroris, etiam scriptis confessionibus, notant. Sunt
3. autem hæc obseruatione digna, & vtile est harum rerum memoriam in Ecclesia extare, ne vl-
4. lo fuco hanc mutuam dissentionem tegant, in quo magnopere plærique eorum, vt simplicioribus imponant, sed vanissimè contendunt. Sanè colligit Brentius post finem Recognitionis suæ contra Bullingerum, appendicem publicorum testimoniorum, videlicet ipsius Lutheri, Melanchthonis, Lauatheri, Petri Martyris, quibus ostendit sæpius à Cinglianis actum fuisse, vt à Lutheranis pro fratribus susciperentur, manente diuersa illa sentētia de Cœna Domini, nec vnquam hoc impetrari ab illis potuisse. Denique illustre illud est, quòd in Catalogo librorum qui in Nundinis Francofordianis quotannis venales prostant, ita in certas non solùm disciplinarum, sed & in re Theologica sectarum classes, ille Catalogus distribuitur, vt quemadmodum seorsim Catholicorum libri & opuscula enumerantur, sic etiā in distinctis classibus, Zvvinglianorum seu etiam Caluinistarum (sic enim loquuntur) in vna, Lutheranorum verò Protestantum libri in altera recensentur. Est ergo eorum dissensio, & in varias sectas diuisio manifestissima. Ecclesia igitur christi, cuius vna fides est vt vnus Deus, nullo modo esse possunt.

Appendix publicorū testimoniorū de negata concordiā inter Lutheranos & Sacramētarios.

9. Probatio.

Prætereà, quia contradictoria simul vera esse non possunt, tota Protestantum multitudo nulla ratione ad veram Ecclesiam pertinere potest. Si enim Lutheranorum secta, verbi gratia, illa est, non est caluinistarum: & sic de cæteris sectis omnibus collige; quum tamen vnaquæque secta sibi soli veram Ecclesiam venditet, aliis neget. Sicut enim olim Donatistarum sectæ singulæ (vt scribit Augustinus) *apud se tantummodo verum Baptismum remanere asserebāt, nec omnino esse alibi, neque in toto orbe terrarum, quà Ecclesia Catholica expanditur, nec in ipsa grandiori parte Donati, nec in cæteris præter se vnam ex minutissimis partibus*, sic hodie minutissima Anabaptistarum, aut Vbiquitariorum, aut Puritanorū in Anglia secta, in se sola, non in grandiori Caluinistarum aut Lutheranorū parte, Ecclesiam esse asserunt. Quare si deserenda esset Romana, maior tamen superesset quæstio cui sectæ adhærendum esset. Nihil ergo in Protestantum cœtu, certum aut firmum est, de vera ecclesia inuenienda. E

De Baptis. cont. Donatistas lib. 1. c. 6.

Idem demonstratur ex variis argumentis, quibus seipsos produnt hæreticos esse Protestantes.

CAPVT XIIII.

10. Probatio sed multiplex.

POSTREMA iam verò, ad hoc demonstrandum quod suscepimus, ab ipsa pene aduersariorum confessione, non quidem expressa nec spontanea, sed coacta & verissima, petetur ratio. Ratio quidem vna, sed quæ argumenta complectitur varia, eadémque validissima. Nempe ipsimet seipsos multis argumentis produnt, ad veram Dei Ecclesiam nulla ratione pertinere. Vt mihi planè, miraculi imò monstri potius instar sit, quenquā esse qui aliquid in religione sapiat aut intelligat, huic se sectæ, omnium quæ vnquam extiterunt vanissimæ, adiungere qui velit. Sed quia, non tam iudicio quàm affectibus in hanc sectam itum est, ideóque manifestissima licet eius vnitas, animaduerti ab omnibus non potuit; dabimus operam illa omnia breuiter, sed dilucidè aperire, quibus illi se verè hæreticos atque schismaticos, quasi suo sorices indicio, prodiderunt. Primùm ergo eo se indicio manifestè produnt, ad veram Dei Ecclesiam non pertinere, quòd alias Ecclesiæ notas affingunt atque assignant, (quemadmodum suprà à nobis ostensum est) quā quæ vel in Symbolo Apostolico, vbi suis titulis & notis Ecclesia Christi descripta & credenda proponitur, vel in Sacris Scripturis, in lege, Psalmis, Prophetis, & Euangelio expressæ sunt. Atque ita Ecclesiam sibi quærunt & extra Scripturas sanctas, & extra fidei Christianæ Symbolum. Neq; enim veram Ecclesiam ex eo describunt aut designāt, quòd sit vna, quòd sit Catholica, quòd sit Apo- F

1 Quia Protestantes quærunt Ecclesiam extra Scripturas & Symbolum fidei.

lib 1. cap 3. & seq. vsque ad Cap. 11.

A ſit Apoſtolica. De ſanctitate quidem multa dixerunt, ſed nimium præpoſterè, & variis modis impiè, ſicuti in præcedentibus diſputatum & declaratum eſt. De perpetuitate verò & continuatione, de amplitudine & viſibili communione ac ſocietate, de vniuerſalitate locorum, & temporum, in certa paſtorum & ouium ſucceſsione, propter quas cauſas dicitur, & eſt vna, Catholica, Apoſtolica, ne verbum quidem.

Sed illud inter cætera magis adhuc præclarum eſt, quòd de Catholicæ nota ac titulo, quæ Chriſtiani hominis cognomen & proprius character eſt (vt antea explicauimus) vel altum apud eos ſilentium eſt, vel in ſenſum longè alienum eius verbi vim trahunt, vel denique (*impius enim quum in profundum venerit, contemnit*:) derident tandem & contemnunt. Quod ſanè memini mirum videri debet. Nam & nemo repente fit turpiſſimus; & contentioſi proprium eſt, quum hac non ſuccedit, alia aggredi via; omnémque lapidem mouere, vt male cœpta peius tueatur ac defendat. Enimuerò (vt ad rem redeamus) hinc factum eſt, vt nec Caluinus in ſua Inſtitutione, nec Lutherani in ſua confeſſione Auguſtana, Vvirtembergenſi, Ratiſponenſi, & aliis Scriptis de hoc Catholicæ titulo quicquam laborent: imò in prioribus ſuis catechiſmis, vocem Catholicam è ſymbolo eraſerint, & Chriſtianam ſubſtituerint, vt dicerent *Credo Eccleſiam Chriſtianam*, pro eo quod omnes chriſtiani dicunt, *Credo Eccleſiam Catholicam*. Illud verò quũ non ſuccederet, quia & in Symbolo Apoſtolico euidenter expreſſa, & perpetuo Eccleſiæ vſu receptiſſima vox, diſſimulari non potuit; vocem tandem admittunt, & de Catholicæ titulo diſputant; ſed alium illi ſenſum affingentes, quàm hactenus vnquam habuiſſe intel-
B lectum eſt.

2. Quòd Catholicæ titulũ Proteſtantes aut negligunt, aut inuertunt, aut condemnant.
Prouerb. 18.
Supra lib. 3. cap. 7. & ſeq. & hoc lib. 4. cap 10. & 11.
Lutherus in catechiſmo paruo. fol. 12. & magno fol. 64. Itẽ in corpore doctrinæ Saxonicæ an. 1570 Ienæ impreſſo.
Vocis Catholicæ conficta interpretationes.

Auguſtana confeſſio inde Eccleſiam Catholicam dici vult, *quia homines habet ſparſos per totum orbem, qui Euangelio conſentiunt, non in politia externa certarum gentium*, hoc eſt, non in ſocietate viſibili, communione & vnitate omnium gentium Chriſtianarum, ſed (vt explicat in Apologia Confeſſionis, & in Repetitione, & in locis communibus Melanchthon;) *ſocietatem eorum, qui obſcurata vera doctrina ſubinde eam rurſus accedunt, vt ſemper manſura ſit aliqua Eccleſia Dei in reliquiis*, &c. Quem quidem ſenſum, & totam illam de reliquiis imaginationem, antea refutauimus, Docentes præterea Catholicum id eſſe, non ſolùm quod vbique, ſed etiam quod ſemper eſt. Muſculus verò adhuc parciùs multò agit, & Catholicum eſſe definit, qui Apoſtolorum & Athanaſij Symbolum credit, maximè Athanaſij: quia ibi dicitur in principio, *Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate*, &c. itémque in fine. *Hæc eſt ergo fides Catholica, quam niſi quiſque integram inuiolatámque ſeruauerit, ſaluus eſſe non poterit*. Ex his enim verbis infert. *Ergo qui ad hunc modum credunt, fidem habent Catholicam. Conſequitur igitur eos non eſſe hæreticos ſed Catholicos, in vnitate Eccleſiæ catholicæ conſtitutos*. Hæc ille. Agnoſcit quidem eodem titulo par. 6. Catholicum omnia tempora complecti, ſed ea tantum quæ ad fidẽ neceſſaria ſunt, in Catholico conſenſu compræhendi vult. Non vult autem neceſſaria ad fidem cenſeri dogmata, extra Symbolum Apoſtolorum & Athanaſij poſita, vt in eodem loco, & alio ſuperius citato docet. Qua in re, vt ad Pelagij ſenſum quàm proximè accedit, qui quæſtiones extra Symboli ambitum poſitas, quæſtiones eſſe præter fidem & ad fidei quæſtio-
C nem non pertinere iudicauit, vt ex Auguſtino patet; ita non ſibi tantum, ſed & ſuis omnibus contrarius eſt, qui de multis aliis rebus vt ad fidem neceſſariis controuertunt, & diuerſa ab ipſis ſentientes damnant, próque hoſtibus veræ doctrinæ habent, quæ tamen in neutro illorum Symbolorum continentur. Sed hæc coarctatio & reſtrictio Catholici conſenſus, euidenter oſtendit, quàm longè latéque receſſerit à ſenſu Catholico. Itaque nomen, iſti quidem modeſtiores & molliores Lutherani retinent, à re tamen ipſa quæ nomini reſpondet, quàm longiſsimè aberrant; non diuerſum hoc in loco paſſi, quàm olim Donatiſtæ.

In locis com. tit. de Eccl. par. 9.
Auguſt. de pec. orig. lib. 2. cap. 23.

Nam & illi voluerunt ſane Catholici dici, nec veriti ſunt in libello ſupplici Conſtantino Imperatori porrecto ſe Catholicam Eccleſiam vocare. Sic enim ſuperſcriptus erat libellus, vt meminit Diuus Auguſtinus. *Libellus Eccleſiæ Catholicæ Criminum Cæciliani, traditus à parte maiori*: Vel, vt in alia epiſtola (68) legitur, *à parte Maiorini*. Et fortaſſe non ſe Eccleſiam Catholicam hoc loco vocaret, quæ ſe partem Maiorini ſcriberet, ſed ipſi Eccleſiæ Catholicæ, libellum criminum pars iſta Maiorini traderet. Vtcunque autem huius libelli ſuperſcriptio habebat, certè in collatione facta inter Catholicos, & Donatiſtas Carthagini, quia cognitor ſeu Iudex Marcellinus Orthodoxos *Catholicos* vocabat, eos ſane quorum communio erat cum Eccleſia per totum orbem terrarum diffuſa, reliquos verò *partem Donati*; ægrè id tulerunt, & ſtomachabantur multum, ſeque

Donatiſtarum tergiuerſatio de voce catholica.
Epiſt 48 ad Vincentium.

In collat. dief 3. circa initium. Catholicos dici voluerunt, vt videre est apud Augustinum: sed hoc totum eo sensu, vt Catholicos se ideo reputarent, quia *omnia sacramenta integra haberent, & omnia Dei mandata seruarent*, vt ibidem commemorat Augustinus. Non autem eô sensu Catholicos se dicere ausi sunt, quòd toti orbi communicarent, quo sensu Augustinus ipse cum cæteris ibi Orthodoxis episcopis, se esse Catholicos asserebant. Quod quum facerent, *Petiuerunt sanè Donatistæ* (ait Augustinus in collatione cum ipsis facta) *vt probarent Catholici sibi communicare omnes gentes. Quod Catholici quum gratissimè acciperent, & peterent à cognitore, vt hoc probare permitterentur, rursum Donatistæ de alia re tractari postulabant.* Hæc Aug. Certissimè enim sciebant, nec se hoc sensu Catholicos dici & esse potuisse, & ipsos Catholicos omnibus gentibus communicare. Verum quidem est Aug. ipsum scribere *ex eo Catholicam dici Ecclesiam, quia vniuersaliter perfecta est & in nullo claudicat*, sed solerter addidit: *& per totum orbem diffusa est.* Eandem Catholici tituli ambitionem, in Fortunio Donatistarum episcopo videre licet, alibi apud Augustinum. Ille enim *apud se & suos Ecclesiam esse, quia & ipsius cõmunio vbique terrarum esset*, asserebat. Sed quum huius rei probationem facillimam August. peteret, *ex commercio formatarum litterarum*, (de quibus postea plura dicemus) *quia res apertè falsa erat* (ait August.) *permixtis verbis citò inde discessum est.* Hæc ille. Arriani quoque suam fidem Catholicam fidem in Concilio Ariminensi vocarunt, vt commemorat, fraudémque accusat Athanasius in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Sic itaq; molliores & modestiores Lutherani, saltem catholicæ titulo gaudent, etsi verum huius tituli sensum nullo modo in sua communione locum habere demonstrare possunt; ideóque vel eum prorsus mutant, vt Melanchthon, vel coarctant fraudulenter, vt Musculus; qui etiam hac in re sectatores hodie habet plurimos. At verò, quia ista quasi inuita Minerua inuecta dissimulatio, stare non potuit; rigidiores Lutherani, seu extrauagantes, (quos proprio sectæ nomine Antadiaphoristas vocat Staphylus) qui istos molles & Adiaphoristas & Interimistas, cane peius & angue oderunt, & auersantur; maius aliquid audendum censuerunt. Itaque Catholicæ titulum, quia nisi turpiter ab ipsis retineri aut dissimulari potuit, perfrictâ fronte reiiciunt, irrident, contemnunt. Sic enim scribit nupertimè Puritanus quidam, siue Antadiaphorista in Anglia, *maximam hodie contentionum causam esse, Catholicam nostram à Scriptura sacra defectionem*: & quotquot hodie pro Romanæ Ecclesiæ vnitate retinenda, vel exilium vel vincula vel mortem passi sunt, vocat *miseros Martyres, confessores, & doctores Catholicos*. Narrat quoq; morienti VViclepho bene consulentes quosdam monachos, vt Ecclesiæ Romanæ sese conciliaret, *eidem de Catholicismo Ecclesiæ Romanæ deblaterasse*. Iste ergo apertè Catholicæ titulum & notam deridet. Preclarum verò est, quòd hoc nomine Lutherani inuicé sese arguunt & reprehendunt. Nuper enim in colloquio celebri Altêburgæ in Germania habito, inter Electorales & Saxonicos ministros, quũ Electorales Lutheri quædã verba proferrent, in quibus *Catholicum Scripturæ intellectum* notat, respondent Saxonici. *Non est phrasis Lutheri, quòd aliquid Catholicè intelligi debeat.* Sane cum ab hac voce abhorruisse prorsus ostendunt. Nimirum veterum hæreticorum morbo, nouus hic hæreticus laborabat. Sic enim Gaudentius Donatista non veritus est dicere. *Catholicam Ecclesiam toto orbe in communione omnium gentium diffusam, esse humanũ figmentum*, contra quem D. Augustinus, *mox ostendit, non figmentum humanum sed promissum esse factumque diuinum*. Secundinus quoque Manichæus *superstitiosos & Catholicos* pro eodem habet, in epist. eius ad Augustinum tom. 6. Nõ aliter Nouatiani, Catholicum nomen quum retinere apud se non possent, ægrè in Orthodoxis hoc nomen ferebant; & modo quidem tanquàm humanum & nullius momenti contemnebant, modo alia conficta nomina Orthodoxis Cypriano adhærentibus tribuebant, modo denique tanquàm nouum & ab incerto authore profectum explodebant. Quibus omnibus respondet, & satisfacit diligenter, ante mille ducentos annos Pacianus Barcilonensis episcopus doctissimus in epistolis ad Sympronianum Nouatianum. Fulgentius Donatista exprobrat Catholicis, quòd *falsa Catholica mendacij nebulas conantur obtegere.* Moxque obiicit illud Hieremiæ. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini.* Hæc habentur apud Diuum Augustinum, in libr. contra eundem Fulgentiũ versus finem. Apertissimè ergo, sese ad Catholicam Ecclesiam nullo modo pertinere, isti homines demonstrant, dum ipsam Catholicæ notam ac titulum, aut prætermittunt & negligunt, aut in alienum sensum detorquent, aut denique prorsus reiiciunt; & gladio nodum quem soluere non possunt, dissecant. Sed hoc in loco, quia Catholicæ titulum ita penitus reiicere nimis impudens tandem visum est, consultius existimarunt alij protestantes, & suo euangelio conuenientius, ipsum Catholicæ nomen retinere, quod à tota Antiquitate maximè semper

Marginal notes: In libro de Gen. ad lit. impert. cap. 1. Epistol. 165. — apolog. par 3. — Laurentius Hũphredus in vita Iuelli. — pag. 212. pag 176. pag 263. An. 1568. pag 353. — Veteres hæretici catholica titulum subsannabant. — Aug. cont. 2. epist Gaudentij cap. 25. — epist. 1. & 2.

D E F

A semper factum esse non ignorabant. Itaque alij docuerunt Catholicam dici Ecclesiã propter doctrinæ puritatem atque etiam vitæ sanctitatem: vt articulus ille, *Credo communionem sanctorum*, sit repetitio vel explicatio præcedentis articuli, *Credo Ecclesiam Catholicam.* Atq; ideo Catholicam volunt ex solis bonis & electis constare, quæ propterea errare in fide non potest, saltem ad mortem. Hanc explicationem tradit Ioannes Reinoldus Anglocaluinista in thesibus. Alij plane ex diametro oppositum sentiunt, voluntque Ecclesiam vocari Catholicam, quatenus à Iudæis distinguitur vel etiam à paganis: ideóque ad Catholicam, id est, vniuersalem, Ecclesiam pertinere omnes qui Christi nomen profitentur, etiam ipsos hæreticos atque schismaticos. Hanc sententiam tradidit Philippus de Mornay Caluinista gallus in libello de Ecclesia cap. 2. Sed vtramque horum Caluinistarum sententiam ex diametro sibi aduersam satis in superioribus confutatam dedimus: & ostendimus Catholicam dictam esse Ecclesiam ad distinctionem partium & sectarum, quæ hoc & illo loco ac tempore emergunt: quia sola Catholica semper & vbique est, vbicunque Christi nomen profitentur fideles. Nulla autem hæresis vel loca Christianorum vel tempora omnia complectitur. Ad distinctionem autem Iudæorum & paganorum, vocatur Christiana Ecclesia, vel communio Sanctorũ in symbolo, quia quum Symbolum primò daretur, omnes & soli Christiani, vocabantur Sancti; vt etiã suprà ostendimus. Interea pulchrum est animaduertere quot & quàm variis modis, hæretici hodie quia Catholici non sunt, catholicæ titulũ modò retinere, sed alieno sensu, modò reiicere; modò ambire, modò contemnere turpiter & infœliciter conati sunt.

B

Rursum ex paucitatis assertione & defensione insigniter se produnt.

CAPVT XV.

CÆTERVM & inde etiam se produnt egregiè isti, quòd paucitatis sint assertores diligentissimi. Nam & hoc veræ Ecclesiæ Christi iuxta statũ noui testamenti indiuiduæ proprietati, ex diametro repugnat; (vt iam ostensum est) & omnium est hæreticorum consueta vox, vt iam ostendemus; si tamẽ prius, quàm paucitatem suam minimè dissimulauerint, imò quàm sedulò eius patrocinium susceperint, & gloriam aucupati fuerint, paucis ostenderimus. Sanè quum Vvittembergæ in Saxonia prima fieret Missæ abolitio, anno 1521. idque Fridericus Saxoniæ princeps nõnihil dubitaret, an fieri à tam paucis admodum deberet, responderunt quatuor homines ab illa Academia selecti, quòd *numero superentur nihil esse noui, semper inde à condito mundo maiorem hominum partem restitisse veræ doctrinæ.* Eandem prorsus cantilenam canit Caluinus in epistola Institutionibus suis præfixa; Eandem Apologia Protestantum Tridentino Cõcilio exhibita; Apologia quoque Ecclesiæ Anglicanæ

Lib. 2.

3. Quia paucitatem Ecclesiæ membrorum diligenter defendunt.

Sleidanus lib. 3.

C statim in initio; Musculus etiam in locis communibus; Magdeburgenses denique in doctrina sua de notis veræ Ecclesiæ, sequuti Lutherum in suis quoq; notis quas veræ Ecclesiæ affingit, & in lib. de seruo arbitrio contra Erasmum, vt suprà ex verbis ipsis in medium prolatis ostẽdimus. Neq; hoc obscurum aut dubium cuipiam esse potest, qui in horum hominum scriptis, maximè vbi primùm sese suámque doctrinam, alicui vel homini seorsum vel genti publicè commendare, & insinuare conati sunt, aliquo modo versatus est. Nam vbi semel præualere, & in aliquem numerum crescere potuerunt, paucitatis illi quidem titulum non adeo ambire & aucupari pergunt, quòd in ipso tamen prædicationis suæ seu seductionis potius exordio id fecerunt, inde se sectam & partem à toto corpore præcisam, non ipsum totum corpus (quod Ecclesia est) fuisse, more veterum hæreticorum prodiderunt. Nam hoc veteribus illis horum maioribus, solenne & perpetuum fuisse, paucis nunc exemplis, quæ instar omnium esse possunt, demõstrabo. Cresconius Donatista, vrgente Augustino ex Scripturis propheticis Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam, *In paucis frequenter*, inquit, *est veritas: errare multorum est.* Manichæorum, vt in persona Honorati obiicit Augustinus, vox erat. *Apud paucos quosdam est veritas.* Et ipse Manichæus in epistola quam vocabant fundamenti, de sua doctrina dicebat: *vt veritas istius rei se habet, ab vniuersis fere gentibus ignoratur, & ab omnibus etiam qui de hoc diu multúmque disputauerunt.* De Montanistis idem commemorat Augu. *Quum*, inquit, *eis dictum fuerit, quòd sint Ecclesiæ tãto ante promissæ, & toto orbe diffusæ authoritate damnati, respõdent, hinc*

centuriæ 1. lib. 1. cap. 4. Lib. 1. cap. 16.

Contra Cresconium lib. 3. cap. 66. & lib. 4. cap. 53.

De vtilitate cred. cap. 7.

August. cõtr. epist. fundament. cap. 12. contr. Faustũ lib. 32. cap. 17.

in se illud esse completum, quod de Paracleto dictum est; mundus eum accipere non potest. Mox etiam, D
omnium hæreticorum necessariam quandam hanc vocem esse, demonstrat Augustinus, vt à publica ac recepta in Ecclesia fide redarguti, *& aliud annunciantes ab vniuerso orbe anathematisati, continuò dicant: hoc est quod scriptum est. Mundus eum accipere non potest;* quæ est ipsissima hodie Protestantum vox & exceptio, contra publicam Ecclesiæ fidem. Eadem etiam exceptione vsus est Aduersarius ille legis & prophetarum, contra quem scripsit Augustinus. *In fine libri sui* (ait Augustinus de illo) *paucitatem hominum in suo errore commendat: quia videlicet paucorum est sapientia: quod omnibus hæreticis aduersariis Ecclesiæ Catholicæ quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuiusque propria vanitate commune est. Omnes enim de paucitate gloriantur; & seducere, si possint, multitudinem quærunt.* Hæc ille. Nec dissimiliter Arriani quum à Catholicissimo Imperatore Theodosio Magno, egregiè exterminarentur, inde se cõsolati sunt, quia scriptum esset, *Multi vocati, pauci electi:* vt commemorat Socrates. Eunomius apud D. Basilium deprecatur diligenter multitudinis authoritatem. *Peto* (inquit Eunomius) *ante omnia à vobis, qui aut his temporibus estis audituri aut postea lecturi, ne velitis maiori parti plus attribuere, ac multitudine verum à falso discernere, vel plus his qui præoccuparũt deferendo, posterioribus aures obserare.* Hæc ille. Iuliani Pelagiani vox est, *ad aliquid inueniendum nihil prodesse multitudinem cæcorum:* asseritque, *maioris sibi gloriæ apud Deum esse destitutam veritatem tueri:* apud Augustinum contra eundem. Secundini Manichæi vox est ad eundem Augustinum, pro suæ quoque paucitatis defensione. *An emendatum in Euangelio est, quòd spatiosa via non deducit ad interitum?* Et paulo pòst. *Non est virtus ad quam turba peruenit.* Et iterum. *Noli comes esse lati itineris, quia Amorrhæum expectat, sed ad arctam festina viam, in qua pauci ambulant.* Hæc ille in epistola eius ad Augustinum. Quibus eius verbis quid respondeat Aug. vide in libro cõtra eum cap. 26. tom. 6. Nec his dissimiliter Fulgentius Donatista quum diceret, *Docebo Ecclesiam meã esse certissimam*, rogatus ab Augustino quomodo id doceret, respondit; *dicam quòd in paucis constet; ostendam quòd hæc est vera Ecclesia quæ persecutionem patitur:* &c. Arrianus quoque ille Author operis imperfecti in Mathæum, Chrysostomo attributi, in comment. in cap. 1. *paucos suos hæreticos regno Iudæ comparat, Catholicos verò decem tribubus, Ieroboam secutis.* Quo etiam exemplo pro sua paucitate vsi sunt Donatistæ, vt meminit August. in libro de vnitate Ecclesiæ. Luciferiani similiter de sua quoque paucitate gloriati sunt, apud Hieronymum in Dialogo aduersus Luciferianos, dicentes; *Ecclesiam versam esse in lupanar;* sicut Cresconius vocauit eam *Asylum Romuli ad quod omnes confugerent.* Denique, vt sapienter scripsit Aug. *illi Ecclesiã perisse dicunt, qui in illa non sunt.* Hoc enim vt dicant, consequens est. Ideóque hæretici omnes hoc dicendo, suo se iudicio vt sorices produnt. Sic se Aëtius ille, ἄθεος dictus, prodidit dicens, *ea sibi Deum reuelasse, quæ vsque ab Apostolorũ tẽporibus hactenus occultauerat:* Vt meminit Theodoretus. Tantundem ergo & nostri hodie dicentes, suámque paucitatem argumentis & exẽplis quibus possunt diligenter tuentes, multitudinis verò Catholicæ authoritatem deprecantes, & quibus artibus possunt traducentes, ac in odium atque inuidiam popularem vocantes, se quoque manifestissimè pro secta hæretica à toto corpore diuulsa, produnt.

Montanistæ.
Lib. 2. cap. vltimo.
Manichæi.
Arriani.
Hist. eccles. Lib. 5. cap. 10.
Lib. 1. contra Eunomium.
Eunomius
Lib. 2. cont. Iulianum fere in fine
Pelagiani.
Secundinus manichæus.
In libello August. cõt. Fulgentium Donatistam.
Vide quomodo hæreticus probet suam Ecclesiam.
cap. 12.
Luciferiani.
Cresconius Donatista.
August. cõtra Cresco. lib. 2. cap. 13.
Enarrat. in psal. 101.
Aëtius.
Histor. eccles. lib. 2. cap. 28.

E

F

Ex aliis indiciis adhuc se pro hæreticis prodere Protestantes, ostenditur.

CAPVT XVI.

4. Quia durationem Ecclesiæ negant.

Melanchthon in locis cõm.

PRÆTEREA & eo argumento apertissimè se produnt Protestantes, ad Ecclesiam Catholicã, qualis in Scripturis describitur, nõ pertinere; quòd perpetuam illam veræ Ecclesiæ durationem, in sua societate ingenuè deesse agnoscunt; docentes hoc in vera Ecclesia minimè necessarium esse: *Deum enim ita semper gubernasse Ecclesiam suam, vt cùm obscurata esset doctrina, rursus eam accenderet. Sic enim post Noë, longo satis interuallo, Interpretem promissionis fuisse Abraham; & post Moysen, missos fuisse demum Samuelem, Dauidem, aliósque prophetas & Reges pios.* Quæ docet Melanchthon in locis cõmunibus. Rursum in repetitione Cõfessionis Augustanæ, *Deus,* inquit, *reliquias aliquas seruat, & subinde ministerium instaurat.* Talẽ ergo Ecclesiã quũ describũt, quæ per interualla, & subinde instauratur,

A instauratur, ad eam & huiusmodi societatem se pertinere ostendunt; non ad illam Ecclesiam, quæ perpetua successione & duratione conseruatur, qualis in Scripturis promittitur.

Alio adhuc indicio se produnt, quòd Ecclesiæ authoritati, potestati, dignitati passim derogant atque detrectant, vel nullam illi vel minimam concedentes; nunquam sanè hoc facturi, si vel apud se veram Ecclesiam esse, vel Romanam Ecclesiam veram Ecclesiam non esse, in principio sui schismatis existimassent. Ideo enim Ecclesiæ Authoritatem modis omnibus vellicabant, & extenuare contendebant, quia quæ in Scripturis tam magnifica de Ecclesia dicuntur, ad suam ipsorum societatem tam adhuc angustam, raram, atque recentem pertinere non posse, & ad multitudinem illam fidelium quæ Romanæ Ecclesiæ adhærebat, pertinere necessariò, oportere, manifestè videbant. Ideo ingenuè scripsit Lutherus in lib. de seruo arbitrio, respondere volens Erasmo Ecclesiæ authoritatem vrgenti, *se totis decem annis laborasse, vt hunc de audienda Ecclesia scrupum animo eximeret, excuteret, & superaret: & vix tandem hanc Troiam capi potuisse.* Quare autem tantopere laborat Lutherus, de eximendo hoc scrupo, nisi quia clarè videbat se suósque Ecclesiam non esse? Hac enim de causa Scripturas (quas se habere & intelligere iactitabat) non ecclesiam (ad quam se non pertinere probè sciebat) audiendas esse perpetuò crepabat, & adhuc hodie sui omnes crepant, eodem indicio se quoque non obscurè prodentes.

Quod Ecclesiæ Authoritati derogant.

Luther. post 10. annos scrupū de Ecclesia eximere vix potuit.

Est & aliud huius rei indicium, satis clarum & manifestum, quòd hæresis nomen vehementer (sibi ipsis conscij) exhorrent, & reformidant. Nam ideo in *Scripturis apud* Paulum

B 1. Cor. 11. eius vocis loco *sectam* substituunt, sibi sanè conscii quòd vulgò, apud fideles scilicet & Christianos homines, (non solum apud Turcas & vulgus paganorum) pro hæreticis habeantur, non sanè minus quàm olim Arriani, Manichæi, & alij suo quisque tempore. Eadem etiam de causa vbi Paulus ait 1. Tim. 6. *Prophanas vocum nouitates deuita*: vertunt illi *Improbas vocum vanitates, fuæ* videlicet nouitatis prophanæ sibi probè conscij. Nec dissimiliter pro eo quod Paulus iubet *Hæreticum hominem deuitari*, ad Tit. 3. substituunt illi *Auctorem sectarum*, ne illa Apostolica iussio ad alios quàm ipsos Archihæreticos, aut etiā seditiosos quosdam homines non hæreticos, se extendat; vulgus autem hæreticorum & mendacium Magistrorum minimè complectatur. Huc accedit quòd in scriptis Lutheri, Caluini, Melanchthonis & aliorum eiusdem farinæ, animaduertere licet, de ipsa hæresi eiúsque grauitate & turpitudine, de hæreticorum cauendis malis artibus, fugiendis insidiis, vitando commercio, nihil aut parum vsquam eos scribere, aut certè valdè frigide id genus hominum ab ipsis taxari, nisi forte contra suorum dogmatum proprios hostes agant. Tunc demum enim, sicut in aliorum omnium, maximè Ecclesiasticorum hominum, vitiis repræhendendis, egregiè sunt copiosi & facundi. Cur istud, nisi quia blandè & molliter cum amicis & sociis agendum est, nec facilè latro latronem accusabit, aut contra homicidium homicida quispiam grauiter & copiosè vnquam disputabit. Hac etiam de causa, fidem liberam esse oportere, nullisque vinculis astringi, nulla violentia cogi, post Lutherum diligenter docuere; hæreticorum verò persecutiones, maximéque supplicia Capitalia, inter Christianos homines exerceri non debere strenuè de-

C fendunt: & hæreticorum patrocinium, ipsimet indubiè hæretici, diligenter suscipiunt.

Quod hæresis nomen expungūt, turpitudinem celant, & supplicium damnant.

Quin & eo nomine se facilè produnt quòd Conciliorum etiam generalium & œcumenicorum idque antiquissimorum saluberrimam Authoritatem, non extenuant modo, & eneruatam omnibus modis cupiunt, qua etiam de causa nunquam dederunt operam, vt ex primis illis & vetustissimis Conciliis ex illorum typographiis (quibus tamen abundant) vel vnum aliquod vnquam in lucem prodiret, homines alioqui in edendis libris negotiosissimi; sed etiam prætereа, modo etiam ex illis prima tantùm 4. receperint (quæ vulgaris omnium Protestantum diu sententia fuit, adeóque apud Anglos in comitiis regni publicis semel atque iterum decreto confirmata) modo tria tantum excluso Chalcedonensi admisetint, sicuti videre est in Confessione Ministrorum Augustanæ Confessionis Ecclesiæ Antuerpiensis anno 1567. editæ, modò verò perfricta fronte grauissimorum errorum eadem omnia accusare non vereantur, vt alibi exemplis demonstrauimus. Adeo omnem prorsus è medio tolli Ecclesiæ oportet Christi faciem, Authoritatem, splendorem (vbi enim illa magis quàm in Generalibus Conciliis elucet?) vt hæc ipsorum falsò nominata Ecclesia subsistat.

Quod in conciliis edendis nullam operam nauant, sed eorum Authoritatem conuellant.

Infra lib. 11. cap. 6.

Postremo & manifestissimo indicio se produnt hæreticos esse Protestantes, quia de se ipsis tanquam de parte semper loquuntur.

CAPVT XVII.

Quòd de seipsis tãquam de parte semper loquuntur.

In respons. ad art. inquisiti. Ioanat. quest. 3. Ibidẽ, art. 5.

art. 6.

POSTREMÒ, euidentissimum & luce meridiana clarius huius rei argumentum est, quòd quum de se loquuntur, & de sua Ecclesia, tanquam de parte loquuntur: Qualis olim erat *pars Donati*, vt eam sectam vocat Augustinus quàm sæpissime, & *pars Nouatiani*, vt illam sectam vocat Cyprianus lib. 1. Epist. 3. *Affirmamus*, inquit Melanchthon, *nostros visibiles cœtus esse Ecclesiam Dei, in qua multos verè sanctos esse scimus.* Et rursus. *Extat*, inquit, *de toto corpore doctrinæ, confessio Ecclesiarum nostrarum*: sed addit *consentiens cum doctrina Catholica.* Quod tamen ne putes eo sensu dictum, quo Catholicam intelligi iam ostendimus, semetipsum explicat: *videlicet*, inquit, *symbolis & veteribus probatis scriptoribus.* Nempe huiusmodi, quos ipse cum suis & quantum videbitur, approbauerit. Iterum paulò post ait. *Ecclesias nostram confessionem* (Augustanam scilicet) *amplectentes, verissimè esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, &* E
hoc tempore veram Dei Ecclesiam, asserimus. Hæc ille. Audis, *nostram Confessionem*, & *hoc tempore.* Hac autem limitatione non Romana tantum veréque Catholica, sed & Caluiniana, Anabaptistica, & Tigurinæ Ecclesiæ excluduntur, aliæque omnes quæ ab Augustana confessione aut apertis verbis, aut re ipsa recesserunt. Idem quoque Melanchthon in refutatione erroris Serueti & Anabaptistarum, descripturus initiò Ecclesiam, *Certissimum*, inquit, *signum veræ Ecclesiæ est doctrina Euangelij incorrupta: quam quum sonet Confessio Ecclesiarum nostrarum, affirmo nostras Ecclesias verè esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, & profiteor me earum ciuem esse, & ad earum societatem alios inuito.* Hæc ille. Vides vt apertè se particularis Ecclesiæ, non vniuersalis ciuem profiteatur; & ad partem, (Augustanæ scilicet Confessionis) omnes inuitet. Quod si cui adhuc obscurum est, verba horum hominum clariora proferemus, in quibus se quàm apertissimè partes & scissuras esse à toto diuulsas, produnt. Protestantes enim omnes edituri Confessionis Augustanæ repetitionem, Concilio Tridentino exhibendam, (vt titulus loquitur) sic in

Ecclesia Lutherana.

præfatione loquuntur. *Nequaquam volumus dissidia in nostris Ecclesiis accendere, sed summam doctrinæ quæ sonat in Ecclesiis omnibus* (putares eos dicere Catholicam, quæ sonat per vniuersum orbem, vbi Christi nomen prædicatur; sed ne quis sic putaret, addunt) *quæ R. domini Lutheri Confessionem amplectuntur, simpliciter recitare volumus.* Ecce habemus confitentes reos. Doctrinam se tueri & scribere dicunt, quæ sonat in omnibus Ecclesiis, non Catholicis sed Lutheranis: non totius orbis, sed Saxonicis. Denique vi- F
dete ex eorum verbis, Ecclesiæ suæ descriptionem. Editum fuit Lipsiæ in Saxonia anno 1561. magnum volumen cui titulum dederunt, *Corpus doctrinæ Christianæ.* In quo volumine habetur Augustana Confessio, eiusdem Repetitio & Apologia, Melanchthonis loci communes, multaque alia eius farinæ. Huic volumini Admonitio ad lectorem præfigitur, vbi sic Lutherani discipuli suam Ecclesiam describunt.

Definitio Ecclesiæ Protestantũ.

Harum Ecclesiarum, quæ sunt in regionibus Principis Electoris Saxoniæ doctrina, neque dubia, neque varia aut mobilis est. Sed ab initio sincera, concors & constans, conseruata & vsurpata annis iam triginta, penitus consentanea Confessioni Augustanæ, per omnes partes. Hæc est definitio Ecclesiæ Protestantum. Audis iterum harum Ecclesiarum. Audis in Saxoniæ regionibus. Audis annis iam triginta. Audis denique Confessionem Augustanam. Non audis, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe dispersæ. Non audis communionem omnium gentium. Non audis, ab ipso Christo ad nos vsque per Apostolos continua patrum successione deriuata. Planè Confessio Augustana est horum ho-

Cõfessio Augustana Protestantium Hierosolyma.

minum Hierosolyma. Inde suam fidem in publico orbis testimonio auspicati sunt. Inde volunt toti orbi innotescere, suamque Ecclesiam à falsa discerni. Hinc Ioannes Vvigandus vnus ex illis Centuriastis Magdeburgensibus conquerens & pro duodecimo Germaniæ malo recensens, quòd nullæ iam amplius Synodi legitimæ habeantur; *Non ago*, inquit, *de Romani Antichristi, sed de Ecclesiæ Synodo, quæ Confessionem Augustæ exhibitam retinet.* Vides qua nota

suam vult Ecclesiam innotescere. Hac etiam de causa Nicolaus Amsdorffius, & alij Lutherani, in colloquio VVormatiensi, à Zuuinglianis tanquam hæreticis recesserunt, quòd Confessioni Augustanæ non adhærerent, Zuuinglianis contrà clamantibus sese illi mordicus inhærere. Vides ergo hoc Protestantum genus pro Augustana Confessione, tanquam pro aris ac focis dimicare. Vide Staphylũ in apologia part. 3.

Quod autem hic exempli gratia, in Melanchthone & Saxonicis Ecclesiis ostendimus, qui Augustanæ Confessioni vel adhærent, vel adhærere videri volunt, idem animaduertere licet in Caluinistarum, Anabaptistarum, & Suenckfeldianorum conuenticulis, in Flaccianis quoque, Osiandrinis, Trinitariis, aliisque sectis omnibus, quæ omnes & singulæ, non minus sibi solis, suisque in quibus agunt regionibus, veram Ecclesiam seorsim venditant, ipsasque Saxonicas prorsus irrident atque contemnunt; quàm ipsæ Saxonicæ sibi solis suisque regionibus, in Augustana seu Lutheri Confessione persistentibus, idipsum venditant. Sed satis hæc quæ diximus demonstrant, seipsos egregiè Protestantes prodere, partes se & sectas esse, non Catholicos. Catholicum enim Catholicè loquentem audire si libet, audi Augustinum. Is commemorato Sabellianorum ex vna parte, & Arrianorum ex altera parte circa Christi personam graui errore, subiicit. *Nos autem, id est, Catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sans ad posteros transmittenda, inter vtrosque, id est, inter vtrunque errorem, tenuit veritatem.* Hæc ille. Sic loquitur Catholicus, & veræ Catholicæ Ecclesiæ membrum. Asseritur fides, non particularis harum Ecclesiarum, sed vniuersalis & Catholica; nec à triginta annis, sed ab Apostolis: nec sæpius extincta, & subinde instaurata; sed per seriem successionis continuo fluxu deriuata & accepta. Quibus ita positis & ostensis, sicut olim ipsos Donatistas Ecclesiam non habere conclusit Augustinus, sic nostros hodie Protestantes ab ea alienissimos esse concludamus. Ait enim Petiliano Donatistæ. *Tu ostende mihi Ecclesiam. Iam vox illa mihi sonabit, quam in Pseudoprophetis vitandam Dominus monuit, ostendentibus partes, & ab vniuerso alienare conantibus. Ecce hic est Christus, ecce illic. Sed vsque adeò putas veras oues Christi cor non habere, quibus dictum est. Nolite credere, vt lupum audiant dicentem,* Hic est Christus; *& pastorem non audiant dicentem, Per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem?* Hæc ille. Quum ergo isti se partes esse manifestissimis verbis ostendant, alio dicente hic in Saxonia est Ecclesia apud Augustanæ Confessionis socios, alio hic Geneuæ apud Caluini discipulos, iterum cum Augustino concludentes dicamus. *Teneamus ergo Ecclesiam, ex ore Domini designatam, vnde ceptura & quousque peruentura esset; ceptura scilicet ab Hierusalem & peruentura in omnes gentes. Habemus manifestissimas voces pastoris nostri, commendantis nobis, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam. Nobis ipsis imputabimus, si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluerimus; quum nos præsertim admonuerit dicens. Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta ac audita. Qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit? Nemo mihi dicat. O quid dixit Donatus, vel* Lutherus, *quid docuit Parmenianus & Pontius,* vel Caluinus & Melanchthon, *aut quilibet illorum? Quia nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, vt contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant. Sed si custodito vnitatis & charitatis vinculo, in hoc incidunt, fiet in eis quod Apostolus ait: Et si quid aliter sapitis, hoc vobis Deus reuelabit. Iam verò istæ diuinæ voces de vniuersa Ecclesia perpetua successione per omnes gentes peruentura, ita manifestæ sunt, vt contra eas nisi hæretici, animosa peruersitate & cæco furore, latrare non possint.* Hæc Augustinus contra Donatistas. Hæc totidem verbis, contra nostri temporis sectas omnes, dicta sunto.

Vera catholica vox & cõfessio. Tract. 37. in Ioan.

Lib. 2. cap. 6. contra literas Petiliani. Matth. 23. Luc. 24.

De vnitate eccl. cap. 10.

Ioan. 10.

Philip. 3.

Demonstratio multiplex, quòd Romana & vulgò dicta Catholica Ecclesia, sit sola in terris & vera Ecclesia Dei, & Christi eius.

CAPVT XVIII.

LTERA nunc superest hypotesis, & postrema totius huius disputationis pars, vt à vera Ecclesiæ Dei societate & ratione Protestantium tota multitudine nunc reiecta, atque certissimis argumentis exclusa, societatem illam Christianorum hominum, quæ Romana & Catholica vulgò vocatur Ecclesia, quæ videlicet Romanæ Ecclesiæ tanquam Capiti adhæret, veram esse Dei & Saluatoris nostri solámque in terris Ecclesiam demonstremus. Atque istud quidem variis eisdémque solidissimis argumentis demonstrare, non est difficile. Quod quidem breuiter dum facio, attentum lectorem desidero. Multa enim paucis complectar, & rem ad salutem maximè necessariam succinctis potius argumentis concludam, quàm oratione longa persequar.

1. Primùm ergo in hac sola Ecclesia, veterum Prophetarum vaticinia, legis & Euangelij
Quia in sola Roma. Ecclesia veteres prophetiæ impletæ sūt. promissiones, quas de futura Christi Ecclesia copiosè supra lib. 2. & 3. allegauimus & tractauimus, completæ sunt. Nam hæc sola (quod futurum tot Scripturæ, tam euidenter prædixerant) creuit per totum orbem; & per omnes gentes, incipiens à Hierusalem, propagata est.
2. Hæc etiam sola nunquam esse desiit, sed per omnes ætates extitit, in continua & personarum
Quia sola perpetuo durans. & doctrinæ successione. Denique hæc sola semper visibilis, & toti orbi illustris fuit, id est, ostendere potest Episcopos, & Presbyteros, & populos Christianos, vbique gentium & om-
3. *Quia hæc sola perpetuò fuit visibilis.* nium ætatū. Quæ quidē tria adeo vera & manifesta sunt, vt propterea huius Ecclesiæ aduersarij, quærant sibi Ecclesiam in locorum paucitate, in temporum raritate, in personarum obscuritate, denique in deserto positam. Scripturæ verò (vt iam ostensum est) Ecclesiam Christi E secundum statum noui Testamenti huiusmodi futuram esse descripserunt, quæ propagationem, perpetuitatem, & claritatem illam habitura esset, quas iam diximus; cóque nomine Catholicæ titulo ab ipso initio insignata fuit.

4. Præterea hæc sola Ecclesia, vna est idque tribus de causis, eisdémque grauissimis. Pri-
Quia hæc est vere vna. mùm quia, etsi posteriora hæc secula à primis illis, puta quingentis aut sexcentis annis, degenerasse, aduersarij primò dixerunt, tandem tamen & vniuersam Ecclesiam, statim post Apostolorum tempora, corruptam fuisse; & tum falsis doctrinis deceptam, tum ritibus superstitiosis inquinatam, docuerunt (vt suprà ex eorum verbis ostēdimus) non alia sanè de causa, quàm
Lib. 3. cap. 4. quia eosdem cultus & ritus, eandem fidem & religionem, quam in posterioribus istis damnarunt, in primis illis seculis obtinuisse tandem animaduerterunt. Secundò, quia exordium mutationis nullum ostendere possunt, quo scilicet anno, aut quo in loco, à prima illa puritate (quam fingunt) Apostolica, recessum sit, sed in eo demonstrando variè dissentiunt, vt suprà ostensum est. Tertiò, etiam ideò verè sola vna est, quia perpetua est hæc sola, vt dictum est, móxque adhuc amplius ostendetur.

5. Ratio, quia hæc sola Catholica vocatur etiam ab inimicis suis. Aliud adhuc argumentum huius rei est, quod hæc sola non solùm à suis, sed etiam ab omnibus, ipsísque adeò aduersariis, Catholica vocatur. Nam quum de ea loqui volunt Catholicam vocare coguntur, si intelligi volunt. Ideóque qui magis vel astuti, vel improbi sunt, eam nuncupare volentes Romanam dicunt nuper vulgò Catholicam dictam. Quod quidem ad rem ipsam satis est. Neque enim nomen ipsum vulgo vnquam obtinere potuisset, F nisi re vera id ipsum esset. Quandoquidem doctrina sana, pietas, rectus vsus Sacramentorum, & similia, fingi & prætexi possunt ab iis, qui nihil minus habent; (quod omnes hæretici hactenus fecerunt) sed vniuersalitas locorum, & temporum, eadémque illustris & clara fingi nullo modo potest. Nam quemadmodum si extant, necessariò videntur; sic nisi extent, videri & apparere non possunt.

6. Rursum hæc sola Ecclesia verissimè Apostolica est, tùm in Capite suo, quia à duobus glo-
Quia hæc sola est Apostolica. riosissimis Apostolis Petro & Paulo fundata est, eorúmque successoribus adhuc hodie paret; tùm in membris, quia huic capiti Apostolico, seu Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ, cæteræ omnes gentes Christianæ semper communicarunt.

7. Postremò, etiam propterea hæc sola vera erit Ecclesia, quia etiam hodie (non solùm in se-
Quia hæc sola est verè catholica. culis antegressis) hæc sola est vbique diffusa, & sola vniuersalis siue Catholica: Nam vbicunque terrarum Christi nomen hodie auditur & creditur, huius etiam Ecclesiæ fides agnoscitur, & est in omnibus locis vbi hęreses hodiernæ sunt; in multis quoque locis, regionibus ac populis, vbi hęreses istæ non sunt, sicuti etiam superiùs enumeratione facta ostensum est. Atque hęc quidē omnia vt breuiter dicta sunt, ita sanè magna ex parte ex iis quę iam disputata sunt, satis per se euidentia & manifesta facta sunt. Tamen quia cum refractariis agitur, & de re maximè ad salutē cognitu necessaria, ad maiorē planéque inuictā huius rei demōstrationem,

pauca

A paucoa adiiciam. Tria autem ostendemus, quæ nisi ostensa fuerint, vel ab hæretico pertinaci impudenter negari, vel ab imperito Catholico periculosè dubitari, aut etiam male ignorari possunt.

Tria adhuc demonstranda.

Primùm est, Romanam Ecclesiam cum reliquo toto orbe Christiano, & semper per singulas ætates communicasse, & hodie communicare: vt omnium gentium communio non nisi in hac sola haberi posse, demonstretur. 8.

Quia in hac sola est communio omniū gentiū.

Secundùm est, in hac sola Ecclesia perpetuam Episcoporum & Ecclesiarum successionem fuisse, vt in hac sola Christum regnasse, veritatem docuisse, peccata remisisse, aliáque munera ad quæ suos vicarios destinauit, exercuisse; manifestè intelligatur. 9.

Quia in hac sola est perpetua episcoporum successio.

Tertium est, fidei propagationem & conseruationem, in hac sola & per hanc solam Ecclesiam perpetuò factam fuisse; vt in hac sola, Corpus Christi eiúsque ædificationem, extitisse, euidenter perspiciamus. Quibus tribus demonstratis, finem huic toti disputationi de vera Ecclesia imponemus. 10.

Quia in hac sola perpetuò fidei propagatio & conseruatio facta est.

Quòd omnium gentium communio in sola Romana Ecclesia inueniatur, vbi de literarum formatarum celeberrimo vsu multa
B
proferuntur.

CAPVT XIX.

Rom. 1.

VOD ad primum ergo attinet, sanè quocunque oculos vertimus, omnium & ætatum & locorum Ecclesias cum Romana communicasse, & vicissim Romanam cum illis, comperimus. De Apostolorum tempore nihil attinet dicere. Vnicum illud Apostoli testimonium satis est quo ad Romanos scribit, *Vestra fides annuntiatur in vniuerso mundo.* Statim post Apostolos, omnes omnium Ecclesiarum Pastores & Doctores Rom. Ecclesiæ religiosissimè adhæsisse, hoc vnum argumentum erit, quòd in omnibus seu de fide controuersiis, seu illatis iniuriis, seu quibuscunque aliis perturbatæ religionis difficultatibus, ad Rom. Ecclesiam consilij & auxilij causa cōfugerint. Quod pluribus iam illustribus exemplis ostendam. Polycarpus D. Ioan. discipulus circa quæstionē de Paschate ex Asia Rom. proficiscens, cum Aniceto Rom. Pont. communicabat, vt cōmemorat Eusebius & Irenæus. Ipse Irenęus huic ætate proximus, Lugdunēsis in Gallia Episcopus, eodem in loco, non nisi à Romana Ecclesia successionem verę doctrinæ petit, contra Valentinianos sui temporis hæreticos. Tertullianus in Africa non multo his posterior, à *Roma-*
C *na*, inquit, *Ecclesia præsto est nobis Authoritas statuta*; móxque illius Ecclesiæ & sedis Episcoporum successionem, omnibus hæreticis opponendam docet, in lib. de præscriptionibus. Idem facit Optatus etiam Afer D. Augustino paulo antiquior contra Donatistas, & vocat Siricium Romanum Pontificem *socium suum* propter fidei communionem, cum quo etiam ait, *totum orbem in vna communione societate concordare.* Cyprianus Afer multo antiquior, à Nouatianis vexatus, in quamplurimis Epistolis ad Cornelium Romanum Pontificem scriptis, eius & auxilium & consilium petit. Dicit quoque *ad Romanam Ecclesiam perfidiam accessum habere non posse.* Origenes adhuc illo paulo antiquior in Ægypto de hæresi accusatus, Fabiano Romano Pontifici libellum pœnitentiæ mittens, apud eum se excusauit, vt meminit Sanctus Hieronymus, in Epistola de erroribus Origenis. *In omnibus*, inquit Ambrosius Mediolanensis Episcopus, *Romanæ Ecclesiæ typum & formam sequimur.* Et Damasum tunc Rom. Pont. vocat *Rectorem domus Dei*, eius quā Apostolus vocat *columnam & firmamētum veritatis* id est vniuersalis Ecclesiæ, si non propter primatum, saltem propter communionem vnius fidei cū tota Ecclesia. Ex Romana Ecclesia contra Pelagianos, petunt Carthanensis & Mileuitani Concilij patres suorum probationem apud Augustinum. Et ex hac Romana sede veræ Ecclesiæ successionem petit Augustinus, idque, (vt ait) *multo certius & verè salubriter.* Quin & omnia Africanā Concilia à Sede Romana comprobata fuisse, testis est Cælestinus Papa.

Celeberrimi ecclesiarum Episcopi & doctores cum Rom. Ecclesia in fide communicabāt.

Polycarpus. Irenæus. Lib. 4. cap. 13. Lib. 3 cap. 3. Tertullianus. In lib. de præscript. Optatus. Lib. 2. Cyprianus. Lib. 1. epist. 3. Origenes. Ambrosius. In epist. ad Pammachiū & Oceanum. De Sacramētis lib. 3. c. 5. In cōmēt. in 1. ad Tim. 3. Patres conc. Carthag. & Augustinus. Epist. 90. & 92. Epist. 165. Epist. 1. cap. 5. ad episcopos

Galliæ. Eugenius carthag. episcopus. Lib. 2. de persecutione Vandalica.

Narrat quoque Victor Vticæ Episcopus de Eugenio Carthaginensi Episcopo, quod iussis à Vandalorum rege de fide disputationem instituere, non prius hoc facere voluit, quàm ad transmarinos Episcopos mitteret, *qui vna* (inquit) *nobiscum fidem demonstrare valeant: & præcipuè Ecclesia Rom. quæ caput est omnium Ecclesiarum.* Ad Romanam Ecclesiam scribit Sanctus Hieronymus, vt ab hæreticis in Oriente tutus sit, & dicit Damaso tunc Romano Pontifici. *Ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior:* & post pauca. *Qui tecum non colligit, spargit.* Alibi verò disertis verbis dicit, *non aliam Romanos habuisse fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ habent.* Sic quoque Basilius Cappadocum Episcopus, in magnis Ecclesiæ suæ turbis & calamitatibus, ad Romanum Pontificem scribi suadet: *vt ipse* (inquit) *sua Authoritate vsus, his malis remedium afferat.* Magnus ille Athanasius Patriarcha Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Lucianus Adrianopolis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, plurimique alij totius Orientis Episcopi ab Arrianis pulsi, ad Romanam Ecclesiam appellarunt, & apud Iulium tùm atque Liberium Romanos Pontifices, tanquam maximè Catholicos totius orbis Episcopos (nam de Primatu hic nihil disputamus) querimonias suas deposuerunt, vt historiæ Ecclesiasticæ legentibus demonstrant. Idem fecit non longè post Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, ab Ægiptiis Episcopis iniustè depositus, ad Innocentium Romanum Episcopum appellans, vt in epistolis suis ad eundem satis clarè ipsemet commemorat. Idem etiam fecit Theodoretus doctissimus Cyri Episcopus, à Patriarcha suo Antiocheno Maximo depositus, ad Leonem tunc Romanum Pontificem appellans. Vide eius epistolam commentariis eius in Paulum præfixam. Idem quoque Sanctus Flauianus Martyr, Constantinopolitanus etiam Patriarcha, fecit; ad eundem Leonem ab iniuriis Dioscori Alexandrini appellans, vt ex epist. Valentiniani Imperatoris ad Theodosium iuniorem liquet. Denique propter totius orbis euidentissimam communionem, habuerunt Romani Pontifices & Constantinopoli, (vt ex Gregorij Registro patet) & Thessalonicæ totius minoris Asiæ Metropoli, (vt ex epistolis Leonis constat) & Arelati in Gallia (vt ex eodem Gregorij Registro patet, lib. 4. epist. 52.) & aliis in locis suos olim Responsales seu legatos, qui de causis fidei semper ad eos Romam referrent. Infinita alia huius communionis exempla afferri possent.

S. Hieronymus. Io epistol. ad Damasum. In procemio 2. in com. in epist. ad Gal. S. Basilius. Epist. 52. Athanasius, Paulus & alij Orientales. Vide hist. trip. part. lib. 4. cap. 15. Socrate. lib. 2. cap. 15. Sozomenum. lib 3. cap. 8. Chrysostomus. Epist. 1. & 2. ad Innocentium. Theodoretus. S Flauianus. Constantinop. Patriarcha. Vide Leon. epist. 25. Tom. 2. Concil. Legati sedis Apostolicæ. Lib. 4 epist. 36. & 38. Leo epist. 82. Concil. Sardicense can. 20.

D · E · F

Gen. 6. Act 6. De literis formatis.

Iam verò insigne illud est, & obseruatione dignissimum, quòd propter vnam, & eandem totius orbis communionem arctissimam, non solùm cognoscendam sed & retinendam, cautum illud diligentissimè fuit, nemo vt ignotus aut peregrinus pro Catholico haberetur, vel in communionis societatem reciperetur, nisi ab Episcopo suo formatas (vt vocabant) literas afferret, quę videlicet communionis Orthodoxæ atque Catholicæ publicum & certum testimonium redderent. Cuius rei exempla aliquot è summa Antiquitate petita in mediū proferam. Est enim harum literarum celeberrima praxis, communionis Catholicæ per omnes Christianorum gentes quàm diligentissimè conseruari solitæ luculentissimum testimonium & documētum nobilissimum. Quum Fortunius quidam Donatistarum Episcopus diceret, *vbique terrarum esse suam communionem, ideóque Catholicum se esse,* quærit ab eo Augustinus, *an posset literas communicatorias, quas formatas dicimus, quocunque vellet dare & accipere: Hoc enim modo facillimè terminari quæstionem posse. Parabam enim* (inquit) *vt si consentiret, ad Ecclesias Apostolicas à nobis tales literæ mitterentur. Sed quia res apertè falsa erat, permixtis verbis cito inde discessum est.* Hæc ille, veteris Ecclesiæ consuetudinem hac in re, & egregiam illam Orthodoxię tesseram, diligenter suo tempore obseruatam commemorans. Sed idem quoque narrat Cæcilianum Carthaginensem Episcopum (quem tantopere Donatistę insectabantur) inde se Catholicum probare potuisse, *atque conspirantes contra eum, inimicos contemnere, quia videret se & Rom. Ecclesiæ, & cæteris terris per communicatorias literas esse coniunctum.* Eodem quoque in loco distinguit *inter priuatas literas, quas etiam paganis dare licuit, & accipere, & communicatorias istas,* quas dicit, *Donatistas propter suam peruersitatem, ab vnitate Catholica quæ per orbem terrarum est, accipere iam amplius non posse;* Adeo erant, vt dixi, veræ Orthodoxiæ tessera & nota certissima, literarum istarum mutuus atque reciprocus vsus. S. Basilius probare volēs, aduersus quosdam qui ei suspicionem falsæ doctrinæ innuere volebant, se Orthodoxum esse, & in totius orbis communione versari; *Episcopi,* inquit, *totius orbis literas ad nos mittunt, & vicißim à nobis recipiunt, ex quibus cognoscere potestis, quod vnanimes omnes eodémque sensu prædití sumus. Itaque si quisquam communionem nostram fugit, ne vos lateat, ab vniuersa illam Ecclesia sese diuulsisse.* Hæc ille. Huiusmodi literas eiecti ab Alexandro Episcopo Alexandrino Arriani, priusquam innotuissent, subornarunt; & à quibusdam Episcopis fraude impetrarunt; vt populo imperito imponerent

Epist. 163. Orthodoxiæ tessera. Epist. 162. Epist. 75.

A imponerent:vt in epistola quadam sua Alexander scribit apud Theodoretum, quod tamen diu valere non potuit,cito detecta tã euidenti fraude. Simili etiã fraude,à Siricio Papa hæretici Origenistæ ab vrbe discessuri,propter detectas iam ex parte ipsorum hæreses, *Ecclesiasticas Epistolas* (ait Hieronymus) *petebant & impetrabant,vt communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur.* De ipso verò Origene scribit Hieronymus quòd *propter Ecclesias Achaiæ quæ pluribus hæresibus vexabantur,sub testimonio Ecclesiasticæ epistolæ Athenas per Palæstinam pergebat.* Hæc ille. Gregorius quoque Nazanzenus probare volens Apollinaristas ab Ecclesia eiectos esse,& pro hæreticis habendos,ex harum literarum illustri vsu argumentum petit. *Ostendant* (inquit) *se susceptos esse,aut per communionem meam,aut per epistolas communicatorias. Sic enim lex exigit Synodalis.* Hæc ille. Certè harum literarũ,tanta cura olim habita fuit,propter discernendos ab hæreticis seu schismaticis Catholicos,vt in Concilio Laodiceno longè antiquissimo cautum sit,*nullum clericum absque illis aliquò proficisci debere.* Vbi etiam vocantur *Canonicæ literæ.* Hanc etiam *formatam Epistolam*,seu vt in Concilio Antiocheno vocantur,*literas pacificas*,à solo licebat Episcopo accipere;non ab alio quouis Sacerdote aut Pastore, vt in Concilio Mileuitano cautum fuit,& rursum in Africano Concilio, & ante vtrunque in Antiocheno, tempore Iulij primi;vbi pastoribus parœciarum disertè hoc prohibetur,solísque Episcopis,aut saltem eorum vicariis,seu chorepiscopis conceditur. Harum verò formatarum literarum quæ fuerit antiquitus præscripta forma,videre est in fine Concilij Chalcedonensis,authore Attico Constantinopolitano episcopo. In eo ergo demonstrauit Optatus,Romanam Ecclesiam verè & indubitatè esse Catholicam,quòd *totus orbis cum illa, commercio formatarum, in vna communionis societate concordaret.* Sic olim se Catholicam esse,& totius Christiani orbis communionem
B tenere,illa Ecclesia demonstrauit.

Hist. Eccles. lib 1. cap 4. & Tripart. lib. 1. cap.14.
In epitaphio Marcellæ.
In catalogo scriptorũ ecclesiast.
Epistolæ Ecclesiasticæ.
Epist. 1. ad Cledonium.
Literæ canonicæ.
Literæ pacificæ.
can.41.
can.8.
can.20.
can.73.
can.8.
Lib.2.

Ex ipsa autem communione,verè Orthodoxam esse pariter perspicuum fuit. Hinc sanè nata est,etiam frequẽs illa apud veteres distinctio,de Catholica & de externa communione. *Nihil nobis commune* (ait Gelasius Papa) *cum hominibus communionis externæ.* Et, *maximus supplicijs* [aiunt Imperatores] *extraneas collectas puniendas censemus.* Sic Hieronymus vocat Augustinum *Episcopum suæ communionis.* Quorsum verò hic modus loquendi apud veteres,nisi quòd eiusdem fidei & religionis censebantur,qui pacem & concordiam cum reliquo Christiano orbe tenerent,qui sacramentis & legibus eisdem vtebantur,denique in tota religionis ratione pacificè communicabãt? Vbi enim & fidei & religionis diuersitas,vel certa,vel suspecta fuit, ibi nulla in externo religionis vsu,communio intercesit. Laudat fratrem suum Satyrum S. Ambrosius,quòd in quadam externa regione, volens Sacramentis communicare, percontatus fuerit ab Episcopo eius loci,*an cum Episcopis Catholicis,hoc est,cum Rom. Ecclesia conueniret.* Ex quibus sane Ambrosij verbis, & hanc externam communionem Orthodoxiæ tesserã fuisse,& preterea propter euidentissimam Romanæ Ecclesiæ cum toto orbe communionẽ, pro eodem tunc esse habitam Romanam Ecclesiam,& Catholicam Ecclesiam animaduertere licet;éstque sane animaduersione dignissimum. Nec tamen nouum aut insolens apud veteres loquendi genus hoc fuit. Sic enim S. Hieronymus contra Ruffinum loquitur. *Si Romanam fidem suam dicit,ergo Catholici sumus.* Et ad Damasum luculentius. *Qui tecum non colligit, spargit.* Quod à beatissimo Cypriano multò vetustiore didicisse videtur, qui similiter etiam
C scripsit. *Vna est*,inquit,*Ecclesia & cathedra vna super Petram Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit,spargit.* Idem Cyprianus scribens ad Antonianum quendam Episcopum narrat *communicatorias literas ad se eum scripsisse*,paritérque rogasse,vt exemplum earundem ad Corneliũ Rom. Pont. mitteret. *Scripsisti*, inquit, *vt exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem,vt deposita omni solicitudine,iam sciret te secum,id est, cum Catholica Ecclesia communicare.* Quin & alio in loco vocatur apud eum à quibusdam ab hæresi ad Ecclesiã conuersis Cornelius tùm Papa,*Episcopus Catholicæ Ecclesiæ*,sane quia Romanæ,quę nũquam nisi Catholica & Orthodoxa ab ipsis Orthodoxis est habita. Sic denique Augustinus Romanam Ecclesiam,& Romanum Imperium pro totius orbis Ecclesia & Imperio accipit,dicens contra Pelagiũ, *non solum Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem,sed etiam vniuersam Romanã Ecclesiã, Romanúmq; imperiũ rectissimè fuisse cõmotũ.* Vbi apertè per vniuersam Romanã Ecclesiam,totius orbis & Catholicã Ecclesiã intelligit. Postremo apud victorem de persecut. Vãdalica lib.1. celebre est illud Iocundi Ariani præsbyteri dictũ, ad Theodoricum Ariani regis filiũ. *Si gladio peremeris,incipient Romani Martyrem prædicare*, vbi Romanorũ nomine Catholicos intelligit. Obtinuit autẽ apud veteres hic loquẽdi modus,nõ quia solius vel vrbis vel diœcesis Romanæ populus Ecclesiã catholicã siue vniuersalẽ constituat (est enim particularis

Commercio formatarum.
Externa communio.
In epist. ad Orientales.
In epist. Martiani Imperat. ad monachos tom. 1. con.
Epist. 14.
In Sermo. de obitu fratris.
Apologia 1. aduers. Ruffinum.
Romana Ecclesia & catholica pro eodem accepta.
lib. 1. epist. 8.
li. 4. epist. 2.
lib. 3. epist. 11.
De peccato orig. lib. 2. cap. 17.
Rom. Ecclesia in omnibus general. concil. pars magna fuit.

Ecclesia & pars Catholicæ, sed quia eius communio erat euidenter & certissimè cum tota D
Ecclesia Catholica, quia ab omni hæresi immunis semper extiterat, quia denique maximè il-
lustre erat corporis Ecclesiastici membrum, adeóque Caput.

Sed ne in re manifestissima prolixus sim, euidentissimum argumentum quòd Rom. Eccle-
sia cum toto orbe Christiano superiorum ætatum communicauerit, & vnam eandémque
fidem professa fuerit, illud est; quòd in omnibus consiliis Generalibus, vt Nicæno primo, Cō-
stantinopolitano primo, Ephesino, Calcedonensi, cæterísque omnibus conciliis ad hunc vsq;
diem subsequentibus, Rom. Ecclesia per suos præsbyteros & legatos si non præfuerit: (nam
de eo nunc non quærimus) saltem interfuerit atque consenserit. Hoc enim luculentum esse
Orthodoxæ fidei & communionis argumentū, vel inde manifestū est, quòd veteres omnes
in omnibus fidei confessionibus, definitionibus, expositionibus, vt Catholicos se esse ostendāt,
diligenter & disertè profiteantur, se omnia Concilia Generalia venerari & amplecti; ideóque
singula quæ præcesserunt nominatim percensere, eorúmque decretis & vestigiis insistere se
apertè profiteri. Quod & hodie quoque imitari hæretici, vt aliquam religionem præ se fer-
rent, se quoque vetera patrum Symbola, & quatuor illa prima Concilia superiùs nominata
venerari & amplecti, initio sanè sui schismatis grauiter asserebāt, vt videre passim est in scrip-
tis eorum. Sic enim Melāchthon in responsione ad articulos Inquisitionis Bauaricæ artic. 5.
sic Caluinus Institutionum suarum lib. 4. cap. 9 sic alii aliis in locis scripserunt: sed illi hoc di-
Quatuor ob causas reiicit Caluinus vetustissima Concilia.
cunt tantùm, vt imperitis imponant. Nam quòd re vera & hæc ipsa Concilia grauiter quoque
interdum reprehendant, veterésque patres prorsus contemnant, quoties contra ipsos produ-
cuntur, & per se clarum est, & nos alibi ex ipsorum verbis ostendimus. Sanè Caluinus in lo- E
co prææallegato sic scribit, *In ipsis quoque antiquis & purioribus Conciliis est quod iure desideres:
vel quòd eruditi viri multa non prospiciebant, vel quòd grauioribus occupatos nonnulla subterfugie-
bant, vel quòd simpliciter, vt homines imperitia falli poterant, vel quod nimio affectu nonnunquam
præcipites ferebantur.* Hæc ille. Sed de his aliàs. Vt ad propositum reuertamur, hæc sanè ex pri-
mis illis seculis summatim collegisse suffecerit. Nam postremis his mille annis, adeò vniuer-
sum Christianum orbem Roma. Ecclesiæ communicasse & adhæsisse, aduersarii ipsimet fa-
tentur atque agnoscunt, vt hoc nomine posteriora omnia Concilia, quatuor illis primis exce-
ptis, (quod facit disertè Caluinus loco citato) patres quoque & scriptores, Episcopos & do-
ctores posteriorum seculorum prorsus reiiciant, asserántque in Romana sede Antichristum
his seculis dominatum obtinuisse, mundúmque vniuersum suæ tyrannidis imperio subiugas-
se. At verò, quia hodie sempérque per ætates omnes, etiam posteriores istas, Romana Eccle-
1. sia eosdem doctissimos & sanctissimos patres Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Atha-
sium, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum,
Theodoretum, alióśque omnes quotquot in precio sunt, veneratur & amplectitur, quia etiam
2. hodie Concilia vetera non secus quàm recentiora Romana Ecclesia approbat, profectò fidem
3. horum patrum & horum conciliorum adhuc hodie tenet, sempérque tenuit. Imò quia Scri-
4. pturarum ipsarum volumina, & partes omnes; quia sacramenta singula; quia ipsum fidei sym-
5. bolum; quia denique vnius Dei & mediatoris Christi nomen ac fidem, sola Ecclesiæ Roma-
6. næ cōmunio & societas per omnes hactenus ætates conseruauit, & ad nos vsque integra per-
duxit, nósque non nisi ab illa ea omnia accepimus; profectò euidentissimū est solam Roma- F
nam Ecclesiam cum cæteris illi adiunctis, illam esse quæ totius Christiani orbis communio-
nem & hodie teneat, & olim sempérque tenuerit. Vnde etiam sequitur omnium gentium
communionem, quam veræ & Catholicæ Ecclesiæ notam certissimam esse demonstraui-
mus, in hac sola verè reperiri; ideóque illam verè & indubitanter esse Ecclesiam Christi Ca-
tholicam.

Quòd in sola Romana Ecclesia, perpetua fuerit Episcoporum & doctrinæ Christianæ successio.

CAPVT XX.

Iam ve-

A IAM verò, quod ad secũdum attinet, perpetuam videlicet fuisse in Romana Ecclesia, cæterisque ei adiunctis, Episcoporum & doctrinæ succeßionem, varijs modis ostenditur. Primùm (quod ad personas attinet) ex enumeratione & catalogo Romanorum Episcoporum, ad hunc vsque diem, sicuti suo tempore fecerunt Tertullianus, Optatus, Irenæus, Augustinus, Epiphanius, vt suprà ostensum est. Inter hos verò Augustinus, tanti momenti ad veræ Ecclesiæ certissimam vnitatem cognoscendam & retinendam, hanc in Romana potissimùm sede Episcoporum succeßionem esse iudicauit, vt hunc in modum scribat. *Tenet me in Ecclesiæ gremio, ab ipsa Sede Petri, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, Succeßio Sacerdotum.* Hæc ille. Numerare enim possumus à S. Petro, vsque ad Gregorium 13. qui hodie Romæ sedet, Episcopos 230. & amplius, qui serie continua & interrupta successerunt. Hanc sanè ob causam omnes historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, vt Eusebius Pamphili, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus Callixti, Paulus Diaconus, & alij quicunque diligentissimè semper Episcoporum succeßionem posteris notarunt; non in quauis Ecclesia, sed in præcipuis illis & Apostolicis sedibus, vt in Romana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, Constantinopolitana, Ephesina, & similibus. Voluerunt nempe hanc personalem Episcoporũ succeßionem, vt rem ad religionis conseruationem imprimis cognitu necessariam, esse quàm testatißimam & illustrem. Huius autem argumenti & praxis præclarum exemplum in veteri populo præceßit. Quum enim Alexandriæ in Ægypto, inter Iudæos & Samaritanos magna B oriretur Controuersia, vtrius populi templum, leges, & Sacra potiora essent, Iudæorũ ne Hierosolymis, an Samaritanorum in monte Garizim, (vbi ad similitudinem templi Hierosolymitani sacra fiebant,) ostendentibus Iudęis per continuas Pontificum succeßiones, sacerdotij & templi sui vsque in sua tempora propagationem, pro Iudæis contra Samaritanos pronuntiatum est. De qua re lege plura in Iosepho. Itaque pro personali hac Episcoporum succeßione, consulenda est historia Ecclesiæ.

De perpetua successione in Roma. Ecclesia, quoad personas.

Contra epistolá fundamenti cap. 4.

Quare historia ecclesiastica episcoporum successiones diligenter texunt.

Antiquitat. lib. 13. cap. 6.

Iam verò, quia doctrinæ quàm personarum certior esse succeßio aduersariis videtur (quanquam vna sine altera stabilis & perpetua, vniuersa & generalis esse non potest) in ea demonstranda paulo curiosiùs agemus. Quod ergo ad doctrinæ & religionis non solum personarum succeßionem attinet, par sanè & similis ratio qualem iam diximus, ineunda est. Neque enim dubitandum est, eũ qui aliis legitimè succeßit, & cui legitimè successum est, in eandem quoque fidem ac religionem succeßisse. Nam si à prædecessoris sui fide quispiam Episcopus recederet, non ille pro successore est habitus, sed & præcisus semper fuit, aut abstentus; & pro huiusmodi in historiis notatus. Sic in catalogo Pontificum Constantinopolitanorum nec Macedonius, nec Nestorius, nec Anthimus (nisi cum nota aduersæ & corruptæ doctrinæ) numerantur. Similiter è catalogo Alexandrinorum, Dioscorus, Georgius, Lucius, Petrus Moggus, & alij siue Arriani siue Eutichiani seu alterius cuiusuis sectæ hæretici expunguntur. Sic in discernendo hæretico ac schismatico, à Catholico & legitimo successore, videndum esse monet Optatus, *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis Cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerit, & quis altare contra altare erexerit.* Quod sanè fecisse Nouatum grauiter C conqueritur Cyprianus. Sic de Cerdone abstento factum fuisse, notat diligenter Irenæus. Sic de Fortunato & Fœlicißimo schismaticis, commemorat quoque Cyprianus. Idem quoque de Paulo Samosateno, notat Eusebius Pamphili in historia. Idem denique de aliis hæreticis, alij historici & patres. Neque enim omnia commemorare attinet.

Succeßio doctrinæ nõ potest esse diuulsa à successione personali.

1. Ratio seu cautela Excommunicatio eorũ qui à maiorũ fide recesserunt.

Lib. 1.

Lib. 1. epist. 3. Lib. 3. cap. 4.

Lib. 1. epist. 3. Lib. 7. cap. 14.

Illud verò obseruatione dignum est, ad maiorem atque certiorem succeßionis Episcopalis rationem retinendam, omnémque fraudem & fucum repellendum, morem saluberrimum apud veteres inoleuisse, & quàm diligentißimè aliquot seculis custoditum fuisse, vt inter sacra Missarum solemnia Episcoporum omnium Catholicorum viuentium nomina in præcipuarum sedium Ecclesiis commemorarentur, quod vocabant in Dypticho nomen habere, quasi dicas in Ecclesiæ matriculam & tabulas referri. Quod consentientis doctrinæ & fidei argumentum fuisse inde liquet, *quòd consuetudo erat tùm Occidentalis tùm maximè Orientalis Ecclesiæ, vt in suis Dypticho nullius Pontifice nomen describerent, quousque Synodicam ipsius suscepissent*, vt meminit Sanctus Gregorius. Quod quum hæretici etiã affectarent, statuit Papa Hormisda Episcoporum Sedi Apostolicæ non consentientium nomina, inter sacra non esse recitanda mysteria. Hinc etiam maximæ contentiones ortæ sunt de nomine Ioannis Chryso-

2. Cautela Dypticorũ vsus.

Vide epist. episcoporum Aegypt. ad Anatoli. fa[...]

epistolas illustrium personarum in. 2 Côc. in epist. ad episcopos Hispan. Theod. lib. 5. cap. 35. Niceph. lib. 14. cap. 25. & seq.

stomi tum exulis in Dypticha referendo, vt cômemorat Theodoretus, & copiosiùs post eum Nicephorus.

Dypticha veteris Ecclesiæ in Registro. li. 6. epist. 64.

3. cautela, creatio episcoporum per manuû impositionem. 1. Tim. 4. & 5 2. Tim. 1. Can. 4. Can. 2. epist. c. Lib. 1. epist. 5. & li. 4. epist. 9. In epistol. ad Heliodorum tom. 1. Lib. 1. epist. Lib. 4. epist. 2.

Rursum vt certa semper & euidens esset legitima hæc Episcoporum in doctrina maiorum successio, néve lupus in pastoris locum subrogaretur, iam ab initio ex Apostolica Institutione & singulari Spiritus Sancti prouidentia cautum fuit, vt non nisi cum solêni euidenti manuû impositione, à pluribus etiam aliis Episcopis facta, futurus successor consecraretur. Sic enim & Apostolos ipsos obseruasse, ex Apostoli verbis ad Timotheum satis clarè colligitur, & ab Apostolis definitum legimus Can. 1. Apostolorum, quos pro Apostolicis antiquitas semper venerata est. Sic postea in Concilio Nicæno primo, & in Carthaginensi quarto, aliisque sequentibus Synodis statutum, & ad hunc vsque diem obseruatum est. Notauit autem hanc huius rei causam esse quam dixi, S. Anacletus Papa à B. Petro tertius. *Vt ordinatio Episcopi*, inquit, *à pluribus fiat, domino instituente iubetur: ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, vnius tyrannica moliretur Authoritas, & regula vel fides confunderetur credentium.* Hæc ille. Hanc sane ob causam Cyprianus, quum à schismaticis quibusdam pro non Episcopo contemneretur, ordinationem suam per coëpiscoporum consensum & populi suffragium vrget: & addit, *Ecclesiam in Episcopo esse, & qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non esse, frustràque sibi blandiri, qui latenter apud quosdam communicare se credunt.* Definit quoque ibidem, *Episcopum esse, qui Apostolis vicaria ordinatione succedit.* Quo etiam nomine, Sacerdotes vocat Hieronymus *Apostolorum successores.* Contrà verò, probat Cyprianus Nouatianum *in Ecclesia non esse, quia nemini successit.* Docet denique disertè idem Cyprianus, idcirco *solennem hanc ordinationem per plebē præsentem, & Episcopos eiusdem prouinciæ proximos, diuina prouidentia in Ecclesia institutam fuisse, ne indignus aliquis aut ignotæ fidei sedem occuparet.* Sic denique Cornelium nunc Romanū Pontificem ab hac ordinatione solenni, & successione certa, verū fuisse Catholicæ Ecclesiæ Episcopum multis verbis ostendit. Hac ergo etiam ratione, certa & euidens fuit semper Episcoporū successio. Quā sanè legitimæ successionis notā, etiā in Ro. Ecclesia quanto studio & quā impudenter ambiuerit Nouatus ille Archihæreticus, lege insignem historiā apud Eusebium. Quàm verò diligenter & religiosè propter hanc legitimā successionem, Cornelio Papæ omnes per orbem Catholici Episcopi adhæserint, vide apud Cyprianū pluribus in locis. E

Lib. 6. ca. 35. Lib. 3. epist. 13. lib. 4. epist. 2. & epist. 18.

4. cautela, de nouo electo episcopo literas per orbem aut prouincias proximas mittere.

Quin & alia quoque, procedente tempore, adhibita fuit saluberrima cautio, ad certam & legitimam Episcoporum successionem retinendam pariter, atque certò cognoscendam. Hac enim de causa mos olim erat, vt ab electo nouo Episcopo, literæ per omnes prouincias & maximè Romam mitterentur, quæ de tali electo, certiores omnes alios Episcopos facerēt. In quibus etiam literis fidei suæ professionem nouellus Episcopus Collegis suis transmittendam complectebatur. Hoc enim erat Synodicam dare. Cuius rei exempla videre est apud Cyprianum de seipso, lib. 4. Epist. 9. & de Sabino Episcopo quodam Hispano, lib. 1. Episto. 4. Apud Ambrosium quoque de sua electione. Epist. 82. & rursum apud Cyprianum de Cornelio Rom. Pont. lib. 4. epist. 2. & 8. Quem morem suo tempore diligentissimè obseruatum cômemorat S. Gregorius his verbis. *Hinc est, vt quoties in 4 præcipuis sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus synodis custodire fatentur.* Hæc ille. Idem quoque in eiciendis postmodum Episcopis, & etiam præsbyteris factum est. Cuius rei exemplum vide apud Cyprianum de Nouatianis quibusdā Episcopis lib. 1. epist. 3. & 4. Apud Leonem quoque de Euthychete Archimandrita per Flauianum eiecto. epist. 9. Denique hunc morem planè Apostolicum esse, & ab ipsis Apostolis deriuatum, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in epistola Synodica ad Honoriū papam disertè testatur. *Apostolica, inquit, & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur* (Episcopatum dicit) *ad eos qui in Hierarchiis capessendis & administrandis maiores sunt, omnino syncere referant, quid sentiant & qua fide sunt, vt Paulus illis tradidit valde cautè, ne in vacuum currerent, si qua in parte fides manca esset.* Hæc ille. F

In Registro lib. 4. epist. 2. Indict. 2.

5. cautela episcoporū per Romanum Pontificē confirmatio.

Postremò, vt certa semper & sana cōseruaretur hæc Episcoporū successio, quā totius orthodoxiæ & signū certissimū & retinaculū fortissimū esse, omnes facile animaduertebāt; adhibita tandē est Episcoporum omniū per Romanū Pontificē necessaria cōfirmatio. Cuius rei exēpla illustria videre est apud Leonē Magnum, circa electionem Anatolli Patriarchæ Constantinopolitani episto. 33. & 34. item epistol. 40. 54. & 55. Circa electionem Proterii Patriarchæ Alexandrini episto. 68. Apud Sozomenum quoque & Theodoretum, de Nectario etiam ab vniuerso concilio electo, à Damaso tamen confirmando. Apud Gregorium Magnum de Salonitano Episcopo, qui ab imperatoribus illo nescio confirmatus fuerat, quod *sub nullo vnquam*

Lib. 7. cap. 8. lib. 5. cap. 9. Li. 4. epist. 34.

A *vnquam christiano principe antea accidisse*, Gregorius asserit. Nempe hac de causa nouiter electi episcopi, ad Roma. Pontificem litteras quas vocabant Synodicas, mittere sunt soliti; in quibus fidem quam tenebant exprimerent, atque ita se cum Romana Ecclesia conuenire ostenderent. Exempla huius rei habes in Proterio Patriarcha Alexandrino prædicto, vt videre est in epist. Leonis ad Iulianũ, in Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, tẽpore Heraclii Imperatoris, vt videre est in * epist. eius Synodica ad Honorium Papam. In epist. quoque Synodica Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ ad Leonem 3. ante ann. 700. scripta. In episto. denique Petri Constantinopolitani Patriarchæ ad Leonem 9. ante annos 500. Quin & ipse quoque Romanus Pontifex nouiter constitutus suæ fidei formam ad reliquas Ecclesias mittere hac eadem de causa solitus est, teste Gelasio in epistola ad Laurentium de Lignido.

epist. 68.
*Huius epistolæ meminit Photius in sua Bibliotheca.
Vide Turrianũ pro epist. Pont. Lib. 2. cap. 4.

Quum ergo quæritur an Ecclesia aliqua particularis sit Catholica, verbi gratia, Atrebatensis Diœcesis in qua versamur, considerandum est qualis sit Pastor siue Episcopus. Nam oues pastorem sequuntur. Est enim Ecclesia [vt definit Cyprianus] *plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens*. Episcopus autem sic Catholicus censebitur, si ab antecessorum suorum fide nõ discesserit. *Illis enim in Ecclesia præsbyteris obaudire oportet* (ait Irenæus) *qui cum episcopatus successione, acceperunt charisma veritatis*. Antecessores autem ipsi tunc Catholici censebuntur, si originem suam conseruent. Numera ergo Episcopos Atrebatenses, qui perpetua serie in eadem sede successerint, & vide à quo primus episcopus ordinatus fuerit. Etsi enim is Apo- B stolus non fuit, originem tamen suam ad Apostolos referet, si à Romana sede quæ Apostolica est, confirmatus, aut ab aliquo episcopo Romanæ sedis vnitatem tenente consecratus fuerit. Id an ita se habeat, historia illius Ecclesiæ te docebit. Primus enim Atrebatensium episcopus S. Vedastus, à D. Remigio Rhemorum in Gallia episcopo missus & ordinatus fuit. Remigius autem Romanæ sedis cum tota reliqua Francia vnitatem tenuit, & ad Dionysium Areopagitam primum Galliarum episcopum, à S. Clemente Petri successore missum, originem suam referet. Sic primus apud Germanos Archiepiscopus Moguntinus fuit S. Bonifacius Martyr, à Gregorio 3. ordinatus: Sic primus apud Anglos Cantuariensis Archiepiscopus Sanctus Augustinus Monachus, à Diuo Gregorio 1. missus, & eo iubente à vicinis Galliæ episcopis ordinatus. Primus Vltraiecti Phrisiorum metropolis Episcopus fuit S. Vvillebrordus ab Episcopis Anglis ordinatus, & ad illius gentis conuersionem missus. Sic per omnes totius orbis Ecclesias discurrere licet, à præsenti episcopo vsque ad primum; & ab eo ad Romanam Apostolicam sedem, in cuius saltem communione, si non authoritate & obedientia ordinatus fuit. *Hæc est autem* (vt ait Iræneus) *plenissima ostensio, seu demonstratio vnius & eiusdem fidei, ab Apostolis vsque nunc conseruatæ*; ordinatio, inquam, & successio visibilis. Hæc certa & visibilis successio, est ipsius Christianismi certa propagatio & clarissima demonstratio. vnde Augustinus luculentum discrimen dare volens Christianæ societatis & partium hæreticarum, sic scribit: *videtis multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum & successiones episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de sola figura originis sub Christiano nomine, quasi arescentia sarmenta gloriari, quas hæreses &* C *schismata nominamus*. Hæc ille. Hæreses ergo sunt sarmenta præcisa à vite: Christiana societas siue Ecclesia est radix firma; quę crescit quidem & propagatur, sed per sedes Apostolorum & per successiones episcoporum, à sedibus Apostolicis perpetua & indiuulsa serie deductas.

Lib. 4. epist 9.
Lib. 4. ca 43.
Vera Ecclesia inuestigãda modus & praxis.
Lib. 3. cap. 3.
Epist. 42.

Iam verò, ne hoc totum de successione episcopali argumenti genus, humanum aut politicum commentum esse videatur, [vt aduersarij obiiciunt,] consideremus paulisper ipsum Ecclesiæ Dei, secundum statum noui Testamenti, ortum atque progressum; quantúmque in ea propaganda & conseruanda, hęc successio valuerit aut locum habuerit, dispiciamus. Cœpit Ecclesia Christi in die Pentecostes, descendente Spiritu Sancto super 120. discipulos. Fuit illa multitudo visibilis. Spiritus Sanctus in sonitu vehementissimo descendit, in linguis igneis apparuit, ex omni natione quæ sub cælo est, affuerunt qui viderent & audirent hos 120. viros loqui variis linguis magnalia Dei. Ad hanc visibilem paucorum Ecclesiam, accesserunt per visibilem baptismum, nunc tria nunc quinque hominum millia: Prædicatur Euangelium visibiliter palam, non occultè, in ipsa Hierosolyma, crescente semper Ecclesia Dei. Inde itur in vniuersam Iudæam, posteáque in Samariam: Vtrobique suscipitur verbum Dei, per prædicationem manifestam non occultam, per Baptismi & Impositionis manuum sacramenta visibilia. Plantata fide in Iudæa & Samaria, itur ad reliquas gentes: Vnus Pau-

Episcopalis successio quatenus per facta fuerit & quo pacto conseruata.
Act. 2. & 4.
Act. 6. 12. & 19.
Act. 8.

Rom. 15. lus *ab Hieroso lymis vsque ad Illyricum repleuit euangelium.* Cæteri Apostoli aliis in locis tãtum- D
dem fecerunt, & quidẽ ita, *vt in omnem terram exiuit sonus eorum.* Sed videte, quomodo con-
tinuationi, propagationi & cõseruationi fidei iam plantatæ prospexerũt. *Constituerunt* per *Ciui-*
tates præsbyteros, Paulus Timotheum Ephesi & Titum Cretæ, Petrus Euodium Antiochiæ
& Clementem Romæ, Ioannes Polycarpum Smyrnæ. Alij alios alibi. Hæc omnia visibi-
Act. 15. liter facta sunt, & perspicua erat Apostolorum successio, quo ad personas. Rursum quod
Gal. 2. ad doctrinam attinet, *circuibant Ecclesias* Apostoli vel eorum deputati; *monentes* subinde *vt*
Coloss. 1. *custodirent decreta seniorum & apostolorum.* Diligentissimè & frequenter monet suos per lite-
Rom. 6. Epist. Ioan. ras Paulus, *vt euangelisantes præterquam quod accepissent, anathematisarent: vt in forma doctrinæ*
2. Tim. 1. & 2. Tim. 6. *tradita stabiles permanerent:* vt *deuitarent profanas vocum nouitates.* Denique monet Ioannes vt
aliam doctrinam afferenti ne Aue dicerent. Nam aliter sentientes & dogmatisantes quàm ac-
Act. 8. ceperant, vt Simonem Magum, Cerinthum, Menandrum, & alios sibi communicare aut
lib. 3. cap. 3. succedere Apostoli non sunt passi. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*, ait Simoni Pe-
lib. 4. cap. 13. trus. *Fugiamus è balneo, vbi est Cerinthus*, ait Ioannes: Et Marcioni salutare volenti ait Polycar-
1. Tim. 1. pus, *Agnosco primogenitum Satanæ*, vt commemorat Irenæus & ex eo Eusebius. Alexan-
Contra Faustum lib. 28. drum & Hymenæum *naufragantes à fide, tradit Satanæ* Paulus. Denique hoc adeo obserua-
cap. 4. tum fuisse ab illa prima Ecclesia notat Augustinus, *vt si Paulus ipse non inuenisset in carne Apo-*
stolos, quibus communicando & cum quibus Euangelium conferendo, eiusdem societatis esse appare-
ret, profectò Ecclesia illi sic extra ordinem misso *non crederet: sed quum cognouisset eum hoc an-*
nunciantem, quod Apostoli annunciauerunt, in eorum vnitate ac communione viuentem, meruit E
Lib. 4. cont. Marcionem. *Authoritatem*, & cætera. Hæc ille. Idem etiam ante eum notauit Tertullianus, vt postea suo
loco copiosiùs disputabitur. Postremo, vt egregiè notat Irenæus, *Tantum Apostoli & horum*
discipuli habuerunt timorem vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum qui adulterauerant
veritatem. Hæc ille lib. 3. cap. 3. Quam Apostolicam pietatem imitatus B. Antonius, *nihil*
vnquam hæreticis molliter aut pacificè loquutus est, vt in eius vita scribit Athanasius. His ergo ma-
ximè viis & modis, conspicua, manifesta & indubitata fuit vera Christi Ecclesia in vera Apo-
stolorum successione, & communione, eandem scilicet diligentiam proximis episcopis &
1. Apostolorum successoribus semper obseruantibus. Videlicet vel Nouatores excommuni-
cando (vt fecerunt Apostoli) vel si opus erat, collecta Synodo vicinorum episcoporum hære-
sim cito damnando, vt contra Paulum Samosatenum factum est Anthiochiæ, contra Noua-
2. tum Carthagini, contra Eustathium Gangræ, contra Montanum in Asia, de paschate cele-
3. brando Romæ, contra Pelagium in Palestina; vel in edendis doctissimis episcoporum & sa-
cerdotum scriptis contra huiusmodi, vt Irenæi & Tertulliani contra Valentinianos & Mar-
cionitas, Dionisij Alexandrini contra Basilidem, Archelai episcopi Mesopotamiæ contra
Manichæos, Cypriani contra Nouatianos, & sic deinceps, contra omnes omnium ætatũ hæ-
reses, per omnes Christiani orbis regiones & loca; vel denique si grauior esset hæresis, Con-
4. cilia Generalia indicendo, vt mox dicetur magis. Ex hac ergo perpetua & assidua episcoporũ
atque doctorum diligentia, semper manifesta & euidens fuit vera & Germana Apostolorum
cum doctrina successio, & consequenter vera & vnica Christi Ecclesia. Hæc autem episco-
porum & doctrinæ successio tam diligenter, tanto studio, in Ecclesia Christi conseruata, F
quum in sola Romana Ecclesia cæterisque ei adiunctis reperiatur, sitque manifesta & inter-
rupta; necessariò erit illa vera Dei Ecclesia; qui autem ab illa separantur, non Ecclesia sed
schisma. Non quia loco aut locis certis alligamus Ecclesiam vt olim Synagogam, aut orbem
in vrbe concludimus, quum Romanam dicimus, vt protestantes nos facere fingunt & ca-
lumniantur, sed quia eam agnoscimus quæ omnia loca & tempora obtinuit, quæque per om-
Lucæ 24. nes gentes creuit, *incipiendo à Hierusalem*, sicuti Saluator fore præmonuit: Non autem ta-
Matth. 24. lem quæ in penetralibus lateat, aut quæ dicat nobis, *Ecce hic est Christus, ecce illic.* Quibus voci-
bus ne crederemus, etiam atque etiam Saluator præmonuit. Nempe ostendimus Ecclesiam
per pastores & doctores quos Christus dedit Ecclesiæ, vt rectã doctrinam traderent, & rectũ
sacramẽtorum vsum exequerentur. Hos autem pastores & doctores ostendimus perpetuò in
Ecclesia Dei successisse, nõ quidẽ in eisdẽ semper locis, sed in certis & aliquibus semper locis
Vide plura infra lib. 13. cap. 6. eisdemq; illustribus & conspicuis; quorum omniũ locorũ primi magistri, vel Apostoli erant,
vel ad aliquem Apostolum suam originem referre potuerunt. Rursum successionem ostendi-
mus non loci tantum sed & doctrinæ. Quare quæ Philippus de Mornay in suo libello de
Ecclesia cap. 3. contra hoc successionis argumentũ effutiuit, nihil prorsus virium habent;
Non enim certo loco vt olim Synagogam, Ecclesiam alligamus. Non est hæc successio ta-
lis qualis

A lis qualis à græcis, Armenis & Syris prætexitur; Nostra enim ad ipsos vsque Apostolos deducitur, vt modo in exemplo proposito ostendimus. Ecclesiæ allegatæ aliquot sanè seculis totius orbis communione gaudebāt: postea ad schisma (vt Græci), & ad alias corruptelas doctrinæ, (vt Armeni) dilapsæ, successionis filum abruperunt: quia à communi & maiorum suorum doctrina recesserunt. Successionis Iudaicæ lapsus quare Ecclesiæ Christianæ non præiudicet, lib. 2. satis ostendimus. Nestoriani quidem & Samosatenitæ ab episcopis doctrinam suam acceperunt, sed quā singulariter & contra cōmunem consensum confratrū suorū docebant: ideoque è pastoribus lupi facti sunt, *vt discipulos post se abducerent*. Vnde etiam à successionis Ecclesiasticæ linea excisi sunt non solum *proprio iudicio* quia hæretici erant, sed etiam Ecclesiæ gladio quia notorij hæretici erant. Reformatæ hodie (quas vocat) Ecclesiæ successionem habent, sed quę nostra demum ætate cœpta altius suam originem referre non potest, idcóque vera & Ecclesiastica successio non est, vt alio loco ostendimus. cap. 13. Act. 20. Tit. 3.

Quòd in sola Ecclesia Romana, & per Episcoporum in ea successiones, facta fuerit per vniuersum orbem fidei propagatio.

B

CAPVT XXI.

IAM verò, quod ad tertium & postremum attinet, vnde adhuc luculentius apparebit, solam Romanam cum cæteris ei adhærentibus, esse Ecclesiam Christi verè vnam, Catholicam, & Apostolicam, attentè considerandum est, quòd per ministerium huius solius Ecclesiæ perpetua facta fuit Euangelij propagatio, & eiusdem conseruatio. Est autem vtraque veræ Ecclesiæ validissimum argumentum. Nam (quod ad priorem partem attinet) quum Ecclesia multitudinem significet in vnum collectam, Christus vt Ecclesiam suam fundaret, primùm ipse collegit discipulorum turbam, & *vocauit ad se quos ipse voluit*: deinde eosdem per vniuersum orbem emisit, qui ei Ecclesiam per omnes gentes colligerent, dicens, *Euntes prædicate, &c. vos eritis mihi testes, &c. Posui vos vt eatis, & fructum afferatis*, &c. Fecerūt autem id Apostoli quàm diligentissimè, vt Acta Apostolica demōstrant, & modò dictū est. Proprium ergo est veræ Ecclesiæ, hoc est veris Christi discipulis ac ministris, seu Apostolorum successoribus, colligere & ad fidem gentes vocare. Contrà, hæresis proprium est *abducere discipulos post se*, vt Apostolus lupos venturos describit: *Mactare & perdere* (vt Saluator latrones facturos prædixit) iam factas oues, nō autem ex hœdis oues facere. *Negotium est hæreticis* (ait Tertullianus) *non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur*. Atque adeò nulla vnquam hæresis Euangelium propagasse, aut gentes ad fidem Christi in qua quidem perseueratum sit, conuertisse legitur. Sed ministri illius fuerunt, qui post Dominicum semen in agro Domini satum, *sua zizania superseminauit*, & tanquam perdix *quæ non peperit congregauit, faciens diuitias non suas*, vt de hæreticis ex Hieremia docuerunt Hieronymus & August. Quo etiam nomine, veris Apostolis ex diametro contrarios illos esse, notat eleganter Tertullianus. *Illi enim*, inquit, *de mortuis viuos suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt*. Hæc ille. Videndum ergo quę Ecclesia ad fidem gentes conuerterit, & Euangelium propagarit. Longum sanè esset omnium gentium ad Christū fidem conuersionem, post Apostolorum migrationem factam, recensere. Sed vt euidenter constet, non ab aliis quàm à legitimis semper Apostolorum successoribus, ab Episcopis & Præsbyteris id factum fuisse; nec ab aliis Episcopis & Præsbyteris, quàm qui in Romanæ Ecclesiæ communione vixerunt; vt ex hac demonstratione euidentissimè constet hanc solam esse veram & vnicam Christi Ecclesiam, breuiter id recensere conabor.

Propagatio fidei nota vera Ecclesiæ. Marc. 3. Matth. vlt. Act. 1. Ioan. 17. Hæresis propriū spargere, non colligere. Act. 20. Ioan. 10. In lib. de præscript. C Ierem. 17. In comment. ibidem. Contra Faustum lib. 13. cap. 12. Vbi suprà.

Sanè post Apostolorum discessum, non alia Ecclesia ethnicos ad Christum conuertit, quàm quæ ipsis Apostolis successit. Episcopi scilicet & Præsbyteri in Apostolorum locum succedentes, vel ab ipsis variis in locis adhuc viuentibus constituti. Apostolorum enim discipuli Dionysius Areopagita, Trophimus, Nathanael, Maximus in Gallia, Ioseph ab Arimathia in Britannia, Maternus, Eucherius, & Valerius in Alsatia Germanię superioris parte,

D

Beda histori. lib.1. cap.4. & Polidorus lib.2.
Sozom. lib.2. cap.23.

Euangelium primi plantauerunt. Vix ducentis post Christum annis, ab Eleutherio Romano Pont. missi in Britanniam, Fugatius & Damianus magnam ibi Ecclesiam collegerunt. Circiter annum Domini 340. prædicatum est Euangelium Indis per Frumentium, sed ab Athanasio Alexandrino Patriarcha ordinatum, & Episcopum factum. Eodem fere tempore, Sarracenis fidem Christi appetentibus præficiendus Moyses Monachus, à Lucio Arriano Alexãdrino pseudoepiscopo ad hoc prædicandi munus ordinari noluit, sed ab Episcopis Catholicis tunc exulantibus ordinatus Episcopus fuit. Nec longe pòst Maruthas Mesopotamiæ Episcopus, fidem apud Persas plantauit, & multum propagauit. Sub Theodosio iuniore, Burgundi sua etiam sponte propter famam nominis Christiani, Christi fidem amplecti cupientes, ab Episcopo ciuitatis cuiusdam Galliæ (historici nomen non produnt) catechisati & baptisati sunt. Eodem fere tempore, à Cælestino Rom. Pontifice Palladius in Scotiam missus, primus eorum Episcopus fit, vt commemorat Sigebertus in chronicis. Sic Patricius Hiberniam, S. Seruatius Orcades Insulas, Exuperius Tolosates in Gallia, omnes Episcopi in Rom. Ecclesia facti, ad fidem Christi conuerterunt, vt idem commemorat Sigebertus, Clodouæus primus, Francorum Rex à Sancto Remigio Rhemorum Archiepiscopo fidem Christi cum toto populo accepit. Multi reges propter famam Christiani nominis, & illustris Ecclesiæ, Christi nomen amplexuri, Constantinopolim ad Imperatores Christianos venire soliti, & ab ipsorum Episco[p]is fidem ediscere commemorantur. Sic Zatus Lazorum Rex anno 520. à Iustino Imperatore, Gethes Herulorum, Gorda Hunnorum, Adad Azimitensium in Africa Reges, à Iustiano Imperatore fidem acceperunt. Idem de Herulis Istrum incolentibus sub eodem Imperatore factum fuisse narrat post Procopium Euagrius. Idem quoque de Rege Persarum Constantinopoli Baptisato, sub Constantino quarto, ab Episcopo eius loci narrat Paulus Diaconus; & Platina in Vitaliano Papa. Gregorius Pontifex eius nominis primus misso Augustino monacho, Anglis Britanniam tunc occupantibus, fidem Christi annunciauit, & totum populum breui tempore conuertit. Ex ipsa Anglia multi postea aliarum nationum Apostoli prodiere. Hinc enim Germanorum Apostolus S. Bonifacius Martyr à Gregorio 2. missus. Hinc Vvillebrordus, Suibertus, & Marcellinus Angli prodiere, qui Frisiam, Hollandiam & Vvestphaliam ad Christi fidem conuerterunt ab Egberto Episcopo Eboracensi ad hoc munus missi. Horum discipuli Rupertus, Eligius, Burchardus Bauariam, Flandriam, & Franciam Orientalem Ecclesiæ adiecerunt. Bulgarorum ingens natio opera Nicolai primi Rom. Pontificis, Bohemia opera Stephani septimi Rom. Pont. Norvegia opera Adriani quarti Rom. Pont. hominis Angli, fidem Christi amplexi sunt, vt in eorum vitis narrat Platina. Frotho Rex Danorũ vna cum tota gente ab Agapeto 2. Rom. Pont. fidem Christi accepit, vt refert Saxo Grãmaticus. Hungaria opera Adelberti sanctissimi Pragensiũ Episcopi de Christi nomine primùm instructa fuit, Stephano eorum Rege baptisato; vt commemorat Æneas Syluius. Denique variæ illæ nationes Septentrionales, vt Saxonia vtraque, Dalmatia, Morauia, Polonia, Pomerania, Liuonia, Prussia, Lituania, piorum Imperatorũ studio vt Caroli Magni, Henrici primi, & Othonis magni seu primi, doctissimorũ quoque & Sanctissimorum Episcoporum labore & diligentia, qui omnes in vnitate Romanæ Ecclesiæ vixerunt, ad Christi fidem posterioribus his seculis conuersæ sunt. Iam verò, etiam nostra ac patrum nostrorum memoria, quot & quàm amplissimæ gentes in vtraque India seu nouo orbe ad Christi fidẽ conuersæ fuerint, & adhuc in annos conueniantur, Monachorum videlicet Hispanorum & Lusitanorum opera, maximéque ipsius Societatis Iesu studio incredibili, labore infatigabili, pietate admirabili, planéque Apostolica, omnes docti & Catholici norunt & prædicant. Non autem in alia quàm in Romanæ Ecclesiæ vnitate & communione, omnes illæ amplissimæ & numerosissimæ gentes baptisatæ sunt. Hæc est ergo communio orbis terrarũ. Hæc est vniuersitas illa Christi sanguine redempta. Hæc hæreditas Christi, data illi à Patre suo Psal. 2. Hæc est dos sponsæ Christi, de qua sapienter ait Aug. *Ecclesia Christi sponsa est. Totum possidet, quod à viro suo accepit in dote. Lego tibi tabulas matrimoniales. Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes* Hęc ille. Ostendimus autem iam vbi facta fuit hæc prędicatio. Ostendimus dotem. Quis negabit sponsam? Neque enim sic dos hæc data est, vt auferri posset, dicente sponso; *Portæ inferi non praualebunt aduersus eam.*

Socrates li. 4. cap. 19.
Lib. 7. cap. 8.
Socrat. lib. 7. cap. 30. Nicepho. lib. 14. cap. 40.
ad annum 430.
Gagneius lib. 1.
Sigibertus in chron. & Eutropius histor. lib. 15. & 26.
Lib 4. cap. 19.
Lib. 4. cap. 17.
Beda lib. 1. & 2. histor. Anglicanæ.
Vide Surium in vita Suiberti 1. Martij & in vita Burchardi 14. Octobris.
Platina in vitis Pontificum.
Saxo grãmaticus lib. 9.
Aeneas Syl. hist. Bohem. cap. 16.
De Symbolo ad catechumenos lib. 4. cap. vlt.
Matth. 16.

E

F

Quod

D

Quod in sola Romana Ecclesia facta fuerit perpetua fidei orthodoxæ conseruatio.

CAPVT XXII.

POSTREMÒ, vt veræ solius Ecclesiæ est congregare, ita & eiusdem est
conseruare. Ideóque vt per Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores,
vocatæ sunt gentes ad fidem, sic iidem dati sunt *ad consummationem Sā-*
ctorū, &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni ven- Ephes. 4.
to doctrinæ. Illa ergo vera erit Ecclesia, quæ plantatam & propagatam fi-
dem, sanam semper conseruauit. Conseruatur autem sana fides, abigen- *In sola Rom. Ecclesia facta*
do lupos & falsos Prophetas, qui sunt hæretici. Non alia autem Ecclesia *est fidei conser-*
omnes hæreses expugnauit, quàm Romana cum cæteris ei adiunctis. Omnes enim & singu- *uatio.* Nicepho.
las hæreses, à Simone Mago vsque ad Martinum Lutherum, vna Romana Ecclesia in Petro Lib. 4. ca. 16.
eiusque successoribus damnauit. Exempla breuiter subiiciam. Dissidentes de paschate Asia- Lib. 1. epist. 4.
nos, victor Rom. Pont. repressit. Montanistas Pontianus Papa damnauit, vt conqueritur in Lib. 1. Epist. 166.
lib. contra Praxeam & in lib. de pudicitia Tertullianus, ipse tum Montanista. Nouatianos
damnauit Cornelius Papa, idque cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitu- In epist. ad
tis, vt scribit Cyprianus. Contra Donatistas pronunciauit Melchiades Papa, & *sententia eius* Pammach. &
clausum iudicium est, ait Optatus: & refert etiam Augustinus. Longo antè tempore Origenes Oceanum.
de falsa doctrina suspectus, *ad Fabianum Rom. Pont. libellum pœnitentiæ misit*, vt commemorat Lib 6. cap. 29. epist. 47.
E Hieronymus, Paulum Samosatenum Romana Synodus deposuit, teste Nicephoto. Pela- & de peccato
giū & Cælestium damnauit Zosimus Papa, *etiam literis ad totius orbis Episcopos missis*, ait Au- originali lib. 2. cap. 21.
gust. Denique vbicunque terrarum vel deponendi vel reconciliandi hæretici erant, non so-
lùm in communione, sed etiam ex Authoritate Romani Episcopi id semper factum est.
Nempe (vt cætera taceam) hac de causa Damaso Romano Pontifici, olim B. Hyeronymus
hoc ipso in munere inseruiuit, sicut ipsemet alicubi scribit: *Cùm*, inquit, *in chartis Ecclesiasticis* In epist. ad Geruntiam
iuuarem Damasum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem. Hæc Tom. 1.
ille. Eodem etiam in munere B. Prosperum Leoni magno inseruiisse & ex vita eius apparet:
& prætereà commemorant Marcellinus, Honorius, & Trithemius, in hist. Ecclesiastica.

Breuiter in Conciliis omnibus generalibus, vt in Niceno primo contra Arrianos,
in Constantinopolitano primo contra Macedonianos, in Ephesino contra Nestorium,
in Chalcedonensi contra Eutychetas, in Constantinopolitano 2. contra Anthimum nouum
Euticheтam in Constantinopolitano 3. contra Monothelitas, in Niceno 2. contra Ico-
nomachos, in Constantinopolitano 4. contra Phocam Patriarcham, in Lateranensibus
sub Alexandro & Innocentio 3. contra Berengarium, in Lugdunensi contra Albigenses
& Vvaldenses, in Constantiensi contra Vviclephistas, in Florentino contra errores Græco-
rum, ac postremò omnium in Tridentino contra Lutheranos & Caluinistas, vna & eadem 1.
F Romana Ecclesia cum cæteris ei adiunctis, & præsentibus etiam primúmque locum in sin- 2.
gulis istis Conciliis tenentibus Romanorum Pontificum Legatis, imò ipsorum literis de re 3.
tota, tanquam maximi & grauissimi præiudicii loco ad Concilia præmissis, & ab ipsis Con- 4.
ciliis in causa fidei semper ad amussim obseruatis, (vt ex literis Cælestini ad Nestorium in
Concililio Ephesino, Leonis contra Eutichetis hæresim in Concilio Chalcedonensi, Aga-
thonis contra Monothelitarum errores in Concilio Constantinopolitano 2. Adriani primi
contra Iconomachos in Conc. Nicæno 2. aliorúmque Rom. Pont. in aliis Conciliis manifestè
patet,) pronunciauit, hasque sectas omnes & quascunque alias profligauit. Quæ omnia ita se
habere, in singulis Conciliis prænominatis, apud acta Conciliorum quæ vulgò extant, cuiuis
videre, qui volet in promptu est. Hæc igitur sola vera Dei Ecclesia est. Aut si hæc non est, cæ-
teræ illæ omnes hæreses sunt Ecclesia, quas ipsa damnauit.

Romanam Ecclesiam veram esse Dei Ecclesiam ex quadam ipsorum Protestantum confessione conuincitur.

CAPVT XXIII.

POSTREMÒ, vt huic tandem demonstrationi vltimam manum imponam, etiam ex illa Christianæ fidei conseruatione, quam in sola Romana Ecclesia, ipsamet Protestantum doctrina & confessio ad nos vsque deriuatam fuisse, & vel hodie esse, luculenter ostendit; hanc esse solam Dei in terris Ecclesiam demonstrabitur. Nempe agnoscunt Protestantes (præter Anabaptistas) ad vnum omnes, in Romana Ecclesia, Christi Baptismum integrum hactenus permansisse; (vt suprà ex Caluino ostendimus,) & quotquot in ea Baptisati sunt, rectè & olim baptisatos fuisse & hodie baptisari. Hac enim de causa, nec seipsos nec liberos suos in Romana Ecclesia baptisatos, denuo baptisant, quum ab illa ad societatem vel Caluinistarum, vel Lutheranorum, vel cuiuscunque alterius sectæ transeunt. Anabaptistas verò qui id faciunt, hoc ipso nomine, nobiscum damnant & execrantur. Iam verò, eorundem quoque Protestantum doctrina constans est, tum extra Ecclesiam, nec baptismum, nec alia sacramenta administrari posse; nec debere; tùm præterea nemini ne in ipsa Ecclesia, nisi ad Ministerium verbi legitimè vocato & ordinato licere Baptismum ipsum aut alia Sacramenta administrare. Nam hac ex causa, Ecclesiæ Romanæ consuetudinem grauiter reprehendunt, quòd obstetricibus & laicis quibusuis, baptisandi facultatem necessitatis tempore concedit. Inter suos verò, tanta seueritate hoc obseruant, vt non solùm Diaconos suos, quòd interdum aliquos baptisauerint, grauiter repræhenderint, eosdemque ab officio deposuerint, sed etiam paruulos ab ipsis baptisatos denuo baptisari fecerint. Ex hac ergo duplici Protestantum sententia, & prima illa confessione, euidenter sequitur, Romanam Ecclesiam veram & Germanam esse Christi Ecclesiam. Quum enim Baptismum Rom. Ecclesiæ probent, nec eum nisi à vera Ecclesia administrari posse concedunt, profectò & ipsam quoque veram esse Dei Ecclesiam re ipsa agnoscunt. D E

Suprà lib. 3. cap. 10. At hic respondere solent, sicuti suprà Caluinum dicere ostendimus, quod ad Baptismum quidem attinet, agnosci illam pro Ecclesia, non autem in cætera illa administratione seu Sacramentorum, seu verbi, pro Ecclesia habendam esse. Sed non aduertunt quàm sit hoc vanum, & quanta cum absurditate coniunctum. Quum enim Ecclesia sit vna; nec fieri possit, vt quæ societas ex vna parte sit Christi Ecclesia & sponsa, ex altera parte sit diaboli membrum & adultera; non magis sanè, quàm vna & eadem anima, ex vna parte templum Spiritus Sancti, & ex altera parte membrum meretricis esse potest, sed vel tota Dei proles vera & legitima, vel tota meretricis filia est, iuxta Salomonis iudicium, & Christi apud Ioannem elogium, qui id quod *nec calidum nec frigidum est, euomit*; profectò si Rom. Ecclesia ratione administrati Baptismi, est vera Ecclesia, erit quoque & omni alio respectu, & in quocunque alio officio ac munere, vera & legitima Ecclesia. Deinde potestatem illam spiritualem, prædicationis verbi & administrationis Sacramentorum, sicuti soli Ecclesiæ suæ dedit Christus; ita & totam quâta quâta est, eadem opera eidem Ecclesiæ suæ contulit. Quibus enim dixit, *baptisantes eos in nomine Patris, &c.* eisdem eodem in loco prius dixit, *euntes prædicate Euangelium.* Eisdem prius dixerat, *quorum peccata remiseritis, remittentur*: Eisdem prius dixerat, *hoc facite in meam commemorationem.* Denique eisdem omnem qualemcunque veræ Ecclesiæ functionem, potestatem, & administrationem commisit. Quàm est ergo ista inaudita absurditas, & absurda nouitas, quæ aliquam huius Ecclesiasticæ functionis partem câmque sanè maximè necessariam alicui Ecclesiæ tribuat, reliquam verò potestatem eidem detrahat? Imò (quod est omni absurditate absurdius) illam esse Ecclesiam neget, quæ tot seculis illam functionis partem sola in orbe terrarum obtinuit; & ita obtinuit, vt non signum tantùm externum, sed & rem ipsam Sacramenti ex horum hominum confessione, (qui nihil aliud in Baptismo, quàm externum adoptionis signum, & promissionis diuinæ arrham certissimam agnoscunt, vt interna illa adoptio & peccatorum remissio, vi verbi, non vi Sacramenti Baptisatis detur) pariter contulerit? F

3. Reg. 3. Apocal. 3.

Mathæ. 28. Ioan. 20.

Luc. 22.

1. 2. 3.

Protestantiū uana sua replica. Solent Protestantes, vt hanc absurditatem euadant, dicere, in Ecclesia quidem vera, Baptismum hactenus conseruatum & legitimè administratū fuisse, sed non per ecclesiam verā, quia per hostes veræ doctrinæ collatus fuerit. Nam in Romana ecclesia, fuisse semper aliquas veras Ecclesias, vt suprà ex Caluino ostendimus; vel, vt nunc alij comminiscuntur, in ipsa vera ecclesia, & inter medios fideles, Romanam ecclesiam his aliquot seculis, tanquam scissuram quandam & factionem, in media aliqua ciuitate extitisse. Itaque quum illi Baptismum administrauerint, alienum quidem officium vsurpasse, quasi si rebelles ciues Magistratus locum occuparent,

A occuparēt, tamē in ipsa Ecclesia hoc factū fuisse, quemadmodū in Ciuitate legitima rebelles vsurpāt: ideóque quia eo in loco & in ea societate administratus fuit, quo in loco & in qua societate vera Ecclesia extitit, propterea in vera Ecclesia, & consequenter legitimè administratum fuisse. Sed ad hęc hominum pertinacium, & ad apertissimam veritatem recalcitrantium vanissima commenta, breuiter respondemus. Primùm iuxta horum doctrinam non satis esse, vt in vera Ecclesia administretur Baptismus, sed etiam vt per veram Ecclesiam administretur: id est, per eos solos, qui in vera Ecclesia, ad hoc officium vocati sunt. Nam idcirco in suis Ecclesiis, nemini nisi ad ministerium vocato, hoc permittunt aut permitti posse iudicāt. Itaque si Romana Ecclesia talis, vti fingunt, factio fuisset in medio veræ Ecclesiæ constituta, tamen nisi ipsamet quoque & vera Ecclesia fuisset, & vocationem ad ministerium legitimum habuisset, per eam conseruari & legitimè administrari Baptismus non potuit. Quanquam sanè & quod supponunt, vel in Romana ecclesia fuisse semper aliquas veras Ecclesias, vel in ipsa vera ecclesia, tanquam factionem quandam extitisse Romanam, non solùm est falsissimum, sed etiā incredibiliter absurdum. Ac de priori cōmento quidem vel portēto potiùs, suprà alio in loco satis multa, contra Caluinum disputauimus. Posterius figmentum verò que opinionis monstrum quale sit, paucis nunc dicemus. Primùm enim, vt Romana Ecclesia factio esset contra Protestantum Ecclesiam, & in medio Protestātium excitata, oportuit ipsam Protestantum societatem & tempore Romanam præcessisse, & amplitudine maiorem esse. Neque enim vel insurgere illa potuit contra eos qui nusquam erant, vel scissura & factio esse, nisi contra totum aliquod corpus; quod & amplum respectu partis insurgentis, & vnitum respectu factionis sese inde separantis esset. At verò, ita clarum & constans est, Romanam Ecclesiam tùm antiquitate priorem esse hac hodie noua Protestantum societate, tùm vniuersitate locorum & ecclesiarum maiorem, vt hac ipsa de causa contra Antiquitatem & longi temporis præscriptionem, item contra vniuersalitatem Catholicæ Ecclesiæ, totis viribus obnitantur, quasi nihil illa ad vere ecclesiæ demonstrationem faciant. Contrà verò & paucitatem, & raritatem verè fidelium, quasi veræ ecclesiæ notas & comites indiuiduas, prædicant atque commendant: sicuti in superiori disputatione ostendimus. Deinde quis non videt ex Ecclesia Rom. tanquam vno totius Christianitatis corpore, Protestantes exiuisse, & ab huius totius corporis communione sese separasse, non autem à Protestātibus Romanam desciuisse? Rursum Romanam Ecclesiam Catholicam esse, & totius orbis, atque adeò omnium gentiū communionem tenere; Protestantes verò partes & scissuras, factiones & præcisa sarmenta, non solùm esse, sed etiam pro huiusmodi multis sese argumentis prodere, atque adeo disertis verbis sese tales profiteri, in superioribus ostensum est. Quale ergo monstrum hoc est, vt totū in medio partis alicuius consistat? Hoc est, vt contra naturæ ipsius principium, totum iam non sit maius sua parte, sed pars sit maior ipso toto? Quod enim in medio alterius consistit: vtique vt pars quædam eius in quo est, subsistit: atque ita Romana ecclesia in medio Protestantum agens, quum tamen illa totum sit, isti pars; erit totum quoddam in medio partis. Ac si dicas, Ciuitatem aliquam factionem esse, in medio quorundam ciuium; aut in vasculo contineri dolium; aut intra certa cubicula latitare domum ipsam, cuius illa cubicula sunt; aut denique in sarmento præciso vitem crescere; nec in arbore palmitem, sed in palmite arborem efflorescere. Vt scilicet, quod Fulgentio Donatistæ respondet Augustinus, *Video quod fieri non potest: pars Donati totum Christi corpus deuicit: Angulus Africanus orbem terrarum exclusit: Gens vna vniuersas gentes abduxit: Sarmentum vitem præcidit, & ramusculus arborem amputauit:* idem hodie factum esse dicere debeamus. Pars Lutheri totum corpus deuicit. Angulus Geneuensis totum orbem exclusit: Gens vna atque altera orbem terrarum abduxit: Sarmentum vitem præcidit, & ramusculus arborem amputauit. Quæ omnia si absurdissima sunt, nec minus absurdum erit, in vera Protestantum Ecclesia, (quæ paucorum hominum factio est, & recenter exorta,) Romanam illam, que omnium gentium societas est, tanquam sectam latitasse, aut quocunque tandem modo extitisse. Sed hæc absurdissima, planéque ex diametro sibi inuicem repugnantia, dicere coguntur, qui relicta nominatissima Christi Ecclesia, Catholica, Apostolica, Romana, aliam nudiustertius emersam sibi statuere, & aliis obtrudere nituntur. Itaque vt ad rem redeamus, vel potius rem totam absoluamus, postquam in Romana Ecclesia ex ipsorum Protestantum confessione, Baptismus hactenus conseruatus, & legitimè administratus fuerit, nec ille extra veram Ecclesiam, aut per alios quàm per veræ Ecclesiæ legitimos ministros, (vt ipsorum habet doctrina) legitimè administrari potuerit, erit Romana Ecclesia ex ipsorum Protestantum confessione, vera Christi in terris, & consequenter

Responsio.

Supra lib. 3. cap. 10.

1.

B

Lib. 2. & 3.

2.

3.

Absurda quæ doctrinam protestantium consequuntur.

C

In fine libelli contra Fulgentium Donatistam.

vnica (quia vnam & non plures Christus habet) Ecclesia. Quòd si verò Baptismum, D haud dubiè & cætera Sacramenta omnia, aliaque quæcunque ad salutem fidelium necessaria, sola Romana Ecclesia conseruauit. Tùm quia non est harum rerum administratio seiuncta, sed eisdem personis concredita, vt suprà dictum est; tum etiam quia solus Baptismus, sine cæteris adiunctis subsidiis, sine prædicatione verbi, sine clauium potestate, sine reliqua doctrina & Religionis vsu, prorsus inaniter & sine fructu (solis exceptis paruulis) conseruatus fuisset. Non est ergo dubitandum, quin eadem integritate & religione, etiam alia omnia ad salutem & sanam doctrinam necessaria, (Deo fideles suos nullo vnquam tempore deserente, aut in necessariis deficiente) sola Ecclesia Romana conseruauerit. Quibus ita positis, necessariò dicendum & concludendum est, solam Romanam Ecclesiam cum cæteris totius Christiani orbis Ecclesiis ei adiunctis, eiúsque vnitatem & communionem tenentibus, vulgò Catholicam dictam, solam esse & vnicam Christi Saluatoris in terris Ecclesiam.

Quæ quidem disputatio, in hac vna & sola Controuersia, si paulò prolixior cuipiam videatur, consideret is oportet, diligentérque perpendat, ad rem hanc vnam & solam maximi momēti & ponderis esse, maximam vim habere ad omnes hæreses reuincendas, & ad omnes de religione Christiana Controuersias semel tandem sopiēdas & componendas. Hoc vnū si hodie apud Aduersarios obtinueris, facilè profectò ex hæretico catholicū effeceris. Hoc vnum nisi obtinueris, vanus profectò & irritus omnis alius labor erit. Neque verò hoc ipsum illi dissimulant, sed potius ingenuè (quod res est) præ se ferunt. Audias enim seductos hodie sectarios frequenter hoc dicere. Probate tandem, veram vos esse christi Saluatoris & vnicam in E terris Ecclesiam, &c. vobis omnia concedemus. Vel sanè quia hoc ipsum clarè & liquidò à nobis probari non posse existimant; vel quia hoc vno probato, facilè animaduertunt, quæ reliqua sunt in causa religionis ab ipsis controuersa, nullo negotio, componi inter nos & ipsos ac definiri posse; idque propter luculentissima in Sacris Scripturis veræ Ecclesiæ elogia, Potestatem amplissimam, promissiones diuinissimas. Probauimus ergo, & quidem (nisi vehementer fallor) inuictis rationibus demonstratum dedimus, nec ad veram christi Ecclesiam Protestātes aut quoscunque nostræ huius tempestatis hæreticos pertinere posse, nec aliud quàm ipsissimam christi Saluatoris sponsam, corpus, & Ecclesiam esse, Romanam quam vocant & Pōtificiorum Ecclesiam. Neque verò in re tanta diligenter comprobanda tot verba fecisse, aut in tantam prolixitatem disputationem produxisse vel me piget, vel lectorem Orthodoxæ fidei studiosum pigebit aliquando. Nunc ergo, aliunde initio sumpto, ad alias controuersias iuxta Analysim Principiorum fidei doctrinalium initio disputationis præstitutam, pergamus.

Controuersiæ primæ de vera Ecclesia in se, & libri quarti finis.

A

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIA SECVNDA, ET LIBER QVINTVS.

De Potestatis Ecclesiasticæ Subiecto.

PROOEMIVM.



B OSTQVAM de vera Ecclesia, quid sit, id est quæ & qualis, & penes quos illa sit fidelium multitudo ac societas, quibúsque notis certò internosci possit ac debeat ab omni falsò dicta Ecclesia, quæ verè Ecclesia Christi iuxta statum noui Testamenti est, & dici debet; in superioribus libris satis disputatum & explicatum est: proximo iam loco, de ipsius Ecclesiæ Potestate & Authoritate; non quidem omni, vt antea præscriptum est, sed illa quæ circa iudicium & cognitionem dogmatum fidei versatur, disserendum est. In hac autem explicanda & stabilienda Ecclesiæ Dei Potestate, quia illa variis modis considerari potest; vel ratione subiecti sui in quibus est; vel ex parte mediorum *Ecclesiæ potestas varius modis cõsideratur.*
quibus in iudicio dogmatum vti solent ac debent illi, penes quos tanquam
in subiecto hæc Potestas residet; vel ex parte sui ipsius, formaliter & in sua 1.
natura consideratæ; vel denique ratione obiecti sui materialis, vt anteà no- 2.
tatum est: in hac proxima disputatione iuxta ordinem initio præstitutum, 3.
de ipso Ecclesiasticæ Potestatis Subiecto disputandum nobis est. Aduersarij 4.
C sanè hodie de his singulis, ac maximè de huius Potestatis Subiecto, non minùs acriter litigant, quàm de ipsius Ecclesiæ natura & notis hactenus litigarunt. Nam vt aliquam Ecclesiæ Potestatem & Authoritatem tandem tribuant, etsi nec eius generis, nec tam latè patentem, quàm Orthodoxa fides tribuendam docet, tamen quid Ecclesiæ nomine intelligendum sit, quum de eius Potestate loquimur, magnas lites excitant & Controuersias mouent. Et magnis clamoribus nos hoc nomine reprehendunt, quòd quum de Ecclesiæ Potestate, Authoritate, firmitate, multa magnificè prędicauerimus, statim omnia ad paucos Episcopos, vel ad vnum Romanum Pontificem reuocemus, reliquámque omnem Ecclesiam hac omni Potestate spoliemus. Dispiciendum ergo ante omnia erit, quid Ecclesiæ nomine intelligamus: an totam Ecclesiam, an aliquos in Ecclesia, & qui illi sint; quum Potestatem hanc aut illam circa dogma fidei explicandum, con-

firmandum, aut denique determinandum habere Ecclesiam dicimus, aut in D
futura disputatione docebimus. Aduersariorum autem hac in re sententia
varia est, & instabilis. Alij enim penes totum cuiusque Ecclesiæ corpus, seu
Aduersariorum sententia varia. vt loquuntur, penes totam congregationem, omnem hanc Potestatem esse
1. volunt: vt scilicet sine plebis suffragio & consentiente iudicio, nihil in causa
fidei iudicare aut determinare possit minister, nec sine ministro plebs. Alij
2. penes vnumquemque fidelem hoc iudicium de doctrina esse volunt, quæ
etiam magis recepta apud eos sententia est. Alij rursum penes solos mini-
3. stros verbi, sed quos omnes hac in parte æquales esse docent, Potestatem
4. istam consistere volunt. A qua sententia, quia in ministris Saxonicis illa præ-
Papatus Saxonicus. ualet, Papatus Saxonicus suum nomen accepit. Sunt denique nonnulli, sed
qui cæteris hoc nomine vehementer displicent, qui penes principem & Ma-
gistratum secularem, vt cæterarum omnium causarum, ita & doctrinæ quo-
que cognitionem esse affirmant ac docent. Sed singulos errores atque sen-
tentias, vera & Orthodoxa doctrina quam illi omnes vnanimiter impu-
gnant, à nobis fauente Deo, diligenter hîc explicanda profligabit. Quod vt E
fiat, quatuor Assertiones ordine ponemus, quibus positis & confirmatis,
tum quatuor errores prædicti corruent, tum veritas Orthodoxa tota hac in
parte demonstrabitur.

A *Quòd Ecclesia vt pro toto corpore accipitur, etsi habet assistentiam Spiritus sancti, tamen de rebus controuersis non iudicat iuxta qualibet membra & partes suas.*

CAPVT I.

Assertio prima.

ILLVD ante omnia negari nec potest nec debet, Ecclesiam " vt pro toto corpore accipitur, habere assistentiam Spiritus " sancti & stabilitatem fidei. Ecclesia tamen sic accepta, de " rebus controuersis non iudicat.

Quod ad priorem Assertionis partem attinet, sic de Ecclesia loqui videntur hæ Scripturæ. *Spiritus meus qui est in te, non recedet de ore tuo, nec de ore seminis tui, nec seminis seminis tui, amodò & vsque in sempiternum.* *Si defecerint leges istæ, tunc & semen Israel deficiet: &c.* *Dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.* Sic in Euangelio, quod Saluator dicit de Ecclesia, *Portæ inferi nō præualebunt aduersus eam:* & rursum: *Sanctifica eos in veritate,* subiiciens, *non pro eis rogo tantum, sed & pro iis qui per verbum eorum credituri sunt in me:* denique, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi,* de toto fidelium numero intelligi videntur; & multa alia quæ in superiori Controuersia allata sunt; vbi etiam argumentis quæ contra perpetuam hanc assistentiam Spiritus sancti ab aduersariis adferri solent, responsum est. At verò (quæ altera Assertionis pars est) Ecclesia sic accepta de rebus Controuersis non iudicat. Nec enim si quid controuertitur, totum corpus, id est omnes & singuli de corpore consuluntur, aut de fide pronunciant. Ratio est, quia nec omnes consuli & aditi possunt, nec omnium est de fide pronunciare. Primum per se euidens est. Posterius explicatione opus habet. Contrarium enim suadere videtur hoc ipsum quod modo diximus; quod videlicet ista stabilitas fidei Ecclesiæ promissa, toti corpori promittatur. Nam errare partes possunt, totum nunquam: & totum seu vniuersalis Ecclesia illa est, quam in Symbolo credimus, non totius huius partes aliquæ. Respondetur, aliud esse in fide errare non posse, aliud de rebus fidei iudicandi potestatem habere: aliud firmum esse, aliud à seipso firmitatē accipere; aut firmandi alios vi & authoritate pollere. Totum Ecclesiæ corpus firmū est, Christi corpus est, Spiritū Dei habet. Non tamen omnes, vel seipsos, vel alios confirmare possunt. Docet hoc clarè & copiosè Apostolus, dicēs: esse quidem nos omnes *corpus Christi,* sed in hoc corpore *diuisiones gratiarum & diuisiones ministrationum esse, non omnes Apostolos, non omnes Prophetas, non omnes doctores esse.* Rursum cùm dixisset, *omnem Ecclesiam vnum esse corpus & vnum spiritum,* ne tamen omnes eadē aut sapientia aut Potestate præditos docere videretur, addit: *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et ne de illa sola gratia loqui videretur, quæ singulis necessaria est ad bene viuendum aut credendum; non autem de potestate ista iudicandi ac docendi, quæ etiam gratia est gratis data dicta; subiungit. *Propter quod dicit Ascendens Christus in altum, dedit dona hominibus:* scilicet quæ sequuntur: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores,* &c. Cùm itaque data sit gratia toti corpori Ecclesiæ, non promiscuè & confusè, sed secundum mensuram certam; nec Christus omnes, sed quosdam dederit, Pastores, Doctores, &c. Manifestum est potestatem hanc iudicandi de rebus fidei, non esse omnibus datā, aut toti corpori; sed quibusdam eius partibus. Neque hoc à ratione alienū videri debet, vt tota Ecclesia in fide sit firma, nec tamen tota hanc firmandi potestatem habeat. Sic enim in corpore naturali totus homo videt, audit, intelligit, vult: non autem per omnes sui partes, sed per organa sensus, & animæ potentias, huiusmodi actus exercet, & de huiusmodi actibus iudicat. Meritò nihilominus toti Ecclesiæ hæc firmitas promittitur, & tota Ecclesia credēda proponitur. Quemadmodum enim anima est actus & perfectio totius corporis organici, maximè & primò, secundariò tamen singulorum membrorum, (nam propter totum corpus singulis membris vires subministrat) sic Spiritus Sanctus est anima totius Ecclesiæ maximè & præcipuè, secundariò tamen singulis Ecclesiæ membris impartitur, propter bonum & connexionem totius Ecclesiæ. Ideóque sicuti ipsa anima non ex æquo in singulis membris suas vires

Marginal notes: Esai. 59. / Ierem. 31. / Ezechi. 37. / Matth. 16. / Ioan. 17. / Matth. vlt. (beside line B) / Lib. 2. c. 14. & li. 3. c. 13. & 6. / *Ecclesia pro toto corpore accepta de fide non iudicat.* / 1. Cor. 12. / Ephes. 4. (beside line C) / *Obiectionis Remotio.* / *Simile à corpore naturali.*

exercet, sed seruata proportione singulorum membrorũ, iuxta mensuram vniuscuiusq; mem- D
bri operatur: & aliam in capite, aliam in pede operationem ostendit, vt pax in toto corpore & ordo seruetur; sic Spiritus sanctus non ex æquo singulis datur, sed vnicuique secundum mensuram donationis: aliis ad docendum sapienter, aliis ad audiendum humiliter, vt pax & ordo in tota Ecclesia seruetur. Sic in artificialibus, tota domus bene extructa firma est, & cadere non potest. Firmitatem tamen hanc accipit, non à qualibet sui parte, sed à præcipuis tantùm, puta fundamentis aut columnis. Sic habet Ecclesiæ domus sua fundamenta, & columnas, propter quæ tota; firma est, & errare non potest. Ex hac autem disputatione (cui addere potes quæ Apostolus scribit ad Romanos cap. 12. de varia functione membrorum in vno corpore) & ista veritas stabilitur, & primus error euertitur: cuius fundamentum præcipuum hoc est, quòd toti Ecclesiæ corpori datus est Spiritus veritatis. Patet eum sic toti datum esse, vt nõ tamen idem in singulis operetur: totum nihilominus dari, quia diuidi Spiritus Dei nõ potest. Nam & anima est tota in toto, & in qualibet parte corporis, quia ipsa indiuisibilis est; non quia totam virtutem in qualibet parte exercet. Patet secundò, Spiritum Dei adesse toti corpori Ecclesiæ, id est, singulis fidelibus per gratiam iustificantem, & pro eo vt vnicuique de corpore ad priuatam salutem necessarium est; non autem adesse singulis per gratias illas Prophetiæ, sapientiæ, & potestatis alios docendi, & pro eo vt salutem totius corporis conseruet. Patet tertiò, dari Spiritum singulis, vt docenti Pastori credant, & fidei reuelatæ obediant; non autem, vt de pastore docente, aut de ipsa fide iudicent. Aliud est docenti fidem habere; aliud de docente iudicium ferre. Alia sunt fundamenta quibus iste error nititur, sed postea suo loco euertentur. Est autem rigidorum Lutheranorum hic error: maximè Brentii in Prolegomenis, qui liberam esse omnibus fidem voluit, quia omnes filii Dei sunt & spiritum habent. Atque homines isti, Saxonicos siue molliores Lutheranos pro Papistis habent, eò quòd ministris verbi authoritatem tribuant iudicandi de fide, inconsulta plebe; & ob hanc causam, illorum conuentus vocant Papatum Saxonicum. E

Pax & ordo in Ecclesia.

Spiritus veritatis quomodo datus sit toti corpori Ecclesiæ.

Brentij error.

Papatus Saxonicus.

Quòd laici & priuati homines nullam habent Potestatem iudicandi de fide.

CAPVT II.

INTER partes Ecclesiæ laici seu priuati homines nullam de rebus fidei iudicandi Potestatem habent.

Sensus est, populum fidelem seorsim sumptum, & à clero seiunctum, aut aliquos è populo, nihil posse in religione controuersum suo iudicio aut potestate definire, vel verum à falso sua authoritate discernere. Ratio huius Axiomatis, ex his quę in superiori capite iam dicta sunt, magna ex parte elucescit. Ordo enim Ecclesiæ talis est, vt non nisi ad functionem Ecclesiasticam vocati, huiusmodi potestatem habeant. Cuius ordinis & distinctionis formam quandam, in ipsa Saluatoris doctrina animaduertere licet. *Vobis* (inquit Apostolis suis,) *Datum est nosse mysteria regni cælorum: sed ad turbas loquebatur in Parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis.* Sic de futura morte & resurrectione sua, de futuro iudicio, & ante iudicium futuris hæreticis, de mittendo Paracleto, seorsim à turbis discipulos docet. Nec non & admirabilem transfigurationem illam suam qua Deum se esse manifestauit, solis futuris Ecclesiæ Principibus ac pastoribus immediatè cõmunicauit. Populũ autem mysteriũ nullũ docuit, nisi in parabolis; vt ipsi à Pastoribus ea discerẽt, nõ suo iudicio inuestigarent. Deniq; eadem de causa, quũ resurrexisset à mortuis, *manifestũ se fecit non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Quo in loco, cõsideratione dignũ est, quòd quũ totis illis 40. diebus quibus post resurrectionẽ Christus in terris egit, multa tum erant in populo Iudaico millia, in Christũ & eius resurrectionẽ creditura; illis tamẽ nõ apparuit ipse vt sic postea facile crederent in illũ. Sed solis testibus præordinatis à Deo, aut aliis pręter eos quàm paucissimis apparuit. Quare verò istud? Sane eam ob causam, vt nos hoc facto & exemplo suo doceret Christus, Dei prouidentiam & dispositionem non esse talem, vt velit totum populum fidelium ab ipso Deo immediatè doceri, & tota cognitionis luce perfundi; sed vt paucos quidem ipse immediatè per Spiritum suum omnem veritatem doceat: ab illis autem paucis, tanquam testibus ab eo constitutis & ordinatis, re- F

Assertio Secunda.

Ordinis ecclesiastici forma in doctrina Saluatoris obseruata.

Matth. 13.
Matth. 20.
Ioan. 14.
Matth. 17.
Act. 10.

A tis,reliquus fidelium populus discat; & per eorum ministerium ac prædicationem in Christum credat.

Constituta autem iam Ecclesia Christi,apertiùs hoc Discrimen apparet. Nam alij *attendere gregi vniuerso* iubentur,& *à Spiritu Sancto ponuntur regere Ecclesiam Dei.* Alii *obedire Præpositis suis, & subiacere illis.* Illis dicitur, *Auferte malum ex vobis ipsis.* His dicitur, *Sinite zizania crescere.* Illis dicitur. *Qui vos audit me audit.* His dicitur, *Quæ dicunt, facite.* Illis denique. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* & his: *Quomodo audient sine prædicante?* Ex quibus verbis, apertum fit populi & pastorum discrimen, in his quæ ad doctrinæ iudicium spectant. Nec enim dubitandum, apud illos esse iudicium de doctrina, quorum est officium docere: & (vt in Cõcilio Aquileiensi sapienter loquitur Imperator Gratianus, hoc nomine à D. Ambrosio laudatus) *à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem discordes eruditionis repugnantias solui.* Nisi forte in omni humana & ciuili Repub. quibus Potestas conceditur, illis & media dantur quibus Potestatem exerceant; quin & in omni rerum natura, qui ordinat finem, disponit etiam media ad finem; imò & formas rebus singulis indidit, per quas tanquam principium actionum debitè dirigantur in finem: in sola verò Ecclesia Christi, detur à Deo quibusdam (non omnibus) docendi, Pascendi, prædicandi potestas, & non detur illud medium, ac forma illa spiritualis seu facultas, qua sola fit vt rectè doceant ac pascant; aut ita detur, vt quibusuis detur. Hoc autem medium, hæc forma, est iudicium de sana doctrina; seu (vt Scripturæ loquuntur) *discretio spirituum, interpretatio sermonum, prophetia,* & similia. Sed de his latiùs in sequentibus.

Ordo ecclesiasticus in constituta iam ecclesia Christi.
Act. 20.
Hebr. 13.
1. Cor. 5.
Matth. 13.
Luc. 10.
Matth. 23.
Rom. 10.
Eorum est iudicare de doctrina, quorum est docere.
1. Cor. 12.

B

Argumenta Protestantum quæ contra suadent, enumerantur.

CAPVT III.

NVNC quæ contra hanc veritatem aduersarii disputant, expendamus. Sunt autem quæ afferunt argumenta, fere triplici in genere posita. Nam primo loco, hoc noui Testamẽti fidelibus, & filiis gratiæ, proprium quodammodo esse volunt; vt absque magistro verum à falso in rebus fidei discernere valeant; idque propter has Scripturas. *Oues meæ vocem meam audiunt. Spiritualis homo diiudicat omnia. Prophetæ duo aut tres loquantur; cæteri diiudicent.* Denique illud. *Non necesse habetis, vt aliquis vos doceat: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, verum est.* Postremò de fidelibus omnibus dictum est. *Erunt omnes docibiles à Deo, nec docebit amplius vnusquisque proximum suum.*

1. Ab eo quod filiis gratiæ proprium est.
Ioan. 10.
1. Cor. 2.
1. Cor. 14.
Ioan. 2.
Ioan. 6. Esai. 54. Ierem. 31.

Secundum argumenti genus est ab ipso Populi officio. Nam quia Populus cauere falsam doctrinam iubetur, istud ei plane necessarium iudicant, vt valeat falsum à vero discernere. Ait autem turbis Saluator. *Attendite vobis à falsis prophetis.* Item ait Ioannes. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus an ex Deo sint.* Sic leguntur plerique illorum qui sermonem Apo-
C stolorum receperũt animo prompto, *scrutatos tamen esse Scripturas, an hæc ita se haberent.* Quidni ergo liceat cuiuis ad Scripturæ Normam decreta Ecclesiæ exigere? *Moyses sane, etiam armat manum vniuscuiusque, ad interficiendum eum qui falsos cultus inducit: quod si liceat, quanto magis de falso cultu iudicare, cúmque à vero discernere?* Hæc Brentius in prolegomenis. Imò ait, *nullo modo licitum esse in causa æternæ salutis, alienæ sententiæ ita inhærere, vt eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur.*

2. A populi officio.
Matth. 7.
1. Ioan. 4.
Actor. 17.
Deuter. 17.

Tertium argumenti genus, à libertate spiritus ducitur. Dicit enim Saluator. *Spiritus vbi vult spirat.* Et addit Apostolus. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et iterum. *Testimonium Dei habet in se, qui credit in filium Dei.* Ex quibus omnibus confici volunt, habere pios donum interpretandi in dogmatibus; vt statuit Melanchthon in Locis Communibus, & non esse alligatũ hoc donum ad aliquam ordinariam successionem.

3. A libertate Spiritus.
Ioan. 3.
2. Cor. 3.
1. Ioan. 5.

Eadem Argumenta ordine refutantur.

CAPVT IIII.

SED vt his omnibus Scripturis ordine respondeatur, primum ad illud de D
Ouibus, Ioan.10.breuissimè dicitur. Oues Christi tunc audiunt Christũ
Respon ad 1. gen. argum. Luc.10. quando eius ministros audiũt;de quibus dixit. *Qui vos audit me audit.* Quæ
Apostolus loquitur de iudicio Spiritualium,& Ioannes de vnctione;perti-
nent ad perfectos & spirituales viros,non ad quemuis de plebe. Nam &
1. Cor 2. Paulus ibidem dixit, *se loqui sapientiam inter perfectos;* & Ioannes ibidem
1. Ioan. 2. dixit: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Sunt autem apud
Paulum spirituales, Ministri Ecclesiæ, vt illa eius verba ad Galatas, euidenter ostendunt: *Vos*
qui Spirituales estis, instruite seu καταρτίζετε *confirmate huiusmodi in lenitate.* Hoc enim eorum
Galat. 6. officium est, quos alibi dixerat, datos esse *ad* πρὸς τὸν καταρτισμὸν *confirmationem*, Vel vt no-
Ephes. 4. lib. 2. cap. 4. stra lectio habet, *ad consummationem Sanctorum.* De qua re vide Clementẽ in Constit. Apost.
Non ergo per spirituales, intelligit quosuis de plebe qui sibi spiritum arrogant, vt vult Luthe-
Spirituales apud Apostolum sunt Pastores Ecclesiæ. rus in lib. de seruo arbitrio, sed ipsos pastores Ecclesiæ, qui verè omnia diiudicant. Sic apertè
notauit Augu. *Peritos doctores vocari in Scripturis Spirituales. Si*, inquit, *esset bonus intellector, &*
vt diuinitus dicitur, homo spiritualis: Deinde vt vterq; locus intelligatur de priuatis hominibus;
In li. de duab. animabus cap. 7. tamen intelligi hoc debet, nõ aliter fieri, quàm per media à Deo instituta. Scilicet iam in Ec-
clesia satis instructi, & vnctione diuina seu Spiritu Sancto donati, vt in accepta doctrina per-
maneant, nulla noua institutione opus habent. Nam & sic omnes filij noui testamẽti sunt do-
Quomodo simus omnes docibiles à Deo. cibiles à Deo, propter fidei doctrinam clarius acceptam, Spiritu Sancto abunde diffuso, Pro-
pter lucem Euangelij in cordibus quidẽ digito Dei scriptam, sed & manifestè per ministros
Christi traditam; non quòd absque magistro & externo doctore, omnes à Deo docti sunt. *Fi-*
Rom. 10. *des enim ex auditu. Quomodo autem audient sine prædicante?* Quam sane ob causam, acutiùs Au-
gustinus per vnctionem intelligi docet, *charitatem & dilectionem Ecclesiæ quæ docet nos omnia.* E
Vnctio est dilectio ecclesiæ. Nam & hoc sensu alibi dicit, *instructum in Catholica fide decipi non posse, & quamuis hæreses ne-*
Tract. 6. in Epist. Ioan. cap. 4. *sciat, tamen hæreticis respondere posse*, in lib. de agone Christiano. Nempe ex Regula fidei quam
tenet, & cui nihil contrarium admittit. Scribit idem August. Manichæos nullo modo Mat-
thæi, aut Lucæ euangelium indagare potuisse, *nisi aut ab aliquo Catholico id audirent, non quo-*
Contra Faustum manich. lib. 3 cap. 4. *libet, sed quodam diuinarum scripturarum studioso, & quantum posset perito*, hoc est, theologo; *aut*
ipsi ab errore correcti pietate Catholica peterent, vt acciperent, quærerent & inuenirent, & cætera.
Pietate catholica petẽdus intellectus Scripturarum. Nota autem quòd dicit petendum pietate Catholica, non arrogantia priuata. De hac enim
dicitur, *Non plus sapere, quàm oportet sapere.* Et iterum. *An à vobis verbum Dei processit, aut in*
vos solos peruenit? De illa altera dicit Apostolus. *Siue ego, siue ille sic prædicauimus, & sic credidi-*
Ad Rom. 12. 1. Cor. 14. 1. Cor. 15. *stis.* Nihil priuatum, nihil diuersum, ex parte nostra: nihil proprium, nihil non auditum, & ab
aliis acceptum, ex parte vestra.

Nec alia ratione ad secundi generis scripturas respondere est opus. Populo enim fideli attẽ-
Respon. ad 2. gen. Script. dendum sane est à falsis prophetis, & probãdi spiritus sunt; nõ autem suo arbitrio atq; iudicio.
Hoc enim tolleret obedientiã fidei; tam eã quæ Deo debetur, de qua Apostolus dicit; *Capti-*
2. Cor. 10. cap. 5. & seq. *uantes intellectũ in obsequium Christi*, quã eam quę Ecclesiæ prępositis deferẽda est, de qua mox
dicemus. Nã si propter hæc verba, liberũ est cuiuis iudicare de pastoris voce, erit etiã liberum
iudicare de Spiritu sancto. Sed quẽadmodum nõ tollitur propter hæc verba, operatio intrin- F
seca Spiritus Sãcti, quą monemur à falsis spiritibus cauere, ita nec tollitur doctrina extrinseca
Pastoris, qua idẽ docemur. Istas ergo Scripturas cõplemus duobus modis: vel sane fide præ-
Populus attẽdit à falsis prophetis duobus modis. cognita imbuti, & à veris doctoribus ad hoc edocti; scilicet, *permanentes in eadem Regula, & de-*
uitãtes Prophanas vocum nouitates (quo nihil est facilius homini iam Catholico & fideli, de quo
& cui istæ Scripturæ loquuntur:) vel sane quia hoc vnum huiusmodi est, vt etiã sine noua &
Philip. 3. speciali doctrina, præstare id valeat populus. Nã vt veros Pastores à falsis, sanã etiam doctrinã
2. ad Tim. 6. ab adulterina, [loquẽdo de regula fidei omnibus notissima,] ipse etiam populus nullo negotio
discernere possit, manifesta semper est Ecclesia in suis Pastoribus: hoc est, in legitima succes-
Matth. 5. sione: ideóque ipsi Pastores vocantur *Lux mundi, & Ciuitas super montem posita, quæ abscondi*
Lib. 7. cap. 1. *non potest.* Manifesta quoque est (vt postea suo loco docebimus) Regula fidei seu vox Eccle-
Plura de hac re lege infra lib. 10. cap. 6. siæ. Non autem sequitur. Potest populus Pastorem à lupo, & notissimam fidem à Prophana
nouitate discernere; ergo & de quolibet fidei dogmate seu Controuersia, in se & in suis prin-
cipiis ac mediis, iudicare: tùm quia illud semper manifestum est, hoc obscurum sæpe, multa-
que subtilitate inuolutum; tùm quia illud necessarium plane erat, vt per se clarum esset, tan-
quam principium & aditus ad fidem; omnia particularia dogmata non item. Sed hoc adi-
tu inuento, id est cognita Ecclesia, seu Ecclesiæ Præpositis, per illos omnia discenda
fuerant

A fuerāt: Cognita quoque fidei Regula, ad eius Normam cætera exigenda & applicanda, in qua
applicatione docendus erat populus. Quamuis enim ex fide doctus sit populus in quæstione, *Quatenus populus ex fide est doctus.*
an sit; tamē rudis est in quęstione, quid sit: & quia scire est per causas cognoscere, hoc sapientū
est & paucorum, credere autem populi & fidelium omnium. Idcirco de illo genere dicitur.
Si quis aliud euangelizauerit vobis, præterquam quod accepistis, anathema sit. De hoc genere dici-
tur; *Perfectorum est solidus cibus, qui exercitatos habent sensus*, & cætera. Vtrunque autem præ-
clarè coniungit Augustinus cùm dicit, *in Ecclesia Dei sincerissimam esse sapientiam, ad cuius* Gal. 1. Hebr. 5.
cognitionem pauci spirituales perueniunt; cæteram autem turbam, non intelligendi viuacitas sed cre- Contra epist.
dendi simplicitas tutissimam facit. Denique hoc est, quod præclarè & multis exemplis docet fundamenti cap. 4.
Origenes; *Apostolos necessaria quidem ad fidem manifestè omnes docuisse, rationem tamen assertio-* Origenes in
nis relinquentes ab his inquirendam, qui Spiritus dona perceperunt: de aliis verò dixisse quidem, quia prœmio libri de princi-
sint: quomodo autē aut vnde sint, siluisse. Quod autem postremo loco Brētius vrget, de scrutinio piis.
Scripturarum, Act. 17. Non illud iudicij, sed studij scrutinium fuit; non vt de Apostolorum Ad hunc locū
doctrina iudicarent, sed vt quod didicerant, & iam crediderant, inspectis Prophetarum libris plenius respō-
apertius cognoscerent. Nec armat Moyses manum populi; vt iudicet de quauis doctrina, sed detur lib. 10. cap. 11.
vt fugiat, vel etiam abigat lupos: sicuti locus inspectus apertè docet. Illud autem quomodo Deuter. 13.
populus præstare debet, iam dictum est.

Ad tertij generis Scripturas, quas maximi faciunt Aduersarij, semper crepantes de spiri-
tu, breuiter responderi potest; Spiritum quidem Domini, vbi vult spirare, sic tamen, vt nun- Ad 3. generis Scriptur.
B quam spiret, vel suprà mensuram illam, de qua dixit Apostolus, *vnicuique sicut Deus diuisit* *Spiritus S. non*
mensuram fidei; vel præter diuisionem illam, de qua idem Apostolus ait, *diuisiones gratiarum* *spirat cōtra Or-*
sunt, idem autem spiritus: (de qua re superius dictum est:) vel denique præter Ordinem illum *dinem à se posi-*
in Ecclesia positum, de quo Apostolus, *ad seruandam vnitatem spiritus in vinculo pacis* contra *tum, neque con-tra mensuram donationis.*
istos singulares & schismaticos spiritus disputare cùm vellet, præmisit; *vnicuique nostrum data* 1. Cor. 12.
est gratia secundum mensuram donationis Christi; móxque illam donationem describens, ait *de-*
disse Christum quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores Ad ephes. 4.
atque doctores, &c. vide locum à principio capitis vsque ad medium, & expende diligenter.
Dabitur autem & in hoc opere alius illum expendendi locus. Libertas autem quam Apo-
stolus ponit in his qui Spiritum Domini habēt, non est talis, vt vel credere & in fidei dogma- Infrà cap. 7. & lib. 10. cap.
ta admittere, vel facere & in vitæ leges assumere liceat, quicquid libet; quæ est *libertas carnis* 8. & 14.
non Spiritus; (de qua Apostolus Galathas diligenter monuit) sed illa libertas est, liberè *seruire* *Libertas Spiri-tus quæ sit.*
iustitiæ, nec amplius seruire peccato: qui proprius est effectus Gratiæ noui testamenti de qua
ad Rom. 6. docuit Apostolus, & post Apostolum Augustinus tractat. 41. in Ioannem, & de cap. 5.
Spiritu & littera capite decimo sexto. Quod ad testimonium Dei attinet, quod habet in se
omnis qui credit in filium Dei; non tale est, vt excludat testimonium Ecclesiæ docentis: quasi 1. Ioan. 5.
propterea à solo Deo doceri oporteret. Nam in omni credente duplex est ratio credendi: vox *Duplex est ratio credendi.*
Ecclesiæ foris sonantis, de qua Apostolus, *fides ex auditu*; & vox Dei intus docentis, de qua
idem. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Posterior hæc prima Ad Rom. 10.
C tanto potior est, quanto excellentior est fides infusa, quàm acquisita. Hæc vox Dei intus lo- Ad Ephes. 2.
quentis, est testimonium Dei in credentibus: quod Apostoli mentem esse, satis ipse explicat.
Si testimonium (inquit) *hominum*, id est, Prophetarum de Christo, *accipimus, testimonium adhuc*
Dei maius est, quod pater testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei; 1. Ioan. 5.
scilicet patris, *in seipso. Qui non credit filio, mendacem facit eum*, id est, Patrem, *quia non credit in*
testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Hæc Ioannes. Hoc autem internum Dei testi-
monium, non magis excludit externum nunc Ecclesiæ, quàm olim prophetarum, aut quàm Ioan. 5. Lib. 1. cap. 25.
testimonium patris de Christo, exclusit testimonium Ioannis Baptistæ: licet illud isto maius
esset, vt in superiori Controuersia à nobis est explicatū; dabitúrque adhuc postea declarādi lo- *Obiectionis remotio.*
cus, cùm de testimonio Ecclesiæ in seipso cōsiderato disputabitur. Fit autē aliquando, vt eru-
ditione laicus pastorē superet; nec desint è populo, qui de dogmate fidei aptius interdū iudi-
cent, quā plerique præsbyteri (hoc enim obiectare aduersarij solēt:) tamen nec illud vel extra- 1.
ordinarium Dei donum, vel rara aliqua & paucorū scientia, aut Ordini à Deo posito præiu- 2.
dicare debet, aut communem & statam legem violare. Et si quando Patres huiusmodi laicos 3.
à præsbyteris audiendos docent, id totum ex humilitate, non ex officio fieri intelligendum Lib. 2. cap. 1.
est: sicuti exemplum habes apud Augustinum, in libris de Anima & eius origine. tom. 7.

Quòd Episcopi & præsbyteri sunt legitimi iudices de rebus fidei, ex Christi mandato & commissione Apostolis data ostenditur. D

CAPVT V.

Assertio tertia.



EPISCOPI atque Præsbyteri in Ecclesia Catholica legitimè ordinati, & eiusdem vnitatem retinentes, Potestatem habent de rebus fidei iudicandi, verúmque à falso discernendi.

Duplex conditio veri pastoris. Duplex autem hic ponitur conditio; vna, vt sint legitimè ordinati, ne sint latrones non intrantes per ostium; quales sunt omnes, *qui nemini succedentes, à seipsis ordinati sunt*; vt de Nouatianis scribit Cyprianus. Altera conditio est, vt iam legitimè ordinati, vnitatem retineant: ne ex pastoribus fiant lupi, vel per hæresim diripientes ouile, vt Macedonius, Nestorius, Paulus Samosatenus & alij; vel per schisma segregantes ouile, vt Donatus, Meletius, Lucifer. De his ergo Presbyteris & Episcopis hoc loco loquimur, qui (vt ait Irenæus,) *cum Episcopatus successione charisma acceperunt veritatis*, & acceptum suis posteris tradiderunt. Ista sententia vt pertinacissimè ab aduersariis hodie impugnatur, ita validissimè à nobis confirmanda est. Eius autem confirmationem, & S. Scriptura, & praxis perpetua & summa ratio suppeditant. Sed breuitatis causa, soli Scripturæ innitemur. Nam & ea sola demonstratio huic rei sufficit, & copiosissimè ex illa demonstrari hæc sententia potest. Scriptura sane, etsi stabilitatem fidei toti corpori Ecclesiæ promittat, vt in primo capite ostensum est; tamen vim stabiliendi, docendi, confirmandi, in veritatem inducendi, solis Ecclesiæ Pastoribus assignat. Quemadmodum enim ante legem quidem absque hominum ministerio, Deus ipse vel per se, vel per angelos homines docuit; (vt tota Genesis historia demōstrat) post legem verò, vbi illustrior esse cœpit Ecclesia, in 12. tribubus iam in magnam gētem multiplicatis; sacerdotium Aaronicum institutum est, & tribus Leuitica Deo consecrata, vnde Pastores perpetui, certi, & manifesti crearentur; dati insuper suo tempore Prophetæ, qui extra ordinem docerent, aliquo tamen euidenti signo semper commendati; sic cùm Christi Ecclesia secundum noui Testamenti statum per vniuersum orbem propaganda esset, *vt homo fidentius* (ait Augustinus) *ambularet ad veritatem*, non solùm *ipse Dei filius assumpto homine fundauit fidem, vt iter homini ad Deum esset homo Deus*, sed præterea quam ipse fundauit, eam propagandi, docendi, explicandi Potestatem aliis dedit, certò & manifestè constitutis; vt in libro de vtilitate credendi, idem docet Augustinus; eo rem disputando deducens vt quia *in iis quæ ad Deum pertinent, natura stulti sumus stulto autem nihil optabilius quàm sapientum consilio regi; & quia inter sincerissimam sapientiam Dei & stultitiam hominu, mediam quiddam est hominis sapientia; id: òque homini stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius*; (quemadmodum oculis ad commodè videndum aptiora sunt à sole illustrata, quàm ipsemet solis splendor,) *vt per hominem docerentur homines, primùm Deus homo fit, authoritate miraculis conciliata*; Deinde certis hominibus in Ecclesia constitutis, & ad docendi ministerium assumptis, authoritatem docendi dedit; quia *sola est authoritas quæ commouet stultos, vt ad sapientiam festinent*. Hæc ex Augustino summatim collecta. Sed ista nunc ex Scripturis ostendamus. Christus Dominus vt dixit, *Ego lux in mundum veni*, sic Apostolis suis non omnibus turbis dixit. *Vos estis lux mundi*. Et ne hoc putetur de sola luce bonorum operum dixisse, propter verba sequentia, *sic luceat lux vestra, vt videant opera vestra bona, &c.* Addidit præterea *Vos estis sal terræ*, Hoc est, vos estis sapientes à summa illa sapientia ad condiendum populos gentium insipidos missi, vt exponit Augustinus, aliique patres ad hunc locum. Rursum dixit Christus de seipso. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, vt testimonium perhibeam veritati*; id est, vt mea authoritate, quæ sit veritas, innotescat. Tantundem Apostolis suis dixit, *Eritis mihi*, (Ego autem sum veritas) *testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*. Iterum sicut vox è cælo de Christo dixit, *Ipsum audite*: sic Christus Apostolis suis dixit. *Qui vos audit, me audit*. Denique quasi vno verbo rem omnem complecti volens, ait. *Sicut misit me pater, ita ego mitto vos*. Quibus verbis nihil amplius dici potuit. Tamen quasi ex proposito, rem prolixè

Marginalia: Lib. 1. epist. 6. — Lib. 4. cap. 43. — E — Ordo doctrinæ ab initio mūdi. 1. 2. 3. 4. 5. — De ciuit. Dei lib. 11. cap. 2. — Cap. 14. 15. & 16. — Simile. — F — Authoritatis vis. — Ioan. 8. — Matt. 5. — Præpositorū Ecclesiæ Authoritas ex Scriptura probatur. — Lib. 1. cap. 10. de Serm. domi in monte. — Ioan. 18. — Act. 1. — Matth. 7. — Luc. 10. — Ioan. 20.

A prolixè alibi explicuit. Iam enim transiturus per passionem ad patrem: *Ego*, inquit, *te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam*. Et quale illud? *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus*. Móxque orans pro Apostolis; *Sanctifica*, inquit, *eos in veritate. Sermo tuus veritas est*. Quid autem hoc est, nisi vt confirmarentur in veritate, nec ab ea vnquam exciderent? & quem ob finem istud? Subiungit immediatè, *Sicut tu me misisti in mundū, ita & ego misi eos in mundum*. Hic finis, hæc causa est, quare Christus pro confirmandis Apostolis orauit. Nihil autem potuit efficacius, aut apertius dici. Postquam Christus Dominus à patrē missus, docendi prouinciam adimplesset, & manifestasset Deum hominibus, confirmat discipulos in eadem quam docuerat veritate; & mittit eos in mundum, sicut ipse missus fuerat. His ergo verbis, Authoritas & potestas à Christo, non cuiuis sed Apostolis, viua voce tradita est, circa ea quæ ad fidem & doctrinam pertinent. Qualis autem, & quanta fuerit, postea docebitur, in aliis seorsim Controuersiis. Huius aurē rei documentum non obscurū est quòd in Euangelio sanatum leprosum mittit ad sacerdotes, *vt illis videlicet de signis suis iudicandi tribueret potestatem*, ait in eum locum in Comment. Chrysostomus. Idem quoque insinuauit, quum iussit vinum à se factum ferri Architriclino: vt illius sane iudicio probaretur, qui ad eam rem & Authoritate & iudicio valeret. Ioan. 17. Lib. 8. & 9. & sequent.

Eandem Potestatem Apostoli sibi vendicarunt & exercuerunt.

B

CAPVT VI.

Ne verò in alium sensum quàm oportebat, hæc Christi verba detorta videantur, notandum est, ipsos Apostolos hanc docendi, & de fidei dogmate iudicandi authoritatem sibi vendicasse, quam in verbis citatis Christum illis dedisse diximus. Et primùm quidem, quemadmodum Christus Dominus, vt suam authoritatem ostenderet, illud Prophetæ, *Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me*, in se completū esse dixit; sic Petrus, vt caput omnium Pastorum, quasi suæ Authoritatis rationem afferre volens, in prima illa christianorum controuersia diiudicanda, intrepidè asserit, *Ab antiquis diebus elegisse Deum, per os eius audire gentes verbum Euangelij, & credere*. Paulus verò & Barnabas, quod Esaias de solo christo dixisse videtur, *posuite in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ*, de se dixisse Prophetam asserere non sunt veriti. Dicentes enim incredulis Iudæis, *quoniam repellitis verbum Dei, ecce conuertimur ad gentes*, pro ratione huius sui facti addunt. *Sic enim præcepit nobis Dominus, posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremū terræ*. Hac de causa vocat se Paulus confidenter *ministrum & dispensatorem mysteriorū* Dei, nec ministrum tantū, sed & *legatum Christi* se esse probat, *Deus*, inquit, *erat in Christo mundum reconcilians sibi. Nunc autem posuit in nobis verbum reconciliationis*, quasi dicēs; Quemadmodum prædicatione & doctrina christi, verbum reconciliationis manifestatum est mundo; sic idem nunc per nos manifestatur. Verbo autem reconciliationis intelligitur quicquid ad doctrinam salutis attinet. Hoc enim illud verbum est, de quo alio in loco ait, *Christum mundasse Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Nam vt docet August. *Hoc verbum vitæ est illud, quod alibi Apostolus vocat, verbum fidei quod prædicamus*. Et propterea Dei quidem ministrum, christi autem legatum & vicarium se esse, Apostolus concludit dicens, *Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos*. Quam etiam ob causam alibi dicit *datam sibi esse gratiam Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, &c.* Neque verò minus confidenter Apostolus Ioannes loquitur. Quod enim christus de se dixerat. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; tātundem & totidem verbis, de se ipse dicit *Qui nouit deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*. Ex quibus omnibus perspicuum fit, authoritatem docendi Euangelium, illuminandi populos, reconciliandi mundum, eam denique qua sic audiantur tanquam Deo per eos loquente, ipsos Apostolos sibi vendicasse, idque tum loco ipsius christi, tum vt ab ipso christo eis collatam & traditam.

Luc. 4. Act. 15. Esa. 49. Act. 13. 1. cor. 4. 2. cor. 5. C Ephes. 4. Tract. 8. in Ioan. Rom. 10. 2. Cor. 5. Ephes. 3. Ioh. 8. 1. Ioan. 4.

Quòd eadem Potestas ad successores Apostolorum perpetuò futuros deriuata sit. D

CAPVT VII.

IAM verò ne hæc omnia solis Apostolis dicta esse videantur; aut hæc po-
testas in ipsis Apostolis interiisse, nec ad ipsorum successores peruenisse
putetur; diligenter expendendum & memoria retinendum est, quod
ad Ephes. 4. Apostolus de perpetuo Ecclesiæ regimine scribit. *Ipse dedit quosdam qui-
dem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem
Pastores & Doctores: ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in
ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, &
agnitionis filij Dei, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in
nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroru.* Vel hic enim vnus locus euidentissimè
quod diximus demonstrat. *Consummare* enim seu confirmare *sanctos*, id est, fideles; habere
1. *ministerium verbi* atque doctrinæ; *ædificare*, & propagare *corpus Christi*, quod est populus fide-
2. lis; videre atque prospicere, *vt seruetur vnitas fidei*, id est sana doctrina; *ne vnquam paruuli cir-*
3. *cunferamur omni vento doctrinæ*, id est, ne cuiliber hæretico & mendaci magistro quasi prædæ
4. simus; hoc sane totum est habere Potestatem, Authoritatem, & iudicium in rebus fidei ma-
ximè controuersis, verúmque à falso discernere posse. Rursum, ne solis Apostolis hoc iudi-
cium & Potestatem à Christo dari quisquam suspicetur, ipsimet Apostoli suis successoribus E
tantundem tribuunt. Paulus Epheso discessurus, vbi Pastores constituerat, sic eos alloquitur.
Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam*
Ioan. 15. *Dei*, vsus sane eodem verbo quo Christus ad Apostolos. *Posui vos vt eatu, &c.* Sic etiam ad
ad Hebr. 13. Hebræos scribit; à quibus Apostoli iam discesserant toto orbe Euangelium prædicaturi, so-
lúsque Iacobus, si tamen ille, superfuerat. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis. Ipsi enim per-
uigilãt quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Non ergo soli Apostoli tales vigiles aut spe-
culatores constituti sunt, quibus obedire oues debent. Nempe quod de Paulo & Barnaba le-
Act. 14. gimus, quòd Lystram, Iconium, & Antiochiam Pisidiæ pertranseuntes, *constituerunt illis per
singulas Ecclesias Præsbyteros*, hoc alios etiam alibi Apostolos fecisse dubitari non potest. Pro-
1. Petr. 5. pterea Petrus quoque Pastores Ponti, Galatiæ, & Bithiniæ, vtique à se vel suo mandato con-
stitutos, sic alloquitur. *Pascite qui in vobis est, gregem* Dei. Sic Titum reliquit Paulus Cretæ, *vt
cap. 1. constitueret per ciuitates præsbyteros sicut ipse disposuit ei.* Eandem quoque Timoth. à se Potestatẽ
relictam ostendit his verbis. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus,*
2. ad Tim. 2. *qui idonei erunt & alios docere.* Ostendunt ista reliquisse Apostolos suæ dispensationis & Pote-
statis successores. Iam verò quòd non in aliis quàm in ipsis successoribus Apostolorũ hæc po-
Quòd non in aliis quã in Successoribus Apostolorum potestas Ecclesia data residcat. testas resideat, breuiter ostenditur. Et primum quidẽ Esaias illud præclarè prædixit, his verbis.
*Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis
tui, nec de ore seminis seminis tui, à modo & vsque in sempiternum.* Ostẽdit enim, verbum & spiri-
tum, seu sensum verbi semper coniungi; idque à semine in semen, perpetua successionis serie. F
Esa. 59. Et vt certò intelligas, quid seminis nomine dicat Propheta, vide quibus spiritum & verba sua
Collatio verborum Christi & Esaia circa Magistrorũ Ecclesia Successionem. Deus dedit. Christus Dominus Apostolis suis dixit. *Orabo patrem, & alium paracletum dabit
vobis spiritum veritatis.* Hoc est quod Esaias dixit. *Spiritus meus qui est in te.* Deinde addit po-
stea Christus, Patrem alloquens. *Verba quæ dedisti mihi, eis dedi; & ipsi acceperunt.* Hoc est quod
Esaias dixit, *verba mea quæ posui in ore tuo.* Subiicit adhuc postea Christus. *Pater sancte serua eos*
Ioan. 14. *in nomine tuo*: & prius dixerat de spiritu veritatis, *quòd maneret cùm eis in æternũ.* Hoc est quod
Successio Episcopalis ex Scripturis deducta. Esaias dixit. *Non recedent de ore tuo.* Addit postremò Christus. *Nec pro eis rogo tantum, sed & pro
eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Hoc est quod Esaias adiecit, *& de ore seminis tui.* Se-
men enim Apostolorum sunt qui in cathedra Apostolica doctrinam Apostolicam retinent,
Psal. 44. & aliis tradũt. Vnde illud Dauidis, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, id est, *pro Apostolis Episcopi*,
Lib. 4. epist. 9. ait Augustinus in enarratione ibidem. Sequitur enim. *Constitues eos principes super omnem ter-
ram.* Sic Cyprianus illa verba Christi, *Qui vos audit me audit*, non ad quosuis dixisse Christum
Epist. 166. prope finem. scribit, sed *per Apostolos ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Et hoc
Lib. 4. ca. 43. est quod Augustinus contra Donatistas scribit. *In cathedra vnitatis posuit doctrinam ve-
cap. 45. ritatis.* Hæc etiam est illa *principalis successio*, de qua Irenæus. *Eis*, inquit, *in Ecclesia præs-
Ephes. 4. byteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis; reliquos verò qui absistunt à principali
successione,*

A *successione*, id est Apostolica, *& quocunque loco colliguntur, suspectos habere: vel quasi hæreticos, vel*
quasi scindentes: Hoc est schismaticos. Et rursum libro eodem, cùm Apostoli verba citasset, *de-*
dit quosdam Apostolos, &c. infert. *Vbi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veri-*
tatem; apud quos est, ea quæ est ab Apostolis, successio. Hæc ille in principio capitis. Deinde ad
hanc successionem pertinet, quod Apostolus dicit. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?*
Et rursum. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Sed de hac Ad Rom. 10.
successione quemadmodum de facto perpetuò conseruata sit, in superiori Controuersia plu- Lib. 4. cap. 10.
ra diximus.

Cæterum istam Potestatem Apostolis datam, Perpetuò in futuris Ecclesiæ pastoribus *Scriptura quæ*
mansuram, & non nisi certa successione ad Pastores deuenturam, illæ Scripturæ luculenter *Ecclesiæ potesta-*
demonstrant, quæ ipsius Ecclesiæ stabilitatem perpetuam in Euangelio promittunt. Etenim, *tem vel stabili-*
(quod diligenter animaduerti debet) vbicunque Christus Dominus Ecclesiæ suæ vel Pote- *tatem promit-*
statem, vel stabilitatem perpetuam in Euangelio promittit, non nisi Apostolis suis loqui- *tunt, nō nisi ad*
tur. Vnde hæc duo colligere licet: & potestatem ipsam Apostolicam siue Episcopalem per- *Apostolos diri-*
petuam esse ac stabilem, & hanc perpetuam stabilitatem, non toti corpori immediatè, sed *guntur.*
propriè ipsis Pastoribus Ecclesiæ, in Euangelio tributam esse. Vt propterea etsi tota Ecclesia
sit stabilis & æterna, & Spiritu veritatis donata, hoc tamen ideo verum sit, quia pastores sta-
biles sunt, & à veritate non excidunt: id est, Ecclesia non errat in fide, Ecclesia rectè iudicat de
fide, quia Pastores Ecclesiæ non errant, & rectè iudicant: Pastores autem, non hic aut ille,
B seorsim singuli, sed simul omnes vnitatem retinentes, vt iam antea diximus. Toti enim non *Ecclesia non er-*
partibus; vni Ecclesiæ vniuersali, siue Catholicæ, non certis parrœciis, locis, aut gentibus pro- *rat in fide quia*
spexit Deus; cùm Ecclesiam in sanguine filij sui consecraret, & Apostolis ac eorum succésso- *Pastores non er-*
ribus, pascendam relinqueret. Sed nunc illas Scripturas quas dixi videamus. Dicit Christus *rant.*
in Euangelio. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Sed de qua Eccle-
sia aut de quibus hoc dixit? Profectò de præpositis Ecclesiæ, vt Chrysostomus, Theophila- Matth. 18.
ctus, & alij patres exponunt, & præterea loci circunstantia manifestè demonstrat. Sequitur *Obiectio ex*
enim immediatè. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, &c.* Hoc autem quis *Caluino.* Institut. lib. 4.
negabit, ad solos præpositos pertinere? *At non fit hic doctrinæ mentio* (inquit Caluinus, *) sed tan-* cap. 8. par. 15.
tùm censuris asseritur sua authoritas, vt corrigantur vitia. Quasi verò qui corripientem Ecclesiæ Resp.
Præpositum non audit, habebitur sicut Ethnicus, & qui docentem contemnit absque culpa 1.
erit: aut quasi non eadem, imò maior sanæ doctrinæ, quàm vitæ ac morum habenda esset ra- 2.
tio: (vt in superiori Controuersia obiter ostendimus:) quasi denique, qui Potestatem habent 3.
ab Ecclesia per censuras eiiciendi, Potestate carerent in Ecclesiā per doctrinam fidei colli- Lib. 3. cap. 6.
gendi. Maximè cùm Potestas omnis Ecclesiæ *data sit ad ædificationem, & manifestatio spiritus* Ad Ephes. 4. 2. cor. 10. &
ad vtilitatem. Rursum asserit Christus, quòd *contra Ecclesiam suam portæ inferi non præuale-* 13.
bunt. Sed quam Ecclesiam ibi dicit, nisi Petri Principis Pastorum, cuius personæ illa verba lo- 1. cor. 12.
quitur, vt in sequentibus euidenter ostendemus; tam illum vt supremum Ecclesiæ caput & Matth. 16.
Pastorem, quàm etiam in eius persona omnia Ecclesiæ capita & Pastores, stabilitate perpetua Infrà lib. 6. cap. 1 & 2.
C etsi non pari gradu firmans? Dicit iterum Christus. *Alium paracletum dabit vobis Pater, vt ma-* Ioan. 14.
neat vobiscum in æternū, Spiritum veritatis. Sed quibus hoc dixit? Certè nec turbis credentiū, nec
omnibus discipulis, sed solis Apostolis in horto post cœnam; qui soli cum eo cœnati sunt, &
quibus solis postea dixit. *Posui vos vt eatis, & fructū afferatis, &c.* Et rursum: *sicut me tu misisti* Ioan. 15.
in mundū, & ego eos misi in mundum. Addit tamen (*in æternum*) ne illis solis personaliter loqu- Ioan. 17.
tus videatur, &) non etiam aliis in eorum postea locū successuris. Postremo dixerat. *Et ego vo-* Matth. vlt.
biscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Sed illis hoc dixit, quibus paulò an-
te dixerat, *euntes docete omnes gentes, &c.* Vt præsentiam suam Christus & Spiritum Sanctum
toti quidem Ecclesiæ suæ promiserit, sed immediatè & proximè Apostolis, futurísque eorum
successoribus; mediatè verò, & per Apostolorum atque Successorum ministerium, toti
corpori Ecclesiæ. Hæc sunt loca, quæ maximè Ecclesiæ stabilitatem probant: & hæc
eadem sunt loca, quæ maximè Potestatem Pastorum confirmant: vt intelligatur Eccle-
sia ideo esse stabilis, ideo Potestatem in causa fidei habere, quia eius Pastores vtroque do-
nantur.

Ne vero coactum & inuidiosum videatur, quod Ecclesiæ nomine, solos in hac quæstione *Quare Ecclesiæ*
Ecclesiæ principes intelligimus; notandum est, hanc loquendi formam, nec à Scripturis, nec *nomine, soli præ-*
ab hominum vsu, alienam esse. Sanè in Exodo legitur. *Moyses conuocans omnes maiores natu* *positi sæpe intel-*
populi, exposuit omnes sermones quos mandauit Dominus, respondítque omnis populus simul, &c. *liguntur.* Exod. 19.

Ethic.lib. 9. cap. 9. Lib.4 epist.9. In Dial.adversus Luciferianos.

Vbi vocat scriptura *Omnem populum*, qui erant tantum *Maiores natu* ipsius populi. Vsus autem hominum hoc habet, vt quæ ciuitatum principes faciunt, possunt, ac sentiunt, ea Ciuitas posse, facere, ac sentire dicatur, vt docet Aristoteles. Imo verò si rectè rem perpendimus, non nisi propter Pastores & præpositos, Ecclesiæ nomine vocari debet aliqua multitudo. Vnde Cyprianus *Ecclesiam esse in Episcopo*, & Sanctus Hieronymus *vbi non sunt Sacerdotes, Ecclesiam non esse*, sapienter & verè scripserunt. Quod vt nos doceret Spiritus Sanctus, factum est, vt Ecclesiæ vox in Scripturis non prius vsurpetur, quàm populo fideli Pastores essent præpositi. Nam ante tempora Moysis, Ecclesiæ vox in scripturis non legitur; nec etiam in ipso Moyse, nisi postquam Aaron summus Pontifex constitutus esset cum reliquis sacerdotibus, vt iam forma quædam Ecclesiæ, seu collectæ in vnum corpus multitudinis, appareret. Tunc enim demum dictum est. *Conuoca populum ad me in Ecclesiam.* Hoc enim est secundum interpretes, quod in vulgata versione legimus. *Congrega ad me populum*, quemadmodum notauit, & notandum monuit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus. Hanc etiam ob causam Numerorum 20. vocatur multitudo populi Israelitici nomine Ecclesiæ, in historia illa murmurationis populi. Habet enim textus. *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem*? quum tamen eadem historia in Exodo ad verbum descripta, vocem Ecclesiæ non habeat. Legimus enim ibi; *Cur fecisti nos exire de Aegypto*? Discriminis causa est, quòd cùm Exodus scriberetur, nondum institutum erat sacerdotium. At cùm Numerorum liber scriberetur, iam institutum erat sacerdotium, nempe in Leuitico qui præcesserat, ideóque formam Ecclesiæ populus tunc habebat. In qua sane discriminis obseruatione, docet nos Scriptura vocem Ecclesiæ propriè, quasi que antonomasticè multitudinem significare non vagam aut ἀκέφαλον; sed talem, cui iam Pastores & Præpositi à Deo constituti sunt: Sane vt ciuitas aut regnum dici non potest, cui Magistratus aut rex nullus est. Non ergo impropriè aut abusiuè, sed veræ & propriè Ecclesiæ nomine pastores & præpositos Ecclesiæ intelligendos dicimus: maximè cùm de eius Potestate, stabilitate & Authoritate agitur. D

Ecclesiæ nomen quando in Scriptura primò legitur. Deut. 4. Catechef. Mystagog.18. Num. 20. Exod.17.

Nomen Ecclesiæ quid propriè in Scripturis significet. E

Lib.3. cap.1.

Postremò vt ad maiorem huius sententiæ de Pastorum in Ecclesia potestate confirmationem vnum addam, Regnum Christi quod in Ecclesia perpetuum est, vt in superiori Controuersia ostendimus, propriè in Ecclesiæ Pastoribus perpetuum est.

Regnum Christi propriè in ipsis Pastoribus perpetuum est. Ioan.18. Luc.1. 1.Petr.2. Apocal. 20. *Sacerdotiū duplex.* Lib.20.ca.10.

Cùm enim *Christi regnum non sit de hoc mundo*, (vt ipse dixit) sed spirituale, huiusmodi tamen quod ad domum & sceptrum Dauid pertineat: (nam dedit ei Deus *sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*) profectò translato illo temporali regno spirituale erit igitur, quod est sacerdotium Ecclesiæ. Sacerdotium autem non quale omnibus fidelibus commune est propter obedientiam fidei & vnctionem Spiritus Sancti, vnde Petrus vocat nos *regale sacerdotium*; Et iterum Ioannes in Apocalypsi (vt hæretici hodie volunt) sed illud sacerdotium, *vnde propriè in Ecclesia sacerdotes dicuntur*, vt loquitur Augustinus de Ciuitate Dei. Nam in hoc sacerdotio Christus propriè regnat; hoc est, potestatē exercet, docet, fert leges, soluit peccata & ligat, reconciliat mundū, denique omne illud per quod Christus inter homines regnat, administrat. Et hoc est quod Aug. dicit, quòd *Christus per Ecclesiā dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ.* Quod totū etiam ita se habere, pulchrè Epiphanius docet. *Thronus*, inquit, *Dauid & regale solium, est sacerdotium quod in Ecclesia sancta est. Christus enim Dominus, rex, & sacerdos, (rex quia in stirpe Dauid, deique vnigenitus; sacerdos, quia secundum ordinem Melchisedec sacrificium obtulit;) ipsum hoc suum regnum vnà cum summo sacerdotio, seruis suis summus Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ largitus est.* Hæc ille. Secundùm hoc regnum, *omnis Christi Potestas data est in cælo & in terra.* Sed & *hanc totam contulit sacerdotibus*, ait Chrysost. Illis etiam dedit clauem Dauid, tanquam huius regni sceptrum. Nam vt de Christo propheticè dictum est, *dabo clauem domus Dauid super humeros eius; aperiet, & non erit qui claudat; claudet & nō erit qui aperiat*; quod totidē verbis de Christi persona in Apocal. repetitur; idque pro certissimo argumēto, hunc illum esse, *qui regnaturus esset in domo Iacob in æternum*; sic Petro summo pastori ab ipso Christo vicissim, *claues regni cælorum datæ sunt, quibus ligaret & solueret*; id est, clauderet & aperiret; ea sane firmitate, vt ligaretur & solueretur in cælis; id est ab eo clausum nemo aperiret; & ab eo apertum nemo clauderet. Quam sane ob causam D. Augustinus quòd de hoc Christi regno scriptum est, *vidi sedes & sedentes super eas & iudicium datum est illis*, de hoc Præpositorum in Ecclesia regno interpretatur. Ait enim. *Non hoc putandum est de vltimo iudicio dici, sed Præpositorum sedes, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur.* Postremò, cùm de hoc Pastorum regno dixisset Dauid, *pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, adiecit. *Constitues eos principes super omnem terram.* F

Contra Crescōnium lib. 2.cap.36. Hæresi 29. cont. Nazoræos. Act.1. Lib.3. de Sacerdotio. Isa.22. *Ecclesia Præpositus habens clauem Dauid sceptrum regni christi.* Apocal.3. Luc.1. Matth.16. Apoc.20. De ciuit. Dei lib.2 cap.9.

Ex qui-

A Ex quibus omnibus conficitur, Ecclesiam Christi non aliam ob causam proprie & proxime stabilem in fide, perpetuam in duratione, Regnum Christi in potestate esse, quàm quia de Pastoribus & Magistris, Ecclesiæ prospectum est: *à quorum ore veritas non recedet*; & *ex quorum ore legem, & ex labiis scientiam exquiras*: quia etiam horum Pastorum successio, certa atque perpetua futura est: quia denique in huiusmodi Pastoribus, excellentiori quodam modo regnat Christus; eámque potestatem vsque ad finem mundi per illos exercet, quam à patre accepit; Pascendi, docendi, in veritatem inducendi. Deum hominibus manifestandi, mundum reconciliandi, peccata soluendi, cæteraque omnia ad salutem necessaria dispensandi. Hos enim *Pastores & Doctores constituit*. In his *verbum reconciliationis posuit*. Hos *dispensatores mysteriorum* Dei qui vice & loco suo pro illo *legatione fungerentur*, fecit. Hos denique constituit *testes veritatis vsque ad extremum terræ*, & vasa electionis *vt portarent nomen eius in gentibus*. Vt profectò quia per vniuersos fines terræ Regnum Christi propagandum fuit, propter ipsius Christi gloriam ipsi tanquam homini ex merito Passionis debitam [vt in alia Controuersia copiosè explicatum est] propterea quoque, Pastores populorum, & Magistri Ecclesiarum [per quos & in quorum ministerio propriè regnat] *per vniuersum mundum Euangelium prædicaturi* erant, & *per omnem terram eorum sonus exiturus*, idque vt Saluator dicit, *in testimonium omnibus gentibus*.

Psalm. 44. Isa. 59. Matth. 2. 1. 2. 3. Ephes. 4. 2. cor. 4. 1. cor. 4. Act. 1. & 9. Contro. 1. Lib. 2 cap. 7. Matth. 28. Rom. 10. Matth. 23.

B

Argumenta primi generis, quæ Protestantes hodie contra Episcopalem hanc & Sacerdotalem authoritatem afferre solent, proponuntur.

CAPVT VIII.

Tsi sint hæc quæ diximus manifestissima, tamen aduersus hanc sententiam multa disputāt hodie Protestantes; quæ vt summatim omnia colligamus, ad tria fere capita reuocari possunt. Nā vt Ordinē Ecclesiasticum ab omni Authoritate deiiciant, vel contra malos mores & ignorantiam Episcoporum & Sacerdotum inuehuntur, vel circa electionis rationem cauillantur, vel certè statum quæstionis mutant & petunt principium. Nam Lutherus primus hac nostra ætate huius authoritatis contemptor (ait enim homo impudentissimus in libro contra Regem Angliæ, non longè à principio; *Christus spiritum mihi suppeditauit, insignem contemptorem tam fraudis quàm furoris Papistici*:) in libello flagitiosissimo, cui titulum dedit: *Aduersus falsò nominatum Ordinem Episcoporum*, non argumentis vtitur, sed conuitiis furiosè debacchatur; quibus tamen vt speciem probationis inducat, vrget vehementissimè descriptionem Episcopi, apud Apostolum, quòd debeat talis *irreprehensibilis esse, sobrius, prudens, doctor, hospitalis, &c.* Tales autem Rom. Ecclesiæ Episcopi cùm non sint; non esse eos pro Episcopis habendos. Idem fecit Caluinus, pro certo affirmans, *à centum annis vix centesimum quemque electum fuisse, qui sacræ doctrinæ aliquid teneret*. Idem quoque Musculus, & Melanchthon in loc. comm. garriunt. Brentius verò (vt optimè notauit Petrus à Soto in defensione Catholicæ Confessionis) cùm in suis Prolegomenis, minitabundus diceret, contra hanc successionem se multa dicturum, cùm ad rem ventum est, mores tantùm arguit Episcoporum: atque ex eis probare contendit, non esse illos legitimos Apostolorum successores. Idem faciunt omnes alij hodie Protestantes; nec vllo magis argumento simplici populo & indoctis imponunt. Afferunt enim ex scripturis. *Spiritus Sanctus effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Et illud Euangelij. *Arbor mala non facit fructus bonos*: Et: *Nunquid ex spinis colligunt vuas, aut ex tribulis ficos?* Addunt præter Scripturas, & certa patrum loca, quæ idem suadere videntur. Ait enim Cyprianus. *Plebs obsequens præceptis Dominicis, à peccatore præposito separare se debet*: multáque ibi alia in eam sententiam, quæ magna confidentia citat Musculus in locis communibus. Scribit quoque Irenæus. *Adhærere his oportet qui & Apostolorum doctrinam custodiunt, & conuersationem sine offensa præstant, ad confirmationem & correctionem reliquorum*. Vbi sanæ doctrinæ, vitę puritatem tanquam comitem necessariam adiungit. Bernardi vox est

Tria obiectionū capita. 1. 2. 3. Luther Spiritus. 1. ad Tim. 3. & ad Titum. Inst. lib. 4. c. 5. part. 1. mendacissima Caluini calumnia. C Cap. 70. Sap. 1. Matth. 7. Lib. 1. epist. 4. cap. de Ecclesia cap. 10. Lib. 4. ca. 44. d. 40. c. sic.

P

in Concilio Remensi. *Quid prodest si canonicè eligantur, & non canonicè viuant?* Hieronymi ver- D
Tom. 3. ba citantur. *Non sunt filij sanctorum, qui tenent loca sanctorum; sed qui exercent opera eorum.* Huc etiam adferunt illud Christi, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Denique hunc in finem quæcunque contra Romanorum Pontificum, quorum Successioni potissimum innititur Ecclesia, vel etiam aliorum Episcoporum vitam & mores, siue dicta, siue ficta, ab historicis sunt, inuidiosissimè congerunt: vt ex quorundam male acta vita, vel Episcopalem Authoritatem penitus euertant, vel populum Christianum ab illa successionis regula prorsus auertant. Quæ omnia quàm nihil virium habeant, nunc ordine ostendemus.

Demonstratio ex Scripturis, quòd iudicare de fide etiam improbi Pastores possunt, & quòd doctrina veritatis est in Cathedra vnitatis.

CAPVT IX.

An mali præpositi præpositura excidant.
Donatistæ. con. Cresco. lib. 2. cap. 16.
Vvaldenses.
Vvicleff.

EST hæc vna & singularis nostri temporis Controuersia, an mali præpositi esse propterea legitimi præpositi & Pastores desinãt, quia mali sunt. Affirmantem partem renuerunt olim Donatistæ, non in tota quidem Potestate Sacerdotali, sed in sacramentis tantùm abministrandis. Nec in quacunque malitia ministrorum, sed publica tantum & cognita, vt ex Augustino liquet. Eam resuscitarunt Vvaldenses, & qui se Apostolicos vocabant, vt habes apud Bernardum. Post hos Vvicleff cum secta tota Hussitarum, qui E
Serm. 66. in cantic.
in vniuersum omnem tam Ecclesiasticam quàm secularem potestatem, ab hominibus crimini mortali obnoxiis sustulerunt: fuítque illa hæresis in Concilio Constantiensi damnata: confutata quoque ex patribus à Tho. Vvaldensi in doctrinali fidei. Lutherus hodie cum suis seculari quidem Potestati hac in parte pepercit, sed quod ad Ecclesiasticam attinet, Vvicleffi vomitum resumpsit; addiditque de suo [quod huic loco est proprium,] flagitiosos Pastores in doctrina fidei audiendos non esse: more sane veterum omnium hæreticorum, *qui non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissimè iactant: vt quia ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt; homines per quos prædicatur, adducãt in odium, de quibus & fingere quicquid in mẽtem venerit, possunt.* Hæc de sui temporis hæreticis Donatistis Augustinus. Idem quoque alibi de Manichæis cõmemorat. Confutatur autem hęresis hęc apertissimè, tùm ex verbo Dei, tum ratione firma.

Sess. 8. art. 4. & 15.
Item sess. 75. art. vlt.
lib. 2. cap. 72.
Lutheranus.
August. epist. 137.
Hæreticorũ consuetudo.
In lib. de Moribus Eccles. Cath. cap. 34. & 35.

Animaduertendum ergo est, notari in Scriptura Euangelica quatuor hominum genera, qui docendo vel ducunt, vel seducunt populos nomine Christiano. Tales sunt *Pastores, Mercenarij, Latrones, Lupi.* Quos fere omnes, vno in loco pariter Christus demonstrauit. Nam apud Ioannem de latrone dicit. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliũde, ille fur est & latro.* De pastore dicit. *Qui intrat per ostiũ, ille pastor est ouium.* Et paulò post, *Ego*, inquit, *sum ostium*: moxque ipsum pastorem in sua membra subdiuidens, alium bo- F
num esse ostendit, alium mercenarium. *Bonus*, inquit, *Pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem qui pastor non est*, id est, *qui pastoru nomen non meretur, quia plus terrenam substantiam quàm oues diligit*: [ait Gregorius Magnus] *videt lupum venientem & fugit.* Est ergo latro qui ascendit aliunde; id est, [vt Cyprianus scribit] *qui nemini succedens à seipso ordinatus est*, non ab ipsis qui per Christum intrarunt; hoc est, non à Christo. Pastor est qui intrat per ostium & diligit oues: id est, vt scribit Irenæus, qui & *successionem habet ab Apostolis à Christo missis, & cum Episcopatus successione charisma veritatis certum cum beneplacito patris accepit.* Mercenarius pascit oues, nisi lupus veniat. Nam [vt ait Gregorius loco citato] *vtrum pastor quis sit vel Mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis desit; si persecutio & tentatio abest.* Quartum genus lupus est, quo veniente Mercenarius fugit. Lupus enim est, qui intrauit quidem per ostium, legitimè ordinatus est, sed in loco pastoris positus, postea lupus factus est. Quales describit Apostolus. *Scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*; id est, dissipantes ouile; *& ex vobis ipsis*, hoc est, ex numero & ordine Pastorum, [nam tales alloquitur] *exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Tales erant Arrius, Macedonius, Nestorius, Marcion, Paulus Samosatenus,

Quatuor genera magistrorum in religione.
Ioan. 10.
Ho. 14. super Euang.
Lib. 1. epist. 6.
Latro quis.
Pastor quis.
Lib. 4. cap. 4.
Mercenarius.
Lupus quis.
Act. 20.

A terius, Eutiches, & multi alij Archihæretici ex Episcopis & præsbyteris, id est, ex pastoribus, lupi facti. Ex his ergo quatuor hominum generibus, *diligendus est Pastor, tolerandus est Mercenarius, cauendus est latro*, ait Augustinus; Addiderim autem, abigendus est lupus. Maiori enim studio & industria abarcendus lupus, qui sub vestimento ouis lupum agit, & pastor factus seducit; quàm latro, qui aperta iniuria ascendit aliunde. Hunc enim cauere satis fuerit propter legitimam successionem, quæ nunquam ignoratur aut latet, non magis quàm ipsa Ecclesia.

De verbis Domini. Ser. 49.

Sed omissis illis tribus generibus, de Mercenario nunc agamus, & an is cum docendi potestate audiendus sit, videamus. Est autem Mercenarius duplex. Alter ex fine & occultus quia sola spe lucri, aut honoris pascit, sed sine scandalo viuit. Alter etiam apertè flagitiosus & impius. Describit primi generis Mercenarios Apostolus. *Quidam*, ait, *per inuidiam & contentionem*, hoc est, honoris causa Christum prædicant. *Quidam propter bonam voluntatem, & ex charitate*. Quid autem de talibus sentiat, subiicit. *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo*. Docet autem per occasionem, non castè, *qui propter sua commoda siue pecuniæ, siue honorum & laudis humanæ id facit*: [vt exponit Augustinus] & de his gaudere se Apostolus dicit. Tantum abest, vt eos audiendos neget. Rursum Apostolus ostendens se Mercenarium non esse, ideóque *gratis Euangelium ponere, licet posset de Euangelio viuere*; Docet tamen etiamsi Mercenarius esset, dispensationem suam nihilominus integram & validam esse. *Væ*, inquit, *mihi si non Euangelizauero. Si enim volens hoc ago*, id est, absque cupiditate, *mercedem habeo*: scilicet apud Deum: *Si autem inuitus*,
B id est, vt exponit Augustinus, *propter commoda gaudiáque carnalia, quæ si aliter habere posset, illud desereret; dispensatio mihi credita est*, hoc est, *illis prodest quibus hoc dispenso, non mihi qui fictus sum*, & Mercenarius. Hæc cum Apostolo Augustinus contra Parmenianum disputans. Atque hæc de Mercenariis occultis & qui ex fine sic vocantur.

Mercenarius duplex.
Ad Phil. 1.
Per occasionem docere quid.
Serm. 49. de Verb. Domini;
Lib. 2. cap. 11.

Nunc de Mercenariis etiam apertè flagitiosis & impiis quid scriptura docet, videte. Nulli magis flagitiosi quàm olim Scribæ & Pharisæi, quorum scelera passim taxat euangelium. De illis tamen dicit Saluator. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera grauia*, & cætera. Vbi multis verbis variam illorum hypocrisim, superbiam, cæcitatem, redarguit Saluator. His autem verbis; *mercenarios nostros demonstrauit Christus*; ait Augustinus. *Neque enim fideles suos ad Iudæorum scholam mittit*; ait idem Augustinus, *sed Pharisæorum nomine malos præpositos in Ecclesia sua intelligit*; sicuti Sanctus Chrysostomus, & Origenes similiter exponunt. Iubet ergo omnino audiri. *Omnia enim*, inquit, *quæcunque dixerint, seruate & facite*.

De Mercenariis apertè flagitiosis.
Matth. 23.
Tract. 46. in Ioan. ser. 49. De verbis Domini.
Hom. 85. in Ioan. hom. 7. in Ezech.

Ex his autem verbis, causam & rationem intrinsecam totius huius rei elicere licet. Illa enim est quia super cathedram sedent; quia locum Christi tenent, sicuti illi Moysis tenuerunt. Sic enim quasi ratiocinatur Saluator. *Super cathedram sedent*: ideo seruandum est quod dicunt. Obseruauit hoc & docuit præclarè tractans hæc verba Augustinus. *Cælestis*, inquit, *magister de malis præpositis plebem securam fecit, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur: in qua coguntur etiam mali, bona dicere*. Et quare coguntur? *Neque enim*, inquit, *sua sunt*
C *quæ dicunt sed Dei*; Et quomodo hoc? *Quia*, inquit, *in cathedra vnitatis, doctrinam posuit veritatis*. Et quibus verbis posuit, aut vbi? Subiicit. *Proinde de Præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus, ait in Euangelio. Quæ dicunt facite*: & cætera. Hæc ille. In eandem sententiam hæc verba tractat, tùm ipse iterum Augustinus, tùm Chrysostomus & Origenes: quorum verbis transscribendis breuitatis causa supersedemus. Est ergo, velint nolint hæretici, ipsi cathedræ Christi non minus quàm cathedræ Moysis, ipsi successioni Apostolicæ non minus quàm Aaronicæ, (imò multo verius, *quanto in melioribus repromissionibus sancitum est testamentum nouum quàm vetus*,) adiuncta fidei & doctrinæ indubitata firmitas. Obserua ergo quod dixit Christus. *Seruate & facite*. Nam dogmata fidei seruamus. Præcepta morum facimus. Vtrobique parendum est etiam Pharisæis, hoc est impiis & hypocritis sedentibus in cathedra; id est, succedentibus in sedem Apostolorum seu Christi. Nota etiam verbum *seruare*; hoc est, ea retinere quæ seruanda iubent; quia non alia docent quàm quæ seruanda sunt. Veri enim Pastores, & Mercenarij, iubent seruare traditam à maioribus fidem. *Bonum depositum custodiunt. Permanent in his quæ didicerunt, & tradita sunt illis; & in doctrina quam ab initio audierunt*. Et hæc est causa quare Apostolus non permittit tantùm, sed & gaudet si prædicetur Christus: *siue per occasionem, siue ex charitate. Hos* (inquit Augustinus) *permittit*

Causa quare mali præpositi necessariò audiendi.
Epist. 166. in fine.
Epist. 137. de verbis Domini serm. 99. In Ioan. tract. 46. li. de past. cap. 10. hom. 85. in Ioan. hom. 7. in Ezech.
Cathedræ vel successioni Apostolicæ annexa est doctrina veritatis.
Ad Hebr. 8.
Dogmata fidei seruanda.
2. Tim. 1.
2. Tim. 3.
1. Ioan. 2.

In præfat. Enarrat. in psal. 115. Ad Gal. 1. Hom. 73. in Matth. Ioan. 10. Act. 20. *Certissimũ discrimen pastoru Mercenarij & lupi seu latronis.*

Apostolus prædicare, quia non annunciabant præter Regulam fidei quam acceperant. Tales enim alibi excludit, dicens. Si quis vobis Euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Hæc ille. Ergo idcirco permittit mercenarios, quia iubent seruare. Nam & sic ipsi Pharisæi, licet impij & hypocritæ essent; tamen [vt notat Chrysostomus,] *non sua, sed quæ per Moysen Deus imperauit, prædicabant. Ideóque, quia à moribus eos Christus commendare non potuit, à sede & eius doctrina id facit.* Latro autem non iubet seruare vetera; sed mutari & aboleri; ideóque *venit vt mactet & perdat.* Lupus quoque *abducit post se discipulos*; ad schismata, ad partes trahit. Et hæc causa est quare mercenarij vox audienda est; Latronis autem & lupi vox audienda non est. Vterque enim quæ sua sunt dicit, non quæ Dei, quia in cathedra neuter est; sed contra cathedram insurgit vterque, & *altare contra altare instituit*: id est, non à maioribus acceptam, & diuinitus per manus traditam doctrinam docent, sed suam à seipsis inuentam. Contrà qui in cathedra sedent, & maioribus succedunt, non suam aliquam à se inuentam, sed maiorum fidem ab Apostolis continua successione deriuatam docent. Hoc certissimum discrimen est pastoris & mercenarij à latrone & lupo. Nec enim pastor nec mercenarius quæ sua sunt loquuntur, sed quæ audiuit à prædecessoribus, *incedens in Regula* (ait Tertullianus) *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit.* Hic enim ordo cælestis doctrinæ est. A deo sic promanat, vt nec ipse Christus à Deo missus, suam doctrinam tradat, sed Patris sui: *Sermonem*, inquit, *quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris.* Et rursum. *Quæcunque audiui à Deo, hæc loquor in mundo.* Apostoli quoque à Christo missi, non suam sed Christi doctrinam tradunt iuxta illud. *Docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis.* Apostolorum denique successores vsque ad finem mundi, non suam nouam aliquam, sed Apostolicam doctrinam per manus traditam, posteris suis vicissim tradunt. Sic seruatur Cathedræ vnitas & fidei integritas. Nam *in cathedra vnitatis, posuit doctrinam veritatis*: ait Augustinus. *Et in vna Petri cathedra vnitas ab omnibus seruatur*, ait Optatus. *Et vna est cathedra super petram, Domini voce fundata*, ait Cyprianus. Qui ergo cathedram Apostolicam tenet, is non ex se, sed ex cathedra; id est, non sua sed Dei loquitur: ideóque audiendus est, siue pastor bonus sit, siue mercenarius. Vnde iterum Augustinus. *Monet Dominus populos facere quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, ne Cathedræ sanctitas deseratur: & propter pastores malos gregis vnitas diuidatur.* Hæc ille. Contra Petil. lib. 2. cap. 61.

D (beside the first line); E (beside "ctrinam tradunt iuxta illud")

In lib. de præscript. *Ordo cælestis doctrinæ.* Ioan. 14. Ioan. 15. Ioan. 8. Matth. vlt. Epist. 166. *In cathedra Successionis est veritas.* Lib. 2. circa principium. Li. 1. epist. 8.

Duæ causæ firmitatis fidei & doctrinæ sanæ in Cathedra malorum, sed legitimè succedentium explicantur.

CAPVT X.

Gratia Sacramentalis cathedræ annexa. 1. Tim. 4. In commentariis ibidem. Hom. 11. in 1. ad Tim. *Sacerd. ex Deo loquuntur.* Matth. 2. Isa. 59. Matth. 10. Luc 10. 1. Ioan. 4. Hom. 85. in Ioan. *Prophetia impij Caipha.*

HVIVS autem firmitatis fidei & doctrinæ sanæ in cathedra seu successione Apostolica, etiam in qua mali sedent, duplex est causa. Primum gratia sacramentalis ipsi cathedræ seu Ordini sacerdotali annexa, quam sane satis clarè Apostolus insinuauit. Cùm enim Timotheo episcopo dixisset, *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ*; addit: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum præsbyterij.* Hęc enim verba explicans Ambrosius: *Si doctor*, inquit, *populi in docendo & exhortando dissimulat, negligit gratiam datam sibi Nam gratiam dari ordinatis significat per prophetiam. Prophetia enim est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus.* Hæc ille. Sic & Chrysostomus, per prophetiã intelligi dicit *doctrinam; hoc est, docendi potestatem.* Nempe episcopi & sacerdotes, quemadmodum in sacramentis administrandis & conficiendis, non suam sed Dei potestatẽ exercẽt; ita in docendo, non sua nec ex se, sed quæ Dei sunt & à Deo impulsi loquuntur. Ideo enim scribitur. *Ex ore sacerdotis legem exquires. Verba mea non recedẽt de ore tuo. Dabo vobis os & sapiẽtiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Nam & ideo Christus dixit. *Qui vos audit, me audit.* Et de seipso Ioãnes dixit. *Qui nos audit, ex Deo est.* Hæc enim omnia missis & legitimè ordinatis quatenus talibus, potestatem & vim docendi promittunt; qualescunque illi tandem quoad vitæ mores fuerint. Vnde Chrysostomus. *Quicquid, inquit, concreditum habet sacerdos, solius Dei donum est, & vbi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Deus omnia facit: Sacerdos linguam & manus præbet.* Satis hoc totum expressit Euangelista, cùm de sceleratissimo Caipha diceret, *prophetasse*

F (beside "clarè Apostolus insinuauit")

A *prophetasse eum quia Pontifex erat anni illius.* Hoc enim [vt notat August.] *Euangelista tribuit diuino sacramento, quia Pontifex fuit.* Et iterum alibi. *Hoc in eo egit propheticum chrisma vt prophetaret. Hoc autem vita impia, vt nesciens prophetaret.* Sic Chrysostomus. *Vides quanta sit pontificalis potestatis virtus? Ot tantùm gratia, nõ etiam scelestum cor attigit.* De qua etiam gratia Ambrosius. *Alia sunt verba delictorum, alia sacramenta salutis. Non præiudicant verba virtuti. Suis viribus substantia diuina fulcitur. Homo auditur, Deus in operibus agnoscitur.* Hæc ille. Hæc est ergo sacramentalis gratia Ordini Ecclesiastico annexa, quæ facit, vt mali bona doceant: quam non ipsi comminiscimur aut fingimus, sed ex Scripturis & patribus deprompsimus. De qua re etiam plura postea, in 6. Controuersia.

Ioan. 11. Tract. 49. in Ioannem. contra Faust. lib. 16. cap. 23. Hom. 64. in Ioan. In psal. 39. Lib. 10. cap. 14.

Altera causa est diuina prouidentia, & Ecclesiæ in omnem veritatem dirigendæ specialis cura. *Si enim prouidentia Dei* (ait sapienter August.) *non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin verò species hæc rerum omnium, interiori nescio qua conscientia ad Deum quærendũ, Deoque seruiendum vnumquemque hortatur: profectò desperandum non est, ab eodem ipso Deo authoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.* Hæc ille. Hanc verò prouidentiam Dei, potissimum & maximè circa Ecclesiæ præpositos versari, nõ est dubium apud eum qui fidem habet. Vnde Cyprianus. *Credere quòd incerti sunt, qui ordinantur sacerdotes in Ecclesia Dei, quid est aliud quàm credere, quòd non à Deo, nec per Deũ, sacerdotes eius in Ecclesia constituuntur? Hoc est autem in Deum non credere; hoc est rebellem aduersus Christum, & eius Euangelium existere.* Hæc ille. Et rursum alibi idem. *Hoc est fidem non habere qua viuimus; hoc est contra pacem Christi, & ordinationem Dei rebellare. Hoc est dispensationem diuinam violare.*
B *Hoc est arma contra Ecclesiam portare, & contra Dei dispositionem repugnare.* Hęc omnia Cyprianus. De hac diuina prouidentia Ezechiel Prophetizauit. *Ecce,* inquit, *Dominus. Ego ipse super Pastores qui pascunt semetipsos; faciam vt non vltrà pascant oues meas. Ego ipse requiram, & visitabo eas, ego pascã eas,* &c. *Quomodo,* ait Augustinus, *auertit Deus pastores malos, vt non pascant oues ipsius? Certè dum de talibus dicit: Quæ dicunt facite. Tanquam diceret: Mea dicunt, sua faciunt. Cùm ergo facitis quæ dicunt, ego vos pasco: Mea enim dicunt, & non faciunt. Et quomodo dicunt ea quæ sunt Dei? Quia velint nolint pastores, vt ad lac & lanam perueniant, verba Dei dicturi sunt.* Hæc ille. Eandem prouidentiam describit eleganter Chrysostomus, docens salutis nostræ causa, Deum per ipsos Præpositos nunc loqui, sicuti olim per asinam Balaam, Num. 22. per eos qui in nomine eius dæmonia eiicient, denique per Iudam Apostolum loquutus est. Sane propter hanc singularem Dei prouidentiam prædixit Scriptura propter nulla hominum peccata perituram esse Ecclesiam vt supra ostensum est. Hoc autem vt de toto corpore verum est, ita maximè & potissimum in Cathedra conseruanda, in certa semper Episcoporum & Sacerdotum successione retinenda, sine qua nulla est reliqui corporis firmitas aut vnitas, locum habet. Simile in Synagoga præcessit, quæ vsque ad Christi aduentũ in Cathedra Moysis integra permansit: vtcunque frequenter & nefariè qui Cathedrã occupabãt, pro Cathedræ sanctitate nõ viuebãt.

2. causa Dei prouidentia. Lib. de vtilit. cred. cap. 16. *Prouidentiam Dei specialem circa Ecclesiæ magistros Fideli nemo negare potest.* Lib. 4. epist. 9. Lib. 1. epist. 3. Lib. 3 epist. 9. In lib. de Simplic. prælatorũ siue de vnitate ecclesiæ. Cap. 34. Lib. de pastoribus, cap. 10. Hom. 2. in 2. ad Tim. & hom. 85. in Ioan. Matth. 7. Suprà lib. 2. cap. 15.

Refutantur argumenta primi generis quæ supra capite octauo commemorata sunt.

C

CAPVT XI.

SED nunc aduersariorum argumenta breuiter expediamus. Apostolus ad Titũ 1. & 1. Tim. 3. Episcopum siue Præsbyterum describens, Pastorem bonum & omnibus suis numeris absolutum describit, & illa complectitur quæ ad integritatem & perfectionem boni Pastoris pertinent. De necessariis autem & his quæ ad essentiam spectant, nihil dicit; sed ea supponit, quia fidelibus loquitur. Nam de recta fide, de certa & legitima vocatione, de Ecclesiastica ordinatione, de cathedræ stabilitate & vnitate seruanda, quæ quatuor ad essentiam legitimi Pastoris pertinent, nihil eo loco dicit. Alibi enim illa dixerat, vt de recta
fide & sana doctrina ad Rom. 16. ad Gal. 1. ad Philip. 3. aliisque in locis, sicuti suo loco dicemus 1.
cùm de Regula fidei tractabitur. De legitima vocatione, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Lib 2. cap. 1. & 2.
& ad Hebr. 5. *Nemo sumit sibi honorem,* &c. De Ecclesiastica ordinatione ad eundem Tim. *Ne-* Rom. 10.
mini cito manum imposueris, &c. De cathedræ vnitate, notans futuros lupos, qui *abducerent di-* 2.
scipulos post se. Hęc quatuor necessaria sunt & essentialia Catholico & legitimo Pastori; & sine 3.
istis quatuor, aut latro erit aut lupus. Cætera ab Apostolo in Epistolis ad Timotheũ & Titum 4.

Descriptio episcopi apud Apostolum qualis. *Quatuor legitimo pastori necessaria.*

Epist. 1. cap. 4. & 5. Act. 20.

enumerata, ad integritatem & ad bene esse, non ad substantiam & ipsum esse Episcopi pertinent. Et erit sine illis, non quidem bonus Pastor, mercenarius tamen. Alioqui, nec omnia ibi enumerata semper necessaria sunt aut etiam conueniunt, [quis enim dicat necessarium esse vel etiam conuenire, vt semper Episcopus sit vnius vxoris vir, aut filios habeat?] nec cætera omnia vnquam, aut vix vnquam, in vno & eodem homine vniuersa concurrunt. Ergo ornamenta illa sunt boni Pastoris, non vel essentialia, vel necessaria cuiuis Pastori. Ad illud Sap. 1. *Spiritus sanctus effugiet fictum, & non habitabit in corpore subdito peccatis*, breuiter dicitur: non habitare Deum in peccatore secundum gratiam gratum facientem, ad suam vtilitatem; bene tamen secundum *gratiam gratis datam, qua aliis* prodesse posset. Docet hoc D. Augustinus cõtra Parmenianum: idémque probat ex Apostoli verbis; quæ omnia suprà tractauimus, cap. 9. Ad illud *Nunquid ex spinis colligit quis vuas?* Respondet eleganter Augustinus. *Non est vua spinarum mali Pastoris vox, sed increscens sarmentum implicat se in sepem, & pendet vua inter densa spinarum. Cautè mitte manum, ne lacereris à spinis; id est, ne imiteris facta malorum hærentium in vite, quæ est Ecclesia per orbem diffusa.* Hæc ille. Idem quoque alibi repetit. Ergo sana doctrina licet non colligatur de spinis, id est, non deriuetur à malis, quia ex radice spinarum non surgit; id est, non vt mali, sed vt Pastores à Deo constituti, nec sua sed quæ Dei sunt loquuntur & docent; tamen bene colligitur vua inter spinas, & per ministerium malorum efficaciter ad nos peruenit sana doctrina: sicut lux per immunda loca transiens, nihilominus purè illuminat, & *aqua æquè per lapideos canales transit ad areolas, ac per aureos*; vt docet Augustinus: denique sicut *annulus ceræ impressus, siue aureus siue ferreus, nullo discrimine imaginem exprimit*; vt scribit Gregorius Nazanzenus. D E

Quo sensu Spiritus S. non habitat in peccatore.

Lib. 2. cap. 11.

1. Cor. 9.

Matth. 7.

Lib. de pasto. cap. 10.

Malo pastoris vox nõ est vua spinarum.

Tract. 49. in Ioan.

Tract. 5. in Ioan.

Io orat. de Baptismo.

Ad patrum sententias vt ordine respondeatur, primùm in Cypriani verbis multum pro aduersariis dici videtur. Nam plurima adfert, vt probet licere, imò oportere plebem, à nefariis sacerdotibus sese separare: sicuti inspecta eius verba, copiosè docebunt. Sed illa omnia dixit, non de quibusuis sacerdotibus aut episcopis, sed de huiusmodi qui iam propter scelera accusati, conuicti, & depositi sunt. Agit enim de Basilide & Marciano duobus hispanis episcopis, quos dicit *libellis idololatriæ commaculatos, & nefãdorum facinorum conscientia vinctos fuisse*. Narrat de Basilide, quòd *post crimina eius detecta, & conscientiam propria confessione nudatã, episcopatum sponte deposuerit*. Nititur quoque decreto Cornelij Rom. Pontificis, *qui* (ait Cypr.) *decreuit huiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri, atque sacerdotali honore prohiberi*. Hæc ille, paulò post medium epistolæ. A malis ergo præpositis non quibusuis, sed decreto iam episcoporum depositis, recedendum esse Cyprianus docet. Nam etsi malum prępositum à plebe subdita audiendum docemus, tamẽ propter malos mores, à suo superiori & deponendum; & iam depositum, non amplius audiendum dicimus. Hoc aduertere in Cypriano Musculus & Caluinus noluerunt, qui incredibili confidentia hæc Cypriani verba vrgent. Aduertere præterea noluerunt, quòd tempore Cypriani multi scelerati & improbi in Africa episcopi essent, *auari, raptores, vsurarij, negotiatores*, sicuti in sermone quinto de lapsis copiosè describit. *Inuidi quoque & contentiosi*, vt in tractatu de zelo & liuore ostẽdit, repetitque Augustinus. Cum quibus tamen omnibus ipsemet Cyprianus [vt ex iisdem locis apparet, & notat sępissimè August. in libris de Bapt. contra Donatist.] *in vnitate & pace catholica viuebat*. Denique aduertere noluerunt, procliuem semper fuisse Cyprianum ad illam postea Donatistarum hæresim, malorum ministerio nihil agi in Ecclesia. Nam illis argumentis Baptismum ab hæreticis datum reprobauit, quibus reprobari posset etiam à quibuscunque sceleratis vel nefariis personis datus baptismus: vt copiosè disputat in prædictis libris Augustinus, maximè lib. 5. & 6. Irenæi, Bernardi, & Hieronymi verba (quæ tamen Gratiani sunt non Hieronymi) non alium sensum habent, quàm quòd sibi ipsis inutiles sunt, & indigni locis sanctorum quantum ad se, qui sanctos non imitantur, aliis tamen vtiles. Rursum in fide & doctrina vtiles, licet quod ad mores attinet, scandalo. Scandalo, inquam, quantum ad ipsos. Nam quantum ad nos, ne sic fieret, præmonuit Saluator. *Quæ faciunt, nolite facere*. Iterum aliud est, succedere sanctis, aliud filios esse sanctorum. *Habet ouile Domini præpositos* [ait Augustinus] *& filios & Mercenarios. Præpositi qui filij sunt, Pastores sunt: cæteri Mercenarij*. Sic distinxisse Apostolum dicit Augustinus inter filios & Mercenarios, cùm diceret, *alios ex charitate, alios ex occasione Christum prædicare*. Sunt ergo Mercenarij, non filij sanctorum, non filij Abrahæ, sed serui tamen, operarij, & Mercenarij, quos summus ille *Paterfamilias conduxit in vineam*. Denique etiam filij & semen Apostolorum sunt, quo ad officium: de quo Esaias dixit. *Non recedent verba mea de ore seminis tui*. Quantum autem ad vitam & mores *ex Patre diabolo sunt* (vt Iudæis F

Ad patrum sententias respondetur.

Lib. 1. epist. 4.

Lib. 1. epist. 4.

Quæ in Cypriani verbis aduertenda.

Lib. 4. cap 10.

De Baptism. cõt. Donatist. Lib. 5. ca. 10. & lib. 4. cap. 11.

Aliis patribus quo modo respondendum.

Tract. 46. in Ioan.

Philip. 1.

Matth. 20.

Cap. 59.

dixit

A dixit Christus) *quia desideria diaboli faciebant*: quos tamen natura & dignitate filios Abrahæ es- *mali quoad of-*
se confessus est. *Scio*, inquit, *quia filij Abrahæ estis*. Sic Daniel fornicariis illis sacerdotibus pro- *ficium sunt filij*
pter vitæ turpitudinem, *Semen*, inquit, *Chanaan & non Iuda*; officio tamen sacerdotes & Iudi- *sanctorum.* Ioan 8.
ces populi erant. Postremò, vt de Baptismo distinguit August. *Aliud est non habere aliquid*, cap. 13.
aliud non iure habere, vel illicitè vsurpare: Et iterum; *Aliud est Baptismum tenere, aliud iustè & le-* Lib 3. ca. 10 &
gitimè tenere (nam iustè tenet, qui iustè vtitur ad salutem suam:) sic de potestate docendi, aut alio lib. 5. cap. 7. de
quouis Dei dono gratis dato distinguendum est; aliud esse ea iustè & legitimè tenere, seu pos- Baptismo
sidere; hoc est, tùm ad suam, tùm ad aliorum salutem; aliud omnino tenere. Illud filiorum, & cont. Donat.
propriè dictorum, siue Christianorum, siue Pastorum est. Hoc Mercenariorum & seruorum *Aliud tenere,*
est. Tenent tamen vtrique, siue hi potestatem, siue illi fidem: aut alia quæuis dona gratis data. *aliud legitimè tenere.*

Argumenta secundi generis enumerantur, quæ contra electionem Episcoporum & Sacerdotum in Romana Ecclesia sine plebis consensu factam, proferre solent Protestantes.

CAPVT XII.

ALTERAM nunc partem aduersariæ litis, contra Episcoporum & Pasto-
rum Authoritatem expendamus. Ea circa electionis formam, quæ in Ec-
B clesia Romana fit, versatur. Disputat enim prolixè Musculus ex Apostolo-
rum exemplis, ex electione D. Mathiæ in Apostolatum, in medio fratrum Act. 1.
habita, ex Diaconorum electione per multitudinem discipulorum, non Actor. 6.
per ipsos Apostolos facta, ex χειροτονίᾳ quam eleuationem manuum totius Act. 14.
populi interpretatur. Item ex verbis Cypriani, qui affirmat, *ex diuina autho-* Lib. 1. epist. 4.
ritate descendere, vt sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus pu-
blico iudicio ac testimonio comprobetur. Imò affirmat, *maximè ipsam plebem Potestatem habere, vel*
eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Item ex Leonis Papæ verbis, qui *eum eligi in* Epist. 87.
Episcopum vult, qui à clericis electus, à plebe expetitus fuerit. Item *expectanda esse* ait *vota ciuium*, Epist. 90. ca. 1.
testimonia populorum, honoratorum arbitrium. Ex verbis quoque decretorum quorundam Dist. 23. c.
Rom. Pontificum, vbi eadem de totius plebis electione dicuntur. Quæ omnia Caluinus re- Qui episco-
petit, & addit præterea ex formula electionis, quam in suo successore obseruauit Augustinus, pus: & dist. 63.
vt videre est apud eum. Vbi Augustino Eradium sibi futurum successorem nominante ac ca. Sacrorum canonum.
commendante, *acclamauit populus, & consensit ad hoc vocatus*. Item de Petro Athanasij succes- Epist. 110.
sore apud Theodoretum, qui totius magistratus & populi consensu electus est. Ex his ergo Lib. 4. cap. 18.
omnibus Apostolorum, & veteris Ecclesiæ exemplis, concludit Caluinus, *nullam hodie, neque* Insti. li. 4. c. 4. parag. 11. & seq.
diuinâ neque Ecclesiastico iure Canonicam electionem, in toto Papatu superesse. Nam in eligendo totū Lib. 4. cap. 5.
illud ius populi sublatum, vota, assensus, subscriptiones populi, & Magistratus euanuisse; ad solos Ca- parag. 2.
nonicos integram potestatem translatam esse. Hæc ille. Magdeburgenses verò illa Cypriani verba *Magdeburgensium insigne dolus malus.*
C suprà citata tantopere extulerunt, *vt inter Canones Apostolorum retulerint*. Caluinus quoque sic *Centuria 1.*
illa vrget, vt diuersum hodie eligendi morem, *cum verbo Dei pugnare*, authore Cypriano affir- Lib. 1. epist 12.
mare non dubitet. Ita nunc, cùm pro eis facere videntur, Patres & Canones crepant. Imò & in opere de
vnius Patris verba, [cuius alibi doctrinam de sanctificatione per Sacri Chrismatis vsum com- card. Christi operib⁹, serm.
parata, *blasphemiam* vocare non erubescunt] nunc quum ipsorum causæ fauere videntur, & de vnctione
Verbum Dei, & Canonem Apostolicum esse pronunciant. Hoc sanè scribendi & disputandi ge- Chrismatis.
nus Rhetorum leuitati, & versipellibus hæreticis, *in nequitia & astutia circumuentionem erroris* Ephes. 4.
operantibus, prorsus conueniens & consentaneum est: sed à boni viri, multo magis ab Ecclesia-
stici tractatoris officio, longè est alienissimum.

Eadem refutantur, & qualis illa popularis electio olim fuerit, ostenditur.

CAPVT XIII.

Electio popularis qualis olim fuit.

SED nunc ad hæc omnia qualicunque fraude tractata, solidè & efficaciter re- D
spondebitur, si quæ & qualis illa olim popularis fuerit electio, quam tantopere
isti nouatores vel potius nugatores vrgent, bene prius intelligatur. Nihil fuit
aliud populorum, ciuium, aut laici magistratus, in eligendo olim vel Episcopo,
vel Sacerdote votum, suffragium, aut electio; quàm consensus animorum, te-
stimonium bonum, & petitionis cuiusdam forma. Dicitur Act. 6. de tota multitudine *elege-*
runt Stephanum, &c. Sed qualis illa electio esset, verba præcedentia ostendunt. *Dixerunt enim*
Act. 6. *duodecim multitudini. Considerate viros ex vobis boni testimonij septem, quos constituamus super hoc*
opus. Hoc autem cùm fecissent, dicuntur elegisse; id est, quos bonum testimonium habere
considerassent, præsentasse; & vt textus habet, *statuisse ante conspectum Apostolorum*. Eligere er-
go hoc loco nihil aliud fuit, quàm ordinandis ab Apostolis, testimonium bonum præbere.
Quòd si vero tale testimonium præbere, authoritatem aliquam notat, & suffragij vim habet,
vt aduersarij volunt; certè pari ratione & Ethnici eligendi, atque suffragium ferendi Potesta-
tem habuerunt. Dicit enim Apostolus, *Oportere Episcopum bonum testimonium habere ab his*
2. ad Tim. 3. *qui foris sunt*; id est, ab Ethnicis. An verò quia horum testimonium desideratur, etiam & autho-
ritas intercedere debet? Sed verba (inquies) & exempla citata præter hoc testimonium, etiam
Li. 1. epist. 3. & 4. suffragium & iudicium populo tribuunt. Cyprianus *populi suffragium* vocat, & vult *publico iu-*
dicio ordinandum comprobari. Leo etiam flagitat *honoratorum arbitrium, & vota ciuium*. Ve-
Epist. 87. rum sanè hoc; sed hoc totum nihil aliud quàm testimonium & consensum popularem signi-
Suffragium & iudicium populi quale erat. ficat; quod ex causis huius popularis electionis elucescet. Nam Cyprianus ipse, quãuis in lib. 1. E
epist. 4. scribat hoc *de diuina authoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente deligatur, imò maxi-*
Prima causa popularis testimonij. *mè ipsam plebem potestatem habere vel eligendi dignos Sacerdotes, vt indignos recusandi*; quæ verba
multum pro aduersariis sonare videntur; tamen, ne ex sensu aduersariorum ea dixisse videre-
tur, in eadem epistola paulo pòst, totius huius rei rationes afferens: *Coram omni*, inquit, *sy-*
Lib. 1. epist. 4. *nagoga iubet Deus constitui sacerdotem: id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi*
sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel
bonorum merita prædicentur. Hæc ille. Causa ergo quare populi suffragium, id est, consensus ad-
hibetur, est testimonium ordinando præbendum; vt si flagitiosus sit, populo reclamante re-
pudietur; si irrepræhensibilis, eodem acclamante ordinetur: sicuti in successore Augustini fa-
Epist. 110. ctum est. Satis enim verisimile est, quòd si alicuius criminis nomine repræhensibilis sit ordi-
nandus, hoc in tota multitudine populari facile alicunde resciri posse. Nam & hanc ob cau-
sam conuocatam fuisse plebem idem Cyprianus eodem in loco ostendit. *Episcopus*, inquit,
deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vnius cuiusque actum de eius
conuersatione perspexit. Hæc ille. Sic & Concil. Carthag. Patres, vt in lib. Pontificali citatur, *non*
Concil. Carthag. *frustra*, inquiunt, *à patribus institutum est, vt de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi*
sunt, consulatur & populus: quia de vita & moribus præsentandi quod nonnunquam ignoratur à
pluribus, scitur à paucis. Hæc ille. Eadem causa affertur à Leone in epistol. 87. à Caluino citata.
Nam post verba ab ipso citata, subiungit. *Hæc in Sacerdotum solẽt ordinationibus custodiri, vt &*
Apostolicæ Authoritatis norma seruaretur, qua præcipitur, vt sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solũ F
attestatione fideliũ, sed etiam eorum qui foris sunt, testimonio muniatur; neque vllius scandali relinqua-
tur occasio. Hæc ille. Summa ergo est populi præsentiam desiderari, vt testimonium præbeat
Secunda causa testimonij popularis. ordinando. Testimonium autem ideo præbere, quia singulorum vitam plenissimè nouit. Alia
causa fuit propter maiorem pacem & concordiam, iuxta illud ex Leone, vulgò ab aduersariis
iactatum, *qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur*. Causam enim ibidẽ adiecit. *Per pacem*
& quietem Sacerdotes qui præfuturi sunt, postulentur. Et paulò ante in eadem Epist. *Propter pa-*
cem & Deo placitam concordiam, consonis omnium studiis, qui doctor pacis futurus est, ordinator.
Has ob causas electio siue consensus, & acclamatio popularis adhibita olim fuit. Quòd si ve-
rò, vel de ordinandi bona vita aliunde constare satis potest, vel absque populi votis & accla-
mationibus Ecclesiæ pax seruari, & ordinandi authoritas salua consistere, quis non videt po-
Non est hodie sublatus assensus publicus. pularem hunc consensum minimè necessarium esse; iuxta id quod dici solet, sublata causa
tolli effectum? Quanquam sanè hic assensus, hoc testimonium publicum, non est hodie subla-
tum, nec vnquam in Ecclesia Catholica sublatum fuit; vt aduersarij inuidiosissimè clamitant.
Nam in collationibus omnium sacrorum ordinum, petitur diserns verbis astantium testimo-
nium; idque eadem prorsus verborum forma, quam in Concilio Carthaginensi legimus, & de
qua Cyprianus, ac Leo loquuti sunt. Nam in Diaconi ordinatione (vt videre est in Põtificali
Romano, & omnes norunt qui his Sacris Ordinibus initiati sunt) postulante Archidiacono
nomine

A nomine Ecclesiæ, vt Episcopus præsentes subdiaconos, in Diaconos assumat; interrogat Episcopus. *Scis illos dignos esse?* Respondet Archidiaconus. *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor.* Subiungit Episcopus. *Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat. Veruntamen memor sit conditionis humanæ.* Idem quoque, sed verbis paulo pluribus, in Præsbyteri ordinatione repetitur. Iubentur ergo hic astantes apertè dicere, si quid habeant contra ordinandum; idque in publica Ecclesia certis & statis ordinationum temporibus: vt nemini ignorare liceat, vel locum, vel tempus ordinandi. Si nemo contradicat, habetur meritò pro consensu & testimonio.

Sed grauis ille Protestantum hodie error, aut potius fraus est, existimantium, aut certè imperitis persuadere volentium, in contemptum totius successionis sacerdotalis; in Ecclesia Romana hunc populi consensum & testimonium, habuisse olim suffragij vim, eligendi ius, & ex sua authoritate nominandi potestatem: vt propterea factos ordines sine populi suffragiis proptiis collatos, irritos esse existiment: qui error anathemate percutitur in Concil. Trident. idque optima ratione. Nō enim (vt cauillatur Chemnitius) antiquam illam & Apostolicam formam, vbi popularis electio sensu quo dictum est intercessit, damnat Concilium, nec eos anathemati subijcit, qui populi consensum nunc expeterent, sed qui hoc tanquam creationi Episcopali aut Sacerdotali prorsus necessarium expeterent, quasi sine tali consensu prorsus irrita esset Ordinatio, vt etiam clarè verba Canonis loquuntur. Nam electionem per suffragia, quæ vim haberent & ius nominandi, penes solos clericos fuisse, antiquissimi canones testantur, & perpetua praxis ostendit. Nam apertè in Concilio Laodiceni, tempore D. Hieronymi statutum erat; *Non esse populo concedendum, electionem facere eorum qui ad sacerdotium essent prouehendi.* Quod non ideo vetitum est, quia tumultuosè facere hoc populus solebat, sicuti Caluinus rem exponit; sed reuera quia non potuit populus id facere, nec ad illos hoc pertinebat. Quem eius Concilij sensum esse, Martinus Braccharensis Episcopus in capitulis Græcarum Synodorum ab ipso collectis, apertè ostendit. Hunc enim Concilij Laodicensis Canonem repetit his verbis. *Non licet populo facere electionem eorum qui ad sacerdotium promouentur, sed in iudicio Episcoporum est, vt eum qui ordinandus est, probent; si in sermone, & fide, & vita spirituali edoctus sit.* Episcopalis probationis & examinis formā & exemplum habes in Concil. Cartag. 4. Idem etiam adhuc magis clarè docet Canon Apostolorum, quo cauetur, vt *si quis Episcopus delectus, aut præsbyter, aut Diaconus, non fuerit à populo illius loci admissus, idque non sua culpa sed populi vitio, ipse quidem maneat Episcopus, &c. Clerici verò illius ciuitatis excommunicentur, qui non fuerunt correctores populi inobedientis.* Idem repetitur in Concil. Antiocheno 2. vbi etiam reluctante plebe ordinatus Episcopus, honorem Episcopalem retinere iubetur. Propterea hac de causa Leo Epistola iam citata satis clarè rem distinguit. Nam populo, ciuibus, & honoratis; *vota, testimonium, arbitrium*, tribuit; sed clericis *electionem & subscriptionem.* Et Epist. 90. Episcopos dicit, *à clericis eligendos, à plebe expetendos.* Sic in Conc. Carthag. 3. can. 22. vocatur *Episcoporum examen populi testimonium.* Et rursum Carth. 4. Can. 22. *conniuentia & testimonium populi.* Et apertius Stephanus Papa in Epistol. decretali ad Raueunatum Episcopum. *Sacerdotum*, inquit, *est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est; quia docendus est populus, non sequēdus.* Quod accuratè & multis verbis in Synodo generali octaua definitur: videlicet, *in electione, & ordinatione ministrorum Ecclesiæ, nullam potestatem quenquam principum aut Laicorum cæterorum habere, sed anathema esse, quisquis aduersus canonicam electionem Ecclesiastici ordinis, aliquid agere tentauerit.* Vbi obserua canonicam vocari electionem, id est, iuxta canones factam, quæ ab Ordine Ecclesiastico, id est, à clericis fit. Talem quoque electionem Athanasius legitimam & canonicam agnoscit. *Oportuit*, inquit, *secundum Ecclesiasticos canones, prout Apostolus præcepit, congregatis populis vnà cum Spiritu sancto, qui Episcopum constituant, publicè & in præsentia clericorum Episcopum postulantium inquisitionem fieri, atque ita omnia canonicè peragi.* Hæc ille. Móxque clericorum consensum qui Episcopum postulare debebant, necessarium fuisse ostendit: populi verò voluntatem & conscientiam adhiberi solitam. Hæc canonica electio patet ex canone Apostolorum primo, & rursum canone 30. Vbi *deponitur Episcopus, qui principum & secularium potestatum fauore, episcopatum est consequutus.* Est quoque vetustissimus Nicenæ primæ Synodi Canon, *oportere ab Episcopis eiusdem prouinciæ Episcopum ordinari, aut si necessitas vrgeat à proxima prouinciæ Episcopis.* Qui Canon in Epistola Synodica Concilij Constantinop. 1. repetitur, vt videre est apud Theodoretum. Iuxta quem canonem in illo ipso Concilio Nectarius Constantinopolitanus, Flauianus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, multique alij illustrium Ecclesiarum

Protestātum error circa popularem electionem.

Sess. 23. can. 7.

Defenditur Conc. Trident. contra Chemnitij calumniam.

Can. 13.

B

Inst. li. 4. c. 4. parag. 12. *Caluinus euasio occluditur.*

cap. 1.

cap. 2.

Can. 36.

Inobedientia populi negligentiæ clericorum imputanda.

can. 18.

Epist. 87.

Stephanus papa.

Gener. Synodus 8.

C

Athanasius. in epistol. ad vbique orthodoxos.

Nicæna Synodus 1.

Histor. eccles. lib. 5. cap. 9.

Episcopi ordinati fuerunt, assentiente quidem Imperatore & tota illa ciuitate (nam aliarum D
ciuitatum plebes non aderant) sed authoritate & Potestate comprouincialium Episcoporum. Quem etiam morem fuisse vniuersæ Ecclesiæ, etiam ante Concilium Nicenum ex-
Lib. 1. epist. 4. Con. Carth. 2. cap. 12. pressè docet Cyprianus. Hinc etiam in Concil. Carthag. 2. contra illos Episcopos Canon scribitur, qui contempto Primatu prouinciæ suæ, ad desiderium populi, Episcopum ordinare vsurparunt. Sic in electione Mediolanensis Episcopi, Valentinianus Imperator etiam rogatus ab Episcopis suum suffragium interponere, recusat. *Maior*, inquit, *res est quàm quæ à me præstari queat*. Cætera vide apud Theodoretum. Ostendunt hæc omnia proprij generis
Lib. 4. cap. 6. hist. Eccl. electionem, id est, eam quæ cum potestate coniuncta est, & ius habet; non in plebe fideli, sed in clericis, maximè verò in Episcopis & Primatibus prouinciarum constitutam fuisse. Et propterea sublata tandem fuit illa popularis electio, siue acclamatio, non quia populus ius suum clericis cedebat, [vt fingit Caluinus] sed quia nullum reuera ius populus habebat diuinitus sibi datum, verum ex humana quadam politia ab ipsa Ecclesia illi concessum. Quòd enim multitudo fidelium Act. 6. elegit Diaconos 7. (quæ prima fuit popularis electio) Apostolica Authoritate factum est, ipsis Apostolis eos conuocantibus & eligendi potestatem illis
Quare popularis electio est tandē sublata. dantibus. Quamobrem, sicuti quòd à Deo institutum est, tolli & mutari non potest; ita quod propter rationem humanæ politiæ, ab Ecclesiæ magistris iure positiuo introductum est, nempe pacis & concordiæ, item boni testimonij causa, (vt iam ostensum est) illud mutari posse &
Lib. 1. cap. 6. de libero arbitrio. interdum debere, præclarè docet Aug. *Sicut enim*, inquit, *modestum & grauem populum potestatem habere creandi sibi magistratus, est iustissimum; at verò si mutentur mores, & indisciplinatus populus fiat, iustissimè hæc illi aufertur potestas*: sic omnino in Ecclesia factum esse constat: scilicet sublatam esse tandem popularem electionem, propter tumultus populares euitandos, maximè crescente tandem in immensum credentium populorum multitudine. Nam & ex simili occasione quum ad Episcopatum non nisi Præsbyteri olim assumerentur, propter ipsorum Præsbyterorum vel vitam, & mores, vel rerum sacrarum cognitionem, à prima grauitate & perfectione plurimùm degenerantem, ab illo priuilegio cito ceciderunt. Sic enim scri-
In comment. ad cap. 4. ad Ephes. bit Ambrosius. *Quia cœperunt sequentes præsbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo*, Præsbyteralis, *sed meritum crearet Episcoporum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temerè vsurparet, & esset multu scandalum.* Hæc ille.

Lib. 1. cap. 6. Totius autem huius rei præclarum & luculentum documentum est. Iudicium Nicenæ Synodi 1. contra Meletium Alexandrinum Patriarcham schismaticum, & contra Præsbyteros ab ipso ordinatos latum. Nam vt refert Socrates in histor. Eccles. in Epistola ab ipsa Synodo ad Alexandrinam Ecclesiam scripta, *Meletius ipse ab omni potestate imponendi manus & ordinandi suspenditur, nomine tantum & titulo Episcopalis honoris causa ei relicto. Præsbyteri ab ipso ordinati, sic ad communionem recipiuntur, vt teneant quidem gradum, & locum præsbyterorum, auferatur tamen illis potestas ministrorum Ecclesiæ designandi, & nominandi*, τῷ προχειρίζεσθαι, ἢ ὑποβάλλειν ὀνόματα quod est *per suffragia & voces eligere*; cæteris autem Præsbyteris à schismate immunibus, relinquitur potestas illa vtraque; *& designandi, & suffragia ferēdi*. Denique F
populo conceditur αἱρεῖν *eligere, si tamen*, ait Synodus, *Episcopus Alexandriæ ei suffragetur, atque adeo populi electionem confirmet*. Ex qua tota antiquissimæ Synodi sententia videmus, Episcoporum fuisse ordinare, & electionem factam confirmare; Presbyterorum fuisse designare & suffragia ferre, populi fuisse eligere, hoc est, expetere & consentire Præsbyterorum seu clericorum iudicio. Hoc totum est quod populus olim fecit; cùm quidem faceret, quicquid ei vnquam facere concessum fuit.

Qualis fuerit olim χειροτονία *in ordinatione Sacerdotum & Episcoporum.*

CAPVT XIIII.

A IAM verò postremò loco, quia in verbo χειροτονίας, magnos verborum fumos excitant, & simplicioribus imponunt Protestantes, de ea re breuiter aliquid monebimus. Aiunt χειροτονίας, illam de qua act. 14. legimus Paulum & Barnabam *constituisse per singulas Ecclesias Præsbyteros*, fuisse eleuationem manuum ipsius populi, quum suffragia darent. Sed fœdus & grauis hic error est. Nam si Act. 14. illa vox χειροτονήσαντες popularē manuum eleuationem significat, certè Paulus & Barnabas de populo erant: Nam de illis solis dicitur illud χειροτονήσαντες, hoc est, quòd constituerint præsbyteros. Eodem verbo vtitur Paulus, loquens de Barnaba quòd *ordinatus est ab ecclesiis*, χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, *comes peregrinationis suæ*. Hoc enim factum est Act. 13. quum *imponerent eis manus, & ad opus Domini segregarentur*. Ab eo enim tempore, per multas terras & ciuitates pariter eos prædicasse euangelium, Acta Apostolica demōstrant. cap. 13. 14. & 15. Sic Chrysostomus, sic Theodoretus, aliíque Græci interpretes, hunc locum de Barnaba Act. 13. ordinato intelligunt. Cæterum quicquid illa vox apud prophanos scriptores significauerit, omnino in vsu ecclesiastico vox illa propriè significat manuum impositionem, nō eleuationem; & χειροτονεῖν constituere, ordinare, consecrare, non eligere aut nominare. Notauit enim erudite Zonaras interpres Canonum Apostolicorum, olim quidem vocem χειροτονεῖν hanc significationem habuisse, *nunc autem* [inquit] χειροτονία *vocatur, dum quis sacerdotio initiatur, absolutio precum sanctique spiritus inuocatio*. Hæc ille, in scholiis super canonem primum Apostolorum. Qui etiam canon hoc in sensu hoc verbo vtitur: ἐπίσκοπος χειροτονείσθω, *manus imponantur episcopo per duos aut tres Episcopos*; hoc est, ordinetur siue constituatur episcopus per duos aut tres: quod Paulum & Barnabam fecisse locus ille Act. 14. refert. Sic apud Socratem legimus, post mortem Alexandri Constantinopolitani episcopi maximam contentionem fuisse περὶ χειροτονίας ἐπισκόπου, de ordinando episcopo. Et paulo post, χειροτονεῖται παῦλος. Ordinatur Paulus, quem vocat τὸν ὑπ' Ἀλεξάνδρου χειροτονηθέντα πρεσβύτερον. Præsbyterum ab ipso Alexādro ordinatū. Hinc etiam D. Hieronymus: χειροτονία (inquit) id est, *ordinatio clericorum, non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manus impletur*. Hæc ille. Sic & Theodoretus *à pontificibus ordinari*, χειροτονίας δέχεσθαι nuncupat. Sic apud Socratem, ordinati à Meletio schismatico, præsbyterorum honore carere iubentur, donec μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθῶσι, *sanctiore ordinatione confirmentur*. Sic in concilio Laodiceno canon. 5. prohibentur χειροτονίας, id est, *ordinationes in præsentia audientium fieri*: nempe catechumenorum. Passim denique apud Græcos theologos in hoc sensu vox illa vsurpatur. Apud Basilium in moralibus, docens eum qui Ecclesiæ præest, ὅτι δεῖ περὶ τὰς χειροτονίας εὐχερῆ εἶναι, *facilem esse non debere ad ordinandum*. Item apud Chrysostomum. οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. *Non enim præsbyteri episcopum ordinabant*. Et iterum alibi. τοῦ μέλλοντος ἡμᾶς χειροτονήσειν ἐλθόντος χρόνου: Tempore ipso quo is qui nos ordinare debuit, iam aduenerat: &c. Causam verò quare χειροτονεῖν apud ecclesiasticos scriptores, non pro eleuatione, sed pro impositione manuum vsurpatum fuit, primum ab Apostolis, deinde ab aliis Theologis, coniicere licet; quia vox illa ad χειροθεσίας quàm proximè accedit, quæ sacrum illum ritum impositionis manuum significat, tum in veteri testamento, tum in nouo. Quanquam tamen etiam apud prophanos scriptores, ipsum χειροτονεῖν non solum manus eleuare, quod populi erat; sed etiam probare, constituere, iubere, quod ad principem pertinebat, interdum significat. Vt est apud Demosthenem, illam legem promulgari siue præualere quā χειροτονήσουσιν οἱ νομοθέται, id est Legislatores iubebunt aut confirmabunt: Atque hæc de voce χειροτονίας propter varias hæreticorum hodie hac in re fraudes & iactantiam, & si pauciora, quæ tamen sufficere posse videntur. Plura suggerent alij, qui de huius vocis vsu plura apud veteres Ecclesiasticos scriptores animaduertere potuerunt.

[Margin notes: 2. Cor. 8. — Zonaras. — B — Lib. 2. cap. 4. — Hieronymus in cōment. in cap. 58. Isaiæ. — Quest. 48. in numeros. — Lib. 1. cap. 6. — Regula 70. cap. 2. — Hom. 12. in 1. ad Timot. — *Causa quare χειροτονία pro impositione manuum accipiatur.* — Lib. 1. de Sacerdotio. c. 3. — Act. 4 — C — Num. 27. Act. 6 & 1. Timo. 4. & 5. & 2. ad Timot. 1. — In orat. cont. Timocratē.]

Cauillatio seu exceptio tertij generis longè teterrima, qua nostræ ætatis Apostolos se esse vel Euāgelistas extra ordinem missos Protestantes prædicant, ideóque Episcoporum & Pastorum successionem atque authoritatem minimè esse amplius necessariam venditant, declaratur.

CAPVT XV.

ERTIVM & Postremum cauillationis genus, quo contra hanc Successionem sacerdotalem horum temporum hæretici vtuntur, in eo versari diximus, quòd statum quęstionis mutant & principium petunt. Id quale sit, nunc ostendemus. Vrgent Catholici legitimam potestatem docendi, non nisi penes eos esse, qui ad hoc mundus vocati, missi, & ordinati sunt ab Episcopis, per manuũ impositionẽ seu sacri ordinis collationem: cæteros enim omnes *latrones esse & aliunde ascendere, non intrare per ostium*, vt iam antea copiosè ostensum est. Huic demonstrationi vt occurrant & satisfaciant, multa tentarunt hodie Protestãtes. Ac primum quidem vocationem seu missionem agnouerunt quidam, ita tamen vt pauci adhuc quum essent, ordinariã negligerent, satísque esse dicerent extraordinariam, quæ à solo Deo fit, qualis olim Eliæ, Elizei, aliorúmque prophetarũ vocatio fuit. Nam sic ad ministeriũ verbi vocatum se fuisse Theodorus Beza respõdit in Cõuentu Poyssiaco in Gallia an. 1562. Atque ad eius exemplũ postmodũ Galliæ ministri. Postea verò quum iam in multitudinem aliquã creuissent, ciuitatésque & gentes occupassent, placuit illis vocatio ordinaria, & quæ per homines in Ecclesia fit. At verò ne ad sacerdotalem successionẽ & ordinationem quæ in sola Catholica fit, hac ratione astringerentur, multa iterum & varia tentarunt. Primum ergo Sacramentum Ordinis hac de causa abolere placuit: solo Melanchthone cum paucis suis sectatoribus ad ornandã Ministerij dignitatem, etiam Sacramenti titulum & vim Ordini tribuente, vt in locis cõmunibus an. 37. & 50. cõstanter docuit. Illo enim sublato, vim illã totam Ordinationis seu Consecrationis, aut penitus euanescere oportere, aut minus virium habituram esse sperabant. Cæterum siue Ordinatio illa ministrorum in Ecclesia fieri solita, sacramentum sit (quod molliores Lutherani non abnuunt, vt iam in Melanchthone diximus) siue non, tamen [quod ad rem præsentẽ satis est] Ordinem ipsum Ecclesię huiusmodi esse, vt non nisi ab hominibus designati & constituti docẽdi munus exercere possent, ipsi aduersarij nobiscum agnoscunt. *Ne homines inquieti ac turbulenti* (ait Caluinus) *temere se ad docendũ vel regendum ingererent, (quod aliàs futurũ erat) nominatim cautũ est, ne quis sine vocatione publica, in Ecclesia munus sibi sumat.* Hęc ille. Et paulò pòst, postquã de Apostolorũ extraordinaria vocatione disseruisset, quæ fuit (ait) *à communi reliquorũ vocatione dissimilis*, de ordinaria vocatione subiungit. *Vt ab hominibus designentur episcopi, omnino ex ordine legitimæ vocationis esse, nemo sobrius inficiabitur, quando in hanc rem extant tot Scripturæ testimonia.* Hæc ille. Sed & ritũ Apostolicum esse, vt non sine impositione manuum crearẽtur, plærique omnes fatentur. Imo morem illum ordinandi, præcepti vim obtinere agnoscit Caluinus, his verbis. *Licet nullum extet præceptum de manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo vsu *Apostolis videmus, illa tam accurata eorum obseruatio, præcepti vice nobis esse debet.* Hæc ille. Rursum hanc Impositionẽ manuum non à quibusuis factã, sed à solis episcopis agnoscit & fatetur ibidem Caluinus, *Hoc*, inquit, *postremò habendum est, non vniuersam multitudinem manus imposuisse suis ministris, sed solos pastores.* Nam & illud Apostolorum † exempla vbique loquuntur. Et sane iuxta hanc Caluini doctrinã, in Conuẽticulo quodã Caluinistarũ in suburbiis Lutetiæ habito an. 1559. decretũ est inter articulos 42. ibidem cõscriptos, vt non sine impositione manuũ aliorum Ministrorũ noui ministri ordinarẽtur. Idcóque Caluinus ipse respondens Cantori Lugdunensi an. 1561. paulo ante mortem fatetur se merè laicum fuisse. Constat etiam in Comitiis Imperialibus seriò actum fuisse per principes Protestantes, vt ipsorum Ministris manus imponerentur ab Episcopis Misnensi & Numburgensi: Sed propter doctrinæ & religionis diuersitatem concedi hoc nunquam potuisse. Ergo quum fateantur nobiscum aduersarij, saltem Caluinistæ & Lutherani molliores, pastorum & doctorum in Ecclesia ordinariam esse debere vocationem, & eam quæ ab hominibus fit institutionem, idque ritu illo solemni Impositionis manuũ; quæ etiam non à quibusuis, sed ab ipsis pastoribus & episcopis fieri, idque ex præcepto, debeat; iam quæritur, quare Episcoporum & sacerdotum in Romana Ecclesia sic Ordinatorum voces non audiunt; aut quomodo Lutherus, Zuinglius, Caluinus & alij, suum in Ecclesia Dei ministerium & docendi Potestatem quam sibi vsurparunt, probent; quum non fuerint ab aliquo Episcopo ad hoc munus per Impositionem manuum ordinati; ideóque non legitimè vocati aut missi, sed plane quemadmodum schismaticos verè definit Cyprianus, *sine diuina dispositione sese vltrò apud temerarios conuenas seu sodales præfecerunt, se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerunt; & nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumpserunt.* Huic quæstioni vt responderent, statum quæstionis mutant, & principium petunt. Aiunt enim non superesse aliquã Ecclesiam, vnde ordinationem petant; ideóque relicta ordinariæ Successionis causa, de Ecclesia iterum controuertunt. Sic Brentius in Prolegomenis contra Petrum à Soto. *In hac*, inquit, *successionu*

D

E

F

Protestantiũ conatus contra legitimæ Successionis argumentum.

Instit. lib 4. ca. 3. para. 10.

Ibidẽ par. 14.

Caluinus impositionẽ manuum episcopalem ponit ex precepto.

Ibidẽ. par. 16.

* Act. 6. & 14. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1.

Decretũ Caluinistarũ de eadẽ.

Protestantes Alemannici eandem desiderant.

In li. de vnit. Eccle. siue de Simplicitate prælatorum.

Protestantiũ vocatio à Cypriano descripta

A *successionis controuersia non id iam quæritur, num sine legitima & ordinaria vocatione liceat alicui inuadere in ministeria Ecclesiæ; sed hoc quæritur, num Rom. Ecclesiæ episcopi quum sint hostes doctrinæ Apostolicæ, sint illa vera Ecclesia, à qua ministri ordinationem petere debeant.* Hæc ille. Hic ergo mutatur quæstionis status à successione ad Ecclesiam, & petitur quoque principium. Nã supponit Romanam Ecclesiam esse hostes veræ doctrinæ, quod totum in Cõtrouersia hodie est. Sed bene habet, quòd iam copiosè ostensum est, Romanam Ecclesiam cum cæteris ei adiunctis, esse solam & veram Dei Catholicam Ecclesiam; ideóque hostes veræ doctrinæ eam esse non posse. Hoc ergo iam ostenso, quo modo illi se pro ministris & magistris gerunt? Certè in hoc vnico fortissimè persistunt, Ecclesiam iam in toto orbe defecisse; Episcopos & pastores à quibus ordinarentur, nullos ampliùs extitisse; ideóq; fas illis fuisse, non expectata hac Ordinatione, quæ per impositionem manuum præsbyterij fit, tanquam à Deo extra ordinem vocatos, officio ac potestate docendi fungi.

Sed hoc factum tam audax, tam temerarium, tam insolens, tam periculosum, quo tandem putamus exemplo, aut quibus argumentis defendunt? Primùm quidem declinant sæpe omnem responsionem, quum ad punctum successionis venitur. Exempla hic aliquot subiiciam. Caluinus de hac successione ordinaria sibimet obiicit his verbis: *Præsbyteros creandi ius sibi solis competere dicunt*, moxque respondet: *Sed in hoc pessimè corrumpunt vetus institutum, quòd non præsbyteros sua ordinatione creant, qui populum pascant, sed sacerdotes qui sacrificẽt.* Quo dicto prolixè digreditur, & contra sacrificium, contra titulos beneficiorum, contra negligentiam ordinariorum in examine ordinandorum inuehitur. Sed ad punctum de iure creandi & ordinandi solis episcopis proprio, ne verbum quidem. Sic Melanchthon. *Scio*, inquit, *atrociter declamare pontificios, non fieri consecrationem ab ijs qui sunt ordinati ab episcopis.* Ad hoc nihil aliud respõdet, nisi *esse episcopos hostes veræ doctrinæ*. Moxque, *vt minus* (inquit) *angamur, quum obiiciuntur nobis scandala dissidiorum & schismatũ, in conspectu habeamus aliquot insignes errores aduersariorũ.* Hæc ille. Fugit ergo omnem responsionem ad hanc de successione quæstionem, & ad conscientiæ suæ carnificinam (qua se angi dissimulare non potuit) placandam, ad Dogmatum cõtrouersias se conuertit: ponens tanquam certum & indubitatum quod maximè controuertitur, & ordinem præterea disciplinæ inuertens. Nam quos ille insignes errores vocat, sunt dogmata Controuersia: & prętereà ex doctrina vult homo priuatus Episcopũ cognoscere, quum contrà ab ipsis Episcopis omnem veram doctrinam accipere tales debeant, non de Episcopi doctrina iudicare: De qua re & suprà aliquid diximus, & aliàs dicemus plura. Præterea ad punctum ordinationis non respondet, sed aliunde querelam & litem instituit. Docuit autem Philosophus, & docet ratio: *contrà opponere, non esse respondere*. Sic & Brentius tergiuersatur. De successione enim ordinaria, & ordinatione legitima interrogatus, aliò rem vertit & ait. *Quid si Romanus Pontifex fiat Caiphas? An non sine eius Authoritate licebit officium pastoris facere?* Vides his exemplis quemadmodum quum ad punctum successionis venitur, declinant responsionẽ & aliò se conuertunt isti Archiprotestantes ipsi.

Declinant protestantes responsionẽ ad punctũ Successionis.
Instit. lib. 4. ca. 5. par. 4.
B
In respons. ad art. 18. inquisit. Bauaricæ.
Ad art. 19.
Vide supra c. 4. & infra li. 10. cap. 6.
In Prolegomenis.

Quid ergo? Nunquam huic puncto respondent? Respondent quidem tandem aliquando: sed ita, vt incredibili audacia Christi & Apostolorum priuilegium, & prærogatiuam singularem sibi vendicent. Nã Brentius huic quæstioni de successione & ordinatione legitima) qua illi euidenter carent) tandem responsurus; *Hoc*, inquit, *à nobis quæritur, num Apostoli non prius debuerint Hierosolymis prædicare Euangelium, quàm ordinarentur ab Anna & Caipha, qui erat ordinarius successor Aaronis. Quid ergo si Roma. Pont. fiat Caiphas? An non sine authoritate & vnctione eius, licebit pio ac docto viro, in Ecclesia ad quam consensu magistratus & populi vocatus est, Euangelium annunciare & sacramenta administrare?* Hęc ille. Vult ergo hoc sibi licere, quod olim Apostolis licuit. Sed apertiùs adhuc alij hac de re scripserunt. Sic enim ait Musculus. *Propter temporum circumstantias, vt non potest in omnibus statim apostolica electionis & ordinationis forma restitui, ita non est cur Minister Christi à pio magistratu vel principe vocatus, de vocatione sua hæsitet & fluctuet. Sed cogitandum est, vbi corruptus est Ecclesiæ ac religionis status, alium quærendum esse modum rebus cõsulendi, quàm is qui vsitatus fuit in Ecclesiis, quum omnia essent salua & integra.* Hæc ille. Et iterũ apertiùs, voces Catholicorũ successionẽ hanc ordinariã vrgentiũ, voces esse vult Pharisæorũ cõtra Christũ, quibus eũ in tẽplo docentẽ interrogabãt, *Qua Potestate hæc facis, aut quis tibi hãc potestatẽ dedit? Quasi diceret* (ait Musculus) *tẽpli huius potestas, ac ius docẽdi penes nos est. Quæ facis, non facis potestate legitima. Nõ de ipso facto Christi quæstionẽ mouebant, quod culpare non poterant, sed de potestate calũniam struebant; dicentes, in qua potestate hæc facis? Cõsimili modo & isti quoniam nec manifestos errores & abusus authoritate verbi Dei tueri, nec doctrinã veritatis de mendacio redarguere possunt, confugiunt ad Potestatem & Authoritatem Episcopalẽ, perinde ac si hãc in-*

Responsio protestantium ad punctũ Successionis.
C
In Prolegomenis.
Protestantes Apostolis se pares constituunt.
In locis communibus cap. de ministris Ecclesiæ.

Musculus se Christi loco constituit. *Inst. lib. 4. cap. 2. par. 6.*

culpatam ac legitimam possideant. Hæc Musculus; existimans non magis nobis licere, episcopalis D
successionis & potestatis præscriptionem contra ipsos proferre, quàm Pharisæis contra Chri-
stum eam proferre licuit. Eisdem vestigiis insistit Caluinus, & quidem impudentiùs multò.
*Quòd nos, inquit, diris & anathematibus expulerunt, hoc vnum satis superque nos absoluit. Nisi fortè
Apostolos quoque schismatis dãnare velint, quibuscum similem causam habemus. Prædixit enim Chri-
stus Apostolis suis, fore vt à synagogis propter nomen suum eiicerentur. Illæ porro Synagogæ de quibus
loquitur, tunc habebantur legitimæ Ecclesiæ.* Hæc ille. Ergo non minus sibi licere vult, ab Eccle-

Protestantes suã vocationẽ apertè Apostolicam faciunt.

siæ Catholicæ Romanæ successione nunc decedere, quàm olim licuit Apostolis, Synagogæ
successionem & cathedram deserere. Postremò, eò tandem in hac sua comparatione progre-
diuntur, vt non vereãtur suam vocationem planè & apertè Apostolicam facere. Sic Caluinus
se quodam in loco apertè prodidit, tametsi ex verbis Brentij & Musculi iam citatis, facile tan-
1. tundem colligere possit, qui ea diligenter expendet. Postquam enim docuisset, *apostolorũ of-*
2. *ficium fuisse, vt orbem à defectione in veram Dei obedientiam reducerent; Euangelistas quoque offi-*
3. *cio illis proximos esse, adeóque vices eorum gerere; hos quoque non perpetuos in Ecclesia esse, sicut pa-*

Instit. lib. 4. cap. 3. par. 18.

*stores & doctores; sed ad id modo tempus institutos esse, quo erigendæ erant Ecclesiæ, vbi nullæ antea
fuerant*, subiungit. *Quanquam non nego, quin Apostolos postea quoque vel saltem eorum loco Euan-
gelistas, interdum excitarit Deus; vt nostro tempore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Anti-
christi defectione reducerent, opus fuit. Munus tamen ipsum extraordinarium appello, quia in Ecclesiis
rite constitutis locum non habet.* Hęc ille satis apertè. Alij verò Protestantes (vt in Anglia Purita-
ni in replica quadam contra Caluinistas vernaculè scripta) etiam nominant hos Apostolos
fuisse olim Vviclefum in Anglia, Ioannem Hus in Boemia, nunc verò Lutherum & Zvvin-
glium in Germania. Sane Lutherus ipse in Epistola ad Argentinenses (in qua contra Carolo-
stadium, qui eo contempto noua dogmata spargebat, vehemẽtissimè inuehitur;) imitari vo-
lens Paulum in Epistola ad Galathas, apud quos ab Euangelio discendentes, suæ vocationis E
ordinariæ rationem diligenter & meritò reddit; in fronte Epistolæ scribit se, non solùm *Eccle-*

Lutherus vocat se Euãgelistam. *Tom 7. operum Luther.* *Tom. 2.*

siasten, vt in aliis omnibus Epistolis solet, sed etiam præterea *Euangelistam Vvittembergensem*;
& in ipsa epistola dicit. *Si nostrum euangelium verum est, de qua re nihil addubito*, &c. & in libr.
contra regem Angliæ, dicit, *Certus sum me mea dogmata habere de cælo*. Summa ergo respõsionis,
quam ad punctum successionis faciunt, est: nullam superesse amplius Ecclesiam à qua ordi-
nentur, aut Episcoporum cathedram cui succedant; & propterea, esse se nouos Apostolos to-
tius orbis, vel saltem Euangelistas, quales olim contra Pontifices & Sacerdotes super cathe-
dram Moysis sedentes, Christus misit: atq; ideò extraordinariè & immediatè ab ipso Deo esse
in illos, vt non sit hic opus ordinatione ab antecessoribus petita.

Confutatio prætensi à Protestantibus Apostolatus copiosa.

CAPVT XVI.

HVIC autem aduersariorum cauillationi, vel potius imposturæ Satanicæ F
& fronti meretriciæ, non tam breuitet respõdendum, quàm prolixè iusta
aliqua declamatione satisfaciendum erat. Blasphemia enim potius est, &
Antichristiani vox, à Christianis animis & auribus statim Anathemati-
zanda, quàm responsio examine digna. Sed instituti nostri memores, quã
breuissimè possumus, solidis & inuictis argumentis eam confutabimus.

prima respõsio.

Primùm ergo diligenter hic est memoria retinendum, nullo modo fieri
posse, vt Ecclesia Christi à sua prima propagatione, vsque ad finem mundi aliquãdo deficiat;

Lib. 10. 3 per totum & lib 2 cap. 15. *Supra cap. 11. & 12.*

maximè verò Apostolicæ cathedræ successio. Quod totũ quia copiosè antea probatum est,
partim in prima Controuersia, in describenda Ecclesiæ perpetuitate, & in responsione ad ar-
gumentum septimum contra visibilem semper Ecclesiæ multitudinem; partim etiam in hac
præsenti Controuersia, de ea re nihil hoc loco repetimus. Est ergo falsissimum & obomina-
tionis plenum, quod supponunt.

Secunda.

Secundo loco recolendum hic est, perpetuas has esse hæreticorum omnium voces, vt suam
novitatem & paucitatem tueantur, sicuti in prima Controuersia ostensum est, tractatu po-
stremo.

Lib. 4. cap. 14.

Tertia.

Tertiò, si huius rei exempla in veteribus hæreticis non præcessissent, tamen hanc eorum
responsio-

A responsionem huiusmodi esse, vt quilibet hæreticus ea munitus suum schisma tueri posset, statim aduertenti apparet. Nihil enim facilius cuiuis hæretico, Ecclesiæ vocem in suis Præpositis audire nolenti, & propterea se pro latrone ingerenti, vel lupum agenti, quàm dicere se ideo à nullo Episcopo ad docendi munus ordinari, quia nullus amplius Episcopus superest qui eũ ordinare queat, omnibus videlicet orbis Christiani episcopis, veritati quã ipse docet, hostiliter aduersantibus; ideóque licere illi sicut olim Apostolis, absque veteris Sacerdotij Ordinatione docendi ministerio fungi. Sic Manichæus, sic Marcion, sic Arrius, sic omnes dãnatissimi hæretici de sua vocatione respondere, nec minori probabilitate quàm hodie nostri potuerunt. Imò sanè multo probabilius illi hoc facere potuissent, qui Apostolorum temporibus multò viciniores, Ecclesiæ defectionem multò breuiorem, ideóque magis verisimilem asseruissent.

Quartò, adeò hoc verum est, adeò hæc temporanea responsio est, & euasio tantùm, vt ipsimet Protestantes in Anabaptistis, Svvenkfeldianis, aliísque schismaticis à se deficientibus, nullo modo eandem ferant. Cuius rei exemplum vnum aut alterum subiiciam. Muncerus magnus ille Anabaptista, quum è Saxonia eiectus Mulhusium pergeret, sua ibi dogmata sparsurus, *scripsit Lutherus ad Senatum Mulhusij; rectè facturum Senatum, si roget ex illo quis docendi munus ipsi commiserit: & si Deum nominet authorem, tùm iubeant hanc suam vocationem aliquo euidenti signo comprobare. Quòd si repræsentare non possit, vt repudietur. Hoc enim esse Deo proprium & familiare, vt quoties formulam consuetam & rationem ordinariam velit immutari, vt tùm voluntatem suam aliquo signo declaret.* Hæc de Luthero, ad verbum Sleidanus. Sic & Caluinus.
B *Etsi*, inquit, *externis mediis alligata non est* Dei *virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligauit; quem dum recusant tenere Phanatici homines*, Anabaptistas dicit, *multis se exitialibus laqueis inuoluunt*. Hæc ille. Sic Melanchthon. *Audiendus est Deus*, inquit, *in ministerio Ecclesiæ ordinario, ne laxetur frenum audacibus ingeniis; quæ si non audiant Ecclesiã, fingunt opiniones absq; vllo testimonio Ecclesiæ; vt fecerunt nostro tẽpore Seruetus, Cãpanus, Anabaptistæ.* Hæc ille. Deinde hac de causa, alij ordinis Sacramẽtum probarunt, alij impositionem manuum retineri voluerunt, vt suprà est ostensum. Est ergo hęc eorum euasio non solida & stabilis, sed temporanea & ad hominem tantum; cuiúsque contrarium dicere & docere coguntur, quum contra alios hæreticos & schismaticos à se diuisos agunt.

Quarta.

Lutherus contra seipsum.

Hist. suæ li. 5.

Caluinus & Melanchthon necessariã Ordinariã vrgent, quando ipsis est commodum.

Instit. lib. 4. ca. 1. para. 5.

In loc. com. cap. de Eccl.

Imò (quod notandum valde est,) nunquam hæc responsio locum habet, nisi contra veram Ecclesiam, in qua sola est semper ordinaria vocatio, & successio doctrinæ. Huius rei exemplũ habes in Arriano illo, siue authore siue corruptore operis imperfecti in Matthæum sub nomine Chrysostomi. At verò contra hæreticos & schismaticos omnes contraria vox vsurpanda est, siue contra hæreticos Catholici agunt, siue inuicem hæretici concertant; cuius rei præclarum exemplum est inter Caluinum & Vvestphalum Lutheranum. Sic enim scribit Caluinus in defensione secunda Gallicè scripta contra Vvestphalum, cuius hîc verba Latinè reddidimus, quia latinum codicẽ videre non potuimus. *Satis*, inquit, *arroganter & superbè nouitatis nos accusat Vvestphalus, & absurdũ esse clamitat doctrinæ tanto consensu traditæ aduersari: quasi verò*
C *in hac nostra doctrina hoc magis absurdum sit, quàm in repudianda illa transsubstantiatione, in abolenda missa, in postulatione calicis. Quod si Vvestphali censura hic locum habet, damnetur ergo Lutherus vt impostor nefarius, temerarius, & audax, qui illa omnia perturbare & euertere non est veritus, plenissimo tamen totius orbis consensu recepta & approbata.* Hæc Caluinus contra Vvestphalum. Vides vt inuicem rixantur de inuecta nouitate; cogũtúrque vtrique, alter alterum discessionis accusare à recepta doctrina, & ab hac ordinaria Ecclesiæ voce.

Quinta.

Hom. 1. & 48.

Caluinus defens. 2. cont. Vvestphalũ.

Vide, hæreticũ hæreticum accusat.

Prætereà visa semper est sanctis patribus huius generis respõsio absurdissima, & longè indignissima, imò talis, vt illa posita nulla vnquam amplius esse posset in terris Ecclesia. Sæpe hoc ostendit Augustinus. Donatistæ cùm dicerent *communione malorum contaminari Ecclesiam*, rogat Augustinus, an Cypriani tempore ita factum sit. *Si contaminabatur*, inquit, *iam tunc perijt Ecclesia, non erat ergo vnde propagaremini.* Et iterũ. *Non possunt*, inquit, *dicere Cypriani tempore periisse Ecclesiã. Alioqui enim nec originem suam poterunt asserere.* Et contra Parmenianum apertiùs. *Quid se ipsi iactant*, inquit, *quòd habeant Ecclesiam, si iam Cypriani temporibus esse destiterit? Dicant enim vnde natus est Maiorinus aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus atque Primianus?* Hæc ille, semper pro absurdissimo ponens Ecclesiã iã olim periisse. Inde enim cõsequi nullam amplius esse posse, quia non superest vnde quis possit nasci. Quod tam absurdũ erat, vt hoc confiteri ipsi Donatistæ nullo modo ausi fuerint: vt scribit Augustinus in libr. de vnico Baptismo capit. 14. Sic & contra Pelagianos, cum antecessores suos in Ecclesia

Sexta.

De Bapt. cõt. Donatistas. lib 2. cap. 7. lib. 5. cap. 1. lib. 3. cap. 2.

lib. 1. contra Iulianum fere in fine.

Augustinus ab episcopis præcedentibus veritatem quærit. Dei Episcopos produxisset, Cyprianum, Hylarium, Ambrosium, Chrysostomum, Gregoriũ, D
Basilium, & alios. *Ego*, inquit, *à tenebris Pelagianis, ad hæc tam clara Catholica lumina prouoco. Tu responde quid facias, dic quò confugias? Ego à Pelagianis ad istos: Tu ab istis ad quos?* Hæc ille. Sic & Hilarius contra eos qui Nicænorum patrum decreta violarent & immutare nonnihil voluerunt.

Similiter Hilarius. In lib. de Synod. cont Arrianos prope finem.

Cogitemus, inquit, *sacerdotes sanctos & iam quiescentes. Quid de nobis erit, qui eò rem deducimus, vt quia illi episcopi non fuerunt, nec nos simus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus successores.* Hæc ille. Sic etiam eruditè disputat Socrates contra eos, qui à Nicænis patribus ad alias posteriores Synodos illis contrarias transire voluerunt.

Eccles. hist. lib. 2. cap. 32.

Ab illis, inquit, *patribus Nicænis posteriores omnes episcopi ordinati sunt. Quòd si illi Spiritum Sanctum non habebant, qui per ordinationem in vnumquemque descendit, nec isti sacerdotij functionem acceperunt. Quî enim accipere potuerunt, cùm daretur ab iis qui tum non habuerint?* Hæc ille. Sic denique Diuus Hieronymus, volẽs ostendere Luciferianos, qui resipiscentes Arrianos recipere noluerunt, ea ratione totam Ecclesiam ad nihilum redigere debere, ait.

In Dialog. aduersus Lucifer.

Cùm in Synodo Nicæna octo Episcopos Arrianos susceptos sciamus, & Episcopus iam in mundo nullus sit, nisi quos Synodus illa ordinauit, quomodo potuerunt aduersus eam facere? &c. Hæc ille. Ergo adeo semper visa est doctissimis in Ecclesia patribus plusquam absurdissima Protestantum suppositio, ideo eos ordinatos ab episcopis non esse, quia non supersunt episcopi qui eos ordinent; vt hoc si verum esset, consequeretur (quod tamen consequi non absurdissimum modo, sed & blasphemia ac impietate plenissimum illis videbatur:) nullam amplius in terris Ecclesiam non solùm non superesse, sed nec superesse potuisse.

Resp. septima. Euanescit ecclesia deficiente Successione. Lib. 15. c. 45.

Rursum notatur de quibusdam hæresibus, ideo eas breui tempore euanuisse, quia episcopos non haberent, per quos perpetua doctrinæ propagatio conseruaretur. Tales erant Monophysitæ, de quibus Nicephorus. *Acephali*, inquit, *dicti sunt, quia sub episcopis non fuerunt: Proinde* E *Episcopis & sacerdotibus apud eos defunctis, neque baptismus, neque sacrificium, neque ministerium Ecclesiasticum amplius celebratum est. Hinc autem factum est, vt dum quilibet quod sibi libitum esset saperet, magna sectarum turba exorta sit: quas ibi vsque ad 12. enumerat.* Idem de Luciferianis narrat Hieronymus.

In Dialog. aduersus Luciferianos.

Hilarius, inquit, *cùm Diaconus de Ecclesia recesserit, & iam mortuus sit, cum homine pariter interiit & secta; quia post se nullum clericum potuit ordinare. Ecclesia autem non est quæ non habet sacerdotem.* Hæc ille. Cæterùm Caluinus & his hæreticis audacior, & illis patribus (si Christo placet) doctior, rationem adinuenit, qua & nullos episcopos superesse ostendat, & ipse tamen episcopum agat: nempe quòd in corrupto Ecclesiæ statu, & totius orbis defectione, exciret Deus Apostolos nouos, vel saltem Euangelistas qui absque ordinatione vlla à solo Deo vocentur. Quod quale sit commentum, iam expendamus.

Octaua. Protestantũ doctrina citra Successionem, est ipsissima Antichristi vox.

Dicimus igitur esse hanc ipsissimam Antichristi vocem. Nam nouos Apostolos facere, est nouum Christum, id est Antichristum prædicare. Oportuit enim Christum vetus sacerdotiũ totámque eius successionem abolere, quia (vt probat Apostolus ad Hebr. cap. 7. & sequent.) *in eo translatum erat sacerdotium simul cum lege*; nec tam nouum introductum, quàm multo antiquius restauratum, nempe secundum Ordinem Melchisedech, quod ex lege naturæ (quæ Mosaicam præcesit) sacerdotium fuit Dei altissimi. Sed vt vel huic sacerdotio aliud succederet, vel illud multis seculis interruptum restauraretur, nec Scriptura, nec fidei Regula tradidit. F

109. Psal.

Vtrumque enim blasphemum esse, illud Dauidicum conuincit. *Tu es sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedech.* Quod enim æternum est, nec alteri cedit, nec esse suum intermittit.

Soli christo proprium, veterem Successionẽ abolere. August. cõt. 2. epistol. Pelag. lib 3 c. 4. ad Gal. 3. Ioan. 1. Hebr 10.

Christus ergo misit quidem & ordinauit Apostolos; veterem successionem aboleuit, nouam instituit: *tanquam noui testamenti mediator quod sub veteri occultabatur*: tanquam nouæ legis Magister cui *vetus lex pædagogus erat*; tanquam *gratiæ & veritatis author*, quam *vmbræ & typi legis præfigurabant*. Sed solius Christi hoc erat, & esse potuit. Omnis enim alius contemptus, aut discessio à successione semel à Deo posita, impia semper & nefaria fuit. Impiè discesit Cain à fide Adæ patris, & Seth fratris sui; vt alterius ciuitatis filiorum huius seculi caput, & author esset: vt docet Augustinus.

Schismata veteris Populi. Gen. 4. Lib. 15. cap 10. de ciuit. Dei. Gen. 10.

Nefariè Nemrod ipsius Cham nepos, à societate Noë qui Sethi, religionem per manus ei traditam coluit, sese separauit & ad falsos cultus rebelles sodales traxit. Sceleratè eiectus ille Ismael, & exhæredatus Esau, relicta fide Abrahæ & Isaac patrũ suorum, quam à Noe continua successione acceperant, Agarenorum & Idumæorum infideles populos progenuerant, vt notat Augustinus.

Lib 15. cap. 8. de Ciuit. Dei. Nume. 16.

Data quoque semel lege semini Abrahæ, & constituto sacerdotio Aaronico, improbè schisma fecerunt Chore, Dathan, & Abiron resistentes Moysi & Aaroni. Grauiter peccauit Hieroboã, qui relicto templo Hierosolymitano, erexit vitulos in Samaria, *& fecit peccare populum in excelsis.* Nec minor impietas Manasse

illius

A illius fuit, qui in Garizim monte Samariæ schismaticum templum erexit, æmulum Hierosolymitano: (de quo vide Iosephum) aut etiam Oniæ, qui simile templum erexit in Ægypto, vt idem commemorat Iosephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 30. Denique schismatici erant Samaritani omnes, qui relicta *salute quæ ex Iudæis*, id est, ex sacerdotio Aaronico, siue Cathedra Moysis erat, *coluerant quod nesciebant* vt Saluator dicit. Omnes (inquam) isti, & si qui sunt alij, nefariè & sceleratè à Cathedra Moysis, & à societate populi Dei, quæ ab ipso Adam ad Christum perpetua successione perdurauit, sese segregauerunt. Solus Christus hanc successionem abrumpens, vel potius perficiens, nouam instituit ab illis omnibus expectatam, præfiguratam, & diu multúmque promissam. Post Christum autem quia alius mediator expectandus non est, nec aliud testamentum, nec alia lex, nec aliud sacerdotium; Profectò qui successionem & ordinationem semel à Christo in terris positam deserit, aut deseri posse docet, alium se Christum facit, veréque Antichristum; quales futuros Christus prædixit. *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere.* Apostoli enim, id est, totius Christianitatis noui legati, noui missi, noui magistri & Pastores, non nisi à nouo Christo, nouo Messia, noui Testamenti, nouo mediatore & Saluatore, & [vt Apostolus loquitur] *ab vno homine*, in quo & à quo *facta sunt omnia noua*, dari & constitui possunt. Est ergo ipsissima Antichristi vox, iterum totum orbem defecisse, idcóque iterum Apostolos siue Euangelistas nostro tempore datos esse. Sic & veteribus hæreticis interdum se pro Apostolis venditantibus, & vniuersam Ecclesiam contemnentibus, vt hodie nostri effrontes (vt ita dicam) hæretici faciunt, Patres responderunt: Sic Tertullianus de Marcione & Valentino. *Probent*, inquit, *se nouos Apostolos esse; dicant iterum*
B *Christum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum. Sic enim solet Apostolos facere; dare illis præterea virtutem eadem signa edendi quæ & ipse. Volo igitur & virtutes seu miracula eorum proferri.* Hæc ille. Respondeant Tertulliano Protestantes. Blasphemus ille Manichæus *Apostolum se Iesu Christi scripsit*, vt videre est apud Augustinum. Augustinus autem ad tantam blasphemiam satis habet respondere, nullum talem in tota Euangelica & Apostolica scriptura apostolum nominari. Quare hoc verò? nisi quia post Euangelium semel promulgatum, nunquam amplius nouæ fidei Apostoli expectandi essent? Quid, quòd huiusmodi hæreticos qui tam perfrictæ frontis essent, vt aperta voce Ecclesiam præcedentem & maiorum iudicia contemnerent, sic exhorruit semper Christianus orbis, vt tales proprio vocabulo ἄθεοι vocarentur, homines *sine Deo in hoc mundo*, vt Apostolus loquitur, & *Ethnici iuxta Christi*, præceptum. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicuti Ethnicus & Publicanus.* Sic & ob hanc causam Arrius vocatur ἄθεος ab Athanasio. Eunomius vocatur ἄθεος à B. Hieronym. in Episto. ad Pammachium & Oceanum contra errores Ioannis Hierosolymitani: Aëtius vocatur ἄθεος in Ecclesiastica historia. Talis etiam multo magis ἄθεος Caluinus cum suis est, qui vniuersa Ecclesia penitus conculcata, sese à nemine ordinatos, pro Apostolis venditant.

Antiq. lib. 11. cap. 8. — Ioan. 4. — *Protestantium vox, est ipsamet Antichristi vox.* — Matth. 25. Ephes. 2. 2. cor. 5. Apocal. 21. — *Tertullianus in præscriptionibus. Nouorum Apostolorum signa.* — In lib. cont. episto. fundamenti cap. 5. — Ephes. 2. Matth. 18. *Hæretici apud negantes ecclesiam athei à veteribus vocantur.* — Serm. 2. contra Arrianos.

Postremò inter Pharisæorum voces, suam successionem & potestatem venditantium, & inter nostras voces, Ecclesiæ Catholicæ Successionem vrgentes, varium discrimen est. Primùm, illi contra Christum hoc præscripserunt; quem ipsorum lex venturum, & illud suum
C sacerdotium aboliturum manifestè prædixerat: Nos non contra Christum, sed contra Lutherum, Caluinum, & alios nefarios homines, contra latrones & lupos de Successione præscribimus: de quibus aut nominatim venturis, aut in genere ita venturis, vt totam Ecclesiam & Cathedram Petri Sedémque Apostolicam condemnaturi essent, aliámque instauraturi aut reformaturi Ecclesiam, nihil in Sacris literis prædictum, aut ab vlla Traditione Apostolica acceptum est. Secundò licuit Pharisæis de sua Successione contra quosuis alios præter Christum præscribere; vt contra Ieroboam & contra Samaritanos in monte Garizim fecerunt; vt legere est apud Iosephum. Quod & contra Oniam, eiúsque Synagogam in Ægypto legitimè factum ab illis est. Nam & Christus ipse contra Samaritanos hoc ipsum fecit, quasi causam Iudæorum agens contra mulierem Samaritanam. Dicente enim Samaritana illa, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt. Et vos dicitis quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet*, volens videlicet locum & Cathedram veri cultus monti illi Garizim asserere & venditare, Hierosolymitanam autem illam Sedem negligere & traducere, respondit Christus, potissimùm quidem de futura vbique Adoratione, & de Ecclesia omnium gentium iamiam propaganda, obiter tamen & ad rem præsentem dicit; *vos adoratis quod nescitis, Nos adoramus quod scimus. Salus enim ex Iudæis est*: apertè defendens sedem Hierosolymitanam contra montem Garizim. Sic licet nobis contra schismaticos quoscunque

Noua resp. Varium discrimen inter Pharisæorum voces & nostras de Successione. — Ioan. 10. Actor. 20. — Antiquitatum lib. 13. cap. 6. — Ioan. 4. — *Christi successio fuit perpetua.*

præſcribere. Tertiò Chriſtus habuit ſucceſſionem, cámque perpetuam, quam Phariſæi igno- D.
3. rare non debuerant ac neque penitus ignorauerunt: ſed in theſi veritatem tenentes, in Hypo-
theſi errauerunt. Erat enim Chriſtus ex ſemine Dauid oriundus, ex regia tribu; & ita oriun-
dus vt ſimul & rex & ſacerdos futurus eſſet; idque non planè nouus, ſed etiam alij ſuccedens,
nempe ſecundum ordinationem Melchiſedec; & idcirco vno pariter in loco vtrunque pro-
Pſalm. 109. phetatur. *Dixit Dominus Domino meo, &c.* quòd ſit filius Dauid, rex, & *dominaturus inimicis*
ſuis; móxque, *Iurauit Dominus. Tu es Sacerdos in æternum, &c.* quòd videlicet habiturus eſſet
nouum ſacerdotium, idémque æternum, in perpetua ſacerdotum eiuſdem ordinis ſucceſſio-
Matth. 1. ne. Hac etiam de cauſa narratur diligẽter ſucceſſionis recta linea in qua Chriſtus natus eſt, vſ-
Luc. 3. que ad Abraham, & vſque ad Adam. Quartò cùm Apoſtoli à Cathedra Moyſis diſcederent,
4. præteritam eius cathedræ gubernationem non condemnauerunt; imò vſque ad deſcenſionẽ
Spiritus Sancti ipſi Synagogæ obedientes erant, vt in ſuperiori Controuerſia oſtẽdimus. Poſt
cœptam verò Euangelij prædicationem, diu quoque honorarunt Synagogam, nec diſceſſio-
Lib. 3. cap. 11. nem à Moyſe ſtatim docuerunt, vt Apoſtolo Paulo falsò quidam impoſuerunt: imò quaſdam
Actor. 21. eius ceremonias etiam in Concilio ſuo Hieroſolymitano Chriſtianis obſeruandas præcepe-
Act. 15. runt, ne quæ iam mortua erat, etiam mortifera ſemper fuiſſe lex Moſayca videretur, vt ritus
gentium. De quo honore Synagogæ vide Auguſt. epiſtola 19. Noſtri autem ſic recedunt ab
5. Eccleſia Romana, vt dicant eam his multis ſeculis ipſi Antichriſto ſeruiſſe. Quintò animad-
1. uertendũ eſt, quàm variis modis & rationibus Iudæis in hac parte proſpectũ erat, vt de veteri
Iudæi de abolenda veteri ſucceſſione multis modis præmoniti ſunt. abolita ſucceſſione nõ offenderẽtur. Primũ tota vetus lex ceremoniarũ typis, ſacrificiorũ vm- E
bris, freq̃uẽtibus Prophetiis admonebat hac de re populũ. Vnde Chriſtus, volens de ſua extra-
ordinaria hac prædicatione, vt videbatur, ſatisfacere Iudæis, *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, quia*
illæ teſtimonium perhibent de me: Et iterum, *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi; de me enim ille lo-*
Ioan. 5. *quutus eſt*. Secundò, datus eſt præcurſor Ioannes, qui *pararet viam eius*. Tertiò, non prius præ-
2. dicare cœpit, & legatione accepta fungi, quàm publicè & Patris vocem de cœlo accepiſſet,
Matth. 3. & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendiſſet. Quartò, *habeo*, inquit, *teſtimo-*
3. *nium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio teſtimo-*
4.
Ioan. 5. *nium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Quę quidem opera ſua multis in locis vrget, ne de ſua
miſſione dubitarent. Rogatus enim à Iudæis. *Quouſque animam noſtram tollis? dic nobis palam,*
Ioan. 10. *ſi tu es Chriſtus*; reſpondit eis. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent*
de me. Hanc enim perpetuam Dei prouidentiam fuiſſe in aliqua rerum Innouatione multis
exemplis docet Chryſoſtomus Homil. 14. in Matth. Quintò, non ex ſe quicquã Chriſtus ipſe
5. aut loquitur aut docet, aut facit; ſed omnia ex mãdato, & volũtate Patris. Hinc illæ voces. *Mea*
Ioan. 7.
6. *doctrina non eſt mea ſed eius qui miſit me Patris*, & alia ſimilia quàm plurima. Sextò, ſibi ipſi te-
ſtimonium perhibere non vult. *Si ego*, inquit, *teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum*
Ioan. 5. *non eſt verum*. Rurſum Apoſtoli à Chriſto expreſſè mittuntur, multis & variis in locis, vt ſuprà
7. eſt citatum. Addita ſunt miracula, *Domino cooperante & ſermonẽ confirmante ſequentibus ſignis.*
Matth. vlt.
8. Deniq; ipſe Paulus, extra ordinẽ & immediatè à Deo vocatus, vide quid fecerit. Primò hanc
Pauli extraordinaria vocatio quot modis defenſa. ſuã è cælo vocationem, Iudæis Act. 9. & 22. Gẽtibus ad Gal. 1. diligẽter inculat. Secundò, quã-
uis ſic vocatus, ab Eccleſia tamen ordinationem accipit. *Segregate mihi Paulum & Barnabam,* F
&c. Nam antea *iuit in Arabiam*, vt ſcribit ad Galat. 1. idque *quia nõdum doctor ſed diſcipulus eſ-*
Act. 13. *ſet*, vt notauit Chryſoſtomus. Tertiò, confert Euangelium cum aliis coapoſtolis ſuis, *ne forte in*
Hom. 21. in acta apoſt. *vanum curreret aut cucurriſſet*, de qua re infrà plura dicemus. Quartò, virtutibus & ſignis voca-
Ad Gal. 2. tio ipſius cõmendatur. Nihil horum omnium quæ vel in Chriſto, vel in Apoſtolis, vel in vno
Lib. 7. cap 2. Paulo, facta cõſpicimus, ne minimũ quidem in abolenda tot ſeculorum ſucceſſione fecerunt
2. Cor. 12. & hodie iſti peſtilentiſſimi ſeductores pro ſua vocatione cõfirmanda, qui ſe tamẽ pro nouis Apo
2. Theſſal. 3. ſtolis & Euãgeliſtis haberi volunt. Quare cũ Saluatore cõcludimus. Iſti homines teſtimoniũ
perhibent de ſemetipſis, ergo teſtimonium eorum non eſt verum. Et rurſum, indubitatè ad
Proteſtantes cõuincuntur veri eſſe præcurſores Antichriſti. cum hominem pertinent, de quo dixit Iudæis Chriſtus. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum*
accipietis. Hic Antichriſtus eſt; & ad hunc pertinent quicunque veniunt in nomine ſuo; id eſt
Ioan. 5. à nemine miſſi aut ordinati. Sunt ergo omnes hodie noui prædicantes, à Luthero vel Caluino
originem trahentes, aut alii quicunque à principali ſucceſſione diſcedentes, deteſtandi, & fu-
giendi, tanquam veriſſimi Antichriſti præcurſores. Quærendum autem de rebus fidei iudiciũ
ab illis ſolis, qui in Paſtorali ſeu Epiſcopali officio ſuccedunt & permanent.

De prin-

A *De Principum secularium iudicio in causis fidei quid Catholici sentiant, quid hodie Protestantes: vbi noua apud Anglos Laicocephalorum secta manifestatur.*

CAPVT XVII.

RINCEPS secularis Christianus aut vlla alia secularis potestas, siue in vno, siue in pluribus posita, de causis fidei nullum iudicium ferre potest magis quàm vnus quiuis è plebe.

Sensus est, Principem secularem, aut alium quemcunque magistratum vel etiam communitatem politicam quatenus talis princeps, magistratus, aut cõmunitas est, vtcunque Christiana & fidelis, non posse sua aliqua Authoritate, aut doctrinam fidei tradere, aut leges Ecclesiasticas cõdere, aut de dogmate controuerso iudicare, aut formam inuocationis & cultus diuini, vel administrandi Sacramenta præscribere, aut aliis denique Authoritatem docendi dare. Non negatur Principi, Magistratui, vel communitati potestas, peruersa docentes corporali pœna puniendi, legésque pro Ecclesiæ pace B ferendi, dogmata promulgandi, defendendi, & contra violatores vindicandi. Hoc Christianorum Principum & Magistratuum officium semper fuisse, Constantini magni, Theodosij Magni, Marciani, Iustiniani, Constantini quarti, Caroli magni, ac postremò sempiterna memoria digni Caroli Quinti, aliorumque multorum Imperatorum latæ leges & res gestæ, luculenter demonstrant. Nam & hodie, propter hanc Ecclesiæ curam, honorificis titulis Hispanorum rex Catholicus, Gallorum Christianissimus, Anglorum Defensor fidei nuncupantur. At in rebus fidei iudicium exercuisse, sententiam de dogmate tulisse, cultus religionis præscripsisse, nemo Catholicus princeps legitur. Adijcitur autem hoc loco hæc disputatio propter manifestos hodie *Laicocephalos*, sectam Protestantum ab aliis plerisque & Lutheranis, & Caluinistis, & Anabaptistis in hoc vno articulo diuersam. Hæc secta initio quidem Lutheranis ferè omnibus cõmunis fuit, qui ad officiũ docẽdi à nemine, vt ostendimus, ordinati; Potestatem illam à seculari Magistratu acceperũt. Sic enim Lutherus se à duce Saxoniæ missum fuisse iactitat, & docet Musculus, *in corrupto Ecclesiæ statu, non esse causam, cur minister Christi à pio Magistratu, vel principe ad prædicandum Euangelium vocatus, de vocatione sua hæsitet ac fluctuet.* Sic & Brentius in prolegomenis. *Licebit*, inquit, *pio ac docto viro in Ecclesia ad quam consensu populi & Magistratus vocatus est, Euangelium annunciare, & sacramenta administrare.* Sic & Melanchthon pertinere vult emendationem Ecclesiarum ad Magistratus officium, præsertim cessantibus Episcopis & aduersantibus Euangelio. Isti ergo omnes Lutherani Authoritatem docendi quæ ad fidem pertinent, in corrupto quem fingunt Ecclesiæ statu, à Magistratu & Principe deriuant. Cæterùm tamen non fuit horum hominum sententia, Potestatem istam ad Principem pertinere tanquam Principem, sed tanquam vnum de populo fideli, & tanquam Ecclesiæ membrum. Apertissime hac in re mentem suam ac suorum explicuit Melanchthon loco citato: *Quòd aliqui* (inquit) *dicunt magistratum prophanum non esse iudicem Controuersiarum de dogmatibus, vera & explicata responsio est; Ecclesiam esse iudicem, & sequi normam Euangelij in iudicando. Cùm autem Magistratus pius verè sit membrum Ecclesiæ, iudicet & ipse cum aliis piis & eruditis, iuxta normam quam dixi. Omnibus enim Ecclesiæ membris dictum est. Attendite vobis à falsis prophetis.* Et iterum. *Si quis aliud affert Euangelium, Anathema sit. Quare vt cæteri pij, ita & Magistratus considerent dogmata, & si quis falsa doceat, hunc iudicent esse anathema, aut compescant.* Brentius quoque hac de causa populum & Magistratum coniunxit in verbis suprà citatis. In suis quoque Prolegomenis, post longam hac de re disputationem concludit, quòd *sicut quilibet priuatus priuatam, ita princeps publicam habeat de doctrina religionis iudicandi potestatem.* Ex eisdem quoque ferè fundamentis & scripturis, hanc Magistratui Authoritatem asserit, ex quibus ipsi populo & singulis fidelibus. Hanc verò etiam omniũ Protestantum communem sententiam fuisse responsio illorum postrema ad Heldum Cæsaris legatum vltimo Februarij anno 1537. in Conuentu Smalcaldico facta, manifestè ostendit. Dicunt *indicandi de fide potestatem non ad solum Pontificem & Episcopos, verùm ad Ecclesiam*

Assertio Quarta.

Laicocephali. Anglocaluinistarum secta.

In locis communibus de ministris ecclesiæ.

In locis com. cap. de Magi. de consili.

Prima protestãtum sententia.

C (margin letter beside "thoritatem docendi quæ ad fidem pertinent")

Brentius plus tribuit principibus quàm Melanchthon.

pertinere: quo quidem in numero sint etiam Reges & cæteri ordines. Hæc ibi illi. Longius tamen D progressus est Brentius, quàm Melanchthon & cæteri Lutherani. Siquidem iste ex Scripturis & exemplis ostendere nititur, etiam iudicium & definitionem de doctrina; quæ sit vera, quæ falsa, propriè ad Christianos Principes pertinere. At Melanchthon non aliud principi quàm singulis fidelibus iudicium tribuit: & apertum discrimen ponit inter Euangelij doctorem, & Magistratum. *Euangelij*, inquit, *doctor proponit verbum Dei; deinde coercet rebelles voce Euangelij, & excommunicatione, sine vi corporali: Magistratus vero custos est externæ disciplinæ*

Melanchthonis sententia mollior.

& pacis, & armatus gladio punit contumaces, móxque ostendit, *Magistratum disciplinæ quidem custodem esse circa vtrámque decalogi tabulam*: sed addit, *quod ad externos mores attinet*. Et iterum, *prohibere & punire idolorum cultus*; Et rursum: *externa delicta prohibere propter gloriam Dei: denique, curare vt Ecclesiæ rectè doceantur.* Hæc ille loco iam citato. Quæ omnia nos antea principi Christiano concessimus. Denique in examine ordinandorũ hanc suam sententiam apertiùs tradit. *Non condant*, inquit, *dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus vt fert Nabuchodonosor. Et recens in scripto, cui titulus est, interim, Potestas politica extra metas egressa est.* Hæc ille. Melanchthoni hac in parte consentiunt & Magdeburgenses, & Caluinus, & alij plerique. Aiunt enim Magdeburgenses in præfatione Cent. 7. *Sint sane Magistratus membra Ecclesiæ,*

Magdeburgensiũ sententia.

flagrent quoque zelo pietatis, sed non sint capita Ecclesiæ: quia ipsis non competit iste primatus. Hæc illi. Lutherus verò in scripto contra articulos Louanienses tom. 2. adhuc apertiùs. *Non est* (inquit) *Regum aut Principum etiam veram doctrinam confirmare, sed ei subiici & seruire.* Hæc

Lutheri.

ille. Quam sententiam adhuc fusius & acrius persequitur in libro *de seculari potestate*. Omniũ E autem copiosissimè Caluinus in hæc verba. *Sed interim sunt homines inconsiderati qui faciunt*

Caluini.

illos nimis spirituales. Et hoc vitium passim regnat in Germania. In his etiam regionibus nimium grassatur. Et nunc sentimus quales fructus nascantur ex illa radice, quòd scilicet Principes, & quicunque potiuntur imperio, putent se ita spirituales esse, vt nullum sit amplius Ecclesiasticum regimen. Et hoc sacrilegium apud eos grassatur, quia non possunt metiri suum officium certis & legitimis finibus: sed non putant posse se regnare, nisi aboleant omnem Ecclesiæ Authoritatem, & sint summi Iudices, tam in doctrina quàm in toto spirituali regimine. Hæc ille. in comment. in Amos cap. 7. Atque

Plura de hac re Caluinus. Inst. li. 4. c. 11. par. 3. & seq.

Laicocephalorũ Sententia.

hæc quidem illustrium magis Protestantum concors sententia est. At verò isti Laicocephali, quorum facile Princeps Brentius videri potest, volunt principes Christianos etiam de ipsa doctrina cognoscere & iudicare, posséque ac debere non solum falsos Prophetas punire, sed etiam decernere ac promulgare, qui sint falsi Prophetę, qui non; ideóque (nam inde hoc consequitur) habere eos Potestatem constituendi ministros, & deponendi; nec solum in perturbato rerum statu, vt Musculus & Melanchthon cæterique posuerunt, sed etiam semper in quocunque Ecclesię statu. Hoc enim ad ius Regale Principis Christiani, & Potestatem principaliter & necessariò, planeque essentialiter pertinere. Hinc factum est, vt Caluinistæ Angli, etiam iuramentum hac de re ab omnibus exigant, quotquot vel in facultate aliqua scholastica promouentur, vel beneficium aliquod Ecclesiasticum suscipiunt, vel denique Magistratum aliquem in republica gerunt. Iurare enim conceptis verbis coguntur Principem in causis omnibus etiam Ecclesiasticis vnicum esse & supremum caput seu gubernatorem. Nec F minus habetur læsæ Maiestatis reus hoc iuramentum qui detrectat, quàm qui etiam in temporalibus supremum caput Regem esse negaret. Quanquam tamen & in ipsa Anglia, Puritanorum secta cæteris Caluinistis Laicocephalis, vt in alijs multis, ita hac in re apertè contradicit; nec vnquam se prædicto iuramẽto obstringere voluit. Imò iam dudũ Cantuariẽsis pseudoantistes & falsi nominis Archiepiscopus, suspensus ab officio & omni Iurisdictione episcopali diu mansit quòd suorũ seditiosas prophetias compescere, & in causa quadã matrimoniali, quum sententiam à se latam Regina tanquam supremum Caput reuocasset, reuocationi illi acquiescere noluit: vt sane de nostris etiã Anglis verum sit quod de Saxonicis Ecclesiis verissimè scripsit vir doctissimus Guil. Lindanus in sua diatriba Analytica ad Georg. maiorem cap. 10. *Si ab Obedientia erga verbi ministerium æstimãda venit vera Christi Ecclesia penes vos nulla est: quia verbi ministeriũ vestra magis in schola regnat quã in Ecclesia. Hãc politici & Principũ magis regũt Cõsiliarij quã Theologi: quod formulæ quotidie nouæ testantur, quas ex Aula allatas miselli vestri prædicãtes cogũtur docere nisi fame malint perire.* Prorsus enim & in Anglia ita se res habet. Ista ergo hæresis, quia etiã sub iuramẽto à Catholicis exigitur; quia magnis Scripturarũ & exemplorũ fundamẽtis niti videtur; quia quartus error est circa iudiciũ dogmatũ vt initiò notauimus; quia denique vt in vicina Anglia penitus pręualuit, sic in omnibus monarchiis vbi hęresis hodierna obtinere posthac poterit, verisimiliter est prępualitura, eius fundamẽta pręcipua cõuellemus: Nẽpe ex Scripturis & Regũ veteris Testamẽti exẽplis petita. Nã omnia tractare, quæ ex

A Ecclesiæ historia mendacissimè ab illis hac de re etiam conscriptis libris congesta sunt, nimis esset prolixum, & parum lectori fructuosum. Tamen quæ ex historia ecclesiastica & regum Christianorum gestis, circa hanc quæstionem cognoscere vtile futurum esset, nos data postmodum occasione, copiosè proferemus.

Catholica Sententia multis Argumentis confirmatur.

CAPVT XVIII.

NTE omnia autem veritatem hac in re Catholicam paucis, sed validissimis argumentis confirmabimus. Primùm itaque quum in Ecclesia Dei is Ordo sit, vt alij sint pastores, alij oues, (vt iam demonstratum est) Principes seculares numero ouium non pastorum habendos esse, per se est euidentissimum. Siquidem pastor nemo fit nisi legitima facta ad hoc Munus vocatione, electione, ordinatione, vt est iam à nobis prolixè disputatum. Idcirco Gregorius Nazanzenus Constantinopolitanus tunc episcopus, *in Oratione ad subditos timore perculsos & imperatorem irascentem*, his verbis Imperatorem alloquitur. *Num sermonem suscipitis liberum, & quòd lex Christi vos meæ potestati, meóque subiecit tribunali?* Et iterum paulo post. Suscipe adhuc vocem liberiorem. *Scio te ouem*
B *esse mei gregis sacri sacrã.* Non altaris sacerdotem, vt aut scelerate aut ignoranter vertit Musculus. Eadem libertate Ambrosius etiam offenso Imperatori scribit. *Quid honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est*, Hæc illæ. Ecclesiæ autem nomine Ambrosius hic pastores Ecclesiæ intelligit. Alioqui vt Ecclesia pro toto mystico corpore accipitur, cuius solum vitale caput Christus sit, etiam quicunque pastor & Apostolus filius Ecclesiæ est, & intra Ecclesiam. Nam & sic Caluinus ipse hæc Ambrosij verba contra istos Laicocephalos tractauit. *Magistratus*, inquit, *si pius est, eximere se nolet à communi filiorum Dei subiectione, cuius non postrema pars est Ecclesiæ ex verbo Dei iudicanti se subiicere: tantum abest, vt iudicium illud ab Ecclesia tollere debeant. Quid enim honorificentius, ait Ambrosius*, &c. Hæc ille. Hoc discrimen apud veteres scriptores semper obseruare licet, vt episcopi Ecclesiæ Dei, Magistratus & principes filios, alios autem episcopos & sacerdotes fratres appellent. Sic Dulcitio & Marcellino Tribunis, Bonifacio Comiti, Apringio Iudici, aliísque diuersis scribens Augustinus semper eos filios vocat. Imò in Epistola ad Marcellinum, agens vt Donatistis parceretur in causa quadam criminali, quia hoc suæ Diœcesi necessarium iudicabat. *Si non audis* (inquit) *amicum petentem, audi episcopum consulentem: quamuis quoniam Christiano loquor, maximè in tali causa, non arroganter dixerim, audire te episcopum cõuenit iubentem, domine eximie & merito insignis atque charissime fili.* Hæc ille. Sic cùm Constantinus Imperator longa oratione episcopos in Niceno Concilio exhortatus esset; *hæc*,
C inquit Theodoretus, *tanquam filius amantissimus episcopis & sacerdotibus velut patribus proposuit.* Infinita huiusmodi exempla occurrunt. Sed his paucis breuitatis causa contenti erimus.

Reges sunt oues non Pastores.
Gregorij Nazanzenus libera professio.
Epist. 32.
Imperator Ecclesiæ filius.
Institu. lib. 4. ca. 11. parag. 4.
Reges & magistratus Episcoporum filij.
Epist. 16. 159. 169. 182.
Epist. 159.
Lib. 1. cap. 4. histo. eccles.

Ne verò solos hac in re episcopos & sacerdotes quasi in sua causa iudices adduxisse videamur, Imperatorum aliquot Christianorũ voces subiiciemus, quibus In causis fidei se ouium & discipulorum, non pastorum & doctorum loco consistere ipsimet fatebantur. Constantinus Magnus, cùm episcopi quidam libellos delatorios ei porrigerent, respondit. *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis iudicandi.* Alibi verò Episcopis multis præsentibus dixisse cum scribit Eusebius. *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo Episcopus constitutus sum.* Agnoscit pius Imperator se externis rebus præesse, non Ecclesiasticis. Valentinianus quoque senior Catholicus Imperator rogatus ab Episcopis vt Synodus conuocaretur, respondit; *sibi qui vnus è laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere. Et ideo sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsim per se conueniant.* Hæc ille, apud Sozomenum & in Tripartita historia, & apud Paulum Diaconum in additionibus ad Eutropium, & apud Ambrosium epist. 32. vtcunque Nicephorus multo illis posterior, & propterea minus fide dignus, paulo aliter hoc responsum referat. Cuius tamen vnius verba contra tot alios & Antiquitate & Authoritate præstantiores semper contentiosè vrgent Protestantes. Sic in electione futuri Episcopi Mediolanensis, monet idem Imperator Episcopos vt talem eligãt, *cui & nos*,

Imperatorũ ipsorum voces se pro Ouibus Ecclesiæ agnoscentium.
Constantinũ magni.
Ruff. lib. 1. cap. 2. hist. eccles.
Lib. 4. ca. 14. de vita Constantini.
Valentinianũ Senioris.
Lib. 6. cap. 7.
Lib. 7. cap. 12.

Theodosij magni.

inquit, *qui gubernamus Imperium, syncerè capita nostra sub mittamus.* Paulus Diaconus ibidem. D Theodosius primus Imperator, adeo se ouem gregis dominici non pastorem agnouit, vt non

Imperatoria obedientia illustre exemplum.

solùm à S. Ambrosio excommunicatus pareret, sed præterea, cùm ex more orientalium Ecclesiarum, intra cancellos chori communicaturus consideret, ideóque ei ab Ambrosio Episcopo per Diaconum nunciaretur, ad loca illa interiora solis sacerdotibus aditum patere; & iubere propterea Episcopum vt exeat, & cum aliis Laicis consistat; iterum paruerit; atque ita paruerit, vt in Orientem rediens, & rogatus à Nectario Constantinopolitano Patriarcha can-

Lib. 5. cap. 17.
Lib. 12. ca. 12.

cellos de more ingredi, recusauerit dicens; *Vix se tandem didicisse, quid inter Imperatorem intersit & Episcopum.* Vide Theodoretum & Nicephorum. Idem de aliis permultis Imperatoribus & regibus Christianis facile demonstrari posset. Sed hæc tria trium potentissimorum & antiquissimorum Imperatorum exempla, instar omnium esse debent; præsertim cùm isti non minus Ecclesiasticas res curarint, quàm alij quicunque Imperatores, quorum res gestas aduersarij producunt, vt doctrinæ Iudicium & supremam in causis Ecclesiasticis Potestatem penes Imperatores olim fuisse ostendant.

Secunda ratio.

Iam verò (quæ secunda ratio esse potest) distincta semper fuerunt pastorum & Imperatorum officia; & hanc distinctionem vrgere deligētissimè sancti Patres soliti sunt cùm aliquando Imperatores ab hæreticis incitati, ita se rebus Ecclesiasticis immiscerent, vt de illis Iudi-

Apud Athanasium in epist. ad solitariā vitam agentes.
Distincta sunt Imperatorum & Episcoporū officia.
Suidas in verbo Leontius.
Hilarius.

cium ipsi sibi arrogarent. Quum Constantius Imperator Athanasium Episcopum communibus omnium suffragiis deponi vellet, & hac de causa ad Hosium Cordubensem Episcopum scriberet, respondit ei per literas Hosius; *Ne te misceas Imperator rebus Ecclesiasticis, neque nobis* E *in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit. Nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Hęc ille. Móxque ad probationem adfert illud Saluatoris. *Date quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Sic eidem Constantio in simili causa respondit Leontius Tripolitanus Episcopus postea Martyr, vt est apud Suidam. *Miror*, inquit, *quomodo ad alia vocatus, aliis rebus te immisceas. Militaribus enim & Politicis rebus præfectus, in his quæ ad solos Episcopos pertinent præesse vis.*

Athanasius vbi suprà.
Iudices Laici non debent cognoscere causas clericorum.

Nec aliter eidem Constantio scripsit Hilarius. *Prouideat*, inquit, *clementia tua vt ad omnes vbique iudices prouinciarum ad quos sola cura publicorum negotiorum pertinere debet, scribatur; ne posthac præsumant atque vsurpent cognoscere causas clericorum, &c.* In libro imperfecto ad eundem.

Imperatorem præsidere episcopis, Antichristianum est.

Athanasius verò hunc eundem Imperatorem quia de fide cognoscere voluit, Antichristum pronunciat. *Quid hic* (ait) *quod Antichristi sit omisit? Si quidem iam denuo in locum Ecclesiasticæ cognitionis, suum Palatium tribunal earum causarum constituit, séque earum litium summum Principem & Authorem facit.* Et paulò post. *Quis videns eum in decernendo principem se facere Episcoporum, & præsidere iudiciis Ecclesiasticis, non meritò dicat illum eam ipsam abominationem desola-*

Ambrosius epistol. 33. ad sororem.
Nullum est ius Imperiale in diuina.
Ambrosius recusat tradere templa hæreticis etiam iubente Imperatore.

tionis esse, quæ à Daniele prædicta est: Hæc ille & alia multa in Epistola ad solitariam vitam agētes, versus finem. Eandem distinctionem vtriusque functionis contrà Valentinianum iuniorem vrget Ambrosius. Sic enim ei respondit. *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Scriptum est. Date quæ Dei sunt Deo, quæ Cæsaris sunt Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ.* Hæc ille ad Imperatorem præsens, vt refert ipsemet; nolens videlicet poscenti Imperatori Basilicas seu templa tradere, in quibus Arriani docerent. In ipsa autem fidei causa, tùm apertissimè docet Episcopos F de Imperatoribus iudicare, non contrà, tùm etiam ne vlla de fide iudicandi vel species penes

Recusat tractare de fide in palatio.

Imperatorem esse videretur, recusat in Palatio tractare de fide. Vocatus enim ab Imperatore vt cum Auxentio Hæretico coram se tractaret: *Si tractandum est*, inquit, *tractare in Ecclesia didici, quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio; sicut factū est sub Constantino, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit Iudicium sacerdotibus.* Intelligit autem in Niceno Concilio primo. Hæc ille. Apertiùs quoque in eadem Epistola distinctio-

In causa fidei episcopi de Imperatoribus iudicant.

nem hanc docet, *Quando*, inquit, *audisti clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores? & quod Deus donauit mihi, aliis putem esse credendum? At certe si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare:* Hæc ille. Tantundem verò & an-

Athanasius.
In epist. ad solitariā vitā agentes.
Iudiciū ecclesia Authoritatem ab Imperatore nunquā accepit.

te eum Athanasius in simili causa scripsit. *Si iudicium est Episcoporum, quid commune cum eo habeat Imperator? Sin contrà ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo Episcopis? Quando à condito æuo auditum est Iudicium Ecclesiæ ab Imperatore Authoritatem suam accepisse, aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neque patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus*

A *Ecclesiasticis curiosum præbuit. Paulus Apostolus habebat amicos in Cæsaris familia* (eos enim salutari iubet ad Philip. vltimo) *non tamen eos in iudicio socios assumpsit.* Hæc ille. Sub Valente quoque Imperatore Arriano; cùm is similem tyrannidem exerceret, & per præfectos suos ad Arrianismum populum incitaret, constanter ab Episcopis & pastoribus restitum est. In Edessa vrbe, cùm præsente tota multitudine, hortaretur præfectus Eulogium præsbyterum, *vt cum Imperatore communicaret*, respondit ille, *Nunquid cum Imperio est etiam sacerdotij dignitatem Imperator consequutus? Nos verò pastorem habemus, cuius nutum sequamur.* Denique & sub Leone Iconomacho eandem tyrannidem exercente opposuit se egregiè magnus ille Ioan. Damascenus, & Orat. 2. de Imaginibus sic scribit. *Non regiis regulis sed patriis institutis tam scriptis quàm non scriptis Ecclesiam censeo constitui & gubernari oportere.* Hæc ille; Et alia ibidem in eam sententiam multa. Obserua autem quòd omnes hi patres non ideo hos Imperatores arguebant, eò quòd vel seclusis Episcopis soli de his rebus iudicare vellent; (nam & Episcoporum opera vsi sunt) vel minis & vi agerent; vel denique quod hæretici cùm essent, aut hæreticis fauentes, tale de rebus fidei Iudicium sibi sumerent; (sicuti aduersarij fingunt, vt tam apertissimis testimoniis aliquid respondisse videantur) sed simpliciter hoc in eis damnant, quòd seculares principes quum essent, ad reipub. curam vocati, &c. de fide tamen & de Ecclesiæ negotiis, ad quæ tractanda vocati non essent, iudicium sibi & potestatem arrogarent. Hoc enim omnia eorum verba loquuntur, vt consideranti patet.

Vide Theodor. lib. 4. cap. 16.
Obiectiones aduersariæ remotio.

Quòd si verò quis Imperatorum ipsorum hac in re voces desideret, legat Augustinum Epist. 162. vbi Constantinus Magnus de causa Cæciliani Episcopi iudicauit quidem, sed ita, B *vt à Sanctis antistibus veniam postea petiturus esset*: Videat quoque legem Valentiniani senioris apud Amb. Scilicet, *in causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sũt: hoc est sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare.* Certe in Concilio Chalcedonensi Imperatoris commissarij siue iudices dicunt. *Quod placuit Reuerendo Concilio de sancta fide, ipsum nos doceat.* Tantundem ipse Imperator Marcianus ibidem dicit: *Sacerdotes*, inquit, *quid obseruari in religione debeat, perspicua definitione docuerunt.* Idem quoque in Orat. ad Concilium habita, Act. 5. *Nos*, inquit, *non ad ostendendam potentiam, sed ad fidem confirmandam, ad præsentem Synodum venimus; exemplo religiosi Imperatoris Constantini*: de quo sane Ambrosius scripsit Epistola 32. quòd *nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit sacerdotibus iudicium.* Hoc etiam nomine laudat idem Ambrosius in Concilio Aquileiensi Imperatorem Gratianum, *quòd noluit iniuriam facere sacerdotibus, sed ipsos interpretes constituit Episcopos.* Nec aliter Theodosius 2. ad Concilium Ephesinũ loquitur, vt est apud Cyrillum Tom. 4. inter Epistolas: & apud Gratianum distinc. 96. ca. *Satis euidenter.* Misit enim ad Concilium Candidianum Comitem; *Sed* (inquit Imperator) *in nullis quæ facienda sunt, de piis dogmatibus quæstiones communicare. Illicitum namque est, eum qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis se immiscere tractatibus.* In eandem sententiam videre licet, Iustiniani quoque constitutionem 123. ex translatione Haloandri; ac postremò Basilij Imperatoris verba in Concilio generali 8. in orat. ad Concilium habita: Tom. 3. Concil. Omnes C sane disertis verbis profitentur, Ecclesiastica negotia, & maximè ea quæ sunt fidei, ad solos Episcopos non ad se pertinere.

Principum ipsorum hac de re confessio.
Augustin. epist. 162.
Constantini magni.
Valentiniani Senioris.
Ambrosius epist. 32.
Martiani.
concil. chalcedon. Act. 5.
Action. 5.
Ambros. in Conc. Aquileiensi.
Gratiani.
epist. 17.
Theodosij 2.
Iustiniani.
Basilij.

Tertia ratio erit, quod potestas docendi & discernendi ea quæ ad fidem spectant, est potestas spiritualis diuinitus data iis qui ad hoc munus vel legitimè ordinati sunt, vel extra ordinationem à Deo euidenti signo vocati. Hoc ex his quæ antea disputata sunt satis elucescit. Euidentissimè tamen vna illa Apostoli Pauli vox hoc confirmat, qua & Episcopos & Pastores alloquens: *Attendite*, ait, *gregi in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Quod etiam pleniùs docet in priore ad Corinthios ostendens, ideo non omnes esse Doctores nec omnes Prophetas, quia *diuisiones gratiarum, ministrationum, & operationum sunt*, sed ab vno Spiritu. Principes verò & Magistratus Laici hanc gratiam, seu charisma, à Deo non acceperunt: Nam illa datur per impositionem manuũ Præsbyteri, vt ex Apostoli verbis, *Noli negligere gratiam, &c.* iam superius copiosè ostensum est: & idcirco vocat Petrus Potestatem secularem humanam creationem: *Subiecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ*, siue † creationi, *propter Deum, siue Regi, &c.* quia videlicet per homines & ab hominibus confertur humano consensu, consuetudine, lege. Neque verò quicquam valet aduersariorum hic tergiuersatio, quòd charisma hoc doctrinæ intelligatur in ipso officio prædicandi, quod illi principibus non tribuunt; non autem in Potestate de rebus fidei iudicandi. Primùm enim quis non videt eorum esse de fide iudicare, quorum est eam docere, & quos audiri Christus iubet? Iuxta id

Tertia ratio.
Suprà cap. 7. & seq.
Act. 20.
1. Cor. 10.
1. Tim. 4.
1. Petr. 2.
† κτίσει.
Obiectionis remotio.
1.
Luc. 10.
1. Cor. 4.

quod Apostolus dicit. *Loquimur vobis non ex doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus: spiritualia spiritualibus comparantes.* Hoc est, Non sic loquuti sumus vobis, quasi ad docendum vocati, doctrinam Spiritus siue à Spiritu Dei non haberemus: sed doctrinam spiritualem ex ipso S. Spiritus instinctu, vos docuimus. Deinde ipsa ratio ostendit, iudicium ipsum de doctrina, maius & excellentius esse, quàm officium docendi. Siquidem hoc quibusuis verbi ministris, illud autem Episcoporum aut Synodorum semper fuit, vel vt isti volunt, etiam Principum. Si ergo quod minus est, à solo Deo est per impositionem manuum, &c. multo magis quod in eodem genere maius & excellentius est, non nisi à Deo erit per ordinationem externam. Rursum vt de rebus fidei iudicetur, debet fieri (vt aduersarij ipsi fatentur) diligens Scripturarum collatio; quæ & præsentem industriam requirit, & præterea sensus habere debet olim ad hoc exercitatos. Nam *perfectorum*, id est in doctrina fidei peritorum, *est solidus cibus; eorum qui pro ipsa consuetudine, exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Ideóque Ambrosius quum ab Imperatore in Palatium vocaretur de fide responsurus, *Si docendus*, inquit, *est Episcopus à Laico, Laicus ergo disputet & Episcopus audiat.* At Principes sic in cognitione scripturarum versatos esse oportere, vt hoc præstare valeant, & ipsos aduersarios pudet afferere. Quartò sic solis Episcopis & sacerdotibus hoc doctrinæ iudicium Christus commisit, vt nulla facta sit, aut in Euangelio, aut in literis Apostolicis, huiusmodi potestatis mentio principibus Christianis datæ, aut aliquando tribuendæ: maximé, vbi Apostolus ex proposito de potestate docendi Ecclesiæ relicta disputat. Obedientiam tamen principibus debitam, E
quamuis adhuc Ethnicis, diligenter docent Apostoli. Nec excusationis loco esse potest quòd nec dum aliqui principes Christiani essent, (maximè apud tales aduersarios qui ex solo scripto Dei verbo omnia definiri volunt) quòd in veteri lege cùm nondum Rex in Israël esset, ac nec longo tempore futurus esset, tamen officium futuri regis diligenter describitur.

Margin notes: 2. — 3. — ad Hebr. 5. — Epist. 32. — 4. *Scriptura obedientiam principibus debitam docens, potestatē iudicandi de fide in illis nō docens.* — 1. Cor. 12. & ad Ephes. 4. Pauli ad Rō. 16. & Pet. epi. 1. cap. 2. — *Obiectionis Remotio.*

1. Postremò, ad multa & longè maxima inconuenientia, hæc aduersariorum positio ducit. Primùm enim hoc longè absurdissimum sequeretur, pro ratione cuiusque regionis & regni, fidem quoque fore diuersam: dum singuli reges quod ipsis melius videbitur, in religione statuent. Nam aut illorum hic voluntas valebit, (& sic nunquam erit certa & constans fidei vnitas) aut non valebit, & sic erunt perpetua bella: vel ciuilia in ipso populo, vel externa cum aliis regibus. Præterea nulla vna regio eandem fidem constanter tenebit, sed pro voluntate noui
2. Principis in annos mutabitur. Cuius rei miserabile exemplum vicina est nostra Anglia, quæ sub Henrico 8. schismatica facta, mox sub Edouardo puero, è Lutheranismo ad Caluinismū transiit. Deinde sub Maria Catholica, ad Ecclesiæ gremium reuersa, mox sub Elizabetha ad Caluinismum est relapsa, futura iamdudum Puritanorum opera, adhuc Memnonitica penéque Anabaptistica, nisi sola Authoritas Regia (eiectis illius sectæ Ministris) vi magna sese opposuisset, & fortiter restitisset. Vt nihil hic dicam de domo charitatis, de super illuminatis, aliisque sectis antea inauditis, eadem authoritate regia diligenter ibidem repressis. Causa autem horum est, quod Reges singuli in suo regno supremi sunt, nec vni summo Imperatori omnes parent, nec vel à suo populo, vel ab aliis regibus in ordinem cogi volunt, nisi vi adhibi- F
3. ta. At in Episcopis nullum horum accidit. Nam & vni summo pastori Romano Pontifici omnes subduntur, & si aliquis Pastor à fide deuiet, à reliquis coëpiscopis vocata Synodo sine
4. cæde & sanguine in ordinem cogitur, deponitur, expellitur. Rursum non fit vlla legitima Pastorum successio, absque doctrinæ quoque successione. Talis successio in regibus non requi-
5. ritur, quatenus reges sunt. Deinde nullus censetur verus pastor, qui non consentiat & communicet in fidei doctrina, cum omnibus omnium regionum Orthodoxis Episcopis. Reges cum regibus nullam talem fidei communionem profitentur, aut ad illam obligantur. Huc accedit quòd maximum erit periculum, ne vlla sit syncera & veri nominis fides in plebe tota. Siquidem quod ad synceritatem attinet, verisimile est ad regis voluntatem omnes se conformaturos, ex metu magis & propter Imperium regis, quàm quòd sic ex animo sentiant. Possunt enim & solent reges, à sua religione alienos bonorum omnium iactura, exilio, & morte mulctare. Quæ omnia quia magis reformidant plerique homines, quàm pœnas Ecclesiasticas, certum est horum metu quamplurimos fore qui dissimulent. Quorum omnium exemplum nimis illustre, est eiusdem Angliæ per annos iam fere 20. status calamitosissimus. At in Regimine Ecclesiastico, nec ita metuuntur pastores, nec huiusmodi pœnis subiacent, qui eis non obediunt. Excommunicatio enim quæ summa pœna Ecclesiastica est, ad animum non ad corpus pertingit. Pœnas autem corporum magis quàm animorum exhorrere homines.

Margin notes: Deuter. 17. — *Absurda quæ ex protestantium doctrina consequuntur.* — *Frequens Religionis innouatio in Anglia.* — *Syncera fides nox erit quæ Regum Authoritate nititur.* — *Ecclesiastica Authoritas non cogit.*

A homines solent. Seculare brachium etsi interdum accedat, non tamen id facit, vt ad nouam fidem impellat, sed vt à veteri non recedatur. Qua in re assensus non cogitur, sed cōtinetur; & magis publicæ paci consulitur, quàm ipsi voluntati hominum ad fidem aliquam amplectendam vis infertur. Neque enim hoc fit nisi in apertè rebellibus, & archihæreticis seductoribus ipsis, aut ipsius hęresis vel schismatis fautoribus obduratis. Vera quoque fides non erit, quam ex voce regis populus accipit, etsi syncerè consensum præbeat, sed humana tantùm & acquisita, non diuina & infusa. Huius enim formalis ratio est, vt rebus diuinitus reuelatis animus assentiatur, non propter regum aut hominum politica edicta, sed propter Deum per vocem & testimonium Ecclesiæ tanquam infallibilis regulæ loquentem, vt postea suo loco magis explicabimus. His ergo fundamentis, satis stabilita videri potest positæ assertionis veritas; maximè si his adiungas, quæ suprà contra popularem potestatem, & deinde pro sacerdotali potestate, antea disputata sunt.

Vera fides esse non potest quæ Regum Authoritate nititur.

lib. 8. cap. 10. & seq.

cap. 2. & 7.

Argumenta pro hæreticorum sententia, ex scripturis veteris testamenti enumerantur, & breuiter confutantur.

CAPVT XIX.

B

His itaque sic præmissis, aduersariorum nunc argumenta expendamus. Illa partim in Scripturis & exemplis regum veteris testamenti, partim in historia Ecclesiæ, consistunt. Sed hoc posterius genus hic planè prætermittimus, tùm prolixitatis vitandæ causa, tum etiam quia quæ hactenus ex patribus & historia Ecclesię produximus, manifestissimè ostendūt, nec Episcopos vnquam catholicos Principibus Catholicis hoc iudiciū detulisse; nec ipsos Catholicos Principes istud sibi iudicium aliquando arrogasse: vt in verbis Athanasij habes suprà ex epist. ad solitariam vitam agentes. Soli hæretici interdum Imperatores, ab hæreticis Episcopis inducti istud fecisse leguntur. Itaque ex scriptura veteri citant illud. *Postquam sederit Rex in solio regni sui, describet sibi volumen legis huius in volumine, & habebit secum; legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Deum, & custodire verba & cæremonias, &c.* vnde cōsequi volūt, vt & possit & debeat Princeps Christianus, de doctrina fidei ex ipso verbo Dei cognoscere, & iudicare. Item illud. *Nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Et rursum, dicit Rex Dauid. *Nonne qui oderunt te oderam, & super inimicos tuos tabescebam? At quomodo hæc facere poterit* (infert Brentius) *nisi ante cognouerit & indicauerit quæ sit doctrina impia?* Rursum ex illis verbis. *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ,* infert, *perspicuum esse quòd vt priuatus priuatam, sic princeps publicam habeat de doctrina religionis*

C *indicandi & decidendi potestatem.* Hæc ille in Prolegomenis. His omnibus idem responderi breuiter posset, quod aliis Scripturis responsum est, quæ superius ab aduersariis allatæ sunt, vt populo hanc potestatem assererent. Nam vt ibi populus, sic hic reges ad cognitionem, studium, & cultum rerum diuinarum inuitantur; non tamen pro suo cuiusque arbitrio aut potestate, sed seruata Obedientia fidei, mensura donationis, & Ordine vocationis, in Ecclesia à Deo constitutis, de quibus superiùs egimus.

Soli heretici Principes iudicium in causa fidei sibi vendicarunt.

Deut. 7.

Psalm. 2.
Psal. 138.

Suprà cap. 4.

S. Augustini sententia hac de re contra Donatistas explicatur, & nihil pro aduersariis facere ostenditur.

CAPVT XX.

ED si ita breuiter rem concludimus, Donatistarum crimen nobis odio- D
sissimè impingent Aduersarij, qui hoc in Augustino & Catholicis repre-
hendebant, quòd regum iudicio & authoritate, in causis Ecclesiasticis vsi
essent; Augustini quoque Authoritatem grauissimam opponent, qui sic eũ
reprehendentibus Donatistis, ex his eisdem scripturis contra illos, probat
quiddam amplius circa causam fidei ad reges, quàm ad cęteros fideles per-
Obiectiones ex Augustino pro Authoritate Regum in causis ecclesiasticis. tinere. Obiicienti enim Petiliano Donatistæ ac dicenti; *quid vobis cum regibus seculi quos nun-
quam Christianitas nisi inuidos sensit?* Respondet August. *Reges excepta generis humani societate, eo
ipso quo reges sunt, habere vnde Domino seruiant, quomodo non possunt qui reges non sunt.* Illud au-
Lib. 2. ca 92. cont. literas Petiliani. tem quale sit alibi explicans, ait. *Postquam impleri cœptum est, & adorabunt eum omnes Reges
terræ, quis mente sobrius Regibus dicat? Nolite curare in regno vestro à quo teneatur vel oppugnetur
Epist. 50. Ecclesia domini vestri. Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse religiosus siue sacrilegus.*
Lib. 1. cap. 7. contra Parmenianum. Hæc ille. Et adhuc alibi apertiùs. *An forte, inquit, de religione fas non est, vt dicat Imperator, vel
quos miserit Imperator?* Ex quibus omnibus conficiunt aduersarij, & Donatistarum hæresim
Responsio ad easdem. fuisse, causas fidei ad principes non pertinere; & Augustini mentem fuisse, fas esse principibus
de causis fidei cognoscere. Sed totus hic fucus facile abluetur. Donatistæ enim non de fidei
aut doctrinæ alicuius iudicio per Imperatorem facto, hoc totum obiiciebant; sed contra leges
Quo sensu Reges curare debẽt res ecclesiasticas. Imperatorum circa ipsos coercendos, ista disputabant, nolebántque vel Imperatores propter
causam religionis aliquẽ punire, legésve aut edicta promulgare; vel Episcopos ipsos talem ab
Epist. 50. Imperatoribus contra hæreticos opem implorare: quæ etiam hodie nostrorum hæreticorum E
est doctrina. Hoc Augustinus in illis repræhendit; & probat, debere reges curare etiam ea quę
Epist. 166. ad religionem pertinent; idque excellẽtiori quodam modo quàm cæteri fideles possunt; nem-
pe leges ferendo pro veritate, & coercendo hostes veritatis. Hanc suam mentem apertissimè
explicat variis in locis. Primùm ait. *Aliter seruit Rex quia homo est, aliter quia Rex est: quia homo
est, seruit Deo fideliter viuendo; quia verò etiam Rex est, seruit ei leges iusta præcipientes & contraria
prohibentes conuenienti vigore sanciendo.* Item, alibi docet quidem *iussiones regum pertinere ad præ-
Lib. 3. cap. 51. dicandam religionem,* sed addit quomodo; *leges* (inquiens) *pro veritate ferendo, sicut fecit Nabucho-
donosor.* Non ait, de veritate ipsa iudicium ferendo: quod & fusius docuit epist. 48. Sic & con-
tra Cresconium. *Reges in quantum reges sunt, seruiunt Deo iubendo bona & prohibendo mala; non
solùm quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad diuinam religionem.* Denique cũ Gau-
dentius Donatista obiecisset, *Christum ad insinuandam fidem piscatores non milites misisse,* respõ-
Lib. 2. cap. 26. contra Gaudentium. dit Augustinus. *Reges qui Ecclesiam tenent, certissimè iudicant ad suam curam pertinere, ne vos ad-
uersus eam rebelletis impunè.* Et paulò post, propter illa verba, *Nunc reges intelligite, &c. Sentiunt,*
Psal. 2. inquit, *reges suam potestatem ita Domino seruire debere, vt ea potestate plectantur, qui nolunt eius vo-
Imperatorem de Religione posse dicere, quo sensu Augustinus dixerit. luntati seruire.* Hæc ille. Vides vt nihil aliud Regibus tribuat, in quantum Regibus, quàm po-
testatem plectendi rebelles veritati, & pro veritate leges ferendi, id est, Ecclesiæ decreta suis
legibus promulgandi, defendendi, & executioni mandandi, vt suprà diximus. Quod autem
Lib. 1. cap. 7. contra Parmenianum dixit Augustinus, *fas esse de religione dicere Imperatorem vel ab eo missos;*
Epist. 48. Primùm hoc non ex sua sententia dicit, sed vt Donatistas obturet, qui hoc ipsimet fecerant.
Ad Vincẽtiũ. Nam propterea subiungit. *Cur ergo ad Imperatorem venêre vestri legati? cur eum fecerunt causæ F
suæ Iudicem?* Sic & in alio loco. *Quid nobis obiicitis, quod vestra præsumptio primitus fecit?* In alia
verò epist. ostendit prolixè, eos ad Constantinum Imperatorem à iudicio episcoporum appel-
Donatistarũ incredibilis impudentia. lasse; Constantinum autem aliud iudicium episcoporum dedisse; *non quia* (ait Augustinus) *iam
necesse erat; sed vt eorum peruersitatibus cederet, omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere.
Constãtini magni insignis pietas. Neque enim ausus est Christianus Imperator de iudicio episcoporum qui Romæ sederant, ipse iudicare;
sed alios vt dixi, episcopos dedit. A quibus tamen illi, ad ipsum rursum Imperatorem prouocauerunt.
Qua in re Imperator eis cessit, vt de illa causa post episcopos ipse iudicaret; à sanctis antistibus postea ve-
Lib 1. contra Parmenian. niã petiturus.* Hæc ibi Augustinus. Hoc etiam Donatistarũ factum, ipsi Imperatori vehemen-
tissimè displicuisse, illa Constantini vox apud Optatum satis testatur. *O rabida furoris audacia:
1. sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Deindè non erat hoc totum, iu-
dicium aliquod doctrinæ aut fidei; sed quęstio facti: scilicet de traditione diuinorum codicum
tempore persecutionis; cuius criminis Donatistæ Cæcilianum Carthaginensem episcopum
accusabant; & de eo crimine post varias obstinatissimorum hominum appellationes, Im-
perator iudicabat: quod Augustinus vocat, *De religione dicere* vel sententiam ferre: religio-
nis nomine, non doctrinam fidei intelligens, sed querelarum & litium quæ de facto cir-
ca religionis vsum controuertuntur, cognitionem. Cognitionem quoque, non qua
Imperator,

A Imperator, vel deponere, vel creare episcopos queat; sed qua delinquentes exilio, mulctis, gla- 2.
dio punire possit: punire quoque non simpliciter, sed postquam ab aliis episcopis conuicti,
damnati, & gradu clericali despoliati fuerint. Huc enim rem disputando deducit August. di- 3.
cto lib. 1. cap. 7. contra Parmen. & in epist. 48. apertissimè. Hoc enim adeo Donatistæ nega- Rom. 13.
bant, vt illud Apostoli, *Non enim frustra gladium portat*, interpretati fuerint de ministris eccle-
siæ, & de gladio spirituali, quæ est excommunicatio. vide ibidem Augustinum. Hæc paulo fu-
sius ex Augustino disputata sunt, quia hunc per se omnino stare, putant nostri hodie Laicoce-
phali.

Argumenta Hæreticorum ab exemplis veteris Testamenti desumpta proponuntur.

CAPVT XXI.

EXEMPLIS veterum regum magis hanc rē vrgent Laicocephali. Moy-
ses, inquiunt, non sacerdos, sed princeps & dux populi, aut certè non
summus sacerdos, omnem sacræ doctrinæ rationem Israelitis tradidit,
imò & ipsum Aaronem cęterósque Leuitas de rebus omnibus instruxit,
Iosue dux Israëlitarum, *præscribit sacerdotibus de portanda arca fœderis*: ex- Cap. 3.
B ponit mysterium & *significationem 12. Lapidum quos in transitu Iordanis* Cap. 4.
erexit: circumcidit filios Israël, ædificauit altare Domino: cōcionatur populo, mo- Cap. 5. Cap. 8. Cap. 23.
nens ne commercium ineant cum gentibus. Hæc omnia Iosue dux, nō autem Eleazarus qui 1. Paralip.
summus sacerdos fuit. Dauid Rex *arcam reducit*: *Benedicit populo in templo; constituit ministros* cap. 13. cap. 16.
altaris, psalmos composuit, &c. *Salomon eiecit Abiathar vt non esset sacerdos*, cęteráque fecit vt 3. Regum. 4.
Dauid. Iosaphat *constituit Leuitas & sacerdotes. Prædicauit ieiunium vniuerso Iuda*, & cohortatus 2. Para. ca. 19.
est populum ad fidem. Ezechias instaurat templum Domino, tollit æneum serpentem, con- cap. 20. 2. Paralip. 29.
cionatur Sacerdotibus & Leuitis: iubet fieri phase extra tempus suum. Idem quoque de Iosia cap. 30.
narratur. Cap. 34.

Responsio generalis, ex vario discrimine status illius Ecclesiæ & nostræ.

CAPVT XXII.

HIs omnibus veterum regum exemplis breuiter responderi potest, non re-
ctè illa ad Principes Christianos transferri, vt quod in regimine rerum ec-
clesiasticarum, vel illi fecerint, vel illis licuit, Christianis quoque Princi-
C pibus liceat. Cuius discriminis variæ rationes afferri possunt. Primùm vt
Iudæorum sacerdotium imperfectius erat, quia vmbraticum tantùm ac
melioris præfiguratiuum, suóque tempore in melius commutandum; sic *Prima causa discriminis, à Sacerdotij imperfectione.*
ipsius sacerdotij regimen imperfectius fuit: vt illud videlicet etiam aliqua
ex parte ad Reges pertinere non incongruè posset. Siquidem sacerdotij dignitatem consequi-
tur sacerdotalis Potestas, vt ex nobilissima Apostolorum missione, Luc. 10. Ioan. 20. Matth. vl-
timo, & ex Apostoli disputatione 2. Cor. 3. facile est colligere. Rursum sacerdotium vetus ha-
buit suas leges, sacrificia, ritus, & ceremonias omnes à Moyse præscriptas atq; conscriptas; qui-
bus nefas erat vel addere vel detrahere quicquā: vt hic nulla fere alia re opus esset, quàm præ- *Secunda causa à ceremoniarū vel sacrificiorum conditione.*
scriptos cultus & leges executioni mandare: in quo genere reges concurrere commodissimè
possent. Nam ardua & sublimiora fidei mysteria quæ sacerdotum iudicia maximè desidera-
rent, nondum erant necessariò explicitè ab omnibus credenda, sed tantùm à maioribus: à cæ- Deut. 4. & 12.
teris autem in fide maiorum vt ex sententia patrum docet S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. in corp. At in
Ecclesia Christi & quàm plurima accesserunt mysteria explicitè credenda, etiam à minori-
bus & vulgo fidelium (nempe quæ in articulis fidei continentur; circa quæ male intellecta
hæreses oriuntur:) & præterea cultus diuini externíque regiminis ratio, ritus, ac ceremo-
niæ, scriptæ omnino non fuerunt, sed (vt notauit Augustinus in ritu & ordine sumen-
dæ cœnæ Domini) *Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, seruauit Christus hunc locum.* Epist. 118.

Tertium discrimen à disciplinæ qualitate.
Deut 17.
De fide & operib. cap. 2.

Quod quemadmodum ab Apostolis præstitum sit, copiosè enarrat Dionysius Areopagita in toto libro ecclesiasticæ hierarchiæ. Tertio synagogæ disciplina erat gladius, & pœnæ temporales. *Qui superbierit, obedire nolens sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morte moriatur.* Et, vt totus ille status seruorum erat, non filiorum: sic terrore & externis pœnis, non amore & spiritualibus pœnis ducebantur. *Quod enim tunc fiebat gladio, lapidationibus, alijsque corporeis censuris, illud* (ait Augustinus) *degradationibus & excommunicationibus faciendum esse significatum est hoc tempore: cùm in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.* Hęc ille. Hinc ergo factum est, vt propter disciplinam illam corporalem, & visibilis gladij qui in manu regum erat, Reges ipsi causis ecclesiasticis non solùm piè, sed etiam necessariò sese nonnihil immiscuerint. Nunc verò, cũ visibilis gladius non pertineat amplius ad disciplinam Ecclesiæ, vt docuit Augustinus, datur intelligi non amplius ad Reges Ecclesiæ disciplinam & regimen pertinere; sed ad illos tantùm quorum est ligare & soluere: & cætera. Quartò cùm Synagoga vetus in vno populo concluderetur, & in vno loco sub illa sacrificaretur, non erat incommodum, vt vni quoque Regi, Synagogæ cura magna ex parte committeretur. At in Ecclesia multarum gentium, vt idem fiat impossibile est; vt suprà ostensum est. Imò sic erat sacerdotium vni regno coniunctum, vt ex diuisione regni necessariò cõsecuta fuerit diuisio religionis, vt in exemplo illo Hieroboæ factũ est. Quamuis enim directè & immediatè *non religionis sed regni fuerat facta diuisio* (vt docet Augustinus in libris de ciuitate Dei, & de vnitate Ecclesiæ,) tamen propter coniunctionem sacerdotij cum regno Dauidico, & cum templo Hierosolymitano, consequutum est schisma: ipso videlicet Hieroboam metuente, ne ex occasione vnius religionis in vno loco obseruādæ, E regnum quoque ad vnum reuerteretur; quod vide in historia regum. At cum vnitate religionis Christianæ bene constat multitudo regnorum; quia non vni regno aut loco, sed vni summo Pastori & vni Regulæ fidei religio Christiana nititur & adhæret. Quin & hoc discrimen apertè scriptura insinuasse videtur, cùm Synagoga quidem dicta sit *regnum sacerdotale*, Ecclesia autem Christi, *regale sacerdotium. In his enim Petri verbis* (ait Sanctus Thomas in commentar. ad eum locum) *innuitur Prærogatiua noui testamenti respectu veteris. In nouo enim testamento sacerdotium præeminet regno, sicut spiritus corpori: in veteri verò regnum præeminebat sacerdotio. Ideo ibi regnum, hic sacerdotium in substantiuo ponuntur, eo quòd ibi ex regno, hic ex sacerdotio, quasi subsistat religio.* Hæc ille. Postremò, quia contra hoc discrimen Augustinum aduersarij producũt, sciendum est, non esse illam Augustini mentem quam fingunt, ac vehementer inculcant, tanquam rem certissimam: quòd veteres reges figuræ erant Christianorum principum, sed sub conditione tantùm id ponit his verbis. *Veruntamen*, inquit, *si facta præterita in Propheticis libris figuræ erant futurorum, in rege Nabuchodonosor vtrumque tempus præfiguratum est: & illud quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia.* Hæc ille. Vbi non rem asserit categoricè, sed proponit hypotheticè. Deinde si illa facta præterita essent figuræ futurorum, non propterea in omnibus respondere figuræ veritas debet, sed tantummodo quatenus noui huius temporis & Testamenti excellentia patitur. Itaque quia excellentior hic status est, propterea veteris regiminis defectus, non imitari & exprimere, sed corrigere & superare debet. Est autem defectus in regimine Ecclesiæ, sęculari potestati subiici; & propter imperfectionem veteris regiminis, ita in veteri populo fieri potuisse iam ostendimus. Sic sacrificia vetera figura sunt nostri sacrificij, non in eo quod imperfectum habebant (vt quòd sæpius repeterentur, & iustitias carnis non spiritus operarentur, sicuti demonstrat Apostolus) sed in eo quòd rem perfectam prefigurabant: videlicet effusionem sanguinis, remissionem peccatorum, expiationes animæ, & similia. Propter has ergo causas breui exceptione responderi posset; hæc veterum regum exempla, contra regimen ecclesiasticum in Ecclesia Christi, à quo reges excluduntur, nihil facere. F

D

Quarta causa ab ipsius Synagogæ statu.
cap. 18.
Lib. 7. cap. 12.
cap. 12.
3 Reg. 12.
Exod, 19.
1. Petr. 2.
In nouo Testamento Sacerdotium praeminet regno.
Augustini sententia hac de re explicatur.
Epist. 48.
Quo sensu facta veteris Testamẽti figura sunt noui.

Responsio particularis, ad singula exempla veteris Testamenti superius producta, cum protestantum Anglorum nouis Replicis etiam confutatis.

CAPVT XXIII.

Sed

A SED ne magis euasisse, quàm obiectis satisfecisse videamur, & vt facta veterum Regum melius intelligantur, singulis iam exemplis cominus respõdebitur, vt omnis cauillandi ansa aduersariis semel præcidatur. Moyses sine dubio sacerdos fuit, nec sine maxima impudentia negari potest, dicente scriptura: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*: quod & sancti patres vno ore docent. Augustinus enarratione in eundem locum. Hieronymus, libro primo contra Iouinianum. Chrysostom. Homilia tertia in acta Apostolorum. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Moyse & Aaron. Philo Iudæus de vita Moysis libro tertio. Sed replicant aduersarij, quòd non ipse sed Aaron summus sacerdos fuit; ideóque quæ fecit, non vt sacerdos, sed vt Princeps populi faciebat. Plenius itaque respondetur sacerdotalis Potestatis duplicem esse functionem. Alteram verbi & sacramentorum, quæ potestas ordinis dicitur: Alteram regendi & leges ferendi quæ Potestas iurisdictionis vocatur. In hac Moyses, in illa Aaron Princeps fuit, dicente Deo. *Aaron loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei, in his quæ ad Deum pertinent.* Sic Augustinus rem exponit. *Si Moyses*, inquit, *sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia gerebantur? Si fuit, quomodo summum sacerdotium ab eius fratre incipit?* Et paulo pòst respondens, ait. *Ambo erant summi sacerdotes. Aaron propter vestem pontificalem*; id est, cultum sacrificiorum: *Moyses propter excellentius ministerium*: iurisdictionem scilicet. Denique Moyses Christi figura fuit, à solo Deo immediatè missus, & institutus sacerdos: Aaron vero Petri typus erat, sub Moyse vt hic sub Christo, summus sacerdos, aliorúmque omnium sacerdotum princeps, sed in vocatione ordinaria & ministeriali.

De Moyse. Psa. 98. Moyses Sacerdos erat. — Replica aduersariorum nouella Solutio. — Sacerdotalis potestatis duplex functio. — Exod. 4. — Quæst. super Leuit. lib. 3. quæst. 23. tom. 4. — Moyses christi, Aaron vero typus erat.

B Neque enim biceps fuit illa Synagoga sub Moyse & Aaron, non magis quàm nunc Ecclesia sub Christo, & Petri successore. Iosue Moysi successit, vt ex Num. vigesimo septimo, & Deuteronom. trigesimo quarto patet. Dicitur enim quòd Moyses ipsi Iosue manus imposuit, initiante quoque eum Eleazaro, & repleuit eum Spiritu sapientiæ. Itaque magna ex parte eandem potestatem exercuit, sed non ex omni. Nam Moyses à Deo immediatè missus atque edoctus in omnibus, & dux fuit & sacerdos. Iosue verò dux tantùm populi creatur, vt explicat Theodoretus. Nam & ideo ad Moysen ait Deus, *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* (non ait omnem & eandem,) *vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israël.* Addit quoque Deus. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius, egredietur & ingredietur ipse & omnes filij Israël cum eo.* Vides iam non Iosue ducem esse Eleazaro in his quæ ad Deum pertinent, sicut Moyses erat Aaroni: sed contrà, Eleazarum sacerdotem esse hoc ipsi Iosue; eúmque omnia facere ex consilio Eleazari. Consilio quoque non quod liberè aut acceptare aut repudiare poterat, sicuti solet & potest princeps consiliariorum suorum sententias, (vt ad hunc locum replicant aduersarij) sed cui obtemperari debebat, sicut antea ipsi Moysi obtemperare debuerat Aaron. Idem enim est hic Eleazarus Iosue, quod Moyses fuit Aaroni. Rursum Iosue, non illa omnia quæ in obiectione fecisse dicitur, ipsemet fecit, sed per alios fieri mandauit; sicuti hæc ipsa facta nobiscum intelligunt aduersarij, ne suos etiam principes ad ministerium verbi & sacramentorum his exemplis compellerent.

De Iosue. — In Numeros quæst. 48. — Deuter. 34. — Num. 27.

C Eodem fere modo quæcunque Dauid fecisse dicitur, (exceptis psalmis quos ipse vt propheta, non vt Rex composuit) illa omnia nec ipse fecit, sed fieri curauit; nec ex suo iudicio fecit, sed (vt dicitur in Paralipomenis) *iuxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini*, & cætera, *cuius etiam legis* (ne in ea vel accipienda vel exponenda sua Authoritate vti posse videretur) *iubetur futurus rex* (quod Dauidem fecisse dubitari non debet) *accipere exemplum à sacerdotibus leuiticæ tribus.* Rursum per Dauidem factæ sunt sacerdotum & leuitarum vices, secundum ministeria sua, *vt ingrediantur domum Domini & iuxta ritum suum* (non aliquem à rege præscriptum) sed *sub manu Aaron Patris eorum, sicut præceperat Dominus*, id est, sub spirituali regimine Aaronico non regio, nisi quatenus ad obseruationes rituum executioni mandandas attinet, quam potestatem Christianis regibus non negamus.

De Dauide. — Cap 16. — Deut. cap. 7. — 1. Paral. 24.

Salomon *abiecit Abiathar, ne esset sacerdos* Domini, id est, ne fungeretur officio sacerdotis Domini in templo. *Vade*, inquit, *in Anathoth ad agrum tuum*; vbi exulare à templo iussus est, & consequenter non fungi sacerdotio; quo extra illud templum fungi non potuit; sed sacerdotali gradu & ordine eum non spoliauit. Sic multi episcopi à Christianis Regibus in exilium acti sunt, vel propter priuatas quærelas & iniurias

De Salom. Respons. 1. Aliud episcopũ in exilium mittere, aliud eum episcopali gradu priuare.

acceptis, ſicuti hic Salomon fecit, vel propter Reipub. bonum & pacem, aut alias ſimiles cau- D
ſas. Non tamen eos propterea epiſcopali dignitate ſpoliarunt, ſed functione tantum per conſe-
Reſponſ. 1. quens exuerunt, quam extra ſuæ Diœceſeos limites exercere nõ poterant. Deinde (quod ma-
ximè ad rem præſentem pertinet,) non ex aliqua fidei & religionis cauſa eiecit Salomon Abia-
thar, vt propterea in cauſa fidei iudicium exercuiſſe videri poſſet, ſed propter læſam maieſtatẽ
& conſpirationem factam contra Salomonem cum Adonia ad regnum aſpirante, vt patet 3.
Reg. cap. 1. Sic multi Catholici principes, epiſcopos & ſacerdotes propter offenſas priuatas in
exilium egerunt, qui tamen in doctrina fidei nullum propterea iudicium exercebãt, aut exer-
cere ſe poſſe exiſtimabant. Neque verò [vt ad maiorem rei inuidiam clamitant hic aduerſarij]
Abiathar non erat ſummus Sacerdos. Abiathar ſummus ſacerdos fuit, & figura Papæ, ſed Sadoc. Nam ex Ithamar minore filio
Aaron oriundus erat, non ex Eleazaro ſeniore fratre ſicut Sadoc, ideóque ſemper ei Sadoc in
ſcriptura præfertur.

Ioſaphat conſtituit miniſtros templi, prædicauit ieiunium, cohortatus eſt populum eo ſen-
Vide 1. Paralip. cap. 24. ſu & modo quo Dauid & Ioſue. Nam quod de ipſa doctrina fidei nullum ſibi iudicium arro-
De Ioſaphat. gauit, ipſemet apertiſſimè teſtatur his verbis, alloquens ipſos ſacerdotes & principes familia-
rum, ſcilicet ſacerdotalium, vt deſcriptum habes 1. Paralip. cap. 24. *vbicunque*, inquit, *quæſtio eſt*
2. Para. ca. 19. *de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite fratribus veſtris vt non peccent in Do-
mino. Amarias autem ſacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent præſidebit. Porro
Zabadias qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent.* Hæc ibi. Hic
apertè diſtinguuntur *ea quæ ad Deum pertinent*, & *ea quæ ad officiũ regis pertinent*. Vnde ſequitur E
res diuinas, ad officium Regis non pertinere. Alioqui male & ineptè, tanquam oppoſita diui-
Cauillatio 1. ſionis membra vtraque ſtarent. Replicant hic aduerſarij duo. Primùm, *in his quæ ad Deum per-
tinent*, intelligi tantùm ea quæ ad cultum ſacrificiorum peragendum, ſeu rem diuinam faciẽ-
dam pertinent, quæ agnoſcunt ad regis officium non pertinere, ſic vt ipſe illa adminiſtret, non
autem intelligi omnem rerum diuinarum adminiſtrationem, nec doctrinæ & religionis iudi-
cium. Deinde, etſi totum intelligatur, tamen quia Ioſaphat Rex vtrumque præſcribit, & in
vtroque genere Magiſtratum conſtituit, aut vtrumque ab eius poteſtate pendet, aut ſi cura
rerum diuinarum ab eo non pendet, nec ciuilium rerum pendebit. Ad prius cauillum reſpon-
Reſponſ. ad 1. detur, illis verbis, *In his quæ ad Deum pertinent*, non ſolùm rei diuinæ cultum ſignificari, ſed
Exod. 4. etiam omnem planè rerum diuinarum adminiſtrationem. Nam eiſdem verbis vſus eſt Deus
ad Moyſen. *Aaron erit os tuum. Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Quis autem dicat
Moyſen tantùm in re diuina facienda præfectum à Deo fuiſſe, quum hoc potius ad Aaronẽ
Exod. 18. ſpectaret, vt antea diſtinximus? Rurſum eiſdem verbis vtitur Ietro ad Moyſen. *Eſto tu populo
in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ à Deo dicuntur ad eum, oſtendáſque populo ceremonias,
& ritum colendi*, &c. vbi apertè, *ea quæ ad Deum pertinent*, exponuntur ad doctrinam & regimẽ,
non ad cultum referri. Ad poſterius cauillum reſpondetur, Ioſaphat hoc in loco neutrum con-
ſtituere magiſtratum; ſed de iam conſtitutis, ſacerdotes & populum admonere; & vtriuſque
officium diſtinctim declarare. Nec quia vtrunque hoc facit, propterea vtrunque officium, aut
vterque magiſtratus ab ipſius poteſtate æqualiter pendet: tùm quia admonere, etiam in rebus F
Eccleſiaſticis ſeculari principi non denegatur; ſed de rebus ipſis diſcernere, quatenus talia ſunt,
hoc denegatur: tùm quia, ne ſic quiſquam putaret, apertè ipſe Ioſaphat vtrunque officium di-
ſtinxit, vt ſuprà. Rurſum Zabadiam quidem Rex Ioſaphat ſua ſola authoritate Ducem ſub ſe
conſtituit, Amariam autem Sacerdotem non ille, ſed lex ipſa ſacerdotalis præſcripſit, tanquam
de filiis Aaron maiorem natu.

De Ezechia. Neque verò aliter Ezechias circa Dei cultum operam dedit, quàm Dauid, & alij reges prę-
4. Reg. 18. dicti; apertè dicente de eo ſcriptura; *fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat
Pater eius*, ſupple Dauid, & apertiùs 2. Paral. 29. *conſtituit leuitas, &c. ſecundum diſpoſitionem Da-
uid, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ. ſicuti Domini præceptum fuit per manum Prophetarum
eius*; vt videlicet quemadmodum Dauid, ſic & ille ea executioni mandaret, quæ per miniſte-
rium Prophetarum, id eſt ſacerdotum, quorum officium olim Prophetæ interdum (licet ex-
Replica aduerſariorum reſpõdetur. tra ordinem) gerebant, Deus præceperat. Quod autem vrgent adhuc aduerſarij, Ezechiam
etiam aliqua feciſſe, de quibus mandatum, vel in lege, vel in Prophetis nõ erat; vt quòd volun-
tariæ oblationes illo iubente à populo factæ ſunt, quòd leuitæ adiuuarent ſacerdotes in detra-
Leuit. 10. hendis pellibus holocauſtorum, (quod Sacerdotum tantùm erat) denique quòd paſcha cele-
2. Paralip. cap. 30. braret tempore non ſuo; poſtremò quòd æneum ſerpentem contriuit; ex quibus omnibus
conficere volunt regem hunc, etiam ſua ſolius authoritate; tùm nouos quoſdam ritus circa
religio-

A religionem instituisse, tum quoque de veteribus etiam in lege præscriptis dispensasse; Res- 4.Reg 18. pondetur in his omnibus, nihil tale Ezechiam fecisse quale ipsi inferunt. Tantummodo enim in ritibus nonnihil pro præsenti tempore imminuauit, circa illud leuitarum ministerium & Paschæ celebritatem; non vt illa sic deinceps semper fierent decreuit. Sed prius quidem propter præsentem necessitatem fecit, *quia sacerdotes nondum sanctificati fuerant*, vt habes cap. 29. posterius ex zelo quodam, in ipsis auspiciis regni sui, primo quoque tempore fieri voluit, quod propter impios reges prædecessores suos, iam diu fieri cessatum fuerat. Fecit autem mense secundo, tùm quia (vt textus dicit) *sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, &c.* 2.Paral.c.29. Num. 9. tùm quia, etiam conceditur in lege expresse, iis qui propter immunditiam impediuntur facere phase mense primo iuxta præceptum Leuit. 12. vt facere id liceat mense secundo, sicuti hic ab Ezechia ex grauiori causa factum est. Postremò hæc omnia, sicuti & serpentis demolitionem, non inuitis aut inconsultis sacerdotibus fecit, sicut isti Laicocephali inuito toto clero, principi Potestatem demoliendi & constituendi, quæ ad religionem pertinent, tribuunt; sed de consilio sacerdotum, vt Lyra in Glosa Ordinaria ex sententia Hebræorum annotauit. Non potest autem in exemplum perpetuæ & ordinariæ Potestatis trahi, quod vel vrgente necessitate, vel ex zelo honoris Dei, vnus quispiam Rex fecisse semel legitur.

Iosias postremo loco affertur, & quia *ad imperium & præceptum eius*, vt loquitur scriptura, subuersa sunt idola, instauratum est templum, lectus est publicè Deuteronomij liber, percus-
B sum est fœdus coram Domino, celebratum est phase, constituti sunt Sacerdotes & Leuitæ, 2.Paral.35. & similia, colligunt aduersarij regem hunc tanquam Supremum Synagogæ caput, omnia Cap.34. & 35. sua potestate administrasse, ipsisque sacerdotibus omnia, non ipsos illi quicquam præscripsisse. His omnibus respondetur, curasse diligenter & suo mandato publice decreuisse hunc Regem, vt cultus Dei in lege præscripti seruarentur. Hanc autem legem sicuti non condidit, sic per Moysen olim traditam, hic *per manus Helciæ sacerdotis accepit*, vt narrat scriptura: & illud præstitit quod in ipso Deuteronomio Moyses iubet, scilicet, *accipere exemplar legis à sacerdotibus, deinde custodire verba & ceremonias eius.* 4.Reg.22. & 2.Paral.34. Custodit autē rex verba legis, non solum ipse seruando, sed etiam curando vt ab aliis seruentur, sicuti suprà ex Augustino explicatum est. Cap.17. Hoc & nihil aliud fecit Iosias. *Quomodo Iosias præscripsit Sacerdotibus.* Quod autem inferunt aduersarij, præscripsisse Iosiam sacerdotibus non illos ipsi, fraudulenta cauillatio est. Non enim Iosias præscripsit, quid aut quomodo facerent. (hoc enim lex præscripserat) sed vt facerent: nec Sacerdotes imperium regis, sed præceptum legis executi sunt; procurante tamen & iubente rege. Non dissimile fieret, si rex Catholicus iuberet in Belgio sacra fieri ritu Catholico, quæ à longo tempore facta non sunt propter hæreses grassantes. Hic enim facerent hoc sacerdotes, non vt mandatum regium, sed vt rem diuinam, & functionem sacerdotalem à Deo per Ecclesiæ ministerium institutam, Rege tamen procurante, & oportuna media quibus illud fiat suppeditante. *Potestas Regia conseruat, non constituit res ecclesiasticas.* At verò, longè aliud est ponere Potestatem regiam Medium quoddam esse nobilissimum, ad diuinum cultum restaurandum & exequendum, item ad sanam doctrinam cōseruandam, aliud dicere, diuinum cultum & sanam doctrinam vt talia, nec in conseruatione tantum, sed & in esse ac natura, à
C regia potestate pendere: vt videlicet nisi illa accedat, irritum sit quicquid de religione decernunt, aut docent sacerdotes. Totis 300. annis vsque ad Constantini magni ætatem, Christiana fides absque regum auxilio, cura, industria floruit; multásque gentes occupauit. *Religio Christiana sine Regibus floruit.* Posteà quoque, non semper Reges ad studium Orthodoxæ religionis propagandæ animum adiecerunt. Vbi id factum est, floruit tanto fœlicius religio Orthodoxa, vt temporibus Constantini magni, Theodosij magni, Iustiniani primi, & Caroli magni; vt de Imperatore quoque Emanuele scribit Nicephorus in præfatione suæ historiæ Ecclesiasticæ, & de Imperatore Alexio scribit Euthymius in præfatione suæ Panopliæ. *Euthymius de Alexio Imperatore.* Sed addit. *Non tamen Pontificum sibi munus arrogauit, sed exemplo suo Pontifices inuitauit, seque illis socium & adiutorem adiunxit.* Vbi id factum non est, erat tamen fides populorum; erant leges Ecclesiasticæ; erant dogmata rata & stabilita; fuit disciplinæ conseruatio; per excommunicationes & degradationes abacti sunt lupi, & eiecti latrones ex Ouili Domini. Authoritate sane, iudicio, ministerio, cura & regimine Sacerdotum atque pastorum, quibus hæc à Deo commissa sunt. Denique principum Potestas, arma, leges seruiunt Ecclesiæ Dei vt cætera omnia. *Potestas Regia seruit Ecclesiæ, non regit Ecclesiam.* Ipsi quoque rerum diuinarum cultus, propagationes, & conseruationes, quatenus humanæ actiones sunt hominum opera & ministerio administratæ, eatenus Regum & humanarū Potestatum præsidiis atque subsidiis defenduntur, exercentur, & promouentur. Ipsi autem Reges, non pascunt, non docent, non

decernunt de doctrina, aut cultu Religionis; non regunt aut dirigunt suis vllis mandatis at- D
que legibus Ecclesiam vt sic, id est, vt patres spirituales, reliquo Corpori & Multitudini fidelium præpositi. Denique non sunt, nec vllo modo dicendi Capita Ecclesiæ, in eo genere regiminis quod est proprium obedientiæ fidei, & cui fideles quatenus fideles, in ipsa videlicet fide pascendi, fouendi, & conseruandi subuciuntur, quale propriè est regimen, siue Iudicium Ecclesiasticum. Sed soli (vt antea demonstratum est) Ecclesiarum Pastores atque Doctores, à Christo Saluatore in hoc fidelium regimine constituti sunt. Quibus ita explicatis nouitia hæc & singularis Laicocephalorum opinio, quàm non solum vana sed & impia sit, Ordini videlicet à Christo constituto prorsus contraria, veréque vt eam Athanasius vocauit, Antichristiana; satis opinor clarè elucescit. Hic ergo sit huius disputationis modus, vt nunc ad alia, aliunde exordio sumpto transeamus.

Libri quinti finis.

A

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIA SECVNDA, ET LIBER SEXTVS.

De Primario Potestatis Ecclesiasticæ Subiecto.

PRÆFATIO.



B RDINEM in Ecclesia Dei ad ea quæ sunt fidei tractanda, iudicanda, & determinanda, à Christo Saluatore institutũ, eiusmodi fuisse hactenus ostendimus; vt nec in toto Ecclesiæ corpore, nec in quibusuis huius corporis membris, non in priuatis & laicis, ac ne in Principibus quidem terræque Dominis, sed in solis Episcopis & Præsbyteris legitimè ad hoc munus vocatis, & vnitatem totius Corporis retinẽtibus, hanc potestatem residere ostenderimus. Qua quidẽ ostensione facta, Controuersiæ præsenti de Potestatis seu iudicij Ecclesiastici Subiecto satis fecisse videri poteramus, nisi quòd hunc ipsum Ordinẽ Christus Dominus ita disposuerit, vt eum non sanè Aristocraticum, & in plurimorum quasi optimatum arbitrio positum, (quorum æqua & par singulorum Potestas sit iuxta tertium errorem in superiori libro prænotatum) sed Monarchicum, sanéque perfectissimum, & vnitati fidei conseruandę accommodatissimum, (in quo vnus aliquis inter ipsos quasi Optimates, inter Præsbyteros atque Episcopos, cæteris omnibus præsideret atque præesset) C esse voluerit. Hac enim sanè de Causa de huius Authoritatis Ecclesiasticæ primario Subiecto, de huius totius Corporis Ecclesiastici Supremo Capite, aliquid nobis necessariò dicendum est; vt huic Controuersiæ quàm fieri potest plenissimè satisfiat. Quum autem de hoc Supremo Capite, dicendi campus pateat longè amplissimus, idémque à permultis hodie doctissimis viris accuratè pertractatus, nos hoc loco nec de huius Primarij Subiecti potestate omnia in quęstionem vocabimus, sed potestatem illam tantùm, quę in causa fidei iudicandi penes illum est, asseremus; à qua sanè tanquam à Capite seu fonte, cæteræ omnes huius Primariæ potestatis particulæ dependent; vt Conciliis præsidendi, eadem confirmandi, Episcoporum quoque creationem ratificandi, ab omnibus terrarum partibus Appellationes factas decidendi, excommunicatos quosuis reconciliandi, itémque delinquẽtes quoscunque, etiam terrarum Dominos ac prouincias integras, vel excommunicandi, vel suspendendi, aliáque his affinia: (quæ ferè omnia duobus primis

Ex iudicio fidei tota reliqua potestas Ecclesiastica dependet.

Lib 7. cap. 9.

exceptis, de quibus idcirco in hoc opere alio loco agemus, ad disciplinam & politiam Ecclesiasticam, potius quàm ad causam fidei & dogmatum pertinent) nec etiam de hac primaria Potestate in Causa fidei iudicandi ac decernendi, omnia quæ dici possunt, dicemus; aut omnia probationum Media sollicitiùs inquiremus. Sola ea quæ ex Scripturis sacris peti potest demonstratione contenti erimus, nisi quòd in ipsa Scripturarum tractatione Patrũ & Maiorum nostrorum Iudicia adhibebimus; breuitérque in fine disputationis illustria quædam exempla, quibus eius quod demonstrauimus manifesta praxis ostendatur, in medium proferemus. Enimuerò quia non minori diligentia, imò profectò multò clarius & illustrius, Primarium hoc & Supremum Iudicij Ecclesiastici Caput, Literæ Euangelicæ atque Apostolicæ nobis describunt, quàm vel cæterorum Episcoporum atque Pastorum Authoritatem, vel etiam ipsius Christi Saluatoris Hierarchicam Potestatem, profectò ex solis Scripturis illud, si tamen diligenter & accuratè singula in illis quæ huc spectant expenderentur, explicarentúrque, satis plenè & cumulatè demonstrari posse existimaui. Et quidem omnium fere temporum ac locorum euidentissimam praxim, ad huius Supremi Capitis demonstrationem, magno labore ac studio à quàm multis doctissimis hodie viris perquisitam, penéque repertam totam esse animaduerti. Inter quos primũ locum obtinet, cumulatissiméque Monarchię Ecclesiasticæ perpetuam praxim demonstrauit, Opus illud elaboratissimum de visibili Ecclesię Monarchia, Authore Nicolao Saudero. Sacrarum verò Scripturarum exactam & methodicam in eodem genere tractationem, hactenus (vt dicam quod sentio) desideraui. Eam itaque hoc tempore non quidem ex omni parte adimplere atque perficere me profitebor, (neque enim ita desipio:) sed quoad eius fieri à nobis poterit, eam aliqua ex parte supplere & explicare conabor. Rem itaque fauente Deo nunc auspicemur.

Demonstra-

A *Demonstratio ex verbis Christi in Euangelio, vni Petro fuisse promissum, vt esset cæterorum omnium architectorum in ædificatione Ecclesiæ, Caput: Iudiciíque Ecclesiastici Subiectum Primarium. Vbi & tractatur accuratè germanus sensus verborum Christi ad Petrum, Matth. 16.*

CAPVT PRIMVM.

Quo ipso vnius Supremi Pastoris infallibilitas asseritur.

N doctrina fidei solus etiam Romanus Pontifex seu Petri successor, publicè aliquid decernere volens, certissimè & infallibiliter iudicat. Sensus huius propositionis est, successorem Petri, ita toti Ecclesiæ caput esse in Ratione pascendi, totiúsque huius iudicij Ecclesiastici Primarium Subiectum atque supremum, vt etsi tanquam priuata persona, errare & falsa de rebus fidei opinari possit; tamen Pastorali suo officio fungens, hoc est, de re aliqua dubia quæ ad fidem necessariò pertineat, publicè definire, & aliis
B credendum publicè tradere volens, errare non possit: sed tùm potestatem solus habeat supra cęteros omnes, seu pastores seu oues, de fide pronunciandi, & rem dubiam determinandi, tùm stabilitate quoque muniatur, ab ipsa veritate nunquam aberrandi. Talem sanè & tantam soli Petri Successori Romano Pontifici, supra cæteros omnes Episcopos, Pastores, & Doctores Ecclesiæ tum potestatem tùm firmitatem tribuimus. Probatur autem hæc veritas, ab aduersariis hodie pertinacissimè negata, quantum fieri potest, validissimè & efficacissimè ex ipsis Scripturis, quas hoc in loco solas vt dixi, aut penè solas tractabimus. Si enim Sacra Scriptura, hunc Supremum omnium Pastorum, atque Primarium potestatis Ecclesiasticæ Subiectum, non minus clarè commendauit, quàm cæteros particulares Episcopos, Pastores, & Doctores, dubitari non debet, quin eadem sit vnius Capitis, seu summi Pastoris necessitas & certitudo, quæ est cæterorum per loca & regiones Episcoporum & Pastorum singulorum. Et quia exactissimè hoc Scriptura fecit, variis viis & gradibus illud nobis commõstrando, quasíque etiã aduertere nolentibus pertinaciter inculcando, nos per eosdem gradus, in hac disputatione inquirendo procedemus.

Primus gradus nominis promissio.

Primus gradus est, quòd eo ipso die ac momento, quo ad Christum veniret Simon, quem Caput Ecclesię suę positurus erat, intuens eum Iesus dixit. *Tu es Simon filius Ioannis. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1.

Raro & excellentia sunt quæ antequam fiunt promittuntur.

C Obserua hic noui Nominis promissionem. Paucissima enim & non nisi maximi momenti sunt, quæ Christus antequam faceret, promitteret. Sic de Cœna Corporis & Sanguinis sui, de futura morte & resurrectione sua, de mittendo Spiritu Sancto, discipulos suos longè ante præmonuerat: nempe vt illa omnia diligentius obseruarent. *Nunc, inquit, prædixi vobis priusquàm fiat, vt quum factum fuerit, credatis.* Sic & in veteri testamento, quia maximum erat mysterium, quòd in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes, multis verbis hoc Abrahæ promittitur. Primùm indefinitè: dicente illi Deo. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Deinde nominatim ex vxore Sara. *Benedicam vxori tuæ Saræ & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes.* Postea etiam die definito. *Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita comite, & habebit Sara filium.* Idem de terra Chanaam animaduertere licet, quę Genes. 12. 13. 14. & 17. multis & variis verbis bene quinquies promittitur. Eundem omnino in modum Christus Dominus, hunc Simonem nouo Nomine, nouáque in ipso primo congressu potestate donaturus, tantò ante promittit. Rursum in tanta potestate piscatorem illum collocaturus, Paulatim hoc ei insinuat, & solam noui Nominis dignitatem principiò promittit. *Animaduertendum* (ait Chrysostomus) *quòd non omnia quæ euentura erant, primo congressu prædixerat. Maiora illa nunc conticuit. Humilius à principio loquitur.* Et paulò post. *Multis à natiuitate* Nomina *Deus imposuit, vt Isaac, Samson, vt in quorum meminit Esaias & Osee. Quibusdam quam acceperunt à parentibus appellationem mutauit: vt Abrahæ, Saræ, & Israel. Mos etiã*

Ioan. 6.
Matth. 16.
Ioan. 14. & 16.
Ioan. 14.
Gen. 12. & 15.
Gen. 17.
Gen. 18.

Petro Paulatim Suprema dignitas collata.

Homil. 18. in Ioan.

antiquitus erat, à rebus nomina imponi, quod & Helias fecit. Hoc autem totum non temerè fit; sed vt ea appellatio imponatur, quæ sit diuini beneficij perpetuum monimentum, & memoria per prædicta nomina Auditorum animis imprimatur. Hæc Chrysostomus. Vel hæc ergo sola Nominis noui primo statim congressu facta impositio, aliquid singulare animis nostris imprimere debet, de Petri persona ad nouam aliquam dignitatem, huic Nomini nouo respondentem, supra cæteros condiscipulos & coapostolos suos à Christo Domino extollenda. Tamen in hoc primo gradu, ad tantam futuram potestatem, satis habuit Christus Nominis mutationem promittere. D

» Secundus gradus est, ipsius noui Nominis exhibitio, seu impositio.

Secundus gradus, nominis exhibitio.
Marci. 3.
Luc. 6.

Nam aliquanto tempore pòst, *ascendens in montem* (ait Marcus) *vocauit ad se quos ipse voluit, & fecit vt essent duodecim cum illo: & imposuit Simoni nomen Petrus*, quod alter Euangelista vocauit Cephas. Sed vtrumque idem valet, vt postea videbitur. Eandem noui Nominis impositionem diligenter quoque commemorat Lucas.
1. Obserua autem, quòd eo tempore facta est hæc noui nominis impositio, quo duodecim designauit Christus Apostolos: vt videlicet eodem momento de Capite prospiceret, quo de Pastoribus: nec priùs, quia non est vsus Capitis sine corpore; nec posterius quia sine Capite non debet esse corpus. Non quòd tunc completa nouæ Ecclesiæ forma esset, sed quia tunc formari illa cœpit quasi que in vtero Christi parturiri, donec in die Pentecostes, adueniente Spiritu sancto, tanquàm anima Ecclesiæ, vltimam suam formam acciperet.

Eodem momento de Supremo Pastore dispo[s]uit Christus quo de cæteris Pastoribus.

2. Obserua quoque quòd etsi tres Euangelistæ Mattheus ca. 10. Marcus capite 3. Lucas cap. 6. cæteros Apostolos nullo certo seruato ordine in hac vocatione Christi enumerauerint, sed alius Andream, alius Iacobum secundo loco posuerit, & sic de aliis, omnes tamen vno consensu Petrum primo loco tanquam indubiè Caput cæterorum posuerunt. E
3. Obserua quoque quod post hanc impositionem à Christo factam semper, nunquam antè, vocatur in Euangelio Simon Petrus, vt Matth. 10. Luc. 9. & alibi.
4. Obserua præterea ipsam impositionem noui huiusce Nominis, singulare aliquid, & excellens in eo homine notare debuisse. Sanè non aliter, quàm olim factum est, in mutatis nominibus Abrahæ, Saræ, Israel, & aliorum veteris testamenti; quemadmodum ex Chrysostomo modò produximus, ex Homil. 18. in Ioannem, quibus addi possunt quæ disputat in eandem sententiam Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. cap. 12. in Ioannem. Ait enim noui nominis promissionem tractans. *Nec Simon fore iam nomen sibi sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Hæc ille.
5. Obserua postremò, in toto Euangelio ab ipso Christo nusquam eum compellari nomine Petri, sed tantum Simonis filij Iohannis. Nam ipsi Christo non erat Petrus, id est, Caput; sed Simon, id est, obediens & subditus. Cæteris autem omnibus Apostolis & Euangelistis erat Petrus, Cephas, Caput, &c. Narrat quidem Lucas dixisse semel Christum, *Dico tibi Petre, non cãtabit hodie gallus, donec ter abnegesn osse me*, sed nec hic nomine suo eum cõpellat aliquid ei mandaturus vel ab eo interrogaturus, verum affatur tantùm, nec sine mysterio ipsius nominis hoc facit. Quasi dicens, dico tibi Petre, qui à fortitudine sic nuncuparis, quòd & tu quoque non obstante hac fortitudine tua, de qua nunc temerè & importunè præsumis, me negabis. F

» Tertius gradus est ipsius noui Nominis expositio, & futuræ potestatis quæ
» illo nomine significata est, promissio.

Tertius gradus nominis expositio.
Matth. 16.
Homil. 55. in Matth.

Hæc facta est Matth. 16. cùm cæteris omnibus Apostolis à Christo rogatis quem illum esse dicerent & tacentibus, solus Petrus, tanquam *omnium Apostolorum os, & vertex totius consortij* (ait Chrysostomus) responderet. *Tu es Christus filius Dei viui*; Tunc enim respondit ei Christus. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Móxque explicans quare addit. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* In his enim verbis declarat Christus, ideo eum priùs cognominatum fuisse à se Petrum, quia totius Ecclesiæ Petra futurus esset, & super eum tota ædificanda Ecclesia. Ædificatio enim Ecclesiæ super Petrum, hoc in loco in futuro promissa est, non in præsenti data; ait Hieronymus in commentariis ad illa verba: *Vade post me Satana.* Ædificatur autem Ecclesia, dum vel collecta pascitur, docetur, regitur; vel docenda & pascenda colligitur, & societati corporis Christi de nouo aliquis adiungitur, aut forte reconciliatur. Vnde Apostolus dicit Christum *dedisse Apostolos, Prophetas, Euãgelistas, Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporu Christi.* In hoc autem toto genere ædificandi, id est, vel consummandi & confirmandi iam collectos, vel colligendi fideles in vnum ouile, cæteri Pastores operarij quidem sunt & architecti sapientes, sed præcipuus paterfamilias

Petrus totius Ecclesiæ Petra.
Hieron. in Matth ca. 16.
Ephes. 4.

Petrus:

A Petrus: cæteri columnæ sunt, Petrus fundamentum fore promittitur, cui cæteri omnes innitantur. Quod quidem ex toto sermone Christi euidenter ostenditur. Ædificatur & construitur Ecclesia, seu fidelium multitudo, primò & principaliter ex fide credentium tanquàm formali causa ipsius Ecclesiæ iuxta illud Apostoli, *Non intendere fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide.* Huius autem fidei mouens & efficiēs causa proxima & ordinaria, quæ quidem sit externa & ministerialis, est prædicatio Pastorum. Nam *fides est ex auditu*: Pastores autem ipsi sic inuicem subordinati sunt, vt ab vno tandem supremo Pastore omnes pendeant, qui ab ipso Deo sine medio ministerio veritatem accipit. Talis hic Petrus est, qui futurus supremum fundamentum ministeriale ipsius fidei, Supremus Doctor & Pastor Ecclesiæ, *non à carne & sanguine*, non humano aliquo ministerio; sed immediatè *à patre reuelatam* fidem accepit. Quod idcirco disertè præmisit Christus, tanquam causam futuræ super eum ædificationis. *Beatus*, inquit, *es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi*, &c. Eadem quoque de causa Apostoli & Prophetæ vocantur fundamenta, ad Ephes. 2. & Apoc. 21. quia & illi immediatè, à Deo edocti, & sine ministerio humano, ædificabant alios ad fidem. Rursum quum fides ipsa latissimè pateat; cæterorum tamen omnium credendorum fundamentum, sit explicata fides Mediatoris, seu Incarnati filij Dei; adeo sanè vt hinc initium sumat fides noui testamenti, singulare quiddam & futuræ Authoritatis in ratione pascendi, aliósque ad fidem ædificandi, maximum argumentum fuit, quòd * hanc omnium mortalium primus, Petrus à patre accepit, & confessus est, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui*, id est naturalis. Nam viuere viuentibus

Quomodo ædificatur Ecclesia super Petrum.

1. ad Tim. 1.

ad Rom. 10.

Petrus supremus doctor immediatè à Deo docetur.

* Vide Chrysost. hom. 55. in Matth. super illa verba: *Tu es Christus, & cæt.*

B est esse, & esse filium Dei quatenus viui aut viuentis, est esse filium Dei, quatenus Deus est. Sic solus Christus est. Est enim filius nō quatenus vult per adoptionem, *quos voluntariè genuit*, sed quatenus est, id est, per naturam. Similiter & vocationem omnium gentium ad agnitionē huius incarnati filij Dei, quam Prophetæ prædixerant, primus Petrus visione de cælo accepta immediatè reuelatam sibi habuit, primus eam sua doctrina promulgauit, primus eam de facto exequutus est, baptisans Cornelij domum, vt ex Actis cap. 10. 11. & 15. constat: ideóque primus idémque præcipuus gentium Doctor ac Magister fuit. Hanc ergo fidem Petrus confessus omnium primus, eámque immediatè à Deo reuelatam primus accipiens, idoneus factus est, qui in tota Ecclesia Dei ædificanda, fundamenti primum locum obtineret; hoc est, alios ante omnes & supra omnes ministerialiter doceret, quod absque ministerio hominum ipse didicerat. Deinde Christus suæ functionis successorem relicturus, & quasi in hæredem adoptaturus, nomē illi suum cōmunicat, & *Petrum* vocat *siue Cephas*. Petræ enim nomen Christo in scripturis tribuitur. 2. Cor. 10. Petrum autem vocat quia duraturi populi Pater & princeps futurus erat. Principium videlicet & fundamentum in ędificatione talis Ecclesię & societatis hominum, contra quam nec ipsæ portæ inferi aliquando præualerent. Hic simplex est & literalis verborum Christi sensus, pro cuius confirmatione mox plura, dum aduersariorum obiecta repellimus, dicentur.

Petrus omnium primus totius fidei fundamenta didicit et docuit.

Iacob. 1.

Petrus primus Doctor gentiū.

Sequitur in verbis Christi, *Tibi dabo claues regni cælorum*. In his verbis plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ Petri personæ promisit. Nomine enim clauium regni cælorum, omnem omninò potestatem, qua regnum cælorum quomodocunque acceptum aperiri & claudi potest, Christus complexus est. Nam quod sequitur, *& quodcunque ligaueris*, &c. non est (vt quibusdā visum fuit) explicatio, aut limitatio ipsarum clauium. Sic enim Petri potestatem tantùm ad forum externum Ecclesiasticum Christus his verbis limitasset. Omnium enim Doctorū scholasticorum sententia, verbis illis, *Quæcunque alligaueritis*, &c. quæ sanè his verbis ad Petrum dictis similia sunt, idémq; prorsus sonant, constituitur iudex Ecclesiasticus in foro exteriori: sicuti illis aliis verbis, *Quorū remiseritis*, &c. constituitur iudex Ecclesiasticus in foro interiori. Si ergo hoc loco, Illud *quodcunque ligaueris*, &c. esset vel explicatio vel limitatio clauium, promitteretur Petro nomine clauium, tantummodo iudiciaria potestas in foro externo, quæ est partialis potestas, eadémque minor, potestatis clauium. Multo enim excellentior est remittendi peccata, quàm excommunicandi, aut ab officio vel honore suspendendi, facultas: ideóque illa penes solos Sacerdotes est, hanc etiam non Sacerdos exercere potest. Rursum quia Saluator illud, *Et quodcunque ligaueris*, coniunctiuè addit, debet differenter aliquam distinctam Potestatem notare, saltem in specie; sicuti profecto cætera omnia præcedentia, subiunctiuè prolata, differentia & distincta sunt; Ista videlicet. *Et ego tibi dico. Et super hanc Petram. Et portæ inferi non præualebunt. Et tibi dabo claues*. Ac postremò. *Et quodcunque ligaueris*

Matth. 16.

Nomine clauiū omnimoda potestas intelligitur.

C

Matth. 18.

Ioan. 20.

Matth. 16.

f

super terram, & cætera. Itaque in istis postremis verbis Petro promissa est, non solùm potestas ligandi & soluendi in foro, siue exteriori, siue interiori, quæ vtraque sunt partiales tantùm actus ipsarum clauium: sed quia claues ipsæ indefinitè promissæ, nec ad vnum aliquod aperiendi vel claudendi genus determinatæ sunt, profectò promissa est illi tota potestas, quantacunque tandem & qualiscunque illa sit, quæ clauibus continetur. Tota autem & adæquata potestas ipsis clauibus, est aperire & claudere: quocunque tandem id modo fiat. Quod quidē manifestum est, tùm ex re ipsa propriè per claues significata, tum ex vsu & modo loquendi Sacræ Scripturæ. Clauium enim officium est, aperire & claudere. Et in huius rei signum, ad summum magistratum claues vrbis deferuntur, vt eius imperio claudatur vrbs & aperiatur. D

Aperire & claudere est tota potestas clauiū.

Claues Regni calorū accipere quid.

Claues ergo regni cælorum accipere, est potestatem accipere claudendi & aperiendi regnum cælorum; siue vitam æternam, siue communionem Ecclesiæ militantis, regni cælorum nomine intelligas. Hoc autem diuersis & multis aliis modis fit, quàm ligando & soluendo in vtroque foro. Pastores enim in tota sua gubernatione spirituali, in doctrinæ prædicatione, in Sacramentorum dispensatione, in legum constitutione, in Sacræ Scripturæ interpretatione, in articulorum fidei declaratione, in dubijs & controuersis dogmatis decisione, aperiunt & claudunt (exercendo & subtrahendo illam potestatem) regnum cælorum. Exercent enim ad ædificationem & salutem tam suam quàm aliorum. Subtrahunt & negant ad perniciem & destructionem vel suam, si culpa & negligētia propria id fiat; vel etiam aliorum, si reliqui corporis salus id requirat & postulet. Fit etiam id sæpe ad terrorem tantùm non ad destructionem. Hinc sanè ad Timotheum, Apostolus scripsit. *Hæc faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Rursùm in Euangelio, ante iudicij Ecclesiastici censuram, de correptione fraterna dicitur. *Lucraberis animam fratris tui.* Multo magis prædicatione, exhortatione, & doctrina pastorali hoc fit. De quo genere dixit Sanctus Hieronymus *Apostolos soluere homines sermone Dei, & testimoniis Scripturarum, & exhortatione doctrinæ.* Tertullianus verò docet Petrum & in primo Baptismo, & in disceptatione illa de nō seruanda lege veteri, Act. 15. tum reserasse aditum ad regna cælorum, tum & soluisse quæ omissa sunt legis, & alligasse quæ seruata sunt. Deniq; claues Ecclesiæ diuidi possunt in clauem scientiæ & potestatis. Quam diuisionem videre est apud Ambrosium, *vbi Clauem potentiæ Petro, scientiæ Paulo tribuit.* Non quòd hæc in Petro nō fuerit, sed quòd in Paulo quoque extra ordinem excelluerit. Quo etiam sensu Doctor & Apostolus gentium dicitur. Extra ordinem enim sic factus est tanquam vas electionis, sed primus Magister gentium, singulari de cælo reuelatione accepta, Petrus fuit, vt suprà dictū est, idémque ordinarius & Supremus vt postea ostendetur. Vt autem ad rem redeamus, ad Clauem scientię pertinet, *aperire Scripturas*, quam Christus exercuit Luc. 24. & de qua dixit legisperitis. *Tulistis clauem scientiæ, &c.* Potestas verò clauium est, vel ordinis, vel iurisdictionis. Ipsa iurisdictio est, vel in foro externo, excommunicando, suspendendo ab officio, indulgentias concedendo, & leges ferendo; vel in interno, peccata remittendo. Tota hæc amplissima & adæquata potestas clauium, soli Petro hoc in loco à Christo Saluatore promissa est. Atque hæc ex vi & significatione verbi Clauium satis patet. Ex vsu & modo loquendi Sacrę Scripturæ, idem ostenditur. Nam quum apud Esaiam, summo sacerdoti Eliachim in figura Christi, dictum esset: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*; statim Scriptura explicans huius clauis vsum, subiungit; *& aperiet & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Quod iterum totidem verbis repetitur in Apocalypsi de persona Christi. Dicitur enim *Sanctus ille & verus, qui habet Clauem Dauid: qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* Sicut ergo in figura Eliachim, in veritate Christus, accipiens clauem domus Dauid, id est, Ecclesiæ aut regni cælorum, accepit eadem opera potestatem claudendi & aperiendi, sic Petrus loco & vice Christi accepturus claues regni cælorum, haud dubiè potestatem quoq; accepturus est claudendi & aperiendi; id est, non solùm ligandi & soluendi in iudicio vtriusque fori, qui sunt tantummodo partiales non totales, & minores non præcipui actus clauium, qui etiam omnibus Apostolis Matth. 18. & Ioan. 20. commissi sunt, quum soli Petro Claues datæ fuerint; sed etiam præterea gubernandi, docendi, disponendi, atque omnia exercendi, quæ ad generale pastoris munus aliquo modo pertinere possunt, qui sunt adæquati actus ipsis clauibus: idcóque his verbis soli Petro principaliter, ante & supra alios omnes promissi.

Marginal notes: 1. Tim. 4. — Matth. 18. — E — Lib. 6. cap. 14. in Isaiam. — In lib. de Pudicitia. — Serm. 66. — *Petrus primus Magister gentiū.* — Lucæ 11. — *Clauium significatio in scripturis.* — Esa. 22. — Apocal. 3. — F

Deffensio

Defensio sensus prædicti, contra disputationes aduersariorum. Et primò de triplici expositione illorum verborum, Super hanc Petram.

CAPVT II.

VNC priusquàm ad alios gradus potestatis huiusce & primatus Petri ac-
cedamus, quid contra sensum hũc quem hactenus expressimus, & ex Sal-
uatoris verbis hausimus, Aduersarij disputant; expendamus oportet. Velis
enim & remis (quod dicitur) illi contendunt, vt positam à nobis interpreta-
tionem omnibus modis conuellant, & euertant. Contra sensum illorum
verborum, *Super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meã*, &c. dupliciter pugnãt.
Primùm circa verbum illud, *ædificabo*: deinde circa illa, *Super hanc petram.*
Nam quod ad primum attinet, docet Caluinus sic ex his verbis pertinere Petrum ad ædificiũ
Ecclesiæ, vt ipse præter cæteros in ea ædificetur, non autem eam præter cæteros ædificaturus *Caluini cauillatio stolidissima.*
promittatur. Iuxta illud (nihil enim hic aliud dixisse Christum quàm quod Apostolus postea
de omnibus fidelibus dixit) *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*: vel Ephes. 2.
quod ipse Petrus dixit. *Tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis in sacerdotium san-* 1. Petr. 2.
B *ctum*. In hoc ergo ędificationis genere, in feruore fidei, doctrina, animi magnitudine, Petrum Instit. lib. 4. Cap. 6.
primum locum habere, cæterósque excellere, quia excellentiùs à Christo ædificatus fuit. Paragr. 1.
Hæc Caluini doctrina est. Sed totus hic cauillus funditus euertitur, si probetur loqui hic Chri- 1.
stum de ædificanda Ecclesia sua actiuè super ipsum Petrum, tanquam qui futurus sit princi-
pale instrumentum in ratione ædificandi alios, non autem de ædificatione passiua, qua Petrus
ædificatus fuit in templum viuum ipsi Deo. Hoc autem probabitur mox, tractando illa ver-
ba, *Super hanc petram*. Rursum non est intelligibile, quomodo Christus dicens: *Aedificabo Ec-* 2.
clesiam meam super hanc petram, intellexerit ædificare Petrum in se supra cæteros, propter fer-
uorem fidei, aut aliarum virtutum excellentiam. Hoc enim non est *ædificare Ecclesiam suam*,
sed ædificare Petrum: & consequenter, *non contra Ecclesiam suam*, sed contra Petrum, *portæ*
inferi non præualerent: quod tamen nec aduersarij vllo modo agnoscere volunt, nec simpliciter *Caluini interpretatio verba*
verum est. Petrus enim vt priuata persona deficere à fide potest, & ex eius successoribus aliqui *Christi confundis & peruertit.*
ad tempus defecerunt. Quòd si per hęc verba *super hanc petram*, intelligendum sit super fidem
aut confessionem Petri, vt aduersarij contendunt, plusquam ridiculum est ędificari Petrum su-
per seipsum aut aliquem actum suum. Præterea difficile est iudicare, in feruore fidei, in do-
ctrina, cæterísque virtutibus ac donis Petrum vnum omnes alios excelluisse. Certè negari nõ 3.
potest, Ioannem, Paulum, & alios quatenus virgines erant, in excellentissima illa virtute, Pe- *An Petrus virtute cæteros omnes excelluerit.*
tro coniugato præstantiores fuisse. Paulus verò disertè *ministrum se Christi* dicit *Plus alijs*. Et
C rursum. *Abundantius illis omnibus* (Apostolos dicit) *laboraui*. Ioannes & Iacobus, *filij tonitrui* 2. Cor. 11.
vocabantur propter singularem feruorem, fidem, ac pietatem. De ipso quoque Ioanne Bap- 1. Cor. 15.
tista, ratione meriti & sanctitatis dixit Saluator, *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioan-* Marc. 3.
ne Baptista. Sed aliud profectò est disputare de merito, aliud de ministerio; aliud de potestate, Matth. 11.
aliud de veritate. Nomen deniq; ipsum Simoni promissum ac datũ videlicet *Cephas*, siue *Pe-* 4.
tra (*quod enim Latinis Petra, idem Chaldæis & Syris, quorum lingua Christus vsus est, Cephas signifi-* *Petrus, nomẽ potestatis non virtutis.*
cat, vt tradidit S. Hieronymus,) non virtutis sed potestatis est, *nec non etiam authoritatis*, vt lo-
quitur Chrysostomus. Nam & ideo hoc vocabulo vtitur Paulus, cùm Petri potestatem vel ab In comment. ad Gal. cap. 2.
ipso taxatam, vel ab aliis minus rectè vsurpatã meminit, dicens. *Dixi Cephæ coram omnibus, &* Hom. 18. in Ioannem.
restiti ei in faciem. Et iterum. *Ego sum Pauli, ego Cephæ*; postremò, fuit hæc Caluini cauillatio, dã- Gal 3.
natissima Vvicleffi glossa quam vide explosam & plenissimè confutatam apud Thom. Vval- 1. Cor. 1.
densem doctrinalis fidei lib. 2. cap. 5.
Maior est pugna circa alia verba. *Super hanc Petram*. Est enim apud patres triplex ho- 5.
rum verborum expositio. Vna est vt nomine huius Petræ, intelligatur Christus ipse. Hanc *Triplex expositio verborum,* Super hanc petram.
sequitur Diuus Augustinus tracta. vltim. in euangelium Ioannis, & sermon. 13. de verbis
Domini. *Supra meipsum*, inquit, *filium Dei viui ædificabo eam. Super me ædificabo te, non me* 1.
super te. Hęc ille. Altera expositio est, vt per hanc Petram intelligatur confessio fidei, Augustinus.
seu fides ipsa quam Petrus confessus est. Hanc videre licet apud Chrysostomum Hom. 55.

Tomo 3.

in Matth.& in Hom.de Pentecoste,& apud Cyrillum Dialog.de Trinit.lib.4.& apud Hilar. D de Trinit.lib.6.versus finem,& apud quosdam etiam Rom. Pontifices, vt Leonem magnum, Agathonem, Nicolaum primum; Adrianum primum, in epist. suis decretalibus. Tertia expo-
3. sitio est, vt per hanc Petram intelligatur persona Petri. Hãc vt plenissimam, maximéque propriam, ac literalem, omnium fere patrum consensus tradit. Plerique sane ex proposito hæc verba explicantes, hoc faciunt; vt Hieronymus in comment. ad hunc locum & Chrysostom. Hom.55.in Matthæum: quorum vterque hunc locum exponens, *super hanc Petram*, id est, *super te Petrum* exponit Idem faciunt Hilarius Canon.16.in Matth.& Euthymius in comment. ad hunc locum. Alij verò Petrum ipsum pro Ecclesiæ fundamento hic à Christo constituto passim asserere non sunt veriti, ipsimet sane qui aliarum expositionum authores sunt: vt Augustinus in psalmo contra partem Donati, Tom.6. & in enarrat.in psal.69. Hilarius & Chrysostomus vbi suprà. Idem quoque Homilia 26.ex variis locis in Matth. Cyrillus denique Alexādrinus lib.6.cap.12.in Ioannem. Præter hos quoque Theodoretus in epist. ad monachos Cōstantinopolitanos,& ad Eulalium. Cyprianus creberrimè.lib.1.epist.3.lib.4.epist.9.in tract.de habitu virginum, in sermone de patientia,& in epist.ad Quintum fratrem, copiosissimè verò in libello de vnitate Ecclesię: Athanasius & Synodus Alexandrina in epist.ad Felicem Rom. pont. Ambrosius serm.68.& 47.& in versibus eius ab Augustino citatis Retract.lib.1.cap.21. Tertullian.in præscript. Origenes hom.5.in Exodum: Basilius ille magnus in comment.ad Esaiæ cap.2. Epiphanius in Anchorato. D.Hier.in Esaiæ cap.2.in Hieremiæ cap.16.& in Abdiam. Idem libr. 1. in Iouinianum,& lib.1. contra Pelag.& in epistol.ad Marcellam aduersus E Montanum. Verba horum Patrum partim breuitatis causa hic prætermitto, partim quia pleraque eorum postea data occasione proferemus. Nunc ergo has tres expositiones conferemus & an verborum Christi sensum superius datum vel infirment, vel confirment, discutiemus.

Consensus Patrū, qui per Petram intelligunt personam Petri. Chrysost. Hieronym. Hilarius. Euthymius.

Augustinus. Chrysost. Cyrillus. Theodoret. Cyprianus.

Athanasius. Ambrosius. Tertullian. Origenes. Basilius. Epiphanius. Hieronym.

De prima expositione, quòd nomine Petræ intelligatur Christus.

CAPVT III.

RIMA expositio quæ Augustini propria est, habet quidem sententiam veram, sed nec proprius est huius loci sensus, nec plenus. Nam licet prima & principalis, & absolutè loquendo, Petra Ecclesiæ Christus est, nec primò & principaliter super Petrum aut aliquem hominem, sed super Christum fundatur & ædificatur Ecclesia; tamen Christus non est, *Hæc petra*: illo videlicet loco à Christo designata. Dixit autem Christus. *Aedificabo Ecclesiam meam super hanc petram.* Nam verba illa, *Super hanc petram*, respondent prioribus: *Tu es Petrus*; & rationem reddunt, quare vocatus sit *Petrus*. Sicuti sane in Genesi, quum dixisset Deus, *Tu vocaberis Abraham*, causam subiungit; *quia patrem multarum gentium constitui te.* Et propterea non dicit hic Christus; Tua fides, aut confessio, aut beatitudo F a patre accepta, est petra; sed personæ dicitur, *Tu es Petrus*; sicuti personæ dicitur, *Tu vocaberis Abraham*; móxque infertur: *Et super hanc petram*, sane quæ tu es (alioqui vana & falsa esset copulatiua coniunctio) *ædificabo Ecclesiam meam.* Nam quòd Augustinus Retract.lib. 1.capit.21. discrimen ponit in eo, quòd non dicit Christus, *tu es petra*, sed *tu es petrus*; postéaque infert de petra non de Petro; lapsus humanus est, quem grææ & latinę linguæ vel incognita vel nō obseruata varietas fecit. Nā in Hebraico aut Syriaco potius sermone, quo Christus vsus est, vtro-
2. biq; *Cephas* est & tam *petram* quam *petrum* significat, vt notauit Hiero.in com.ad ca. 2.ad Gal. Sic enim se verba habent. [illegible] Præterea aptè dici non potest, homini alicui *tu es petra*, absolutè loquendo (hoc enim solus Christus est) sed *hæc petra* commodè & verè petrus dicitur. Videlicet, per participationem metaphoræ petræ, quæ Christo simpliciter applicatur. Deniq; multo efficaciùs dicitur, *Super hāc petram*, quàm si dictum fuisset, *super hunc petrū.* Hoc enim personam tantùm notasset, & hunc hominem; illud verò hunc vt sic notat, id est, hunc vt fidei petrā factū & in fide roboratū. Sic Euthymius in cōmentariis ad hunc locū. *Tu es petrus, vt qui fidei petra futurus es, & super hoc robur ædificabo, siue te ponā fundamentū credentiū.*
3. Hæc ille. Hanc etiam ob causam scribit Chrysost. *Petræ cognomen sortitum eum fuisse, ob immutabilem & immobilem fidem.* In commē.in 2.cap.ad Gal. Præterea certum est apud omnes interpretes Christum his verbis *confessioni Petri de se mercedem reddere*, vt apertè in hunc locum Chrysost.

Christus est Petra, sed non hæc petra. Matth. 16. Gen. 17. *Persona dicitur.* Tu es Petrus.

Solus Christus absolute Petra, & Petrus dicitur, super hanc petram, &c. quā super hunc Petrum.

A Chrysost. Euthymius, Theophilact. Hilar. & S. Hiero. exponunt. Quòd si verò illud *Super hāc Petram*, ad Christum ipsum, non ad Petri personam refertur, prorsus nihil est hic Petro retributum. Nam quod dicit, *Tu es petrus*, hoc ei nomen antea impositum erat. Nec magis ad eius dignitatem aut præeminentiam supra cæteros pertinet, vocari hoc loco petrum, maximè propter aliquam animi virtutem, vt vult Caluinus, quàm ad Iacobi & Ioannis dignitatem aliquā pertinebat, vocari alibi *Boanerges*, id est filios tonitrui, si quod deinceps in contextu sequitur, ad solum Christum pertinebat. Nam quòd sic ad Petrum istud pertineat, vt propter cōfessum à se Christum, petrus siue petra vocetur, commune hoc est omnibus fidelibus Christum quotidie confitentibus. Sed singulare hic aliquid petri personæ retributum fuit, Nempe (vt disputat in hunc locum Chriso.) *est quoddam hic filij donum proprium Petro datum, sicut patris quoddā donum erat eidem concessum*. Pater enim reuelauit petro, Christum filium Dei viui esse. Filius tribuit petro, vt sit Ecclesiæ Petra. Imò vt non dubites filij dignitatem esse patri coæqualem, Pater (ait Chryso.) *ad Hieremiam dicebat. Sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni pater, hunc autem vniuerso orbi Christus præposuit*. Vide adhuc plura in Chrysostomo.

In comment. suis singuli. *Aliquod singulare mercedis loco, petro hic retribuitur.*

Hom. 55. in Matth.

Hierem. 1.

Rursum valde ad hunc locum impropria esset hæc locutio Christi; *Aedificabo Ecclesiam meā super me*: quia de re futura, Christus hic loquitur dicens, ædificabo. Super Christum autē nullo modo iam ædificanda fuerat, aut ædificari nunc cœperat, sed fuit iam olim ædificata Ecclesia. Nam vt *ab origine mundi occisus est agnus*, ita multo veriùs ab origine mundi *lapis iste quem reprobauerunt postea Iudæi, factus est in caput anguli*; & ædificata semper fuit Ecclesia *super fundamenta Prophetarum* olim, vt Apostolorum nunc *ipso semper summo angulari lapide, Christo Iesu*.
B *Quia non est in alio aliquo salus*, nec fuit vnquam. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*: dicebat Petrus illa Dauidis verba citata Iudæis exponens. Quid quòd secūdum statum nouum, iam ædificata erat, aut saltem ędificari cœpta est Ecclesia discipulorum super Christum quos ad se vocauerat, & in vnum collegerat, & de qua collectione dixerat, *Ego sum vitis vera, vos palmites*. Præterea etsi reuera super Christum primò & principaliter ædificetur Ecclesia, quia ipse vt homo *est vitis vera*, vt exponit diligenter Augu. & vt homo est *Caput corporis sui*, tamen non ipse super seipsum, vt homo super hominem, ædificat Ecclesiam; sed *Deus dedit ipsum caput super omnem Ecclesiam*. Et ideo cùm dixisset se vitem esse, adiecit, *Pater meus agricola est*: vt ædificationem ipsam & agriculturam (de qua Apostolus dixit, *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*:) Deo non sibi vt homini, tribueret. Ob quam etiā causam dixit Apostolus. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: vt non tam Christus tāquam homo super se, quàm Deus super Christum ædificet Ecclesiā. Christus enim vt homo tanquam *pastor bonus, à patre missus*, est primum fundamentum & vitale caput Ecclesiæ; non à se homine sed à Deo propter meritum Passionis ita constitutus, iuxta illud: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne nomen, &c. Vt omnis lingua confiteatur*, &c. Atque ideirco ad ædificandam Ecclesiam instrumentum quoque est, sed diuinitati coniunctum. Idem Christus mittit petrum, & facit non vitale (quale ipsemet erat) sed ministeriale, non principale sed vicarium Caput: vt qui instrumentum sit non coniunctum sed separatum: & hoc est proprium Christi opus. Ita non est propria loquutio nisi forte propter communicationem idiomatum, quòd Christus super seipsum ædificet Ecclesiam suam. Postremò Augustinus ipse nullo modo hunc sensum tanquàm germanum vrget aut mordicus tenet, sed contrà in Retractationibus suis recolens se & hoc sensu, & illo alio communi omnium fere patrum sensu, in suis scriptis vsum fuisse, *Harum*, inquit, *duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector*. Elegimus ergo illum alium, qui docet in Apostolo petro tanquam in petra fundatam esse Ecclesiam, idque propter maximum aliorum patrum consensum, & ipsius contextus euidentiam.

Super christū semper fuit ædificata ecclesia.

Apocal. 13. Psal. 117. ad Ephes. 2. Actor. 4.

Ioan. 15. *Christus vt homo non ædificauit Ecclesiam super se.* Tract. 80. in Ioan. ad Ephes. 1. 1. Cor. 3. 2. Cor. 5.

Quomodo sit christus fundamentū & caput Ecclesiæ. Ioan. 10. Ioan. 20. Ephes. 2.

C *Proprium christi opus ædificāre Ecclesiam super petrum.*

Lib. 1. cap. 21.

Quòd vero Augustinus in alium illum sensum procliuior esset, variæ causæ sunt. Primùm quia mysticos sensus auidissimè perscrutari est solitus, quod in tractatu illo vltimo in Ioannē, vbi hunc allegatum sensum tradit, apertissimè fecit. Deinde, quia propter Donatistarum tunc insaniam, in hominis sanctitate sacramentorum vim ponentium, subtimebat, ne si Petrus fundamentum Ecclesiæ haberetur, super hominem ædificarent homines. Quem scrupulum expressit Sermone 13. de verbis Domini. Quum enim dixisset, *Super me ædificabo te, non me super te*, adiecit *Nam volentes homines ædificari super homines dicebant. Ego sum pauli, &c.* Et paulò pòst, ad Donatistarum errorem propius accedens, ostendit habere Ecclesiam Dei & firmos & infirmos, ipsumque Petrum modò fidere, modò titubare, nunc immortalem Chri-

Quare Augusti nus aliū sensum sequutus fuit.

stum confiteri, nunc timere ne moriatur. Móxque concludit. *In illo ergo uno Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, vtrumque genus significandum fuit: & firmi & infirmi.* Hæc ille. Vt non putaremus super Petrum vt hominem impeccabilem, aut per se & seorsim acceptum, ædificasse Christum Ecclesiam suam. Præterea D

3. quia horum verborum interpretem ex proposito non egit, nec commentarius aliquando hunc locum exposuit, minus mirandum est si literalem sensum interdum deseruit. Nam quòd eum

4. aliquando etiam secutus sit, iam ante ostendimus. Postremò negatur super Petrum, vt merû hominem, ædificari Ecclesia, quia reuera neque Petrus est petra Ecclesiæ totaliter, sicut Christus, sed per participationem; nec ita per participationem est petra, vt nihil in eo agat Christus. Sed Petrus in fide à Christo solidatus, est Petra Ecclesiæ. Atque ideo non dicit Christus, *ædificabitur* super hanc Petram Ecclesia, vel *ædificabis* Ecclesiam, sed dicit, *ædificabo super hanc Petram Ecclesiam.* Id est, me ædificante, & te semper in fide solidante, me agente, ædificabitur Ecclesia mea, non tam à te, quàm à me super te: imò non super te simpliciter, sed *super hanc Petram* quod plus est; vt suprà satis exposuimus. In quo toto sensu non excluditur Christus agens, sed includitur maximè. Atque hoc respiciens Augustinus, libenter ferè ad Christum hæc verba retulit, tanquàm ad principale agens; non tamen excludens instrumentale Petri ipsius ministerium. Vtrumque enim alibi his verbis agnoscit. *Nos,* inquit, *qui vocamur Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus.* Hæc ille: Euidenter alludens ad hunc Matthæi locum. E

Ædificabo, quãtum significet.

De ciuit. Dei lib. 18. cap. 54.

Quomodo Petrus sit fundamentum Ecclesiæ, quum solus Christus illud esse videatur.

CAPVT IIII.

EX hac autem tota Demonstratione, patet nobis perspicuus aditus ad alterum longè maximum specie tenus impedimentum è medio tollẽdum. Clamant enim Aduersarij, & vrget vehementer Caluinus illud Apostoli. *Fundamentum aliud nemo potest ponere quàm quòd positum est, quod est Christus Iesus:* vt blasphemum sit Petrum ex hoc loco Ecclesię fundamentum vocare. Sed respondetur Petrum non esse *aliud fundamentum,* hoc est alterius generis, quia Christo subalternum est, & subordinatum; licet dignitate & perfectione multum differat. Dicit autem Apostolus *aliud,* nõ alterum ἄλλο, non ἕτερον, id est quod specie differat, non quod quum eiusdem generis sit, accidẽte differat. Tale autem Petrus est. Deinde non est *aliud,* hoc est, alienum à Christo, quia ab ipso Christo institutum & stabilitum sensu quo diximus. Aliud fundamentum se facit, & toto genere à Christo differt, vel qui non missus à Christo, ingerit se ministerio docendi loco Christi, *& intrat per ostium vt fur & latro;* vel qui *aliud Euangelizat præter quàm quod accepimus,* vt Lupus, & *abducit post se discipulos:* non ædificans super Christum, sed super se, id est, non colligens in Corpus & Ouile Christi, sed spargens; vel etiam qui ex contentione non ex officio aliis præfertur, aut neglecto Christo solus à subditis colitur, (de quo genere apertè hoc loco Apostolus loquutus est, vt antecedentia ipsius textus ostendunt) vel denique qui in ratione fundamenti Christum excludit, vt infidelis. Hi enim omnes non ad Ecclesiæ ædificium & ad Christi corpus construendum pertinent; sed ad Sathanæ regnum dilatandum, ad hęreses, schismata, Paganismos spectant. Habet nihilominus Christus in sui corporis ædificatione, sua quoque fundamenta, licet dignitate inferiora. *Christus enim* (ait Augustinus) *fundamentum est, & primum & maximum, quo vlterius nihil est. Sed quemadmodum Christus apertè dicitur sanctus sanctorum, sic figuratè est fundamentum fundamentorum. Si sacramenta cogites, Christus sanctus sanctorum, Si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum. Si fabricam,* id est constructionem seu ædificationem Ecclesiæ, *cogites, Christus fundamentum fundamentorum.* Quemadmodum ergo principaliter *vnicus* est *bonus Pastor* & *vnicus Magister,* vnica *lux vera quæ illuminat omnem hominem,* sic vnicum fundamentum est Christus. Propter ministerium tamen *posuit Pastores & Magistros in Ecclesia,* vt ait Apostolus. *Vos estis lux mundi,* dicit Christus: & agnoscit Apostolus hoc ipso in loco, *fundamenta Apostolorum & Prophetarum.* Propheta quoque canit. *Fundamenta domus Dei in montibus sanctis.* Et dicente Esaia, *erit præparatus mons* F

1. cor. 3.

Quomodo Petrus est fundamentũ Ecclesiæ. Petrus nõ aliud fundamentum.

enarrat. in psal. 86. *Christus habet sua fundamẽta in Ecclesia sua ædificanda.*

Ioan. 10. Matth. 23. Ioan. 1. 1. cor. 3. Ephes. 4. Matth. 5. 1. Cor. 3. Psal. 86.

A *tus mons domus Domini in vertice montium*, non dubitat Sanctus Hieronymus dicere. *Super vnum montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nec dissimiliter S. Basilius, *ædificata*, inquit, *est Ecclesia in Apostolis & Prophetis, quorum vnus erat Petrus, super quam petram pollicitus fuerat se ædificaturum Ecclesiam.* Hanc autem rationem & similitudinem fundamenti, propter potestatis participationem ipsi Petro à Christo communicatam, notarunt expressè & diligenter varij Patres. Hieronymus in comment. ad Matth. cap. 16. *Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen, & secundum metaphoram Petræ rectè dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.* Hæc ille. Idem repetit in comment. in Abdiam in fine. & in Hieremiæ cap. 16. Sic & Basilius in Homilia de Pœnitentia. *Axiomata sua Iesus largitur aliis. Christus verè est immobilis petra. Petrus verò propter Petram.* Quod ex illo vt multa alia desumpsit Ambrosius lib. 6. cap. 2. in Lucam. Cuius rei etiam rationem quam diximus alibi adfert. *Ecce*, inquit, *consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis: & pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur.* vt videlicet ipse Ecclesias solidaret. Sic Leo magnus *Petrum in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, quod ipse erat voluit nominari, dicens. Tu es Petrus, &c.* Et iterum serm. 2. in natali Petri & Pauli. *Tu petra es, qui mea virtute solidaris; vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Sic Prosper de vocatione gentium, de Petro ait. *Hæc fortissima petra ab illa principali Petra communionem & virtutis sumpsit & nominis.* Hæc illi Patres quasi præsentibus aduersariis ex proposito respondentes.

Esaiæ 2. In comment. ibidem. In com. ad 2. cap. Esaia. Ratio & similitudo fundamenti in Petro. Hieronymus. Basilius. Ambrosius. Consortium nominis propter consortiú operis. Sermo 47. epist 89. lib. 2. cap. 18. 1. Cor. 10.

B Notanda est etiam causa metaphoræ. Quemadmodum ergo in deserto *populus bibit de consequenti eos petra, petra autem erat Christus*, sic in deserto huius seculi haurimus fontem aquæ viuæ, id est, sanam doctrinam à Petra quæ Christus est. Sed quia id fit per ministerium aliorum pastorum, quorum princeps Petrus est, ideo propter Potestatem communicatam tanquam in eo genere Principi & Primario, Petræ nomen accepit. Vnde Arnobius vetustissimus scriptor dicit, *vniuersa flumina in deserto huius seculi benedici vsque hodie à Petro, & ipsum esse exitum aquarum in sitim: ita vt qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat.* Hæc ille. Nec verò nouum hoc aut mirum esse debet, si Christianorum Dux Petra vocetur. Abraham pater credentium, hoc nomine à Propheta honoratur. *Attendite ad Petram vnde excisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Sicuti ergo Abraham pater gentium erat propter fidem de futuro Messia, ideóque Petra erat tum veteri populo, vt ab eo genus duceret carnaliter, tum filiis omnibus noui Testamenti, vt *filij promissionis ex fide sint* tota fidelium propago; sic Petrus est Pater Christianorum propter fidem de præsenti Messia, quam primus mortalium confessus est, & immediatè à Deo reuelatam accepit: ideóque Petra constituitur nouo populo, vt ab eo deriuetur spiritualiter tota Christianorum Ecclesia. Atque hæc de prima expositione, quæ etsi sit aliquo modo vera, tamen nec totam veritatem explicat, (Nam præter Christum primariam petram, Petrus quoque quędam est petra) nec huic loco est propria, quia etsi Christus sit petra, tamen non est hæc petra.

Causa metaphora de ædificanda Ecclesia super hanc petram. Exire ab Ecclesia Petri. In psal. 106. Petrus pater christianorú. Isaiæ. 51. Rom. 9. Galat. 4. Matth. 16.

C *De secunda expositione, quòd super fidem Petri, non super ipsum Petrum ædificetur Ecclesia.*

CAPVT V.



SECVNDA horum verborum expositio (vt de ea nunc agamus) non differt nisi ratione à tertia. Nam reipsa idem est, super Petrum in fide firmatum ædificari Ecclesiam, & super fidem ipsam aut confessionem Petri ædificari Ecclesiam. Neque enim vel super Petrum absque fide in eo roborata, vel super fidem ipsam extra Petri personam ædificatur Ecclesia. Non primùm quia tùm Petrus quatenus fidei Petra, siue in fide roboratus, ponitur hic pro fundamento: (vt satis iam explicatum est,) tùm propter fidem quam à patre immediatè reuelatam accepit, & ore confessus est, factus est fundamentum ædificandæ Ecclesiæ, seu dux & Antesignanus omnium Christi & Mediatoris fidem profitentium: Non aliter sanè quàm Abraham propter fidem qua Deo semen & seminis multiplicationem, atque inde sequuturam benedictionem, (quæ fuit Messias venturus) promittenti credidit, factus

De secunda expositione. 3. Gen. 15.

est *pater multarum gentium*, & exemplum omnium credentium. Non secundum, quia tùm fi- D
2. des ipsa nullo modo ad ædificationem Ecclesiæ facit, nisi in aliquo supposito seu subiecto cre-
dente vel fidem docente existens, (actiones enim sunt suppositorū) tum quia solius Petri fides,
non cuiuscunque alterius suppositi, ad fundamentum ædificandæ Ecclesiæ pertinet. Nam ne
fides vel confessio ipsa putetur hic pro fundamento isto accipi posse, absolutè sumpta & in
quocunque homine inuenta, satis Christus docuit dicens. *Super hanc petram*, id est, hanc seu
fidem seu personam à me hic designatam, & propter futuram stabilitatem à me olim stabi-
liendam. Cum autem nulli personæ talis stabilitas quæ *ad confirmationem fratrum*, id est, ædi-
ficationem Ecclesiæ pertineat, sit à Christo promissa nisi soli Petro; Profectò de illius solius fi-
3. de, si de fide, loquutus fuisse necessariò intelligendus est. Præterea Ecclesiæ ædificandæ fun-
damentum, fides absolutè sumpta & in quocunque inuenta esse non potest, quia & in Lucis
1. & in ignotis personis esse talis & æquè vel sana vel magna fides possit, quos pro pastoribus ta-
2. men nec agnoscit, si eos tales esse certò sciret, nec interdum omnino scire potest Ecclesia Dei.
3. Est ergo fides fundamentum: non autem vaga sed determinata ad aliquod certum subiectū
4. in quo est; nec qualiscunque sed roborata; nec quomodolibet roborata, sed ad confirmationē
aliorum; nec denique in quocunque sed in solo Petro eiúsque successoribus. Plena ergo &
propria expositio illorum verborum, *Super hanc petram*, est: Super hunc Petrum in fide olim
roborandum, idque ad confirmationem fratrum, ædificaturum esse Christum Ecclesiam
suam.

Fides absolutè sumpta & in quocunque subiecto, non potest hic pro fundamento accipi.

Lucæ 22.

Qualis fides est fundamentum.

Plena & propria expositio horum verborū, Super hanc petram, &c.

Quod ad patres attinet, qui super fidem aut confessionem Petri ædificari Ecclesiam di-
cunt, non illi personam Petri excludunt, sed omnino & apertè includunt. Chrysostomus enim
cùm dixisset interpretans hæc verba, *Super hanc Petram, id est super fidem*, paulò post dicit, *subli-
miora Petrum sapere Christus facit, & Ecclesiæ pastorem constituit.* Et iterum: *Christum hoc loco id
agere, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur vniuerso terrarum orbe reluctante, & Hiere-* E
miam quidem vni genti, hunc verò vniuerso terrarum orbi à Christo præponi. Denique tu, inquit, *ex
his omnibus quanta sit Petri potestas intellige, Et ego tibi dico quia tu es Petrus: & ego super te ædificabo
Ecclesiam meā.* Hæc ibi, nec minus apertè idem Chrysostomus Homilia 27. ex variis in Mat-
thæum locis. *Princeps*, inquit, *Apostolorum Petrus super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè
immobilis Petra & firma confessio.* Hæc ille. Vbi vides ipsum Petrum vocari confessionem fir-
mam, quia videlicet secundum hanc & in hac firmus ille est. Cyrillus quoque cùm dixisset,
petram hoc loco *per agnominationem, nihil aliud quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidē
vocasse Christum*, tamen ne quia fidem Petri dixerat, ipsam Petri personam secludere videre-
tur, paulò post subinfert. *Iam si B. Petrus tam nobiles honores consequutus est, &c.* Quanquàm ta-
men si ille hoc in loco, ipsi fidei hoc totum tribuisset quod Petro tribuendum erat, inter illa
referendum esset, quæ à Patribus interdum contentiosè non dogmaticè scribuntur. De qua
distinctione plura dicemus infrà suo loco. Scripsit enim illa verba disputans contra Arrianos,
ideóque Confessionem illam Petri quæ Christum verum Dei filium esse (quam negabant
Arriani) asserebat, quantum potuit extollit & prædicat. Nam & sic quoque alio in loco idem
Hilarius etsi dixisset, disputans contra Arrianos, & hanc confessionem naturalis filij Dei mi-
rabiliter extollens, *Super hanc confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est*; & paulò post, *Hæc fides* F
Ecclesiæ fundamentum est, tamen ne hoc totum ipsi fidei absolutè tribuisse putetur, addit quo-
que. *Hæc fides regni cælestis habet claues.* Sicut ergo fides nec per se, nec in quolibet inuenta, ha-
bet has claues, sed Petrus ipse hanc fidem habens Ecclesiæ claues habet; sic etiam super fidem
Petri ædificatur Ecclesia, quia super ipsum Petrum in hac fide roboratum ædificatur. Nam &
ideo eodem in loco dicit Hilarius, *Petrum hic vltra humanæ infirmitatis modum supereminen-
tem beatæ fidei suæ confessione gloriam promeruisse.* Et in eodem libro paulò antè, *Beatus*, inquit,
Simon ædificationi Ecclesiæ subiacet, &c. Alibi quoque de Petro ait. *O in nuncupatione noui
nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum: ô beatus cæli Ianitor.* Hæc ille. Idem hic personæ Petri tri-
buens, quod antea ipsi fidei tribuerat. Coincidit ergo ista altera expositio, cum ea quam pro
propria & literali statuimus; idque ex ipsorum Patrum sententia, qui hanc alteram sequuti vi-
dentur.

Verba patrum expenduntur.

Homil. 55. in Matth.

Petri potestas pastoralis maxima.

Petrus immobilis petra.

Dialog. de Tri. lib. 4.

Petri nobiles honores.

lib. 7. cap 16.

De Trinit. lib. 6.

Petri supereminens gloria.

can. 16. in Matth.

Tertia verò expositio quam ex plurimorum Patrum communi sententia ostendimus,
tùm ex hac tota disputatione; (aliis videlicet duabus meritò remotis) literalis & germana esse
euidenter ostensa est; vt non sit id repetere necesse; tùm ex aliis illis expositionibus confirma-
tur egregiè. Ad maiorem tamen elucidationem verborum Christi rationem huius meta-
phoricæ loquutionis hic à Christo obseruatæ, (qua dicit, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam
meam*,

Tertia expositio.

Ratio metaphoræ à Christo vsurpatæ.

Matt. 16.

A *meam,*)breuiter trademus. Quia Ecclesia ipsa in Scripturis, propter multitudinem in ea con- *Ecclesia est domus.*
gregatam, & ordinem singularum partium, & diuinam Sancti Spiritus inhabitationem, *Aedificatur perpetuò.*
(sumpta quoque ab Ecclesia materiali seu templo, metaphora) vocatur sæpe *domus Dei*, vt pri-
mæ ad Timoth. 3. secundæ ad Tim. 2. ad Hebr. 3. & 8. idcirco huius Ecclesiæ perpetua pro- 1. Cor. 3. & 14 & 2. Cor. 12.
pagatio, gubernatio, conseruatio, vocatur ad continuandam metaphoram *ædificatio*, vt: *Dei* Ephes. 2. & 4.
ædificatio estis. Item. *Omnia ad ædificationem fiant.* Rursum. *Superædificati super fundamenta*
Apostolorum, &c. Dedit quosdam Apostolos in ædificationem corporis Christi. Aliisque in locis si-
milia. Christus ergo Ecclesiæ suæ futurum loco suo pastorem primarium designare volens, Matth. 16.
(illius enim hoc proprium opus erat, vt qui Caput esset Ecclesiæ,) eadem metaphora vtitur, *Petrus in hac ædificatione ponitur fundamentum.*
dicens Petro. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nam Christum ædificare Eccle-
siam suam super hanc petram, nihil aliud est quàm Christum ponere hanc petram pro fun- *Tres fundamenti conditiones.*
damento in ædificatione Ecclesiæ suæ, quemadmodum sane dicitur domus ædificari super
petram, cuius fundamentum est petra, non arena aut alia terra minus firma. Iam verò quod 1.
in ædificatione aliqua fundamenti loco esse debet, illud (si rectè aduertimus) tres conditiones
habere debet. Primùm vt sit fortissimum, immobile, & pro ratione ipsius ædificij superædifi- 2.
candi magis aut minus profundum, tale videlicet cui tota ædificij moles tutò, & firmiter in-
nitatur. Deinde primū locū in ipso ædificio habere debet. Nam à fundamēto incipit domus. 3.
Fundamentum denique vt totius ædificij pars est, à nulla parte ædificij dependet; sed ipsum-
met est tota ratio sustentandi quicquid ædificium habet, quatenus ædificium est, aut ad ædi- *Omnes fundamenti conditiones Petro conueniunt.*
B ficij partes pertinet. His autem omnibus modis quia Petrus fundamentum est, verè ille est *hæc*
petra, super quam Christus ædificat Ecclesiam. Duas priores causas apertè tradidit Ambro- Serm. 47.
sius. *Petrus* inquit, *petra dicitur eò quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquā* Ioan. 21.
saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Vt prius illud fieret, dici- Infrà cap. 13.
tur illi soli ante omnes alios. *Pasce oues meas.* Et de facto primus ille Euangelij ostium aperuit, Luc. 22.
fidémque prædicauit, vt postea enucleatiùs ostendemus. Vt posterius fiat, oratur *pro fide eius*
ne deficiat, idque in eum finem, *vt alios confirmet.* Quia enim tam firma domus & stabile ædi-
ficium futura esset Ecclesia, vt nunquam a fide aberraret, Petrus huius ædificij futurus fun-
damentum, fidei quoque firmitate nunquam defectura à Christo donatur: confirmaturus
videlicet & sustentaturus reliquas omnes Ecclesiastici ædificij partes, seu columnas ipsas &
robora præcipua, seu minutiores partes, id est siue pastores ipsos seu oues. De qua re plura po-
stea. Rursum quùm tota reliqua Ecclesia, vt totius cuiusdam ædificii partes inuicem & mu- ad Ephes. 4.
tuò pendeant, cohæreant, crescant, ex ministerio scilicet *Pastorum atque Doctorum*, quos Chri-
stus, *in Ecclesia posuit ad ædificationem corporis sui*, solus Petrus aliorum ministerio non ædifica- *Epiphanius.*
tur, sed (vt antè est ostensum) immediatè à patre fidem accepit. Ideóque vt expressè notat
Epiphanius in Anchoratu circa initium, *Ioannes cùm à filio didicisset, reuelationem suam scripsit,* ... τοῦ πατρὸς ἀσφαλισθεὶς τὴν ἀσφάλειαν τῆς πίστεως θεμελιῶσαι.
Petrus verò † à patre instructus est, certitudinem fidei fundaturus. Hæc ille iuxta Græcam verita-
tem. Petrus ergo propter fidei suæ sic reuelatæ, sic stabilitæ, sic in officio docendi primo lo-
co constitutæ, rationem & excellentiam, omnibus modis est in ædificio Ecclesiæ fundamen-
tum, siue hæc, id est, ministerialis petra.
C

Defensio sensus verborum Tibi dabo claues, &c. *Et primùm quomodo toti Ecclesiæ in persona Petri datæ sunt.*

CAPVT VI.

VNC illa expendamus quæ contra alia illa verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, disputari ab aduersariis solent. Duplex enim horum verborum expositio apud patres ab aduersariis obseruata, huic quam iam dedimus de persona Petri aduersari, videtur. Altera, quæ toti Ecclesiæ in persona Petri, cuius ille figuram gerebat, datas esse claues asserit. Altera, quæ si non toti Ecclesiæ, saltem reliquis Apostolis easdem postea datas esse contendit. Hanc enim vtramque expositionem, sic cum illa alia, quòd personæ ipsius Petri principaliter promitteretur, aduersa fronte pugnare existimant Protestantes, vt cum illis nullo vero sensu consistere hæc nostra queat. Prior autem expositio ab Augustino *Duplex expositio.*

Tract. 50. in Ioan.

Tract. 124. in Ioan.

Enarrat. in psal. 108.

sæpe vsurpatur. Ait enim. *Si in Petro nō esset Ecclesiæ Sacramentū, non ei diceret Dominus. Tibi dabo claues, &c. Et, si hoc Petro tantū dictum est, non hoc facit Ecclesia. Sed si in Ecclesia hoc fit, Petrus* D *quando claues accepit, Ecclesiam sanctā significauit.* Rursum. *Quod ad Petrū propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idémque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues, &c. Vniuersam significabat Ecclesiam.* Et adhuc apertius in Psal. 108. *Quædam*, inquit, *dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamē habent illustrē intellectum, nisi cū referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claues.* Hæc ille. In quibus omnibus locis non Petri personæ, sed toti Ecclesiæ datas fuisse hoc loco à Christo claues constanter docet. Quam etiam ob causam *claues Ecclesiæ* ab illo semper vocantur, vt hom. 50. ex Homeliis 50. lib. 1. c. 18. de doct. Christ. lib. 7. c. 51. de Baptis. contra Donatistas, & passim alibi. Claues autem Petri nunquam eas vocat Augustinus. Non ergo Petrus, sed Ecclesia in persona Petri, accepit claues. Quod si ita est, nullus ex hoc loco Petri Primatus probari posse videtur.

Prior expositio expenditur.

Ad hanc primam Augustini expositionem dicitur, verissimam quidem illam esse: sed non propterea aliam veritatem (quam nos asserimus) per eam excludi; imò manifestè & necessariò includi. Verissimum enim est Petrum hoc loco figuram fuisse Ecclesiæ, & nisi talis figura fuisset, ei claues promittendas non fuisse. Sed hæc ideo vera sunt, non quia Petri personæ peculiariter non sint etiam promissæ claues, vt aduersarij inferunt; sed partim, quia propter bonum & vsum totius Ecclesiæ, & non propter ipsum solum Petrum Claues istæ promissæ E sunt: partim, quia propter Primatum quem gerebat Petrus, in figura totius Ecclesiæ claues accepit. Qua vtraque ex causa persona Petri non excluditur, sed maximè includitur. Nam

Persona Petri verè accepit Claues.

(quod ad primum attinet,) iuxta illam naturæ regulam, *vnumquodque propter quid, & illud magis*: dantur claues Petro propter Ecclesiam, vel vt Ecclesiæ communicentur, habeátque ab illo Ecclesia reliqua, id est, Pastores Ecclesiæ reliqui, potestatem claudendi & aperiendi; vel vt eorum fructus ad totam Ecclesiam perueniat; ergo multo magis dantur ipsi Ecclesiæ claues. Magis autem ratione finis. Nam formaliter magis eas, id est veriùs & immediatiùs Petrus accepit. Non ergo Petri personam August. excludit, sed Ecclesiæ corpus cum Capite Petro includit. Quod ad secundum attinet, Petrus quidem nomine aliorum omnium Pastorum

Petrus in figura totius Ecclesiæ accepit claues quia caput Ecclesiæ.

Claues accepit, non quia alij Pastores parem cum illo potestatem habeant, sed quia (vt in loco iam citato ex Enarratione in Psalmum 108. apertè Augustinus dixit) *propter Primatum quem in discipulis habuit, personam cæterorum in figura gestauit.* Hanc etiam causam apertè etiā alio in loco adiecit. Petrus, inquit, *Apostolus propter Apostolatus sui Primatum, totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam.* Notandum est ergo non solùm quòd in figura Ecclesiæ claues accepit, (quod solum videre Protestantes volunt) sed præterea quam ob causam talem figuram gessit. Non enim tanquam vnus ex cæteris, quasi fortuitò ad hoc à cæteris confratribus assumptus, Ecclesiam totam figurabat, quam similiter, quiuis alius ex Apostolis vel etiam discipulis sic assumptus figurare potuisset; sicuti interdum gregarius aliquis ciuis à conciuibus suis deputatus, totius ciuitatis in comitiis aut conuentu aliquo publico personam F gerit: sed propter ipsum Primatum & principatum supra totam Ecclesiam, quem suo iure habiturus esset, illi videlicet à Christo Domino conferendum, Claues illi hoc loco in persona & figura Ecclesiæ totius promittuntur, easdémque postea sic accepit. Ex hac enim tali figuratione, quæ videlicet propter primatum quem habuit, in illo fuit, apertissimè sequitur, quòd maximè & potissimum & principaliter Petrus ipse claues accepit; non autem quod æqualiter cum illo tota Ecclesia, id est, omnes prælati Ecclesiæ claues acceperint. Quum enim propter Primatum hanc Ecclesiæ figuram gerebat, certè & propter Primatum in figura Ecclesiæ claues accepit. Quod si propter Primatum accepit profectò potissimum & principaliter ipse accepit; Ecclesia verò non nisi ab ipso & per ipsum tanquam à suo Capite & Primario Pasto-

Simile.

re. Non aliter quam, quod Rex in persona & figura regni à Deo accepit, gladium videlicet quem portat, & legum ferendarum potestatem quam habet, totum id sane Rex ipse potissimum & principaliter & verissimè habet, tenet, & possidet. Cæteri verò in regno Magistratus, prætores, iudices, non nisi à Rege accepta potestate & Authoritate regia, vel gladio ferire, vel leges condere, vel aliquid aliud politici iuris exercere possunt. Sic omnino Petrus à Christo,

Ius omne ecclesiasticum per Petrum.

tanquam Primarius futurus Pastor, solus claues accepit, vt in figura & persona totius Ecclesiæ, id est, omnium prælatorum & Pastorū Ecclesiasticorum: vt sane quicquid Ecclesiastici iuris à quocunque Pastore exerceatur, id totum per Petrum & Petri Supremi Capitis Authoritate exerceatur.

A exerceatur. Hæc ergo & talis figurata acceptio clauium, Petri Primatum in potestate clauium non excludit, sed (vt dixi) vel maximè includit.

Iam verò illustris quidem est intellectus (vt dixit suprà Augustinus) cùm hæc verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, referuntur ad Ecclesiam, id est, sublimis, mysticus & diuinus est, ipsúmque finem & vsum amplissimum totius huius datæ potestatis complectitur. Verus tamen & proprius intellectus, historicus & literalis, (cui illustris & mysticus non derogat, sed superaddit) est quum ipsi personæ Petri datæ claues intelliguntur. Sicut illustris magis intellectus est, cùm Iudas gerit personam omnium inimicorum Christi. Ad literam tamen Iudas erat inimicus Christi. Nam ex hac occasione alia illa verba dixit August. Vide principium Enarrat. eius in Psal. 108. Sic in intellectu magis illustri Martha & Maria figurâ gerebant vitæ actiuæ & contemplatiuæ. Nihilominus veræ erant illæ personæ non parabolicæ. Christi mors in nobis peccati mortem, resurrectio vitæ nouitatem figurauit: verè tamen Christus & mortuus est & resurrexit. Figuratio ergo Ecclesiæ in datis clauibus Petro, non tollit alteram veritatem, quòd etiam datæ sint personæ Petri; sed necessariò præsupponit. Alioqui parabolicus hic erit Petrus, & tota illa historia Matth. 16. vertetur in parabolam. Atque hæc de priore expositione hactenus.

De altera expositione, quæ æquat omnes Apostolos Petro.

CAPVT VII.

B

ALTERA expositio æquat saltem Apostolos Petro; quia omnibus discipulis dictum est. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Et iterum omnibus Apostolis. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Vbi claues Ecclesiæ illis datæ fuisse videntur. Imo datas fuisse omnibus Apostolis claues, affirmat his verbis Sanctus Hieronymus. *At dicis super Petrum fundatam Ecclesiam, &c.* Quod quasi vulgare reiiciens, addit. *Licet id ipsum alio loco* (hunc autem intelligit Ioan. 20.) *super omnes Apostolos fiat; & cuncti claues regni cælorum accipiant; & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Hæc ille. Quibus & simillima habet Cyprianus: Christum videlicet *Apostolis suis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuisse*, & dixisse *Quorum remiseritis peccata, &c.* Moxque infert. *Hoc erant vtique cæteri Apostoli quod erat Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Hæc ille. Eandem sententiam sequitur Theophilactus, nec non & Euthymius in commentariis Matth. ca. 16.

Illustris & mysticus intellectus non tollit literalē sed superaddit.

Theophilact. Euthymius.

His omnibus respondetur in illis locis Euangelicis iam citatis Mat. 18. & Ioan. 20. quosdam tantum actus ipsarum clauium, eósque partiales non totales (vt suprà declaratum est) expressos fuisse. Quod autem isti patres dicant, Apostolis ipsis nihilominus parem potestatem tributam esse, de ipsis Apostolis verum hoc esse fatemur: (licet hoc illa verba ex Euangelio citata non expresserint,) cum triplici tamen discrimine. Primùm quia ipsius Apostolatus non

C erat successio, parem potestatem habebant quatenus Apostoli in propriis personis, non tamē ad alios deriuandam. Apostoli enim quatenus Apostoli, erant legati seu missi (vt vocis ætymologia docet: *Hos duodecim misit Iesus.* Et iterum. *Non est Apostolus maior eo qui misit eum;*) cum plena potestate ad inchoandam ecclesiam, singulari priuilegio, & extra ordinem. Quod & Saluator signanter expressit. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* In hoc autem erant Petro pares quatenus Apostolo. Sed alia præterea in illis fuit Episcopalis, & iurisdictionis specialis Potestas, quæ vnicuique ibi propria fuit, vbi sedem fixit; vt Hierosolymis Iacobus, Ephesi Ioannes, Romæ Petrus, aliique aliis in locis. *In quibus* (ait Irenæus) *successores relinquebant, suum ipsorum magisterij locum ipsis tradentes.* Et hoc in sensu, Episcopos & præsbyteros *Apostolorum successores* vocat Hieron. & *pro Apostolis constitutos esse in Ecclesia Episcopos* scribit Augustinus. Imò hoc in sensu omnes qui nunc vocantur Episcopi, (ait Theodoretus) *olim vocabantur Apostoli, & qui nunc presbyteri vocantur, olim Episcopi vocabantur.* Hoc autem respectu, Episcopalis videlicet seu Pastoralis & ordinariæ Potestatis, inferiores Petro erant. Et ideo Andream, Iacobum, Ioannem, vocat Gregorius Magnus *singularum plebium capita, & sub vno capite Petro omnes membra Ecclesiæ.* Habebant quoque cæteri Apostoli singulas quisque cathedras (vt scribit Optatus) Petrus *verò singularem & vnicam cathedram, & principalem.* Nam & ideò, *ab ipso Petro tanquam totius orbis magistro* (ait Chrysost.) *Diuus Iacobus Hierosolymorum Episcopus*

Triplex discrimen inter potestatem Petri & Apostolorum.

Matth. 10.
Ioan. 13.

Episcopalis iurisdictio fuit distincta & inæqualis in Apostolis.

Lib. 3. cap. 3.
Epist. ad Euagelium.
Enarrat. in Psal. 44.
In comment. in 1. ad Tim. cap. 3.
Registr. li. 4.

Epist. 38. Lib. 2. Homil. 87. in Ioan.

creatus fuit. In hac ergo ordinaria & Episcopali potestate in qua successio fuit, erat imparitas & cæterorum Caput, id est summus Episcopus erat Petrus. Ideóque Petri successor Rom. Pont. statim post Apostolorum tempora, *Episcopus Episcoporum & summus Pontifex* nuncupatus est, vt ex Tertul. in lib. de Pudicitia satis clarè colligi potest. In Apostolatu tamen omnes æquales erant. Sed ipsius Apostolatus nulla successio fuit. Finitur enim legatio cum legato, nec ad successores ipsius transit. Et hoc ita se habere, aduersarij ipsi nobiscum fatentur, vt iam ante ex Caluini verbis ostensum est. Petrus verò accepit hanc plenam potestatem, non vt Apostolus, non vt missus extra ordinem, sed vt Pastor Ecclesiæ ordinarius, per suos successores perpetuò duraturam: quod postea suo loco demonstrabitur. Ergo, licet in rebus ipsis quas facere poterant Apostoli, par erat in singulis potestas, tamen in modo huius potestatis, (quia in Petro perpetua, in aliis extraordinaria fuit) magnum discrimen ad rem præsentem est. Quæritur enim nunc de potestate Petri ipsi singulariter data, pastorali, & ordinaria. D

Suprà libr. 5. cap. 15.

Infrà cap. 15.

Potestas Petro singulariter data fuit perpetua & ordinaria

2. *Discrimen*.

Aliud discrimen est ratione extensionis. Omnes enim Apostoli habebant parem potestatem quoad amplitudinem rerum gerendarum; sed non quoad superioritatem in ordine gerendi: id est plenissimam singuli Apostoli habebant, & supremam potestatem, respectu aliorũ omnium Christianorum, non autem respectu ad se inuicem: quia videlicet Petrus sic caput erat omnium Christianorum, vt etiam ipsorum Apostolorum caput esset. Quod totum voluntarium, & à nobis excogitatum sophisma videretur, nisi ipsi Authores ab aduersariis citati hoc apertè assererent. Hieron. enim post verba prius citata, in quibus æqualitatem inter Apostolos statuit dicens, *ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudinem solidari*, subiungit nihilominus. *Tamen inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto schismatis tollatur occasio*. Similiter Cyprian. post verba citata subiungit. *Sed exordium ab vnitate proficiscitur. Petro Primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur*. Erant ergo omnes duodecim Apostoli respectu totius Ecclesiæ reliquæ, hoc est respectu legationis, paris potestatis. Ipsorum tamen in respectu mutuo adinuicem, hoc est in respectu pastorali, Caput erat Petrus. Quam sanè ob causam & in quo sensu, passim à veteribus, Princeps, Caput, & Corypheus Apostolorum, Petrus vocatur, vt partim suprà commemorauimus, partim infrà proferemus ex patribus plura. Sane Epiphanius in Anchoratu vocat Petrum τὸν κορυφαιότατον τῶν Ἀποστόλων: summum Apostolorum Coryphæum seu principem. Præterea in verbis Hieron. quæ paulò liberaliùs loquuntur, locum habet illa distinctio, de his quæ à patribus dogmaticè & quæ contentiosè scribuntur. Nam hic disputans contra Iouinianum, qui contra honorem virginitatis, Petrum hominem coniugatum, à Christo cæteris prælatum introduxit, extenuat Hieron. quãtum per veritatem licuit, Petri authoritatem, cæteros illi propter Apostolatum quidem coæquens: Cæterorum tamẽ caput illum fuisse apertè asserens. Sed alibi in commentariis ad hunc locũ, aliísque multis in locis; *super vnum Petrum fundari Ecclesiam*, apertè docuit; vt antè est à nobis citatum. Verba autem Cypriani & Theophylacti nihil incommodum habent etiam simpliciter concessa. Nam dedit quidem Christus Apostolis post resurrectionem, parem potestatem quantum ad ligandum & soluendum (intellige ipsis subditos) Ioan. 20. quem locum Cyprianus & Theophilactus citant; sed non quantum ad accipiẽdas Claues, de quibus nec Ioan. 20. nec à Cypriano aut Theophylacto mentio fit. Hoc autem quàm illud longe latius patet, vt suprà est declaratum.

Petri potestas Suprema in ordine administrandi ecclesiam.

E

Petrus κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων.

Suprà cap. 2.

Quo sensu par Apostolis potestas data fuerit.

F.

Suprà cap. 2.

Sed quia hæc Cypriani verba, de pari consortio honoris & potestatis inter Apostolos, maximè vrgent Protestantes omnes, & ad omnem Petri præ cæteris prærogatiuam tollendam inuictè valere iactitant, totum Cypriani locum hic transcribam: Vt eo inspecto, videat cordatus lector, tum pro Petri Suprema potestate quantum hic vnus locus facit, tum quanta impudentia obtruncatas patrum sententias proferant Protestantes, hoc vno illustri exemplo animaduertat. B. Cyprianus postquam diaboli fraudem, qua humanum genus per hæreses deprauat, quia per idolorũ cultum deprauare amplius nõ potest, pluribus verbis descripsisset, causam & remedium pariter huius calamitatis grauissimæ declaraturus, illam quidem in derelicto Supremo fidei Pastore, hoc verò in eodem retento ponit: his verbis. *Hoc eò fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina seruatur*. Quod enim Caput & quam Originem veritatis intelligat, statim in sequẽtibus apertè explanat. *Quæ*, inquit, *si quis consideret, & examinet*, Caput videlicet & originem veritatis, *tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiã meam*

Protestantiũ singularis impudentia.

In lib. de vnit. Ecclesiæ, vel de simplicitate prælatorũ.

A *meam:& portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum*, & quæ sequuntur. Mat. 16. *Et iterum* [ait Cyprianus] *eidem* (Petro) *post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas.* Quorum duorum locorum quasi summam complecti volens, addit. *Super illum vnum ædificat Ecclesiã suam, & illi pascendas mandat oues suas.* Móxque non vt Petri Authoritatem, quam tam clarè asseuerat, infirmaret, sed vt obiectionem remoueret, subiungit. *Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me pater, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientẽ sua Authoritate disposuit.* Quæ verba quantum valeant, mox dicemus. Sed pergit Cyprianus, & semetipsum magis exponit. *Hoc, inquit, erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari cõsortio præditi & honoris & potestatis.* Hoc fragmentum rapiunt Protestantes, nec sensum quo dicta sunt, vt iam explicare cæpimus, quicquam curantes; nec antecedentia, quæ Cypriani mentem satis explicant, expendentes, nec denique quod statim subsequitur, animaduertẽtes. Sequitur enim in Cypriano hæc aduersatiua particula, quæ verba præcedentia moderatur, & interpretatur. *Sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Móxque quum vnam esse Ecclesiam ex verbis Canticorum ostendisset, *Hanc, inquit, Ecclesiæ vnitatem qui non tenet tenere se fidem credit?* Sed iam, quæ & in quo hæc *Ecclesiæ vnitas tenenda est*, quomodo & in quo *vna est Christi Ecclesia*, quæ & in quo est *vna Cathedra*, quomodo & in quo *grex vnus ostenditur*, quæ denique sit *vnanimis consensio* (nam hæc singula prius dixerat) apertè declaraturus, subiungit. *Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?* Hæc ille, B manifestissimè docens quamuis aliquo sensu par sit honor & potestas Apostolorum omnium, tamen in respectu ipsorum Apostolorum mutuo, & inter se inuicẽ, in respectu vnitatis in toto Ecclesiæ corpore maximéque in Præpositis & Pastoribus Ecclesiæ retinendæ, ab vno Apostolo exordium vnitatis proficisci, Primatum Petro dari, & vnum Petrum cæterorũ Caput, & principem esse: in cuius videlicet vna Cathedra, quam propterea alibi *principalem Cathedram* vocat, *vnde vnitas sacerdotalis exorta est*, totius Ecclesiæ vnitas tum esse monstratur, tum vt perpetuò sit, retinetur. Quemadmodum sanè in vno Capite corporis naturalis, in vno principe seu Capite corporis politici, cæterorum membrorum omnium, & Reip. partium vnitas tùm monstratur tùm conseruatur. Vnum enim est naturale corpus, quod vnum Caput habet. Vna est Resp. vnum regnum, quod vni Magistratui aut Regi subiicitur. Salus quoque, pax & harmonia corporis naturalis à Capite; Reip. & regni à suo Magistratu & Rege dependet. Cui si minus obeditur, in vtroque corpore fit schisma. Sic ergo Ecclesiastici corporis vnitas, pax, & ordo, in vna Petri Cathedra, tanquam in *Ecclesiæ Catholicæ radice & matrice*, vt idem alibi de illa loquitur, esse monstratur, & in esse conseruatur. Atque hęc de illo Cypriani loco hactenus. Nunc ad aliud discrimen pergamus.

Lib. 1. epist. 3.

Lib. 4. epist. 8.

Tertium discrimen est, idque maximum, quòd Petro data est potestas præceptiua seu regiminis, Apostolis autem tantùm executiua seu gubernationis, id est, & si cæteri Apostoli immediatè à Christo parem haberent potestatem & honorem cum Petro, scilicet omnia faciendi & exequendi quæ ad ædificandam Ecclesiam pertinebant, tamen soli Petro sic ista plena C potestas à Christo data est, vt in ipsa gubernatione Ecclesiastica, ipse præscriberet ea quæ agẽda & executioni mandanda essent, ideóque omnis ab illo gubernandi potestas ad alios descenderet. Hoc est enim caput cæterorũ fuisse. Et hanc ob causam illa vna persona Petri vnitatem Ecclesiæ non solùm *significauit, aut figurauit*; sed & præterea verè inchoauit: id est, principium Ecclesiæ, seu primus in Ecclesia & Supremus Pastor existens, ad alios illam potestatẽ deriuauit. Nec solùm moriens ad successores (vt in primodiscrimine dictum est) sed etiã viuus ad omnes alios in Ecclesia pastores. *Significationem huius vnitatis* in Petro agnoscunt aduersarij, quemadmodum & figurationem illam, secundum quam in figura Ecclesiæ claues accepit: sed eatenus tantùm, vt in persona Petri ostenderet quidem Christus Ecclesiam vnam esse debere, non quia vnitatis principium Petrus esset, vt iam ex Cypriano ostendimus, sed quia à se vno cælesti capite penderet. At longè amplius hîc à Christo factum fuisse, & Petrum hoc in loco ad vnitatem Ecclesiæ *verè inchoandam* non solùm *significandam*, à Christo prælatum fuisse, tùm Sanctorum Authoritas, tùm euidens ratio ostendit. Cyprianus apertissimè dicit. *Vt vnitatem Christus manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua Authoritate disposuit.* Hæc ille. Vbi obserua quòd dicit, *ab vno incipientem*, non à se. Loquitur enim de Christo disponente. Deinde quod dicit *authoritate Christi* hoc factum esse.

Tertium discrimen.

Solus Petrus in gubernatione ecclef. præscribit agenda.

Petrus nõ solum significauit, sed etiam inchoauit vnitatem totius ecclesiæ.

Lib. de vnit. ecclesiæ.

Ad significandũ aliquid, Authoritate non est opus.

t

Nam ad significandam tantummodo simpliciter Ecclesiæ vnitatem, authoritate à Christo non erat opus. Etenim Christi inconsutilis tunica, vna domus Raab, vna domus in qua agnus paschalis totus comedendus erat, & vna Area Noë Ecclesiæ vnitatem significabant; nulla tamen ad hoc intercedente authoritate diuina, sed sola assumentium & applicantium voluntate. At verò, vt Petrus significaret Ecclesiam vt sic, nempe vt Caput & propter Primatum, (vt ante ex Augustino est explicatum;) hoc est, vt vnitatem Ecclesiæ inchoaret sic, vt ab illo vno capite vicario Ecclesia actu inciperet [quod Actor.2.factum legimus, vt notauit Ambrosius Serm.47.& Euthymius in comment.ad Matth.ca.16.] & quòd tùm ille tum eius successor reliquæ toti Ecclesiæ in ratione pastoralis regiminis authoritatem daret, ad hoc sane authoritate magna opus fuit: ideóque hoc Christus *authoritate sua disposuit*; ait Cyprianus. Cui subscribens Optatus: *omnium*, inquit, *Apostolorum Caput Petrus Romæ sedit, vt in illa vna cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur; ne cæteri Apostoli singulas cathedras sibi quisque defenderet*. Hæc ille. Petrus ergo sic vnus accepit claues, vt quemadmodum caput est principium corporis (est autē ratio Principij sufficiens ratio capitis in rebus eiusdem ordinis,) ita ille caput factus cæterorū, inciperet Ecclesiam: essétque *origo vnitatis Ecclesiæ*, vt loquitur hic Cyprianus, vel vt alibi apertiùs dixit, *vt à Petri Cathedra vnitas sacerdotalis oriretur*. id est, omnes sacerdotes ab illo vno inciperent & potestatem acciperent. Sic enim [vt sapienter Leo magnus scribit] *firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis confertur*. Sic autem cæteri Apostoli claues non acceperunt. Neque enim poterat multitudo accipientium claues idque æqualiter, vnitatem Ecclesiæ inchoare, aut vnitatis origo esse, nisi reducerentur ad aliquod vnum. Neq; verò satis est ad inchoandam hanc vnitatem, vt ad vnum Christum referantur qui claues acceperunt; sed debet hoc vnum ad quod cæteri referūtur, etiam eiusdem generis caput esse: terrestre scilicet, vel temporale, sicuti corpus Ecclesiæ hic militantis temporale est. Ne sane Ecclesiæ corpus visibile vel ἀκέφαλον esset & sine capite vel caput corpori proportionatum & conforme nō haberet: Quorum illud veram corporis rationem tollit, hoc monstri simile est. D E

Petrus Principiū Ecclesiæ dupliciter.

Lib.2. contra Parmenianū.

Petrus accepit claues vt principiū & caput totius Ecclesiæ.

Lib.1. epist. 3.

Vnitatis origo non potuit nisi ab vno incipere.

In Anniuersario Assumptionis suæ.

Istud autem hac ratione magis adhuc manifestum reddi potest. Vnitas Ecclesię opponitur non solùm hæresi sed etiam & schismati: hoc est, ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam opus est non solum sana fide in Deum, sed etiam vera obedientia, communione & charitate in totam Ecclesiam & cum tota Ecclesia, maximè verò in Ecclesiæ principes & cum illis circa cultum religionis. Hinc fit vt schismatici habeantur, qui retenta vniuersa fide, tamen segregant se à communione & societate fidelium, & præsertim à suis pastoribus, atque seorsim colligunt; maximè verò qui ab vnitate Apostolicæ sedis separantur. Hoc autem schisma ideò committitur, quia immediatè deseritur & contemnitur, vel totum Ecclesiæ corpus, vel certè caput terrestre seu vicarium, & vt loquitur Cyprianus, *quia vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus Iudex vice Christi non cogitatur*. Non autem ideo fit schisma, quia caput cœleste quod est Christus contemnitur; nisi indirectè, & per consequens illud euangelicum: *Qui vos spernit, me spernit*. Sicuti ergo dissoluitur vnitas Ecclesiæ non solùm à recta fide recedēdo, & Christum caput cælestе deserendo, sed etiam ab Ecclesiæ Pastoribus sese separando; sic ediuerso conseruatur vnitas Ecclesiæ non solùm adhærendo Christo capiti vitali, sed etiam adhærendo capiti ministeriali quod à Christo institutum est, *vt vnitatis origo ab illo inciperet & vt vna Ecclesia monstretur*, vt loquitur cyprianus. Nam cùm tota ratio schismatis, sit separatio à corpore, quod est Ecclesia (vt docuit Augustinus libro de vnitat. Eccles.cap. 4.) illa non fit nisi ratione capitum, id est pastorum illius corporis. Nam quemadmodum Ecclesiam bene definit Cyprianus, *plebem suo sacerdoti adunatam, & ibi esse Ecclesiam vbi episcopus est*; ita schisma est plebs à suo sacerdote diuulsa, & vbi episcopus non est. Huius autem vnitatis ecclesiasticæ ab vno capite potissimùm dependentis forma, in charitate fraterna quam naturaliter Deus nobis inseuit, eleganter expressa est. Nam *ad vehementius commendandā* [ait Augustin.] *Humanæ societatis vnitatem, & vinculum concordiæ, vnum ac singulum hominem Deus creauit, vt ab illo vno homine omne diffunderetur genus humanum*. Hæc ille. Sic omnino, ad vnitatem fidei [in qua concorditer seruanda Ecclesiæ vnitas maximè consistit] rectiùs retinendam & vehementiùs commendandam, 1. vni Petro fides est primum reuelata, 2. vnus Petrus cæterorum omnium Petra & pater ponitur, 3. super vnum Petrum fundatur Ecclesia, 4. vnus Petrus claues regni cælorum accipit, 5. pro vnius Petri fide vt non deficiat oratur, 6. vni Petro oues suas pascendas christus commisit, vt vnitatis origo ab vno capite Petro tot modis & inciperet, & propagaretur, & denique in alios omnes fideles diffunderetur. Quia ergo (vt em præsentem concludamus) Christus dando vni Petro claues, vnitatem Ecclesię commendauit, F

Vnitatis origo debet esse a capite tēporali & ministeriali.

Schismatici qui. Lib.1. epist. 3. & li.4. epist.9.

Luc. 10.

Lib. de vnit. ecclesiæ.

Tota ratio schismatis.

Lib.4. epist.9.

Lib.12. cap 21. de ciuit. Dei. *Simile in fraterna charitate.*

Vnius Petri varia priuilegia.

A dauit,eiúsque originem demonstrauit,non à se solo,sed (teste Cypriano) *ab vno Petro incipientem*; profectò sic vni Petro eas dedit,vt Supremo ac Vicario capiti,& à quo omnis ecclesiastica vnitas verè inciperet perpetuóque descenderet:non autem à multis, nisi referendo omnes ad hunc vnum,& adhærendo huic vni. Ex quibus omnibus illud efficitur, non sic cæteris 1.
Apostolis vt Petro collatas claues esse:sed solum Petrum primùm pro se & suis successoribus, 2.
deinde in ordine etiam supra alios Apostolos, tertiò denique vt ab illo in totam Ecclesiam 3.
deriuandas illas accepisse.

Promissæ potestatis soli Petro, stabilimentum à Christo illi soli factum.

CAPVT VIII.

QVARTVS gradus est,ipsius fidei immediatè reuelatæ, (ex „
qua noui nominis expositionem, & futuræ potestatis pro- „
missionem accepit Petrus,) perpetua confirmatio, & inde- „
fectibilis roboratio. „

Nam quia dixerat Christus *ædificaturum se esse Ecclesiam suam super hãc Petram*,id est super Petrum in fide roborandum; nec tantùm ad tempus matth.16.
B præsens,sed in perpetuum; (siquidem & ipsam Ecclesiam suam perpetuam esse voluit,) debuit necessariò fides Petri stabiliri in perpetuum, tanquam necessarium medium ad futurum tanti ædificij fundamentum: id est, ad tantam in ædificanda & propaganda Ecclesia Dei futuram docendi & pascendi certitudinẽ atque potestatem. Hoc diligenter fecit Christus, antequam hanc tantam potestatem illi de facto conferret. Nempe, ait Christus præsentibus cæteris Apostolis Simoni. *Simon; ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego* Lucæ 22.
autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Discutiamus autem nonnihil hæc verba, vt quanti ponderis, ac momenti sint ad rem præsentem, intelligatur.

Primùm ergo animaduertendum est,quæ fuerit horum verborum occasio. Nempe Cœna 1. *circumstantia*
facta,turbati Apostoli propter Christi verba dicentis,fore vt vnus ex ipsis eũ traditurus esset, *verborum.*
cœperunt quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset: móxque vt fit in perturbatis animis,ex illa lite in aliam inciderunt,*factáque est* (ait Lucas) *contentio inter eos, qui eorum videretur esse maior.* Hanc eorum intempestiuam contentionem cùm placasset Christus,dicens; *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic*,&c. docens videlicet, omnem dominandi appetitum ac libidinem à suis ministris quàm longissimè abesse debere, ne tamen omnem dominandi potestatem pariter prohibuisse, aut abstulisse videretur, subiicit verba illa soli Petro dicta: apertè demonstrans illum fore *Maiorem eorum* de quo contendebant.

C Deinde verba Christi in se sunt diligenter expendenda. Nam in illis, duo Christus facit. 2. *Verba Christi*
Primùm in communi omnium periculo solum Petrum confirmat. *Satanas expetiuit vos*, &c. *in se.*
Ego autem rogaui pro te:&c. Deinde ne illa confirmatio solius Petri causa facta fuisse, aut ad fi- 1.
dem Petri personalẽ pertinere videretur, addit. *Tu autem conuersus confirma fratres tuos*: Osten- ad Hebr. 10.
dens ideo illum confirmari in fide, vt aliorum omnium fidem ipse postea futurus pastor om- 2.
nium confirmaret, veréque esset firma Petra, super quam ædificaretur Ecclesia. Hoc enim illa verba euidenter affirmant. Cùm enim fides sit basis & fundamentum in confirmanda Ecclesia, vnde Apostolus eam definit, *Substantiam siue basim rerum sperandarum*, Christus Petrum *Quomodo Petrus confirmat*
ad ædificandam Ecclesiam fundamenti loco positurus, eum ante omnia in fide confirmat. *fratres.*
Nam cùm fidem solus quidem Deus infundat, & præueniente gratia cor hominis moueat, ad Heb. 10.
excitet atque illuminet (*Dei enim donum est, non ex vobis*:) eadem tamen quoad nos ministerio Ephes. 2.
prædicatorum ædificatur [*fides enim ex auditu. Quomodo autem audient sine prædicante?*] huius Rom. 10.
autem prædicationis duæ sunt partes præcipuæ, docere & confirmare, vel vt Apostolus loquitur, *plantare & rigare*, Christus Dominus in quo excellenter erat omnis potestas ædificandi & 1. Cor. 3.
confirmandi Ecclesiam, hanc potestatem vni Petro eminenter, & per eum aliis communica- Matth. vltim.
turus, ne illa Ecclesiæ suæ vnquam deesset, de prima illa & initiali prædicatione ac plantatio- *prædicationis fidei duæ partes*
ne dixit soli Petro. *Super hanc Petram ædificabo*, vt iam explicatum est: de altera quoque parte, *Petro eminenter commissæ.*

nempe confirmatione ipsorum iam fidelium, quia ministeriale quoque hoc opus est sicut ipsum prædicare, dicit hic soli Petro, *Tu conuersus confirma fratres tuos*; Hoc est, eos qui iã fideles sunt. Hoc enim est alterum, idémque præcipuum circa ministerium fidei, officium. De quo genere Apostolus ait, *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*, id est, confirmati in vnitate fidei. Vtrunque Apostolus alibi coniunxit: distribuens opus ministerij in *consummationem seu καταρτισμὸν confirmationem sanctorum*, id est, iam fidelium, & *in ædificationem*, id est, collectionẽ *corporis Christi*. Quod enim ibi Apostolus verbo *cõsummandi* vel perficiendi expressit, hîc Saluator verbo *confirmandi* exprimit. Vtrunque verò quia idem fere significant, Petrus coniunxit. *Ipse*, inquit, *modicum passos perficiet, confirmabit, solidabítque*. Quod totum vt hic Deo tribuitur, & alibi sæpe; ita Christus Petro tribuit, & Apostolus suo Timotheo tribuere non est veritus. *Misi* [inquit] *Timotheum ad confirmandum vos*, &c. Sic legimus Paulum & Barnabam perambulasse, *confirmantes Ecclesias, & præcipientes custodire præcepta seniorum & Apostolorũ*, id est, sedulò monentes vt in Regula fidei accepta manerẽt. Vt videlicet hac ratione quæ duo præcipua sunt in ratione propagandæ fidei officia, ædificare & confirmare, plantare & rigare, inchoare & perficere, sic Deo sint principaliter propria, vt tamen sint primùm & eminẽter Petro, & post eum, vel potius per eum, aliis ministerialiter communia. D

1 cor. 1. Ephes. 4.

Epist. 1. cap. 5. ad Rom. 16. Thes. 2. & 3. Actor. 15.

Tertiò in eum sensum quem diximus, iam olim sancti patres hæc verba exposuerunt. Leo magnus, *commune quidem*, inquit, *erat omnibus Apostolis periculum; specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur. Tanquam si aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Hæc ille in Anniuersario Assumptionis suæ. Sic & Augustin. in libro de quæstion. noui & veteris Testamenti. *Pro Petro*, inquit, *rogabat Saluator. Pro Iacobo autem & Ioanne non rogabat? Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur aut laudatur.* Hæc ibi. Et iterum alio in loco, *Totius*, inquit, *corporis morbum in ipso Capite curat Ecclesiæ, & in ipso componit omnium membrorum sanitatem.* Quibus & suffragatur Ambrosius. Exponens enim hæc verba: *Vide*, inquit, *quid dicat Dominus, & intellige. Ventilatur Petrus, incedit in tentationes, sed Ecclesiæ præponitur postquam tentatus à diabolo est*: adeóque ante significat Dominus, *quid sit illud quod postea eum elegit dominici gregis pastorem. Nam huic dixit. Tu autem conuersus confirma fratres tuos.* Hæc ille. Vbi vides verba illa, *Confirma fratres tuos*, significare Ambrosij iudicio, fore Petrum dominici gregis Pastorem. Sic dilucidè rem explicat Theophylactus. *Manifestus*, inquit, *verborum sensus est, quòd cùm te discipulorum principem fecerim, tu cùm post negationem fleueris, & resipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra & firmamentum es.* Hæc ille. Obserua autem hæc verba ita singulariter Petri Primatum ostendere, vt Caluinus, cùm omnia alia loca & argumenta quæ pro Petri primatu afferri solent, diligenter expenderit, atque vt potuit refutauerit; huius loci & horum verborum nullam prorsus mentionem fecerit, vt qui probè sciret, nullo hîc cauillationis fuco, tam manifesta verba eludi potuisse. E

3 Patrum sensus de his verbis. Leo.

Quæst. 79.

In Petro omnes continentur. Serm. 124. de tempore. Ambrosius in psal. 43.

In comment. ibidem.

Petrus post Christum Ecclesiæ petra & firmamentum.

Realis exhibitio supremæ potestatis soli Petro à Christo facta. F

CAPVT IX.

„ QVINTVS gradus est, Potestatis ipsius quam in noui nominis promissione, & impositione, significauerat; quam in expositione nominis promiserat, quam in fidei cõfirmatione futuram insinuerat, realis tandem & vera exhibitio.

Ioan. 21. Loci & temporis Circumstantia.

Factum hoc legimus luculenter & plenissimè apud Ioan. Nam in præsentia trium Apostolorum, Iacobi, Ioannis, & Thomæ, ac trium discipulorum; quasi in præsentia episcoporum & sacerdotum, summum pontificem creaturus; eo etiam momento quo ad patrem iam ascensurus esset, ideóque aut tunc, aut nunquam vicarium constituturus, imò quia necessariò absentiæ iam suæ vicarium certum constitui oportebat, dixit Christus Simoni Petro. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Quod cùm ter rogasset, & ad singulas interrogationes Petrus affirmatiuè respondisset; ad primam quidem & ad secundam Petri responsionem, subintulit Christus. *Pasce agnos meos*: iuxta vulgatam versionem. Ad tertiam verò dicit ei: *Pasce oues meas.*

Ex his

A Ex his verbis collegerunt patres, plenissimam regiminis potestatem Petro à Christo tributam esse, quam antea promiserat. Sic apertè Origenes. *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascēdis ouibus traderetur, & super ipsum velut terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur.* Vbi obserua dicere Originem, quòd hîc demum super Petrum fundetur Ecclesia. Quem sanè imitatus pene ad verbum Chrysostomus tùm *propter magnitudinem dilectionis, præfecturam Petro commissam* tribuit, *eúmque cæteris Apostolis prælatū* asserit; tùm etiam alio in loco ex his ipsis verbis, *Ecclesiæ Primatum gubernationémque per vniuersum mundum ei à Christo concreditum esse*, scribit. Quod etiam repetit hom. 87. in Ioannem, itidémque homil. 55. in Matth. Quem sequutus Theophylactus hunc locum exponens: *Petro non alij* (inquit) *præfecturam ouium per vniuersum mundum tribuit.* Sic Arnobius in his verbis ait, *Christum negatori suo hanc quam solus habuit, potestatem tribuisse.* Gregorius Magnus, propter hæc verba, *totius Ecclesiæ curam Petro dominica voce commissam esse, cunctis scientibus euangelium liquere*, asserit. Cui ergo S. patrum dilucida & cōsentiens interpretatio satisfacere potest, ei hæc pauca ad huius loci sensum assequendum satis esse poterunt.

Sensus Patrum. Matth. 16. Origenes in ca. 6. epist. ad Rom. Lib. 2. de Sacerdotio. homil. 1. de pœnitentia. Arnobius in psal. 138. Registri lib. 4 epist. 2.

Probatur literalis illorum verborum sensus,

Pasce oues meas.

CAPVT X.

B

AT verò vt hæc expositio firmissima quoque ratione niti, & germana ac literalis esse ostendatur, quædam obseruabimus vnde illud euidenter colligi possit. Obserua ergo primùm, quòd non alia de causa, dilectionis apertam confessionem Christus hic à Petro exigit, quàm vt propterea *Pastor* fieret, & curam gregis susciperet. Hoc autem inde manifestissimum est, quòd ad singulas dilectionis confessiones subiicit Christus, *Pasce*, apertè ostendens, quare & in quem finem ter repetita interrogatione, dilectionē ab eo exegerit. Ex quo etiam patet, non esse literalem illam quorundam Patrum expositionem, qui trinam hic Christi interrogationem, & trinam hanc Petri confessionem, ideò factam esse exponunt, vt trinæ negationi ante passionem factæ, Petrus æquali confessionis numero satisfaceret. Est enim hæc expositio mystica planè tantum & tropologica: quam quidem etiam respicere potuit Christus. Ille verò tantùm literalis & præcipuus verborum Christi sensus esse necessario debet, quem ipsemet Christus euidenter expressit; singulis confessionibus Petri subiiciens, *Pasce*. Propterea Cyrillus, cùm hanc expositionem mysticam iam dictam tradere vellet, præmisit. *Altius quiddam hæc oratio certè parturit*: apertè ostēdens se altum aliquid quærere, nō literam ipsam simpliciter exponere. Chrysostomus autem ad literam more suo rem exponēs; *Ter*, inquit, *interrogat, & semper idem præcipit, dicens, Pasce: vt demonstret quanti Ouium suarum curam faciat.* Augustinus verò cùm vtrunque sensum tradidisset, infert. *Sit amoris officium pa-* C *scere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem.* Vt videlicet negationi factæ, non solùm trina confessio, sed & ipsum pascendi officium responderit.

1. *Obseruatio.* *Trina interrogationis causa & finis quis.* *Alia horum verborum expositio mystica sed non literalis.* Lib. 12. in Io. cap. 64. Hom. 87. in Ioan. Tract. 123. in Ioan.

Obserua 2. quòd non solùm dilectionem ab eo exegit sed etiam dilectionem *plus cæteris*: vt videlicet, *diligenti plus cæteris*, detur potestas *pascendi plusquam cæteris. Christus enim eleuandus in cælum*, (ait August. *amoris sui vicariū Petrum reliquit: & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus anteferur*: id est, pro rata dilectionis potestate donatur. Alioqui pastorem illum vulgarem, aut cæteris ibi præsentibus parem ordinaturus si esset, dilectionem ab eo absque comparatione aliorum exegisset. Hoc enim ad parem & communem potestatem sufficisset. Imò sanè ex omnibus illis ibi præsentibus, aut etiam Apostolis, parem & æqualem dilectionem exegisset Christus, si pascendi potestatem omnibus æqualem daturus fuisset. Ex qua etiam obseruatione concidit ille sensus, quo docetur Petro in his verbis Apostolatus dignitatem renouatam esse. Nam id factum est communiter omnibus Apostolis, iam antè dicēte Christo omnibus simul præsentibus, solo excepto Thoma; *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.*

2. *Obseruatio.* Ambros. li. 10. cap. 24. in Lucam. *Maiori dilectioni maior potestas confertur.* *Alius sensus reiectus.* Ioan. 20. 3. *Obseruatio.* *Amor plusquā dilectio.* Li. 10. cap. 24. in Lucam.

Obserua tertiò, quod cùm bis dixisset Christus diligis me, ἀγαπᾷς με tertio dixit φιλεῖς με *amas me?* Quo etiam verbo semper responderat ei Petrus. Nam (vt notauit Ambrosius loco iam citato in Lucam) *dilectio habet animi charitatem, amor quendam æstum conceptū corporis, &*

Solus Petrus (diligentibus alijs) amauit Christum.

Homil. 51. in Matth. cap. 14. Hom. 55. in Matth. cap. 16 Homil 57. io Matth. ca. 17. Homil. 84. in Ioan. cap. 20. & hom. 86. in cap. 21. Ioan.

mentis ardorem. Hæc ille. Vt videlicet iuxta amorem singularem, non tantùm dilectionẽ communem, docendi potestate etiam singulari quæ amori tanto responderet, à Christo donaretur. In ipsa quoque di:ectione communi, non dilexit communiter, sed plus cæteris: amauit autem solus & non cum cæteris: id est solus Zelo & feruore ardebat, vt quàm plurimis in locis D euangelium de Petro enarrat, & diligenter notauit Chrysostomus. Petrus ergo quantò & in ipsa dilectione Christi, cæteros Apostolos & discipulos superauit, & solus inter cæteros feruenter amauit, tanto & præ cæteris pascendi illi officium commissum est, solúsque inter cæteros supremam regiminis potestatem accepit. Et propterea denique verbo amandi, reddidit Christus *pasce oues meas*: id est, pastores ipsos: vt mox dicemus.

4 Obseruatio. *Et agni & oues Petro committuntur.* Lib. 10. ca. 24. in Lucam. Euthymius.

Obserua quartò, quòd ter dicat, *pasce* & primò quidem agnos, postea Oues. Notauit hoc Ambrosius his verbis. *Tertiò Dominus interrogauit, non iam agnos vt primò, quodam lacte pascendos, nec ouiculas vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Hæc ille. Sic Euthymius in commentariis ad hunc locum, *per agnos, imperfectiores; per oues, perfectiores designari* docet. Vt videlicet Petro hîc pascendum committatur vniuersum ouile, tam paruulorum quàm grandium; tam laicorum qui vt agni pascuntur ipsi, nec alios pascũt, quàm ipsorum sacerdotum & cleri; qui vt oues pascunt quidem agnos, sed pascuntur à pastore. Obser-

5. Obseruatio.

ua quintò quòd in verbo etiam pascendi, discrimen est apud Ioannem Græcè scribentem. Nam in prima responsione Christi dicitur βόσκε τὰ ἀρνία: In secunda dicitur, ποίμαινε τὰ πρόβατα: rege oues. In tertia dicitur, βόσκε τὰ πρόβατα: pasce oues. Ostendit enim hæc distincta Christi ad Petrum responsio, quòd agni quidem ab ipso solùm pascendi siue cibandi sint, propter cõmunem doctrinæ cibum ab hoc supremo patrefamilias, & ab eius Cathedra, quæ est Cathedra vnitatis, ideóque & veritatis (vt Cyprianus & Augustinus docent) expectãdum: regẽdi sint verò à suis proximis & propriis pastoribus, quibus immediatè subiiciuntur: Oues au- E tem, id est, grandiores & perfectiores, Episcopi & Pastores ipsi, tùm pascendi sint doctrina communi, tùm etiam ab illo tanquam supremo Pastorum Pastore, immediatiùs regendi cõmittantur. Neque enim temerè aut frustrà, hanc verborum tam claram distinctionem obseruasse Christum existimare debemus.

Agni pascuntur tantum à supremo pastore, oues pascuntur & reguntur. Cypr. in lib. de vnit. Eccles. August. epist. 166.

6 Obseruatio.

Obserua sextò, miraculum quod Christus fecit, antequàm Petro pascendi singularem potestatem conferret. Nam piscante cum cæteris Petro, accedit Saluator ad littus, & eo iubẽte

1. Ioan. 21.

vt mitterent in dextram nauigii rete, miserunt, & iam non valebant illud trahere præ multitudine

2.

piscium. Deinde, Petrus audito quòd Dominus in littore esset, *mittit se in mare, quum alii disci-*

3.

puli nauigio venirent trahentes rete piscium. Tertiò, *illis trahere non valentibus, ascẽdit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, 153. & cùm tanti essent, non est scissum rete.* Hæc illi. Hîc ergo solus Petrus, quia feruentior & vehementior cæteris, natando ad Iesum venit; vt notauit Chrysostomus. Rursus rete plenum piscibus notat Ecclesiam in plenitudine gentiũ.

Hom. 86. in Ioan. *Petri prærogatiua varia.*

Deinde quòd solus Petrus dicitur ascendisse, & traxisse; significat potestatem amplissimam in colligendo Ecclesiam soli Petro datam. Postremò, quòd non est scissum rete, significat Petri cathedram, nullam vnquam in fide scissuram seu apostasiam passuram, sed perpetuam & solidissimam fore illius sedis vnitatem. Ideo totum hoc per miraculum prius insinuatum, statim apertis verbis docetur. Non aliter sanè quàm in Euangelio, doctrinæ de futuro Eucharistiæ mysterio, præmittitur à Saluatore miraculum de quinque hominum millibus ex quinq; F panibus satiatis, vt notauit Chrysostomus: & ad ostendendam cæcitatem Pharisæorum, præmittitur miraculum de cæco à natiuitate sanato.

Christus prius docuit miraculo, postea verbis. Ioan. 6. Homil. 45 in Ioan. Ioan. 9

7 Obseruatio. *Etiam præsentibus aliis Apostolis solus Petrus iubetur pascere.* Homil. 87. in Ioan. Lib. de pastoribus cap. 13. Supra cap. 7.

Obserua septimo, quod in præsentia aliorum Apostolorum, solus Petrus pascere iubetur. Nam ideo (ait Chrysostomus) *omissis aliis solum Petrum affatur, quia os erat Apostolorum, & princeps, & vertex ipsius cœtus.* Inde etiam sequitur cæteros qui pascunt, à Petro hanc potestatem necessario debere accipere. Alioqui sine diuino mandato pascunt. Et hoc est quod Augustinus dixit. *In ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli: & vni dicitur. Pasce oues meas* Hæc ille. In eo videlicet commendabatur vnitas, quia ab illo vno tota ratio pascẽdi, tanquam à capite vicario deriuanda erat, idque ad vnitatem conseruandam, vt superiùs est declaratum.

8. Obseruatio. Ioan. 10. Obiectionis Remotio. Ioan. 10.

Obserua octauò, quod dicit, *Oues meas* indefinitè & generaliter. Cùm enim Christi ouile vnum sit, dicente ipso in Euangelio; *fiet vnum ouile & vnus pastor*: & in hoc vno ouili omnes contineantur, necesse est vt constituto hîc vno pastore ouilis Christi, omnium ouium pastor constituatur. Neque vero obstat quod alibi dicens Christus; *animam meam pono pro ouibus meis*: & rursum, *Oues meæ vocem meam audiunt*, solos electos per oues suas Christus intelligat,

quasi

A quasi propterea ad solos electos Petri præfectura pertingat, & per consequens vel soli electi
ouilis Dominici oues, & Ecclesiæ mẽbra sint, vel non totius Ecclesiæ Pastor hic Petrus con-
stituatur. Quemadmodum enim vniuersus cæli motus, seu tempus huius seculi, propter im- *Christus per oues*
plendum numerum electorum protenditur, & tamen idem ad propagandos etiã non electos *suas, omnes oues*
se extendit; & quemadmodum Christus *pro ouibus suis*, id est pro electis *animam suam posuit*, & *intelligit.* Apoc. 6 & ad
tamen eadem mors *pro totius mundi peccatis* fuit; sic Petro soli electi efficaciter committuntur; Rom. 8.
omnes tamẽ eius curæ & regimini sufficiẽter cõmissi esse intelliguntur. Sic Apostolus *omnia* 1. Ioan. 2.
se sustinere dicit propter electos. Eius tamen curæ & labores, etiã circa plurimos non electos ver-
sabantur. De quo genere dixit. *Instantia mea quotidiana: sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Itaq; 1. Timoth. 2.
in illis verbis, *Oues meas*, Præcipuus ex omnibus pascendi actibus, videlicet finale & efficax pa- 2. Cor. 11.
scendi opus Petro cõmittitur: quod tamen generalem pascendi functionem non excludit, sed
necessariò includit, sicuti vniuersum quoddam suas omnes partes, & finis omnia media, vel vt
principale aliquid cetera minus principalia. Rursum dicit hic Christus, *Oues meas*, sicuti Matt. *Oues meas, Ec-*
16. dixerat, *Ecclesiam meã*: id est, Catholicam, vt totum. Nam cõtra illam portæ inferi non præ- *clesiam meam.*
ualebũt, licet contra partes præualuerint. Alioqui si partẽ, vel ibi Ecclesiæ, vel hic Ouiũ suarũ
Christus diceret, profecto illa pars alias partes excluderet, vt alias oues non pasceret Petrus, &
contra alias partes præualerent portæ inferi. Deinde esset maxima quæstio quænam illa pars
esset vel Ecclesiæ contra quam non præualerent portæ inferi, vel Ouium Christi quæ Pe-
tro essent commissæ. Ergo dicendo *Oues meas*, omnes ouilis sui oues sine exceptione intelli-
git.

B Obserua nonò, vim verbi *pasce*, in quo plenissima potestas designatur. Nam omnes alios 9. *Obseruatio.*
actus Ecclesiastici regiminis, sua vi complectitur. Omnia enim alia ad pastum animarum di- *Sub verbo Pa-*
riguntur. Et quia pascere Dominicum gregem, totius Ecclesiasticę functionis finis est; tùm ex *scendi, omnis ec-*
parte rei susceptæ, quia committitur talis functio vt grex pascatur; tùm ex parte suscipiẽtium, *clesiastica pote-* *stas continetur.*
quia non dominium sed officium appetendũ est; iuxta illud, *vos autem non sic*. & iterum: Qui Luc. 22.
Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; ideo sub voce pascendi omnia Christus complexus 1. Tim. 3.
est, quæ ad supremam in Ecclesia functionem spectare possunt. Hinc Euthymius in verbo
pasce, tùm *pascendi curam*, tum etiam *gubernationem*, Petro hoc loco commissam esse scribit in Tract. 123. in
commentariis ad hæc verba. Augustinus quoque *oues pascendas*, id est, *docendas regendásque com-* Ioan. *Pascere pro Re-*
mitti, exponit. Huc etiam facit Scripturæ vsus, in qua Pascere & Regere pro eodem frequen- *gere.*
tissimè ponuntur, vt illud: *Tu pasces populum meum, & eris princeps super eum*. Rursum. *Suscitabo* 2. Reg 5. Ezech. 34.
Pastorem vnum, seruum meum Dauid. Et mox. *Et seruus meus Dauid princeps in medio eorum*.
Quin & ipsum verbum ποιμαίνειν, quo hic Christus vsus est, creberrimè in scripturis *Regere* si-
gnificat. vt Psal. 2 *Reges eos in virga ferrea*, Psal. 23. *Dominus regit me, &c*. Psal. 47. *Ipse reget nos in*
secula. Psal. 79. *Qui regis Israël, intende*. Act. 20. *Posuit vos spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*.
Denique quod Michæas de futuro Christi principatu dixerat, Matthæus repetens, verbo Mich. 5. Matth. 2.
ποιμαίνειν, explicat, dicens: *Qui reget populum meum Israël*. In quibus omnibus locis semper est
verbum ποιμαίνειν. Sicut ergo Dauidi in figura 2. reg. 5. Christo in promissione Ezech. 34. &
Micheæ 5. re autem ipsa Matth. 2. sic Petro præsenti tanquam vicario hoc loco dicitur, *pasce*
C *oues meas*, : id est, *rege & princeps esto super populum meum*. Vbi semper memineris agere nos de
principatu fidei, & regimine spirituali siue Ecclesiastico; non terreno, atque pompatico. 10. *Obseruatio.*

Obserua decimò, ex præcedentibus Christi promissionibus, necessariò plenissimam & 1.
supremam hic Petri potestatem designari oportere. Nam cùm antea Petro dictum sit, fore vt Matth. 16.
super ipsum ædificaretur Ecclesia, idque Catholica vt totum, (quia contra Catholicam vt to- Epiphanius. Hieronymus.
tum, portæ inferi non præualebunt, si per *portas inferi*, hæreses & sectas intelligimus cum Epi- Chrysostom.
phanio in Anchoratu, cum Hieronymo, Chrysostomo, Euthymio, Theophylacto in com- Euthymius.
mentariis ad hũc locum,) ædificari autem super ipsum nihil aliud esse docuimus, quàm in ra- Theophylactus.
tione ædificandi, hoc est colligendi, pascendi, & regendi Ecclesiam, illum primum atque su- 2.
premum locum habere, necessariò sequitur vt officium pascendi iam ei commissum tale sit, *Portæ inferi sunt*
quale antea fuerat promissum: plenissimum videlicet & supremum. Rursum cùm antea di- *hæreses.*
ctum sit à Christo, fore, vt ille *conuersus confirmaret fratres suos*, in fide videlicet, cuius indefe- *Colligitur am-*
ctibilitas ibi soli Petro promissa est; confirmare autem in fide nihil sit aliud, quàm docen- *plissimam pote-* *statem Petro esse*
di & rem dubiam definiendi potestate nutantia corda stabilire, *ne circunferamur omni ven-* *collatam.*
to doctrinæ: quum fratres denique, de quibus ibi loquitur Christus, erant ipsi Apostoli, pri- 3. Luc 22.
mariíque pastores eorum successores; profecto hoc in loco cùm pascere solus Petrus iubetur, Ephes 4.
non oues vulgariter sed ipsos Pastores; nec tantum communiter pascere sed singulariter & 4.

excellenter regere, quod est fluctuantes confirmare, & in vnitate fidei continere, hæresésque exurgentes compescere iubetur. Hæc illi à Christo Saluatore potestas, his verbis cōcreditur. D

Cauillationes Caluini contra istum locum Pasce oues meas, &c. *refutantur.*

CAPVT XI.

CONTRA hunc locum tam illustrem, tam euidentem, Caluinus duplex argumentum, sed vtrumque leuissimum facit. Primùm, non consequi habere illum potestatem in omnes Ecclesias, qui pascere Christi gregem iubetur. Deinde quòd ipse Petrus ad alios Præsbyteros scribat; *pascite qui in vobis est gregē.* Hinc colligitur, aut nihil præ aliis datum esse Petro, aut Petrum ius quod acceperat

1. Petr. 5. Inst. lib. 4. c. 6. parag. 3.

cum aliis ex æquo communicasse. Hęc ille. Duo cùm dicat, ad priùs respondetur in quolibet, hic pascit oues Christi, ergo hic habet potestatem in omnes Ecclesias; tamen in Petro ex his verbis hoc in loco firmissimè hoc sequi: ídque propter varias causas. Primùm propter multiplices illas & illustres circunstantias, quas modo collegimus, & diligenter obseruauimus, his solis verbis proprias. Deinde propter egregium Sāctorum Patrum consensum, qui ex his verbis idem collegerunt & obseruarūt, vt habes suprà. Tertiò, propter praxim ipsam manifestissimam, E

Cap. 9.

tùm Petri tum successorum eius, qui in genere pascendi, supremam hactenus in Ecclesia potestatem exercuerunt: Quod sanè ex parte Petri copiose, ex parte successorum breuiter in sequentibus declarabitur. Postremò, etiam illustria facta præcedentia in persona Pe-

Infra cap. 13. & cap. 17.

tri, de quibus in seq. cap. differemus, idem confirmant. Ista enim omnia, cùm singularem Petro potestatem conferendam euidenter doceant, nec alio loco in vniuerso Euāgelio, Christus hoc fecit, hoc sanè loco illud fecisse indubitatè censendus est. Ad secundam Caluini ratiunculam dicitur, Petrum non aliis ex æquo potestatem pascendi communicasse, cùm iuberet alios pascere, sed quod ei totum incumbebat, in aliorum humeros dispertiisse. Esset autem

Caluini ridicula collectio.

planè ridiculum sic colligere quem in modum colligit Caluinus. Rex hunc magistratū constituit iubens eum gladio sontes ferire, leges ciuibus dicere, & similia: ergo hic rex totā suam potestatem ex æquo communicauit. Atque hoc totum est quod contra hunc locum, tam singularem & illustrem disputat Caluinus, qui tamen hac de re, vt de cæteris, omnium ferè hodie protestantum accuratissimè scripsit. Vbi animaduertat Catholicus & cordatus lector, quàm frigidè & perfunctoriè, grauissima ex verbo Dei Catholicorum argumenta dissoluunt: & quàm leuiter, planéque sicco pede maximè illustria Scripturarum loca, quæ contra ipsos in quæstionibus grauissimis proferuntur, pertransfeunt protestantes.

Factis quoque illustribus hanc solius Petri futuram Potestatem singularem Christus ostendit. F

CAPVT XII.

" SEXTVS gradus est, quòd non solùm verbis amplissimis, sed
" etiam factis illustribus hāc futuri capitis in Ecclesia sua po-
" testatem Christus ostendit.

Quæ nunc ex Euangelio breuiter commemorabimus. Rogatus Christus, vt tanquam paterfamilias didrachma solueret, iubet Petrum capro

Matth. 17. *Petrus magister domus christi, id est, ecclesiæ.* Hom. 59. in Matth. Serm. 6. de verb. apost.

pisce aperire os eius, & staterem quem ibi reperiret, tollere. *Illum*, ait, *sumēs, da eis pro me & te.* A solo patrefamilias & magistro domus solui debebat didrachma. Cū ergo Christus solui iuber etiam pro Petro, profectò Petrū etiam magistrū domus suæ, quæ est Ecclesia, censeri vult. Sic rem explicat Chrysostomus. *Pro me*, inquit, *& te. Vidisti honoris excellentiam, quoniam & Petrus primogenitus erat?* Hæc ille. Soluit autē Staterem, id est, *duplex didrachma*, vt exponit Augustinus, pro se & pro Petro: quasi in vna familia duo essent capita, subordinata videlicet & subalter-

A & subalterna: sicut in vna ciuitate aut dominio, est Gubernator & est Locumtenens. prçterea soluens pro se & pro Petro, pro omnibus qui in familia eius essent soluisse censendus est; docens nos videlicet, quòd post Christum in Petro omnes qui Christi sunt, continentur. Sic Augustinus. *Saluator cùm pro se & Petro dari iubet pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, sic & post Saluatorem in Petro omnes continerentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Hæc ille in quæstionibus ex nouo Testamento. Notat autem præclarè Chrysostomus hom. 59. in Matthæum. *quia ingens hic honor magistro deferebatur, ipso forsan Petro deprecante ne de eo magnifica diceret, Marcus Petri discipulus hoc factum in suo Euangelio prætermisit: negationem tamen Petri non siluit.* Hæc ille. Et sanè tacet quoque Marcus quæ Matth. 16. de dignitate Petri dicuntur, præcedentia tamen & consequentia vbi Petrus Sathan à Christo vocatur, diligenter commemorat. Sic etiam verba illa Luc. 22. & Ioan. 21. quæ de Petri fide & potestate loquuntur, penitus prçtermisit Marcus. Notat denique Hieronymus, ex hoc Christi facto præcellentiam Petri suspicatos esse Apostolos. Nam & apud Matthæum statim post verba citata in fine cap. 17. sequitur in principio capitis 18. *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Quis putas maior est in regno cælorum? Quia,* (Inquit Hieronymus) *viderent pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate precij arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: Ideo interrogabant,* (in illa ipsa hora) *Quis maior est in regno cælorum?* Hæc ille in commment. in hunc locum. Neque verò obstat, quòd statim subiicit Hieronymus. *Videns autem Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens; &c.* Error enim discipulorum, non in

Quæst. ex nouo testamento. q. 75.

Marcus Petri discipulus tacet ea quæ ad Petri dignitatem faciunt.

Chrysost. Homil 59. in Matth.

Hieronymus in Comment. in cap. 18. Matth.

Petrus omnibus prælatus.

B materia prælationis Petri, (vnde Chrysostomus homil. 66. in Matth. *Zebedæi filios præponi quidem se cæteris præterquam Petro sciebant: Petrum verò sibi præferri formidantes, petierunt; vt vnus eorum sederet à dextris Christi, alter à sinistris,* Matth. 20.) sed in desiderio gloriæ fuit: vt ipse Hieronymus ibidem satis explicuit. Nam cùm dixisset, *causas erroris intelligens,* addit: *voluit desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare, & propterea aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, &c.* Ex hoc ergo Christi facto duo præclara Petri priuilegia animaduertere debemus. Vnum, quòd vicarium Ecclesiæ caput Petrus est & locumtenens Christi: Alterum, quòd in Petro totum Ecclesiæ corpus, tota familia, domus, ouile Christi continetur. Vt propterea sit verè figura totius Ecclesiæ, verè gerat personam totius Ecclesiæ, veréque ab illo, siue per illũ, hoc est, illius principali ministerio, ad reliquam omnem Ecclesiam, potestas docendi, doctrináque ipsa deriuetur: vt qui in Petro non sit, nec in Christo esse conuincatur.

Matth. 20.

Huc etiam pertinet, quòd solus Petrus videns Christum super mare ambulantem, *Domine,* inquit, *si tu es, iube me venire ad te super aquam:* & annuente Christo, *descendens de nauicula, ambulauit super aquas. vt veniret ad Christum.* Hoc totum Marcus cap. 6. prætermittit propter causam quam suprà diximus, cùm tamen totam reliquam historiam narret, cuius occasione Petrus ambulauit super aquas. Quòd enim aquas calcauit solus Petrus, pariter cum Christo, 1.
planè significat, quòd omnes hæresum fluct[us] sola Petri sedes calcabit & superabit, sicuti ipsum Christi nomen idola omnia conteret. Idolis enim succedunt hæreses, vt passim sancti Patres notarunt. Idola autem contriuit prima Christi prædicatio. Hæreses profligat Ecclesia. Designat hoc præterea vniuersam Ecclesiam Petri potestati subiectam fore, qui nó in certa & par-

Aliud factum Matth. 14.

Sola Petri sedes omnes hæreses profligabit.

C ticulari nauicula, sed super ipsas aquas ad Christum venit, vt docet egregiè D. Bernardus. *Gradiens,* inquit, *super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi.* Demonstrat denique quandam Petri prærogatiuam nulli veterum sanctorum concessam, vt notat Ambrosius. Nam Moysi quidem Exod. 14. Eliæ & Heliseo 4. Reg. 2. cesserunt quidem aquæ: non autem ipsas aquas illi calcabant: (quod pro singulari excellentia Petri supra Moysen notauit Chrisostomus, Homil. 57. super Matth.) vt ipsis quidem mundus cesserit, non reluctatus fuerit; Petrus autem mundum etiam reluctãtem superauerit. Quod tot, & tantæ paganorum principum persecutiones Sedi Romanæ vel maximè incubantes; tot etiam & tantæ hæreses Rom. Ecclesiæ reluctantes, omnes tamen deuictæ & debellatæ, euidenter docent.

August. de Ciuit. Dei li. 18. cap. 51.

Homil. 48. oper. imperfecti in Matt.

Ciprian. in lib. de vnit. Eccl.

Lib. 2. de consider. ad Eugenium.

Serm. 47.

Matth. 4. & Marci 1.

Rursum etsi Petro cum aliis discipulis dixerat Christus, *faciam vos fieri piscatores hominum,* tamen iterum postea facta ingenti illa captura piscium, quæ tanta erat, vt rumperentur retia, sociísque annuerent qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos, primùm soli Petro 2.
dixit Christus; *duc in altum,* hoc est, *in profundum disputationum,* ait Ambrosius: Deinde solus Petrus dixit, *In verbo tuo laxabo rete,* Tertiò solus Petrus visa illa maxima captura, etsi omnes mirarẽtur, *procidit ad genua Iesu, dicẽs, Exi à me Domine quia homo peccator ego sum.* Quartò, soli

Luc. 5.

Lib. 5. cap. 5. in Luc. 2.

3. *Petrus maximus piscator seu Pastor.*

4. 1. Cor. 15.

Simeon Metaphrastes. *Petrus per plurimas gentes Episcopos constituit.* Ioan. 21. Suprà cap. 10.

Petro propter tantam humilitatem & feruorem dixit Christus [etsi cæteri discipuli Ioannes & Iacobus non minus attoniti essent] *noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.* Quia videlicet singularis ille piscator & maximus pastor futurus esset. Non quòd ille vnus plures ad fidem conuerteret quàm cæteri, (nam in hoc genere non veretur Paulus dicere: *Abundantius illis omnibus laboraui*) sed quia ille vnus, omnibus ad fidem conuersis, supremus Pastor ac magister futurus, & per plurimas gentes alios piscatores Episcopos atque Præsbyteros ordinaturus esset, vt in Commentatio de peregrinatione & rebus gestis Apostolorum Petri & Pauli, copiose, sigillatim, & nominatim commemerat Simeon Metaphrastes. Breuiter quoque & succincte Dorotheus in Sinopsi. Quem commentarium vide apud Surium in vitis Patrum; ad diem Apostolorum Petri & Pauli. Eandem denique piscandi seu pascēdi plenitudinem, alio illustri facto demonstrauit Christus, eo ipso tempore quo hanc illi potestatem de facto contulit, vt suprà est declaratum.

Quòd Petrus hanc Supremam Potestatem exercuit.
CAPVT XIII.

Act. 1. Hom. 3. in Acta Apostolorum.

SEPTIMVS gradus est, quòd hunc Primatum Petrus exercuit. Id quidem multis argumentis ex Actis Apostolicis ostendi posset. Sed quàm breuissimè præcipua notabimus. Petrus proponit faciendam surrogationem noui Apostoli in locum Iudæ Iscariotis. Quod factum exponēs Chrysostomus, *vide*, inquit, *feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui?* Postea laudat Petrum quod agat omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua: potuisse eum tamen vel solum, Apostolum surrogare apertè asserit. *Quid*, inquit, *An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari*, Deinde laudat aliorum discipulorum modestiā. *Considera*, inquit, *quo pacto concedunt ei Solium* (id est primatum) *nec amplius ambigunt disceptantes inter sese*: scilicet vt olim conuersante cum illis Christo faciebant, quærentes *quis futurus esset eorū maior*. Nec dissimiliter idem Chrysostomus in commentariis in Matthæum. *Discipuli*, inquit, *cùm nondum spiritus gratia corroborati essent, facile commoti sunt circa prælationem condiscipulorū*, [vt Matth. 17. & 20. item Luc. 22.] *gratia verò accepta tales non fuerunt, sed vbique Primatum Petro præbent*. Hæc ille. Nihil potuit apertiùs dici. Rursum Petrus primum omniū concionatur pœnitentiam Iudæis, & *Ecclesiam Christi actu incepit*, vt notauit Ambrosius & post eū Euthymius in Matth. cap. 16. Quo etiam pertinet quòd Antiochiæ, primùm Christiani nominari sunt, *fundatore Petro*, vt in Epist. ad Magnesianos scribit Ignatius, vbi etiam Cathedram Episcopalem tenuit Petrus, vt omnes passim historiæ testantur. Huc etiam pertinet quòd primū Hierosolymorum episcopum (vbi prima fuit Christianorum ecclesia,) Iacobum scilicet Petrus constituit & ordinauit, vt insinuat Eusebius hist. Eccl. lib. 2. cap. 1. & disertè attestatur Chrysostomus Homil. 87. in Ioan. Hoc est autem insigne ipsius primatus seu primarij fundamenti in ædificanda Ecclesia argumentum. *Alind enim est* [vt doctè notat Chrysostomus] *ostiū clausum recludere, & negotio principium dare*, (quod Petrus fecit) *aliud post deinceps confidenter agere*: vt cæteri Apostoli atque Apostolorum successores fecerunt. Et supra ostendimus ad fundamenti rationem pertinere, vt in ædificio sit primum. Sed ad alia. Petrus primum miraculum facit, sanādo claudum pedibus, quod & notauit Ambrosius, nec sine mysterio esse docuit. *Si Petrus*, inquit, *Petra est super quam ædificatur Ecclesia, rectè primus pedes sanat; vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet*. Hæc ille. Solus Petrus respondet principibus & sacerdotibus, & suam sociorúmque prædicationem defendit, tanquam caput & princeps cæterorum. Nam in facultate dicendi cæteris omnibus rudior erat, vt notauit Chrysostomus Homilia 51. in Matthæum. Solus Petrus (quod de nemine vnquam Apostolorum legimus) in Anania & Sapphira, & cogitationes ipsas penetrauit, & morti verbo adiudicauit. Vtrumque plane diuinæ potestatis fuit, *maximúmque argumentum* [ait Gregorius magnus] *quanta potentia supra cæteros excreuisset*. Hinc etiam ad solam vmbram Petri sanati sunt ægri. Quæ omnia pariter connectens Chrysostomus, inde certissimum Petri primatum colligit his verbis. *Vide vbique Petrum circumcursare, & primum inueniri. Quando eligendus Apostolus, hic primus. Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ aliis est. Quando agendum contra principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat.*

Nota iudicium è Chrysostomo. Lucæ 22. Hom. 51. in Matth. *Illustre Chrysostomi testimoniū de primatu Petri.* Act. 2.

Petrus Ecclesiam inchoauit. Serm. 47. Act 3.

In comm. ad cap. 2. ad Gal. Act. 4.

Petrus respondet pro cæteris. Act. 5. Serm. 68. *Petrus primum miraculū fecit, Petrus penetrat cogitationes & morti adiudicat.*

Lib. 1. epist. 24. Act 5. Hom. 21. in Acta Apostolorum. *Chrysostomus primatum Petri demonstrat.*

Et vbi

A *Et ubi quidem erat periculum hic, & ubi moderatio*: id est, ubi authoritate opus erat. *Ubi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem.* Hæc hactenus Chrysostomus, Petri principatum diligenter contra modernos hæreticos describens, utcunque homo græcus esset, & Constantinopolitanæ urbis, quæ noua Roma dicebatur, etátque veteris Romæ æmula, Patriarcha. Sed ad hanc præterea singularem Petri potestatem declarandam pertinet, quòd is primum archihæreticum Simonem Magum excommunicauit, & eundem publicè Romę deuicit, vt refert Ambrosius serm. 66. S. Maximus hom. 5. in nat. Apostol. Petri & Pauli, Egesippus lib. 3. cap. 2. de Excidio Hierosolymitano, Hieronymus in catalogo de viris illustribus, Simeon Metaphrastes in commentar. præallegato, & ex opinione plurimorum August. Epist. 86. Item, quòd is primus diuinitus per visionem reuelatum accepit, gentibus esse prædicandum Euangelium. Nam & ideo primus ille gentes baptisauit, primúsque gentium magister & doctor fuit. Denique, quòd in Concilio Apostolorum primus loquitur, & disertè profitetur, quòd iam *à diebus antiquis elegit in ipsis Deus, vt per os eius audirent gentes verbum Euangelij.* Quin & illo sententiam definitiuam dicente, *tacuit omnis multitudo.* Propter hoc enim factum, scribit Theodoretus *Paulum ad magnum Petrum cucurrisse, vt iis qui Antiochiæ circa legalia contendebant, ab ipso afferret solutionem*, in Epistol. ad Leonem papam, commentariis eius in Epist. ad Rom. præfixa. Obserua autem in his tribus iam postremò notatis, tria præcipua supremi pastoris officia Petrum exercuisse. Archihæreticum solus condemnauit. Dubium dogma & totius Euangelicæ prædicationis exordium, solus & primus Ecclesiæ publicauit, à Deo immediatè doctus. In Concilio, primus ex omnibus loquitur, concludit, & præsidet, vt postea plenius declarabitur. Postremò, huc pertinet, quòd Paulus Apo-

B stolus *post annos tres prædicationis suæ venit Hierosolymam videre Petrum.* Hoc enim fecit *honoris deferendi causa*, ait Hieronymus in comment. ibidem, & Epist. 11. ad August. *Tantæ*, inquit, *Authoritatis Petrus fuit, vt Paulus scripserit; Deinde post annos tres, &c.* Chrysostomus verò, *quia os*, inquit, *Apostolorum Petrus erat, princeps & vertex ipsius cœtus, propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis. Quia dignum erat* (ait Ambrosius in commentariis ad hunc locum) *vt cuperet videre Petrum, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.* Quod etiam *ex officio & iure* eiusdem fidei & prædicationis *eum fecisse*, scribit Tertul. in præscript. id est, vt ostenderet se eandem cum Petro fidem prædicare & docere. Nec aliter Theodoretus. *Principi*, inquit, *Apostolorum quem par erat, honorem tribuit.* Hinc videlicet non dubitat D. Gregorius Apostolum Paulum *minorem fratrem* appellare. D. quoque Augustinus *Petro posteriorem*: & dicere, *primatum Apostolorum in ipso Petro excellenti gratia præeminere.* Postremò, tanta fuit Petri præter cæteros omnes per orbem celebritas, vt finxerint pagani versus quosdam quasi idoli cuiusdam oraculum in quibus diceretur, *innocentem quidem fuisse Christum, Petrum autem Magum & maleficum orbi imposuisse, & per maleficia fecisse vt coleretur Christi nomen*, sicut commemorat Augustinus, in opere de Ciuitate Dei. Ipsum quoque Christum ad Petrum & Paulum nescio quæ Epistolari titulo scripsisse, vt idem Augustinus commemorat. Sanè quum vterque & Petrus & Paulus Romæ eodem die, pro fide & prædicatione Euangelij martyrium paterentur, sub Nerone persecutore crudelissimo, Paulum quidem & extra vrbem via Ostiensi, & vulgari supplicio,

C gladio videlicet, è medio tolli Nero iussit. Quo sanè mortis genere tum vulgus malefactorum tum maximè christianorum, affici solebat, vt exempla innumera demonstrant. Sic eodem tempore Processus & Martinianus custodes carceris in quo Apostoli illi asseruabantur, extra vrbem via Aurelia securi feriuntur. At verò Petrus tanquam maximus & præcipuus seductor, Neronis iudicio, tùm in loco celeberrimo, monte Vaticano, vbi tunc circus Neronis fuerat, tum supplicio maximè ignominioso & aspero, crucis videlicet, martyrium subiit. Adeò sanè inter Christianos receptum & notissimum erat, Petrum Christianorum caput fuisse, vt nec hoc infideles ipsi ignorarent, ideóque in vnum illum maximè sæuirent: Imperator suppliciis, populus maledictis, & calumniis, vt iam ex Augustino commemorauimus.

Petrus primum Archihæreticū excōmunicauit & publicè deuicit. Act. 8. — Act. 10. — Act. 15. — *Petrus tria præcipua supremi Pastoris officia exercuit.* 1. 2. 3. — *Quare ascendit Paulus videre Petrum.* Ad Galat. 1. — Hieronymus. — Chrisostom⁹. Homil. 87. in Ioan. — Ambrosius. — Tertullianus. — Theodoret⁹. — Hom. 18. in Ezechielem. — *Paulus minor frater & Petro posterior.* — De Bapt. cōtra Donat. lib. 2. cap. 1. — *Petri apud gentes Paganorum celebritas.* — lib. 18. cap. 53. — de consensu euang. lib. 1. cap. 10.

Argumenta Caluini contra Petri prærogatiuam ex rebus gestis, confutantur.

CAPVT XIIII.

Inst. li. 4. ca. 6. parag. 7.

CONTRA has tantas & tam manifestas Petri Prærogatiuas, coniecturas leues D colligunt aduersarij, vt eum vnum de multis fuisse ostendant: quas omnes congerit Caluinus. Primùm enim, illud vrget, quòd in Concilio illo Apostolorum Iacobus videatur sententiam ferre. Ait enim Iacobus, repetito Petri sermone: *propter quod ego iudico non inquietari eos, &c.* & pro hac sententia facit Chrysostomus, qui homil. 33. in Acta, hæc verba sic exponit. *Ego iudico*, id est, *cum potestate dico esse scribendum, &c.* Alij volunt illud, *iudico*, non plus sonare quàm, hoc est iudicium meum; ego sic sentio; sententiam verò hîc latam, nec à Petro nec à Iacobo fuisse, sed à toto Concilio, illis verbis. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Sed firma responsio est, Petrum solum & primum sententiam tulisse, vt iam dictum est. Illam verò sententiam, (cæteris eam sequentibus) totius Concilij, & capitis & corporis, nomine conclusam & promulgatam fuisse. *Quum enim magna conquisitio fieret* [ait Scriptura] id est, post altercationem magnam varijs varia sentientibus, *Surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres, &c.* Quæ quum dicit, sententiam Concilij, & sententiam Spiritus sancti primus pronuntiat. Nam primum, quo modo ipse olim gentes & omnium primus ad Euangelij fidem vocauerit, atq; Christo generauerit factus primus Pater Christianorum declarat, dicens, *iam olim elegisse Deum vt per os eius audirent gentes verbum Euangelij &c.* *Deinde confirmans fratres*, & eorum fidem per admixtionem legalium iam contaminari cœptam purgans atque corroborans, dicit: idque grauiter & seuerè, suam satis Authoritatem vicariam ostendens. *Nunc autem quid tentatis Deum, imponere iniquum super ceruices discipulorum, &c.* E Quibus etiam verbis, vt verus pastor indicat inter pecus & pecus, noxiáque pabula remouet. Tertio ac postremo in salutaria pascua oues deducens, & quæstionis propositæ veritatem determinans ait. *Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari quemadmodum & illi.* Hæc fuit definitiua sententia gentes non per obseruationem legalium, sed per gratiam Christi Saluandas esse. Huic sententiæ nemo ausus fuit contradicere, vtcunque nondum loquente Petro, *magna fieret conquisitio*, & varia altercatio: Sed vt ait Scriptura: *Tacuit omnis multitudo*: id est, omni amplius conquisitione cessante, sententiæ Petri omnes acquieuerunt. Hoc apertè post Tertullianum in libro de pudicitia docet Hieronymus. *Audito*, inquit, *Petro tacuit omnis multitudo; id est, in sententiam Petri Iacobus & omnes simul Præsbyteri transierunt.* Hæc ille. Quòd ergo postea Iacobus iudicat, ídque cum potestate, vt vult Chrysostomus, id propterea facit, (ait ibidem Chrysostomus) *quia illius loci Episcopus erat, & vt in ore duorum aut trium testium staret omne verbum*: id est, vt omnium consensu promulgaretur sententia. Quod etiam propterea fieri à Iacobo debuit, quia in ipsa Ecclesia Hierosolymitana, cui ille præerat, hæc dubitatio exorta fuit, vt eo loco Scriptura indicat manifestè. Vtile proinde erat, vt scirent fideles Hierosolymitani idem Episcopo suo placere, quod Capiti & toti Concilio placuerat. Prætereà Iacobus non simpliciter iudicat, sed Petri sententiam repetens, eidémque innixus, suum consensum exponit, vel (vt rectè ait Beatus Hieronymus) *in eius sententiam sicut cæteri transiuit.* Et sanè [vt bene notat Vvaldensis doctrinalis fidei libro 2. capite quarto] *nisi Petrus hic præsidens & primus fuisset, procax esset quòd in absolutione dissidij, & in definitione sententiæ, singulos præueniret.* Hæc ille. Nam & pro- F pterea *huius decreti principem, & primum Authorem, Petrum* vocat Hieronymus loco iam citato.

1. Argumentũ. Act. 15.

Qui tulit sententiam in Concilio Hierosolymitano & Apostolico.

Epist. 11. inter epist. August.

Vvaldensis.

2. Argumẽtum. 1. Petr. 5.

Petri modestia non præiudicat Authoritati.

Matth. 28. & Ioan. 20.

Chrysost. Hom. 3. in Hom. 21. in Act. apost.

Li. 7. epist. 64.

Sequitur in Caluino. *Cùm ad Pastores scribit, non mandat ex imperio, quasi superior; sed collegas suos facit, & comiter hortatur, vt inter æquales fieri solet.* Respondetur, hoc ad Petri modestiam pertinere, nihil contra eius Authoritatem facere; nisi forte etiam Christus, quia Apostolos & discipulos *fratres* vocat, etiam post gloriosam resurrectionem, dicens primum mulieribus, *Ite, nuntiate fratribus meis*, & postea Magdalenæ, *vade ad fratres meos & dic eis, &c.* eorũ propterea Caput & Magister Caluini iudicio censendus non sit. Tam puerilia & putida argumenta hic Archihæreticus orbi obtrudit: idque vt Supremam in terris Authoritatem conuellat. Notauit autem & Laudauit hanc semper in Petro modestiam S. Chrysostomus variis in locis, vt antea recensuimus. Denique hîc locum habet illa Gregorij Papæ sapientissima vox. *Si qua culpa in Episcopis reperitur, nescio quis Episcopus sedi Apostolicæ subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sumus.* Hæc ille. Sed hanc humilitatem & modestiam superbus ignorat hæreticus.

3. Argumẽtum. Act. 11.

Addit Caluinus. *Cùm accusatur quòd ad gentes ingressus fuerit, etiamsi id sit immeritò, respondet tamen & sese purgat.* Respondetur. Est hoc officium boni Pastoris, *paratum semper esse ad*

satis

A *satisfactionem omni poscenti eum rationem de ea quæ in ipso est spe & fide cum modestia*, vt ipsemet Epist. 1. cap 5.
Petrus docuit. Si hoc petri primatum lædit, quòd sic modestè ageret, nec vllus erit cæteris præ L. 9. epist. 39.
lacus pastor: siquidem omnium Pastorum hoc officium est. Sed ad hoc petri factum respon- *Petri Authoritas si attēdatur*
dit olim Grego. Magnus. *Petrus ille*, inquit, *Apostolorum primus*, &c. *querelæ fidelium non ex po-* *reprehendi a nemine potest.*
testate sed ex ratione respondit. Si enim cùm à fidelibus culparetur, authoritatem quam in sanctam
Ecclesiam acceperat, attendisset; respondere sic poterat, vt Pastorem suum oues quæ ei commissæ fuerāt
reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò Doctor
mansuetudinis non fuisset. Hæc ille. Vides vt ex eodem petri facto mel Gregorius, venenum sugxerit Caluinus. Videntur isti protestantes eo animo esse, præesse in Ecclesia neminem posse,
nisi qui ingenti cum fastu & ambitione præsit. Quod sanè in nostræ Angliæ pseudoepiscopis
verissimum esse, tum viginti iam fere annorum experientia docuit, tum eorum hac in re
æmuli Puritani acerbissimè conqueruntur; nec aliam magis ob causam ab illis sese segregarunt.

Sequitur adhuc in Caluino. *Iussus à collegis ire in Samariam, non detrectat. Quòd eum mittunt* 4. *Argumentū. De missione petri in Samariā.*
Apostoli, eò declarant se eum minimè habere pro superiore: quòd obsequitur & legationem sibi manda-
tam suscipit, eò fatetur sibi cum illis esse societatem, non aduersus illos imperium. Hæc ille. Respondetur mitti sæpenumero & decanos à suis collegis, & principem Senatus à toto Senatu, nec
tamen propterea consequi, vt non sit collegio suo decanus aut Senatu princeps superior, nisi
forte etiam propter hoc factum Apostoli quoque esse desierint. Neque enim plus potest par *Missus non est*
parem ex authoritate mittere, quàm inferior superiorem. Docet quoque vera Theologia non *semper mittente*
B esse semper missum mittente inferiorem. Nam filius mittitur non solum à patre, à quo quidē *inferior.*
est, licet illo minor nō sit, sed etiam à Spiritu sancto, à quo non est: vt docent concorditer scholastici ad primum sentent. distinct. 15. & demonstrat Sanct. Thomas prima parte quæstio. 43.
articu. 8. ex Augustini doctrina lib. 2. capite 5. de Trinitate. Nec tamen bene colligunt Arriani
filium propterea esse minorem patre. Quia mitti ab alio, minorem non facit, nisi qui mittit
vel ex imperio vt maior, vel consilio, vt sapientior mittat, sicuti solerter docet Sanct. Thomas
dicta quæst. Art. 1. ad primum. Quo in genere petrus hic ab Apostolis missus fuisse non dicitur. Neque nos imperium aduersus Ecclesiam (vt cauillator Caluinus loquitur,) in petro defendimus; sed authoritatem in & super Ecclesiam, idque propter summum bonum Ecclesiæ,
pacem videlicet & vnitatem conseruandam. Nisi forte putent Caluinistæ, imperium omnes
aduersum Ecclesiam habere, quotquot Ecclesiæ præsunt.

Addit Caluinus. *Quòd si nihil horum extaret, vna tamen Epistola ad Galatas omnium dubita-* 5. *Argumētum.*
tionem eximere facile potest, vbi duobus fere capitibus nihil aliud contendit Paulus, quàm se honore
Apostolatus Petro esse parem. Respondetur hoc nos libenter concedere, quòd in honore Apostolatus non solùm Paulus, sed & omnes Apostoli petro fuerint pares; sed ita vt suprà explica- Suprà cap. 7.
tum est.

Cæterum probationes Caluini ex dicta Epistola expendamus. *Hinc*, inquit, *commemorat* 6. *Argumen.*
se ad Petrum venisse, non vt subiectionem profiteretur, sed tantùm vt testatam faceret omnibus doctri- Ad Gal. 1.
næ consensionem. Respondetur. Iam antè ostensum est ex Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio,
C Chrysostomo, Theodoreto, eum ad petrum non hac solùm ex causa, sed etiam *honoris causa* Suprà ca. preced.
tanquam ad principem cæterorum venisse. Hos sanctissimos patres & antiquissimos, vni nouitio
& temerario Caluino præponimus.

Addit præterea Caluinus. *Affirmat Paulus ad Gal. 2. sibi non minorem gratiam collatam esse in-* 7. *Argum.*
ter gentes quā Petro inter Iudæos. Quod ad Apostolicum prædicandi munus attinet, concedimus. Hoc tamen illustre inter Petrum & Paulum discrimen est, quòd Paulus quidem gentiū
Apostolus & Doctor fuit, petrus verò, tum gentium tum etiam Iudæorum Apostolus, vtrorúmque etiam primus Apostolus & magister, vt suprà de gentibus ostensum est, de Iudæis in *Soli petro tanquàm omnium*
confesso est. Denique hoc ipsum quòd se Petro Paulus comparat, ad Petri dignitatem perti- *maximo confert*
net. Docet hoc Ambrosius in commentariis ad hunc locum. *Petrum*, inquit, *solum nominat* *se Paulus.*
& sibi comparat, quia Primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam (nota quòd indefinitè lo- Ambros. in
quitur & vniuersam intelligit: deinde addit) *se quoque pari modo electum; vt primatum habeat in* commentar.
fundandis gentium Ecclesiis (hic Paulo primatum etiam dat, sed determinatum in gentium Ec- Act. 15.
clesiis, non ad totam tum ex Iudæis tum ex gentibus Ecclesiam extensum: verùm ne petrum Chrysostomus.
inde excludere videretur, addit) *ita tamen vt & Petrus gentibus prædicaret.* Hæc ille. Petrum
enim elegit Deus, vt per os eius audirent gentes verbum Euāgelij & crederent, quum Paulus adhuc *Supremus omniū Petrus.*

Epist. 38. Lib. 2. Homil. 87. in Ioan.

creatus fuit. In hac ergo ordinaria & Episcopali potestate in qua successio fuit, erat imparitas & cæterorum Caput, id est summus Episcopus erat Petrus. Ideóque Petri successor Rom. Pont. statim post Apostolorum tempora, *Episcopus Episcoporum & summus Pontifex* nuncupatus est, vt ex Tertul. in lib. de Pudicitia satis clarè colligi potest. In Apostolatu tamen omnes æquales erant. Sed ipsius Apostolatus nulla successio fuit. Finitur enim legatio cum legato, nec ad successores ipsius transit. Et hoc ita se habere, aduersarij ipsi nobiscum fatentur, vt iam ante ex Caluini verbis ostensum est. Petrus verò accepit hanc plenam potestatem, non vt Apostolus, non vt missus extra ordinem, sed vt Pastor Ecclesiæ ordinarius, per suos successores perpetuò duraturam: quod postea suo loco demonstrabitur. Ergo, licet in rebus ipsis quas facere poterant Apostoli, par erat in singulis potestas, tamen in modo huius potestatis, (quia in Petro perpetua, in aliis extraordinaria fuit) magnum discrimen ad rem præsentem est. Quæritur enim nunc de potestate Petri ipsi singulariter data, pastorali, & ordinaria.

Suprà libr. 5. cap. 15.

Infrà cap. 15.

Potestas Petro singulariter data fuit perpetua & ordinaria

2. *Discrimen.*

Aliud discrimen est ratione extensionis. Omnes enim Apostoli habebant parem potestatem quoad amplitudinem rerum gerendarum; sed non quoad superioritatem in ordine gerendi: id est plenissimam singuli Apostoli habebant, & supremam potestatem, respectu aliorū omnium Christianorum, non autem respectu ad se inuicem: quia videlicet Petrus sic caput erat omnium Christianorum, vt etiam ipsorum Apostolorum caput esset. Quod totum voluntarium, & à nobis excogitatum sophisma videretur, nisi ipsi Authores ab aduersariis citati hoc apertè assererent. Hieron. enim post verba prius citata, in quibus æqualitatem inter Apostolos statuit dicens, *ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudinem solidari*, subiungit nihilominus. *Tamen inter duodecim vnus eligitur, vt Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Similiter Cyprian, post verba citata subiungit. *Sed exordium ab vnitate proficiscitur. Petro Primatus datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur.* Erant ergo omnes duodecim Apostoli respectu totius Ecclesiæ reliquæ, hoc est respectu legationis, pares potestatis. Ipsorum tamen in respectu mutuo adinuicem, hoc est in respectu pastorali, Caput erat Petrus. Quam sanè ob causam & in quo sensu, passim à veteribus, Princeps, Caput, & Corypheus Apostolorum, Petrus vocatur, vt partim suprà commemorauimus, partim infrà proferemus ex patribus plura. Sane Epiphanius in Anchoratu vocat Petrum τὸν κορυφαιότατον τῶν Ἀποστόλων: summum Apostolorum Coryphæum seu principem. Præterea in verbis Hieron. quæ paulò liberaliùs loquuntur, locum habet illa distinctio, de his quæ à patribus dogmaticè & quæ contentiosè, scribuntur. Nam hic disputans contra Iouinianum, qui contra honorem virginitatis, Petrum hominem coniugatum, à Christo cæteris prælatum introduxit, extenuat Hieron. quātum per veritatem licuit, Petri authoritatem, cæteros illi propter Apostolatum quidem coæquens: Cæterorum tamē caput illum fuisse apertè asserens. Sed alibi in commentariis ad hunc locū, aliísque multis in locis, *super vnum Petrum fundari Ecclesiam*, apertè docuit; vt antè est à nobis citatum. Verba autem Cypriani & Theophylacti nihil incommodum habent etiam simpliciter concessa. Nam dedit quidem Christus Apostolis post resurrectionem, parem potestatem quantum ad ligandum & soluendum (intellige ipsis subditos) Ioan. 20. quem locum Cyprianus & Theophilactus citant; sed non quantum ad accipiēdas Claues, de quibus nec Ioan. 20. nec à Cypriano aut Theophylacto mentio fit. Hoc autem quàm illud longe latius patet, vt suprà est declaratum.

Petri potestas Suprema in ordine administrandi Ecclesiam.

Petrus κορυφαιότατος τῶν Ἀποστόλων.

Suprà cap. 2.

Quo sensu par Apostolis potestas data fuerit.

Suprà cap. 2.

Sed quia hæc Cypriani verba, de pari consortio honoris & potestatis inter Apostolos, maximè vrgent Protestantes omnes, & ad omnem Petri præ cæteris prærogatiuam tollendam inuictè valere iactitant, totum Cypriani locum hic transcribam: Vt eo inspecto, videat cordatus lector, tum pro Petri Suprema potestate quantum hic vnus locus facit, tum quanta impudentia obtruncatas patrum sententias proferant Protestantes, hoc vno illustri exemplo animaduertat. B. Cyprianus postquam diaboli fraudem, qua humanum genus per hæreses deprauat, quia per idolorū cultum deprauare amplius nō potest, pluribus verbis descripsisset, causam & remedium pariter huius calamitatis grauissimæ declaraturus, illam quidem in derelicto Supremo fidei Pastore, hoc verò in eodem retento ponit: his verbis. *Hoc eò fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur.* Quod enim Caput & quam Originem veritatis intelligat, statim in sequētibus apertè explanat. *Quæ*, inquit, *si quis consideret, & examinet*, Caput videlicet & originem veritatis, *tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiā*

Protestantiū singularis impudentia.

In lib. de vnit. Ecclesiæ, vel de simplicitate prælatorū.

meam

A *meam: & portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum*, & quæ sequuntur. Mat. 16. *Et iterum* [ait Cyprianus] *eidem* (Petro) *post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas.* Quorum duorum locorum quasi summam complecti volens, addit. *Super illum vnum ædificat Ecclesiã suam, & illi pascendas mandat oues suas.* Móxque non vt Petri Authoritatem, quam tam claré asseruerat, infirmaret, sed vt obiectionem remoueret, subiungit. *Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me pater, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientẽ sua Authoritate disposuit.* Quæ verba quantum valeant, mox dicemus. Sed pergit Cyprianus, & semetipsum magis exponit. *Hoc*, inquit, *erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari cõsortio præditi & honoris & potestatis.* Hoc fragmentum rapiunt Protestantes, nec sensum quo dicta sunt, vt iam explicare cœpimus, quicquam curantes; nec antecedentia, quæ Cypriani mentem satis explicant, expendentes, nec denique quod statim subsequitur, animaduertẽtes. Sequitur enim in Cypriano hæc aduersatiua particula, quæ verba præcedentia moderatur, & interpretatur. *Sed exordium ab Vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur. Et Pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Móxque quum vnam esse Ecclesiam ex verbis Canticorum ostendisset, *Hanc*, inquit, *Ecclesiæ vnitatem qui non tenet tenere se fidem credit?* Sed iam, quæ & in quo hæc *Ecclesiæ vnitas tenenda est*, quomodo & in quo *vna est Christi Ecclesia*, quæ & in quo est *Vna Cathedra*, quomodo & in quo *grex vnus ostenditur*, quæ denique sit *vnanimis consensio* (nam hæc singula prius dixerat) apertè declaraturus, subiungit. *Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?* Hæc ille, ma-
B nifestissimè docens quamuis aliquo sensu par sit honor & potestas Apostolorum omnium, tamen in respectu ipsorum Apostolorum mutuo, & inter se inuicẽ, in respectu vnitatis in toto Ecclesiæ corpore maximéque in Præpositis & Pastoribus Ecclesiæ retinendæ, ab vno Apostolo exordium vnitatis proficisci, Primatum Petro dari, & vnum Petrum cæterorũ Caput, & principem esse: in cuius videlicet vna Cathedra, quam propterea alibi *Principalem Cathedram* vocat, *vnde vnitas sacerdotalis exorta est*, totius Ecclesiæ vnitas tum esse monstratur, tum vt perpetuò sit, retinetur. Quemadmodum sane in vno Capite corporis naturalis, in vno principe seu Capite corporis politici, cæterorum membrorum omnium, & Reip. partium vnitas tùm monstratur tùm conseruatur. Vnum enim est naturale corpus, quod vnum Caput habet. Vna est Resp. vnum regnum, quod vni Magistratui aut Regi subiicitur. Salus quoque, pax & harmonia corporis naturalis à Capite; Reip. & regni à suo Magistratu & Rege dependet. Cui si minus obeditur, in vtroque corpore fit schisma. Sic ergo Ecclesiastici corporis vnitas, pax, & ordo, in vna Petri Cathedra, tanquam in *Ecclesiæ Catholicæ radice & matrice*, vt idem alibi de illa loquitur, esse monstratur, & in esse conseruatur. Atque hęc de illo Cypriani loco hactenus: Nunc ad aliud discrimen pergamus.

Lib. 1. epist. 3.

Lib. 4. epist. 8.

Tertium discrimen est, idque maximum, quòd Petro data est potestas præceptiua seu regiminis, Apostolis autem tantùm executiua seu gubernationis, id est, & si cæteri Apostoli immediatè à Christo parem haberent potestatem & honorem cum Petro, scilicet omnia faciendi & exequendi quæ ad ædificandam Ecclesiam pertinebant, tamen soli Petro sic ista plena
C potestas à Christo data est, vt in ipsa gubernatione Ecclesiastica, ipse præscriberet ea quæ agẽda & executioni mandanda essent, ideóque omnis ab illo gubernandi potestas ad alios descenderet. Hoc est enim caput cæterorũ fuisse. Et hanc ob causam illa vna persona Petri vnitatem Ecclesiæ non solùm *significauit, aut figurauit*, sed & præterea verè inchoauit: id est, principium Ecclesiæ, seu primus in Ecclesia & Supremus Pastor existens, ad alios illam potestatẽ deriuauit. Nec solùm moriens ad successores (vt in primo discrimine dictum est) sed etiã viuus ad omnes alios in Ecclesia pastores. *Significationem huius vnitatis* in Petro agnoscunt aduersarij, quemadmodum & figurationem illam, secundum quam in figura Ecclesiæ claues accepit: sed eatenus tantùm, vt in persona Petri ostenderet quidem Christus Ecclesiam vnam esse debere, non quia vnitatis principium Petrus esset, vt iam ex Cypriano ostendimus, sed quia à se vno cælesti capite penderet. At longè amplius hîc a Christo factum fuisse, & Petrum hoc in loco ad vnitatem Ecclesiæ *verè inchoandam* non solùm *significandam*, à Christo prælatum fuisse, tùm Sanctorum Authoritas, tùm euidens ratio ostendit. Cyprianus apertissimè dicit. *Vt vnitatem Christus manifestaret, vnam cathedram constituit, & Vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua Authoritate disposuit.* Hæc ille. Vbi obserua quòd dicit, *ab vno incipientem*, non à se. Loquitur enim de Christo disponente. Deinde quod dicit *authoritate Christi* hoc factum esse.

Tertium discrimen.

Solus Petrus in gubernatione eccles. præscribit agenda.

Petrus nõ solum significauit, sed etiam inchoauit vnitatem totius Ecclesiæ.

Lib. de vnit. Ecclesiæ.

Ad significandũ aliquid, Authoritate non est opus.

Nam ad ſignificandam tantummodo ſimpliciter Eccleſiæ vnitatem, authoritate à Chriſto D
non erat opus. Etenim Chriſti inconſutilis tunica, vna domus Raab, vna domus in qua agnus paſchalis totus comedendus erat, & vna Arca Noë Eccleſiæ vnitatem ſignificabant; nulla tamen ad hoc intercedente authoritate diuina, ſed ſola aſſumentium & applicantium voluntate. At verò, vt Petrus ſignificaret Eccleſiam vt ſic, nempe vt Caput & propter Primatum, (vt ante ex Auguſtino eſt explicatum;) hoc eſt, vt vnitatem Eccleſiæ inchoaret ſic, vt ab illo vno capite vicario Eccleſia actu inciperet [quod Actor. 2. factum legimus, vt notauit Ambroſius Serm. 47. & Euthymius in comment. ad Matth. ca. 16.] & quòd tùm ille tum eius ſucceſſor reliquæ toti Eccleſiæ in ratione paſtoralis regiminis authoritatem daret, ad hoc ſane authoritate magna opus fuit: ideóque hoc Chriſtus *authoritate ſua diſpoſuit*; ait Cyprianus. Cui ſubſcribens Optatus: *omnium*, inquit, *Apoſtolorum Caput Petrus Romæ ſedit, vt in illa vna cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur; ne cæteri Apoſtoli ſingulas cathedras ſibi quiſque defenderet.* Hæc ille.

Petrus Principiū Eccleſiæ duplicater.

Lib. 2. contra Parmenianū.

Petrus ergo ſic vnus accepit claues, vt quemadmodum caput eſt principium corporis (eſt autē ratio Principij ſufficiens ratio capitis in rebus eiuſdem ordinis,) ita ille caput factus cæterorū, inciperet Eccleſiam: eſſétque *origo vnitatis Eccleſiæ*, vt loquitur hic Cyprianus, vel vt alibi apertiùs dixit, *vt à Petri Cathedra vnitas ſacerdotalis orìretur*. id eſt, omnes ſacerdotes ab illo vno inciperent & poteſtatem acciperent. Sic enim [vt ſapienter Leo magnus ſcribit] *firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis confertur.* Sic autem cæteri Apoſtoli claues non acceperunt. Neque enim poterat multitudo accipientium claues ídque æqualiter, vnitatem Eccleſiæ inchoare, aut vnitatis origo eſſe, niſi reducerentur ad aliquod vnum. Neq; verò ſatis E
eſt ad inchoandam hanc vnitatem, vt ad vnum Chriſtum referantur qui claues acceperunt; ſed debet hoc vnum ad quod cæteri referūtur, etiam eiuſdem generis caput eſſe: terreſtre ſcilicet, vel temporale, ſicuti corpus Eccleſiæ hic militantis temporale eſt. Ne ſane Eccleſiæ corpus viſibile vel ἀκέφαλον eſſet & ſine capite vel caput corpori proportionatum & conforme nō haberet: Quorum illud veram corporis rationem tollit, hoc monſtri ſimile eſt.

Petrus accepit claues vt principiū & caput totius Eccleſiæ.

Lib. 1. epiſt. 3.

Vnitatis origo non potuit niſi ab vno incipere.

In Anniuerſario Aſſumptionis ſuæ.

Iſtud autem hac ratione magis adhuc manifeſtum reddi poteſt. Vnitas Eccleſię opponitur non ſolùm hæreſi ſed etiam & ſchiſmati: hoc eſt, ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam opus eſt non ſolum ſana fide in Deum, ſed etiam vera obedientia, communione & charitate in totam Eccleſiam & cum tota Eccleſia, maximè verò in Eccleſiæ principes & cum illis circa cultum religionis. Hinc fit vt ſchiſmatici habeantur, qui retenta vniuerſa fide, tamen ſegregant ſe à communione & ſocietate fidelium, & præſertim à ſuis paſtoribus, atque ſeorſim colligunt; maximè verò qui ab vnitate Apoſtolicæ ſedis ſeparantur. Hoc autem ſchiſma idcò committitur, quia immediatè deſeritur & contemnitur, vel totum Eccleſiæ corpus, vel certè caput terreſtre ſeu vicarium, & vt loquitur Cyprianus, *quia vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos & ad tempus Iudex vice Chriſti non cogitatur.* Non autem ideo fit ſchiſma, quia caput cęleſte quod eſt Chriſtus contemnitur; niſi indirectè, & per conſequens illud euangelicum: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sicuti ergo diſſoluitur vnitas Eccleſiæ non ſolùm à recta fide recedēdo, & Chriſtum caput cæleſte deſerendo; ſed etiam ab Eccleſiæ Paſtoribus ſeſe ſeparando; ſic è diuerſo conſeruatur vnitas Eccleſiæ non ſolùm adhærendo Chriſto capiti vitali, ſed etiam adhærendo capiti miniſteriali quod à Chriſto inſtitutum eſt, *vt vnitatis origo ab illo inciperet* F
& vt vna Eccleſia monſtretur, vt loquitur Cyprianus. Nam cùm tota ratio ſchiſmatis, ſit ſeparatio à corpore, quod eſt Eccleſia (vt docuit Auguſtinus libro de vnitat. Eccleſ. cap. 4.) illa non fit niſi ratione capitum, id eſt paſtorum illius corporis. Nam quemadmodum Eccleſiam bene definit Cyprianus, *plebem ſuo ſacerdoti adunatam, & ibi eſſe Eccleſiam vbi epiſcopus eſt*; ita ſchiſma eſt plebs à ſuo ſacerdote diuulſa, & vbi epiſcopus non eſt. Huius autem vnitatis eccleſiaſticæ ab vno capite potiſſimùm dependentis forma, in charitate fraterna quam naturaliter Deus nobis inſeuit, eleganter expreſſa eſt. Nam *ad vehementius commendandā* [ait Auguſtin.] *Humanæ ſocietatis vnitatem, & vinculum concordiæ, vnum ac ſingulum hominem Deus creauit, vt ab illo vno homine omne diffunderetur genus humanum.* Hæc ille. Sic omnino, ad vnitatem fidei [in qua concorditer ſeruanda Eccleſiæ vnitas maximè conſiſtit] rectiùs retinendam & vehementiùs commendandam, 1. vni Petro fides eſt primum reuelata, 2. vnus Petrus cæterorum omnium Petra & pater ponitur, 3. ſuper vnum Petrum fundatur Eccleſia, 4. vnus Petrus claues regni cælorum accipit, 5. pro vnius Petri fide vt non deficiat oratur, 6. vni Petro oues ſuas paſcendas Chriſtus commiſit, vt vnitatis origo ab vno capite Petro tot modis & inciperet, & propagaretur, & denique in alios omnes fideles diffunderetur. Quia ergo (vt em præſentem concludamus) Chriſtus dando vni Petro claues, vnitatem Eccleſię commendauit,

Vnitatis origo debet eſſe à capite tēporali & miniſteriali.

Schiſmatici qui.

Lib. 2. epiſt. 3. & li. 4. epiſt. 9.

Luc. 10.

Lib. de vnit. Eccleſiæ.

Tota ratio ſchiſmatis.

Lib. 4. epiſt. 9.

Lib. 12. cap. 21. de ciuit. Dei.

Simile in fraterna charitate.

Vnius Petri varia priuilegia.

dauit,ciúſque originem demonſtrauit,non à ſe ſolo,ſed (teſte Cypriano) *ab vno petro incipien-*
A *tem*; profectò ſic vni petro eas dedit,vt Supremo ac Vicario capiti,& à quo omnis eccleſiaſti-
ca vnitas verè inciperet perpetuóque deſcenderet:non autem à multis, niſi referendo omnes
ad hunc vnum,& adhærendo huic vni. Ex quibus omnibus illud efficitur, non ſic cæteris 1.
Apoſtolis vt petro collatas claues eſſe:ſed ſolum Petrum primùm pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, 2.
deinde in ordine etiam ſupra alios Apoſtolos, tertiò denique vt ab illo in totam Eccleſiam 3.
deriuandas illas accepiſſe.

Promiſſæ poteſtatis ſoli Petro, ſtabilimentum à Chriſto illi ſoli factum.

CAPVT VIII.

VARTVS gradus eſt,ipſius fidei immediatè reuelatæ, (ex „
qua noui nominis expoſitionem, & futuræ poteſtatis pro- „
miſſionem accepit Petrus,) perpetua confirmatio, & inde- „
fectibilis roboratio. „

Nam quia dixerat Chriſtus *ædificaturum ſe eſſe Eccleſiam ſuam ſuper hāc* Matth.16.
B *Petram*,id eſt ſuper Petrum in fide roborandum; nec tantùm ad tempus
præſens,ſed in perpetuum; (ſiquidem & ipſam Eccleſiam ſuam perpetuam eſſe voluit,) de-
buit neceſſariò fides Petri ſtabiliri in perpetuum, tanquam neceſſarium medium ad futu-
rum tanti ædificij fundamentum: id eſt, ad tantam in ædificanda & propaganda Eccleſia
Dei futuram docendi & paſcendi certitudinē atque poteſtatem. Hoc diligenter fecit Chri-
ſtus, antequam hanc tantam poteſtatem illi de facto conferret. Nempe, ait Chriſtus præſen-
tibus cæteris Apoſtolis Simoni. *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego* Lucæ 22.
autem [illegible] *pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Diſcu-
tiamus autem nonnihil hæc verba,vt quanti ponderis, ac momenti ſint ad rem præſentem,
intelligatur.

Primùm ergo animaduertendum eſt,quæ fuerit horum verborum occaſio.Nempe Cœna 1. *circumſtantia*
facta,turbati Apoſtoli propter Chriſti verba dicentis,fore vt vnus ex ipſis eū traditurus eſſet, *verborum.*
cœperunt quærere inter ſe quis eſſet ex eis qui hoc facturus eſſet:móxque vt fit in perturbatis
animis,ex illa lite in aliam inciderunt,*factáque eſt* (ait Lucas) *contentio inter eos,qui eorum vide-*
retur eſſe maior. Hanc eorum intempeſtiuam contentionem cùm placaſſet chriſtus,dicens; *Re-*
ges gentium dominantur eorum; vos autem non ſic,&c.docens videlicet, omnem dominandi ap-
petitum ac libidinem à ſuis miniſtris quàm longiſſimè abeſſe debere, ne tamen omnem do-
minandi poteſtatem pariter prohibuiſſe,aut abſtuliſſe videretur, ſubijcit verba illa ſoli petro
dicta:apertè demonſtrans illum fore *Maiorem eorum* de quo contendebant.

C Deinde verba Chriſti in ſe ſunt diligenter expendenda. Nam in illis, duo Chriſtus facit. 2. *Verba Chriſti*
Primùm in communi omnium periculo ſolum Petrum confirmat. *Satanas expetiuit vos*, &c. *in ſe.*
Ego autem rogaui pro te:&c. Deinde ne illa confirmatio ſolius Petri cauſa facta fuiſſe, aut ad fi- 1.
dem Petri perſonalē pertinere videretur,addit. *Tu autem conuerſus confirma fratres tuos*:Oſten- ad Hebr. 10.
dens ideo illum confirmari in fide,vt aliorum omnium fidem ipſe poſtea futurus paſtor om- 2.
nium confirmaret,veréque eſſet firma Petra,ſuper quam ædificaretur Eccleſia. Hoc enim
illa verba euidenter affirmant.Cùm enim fides ſit baſis & fundamentum in confirmanda Ec-
cleſia,vnde Apoſtolus eam definit,*Subſtantiam ſiue baſim rerum ſperandarum*, Chriſtus petrum *Quomodo pe-*
ad ædificandam Eccleſiam fundamenti loco poſiturus, eum ante omnia in fide confirmat. *trus confirmat fratres.*
Nam cùm fidem ſolus quidem Deus infundat, & præueniente gratia cor hominis moueat, ad Heb. 10.
excitet atque illuminet(*Dei enim donum eſt, non ex nobis*:)eadem tamen quoad nos miniſterio
prædicatorum ædificatur [*fides enim ex auditu. Quomodo autem audient ſine prædicante?*] huius Ephef. 2. Rom 10.
autem prædicationis duæ ſunt partes præcipuæ, docere & confirmare,vel vt Apoſtolus loqui-
tur,*plantare & rigare*, Chriſtus Dominus in quo excellenter erat omnis poteſtas ædificandi & 1 Cor. 3.
confirmandi Eccleſiam, hanc poteſtatem vni Petro eminenter,& per eum aliis communica- Matth. vltim.
turus,ne illa Eccleſiæ ſuæ vnquam deeſſet,de prima illa & initiali prædicatione ac plantatio- *prædicationis fidei duæ partes*
ne dixit ſoli Petro. *Super hanc petram ædificabo*,vt iam explicatum eſt:de altera quoque parte, *petro eminenter commiſſa.*

nempe confirmatione ipsorum iam fidelium, quia ministeriale quoque hoc opus est sicut ipsum prædicare, dicit hic soli Petro, *Tu conuersus confirma fratres tuos*; Hoc est, eos qui iā fideles sunt. Hoc enim est alterum, idémque præcipuum circa ministerium fidei, officium. De quo genere Apostolus ait, *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*, id est, confirmati in vnitate fidei. Vtrunque Apostolus alibi coniunxit: distribuens opus ministerij in *consummationem seu* καταρτισμὸν *confirmationem sanctorum*, id est, iam fidelium, & *in ædificationem*, id est, collectionē *corporis Christi*. Quod enim ibi Apostolus verbo *cōsummandi* vel perficiendi expressit, hîc Saluator verbo *confirmandi* exprimit. Vtrunque verò quia idem fere significant, Petrus coniunxit: *Ipse*, inquit, *modicum passos perficiet, confirmabit, solidabítque*. Quod totum vt hîc Deo tribuitur, & alibi sæpe; ita Christus Petro tribuit, & Apostolus suo Timotheo tribuere non est veritus. *Misi* [inquit] *Timotheum ad confirmandum vos*, &c. Sic legimus Paulum & Barnabam perambulasse, *confirmantes Ecclesias, & præcipientes custodire præcepta seniorum & Apostolorū*, id est, sedulò monentes vt in Regula fidei accepta manerēt. Vt videlicet hac ratione quæ duo præcipua sunt in ratione propagandæ fidei officia, ædificare & confirmare, plantare & rigare, inchoare & perficere, sic Deo sint principaliter propria, vt tamen sint primùm & eminēter Petro, & post eum, vel potius per eum, aliis ministerialiter communia. D

1 cor. 1. Ephes. 4.

Epist. 1. cap. 5.

ad Rom. 16. Thes. 1. & 3. Actor. 15.

3. Patrum sensus de his verbis. Leo.

Tertiò in eum sensum quem diximus, iam olim sancti patres hæc verba exposuerunt. Leo magnus, *commune quidem*, inquit, *erat omnibus Apostolis periculum; specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur. Tanquam si aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*. Hæc ille in Anniuersario Assumptionis suæ. Sic & Augustin. in libro de quæstion. noui & veteris Testamenti. *Pro Petro*, inquit, *rogabat Saluator. Pro Iacobo autem & Ioanne non rogabat? Manifestum est in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur aut laudatur*. Hæc ibi. Et iterum alio in loco, *Totius*, inquit, *corporis morbum in ipso Capite curat Ecclesiæ, & in ipso componit omnium membrorum sanitatem*. Quibus & suffragatur Ambrosius. Exponens enim hæc verba: *Vide*, inquit, *quid dicat Dominus, & intellige. Ventilatur Petrus, incedit in tentationes, sed Ecclesiæ præponitur postquam tentatus à diabolo est: ideóque ante significat Dominus, quid sit illud quod postea eum elegit dominici gregis pastorem. Nam huic dixit. Tu autem conuersus confirma fratres tuos*. Hæc ille. Vbi vides verba illa, *Confirma fratres tuos*, significare Ambrosij iudicio, fore Petrum dominici gregis Pastorem. Sic dilucidè rem explicat Theophylactus. *Manifestum*, inquit, *verborum sensus est, quòd cùm te discipulorum principem fecerim, tu cùm post negationem fleueris, & resipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra & firmamentum es*. Hæc ille. Obserua autem hæc verba ita singulariter Petri Primatum ostendere, vt Caluinus, cùm omnia alia loca & argumenta quæ pro Petri primatu afferri solent, diligenter expenderit, atque vt potuit refutauerit; huius loci & horum verborum nullam prorsus mentionem fecerit; vt qui probè sciret, nullo hîc cauillationis fuco, tam manifesta verba eludi potuisse. E

Quæst. 79.

In Petro omnes continentur. Serm. 124. de tempore. Ambrosius in psal. 43.

In comment. ibidem.

Petrus post Christum ecclesiæ petra & firmamentum.

Realis exhibitio supremæ potestatis soli Petro à Christo facta. F

CAPVT IX.

» QVINTVS gradus est, Potestatis ipsius quam in noui nomi-
» nis promissione, & impositione, significauerat; quam in ex-
» positione nominis promiserat, quam in fidei cōfirmatione
» futuram insinuerat, realis tandem & vera exhibitio.

Ioan. 21. Loci & temporis Circumstantia.

Factum hoc legimus luculenter & plenissimè apud Ioan. Nan in præsentia trium Apostolorum, Iacobi, Ioannis, & Thomæ, ac trium discipulorum; quasi in præsentia episcoporum & sacerdotum, summum pontificem creaturus; eo etiam momento quo ad patrem iam ascensurus esset, ideóque aut tunc, aut nunquam vicarium constituturus, imò quia necessariò absentiæ iam suæ vicarium certum constitui oportebat, dixit Christus Simoni Petro. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Quod cùm ter rogasset, & ad singulas interrogationes Petrus affirmatiuè respondisset; ad primam quidem & ad secundam Petri responsionem, subintulit Christus. *Pasce agnos meos*: iuxta vulgatam versionem. Ad tertiam verò dicit ei: *Pasce oues meas*.

A Ex his verbis collegerunt patres, pleniſſimam regiminis poteſtatem Petro à Chriſto tributam eſſe, quam antea promiſerat. Sic apertè Origenes. *Petro, inquit, cùm ſumma rerum de paſcẽdis ouibus traderetur, & ſuper ipſum velut terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitatis exigitur.* Vbi obſerua dicere Originem, quòd hic demum ſuper Petrum fundetur Eccleſia. Quem ſanè imitatus pene ad verbum Chryſoſtomus tùm *propter magnitudinem dilectionis, præfecturam Petro commiſſam* tribuit, *eúmque cæteris Apoſtolis prælatũ* aſſerit; tùm etiam alio in loco ex his ipſis verbis, *Eccleſiæ Primatum gubernationémque per vniuerſum mundum ei à Chriſto concreditum eſſe*, ſcribit. Quod etiam repetit hom. 87. in Ioannem, itidémque homil. 55. in Matth. Quem ſequutus Theophylactus hunc locum exponens: *Petro non alij* (inquit) *præfecturam ouium per vniuerſum mundum tribuit.* Sic Arnobius in his verbis ait, *Chriſtum negatori ſuo hanc quam ſolus habuit, poteſtatem tribuiſſe.* Gregorius Magnus, propter hæc verba, *totius Eccleſiæ curam Petro dominica voce commiſſam eſſe, cunctis ſcientibus euangelium liquere*, aſſerit. Cui ergo S. patrum dilucida & cõſentiens interpretatio ſatisfacere poteſt, ei hæc pauca ad huius loci ſenſum aſſequendum ſatis eſſe poterunt.

Senſus Patrum. Matth. 16. Origenes in ca. 6. epiſt. ad Rom. Lib. 3. de Sacerdotio. Homil. 1. de pœnitentia. Arnobius in pſal. 138. Registri lib. 4. epiſt. 2.

Probatur literalis illorum verborum ſenſus, Paſce oues meas.

CAPVT X.

B

AT verò vt hæc expoſitio firmiſſima quoque ratione niti, & germana ac literalis eſſe oſtendatur, quædam obſeruabimus vnde illud euidenter colligi poſſit. Obſerua ergo primùm, quòd non alia de cauſa, dilectionis apertam confeſſionem Chriſtus hîc à Petro exigit, quàm vt propterea *Paſtor* fieret, & curam gregis ſuſciperet. Hoc autem inde manifeſtiſſimum eſt, quòd ad ſingulas dilectionis confeſſiones ſubiicit Chriſtus, *Paſce*; apertè oſtendens, quare & in quem finem ter repetita interrogatione, dilectionẽ ab eo exegerit. Ex quo etiam patet, non eſſe literalem illam quorundam Patrum expoſitionem, qui trinam hic Chriſti interrogationem, & trinam hanc Petri confeſſionem, ideò factam eſſe exponunt, vt trinæ negationi ante paſſionem factæ, Petrus æquali confeſſionis numero ſatisfaceret. Eſt enim hæc expoſitio myſtica planè tantum & tropologica: quam quidem etiam reſpicere potuit Chriſtus. Ille verò tantùm literalis & præcipuus verborum Chriſti ſenſus eſſe neceſſario debet, quem ipſemet Chriſtus euidenter expreſſit; ſingulis confeſſionibus Petri ſubiiciens, *Paſce*. Propterea Cyrillus, cùm hanc expoſitionem myſticam iam dictam tradere vellet, præmiſit. *Altius quiddam hæc oratio certè parturit*: apertè oſtẽdens ſe altum aliquid quærere, nõ literam ipſam ſimpliciter exponere. Chryſoſtomus autem ad literam more ſuo rem exponẽs; *Ter, inquit, interrogat, & ſemper idem præcipit, dicens, Paſce: vt demonſtret quanti Ouium ſuarum curam faciat.* Auguſtinus verò cùm vtrunque ſenſum tradidiſſet, infert. *Sit amoris officium paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare paſtorem.* Vt videlicet negationi factæ, non C ſolùm trina confeſſio, ſed & ipſum paſcendi officium reſponderit.

1. *Obſeruatio.* *Trina interrogationis cauſa & finis quis.* *Alia horum verborum expoſitio myſtica ſed non literalis.* Lib. 12. in Io. cap. 64. Hom. 87. in Ioan. Tract. 123. in Ioan.

Obſerua 2. quòd non ſolùm dilectionem ab eo exegit ſed etiam dilectionem *plus cæteris: vt* videlicet, *diligenti plus cæteris*, detur poteſtas *paſcendi pluſquam cæteris. Chriſtus enim eleuandus in cælum*, (ait Auguſt. *amoris ſui vicariũ Petrum reliquit: & ideo quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus anteferturi*: id eſt, pro rata dilectionis poteſtate donatur. Alioqui paſtorem illum vulgarem, aut cæteris ibi præſentibus parem ordinaturus ſi eſſet, dilectionem ab eo abſque comparatione aliorum exegiſſet. Hoc enim ad parem & communem poteſtatem ſuffeciſſet. Imò ſanè ex omnibus illis ibi præſentibus, aut etiam Apoſtolis, parem & æqualem dilectionem exegiſſet Chriſtus, ſi paſcendi poteſtatem omnibus æqualem daturus fuiſſet. Ex qua etiam obſeruatione concidit ille ſenſus, quo docetur Petro in his verbis Apoſtolatus dignitatem renouatam eſſe. Nam id factum eſt communiter omnibus Apoſtolis, iam antè dicẽte Chriſto omnibus ſimul præſentibus, ſolo excepto Thoma; *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.*

2. *Obſeruatio.* Ambroſ. li. 10. cap. 24. in Lucam. *Maiori dilectioni maior poteſtas confertur.* *Alius ſenſus reiectus.* Ioan. 20.

Obſerua tertiò, quod cùm bis dixiſſet Chriſtus diligis me, ἀγαπᾷς με tertio dixit φιλεῖς με *amas me?* Quo etiam verbo ſemper reſponderat ei Petrus. Nam (vt notauit Ambroſius loco iam citato in Lucam) *dilectio habet animi charitatem, amor quendam æſtum conceptũ corporis, &*

3. *Obſeruatio.* *Amor pluſquã dilectio.* Li. 10. cap. 24. in Lucam. *Solus Petrus (diligentibus alijs) amauit Chriſtum.*

Homil. 51. in Matth. cap. 14. Hom. 55. in Matth. cap. 16 Homil 57. in Matth. ca. 17. Homil. 84. in Ioan. cap. 20. & hom. 86. in cap 21. Ioan.

mentis ardorem. Hæc ille. Vt videlicet iuxta amorem singularem, non tantùm dilectionē com-
munem, docendi potestate etiam singulari quæ amori tanto responderet, à Christo donare-
tur. In ipsa quoque dilectione communi, non dilexit communiter, sed plus cæteris: amauit au-
tem solus & non cum cæteris: id est solus Zelo & feruore ardebat, vt quàm plurimis in locis D
euangelium de Petro enarrat, & diligenter notauit Chrysostomus. Petrus ergo quanto & in
ipsa dilectione Christi, cæteros Apostolos & discipulos superauit, & solus inter cæteros fer-
uenter amauit, tanto & præ cæteris pascendi illi officium commissum est, solúsque inter cæte-
ros supremam regiminis potestatem accepit. Et propterea denique verbo amandi, reddidit
Christus *pasce oues meas*: id est, pastores ipsos: vt mox dicemus.

4 *Obseruatio. Et agni & oues Petro committuntur.*
Lib. 10. ca. 24. in Lucam.
Euthymius.

Obserua quartò, quòd ter dicat, *pasce*, & primò quidem agnos, postea Oues. Notauit hoc
Ambrosius his verbis. *Tertiò Dominus interrogauit, non iam agnos vt primò, quodam lacte pascē-
dos, nec ouiculas vt secundò, sed oues pascere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Hæc ille.
Sic Euthymius in commentariis ad hunc locum, *per agnos, imperfectiores; per oues, perfectiores
designari* docet. Vt videlicet Petro hîc pascendum committatur vniuersum ouile, tam paruu-
lorum quàm grandium; tam laicorum qui vt agni pascuntur ipsi, nec alios pascũt, quàm ipso-
rum sacerdotum & cleri; qui vt oues pascunt quidem agnos, sed pascuntur à pastore. Obser-

5. *Obseruatio.*

ua quintò quòd in verbo etiam pascendi, discrimen est apud Ioannem Græcè scribentem.
Nam in prima responsione Christi dicitur βόσκε τὰ ἀρνία: In secunda dicitur, ποίμαινε τὰ προ-
βατα: rege oues. In tertia dicitur, βόσκε τὰ πρόβατα: pasce oues. Ostendit enim hæc distincta

Agni pascuntur tantum à supremo pastore, oues pascuntur & reguntur.
Cypr. in lib de vnit. Eccles.
August. epist. 166.

Christi ad Petrum responsio, quòd agni quidem ab ipso solùm pascendi siue cibandi sint, pro-
pter cōmunem doctrinæ cibum ab hoc supremo patrefamilias, & ab eius Cathedra, quæ est
Cathedra vnitatis, idcóque & veritatis (vt Cyprianus & Augustinus docent) expectādum: re-
gēdi sint verò à suis proximis & propriis pastoribus, quibus immediatè subiiciuntur: Oues au- E
tem, id est, grandiores & perfectiores, Episcopi & Pastores ipsi, tùm pascendi sint doctrina
communi, tùm etiam ab illo tanquam supremo Pastorum Pastore, immediatiùs regendi cō-
mittantur. Neque enim temerè aut frustrà, hanc verborum tam claram distinctionem obser-
uasse Christum existimare debemus.

6 *Obseruatio.*

Obserua sextò, miraculum quod Christus fecit, antequàm Petro pascendi singularem po-
1. testatem conferret. Nam piscante cum cæteris Petro, accedit Saluator ad littus, & eo iubēte
Ioan. 21. *vt mitterent in dextram nauigij rete, miserunt, & iam non valebant illud trahere præ multitudine*
2. *piscium*. Deinde, Petrus audito quòd Dominus in littore esset, *mittit se in mare, quum alij disci-*
3. *puli nauigio venirent trahentes rete piscium*. Tertiò, *illis trahere non valentibus, ascēdit Simon Petrus,
& traxit rete in terram plenum magnis piscibus, 153. & cùm tanti essent, non est scissum rete.* Hæc
illi. Hic ergo solus Petrus, quia feruentior & vehementior cæteris, natando ad Iesum venit; vt
notauit Chrysostomus. Rursus rete plenum piscibus notat Ecclesiam in plenitudine gentiū.
Hom. 86. in Ioan. Deinde quòd solus Petrus dicitur ascendisse, & traxisse; significat potestatem amplissimam
Petri prærogatiua varia. in colligendo Ecclesiam soli Petro datam. Postremò, quòd non est scissum rete, significat Pe-
tri cathedram, nullam vnquam in fide scissuram seu apostasiam passuram, sed perpetuam &
Christus prius docuit miraculis, postea verbis. solidissimam fore illius sedis vnitatem. Ideo totum hoc per miraculum prius insinuatum, sta-
tim apertis verbis docetur. Non aliter sanè quàm in Euangelio, doctrinæ de futuro Euchari- F
Ioan. 6. stiæ mysterio, præmittitur à Saluatore miraculum de quinque hominum millibus ex quinq;
Homil. 45 in Ioan. panibus satiatis, vt notauit Chrysostomus: & ad ostendendam cæcitatem Pharisæorum, præ-
Ioan. 9 mittitur miraculum de cæco à natiuitate sanato.

7 *Obseruatio. Etiam præsentibus aliis Apostolis solus Petrus iubetur pascere.*
Homil. 87. in Ioan.
Lib. de pastoribus cap 13.
Supra cap. 7.

Obserua septimo, quod in præsentia aliorum Apostolorum, solus Petrus pascere iubetur.
Nam ideo (ait Chrysostomus) *omissis aliis solum Petrum affatur, quia os erat Apostolorum, &
princeps, & vertex ipsius cœtus.* Inde etiam sequitur cæteros qui pascunt, à Petro hanc potesta-
tem necessario debere accipere. Alioqui sine diuino mandato pascunt. Et hoc est quod Au-
gustinus dixit. *In ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli: & vni dicitur. Pasce oues
meas* Hæc ille. In eo videlicet commendabatur vnitas, quia ab illo vno tota ratio pascēdi, tan-
quam à capite vicario deriuanda erat: idque ad vnitatem conseruandam, vt superiùs est decla-
ratum.

8. *Obseruatio.*
Ioan. 10.
Obiectiones Remotio.
Ioan. 10.

Obserua octauò, quod dicit, *Oues meas* indefinitè & generaliter. Cùm enim Christi ouile
vnum sit, dicente ipso in Euangelio; *fiet vnum ouile & vnus pastor*: & in hoc vno ouili omnes
contineantur, necesse est vt constituto hîc vno pastore ouilis Christi, omnium ouium pastor
constituatur. Neque vero obstat quod alibi dicens Christus; *animam meam pono pro ouibus
meis*: & rursum, *Oues meæ vocem meam audiunt*, solos electos per oues suas Christus intelligat,
quasi

A quasi propterea ad solos electos Petri praefectura pertingat, & per consequens vel soli electi
ouilis Dominici oues, & Ecclesiae mēbra sint, vel non totius Ecclesiae Pastor hic Petrus con-
stituatur. Quemadmodum enim vniuersus caeli motus, seu tempus huius seculi, propter im- *Christus per oues*
plendum numerum electorum protenditur, & tamen idem ad propagandos etiā non electos *suas, omnes oues*
se extendit; & quemadmodum Christus *pro ouibus suis*, id est pro electis *animam suam posuit*, & *intelligit.* Apoc. 6 & ad
tamen eadem mors *pro totius mundi peccatis* fuit; sic Petro soli electi efficaciter committuntur; Rom. 8.
omnes tamē eius curae & regimini sufficiēter cōmissi esse intelliguntur. Sic Apostolus *omnia* 1. Ioan. 2.
se sustinere dicit propter electos. Eius tamen curae & labores, etiā circa plurimos non electos ver-
sabantur. De quo genere dixit. *Instantia mea quotidiana: sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Itaq; 1. Timoth. 2.
in illis verbis, *Oues meas*, Praecipuus ex omnibus pascendi actibus, videlicet finale & efficax pa- 2. Cor. 11.
scendi opus Petro cōmittitur: quod tamen generalem pascendi functionem non excludit, sed
necessariò includit, sicuti vniuersum quoddam suas omnes partes, & finis omnia media, vel vt
principale aliquid cętera minus principalia. Rursum dicit hic Christus, *Oues meas*, sicuti Matt. *Oues meas, Ec-*
16. dixerat, *Ecclesiam meā*: id est, Catholicam, vt totum. Nam cōtra illam portae inferi non prae- *clesiam meam.*
ualebūt, licet contra partes praeualuerint. Alioqui si partē, vel ibi Ecclesiae, vel hic Ouiū suarū
Christus diceret, profecto illa pars alias partes excluderet, vt alias oues non pasceret Petrus, &
contra alias partes praeualerent portae inferi. Deinde esset maxima quaestio quaenam illa pars
esset vel Ecclesiae contra quam non praeualerent portae inferi, vel Ouium Christi quae Pe-
tro essent commissae. Ergo dicendo *Oues meas*, omnes ouilis sui oues sine exceptione intelli-
git.

B Obserua nonò, vim verbi *pasce*, in quo plenissima potestas designatur. Nam omnes alios 9. *Obseruatio.*
actus Ecclesiastici regiminis, sua vi complectitur. Omnia enim alia ad pastum animarum di- *Sub verbo Pa-*
riguntur. Et quia pascere Dominicum gregem, totius Ecclesiasticę functionis finis est; tùm ex *scendi, omnis ec-*
parte rei susceptae, quia committitur talis functio vt grex pascatur; tùm ex parte suscipiētium, *clesiastica pote-* *stas continetur.*
quia non dominium sed officium appetendū est; iuxta illud, *vos autem non sic*. & iterum: Qui Luc. 22.
Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; ideo sub voce pascendi omnia Christus complexus 1. Tim. 3.
est, quae ad supremam in ecclesia functionem spectare possunt. Hinc Euthymius in verbo
pasce, tùm *pascendi curam*, tum etiam *gubernationem*, Petro hoc loco commissam esse scribit in Tract. 123. in
commentariis ad haec verba. Augustinus quoque *oues pascendas*, id est, *docendas regendásque com-* Ioan. *Pascere pro Re-*
mitti, exponit. Huc etiam facit Scripturae vsus, in qua Pascere & Regere pro eodem frequen- *gere.*
tissimè ponuntur, vt illud: *Tu pasces populum meum, & eris princeps super eum*. Rursum. *Suscitabo* 2. Reg. 5.
Pastorem vnum, seruum meum Dauid. Et mox. *Et seruus meus Dauid princeps in medio eorum*. Ezech. 34.
Quin & ipsum verbum *ποιμαίνειν*, quo hic Christus vsus est, creberrimè in scripturis *Regere* si-
gnificat. vt Psal. 2 *Reges eos in virga ferrea*, Psal. 23. *Dominus regit me, &c.* Psal. 47. *Ipse reget nos in*
secula. Psal. 79. *Qui regis Israël, intende*. Act. 20. *Posuit vos spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*.
Denique quod Michaeas de futuro Christi principatu dixerat, Matthaeus repetens, verbo Mich. 5.
ποιμαίνειν, explicat, dicens: *Qui regit populum meum Israël*. In quibus omnibus locis semper est Matth. 2.
verbum *ποιμαίνειν*. Sicut ergo Dauidi in figura 2. reg. 5. Christo in promissione Ezech. 34. &
Micheae 5. re autem ipsa Matth. 2. sic Petro praesenti tanquam vicario hoc loco dicitur, *pasce*
C *oues meas*,: id est, *rege & princeps esto super populum meum*. Vbi semper memineris agere nos de
principatu fidei, & regimine spirituali siue Ecclesiastico; non terreno, atque pompatico. 10. *Obseruatio.*

Obserua decimò, ex praecedentibus Christi promissionibus, necessariò plenissimam & 1.
supremam hic Petri potestatem designari oportere. Nam cùm antea Petro dictum sit, fore vt Matth. 16.
super ipsum aedificaretur Ecclesia, idque Catholica vt totum, (quia contra Catholicam vt to- Epiphanius. Hieronymus.
tum, portę inferi non praeualebunt, si per *portas inferi*, haereses & sectas intelligimus cum Epi- Chrysostom.
phanio in Anchoratu, cum Hieronymo, Chrysostomo, Euthymio, Theophylacto in com- Euthymius. Theophyla-
mentariis ad hūc locum,) aedificari autem super ipsum nihil aliud esse docuimus, quàm in ra- ctus.
tione aedificandi, hoc est colligendi, pascendi, & regendi Ecclesiam, illum primum atque su- 2.
premum locum habere, necessariò sequitur vt officium pascendi iam ei commissum tale sit, *Portae inferi sunt haereses.*
quale antea fuerat promissum: plenissimum videlicet & supremum. Rursum cùm antea di- *Colligitur am-*
ctum sit à Christo, fore, vt ille *conuersus confirmaret fratres suos*, in fide videlicet, cuius indefe- *plissimam pote-*
ctibilitas ibi soli Petro promissa est; confirmare autem in fide nihil sit aliud, quàm docen- *statem Petro esse* *collatam.*
di & rem dubiam definiendi potestate nutantia corda stabilire, *ne circumferamur omni vento* 3.
to doctrinae: quum fratres denique, de quibus ibi loquitur Christus, erant ipsi Apostoli, pri- Luc 22.
maríque pastores eorum successores; profecto hoc in loco cùm pascere solus Petrus iubetur, Ephes. 4.
non oues vulgariter sed ipsos Pastores; nec tantum communiter pascere sed singulariter & 4.

excellenter regere, quod est fluctuantes confirmare, & in vnitate fidei continere, hæreticósque D exurgentes compescere iubetur. Hæc illi à Christo Saluatore potestas, his verbis cócreditur.

Cauillationes Caluini contra istum locum Pasce oues meas, &c. *refutantur.*

CAPVT XL.

CONTRA hunc locum tam illustrem, tam euidentem, Caluinus duplex argumentum, sed vtrumque leuissimum facit. Primùm, non consequi habere illum potestatem in omnes Ecclesias, qui pascere Christi gregem iubetur. Deinde quòd ipse Petrus ad alios Præsbyteros scribat, *pascite qui in vobis est gregē.* Hinc colligitur, aut nihil præ aliis datum esse Petro, aut Petrum ius quod acceperat
1. Pett. 5. Inst. lib. 4. c. 6. parag 5. cum aliis ex æquo communicasse. Hęc ille. Duo cùm dicat, ad priùs respondetur in quolibet, hic pascit oues Christi, ergo hic habet potestatem in omnes Ecclesias; tamen in Petro ex his verbis hoc in loco firmissime hoc sequi: idque propter varias causas. Primùm propter multiplices illas & illustres circunstantias, quas modo collegimus, & diligenter obseruauimus, his solis verbis proprias. Deinde propter egregium Sāctorum Patrum consensum, qui ex his verbis idem collegerunt & obseruarūt, vt habes suprà. Tertiò, propter praxim ipsam manifestis- E
Cap. 9. simam, tùm Petri tum successorum eius, qui in genere pascendi, supremam hactenus in Ecclesia potestatem exercuerunt: Quod sanè ex parte Petri copiosè, ex parte successorum bre-
Infra cap. 13. & cap. 17. uiter in sequentibus declarabitur. Postremò, etiam illustria facta præcedentia in persona Petri, de quibus in seq. cap. disseremus, idem confirmant. Ista enim omnia, cùm singularem Petro potestatem conferendam euidenter doceant, nec alio loco in vniuerso Euāgelio, Christus hoc fecit, hoc sanè loco illud fecisse indubitatè censendus est. Ad secundam Caluini ratiunculam dicitur, Petrum non aliis ex æquo potestatem pascendi communicasse, cùm iuberet alios pascere, sed quod ei totum incumbebat, in aliorum humeros dispertiisse. Esset autem
Caluini ridicula collectio. planè ridiculum sic colligere quem in modum colligit Caluinus. Rex hunc magistratū constituit iubens eum gladio sontes ferire, leges ciuibus dicere, & similia: ergo huic rex totā suam potestatem ex æquo communicauit. Atque hoc totum est quod contra hunc locum, tam singularem & illustrem disputat Caluinus, qui tamen hac de re, vt de cæteris, omnium ferè hodie protestantum accuratissimè scripsit. Vbi animaduertat Catholicus & cordatus lector, quàm frigidè & perfunctoriè, grauissima ex verbo Dei Catholicorum argumenta dissoluunt: & quàm leuiter, planéque sicco pede maximè illustria Scripturarum loca, quæ contra ipsos in quæstionibus grauissimis proferuntur, pertranseunt protestantes.

Factis quoque illustribus hanc solius Petri futuram Potestatem singularem Christus ostendit. F

CAPVT XII.

SEXTVS gradus est, quòd non solùm verbis amplissimis, sed
" etiam factis illustribus hác futuri capitis in Ecclesia sua po-
" testatem Christus ostendit.
" Quæ nunc ex Euangelio breuiter commemorabimus. Rogatus Christus, vt tanquam paterfamilias didrachma solueret, iubet Petrum capro
Matth. 17. pisce aperire os eius, & staterem quem ibi reperiret, tollere. *Illum, ait, sumēs, da eis pro me & te.*
Petrus magister domus christi, id est, ecclesiæ. A solo patrefamilias & magistro domus solui debebat didrachma. Cū ergo Christus solui iubet etiam pro Petro, profectò Petrū etiam magistrū domus suæ, quæ est Ecclesia, censeri vult.
Hom. 59. in Matth. Sic rem explicat Chrysostomus. *Pro me, inquit, & te. Vidisti honoris excellentiam, quoniam & Petrus primogenitus erat?* Hæc ille. Soluit autē Staterem, id est, *duplex didrachma*, vt exponit Au-
Serm. 6. de verb. apost. gustinus, pro se & pro Petro: quasi in vna familia duo essent capita, subordinata videlicet & subalter-

A & subalterna: sicut in vna ciuitate aut dominio, est Gubernator & est Locumtenens. præterea soluens pro se & pro Petro, pro omnibus qui in familia eius essent soluisse censendus est; docens nos videlicet, quòd post Christum in Petro omnes qui Christi sunt, continentur. Sic Augustinus. *Saluator cùm pro se & Petro dari iubet pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, sic & post Saluatorem in Petro omnes continerentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Hæc ille in quæstionibus ex nouo Testamento. Notat autem præclarè Chrysostomus hom. 59. in Matthæum. *quia ingens hic honor magistro deferebatur, ipso forsan Petro deprecante ne de eo magnifica diceret, Marcus Petri discipulus hoc factum in suo Euangelio prætermisit: negationem tamen Petri non siluit.* Hæc ille. Et sanè tacet quoque Marcus quæ Matth. 16. de dignitate Petri dicuntur, præcedentia tamen & consequentia vbi Petrus Sathan à Christo vocatur, diligenter commemorat. Sic etiam verba illa Luc. 22. & Ioan. 21. quæ de Petri fide & potestate loquuntur, penitus prætermisit Marcus. Notat denique Hieronymus, ex hoc Christi facto præcellentiam Petri suspicatos esse Apostolos. Nam & apud Matthæum statim post verba citata in fine cap. 17. sequitur in principio capitis 18. *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Quis putas maior est in regno cælorum? Quis,* (Inquit Hieronymus) *viderent pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate precij arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: Ideo interrogabant,* (in illa ipsa hora) *Quis maior est in regno cælorum?* Hæc ille in commment. in hunc locum. Neque verò obstat, quòd statim subiicit Hieronymus. *Vides autem Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, &c.* Error enim discipulorum, non in

Quæst. ex nouo testamento. q. 75.

Marcus Petri discipulus tacet ea quæ ad Petri dignitatem faciunt.

Chrysost. Homil. 59. in Matth.

Hieronymus in Commeot. in cap. 18. Matth.

Petrus omnibus prælatus.

B materia prælationis Petri, (vnde Chrysostomus homil. 66. in Matth. *Zebedæi filios præponi quidem se cæteris præterquam Petro sciebant: Petrum verò sibi præferri formidantes, petierunt; vt vnus eorum sederet à dextris Christi, alter à sinistris,* Matth. 20.) sed in desiderio gloriæ fuit: vt ipse Hieronymus ibidem satis explicuit. Nam cùm dixisset, *causas erroris intelligens,* addit: *voluit desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare, & proptereà aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, &c.* Ex hoc ergo Christi facto duo præclara Petri priuilegia animaduertere debemus. Vnum, quòd vicarium Ecclesiæ caput Petrus est & locumtenens Christi: Alterum, quòd in Petro totum Ecclesiæ corpus, tota familia, domus, ouile Christi continetur. Vt propterea sit verè figura totius Ecclesiæ, verè gerat personam totius Ecclesiæ, veréque ab illo, siue per illû, hoc est, illius principali ministerio, ad reliquam omnem Ecclesiam, potestas docendi, doctrináque ipsa deriuetur: vt qui in Petro non sit, nec in Christo esse conuincatur.

Matth. 20.

Huc etiam pertinet, quòd solus Petrus videns Christum super mare ambulantem, *Domine, inquit, si tu es, iube me venire ad te super aquam:* & annuente Christo, *descendens de nauicula, ambulauit super aquas. vt veniret ad Christum.* Hoc totum Marcus cap. 6. prætermittit propter causam quam suprà diximus, cùm tamen totam reliquam historiam narret, cuius occasione Petrus ambulauit super aquas. Quòd enim aquas calcauit solus Petrus, pariter cum Christo, planè significat, quòd omnes hæresum fluct⁹ sola Petri sedes calcabit & superabit, sicuti ipsum Christi nomen idola omnia conteret. Idolis enim succedunt hæreses, vt passim sancti patres notarunt. Idola autem contriuit prima Christi prædicatio. Hæreses profligat Ecclesia. Desi-

Aliud factum. Matth. 14.

1.

Sola Petri sedes omnes hæreses profligabit.

C gnat hoc præterea vniuersam Ecclesiam Petri potestati subiectam fore, qui nô in certa & particulari nauicula, sed super ipsas aquas ad Christum venit, vt docet egregiè D. Bernardus. *Gradiens, inquit, super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi.* Demonstrat denique quandam Petri prærogatiuam nulli veterum sanctorum concessam, vt notat Ambrosius. Nam Moysi quidem Exod. 14. Eliæ & Helisæo 4. Reg. 2. cesserunt quidem aquæ: non autem ipsas aquas illi calcabant: (quod pro singulari excellentia Petri supra Moysen notauit Chrisostomus, Homil. 57. super Matth.) vt ipsis quidem mundus cesserit, non reluctatus fuerit, Petrus autem mundum etiam reluctãtem superauerit. Quod tot, & tantæ paganorum principum persecutiones Sedi Romanæ vel maximè incubantes; tot etiam & tantæ hæreses Rom. Ecclesiæ reluctantes, omnes tamen deuictæ & debellatæ, euidenter docent.

August. de Ciuit. Dei li. 18. cap. 51.

Homil. 48. oper. imperfecti in Matt.

Ciprian. in lib. de vnit. Eccl.

Lib. 2. de consider. ad Eugenium.

Serm. 47.

Matth. 4. & Marci 1.

Rursum etsi Petro cum aliis discipulis dixerat Christus, *faciam vos fieri piscatores hominum,* tamen iterum postea facta ingenti illa captura piscium, quæ tanta erat, vt rumperentur retia, sociisque annuerent qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos, primùm soli Petro dixit Christus; *duc in altum,* hoc est, *in profundum disputationum,* ait Ambrosius: Deinde solus Petrus dixit, *In verbo tuo laxabo rete,* Tertiò solus Petrus visa illa maxima captura, etsi omnes mirarẽtur, *procidit ad genua Iesu, dicẽs, Exi à me Domine quia homo peccator ego sum.* Quartò, soli

2.

Luc. 5.

Lib. 5. cap. 5. in Luc. 1.

3. Petro propter tantam humilitatem & feruorem dixit Christus [etsi cæteri discipuli Ioannes D
Petrus maximus piscator seu Pastor. & Iacobus non minus attoniti essent] *noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.* Quia videlicet
singularis ille piscator & maximus pastor futurus esset. Non quòd ille vnus plures ad fidem
4. conuerteret quàm cæteri, (nam in hoc genere non veretur Paulus dicere: *Abundantius illis omnibus laboraui*) sed quia ille vnus, omnibus ad fidem conuersis, supremus Pastor ac magister
1. Cor. 15. Simeon Metaphrastes. *Petrus per plurimas gentes Episcopos constituit.* futurus, & per plurimas gentes alios piscatores Episcopos atque Præsbyteros ordinaturus esset, vt in Commentario de peregrinatione & rebus gestis Apostolorum Petri & Pauli, copiose, sigillatim, & nominatim commemorat Simeon Metaphrastes. Breuiter quoque & succinctè Dorotheus in Sinopsi. Quem commentarium vide apud Surium in vitis Patrum; ad diem
Ioan. 21. Suprà cap. 10. Apostolorum Petri & Pauli. Eandem denique piscandi seu pascēdi plenitudinem, alio illustri facto demonstrauit Christus, eo ipso tempore quo hanc illi potestatem de facto contulit, vt suprà est declaratum.

Quòd Petrus hanc Supremam Potestatem exercuit.
CAPVT XIII.

SEPTIMVS gradus est, quòd hunc Primatum Petrus exercuit.
Act. 1. Hom. 3. in Acta Apostolorum. Id quidem multis argumentis ex Actis Apostolicis ostendi posset. Sed quàm breuissimè præcipua notabimus. Petrus proponit faciendam surrogationem E
noui Apostoli in locum Iudæ Iscariotis. Quod factum exponēs Chrysostomus, *vide,* inquit, *feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est, & vbique primus omnium incipit loqui?* Postea laudat Petrum quòd agat omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua: potuisse eum tamen vel solum, Apostolum surrogare apertè asserit. *Quid,* inquit, *An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari,* Deinde laudat aliorum discipulorum modestiā. *Considera,* inquit, *quo pacto concedunt ei Solium* (id est primatum) *nec amplius ambigunt disceptantes inter sese:* scilicet vt olim conuersante cum illis Christo faciebant, quærentes *quis futurus esset eorū maior.* Nec dissimiliter idem Chrysostomus in commentariis in Matthæum. *Discipuli,* inquit, *cùm nondum spiritus gratia corroborati essent, facilè commoti sunt circa prælationem condiscipulorū,* [vt Matth. 17. & 20. item Luc. 22.] *gratia verò accepta tales non fuerunt, sed vbique Primatum Petro præbent.* Hæc ille. Nihil potuit apertiùs dici. Rursum Petrus primum omniū concionatur pœnitentiam Iudæis, & *Ecclesiam Christi actu incepit,* vt notauit Ambrosius & post eū Euthymius in Matth. cap. 16. Quo etiam pertinet quòd Antiochiæ, primùm Christiani nominati sunt, *fundatore Petro,* vt in Epist. ad Magnesianos scribit Ignatius, vbi etiam Cathedram Episcopalem tenuit Petrus, vt omnes passim historiæ testantur. Huc etiam pertinet quòd primū Hierosolymorum episcopum (vbi prima fuit Christianorum ecclesia,) Iacobum scilicet Petrus constituit & ordinauit, vt insinuat Eusebius hist. Eccl. lib. 2. cap. 1. & disertè attestatur Chrysostomus Homil. 87. in Ioan. Hoc est autem insigne ipsius primatus seu primarij fundamenti in ædificanda Ecclesia argumentum. *Alind enim est* [vt doctè notat Chrysostomus] *ostiū clausum recludere, & negotio principium dare,* (quod Petrus fecit) *aliud post deinceps confidenter agere:* vt cæteri Apostoli atque Apostolorum successores fecerunt. Et supra ostendimus ad fundamenti rationem pertinere, vt in ædificio sit primum. Sed ad alia. Petrus primum miraculum facit, sanādo claudum pedibus, quod & notauit Ambrosius, nec sine mysterio esse docuit. *Si Petrus,* inquit, *Petra est super quam ædificatur Ecclesia, rectè primus pedes sanat; vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* Hæc ille. Solus Petrus respondet principibus & sacerdotibus, & suam sociorúmque prædicationem defendit, tanquam caput & princeps cæterorum. Nam in facultate dicendi cæteris omnibus tudior erat, vt notauit Chrysostomus Homilia 51. in Matthæum. Solus Petrus (quod de nemine vnquam Apostolorum legimus) in Anania & Sapphira, & cogitationes ipsas penetrauit, & morti verbo adiudicauit. Vtrumque planè diuinæ potestatis fuit, *maximúmque argumentum* [ait Gregorius magnus] *quanta potentia supra cæteros excreuisset.* Hinc etiam ad solam vmbram Petri sanati sunt ægri. Quæ omnia pariter connectens Chrysostomus, inde certissimum Petri primatum colligit his verbis. *Vide vbique Petrum circumcursare, & primum inueniri. Quando eligendus Apostolus, hic primus. Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ aliis est. Quando agendum contra principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat.* F
Et vbi

Marginal notes: *Nota iudicium Chrysostomi.* Lucæ 22. Hom. 51. in Matth. *Illustre Chrysostomi testimoniū de primatu Petri.* Act. 2. *Petrus Ecclesiam inchoauit.* Serm. 47. Act. 3. In comm. ad cap. 2. ad Gal. Act. 4. *Petrus respondet pro cæteris.* Act. 5. Serm. 68. *Petrus primum miraculū facit, Petrus penetrat cogitationes & morti adiudicat.* Lib. 1. epist. 24. Act. 5. Hom. 21. in Acta Apostolorum. *Chrysostomus primatum Petri demonstrat.*

A *Et vbi quidem erat periculum hic, & vbi moderatio*: id est, vbi authoritate opus erat. *Vbi autem*
tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem. Hæc hactenus
Chrysostomus, Petri principatum diligenter contra modernos hæreticos describens, vtcun-
que homo græcus esset, & Constantinopolitanæ vrbis, quæ noua Roma dicebatur, erátque
veteris Romæ æmula, Patriarcha. Sed ad hanc præterea singularem Petri potestatem decla- *Petrus primum Archihæreticū*
randam pertinet, quòd is primum archihæreticum Simonem Magum excommunicauit, & *excōmunicauit*
eundem publicè Romę deuicit, vt refert Ambrosius serm. 66. S. Maximus hom. 5. in nat. Apo- *& publicè deuicit.*
stol. Petri & Pauli, Egesippus lib. 3. cap. 2. de Excidio Hierosolymitano, Hieronymus in cata- Act. 8.
logo de viris illustribus, Simeon Metaphrastes in commentar. præallegato, & ex opinione plu-
rimorum August. Epist. 86. Item, quòd is primus diuinitus per visionem reuelatum accepit,
gentibus esse prædicandum Euangelium. Nam & ideo primus ille gentes baptisauit, primúsque gentium magister & doctor fuit. Denique, quòd in Concilio Apostolorum primus lo- Act. 10.
quitur, & disertè profitetur, quòd iam *à diebus antiquis elegit in ipsis Deus, vt per os eius audirent* Act. 15.
gentes verbum Euangelij. Quin & illo sententiam definitiuam dicente, *tacuit omnis multitudo.*
Propter hoc enim factum, scribit Theodoretus *Paulum ad magnum Petrum cucurrisse, vt iis qui*
Antiochiæ circa legalia contendebant, ab ipso afferret solutionem, in Epistol. ad Leonem papam,
commentariis eius in Epist. ad Rom. præfixa. Obserua autem in his tribus iam postremò no- *Petrus tria præcipua supremi*
tatis, tria præcipua supremi pastoris officia Petrum exercuisse. Archihæreticum solus con- *Pastoris officia*
demnauit. Dubium dogma & totius Euangelicæ prædicationis exordium, solus & primus *exercuit.*
Ecclesiæ publicauit, à Deo immediatè doctus. In Concilio, primus ex omnibus loquitur, cō- 1.
cludit, & præsidet, vt postea plenius declarabitur. Postremò, huc pertinet, quòd Paulus Apo- 2.
B stolus *post annos tres prædicationis suæ venit Hierosolymam videre Petrum.* Hoc enim fecit *honoris* 3.
deferendi causa, ait Hieronymus in comment. ibidem, & Epist. 11. ad August. *Tantæ*, inquit,
Authoritatis Petrus fuit, vt Paulus scripserit; Deinde post annos tres, &c. Chrysostomus verò, *quia*
os, inquit, *Apostolorum Petrus erat, princeps & vertex ipsius cœtus, propterea Paulus ascendit eum* *Quare ascendit*
videre præ aliis. Quia dignum erat (ait Ambrosius in commentariis ad hunc locum) *vt cuperet vi-* *Paulus videre Petrum.*
dere Petrum, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. Quod etiam *ex officio & iure* eiusdem Ad Galat. 1.
fidei & prædicationis *eum fecisse*, scribit Tertul. in præscript. id est, vt ostenderet se eandem Hieronymus.
cum Petro fidem prædicare & docere. Nec aliter Theodoretus. *Principi*, inquit, *Apostolorum* Chrisostom°. Homil. 87. in
quem par erat, honorem tribuit. Hinc videlicet non dubitat D. Gregorius Apostolum Paulum Ioan.
minorem fratrem appellare. D. quoque Augustinus *Petro posteriorem*: & dicere, *primatum Apo-* Ambrosius.
stolorum in ipso Petro excellenti gratia præeminere. Postremò, tanta fuit Petri præter cæteros om- Tertullianus. Theodoret°.
nes per orbem celebritas, vt finxerint pagani versus quosdam quasi idoli cuiusdam oraculum Hom. 18. in Ezechielem.
in quibus diceretur, *innocentem quidem fuisse Christum, Petrum autem Magum & maleficum orbi* *Paulus minor*
imposuisse, & per maleficia fecisse vt coleretur Christi nomen, sicut commemorat Augustinus, in *frater & Petro posterior.*
opere de Ciuitate Dei. Ipsum quoque Christum ad Petrum & Paulum nescio quæ Epistola- De Bapt. cōtra Donat. li.
ri titulo scripsisse, vt idem Augustinus commemorat. Sanè quum vterque & Petrus & Paulus 2. cap. 1.
Romæ eodem die, pro fide & prædicatione Euangelij martyrium paterentur, sub Nerone *Petri apud gentes Paganorum*
persecutore crudelissimo, Paulum quidem & extra vrbem via Ostiensi, & vulgari supplicio, *celebritas.*
gladio videlicet, è medio tolli Nero iussit. Quo sanè mortis genere tum vulgus malefactorum lib. 18. cap. 53.
C tum maximè christianorum, affici solebat, vt exempla innumera demonstrant. Sic eodem de consensu
tempore Processus & Martinianus custodes carceris in quo Apostoli illi asseruabantur, extra euang. lib. 1.
vrbem via Aurelia securi feriuntur. At verò Petrus tanquam maximus & præcipuus seductor, cap. 10.
Neronis iudicio, tùm in loco celeberrimo, monte Vaticano, vbi tunc circus Neronis fuerat,
tum supplicio maximè ignominioso & aspero, crucis videlicet, martyrium subiit. Adeò sanè
inter Christianos receptum & notissimum erat, Petrum Christianorum caput fuisse, vt nec
hoc infideles ipsi ignorarent, ideóque in vnum illum maximè sæuirent: Imperator suppliciis,
populus maledictis, & calumniis, vt iam ex Augustino commemorauimus.

Argumenta Caluini contra Petri prærogatiuam ex rebus gestis, confutantur.

CAPVT XIIII.

A *satisfactionem omni poscenti eum rationem de ea quæ in ipso est spe & fide cum modestia*, vt ipsemet Petrus docuit. Si hoc Petri primatum lædit, quòd sic modestè ageret, nec vllus erit cæteris prælatus pastor: siquidem omnium Pastorum hoc officium est. Sed ad hoc Petri factum respondit olim Grego. Magnus. *Petrus ille*, inquit, *Apostolorum primus*, *&c. querelæ fidelium non ex potestate sed ex ratione respondit. Si enim cùm à fidelibus culparetur, authoritatem quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset; respondere sic poterat, vt Pastorem suum oues quæ ei commissæ fuerãt reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset.* Hæc ille. Vides vt ex eodem Petri facto mel Gregorius, venenum sugerit Caluinus. Videntur isti protestantes eo animo esse, præesse in Ecclesia neminem posse, nisi qui ingenti cum fastu & ambitione prælit. Quod sanè in nostræ Angliæ pseudoepiscopis verissimum esse, tum viginti iam fere annorum experientia docuit, tum eorum hac in re æmuli Puritani acerbissimè conqueruntur; nec aliam magis ob causam ab illis sese segregarunt.

Epist. 1. cap 5. Li. 9. epist. 39. Petri Authoritas si attēdatur reprehendi a nemine potest.

Sequitur adhuc in Caluino. *Iussus à collegis ire in Samariam, non detrectat. Quòd eum mittunt Apostoli, eò declarant se eum minimè habere pro superiore: quòd obsequitur & legationem sibi mandatam suscipit, eò fatetur sibi cum illis esse societatem, non aduersus illos imperium.* Hæc ille. Respondetur mitti sæpenumero & decanos à suis collegis, & principem Senatus à toto Senatu, nec tamen propterea consequi, vt non sit collegio suo decanus aut Senatu princeps superior, nisi forte etiam propter hoc factum Apostoli quoque esse desierint. Neque enim plus potest par parem ex authoritate mittere, quàm inferior superiorem. Docet quoque vera Theologia non B esse semper missum mittente inferiorem. Nam filius mittitur non solum à patre, à quo quidē est, licet illo minor nō sit, sed etiam à Spiritu sancto, à quo non est: vt docent concorditer scholastici ad primum sentent. distinct. 15. & demonstrat Sanct. Thomas prima parte quæstio. 43. articu. 8. ex Augustini doctrina lib. 2. capite 5. de Trinitate. Nec tamen bene colligunt Arriani filium propterea esse minorem patre. Quia mitti ab alio, minorem non facit, nisi qui mittit vel ex imperio vt maior, vel consilio, vt sapientior mittat, sicuti solerter docet Sanct. Thomas dicta quæst. Art. 1. ad primum. Quo in genere Petrus hic ab Apostolis missus fuisse non dicitur. Neque nos imperium aduersus Ecclesiam (vt cauillator Caluinus loquitur,) in Petro defendimus; sed authoritatem in & super Ecclesiam, idque propter summum bonum Ecclesiæ, pacem videlicet & vnitatem conseruandam. Nisi forte putent Caluinistæ, imperium omnes aduersum Ecclesiam habere, quotquot Ecclesiæ præsunt.

4. Argumentū. De missione Petri in Samariā.

Missus non est semper mittente inferior.

Addit Caluinus. *Quòd si nihil horum extaret, vna tamen Epistola ad Galatas omnium dubitationem eximere facile potest, vbi duobus fere capitibus nihil aliud contendit Paulus, quàm se honore Apostolatus Petro esse parem.* Respondetur hoc nos libenter concedere, quòd in honore Apostolatus non solùm Paulus, sed & omnes Apostoli Petro fuerint pares; sed ita vt suprà explicatum est.

5. Argumētum.

Suprà cap. 7.

Cæterum probationes Caluini ex dicta Epistola expendamus. *Hinc*, inquit, *commemorat se ad Petrum venisse, non vt subiectionem profiteretur, sed tantum vt testatam faceret omnibus doctrinæ consensionem.* Respondetur. Iam antè ostensum est ex Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio, C Chrysostomo, Theodoreto, eum ad Petrum non hac solùm ex causa, sed etiam *honoris causa tanquam ad principem cæterorum venisse.* Hos sanctissimos patres & antiquissimos, vni nouitio & temerario Caluino præponimus.

6. Argumen. Ad Gal. 1.

Suprà ca. preced.

Addit præterea Caluinus. *Affirmat Paulus ad Gal. 2. sibi non minorem gratiam collatam esse inter gentes quã Petro inter Iudæos.* Quod ad Apostolicum prædicandi munus attinet, concedimus. Hoc tamen illustre inter Petrum & Paulum discrimen est, quòd Paulus quidem gentiū Apostolus & Doctor fuit, Petrus verò, tum gentium tum etiam Iudæorum Apostolus, vtrorúmque etiam primus Apostolus & magister, vt suprà de gentibus ostensum est, de Iudæis in confesso est. Denique hoc ipsum quòd se Petro Paulus comparat, ad Petri dignitatem pertinet. Docet hoc Ambrosius in commentariis ad hunc locum. *Petrum*, inquit, *solum nominat & sibi comparat, quia Primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam* (nota quòd indefinitè loquitur & vniuersam intelligit: deinde addit) *se quoque pari modo electum; vt primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis* (hic Paulo primatum etiam dat, sed determinatum in gentium Ecclesiis, non ad totam tum ex Iudæis tum ex gentibus Ecclesiam extensum: verùm ne Petrum inde excludere videretur, addit) *ita tamen vt & Petrus gentibus prædicaret.* Hæc ille. Petrum enim *elegit Deus, vt per os eius audirent gentes verbum Euāgelij & crederent*, quum Paulus adhuc

7. Argum.

Soli Petro tanquàm omnium maximo confert se Paulus.

Ambros. in commentar.

Act. 15. Chrysostomus.

Suprem⁹ omniū Petrus.

Saulus esset. Sic & Chrysostomus. *Iam se cæteris honore parem ostendit: nec se reliquit illu, sed ipsi summo ac Supremo omnium Petro comparat: declarans quòd horum vnusquisq; parem sortitus sit dignitatem.* Hæc ille in comment. ibidem. Intellige autem in officio Apostolatus parem: vt ante explicatum est. D

8. *Argum.*

De reprehensione Petri.

Stabilitati fidei nihil derogat.

Tertullianus. ad Gal. 2.

Sequitur in Caluino. *Denique cùm minus fideliter ageret Petrus, fuisse à Paulo correctum & reprehensum paruisse. Hæc omnia palam faciunt aut fuisse æqualitatem inter Paulum & Petrum, aut certe nihil plus potestatis fuisse Petro in reliquos, quàm ipsi in illum habuerunt.* Hæc ibi Caluinus. Respondemus reprænhensionem hanc Petri nihil eius vel authoritati vel stabilitati fidei præiudicasse, sed modestiam pastoralem plurimùm commendasse. Stabilitati fidei nihil detraxit, quia vt optimè distinxit Tertullianus in lib. de præscriptio. *si verè reprehensus est Petrus, vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis.* Hæc ille. Et Apostolus ipse non errorem Petri sed *simulationem* arguit: nec non credidisse secundum veritatem *sed non ambulasse*, id est, non conuersatum fuisse *secundum veritatem euangelij* scribit. Denique Augustinus, qui verè reprehensum Petrum, mordicus tenet, fatetur tamen disertè, *in eadem sententia fuisse tum Petrum, in qua & Paulus fuit, sed nō idem publicè & apertè tùm profiteri voluisse.* Quod ad authoritatem attinet, obseruauit hic Petrus, quòd Saluator eum disertè præmonuit, eo tempore quo illi dixerat, *Tu conuersus confirma fratres tuos.* Scilicet. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor.* Maior enim cùm esset, reprehendi tamen se passus est, sicut minor. Notauerunt hoc in eo sancti patres. Cyprianus in epistola ad Quintum fratrem. *Nec*, inquit, *Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cùm Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, vt diceret se Primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quòd persecutor Ecclesiæ fuisset*, & cætera. Duo hic notat modestiæ argumenta in Petro Cyprianus. Alterum quòd primatum sibi insolenter non vindicauit; alterum quòd Paulum & persecutorem non despexit. Sicut ergo verum est Paulum persecutorem fuisse, ideóque si eum hoc nomine despexisset Petrus, iniustè quidem, vera tamen ex causa fecisset; sic verum est Petrum primatum habuisse, licet eo iniustè aut superbè abuti hoc loco noluit. Cypriani sententiam confirmat Augustinus. Seipsum enim excusare volens, quòd à sancti martyris Cypriani sententia recedat; eámque confutare conetur, exemplum hoc Paulinæ reprænhensionis inducit. *Apostolus*, inquit, *Petrus in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, à posteriori Apostolo Paulo correctus est.* Item in epistola decimanona ad Hieronym. *Est laus*, inquit, *iustæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.* Rursum in expositione epistolæ ad Galatas. *Firmitas & Charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, Amas me? Pasce oues meas, Obiurgationem posterioris pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat. Nā erat qui obiurgabatur, ipso obiurgatore suo admirabilior & ad imitandum difficilior. Facilius enim est videre quid in alio corrigas, atque id obiurgando corrigere, quàm videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi vel per te ipsum, nedum per alium: adde posteriorem: adde coram hominibus. valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplū, quæ maxima est Disciplina Christiana.* Hæc ille. Idem humilitatis exemplum in Petro, hoc loco commendans Gregorius Magnus factum hoc esse ideo dicit, *quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.* Et paulò post. *Ecce à minore suo reprehenditur & reprehendi non dedignatur: nec ad memoriam reuocat, quòd primus ad Apostolatum vocatus sit.* Hæc ille. Ambrosius verò tam longè abest vt æqualitatem cæterorum cum Petro hinc colligat, vt notet solum Paulum hoc audere potuisse, neminem autem cęterorum. *Quis*, inquit, *cæterorum auderet Petro primo Apostolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis vt Paulus?* Hæc ille in commentariis ibidem. Vt altera responsio sit, solum Paulum qui & Apostolus fuit, & à Christo immediatè vocatus, Petrum redarguere potuisse. Quare ex horum patrum sententia, nihil hic Petri authoritati derogatur, sed eius modestia plurimùm commendatur. Atque isti etiam patres ex illis sunt qui vero vultu & meritò reprehensum hic à Paulo Petrum existimant.

Epist. 19. ad Hieron.

Luc. 22.

Authoritati Petri nihil derogat quòd reprehensus fuerit.

Cyprianus. E

Augustinus.

Laudatur modestia Petri reprahensi.

De Baptism. contr. Donatist lib. 2 ca. 1.

Gregorius Magnus Homil. 18. in Ezechielem.

Ambrosius. F

Solus Paulus potuit Petrum reprahendere.

Chrysostomus.

Nam alij patres, vt Hieronymus, Chrysostomus, Origenes, qui per dispensationem non verè reprehensum hic Petrum scribunt, multo maiorem in Petro humilitatem hoc loco admirantur. Paulus (ait Chrysostomus) *obiurgat & Petrus sustinet, vt dum magister obiurgatus obticescit, facillimè discipuli mutarent sententiam.* Hæc ille in commentariis ibidem. Similiter Hieronymus. *Non ausus fuisset Paulus Apostolorum maximum, in publico, tam procaciter, tam constanter arguere, nisi & Petro sic placuisset argui.* Hæc ille in commentariis ibidem. Nemo verò cum nostris hodie hæreticis, aliquid propter

Hieronymus.

hæc ver-

A hæc verba, Petri potestati aut authoritati primariæ decedere docet. Nihil ergo leues istæ coniecturæ à Caluino congestæ, Primatui Petri præiudicant, quem tot, & tantis, támque manifestis argumentis, antea comprobauimus.

Quòd hic Primatus Petri transiit ad suos successores, multis rationibus luculenter ostenditur.

CAPVT XV.

OCTAVVS gradus est, quòd hic Primatus in Petri persona non desiit, sicut in cæteris Apostolis Apostolatus dignitas, sed per Petrum transiit ad ipsius successores, eósque Rom. pontifices.

Huius autem rei probationes multæ, eædemque efficacissimæ afferri possunt. Primùm Petrus à Christo pastor ouium suarum institutus est. Pastor verò significat ordinarium rectorem ouium, & sine quo ouile non est. [Ioan. 21.] [*Prima ratio ab officio pastorali.*] Alia enim officiorum nomina, vt Apostolorum, prophetarum, euangelistarum, doctorum, extraordinariam quandam regendi potestatem notant, certis temporibus aut personis, necessariam vel congruam, non semper. Nam in ipsa prima promulgatione euangelij Apostolis opus erat immediatè à Deo missis: tùm quia [*Apostoli.*] B ordinaria missio nondum instituta fuerat, tùm quia vbique terrarũ cum plena potestate mittendi erant. Euangelistis opus erat, partim vt scriberetur historia euangelica, partim vt ad augendas initio Ecclesias, passim & nullo certo loco astricti verbum Dei prædicarẽt, quales diu in Ecclesia fuisse notat Eusebius: & de quo genere Apostolus ait. *Opus fac euangelistæ.* [*Euangelistæ.*] [Lib. 5. cap. 10. Histor. ecclel.] [2. Tim 4.] Prophetis siue reuelantibus futura, siue *interpretantibus mystica* & obscura quę per donum linguarum in Ecclesia dicebantur, aliisque donis, seu miraculis, ad commendationem verbi in exordio opus erat. [*Prophetæ.*] Doctores ad certa munera, & circa aliquas difficultates aut causas, certis temporibus ac locis, maximè grassante hæresi, sunt necessarij. [*Doctores.*] Solus pastor, quia Ecclesia ouile est, perpetui officij nomen est, quo carere Ecclesia nunquam & nusquam potest. [*Pastores.*] Hinc Christus seipsum *Pastorem* vocat, & describit diligenter officium boni pastoris, distinguens eum à mercenario & latrone. [Ioan. 10.] Denique futurum dicit, *vt sit vnum ouile atque vnus pastor*, vna scilicet Ecclesia, & vnum Caput. Quæ autem sunt ordinaria, illa per successionem perpetua sunt, manente, huiusmodi potestatis obiecto. Cùm ergo solus Petrus, omnium ouium Christi pastor supremus fuerit à Christo institutus, nec vnquam desinant esse oues Christi, debet necessariò aliquis semper illarum ouium pastor esse, Petri successor. Sicut enim alij pastores, quia certa est in scripturis eorum vocatio, & potestas, habent propterea certos semper successores, ita & summus pastor Petrus sic in scripturis vocatus, imò magis singulariter expressè & euidenter vocatus & constitutus, necessariò habere debet successorem summum pastorem. Quam C sane ob causam disertis verbis Chrysostomus ait, *Christum ouium suarum curam, tùm Petro, tùm Petri successoribus commisisse.* [Lib. 2 de Sacerdotio.]

Secundò, Petro nominatim tota pascendi cura semel commissa est, cæteris Apostolis aut discipulis non nominatim, sed in genere: nec tota pascendi ratio, sed certæ regiminis partes: nec simul & semel, sed variis temporibus ac locis commissæ sunt, verbi gratia. [*Secunda ratio, quia nominatim vni tota potestas pariter commissa est.*] Potestas ligandi & soluendi Ioan. 20. Potestas prædicandi & baptizandi Matthæi vltimo. Potestas faciendi Corpus Domini Lucæ 22. aliaque aliis in locis, per partes & indeterminatè quoad personas. Hæc itaque officia omnia quoad res ipsas, in Ecclesia quidem manent, sed nec locis nec personis determinata. Successio autem omnis vel locorum est, vel certè personarum. Quia ergo Petro nominatim & in persona, tùm promissa, tùm confirmata, tùm variis & illustribus Christi factis designata & significata, tùm denique reuera collata hæc tota & vniuersa potestas est; nõ solùm potestatis, sed & personæ successio & continuatio necessaria est. Sic in Synagoga quia cum tribu Leui nominatim pactum inierat Deus, in posteris quoque Leuiticæ tribus, sacerdotalis successio perpetuò seruata est. [Num. 18. & Malach. 2.]

Tertiò, quia Petri fides in persona non priuata sed publica, quatenus videlicet fratres suos confirmandi vim haberet, stabilita est à Christo vt non deficiat, debet profectò semper talis publica persona esse, cuius fides in confirmanda Ecclesia non deficiat. [*Tertia ratio, quia Petro vt publicæ personæ stabilitas fidei data est.*] Siquidem semper hac Confirmatione Ecclesia indiget: nec certò & infallibiliter

confirmari, nisi ab eo cui Christus confirmandi potestatem dedit, potest. Debet quoque illa D persona necessariò Petro succedere, quia aliter de legitimæ personæ potestate non constabit, cessante iam omni vocatione extraordinaria.

Quartò quia semper est Ecclesia ædificanda (nam *portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*) & illa super Petri personam in fide roboratam (Christo sic ordinante, & suam Ecclesiam perpetuò ædificante) ædificanda est, debet semper aliquis talis Petrus, esse, super quem ædificetur id est, cuius authoritate propagetur & tegatur Ecclesia Sed is non est nisi qui Petri loco sedet, hac propagatione & successione spirituali, factus Petri filius & hæres legitimus.

Quinta ratio, ex fine constituti à Christo capitis.

Quintò quia eadem ratio propter quam factus est Petrus Caput Apostolorum, etiam multo magis vrget, vt semper in Ecclesia per successionem tale Caput existat. Nempe causa tunc vnius capitis fuit conseruatio vnitatis. *Propterea* (ait Hieronymus) *inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Vna est* (ait Optatus libro secundo) *singularis cathedra in qua prior sedit Petrus, vt in illa vnitas ab omnibus seruaretur.* Tantundem & Cyprianus. *Hoc fuerunt cæteri Apostoli, quod & Petrus, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt vna Ecclesia monstretur.* Quòd si ergo vt vnitas in Apostolis seruaretur, Capite opus fuit, qui tamen *primitias spiritus* & gratiæ habentes ab ea facile non exciderunt, multo magis in reliqua tota Ecclesia per vniuersum orbem diffusa, ad seruandam vnitatem opus est vno Capite. Imò dubitari nō debet Apostolos sic confirmatos in fide & gratia fuisse, vt tali capite opus ipsi pro suis personis non haberent, nec periculo schismatis obnoxij essent. Tamen vt forma & exemplum essent futuræ Ecclesiæ, singulari Dei prouidentia in ipsis Apostolis hoc factum est. Simile est in tota tatione fidei Christianæ addiscendæ. Etsi enim multi sic ingenio valeant, vt absque magistris & catechistis, *diuina secreta certa ratione capere valeant* (qualem suum Honoratū fuisse Augustinus supponit) *tamen*, inquit, August. *fide quoque & illi ducendi sunt: quia & si facto sibi nihil noceant, nocebunt tamen exēplo cæteris. Sicuti etiam si qui volare possent, tamen ne cui esset periculo exemplum, paulisper cogantur incedere, qua etiam cæteris tutum est. Hæc est prouidētia veræ religionis.* Hæc ille. Sic Apostoli etiam si capite carere potuerunt, tamen vt exemplo essent cæteris, sub vno capite fuerunt. Et hoc est quod notauit Cyprianus; *etsi pari consortio præditi essent omnes honoris & potestatis*, Apostolicæ videlicet in qua omnes pariter confirmati erant, *tamen vt vna Ecclesia monstretur, id est*, vt vnitas conseruaretur, quæ sine vno capite non conseruatur, *exordium ab vnitate proficiscitur*, id est, principium honoris & potestatis ad alios omnes, ab vno Petro deriuatur. Quod aliis verbis dixit idem Cyprianus, quum Petri Cathedram, *Cathedram principalem* vocaret, *vnde vnitas sacerdotalis exorta est.* Necnon & Magnus ille Leo. *Petro singulariter potestas datur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur.* Et iterum ibidem. *Ita diuinæ gratiæ ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Ex hac ergo ordinata non confusa, & ab vno non à multis incipiente, ac promanāte diuina gratia, vnum Caput in Ecclesia perpetuò continuatur. De quo etiam vno capite Magnus ille Leo hunc in modum luculentissimè scribit, *Sacerdotum quum sit dignitas communis, non est tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudinem honoris fuit quædam discretio potestatis: & quum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma & Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est,* F *ne omnes sibi omnia vendicarent: sed essent in singulis prouincijs quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidem in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret; & nihil vsquam à suo Capite dissideret.* Hæc ille epist. 82. ad Anastasium Thessalonicensem episcopum.

Lib. 1. contra Iouinianum.
Causa vnius capitis est conseruatio vnitatis.
Optatus.
Cyprianus In li. de vnit. eccl.
Rom. 8.
Petrus caput Apostolorū propter formam Ecclesiæ futuræ.
De vtil. credendi, cap. 10.
In li. de vnit. Eccles.
Vna ecclesia in vno capite.
Lib 1. epist 3.
Sermo. 2o. in Natali Apostolo.
Ordo diuinæ gratiæ.

Sexta ratio.

Debet esse in Ecclesia vnum caput ministeriale.
Cant. 6.
1 cor. 12 & ad Rom. 12.
Omnis rerū natura ab vno & principio & medio depēdet.
Lib. 6. cap. 9. & lib. 12. c. 7.

Sextò, euidens ratio ostendit necessarium esse Ecclesiæ Christi vnum caput ministeriale, si quidem ordo in rebus aliis omnibus obseruatus, in Ecclesiæ corpore locum habere necessariò debeat. De quo nemo ambigere potest, qui Ecclesiæ dignitatem atque decorem ante oculos ponat, siue illud Salomonis, *pulchra es amica mea, &c. terribilis vt castrorum acies ordinata*: siue illam Apostoli comparationem Capitis & membrorum cum Ecclesia quæ Christi corpus est, siue denique Dei prouidentiam & Christi in Ecclesiam suam amorem & curam diligenter perpendat. Sicut ergo in omni rerum natura, omnis multitudo recipit influxum à primo agente, sed mediante aliquo vno; vt orbes cælestes mouentur à prima causa, mediante primo mobili; lucida omnia mediante sole, illuminantur ab eadem prima causa; calida item omnia mediante igne, ab eadem causa calefiunt; sensus denique & potentiæ omnes mediante vna anima, ab eadem prima causa operationes suas accipiunt; (vnde etiam *ipsa anima* dicitur *caput hominis* apud Augustinum de Trinitate) sic multitudo fidelium à Christo mediante vno Pastore

A store Supremo influxum accipit. Christus enim sic caput est Ecclesiæ, vt Deus omnium rerũ est principium & causa, quod tamen immediatas & proximas causas non excludit, sed quia *omnia disponit suauiter*, & causalitatis dignitatem creaturis communicat, planè includit. Cùm enim Deo soli hoc proprium esset, esse Ecclesiæ caput, quod ad primum illum & generalem influxum pertinet; tamen Christo homini hoc datum est, propter meritum passionis suæ, vt ipse esset quoque Caput Ecclesiæ, non ministeriale sed primarium & vitale, quod ad Colossenses secundo & ad Ephesios primo & quarto capite Apostolus demonstrat, dicens. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius*, quia videlicet *in ipso repleti sumus*, vt ad Coloss. 2. dicitur. Denique hoc ad Christi regnum pertinet, de quo iam aliàs disputauimus non semel. Sicut ergo singulis populis singula capita non ideo excluduntur, quia Christus caput est; sic nec toti corpori vnum suum caput propterea negatur. Sed contrà, vt seruetur ordo hoc corpore & multitudine dignus, nec minus in Ecclesia quàm in alia quacunque multitudine, aut rerum specie recipiatur influxus à primo agente, medianre aliquo vno; necessariò vnum caput vicarium includitur, quod à Deo, mediante Christo, toti corpori præficitur.

Christus caput Ecclesiæ vitale, Petrus ministeriale.

Lib. 2. cap. 6.
Lib. 3. ca. 1. & lib. 5. cap. 7.

Septimò quia habuit Synagoga vnum perpetuò summum pontificem, non tam ratione figuræ, quàm vi argumenti à minore ad maius, debuit Ecclesia Christi eiusmodi Caput perpetuò habere. Lege hac de re Melchiorem Canum in loc. Theolog. & Albertum Pighium in Hierarchia Ecclesiastica. Caluinus duplici cauillo hãc ratione eludere conatur. Primò quia in B vna gente cõmodum & conueniens id quidem fuit, sed in toto orbe locum habere nõ potest. Cui cauillationi paulò pòst respondebitur. Sed ad probationem hic subiungit Caluinus. *Perinde enim hoc est ac si quis cõtendat totum mundum à præfecto vno debere regi quia ager vnus vni Domino paret.* Cui breuissimè respondetur, totum mundum à præfecto vno propterea non regi; quia nec necessaria, nec conueniens, nec fere possibilis est, vniuerso orbi eadem politia ciuilis. Non necessaria, quia nec regiminis nec legum vniformitas est omnibus gentibus necessaria. Nõ regiminis, quia siue sub Aristocratia, siue Democratia, siue sub Oligarchia, siue deniq; sub Monarchia; gubernari ciuiliter, iustè, & pacificè, vna quælibet regio potest. Non legum, quia pax & societas humana varus & diuersis legibus institui & conseruari commodè, honestè, ac vtiliter potest. Nec conueniens nec possibilis est: quia varij & diuersissimi hominum mores & ingenia variam regiminis & legum formam necessariò requirunt, pro locorum, affectionum, & consuetudinum humanarum varietate. At in Ecclesia Christi, vnitas fidei, sacramentorum & doctrinæ vniformitas, non solum possibilis ac cõueniens, sed & summè necessaria est; quod nec ipsi aduersarij (opinor) negant. De qua tamen re lege Augustinum in libro de vera religione.

Septima ratio.

Lib. 6. cap 3.
Propos 3.
Lib. 2. cap 3.
Caluini cauillationes diluuntur.
cap seq.
Instit. li. 4. c. 6.
Totum mũdum vni Domino tẽporali subiici nec necessarium, nec conueniens, & vix possibile est.
cap. 5. & 25.

Altera cauillatio est, *quia ille summus pontifex in veteri lege solius Christi figura erat. Non enim in doctrina modo sed in propitiatione Dei quæ per mortem Christi facta est, consistit hoc sacerdotiũ.* Hęc Caluinus. Respondetur, vicarium Christi in vtroq; à Christo potestatem accepisse, & docendi & propitiandi Deum, commemorando mortem Christi, & faciendo quod Christus in cœna fecit, quia *hæc est illa sola cõmemoratio, quæ propitium facit Deum*, ait Origenes. Sed quia per- C negant hoc aduersarij, & alterius controuersiæ est, iterum respondetur hac ratione etiam singularum parœciarum pastores ac Diœcesum Episcopos excludi. Neque enim illi (per Caluinum & suos) hanc propitiandi Deum potestatem acceperunt; ideóque nec docendi. Vtrunq; enim coniungi caluinus vult. Sed non videt cæcus hæreticus, vt vno per ipsum absurdo dato infinita sequantur.

1.
Homil. 13. in Leuit.
2.
Caluinianæ argumentationis absurditas.

Octauò & vltimo, hunc, Primatum Petro datum ad successores eius in Romana Ecclesia peruenisse, antiqui patres ex eisdem Scripturis citatis demonstrarunt. Illud Matthæi decimo sexto. *Super hanc Petram*, &c. in Romana sede locum habere, his verbis Augustinus docet. *Numerate*, inquit, *vel ab ipsa Petri sede: & in illo patrum ordine, quis cui successit videte. Ipsa est Petra quam superbæ non vincunt inferorum portæ.* In psalmo contra partem Donati tomo septimo. Et apertiùs Hieronymus in epistola ad Damasum Papam. *Beatitudini tuæ*, id est, *Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.* Arnobius vetustissimus scriptor ita Ecclesiam Petri, pro hac Petra agnoscit, de qua Matth. 16. christus loquitur, vt alludens ad veram illam Petram in deserto, vnde metaphoricè tam christus ipse quàm Petrus Petræ nomen accepit, dicat, *vniuersa flumina in deserto huius seculi benedici vsque hodie à Petro; & ipsum esse exitum aquarum in sitim, ita vt qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat.*

Octaua Ratio Romanos Pont. Petri Successores.
Augustinus.
Sedes Romana est Petra fidei.
Hieronym.
Arnobius in psal. 106.
Exire foras ab Ecclesia Petri, perire est.

Gregorius Magnus.

Hæc ille. Greg. magnus ex hoc eodem loco probat Romanã Ecclesiam *esse caput omnium Ecclesiarum quia hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit dicens, tibi dabo Ecclesiam meam.* Hæc ille in psal. 5. pœnitentialem super versum illum. *Tota die exprobrabant mihi, &c.* Ex his etiam verbis Cyprianus contra Nouatianos disputans ad Petri cathedram eos vocat, vt in vnitatem Ecclesiæ se recipiant. *Qui Ecclesiæ,* inquit, *renititur & resistit; qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse cõfidit?* In libro de vnitate Ecclesiæ, iuxta emẽdatam editionem. Idem lib. 1. epist. 3. vocat Cornelij tum Romani Pontificis sedem, *Petri Cathedram & Ecclesiam principalem vnde vnitas sacerdotalis exorta est.* Optatus contra Parmenianum libro 2. *Negare* (inquit) *non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederet omnium Apostolorum Caput Petrus.* Et aliquanto pòst. *Contra inferi portas claues salutares accepisse legimus Petrum Principem nostrum. Vnde est ergo quod claues regni vobis vsurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris præsumptionibus & audaciis sacrilegio militatis?* Hæc ille. Et agit apertè de Cathedra Roman. Pontificum, quorũ successionẽ paulò ante contexuerat. Ex eadem quoque Scriptura (Matth. 16.) Primi Romani põtifices & sanctissimi Martyres, Ecclesiæ Romanæ Primatum perpetuò & constanter collegerunt: Anacletus epist. 1. Alexander primus in epist. ad omnes Orthodoxos. Pius primus in epistola ad omnes Ecclesias. Victor in epist. ad Theophilum. Zepherinus in epist. ad Siciliæ Episcopos. Marcellus in epist. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ. Eusebius ad Episcopos Campaniæ & Tusciæ. Melchiades in episto. ad Hispaniarum Episcopos. Iulius in epist. ad Orientales episcopos. Damasus in episto. ad Trium Conciliorum Aphricanorum Episcopos. Quorum omnium testimonia, ne suspecta habeas, cum nostris hodie hæreticis, & vt authentica esse non dubites, lege Franciscum Turrianum lib. 2. & 3. pro epistolis decretalibus Romanorum Pontificum contra Magdeburgenses.

Non est in Ecclesia qui Cathedram Petri deserit.

Optatus. Petrus Princeps noster.

Primi Rom. Pontifices & SS. martyres.

Franc. Turrianus.

D E

Illud Lucæ 22. *Ne deficiat fides tua,* ad Romanum Pontificem vt Petri successorem pertinere, Marcus papa in epistola ad Athanasium, Lucius papa in episto. ad consulta Episcoporum Gallorum & Hispanorum, Fœlix papa in episto. ad Benignum, disertè docuerunt. Propter hanc firmitatem, non solum Petri sed & successorum eius in Roman. Ecclesia, scripsit Cyprianus; *Ad Romanam fidem, perfidiam accessum habere non posse:* & post eum Hieronymus. *Scito,* inquit, *Romanam fidem Apostolico ore laudatam, huiusmodi præstigias non admittere.* Similia scribit in epistola ad Pammachium & Oceanum. Sic Episcopi Tarraconenses in epist. ad Hilarium papam. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam; inde responsa quærentes, vnde nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Vide Tomum 2. Concil. inter decreta Hilarij Papæ.

Lib. 1. Epist. 3. Romana fides non deficit. Apologia 3. contra Ruffinum.

Illud Ioan. 21. *Pasce oues meas,* sic ad Romanam Ecclesiam pertinere Augustinus iudicauit vt scriberet. *In Ecclesia me tenet, ab ipsa sede Apostoli Petri* (non Iacobi Hierosolymitani, non Marci Alexandrini, aut aliorum Apostolorum quorumcunque: & rationem subiicit: videlicet) *cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, sacerdotum successio.* Hæc ille contra epist. fundamenti. Chrysostomus quoque disertè scribit, *Christum oues pascendas commisisse, tùm Petro tùm Petri successoribus.* lib. 2. de sacerdotio. Denique hanc Romanorum Pontificum authoritatem supremam ex ipsis scripturis euidenter demonstratam fuisse, disertis verbis patres Concilij Mileuitani agnouerunt. Scribentes enim ad Innocẽtium papam, vt quamuis Pelagiani tùm à Conciliis Carthaginensibus damnati, tùm à Sancto Hieronymo plenissimè confutati essent, tamen ipse eos lata sententia etiam condemnare vellet; hanc rationem subiiciunt. *Arbitramur enim authoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ, faciliùs eos qui tam peruersa & pernitiosa sentiunt, esse cessuros.* Hæc illi apud Augustinum epist. 92. In quibus verbis & authoritatem singularem ad comprimendos hæreticos in Roman. Pontifice, eámque & conciliis, & doctissimorum virorum scriptis maiorem, agnoscunt; & præterea illam authoritatẽ ex sacris Scripturis petitam esse, id est diuini iuris esse, affirmant. Sic & Gregorius Magnus citatis tribus prædictis scripturæ locis; *Ergo,* inquit, *cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamẽ principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate conualuit.* Hæc ille. Cyprianus quoque concludit eisdem locis citatis; quòd *Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & Cathedra vna monstretur.* Quæ verba quantum valeant, iam in superioribus explicuimus.

Augustinus.

Cap. 4. Christus Petri Successoribus commisit oues suas. Chrysostomus.

F

Patres Mileuitani Concilij.

Rom. Pont. Authoritas Iuris diuini est.

Gregorius magnus. li. 6. epist. 37. Cyprianus. Suprà cap. 7.

Argu-

A *Argumentis aduerſariorum, quæ contra Succeſsionem perpetuam talis Capitis afferre ſolent, reſpondetur.*

CAPVT XVI.

Prima ratio aduerſariorum, de impoßibilitate vnius capitis.

VAE contra hanc vnius capitis ſucceſſionem diſputare ſolent hodie hæretici, ferè ad tria capita reduci poſſunt. Primũm eſt ipſa impoſſibilitas; Alterum iniuria Chriſto allata; Tertium, quod nuſquam hoc Scriptura euidenter explicat. De primo dicit Caluinus. *Ad regendum orbem terrarum nemo vnus ſufficit.* Reſpondetur non hic quæri ad quid vnus homo ſufficiat, ſed quid vel Deo viſum fuerit inſtituere, vel Eccleſiæ & hominum neceſſitas poſtulet: quæ cùm in vnitate abſque vno Capite non conſeruetur (vt antea eſt oſtenſum) licet nemo vnus ad hãc vbique vnitatem ſeruandam ex ſe valeat, Deus tamen Eccleſiæ ſuæ adminiſtrator, tanta gratia & fortitudine vnum hominem donare poteſt, vt illi muneri ſufficiat. Idcirco de facto Petrũ præfecit, & *pro eius fide orauit, vt ille conuerſus confirmaret fratres ſuos.* Rurſus vnus homo (ſi hominis induſtriam & vires B ſpectes) vni diœceſi, imò vni parœciæ interdum non ſufficit. Attamen & ſingulis diœceſibus vnum Epiſcopum, & ſingulis parœciis vnum Paſtorem ipſimet aduerſarij concedunt. Poſtremò, ſic arguit Caluinus, & cum eo omnes alij Proteſtantes, quaſi vnus Romanus Pont. vniuerſum orbem per ſe & immediatè regere à nobis ponatur; cùm tamen non ignorent per Paſtores, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Metropolitas, & Patriarchas id fieri; imò cùm nulla diœceſis ab vno ſolo Epiſcopo, ac ne quidem vna parœcia ſi paulo numeroſior ſit, ab vno Paſtore hoc in ſenſu regatur aut paſcatur, vt abſque aliorum miniſterio, ſolus & vnus Epiſcopus vel paſtor, diœceſim aut parœciam regat vel paſcat. Quare impoſſibilitas quam fingunt, non magis vnius Capitis per vniuerſum orbem, quàm vnius Epiſcopi & Paſtoris per diœceſes & parœcias Primatum tollit.

1. Reſponſ. — Cap. præced. — Luc 22. — *2. Reſponſ.* — *3. Reſponſio.*

Secunda ratio aduerſariorum. — ad Epheſ. 4. — *Caput vitale & miniſteriale.*

De ſecundo dicit Caluinus. *Inſignem tamen iniuriam Chriſto faciunt, cùm eo prætextu volunt hominem vnum præeſſe Eccleſiæ vniuerſæ, quia hæc Capite carere non poteſt. Chriſtus enim Caput eſt, ex quo totum corpus, &c.* Non ignorauit hic Caluinus quid reſponderi à Catholicis ſoleat. Agnoſcit nos hic diſtinguere inter Caput vnicum proprium, principale, vitale; & caput miniſteriale. Duo enim eſſe capitis officia. Alterum, vt ſit principium vitalis influxus reliquo corpori: Alterum, vt dirigat ſuo imperio externas functiones corporis: & prius quidem ſoli Deo & Chriſto competere, alteram rationem etiam miniſterio hominum conuenire. *Verùm hoc*, inquit, *cauillo nihil proficiunt, niſi prius oſtenderint hoc miniſterium à Chriſto eſſe ordinatum. Nam cùm ſcriptura teſtetur Chriſtum eſſe Caput, non debet hic honor in alium transferri, niſi quem* C *Chriſtus ipſe vicarium ſuum fecerit.* At verò iam copioſè oſtendimus Petrum & ſucceſſores eius, hoc Caput miniſteriale & vicarium à Chriſto eſſe inſtitutum. Neque hoc Scriptura negat, cùm Chriſtum Caput vocat, propter diſtinctionem datam. Contra quam diſtinctionem nullo argumento inſiſtit Caluinus, ſed puerorum vel potius ruſticorum more, negans concluſionem ex aliis mediis antea probatam, vrget ſemper Caput vocari Chriſtum: id eſt, principium petit, & idem ſemper argumentum ſtolidè reſumit, contra ſolutionem datam non diſputat.

Caluini proteruia.

Ephes. 4. — *Caput miniſteriale ex Apoſtolo probatur.*

Quanquam ſanè ex ipſo Apoſtoli loco à Caluino citato, miniſteriale hoc caput non difficulter probari poteſt. Ait enim Apoſtolus. *Creſcamus in illo per omnia qui Caput eſt Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Hic Apoſtolus vt Chriſtum vocat Caput, vitale ſcilicet & principale, ſic ſub hoc Capite conſtituit, *Totum Corpus*. At totum corpus non eſt, quod ſine ſuo proprio Capite eſt. Habet ergo Eccleſia (quæ præter caput chriſtum eſt, non ſolum corpus, ſed & totum corpus videlicet militans & peregrinans interim à Domino) etiam præter caput chriſtum, ſuum quoddam & ſui generis caput: militantis videlicet & peregrinantis huius Eccleſiæ proprium. Præterea ſubminiſtratio ſpiritus fit per chriſtum in totum corpus. At illa ſubminiſtratio per chriſtum non fit in ipſum chriſtum: ergo illius totius corporis chriſtus pars non eſt. Rurſum

dicit Apostolus hoc totum corpus, *augmentum corporis facere in ædificationem sui*: ergo ad hoc D
totum corpus quatenus ædificandum & construendum passiuè, Christus non pertinet; siquidem nulla fit ædificatio ipsius Christi, quod ad personam Christi attinet, per augmentum Ecclesiæ. Quin & eandem loquendi formulam alibi obseruat Apostolus. *Non tenens*, inquit,

Coloss. 2.

caput ex quo totum corpus per nexus, &c. Apertissimè quoque 1. Cor. 12. *Non potest caput pedibus dicere non estis mihi necessarij.* Christus sane hoc potest dicere: sed caput ministeriale hoc non

Ecclesia habet caput cæteris membris proportionatum.

potest dicere. Habet ergo Ecclesia, vt cætera membra visibilia, oculos, manus, & pedes, propter diuersas functiones & gradus fidelium in Ecclesiæ corpore; sic etiam & Caput visibile proportionatum ad cætera membra: & hoc est totum corpus Christo capiti sed differenter subiectum.

Tertia ratio aduersariorum.
Ephes. 4.

De tertio sic disputat Caluinus. *Viuam nobis Ecclesiæ imaginem depingit Apostolus.* Ait enim. *Dedit Christus quosdam quidem Apostolos, alios verò Euangelistas & Prophetas, alios Pastores & Doctores. Cur hic non dicit Christum vnum omnibus præfecisse qui vices suas gereret? Id enim locus*

Caluini sculneum argumentum.

maximè postulabat, nec vllo modo debuit omitti si verum est. Et paulò post. *Cur in illa commendatione vnitatis, postquam dixerat vnum corpus, vnum spiritum, vnam spem vocationis, vnum Deum, vnā fidem, vnum Baptisma, non etiam continuò addidit, vnum summum Pontificem qui Ecclesiam in vnitate contineat? Nihil enim aptius dici poterat si quidem ita res haberet.* Hoc est ergo Caluini totum argumentum. Potuit ibi commodè dici: ergo quia dictum non est, nihil tale est. Quàm

1. Respons.

hæc sit inualida collectio, ex simili facile apparebit. Nihil hoc loco Apostolus de Episcopis, nihil de presbyteris, nihil de diaconis loquutus est: isti tamen ad Ecclesiæ regimen, & ad vnitatem conseruandam, etiam aduersariorum confessione pertinent. Ad hoc respondent quidem communiter Protestantes Pastorum & Doctorum nomine Episcopos & seniores com- E

Puritanorum secta in Anglia nobilis.

prehendi. At verò quum Puritanorum hodie secta in Anglia vt Metropolitanos Archiepiscopos, & Archidiaconos suos ab Ecclesiæ regimine excludant, ex hoc loco etiam editis libris eodem modo argumentantur, quia tales hic à Paulo nominati non sunt; respondent illius scripto cæteri Caluinistæ Angli, qui prædicta illa munera agnoscunt & officia exercent, idem prorsus quod nos iam diximus: eadem ratione seniores & Diaconos à ministerio excludi; imò & pastorum nomine tùm Episcopos, tum Archiepiscopos intelligi, vt quam in nobis responsionem non ferunt, eandem illi, quum ipsis commodum est, contra suos Symmistas, in vniuerso tamen regimine Ecclesiastico ab illis dissidentes, audacter adhibeant. Replicant hic nihilominus iterum scripto Puritani (obiter etiam conquerentes, quòd hic locus qui semper apud suos contra Papam hactenus valebat, nunc contra ipsos Archiepiscopos perinde valere

Ex Puritanorū & Caluinistarum confessione orthodoxa responsio.

non sinatur) ideo præteriri hic ab Apostolo Diaconos & Seniores, quia de iis tantùm ministris Apostolus loquitur, qui laborant in verbo. Respondent iterum Caluinistæ hoc pro ipsis facere, & Puritanos sibiipsis respondisse, quia Archiepiscoporum munus non in verbi & sacramentorum administratione, sed in regimine & iurisdictione consistit. Respondemus ergo & nos de Summo Pont. & dicimus eius officium, quatenus Summus Pontifex est, iurisdictionem & regimen potius esse, quàm prædicationis verbi, aut administrationis Sacramentorum curam, quæ aliis Pastoribus communis est: ideóque quia de iis tantùm Apostolus loquitur

2. Responsio.

qui laborant in verbo, hoc loco præteriri. Sed præterea dicimus nullo modo consequi quia F
dictum hoc loco non sit, cùm commodè dici posset, ideo nihil huiusmodi esse. Nam & alibi satis in Euangelio hoc explicatum est in persona Petri Primi summi Pontificis; & vt illud ex-

Regula Augustini.
Lib. de fide & operibus. c. 9.
3. Responsio.

plicatum non esset, responderi tamen posset iuxta illam Augustini Regulam verissimam, quam & ibi exemplis probat; *Solere scripturam breuitatis causa multa tacere, quæ ex serie traditionis sunt intelligenda.* Dicimus præterea, quòd quemadmodum lectorum, exorcistarum, & aliorū ibi minorum ordinum non fit mentio, quia tunc eorum vsus frequens aut euidens non fuit in Ecclesia (vt notauit Ambrosius in comment. ad hunc locum) ita & vnius in Ecclesia Capi-

Quare vnius capitis non sit mētio ad Ephes. 4. Protestantium error.

tis nulla propterea hic mentio facta est, quia in illis Primitiis Spiritus & maxima fideliū vnanimitate & obedientia, non adeo frequens aut magnus fuit illius Supremi Capitis vsus. Sed ea munera Apostolus nominatim recensuit, non quæ compleram & perpetuam Ecclesiastici ministerij formam continerent (vt opinantur aduersarij) sed quorum maximus tunc & eui-

4. Responsio.

dens vsus fuit: vt Apostolorum, Prophetarum, & euangelistarum, quorum nunc officia in Ecclesia esse desierunt. Postremò, etsi Paulus vnitatem commendans, nihil de hoc vno capite ministeriali meminit, meminerunt tamen Patres vt alibi explicatum est; inter quos egregiè Cyprianus illud explicat, etiam cùm hanc vnitatem ab Apostolo commendatam explicaret.

Lib. 1. epist. 8.

Is enim cùm dixisset, *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia*, addit, *& Cathedra vna*

super

A *super Petram Domini voce fundata.* Rursum, refert quorundam schismaticorum abiurationem
in hanc formam. *Nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum Dominum, & vnum Spi-* Lib. 3. epist. 11.
ritum Sanctum, & vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. Hunc autem vnum paulò *Vnus Episcopus in catholica Ecclesia.*
ante professi erant Cornelium esse Romanum Pontificem, vocantes eum *Episcopum sanctis-*
simæ Catholicæ Ecclesiæ. Multo autem copiosus in libro de vnitate Ecclesiæ. Cùm enim dixis-
set: *Qui Cathedram Petri, super quam fundatur Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* huius ca-
thedræ vnitatem probaturus, subiungit: *quando & Apostolus hoc doceat, & Sacramentum* *Vnum corpus in*
vnitatis ostendat, dicens: Vnum corpus, & vnus Spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, *episcopatu vno.*
vna fides. Móxque ostendit, *Ecclesiæ corpus, esse vnum, in Episcopatu vno, cuius à singulis in solidū*
pars tenetur, & vnitatem seruari in origine, quia vnum est caput & origo vna. Quam originem &
quod caput, paulo superiùs in Petri persona & cathedra apertissimè posuerat, dicēs: *Primatus* *Ex vnitate ca-*
Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & cathedra vna monstretur. Vbi notandum quòd ex Prima- *pitis monstratur*
tu Capitis vnitatem Ecclesiæ & Cathedræ colligit. Vnde datur intelligi Apostolum, quum *Ecclesia vna.*
dixisset *vnum esse corpus*, quod est Ecclesia, hoc ipso huius Corporis vnum Caput intelligere, ephes. 4.
& docere voluisse; idque huiusmodi Caput quale cum ex hoc eodem ad Ephes. 4. c. agnouisse,
ministeriale scilicet,) suprà ostendimus.

Antiquissimi Ecclesiarum magistri & Patres, supremum Iudicium in Causa fidei, Romano Pontifici Petri successori detulerunt.

B

CAPVT XVII.

VT huic tandem disputationi finis imponatur, paucis sed euidentissimis exemplis ostendam, Antiquissimos Ecclesiarum magistros, Episcopos & Patres, in dubiis fidei decernendis, Petri successores, tanquam certissimum & supremum in causa fidei Iudicem consuluisse & agnouisse. Est res ista ab aliis quàm multis, eruditè & copiosè tractata. Nos breui compendio quæ præcipua putamus, & paucis perstringemus: sola Scripturarū hac de re tractatione prolixa & accurata, quam iam vt po-
tuimus absolutam dedimus, contenti. Occurrit autem primo loco antiquissimus Irenæus Irenæus li. 3.
Polycarpi auditor, qui Ioanni Apostolo discipulus fuerat. Is contra Valentinianos disputans, Cap. 3.
& Apostolicam traditionem atque Episcoporum successionem à qua doctrina fidei petenda
esset, ostendere volens, *Quia*, inquit, *omnes Ecclesiarum successiones enumerare longum est, Roma-*
næ Ecclesiæ fidem indicantes, confundimus eos qui seorsim colligunt. Audis vt ex Rom. Ecclesiæ fi-
de, ipsos fidei hostes, hæreticos scilicet omnes, confundere se posse non dubitat. Vide autem
quam ob causam id ita confidenter enunciet. *Ad hanc enim*, inquit, *Ecclesiam propter potentio-*
C *rem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, id est, eos qui sunt vndique fideles.* Hæc
ille. Nihil autem potuit apertius dici. Per eos enim *qui sunt vndique*, omnes per orbem Chri- *Potentior Prin-*
stianum fideles intelligit. *Potentiorem* verò illius Sedis *principalitatem* non terrenam aliquam *cipalitas Romanæ Sedis.*
(Sedes enim illa, Irenæi tempore perpetuam ab Imperatoribus Ethnicis persecutionem pas-
sa est) sed spiritualem dicere, necessariò intelligendus est. Qualem videlicet à Christo, ipsi *Cyprianus.*
Petro collatam fuisse iam ex Scripturis ostendimus. Sanctus ille & doctissimus Cyprianus *Romani Pont.*
contra Nouatianes à Cornelio Papa instructiones accepit lib. 2. Epist. 8. Nomina Episcopo- *in Africa Au-*
rum qui in Africa Catholici essent, qui non, ad eundem diligenter mittit. lib. 1. Epist. 3. Rogat *thoritas tempo-*
Stephanum Papam vt Martianum Episcopum Arelatensem in Gallia, sed Nouatianum de- *re S. Cypriani.*
ponat. lib. 3. Epist. 13. Quod ab eiusdem autem Papæ iudicio in quæstione de Baptismo hæ-
reticorum idem Cyprianus recessit, suo exemplo & errore graui nos docuit, quàm id infelici-
ter & temere factum fuerit. Quanquam non sic recessit, vt ab vnitate illius Sedis propterea
recederet, vt multis in locis docet Augustinus. Agnoscit tamen idem Augustinus epistolam In lib. de bap.
S. Cypriani ad Pompeium, in qua Stephani Papæ decretum exagitat, *periculum pernitiosæ dis-* cōtra Donat.
sentionis habuisse, ideóque *eam præterire melius censuit* quàm ei respondere lib. 5. ca. 25. de Baptis.
contra Donatistas. Basilius ille Magnus tumultuantibus grauiter in Oriente hæreticis, monet
per literas Athanasium, *vt ad Romanum Episcopum scribatur: qui*, inquit, *sua Authoritate in ista*

Basilius epist. 52.

causa vsus, viros eligat idoneos qui seditiosos reprimant. Causam porro in alia epistola ad ipsum D
Rom. Pont. per Sabinum Diaconũ data exprimit. *Quia*, inquit, *pietati tuæ datum à Domino est, quod adulterinũ est à legitimo & puro discernere, ac fidem patrum sine vlla subtractione prædicare.*

Sedis Romanæ donum

Hæc ille. Iulius Papa multis oriẽtalibus Episcopis propter fidei quæstionẽ ab hæreticis eiectis, suam singulis Ecclesiam restituit: idque (ait Sozomenus) *quia propter sedis dignitatem cura omnium ad eum pertinebat.* Epiphanius contra Carpocratianos seriem Rom. Pont. producens, addit se propterea id facere, *eò quòd per hos semper quod in fide manifestum & certum est, ostenditur ac declaratur.*

Romani episcopi in Oriente Authoritas. Lib. 3. cap. 7. Hæres. 27.

In quibus verbis Sedi Romanæ certum & indubitatum de fide iudicium tribuit, sicuti suprà Basilius ille Magnus. Iouiniano cũ aliis hæreticis à Siricio Papa dãnato, scribit ad eundem S. Ambrosius cum aliis Episcopis, eiúsque diligentiam pastoralem commendat; quia sane ad eius officium atque Authoritatem ista maximè pertinere probè sciebat. S. Hieron. in illa difficili Controuersia de hypostasis vocabulo, vbi inter Sabellianam & Arrianam hæresim, tanquam inter Scyllam & Charibdim periclitabatur, neglecto Vitali, Meletio, Paulino, orientalium Ecclesiarum & quidem maximarum Antiochiæ scilicet & Laodiceæ Episcopis, ad Damasum Papam ex Syria scribit: &, *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ*, id est, *Cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est.* Et paulò post. *Quamobrem obtestor beatitudinem tuam, vt mihi epistolis tuis, siue tacendarum siue dicendarum Hypostaseon detur Authoritas.* Hæc ille.

epist. 80. & 81.

In epist. ad Damasum Tom. 2.

Agnoscit Hieronymus infallibile de fide iudicium in Cathedra Petri.

Non defuit sane doctissimo Hieronymo vel ingenium vel eruditio, ad huius rei veritatem ex Scripturis rimandam, vel aliunde exquirendam: sed optimè nouerat certum & infallibile de fide
Iudicium, in Cathedra Petri residere; ideóque ad illam Cathedram refugiendum sibi esse
meritò iudicauit. Nec dissimiliter ad Theophilum Alexandrinum quum de eius vigilantia in E
compescendis Origenistis dubitaret, scribit de sua fide. *Scito nobis nihil esse Antiquius quàm Christi iura seruare, nec patrum transire terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam; cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Hæc ille in Epist. 1. ad Theophilum Tom. 2. Idem clarè Optatus docet, dicens *propterea omnium Apostolorum Caput Petrũ Romæ sedisse, vt in illa vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur.*

Lib. 2. cont. Parmenia. epist. 166. Ordo episcoporum a Petro saluberrimus. Cap. 6.

Sed Augustinum nunc audiamus, quo nihil doctius, nihil sanctius habuit Latina Ecclesia. Ille sane contra Donatistas ex Episcopali Authoritate & successione præscribere volens, Romanam vrget. *Si ordo*, inquit, *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus?* Et causam mox addit. *Cui sane Petro totius Ecclesiæ figuram gerenti* (nempe propter Primatum eius, vt suprà ex eodem Augustino ostendimus) *Dominus ait. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo propter Primatum Petri, potiùs à Petro quàm ab aliis Apostolis vel Apostolicis viris successionem istam Episcopalem, qua hæreticis præscribat, Augustinus ducit. Hoc nimirum est, quod alibi aberrantem amicum ad Ecclesiæ gremium reuocans scribit: *Non esse dubitandum in illius Ecclesiæ nos condere gremio, quæ ab Apostolica Sede* (vtique Romana) *per successiones Episcoporum culmen Authoritatis obtinuit.* Vbi in successione Rom. Pont. culmen Authoritatis ponit, addens, *cui nolle Primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Hæc ille.

De vtilitate cred. cap. 17. In psalmo cont. partem Donati.

Idem alibi, & eandem ob causam, Donatistas vt
faciant monet. *Numerate*, inquit, *ab ipsa Petri sede: & in illo Patrum ordine, quis cui successit, videte.* F
Móxque causam subiungit. *Ipsa est Petra quam superbæ non vincunt inferorum portæ.* Denique ab hac successione, propter pascendi munus illi à Christo specialiter commissum, se in Ecclesiæ gremio teneri idem celeberrimus doctor scribit. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesiæ gremio ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, Sacerdotum successio.* Hæc ille.

Contra epistolam fundamenti cap. 4.

Lib 1 contra Iulianum.

Hanc sane ob causam, idem doctissimus Pater contra Iulianum Pelagianum disputans, sufficere ei debere docet solam Romanæ Ecclesiæ sententiam. *Cui*, inquit, *Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod Antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia?* Móxque cũ cũ aliis Patribus citaturus; *cum his*, inquit, *etiam ipse consideat Innocentius, etsi posterior tempore, prior loco.* Hæc ille.

Sedes Apostolica.

Serm. 2. de verbis apost.

Quo etiam in sensu alibi dicit: *Ad Carthaginis Episcopum Romano prætermisso, nunquam Orientalis Catholica scriberet.* Contra Cresconium lib. 3. cap. 34. Tantum verò Romani Pontificis Iudicio, in illa eius ad prædicta Concilia responsione, August. tribuit, vt alibi scribat; *Iam de hac causa, duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicã; Inde etiam rescripta venerunt, Causa finita est. Vtinam aliquando finiatur & error.* Hæc ille, de Causa Pelagianorum; non secus sane quàm in causa Donatistarum ante eum scripserat

Romanæ sedis Iudiciũ causam Pelagianorum finiuit. Lib. 2. cont. Parmen.

A Optatus. *Miltiadis Papæ sententia Iudicium clausum est*. Idem denique Augustinus etsi Episcopus, isque suo tempore longè omnium Doctissimus, disputaturus contra Pelagianos, ad Bonifacium Papam suos libros mittit & dicit. *Communis est omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, (quamuis ipse in eo præmineas celsiore fastigio) specula pastoralis*. Hæc ille, disertis verbis asserens in officio, cura, & specula pastorali Primatum tenere Romanum Pontificem. Hac enim sane persuasione ductus, rescriptis sedis Romanæ tantum tribuit, quantum in verbis iam citatis expressit. Hac etiam de causa alibi dixit. *Quis nescit illum Apostolatus Principatum*, (de Petro loquitur) *cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia, vna est tamen Martyrum gloria*. Hæc ille. Vbi bene obseruandum est quòd dicit distare Cathedrarum gratiam. Sane in causa fidei, Iudicandi principatum tenere Romam. Pontificem, id est, Cathedræ Romanæ præeminentem esse gratiam, pariter cum doctissimo Augustino Catholici Imperatores ingenuè subinde fassi sunt. Valentinianus tertius in Epist. ad Theodosium Iuniorem, *Romanæ*, inquit, *ciuitatis Episcopo, principatum sacerdotij super omnes, Antiquitas contulit*. Martianus Imperator in epist. ad Leonem Papam ait. *Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu fidei obtinentem, inuitamus atque rogamus ad celebrandam Synodum te Authore*. Nec longe post hunc, Iustinianus Imperator. *Summi*, inquit, *pontificatus apicem apud Rom. pont. esse, nemo est qui dubitet*. Sed & Constantinus 4. in Scripto ad Synodum Romanam, Agathonem Papam vocat *vniuersalem principem pastorum*. Concil. Gen. 6. Act. 18. Denique in Concilio Chalcedonensi omnium Episcoporum vox est, *Omnem primatum & honorem præcipuum Romano Episcopo deberi*.

Lib. 2. cap. 1.
In specula pastorali Primatum tenuit Rom. Pon.
Lib. 1. cap. 1. de Baptismo cont. Donatistas.
cathedra Rom. præeminens gratia.
In præambulis conc. Chalced. tom. 2. con.
Constitut. Nouella 131.
Actione. 16.

B Quod sane etiam Orthodoxæ fidei corruptores ipsi, vt tanto facilius venena sua occultarent, populóque eadem instillarent, præ se ferre libenter sunt soliti. Cuius rei exempla tum de Fortunato Nouatiano vide apud Cyprianum, tum in Donatistis qui Rom. Pont. catalogum & seriem recensentes eos pro sua sententia confirmanda produxerunt, vt apud August. videre est, in lib. de vnico baptismo c. 14. tum maximè de Paulino Atriano, & Apollinari illo Laodiceno suæ cuiusdã hęresis primo Authore. Quum enim Antiochiã Gratiani Imperatoris edictum afferretur, de fide seruanda quam Romæ Damasus Papa tenuit, tùm Paulinus, tùm Apollinaris iste *à partibus Damasi se stare constanter affirmabant*: (ait Theodoretus) quamuis id falsò & simulãter ab eis dictum fuisse, Flauianus vir doctissimus ex contrariis quę tenebant dogmatibus, statim comprobauit; vt ibidem narrat Theodoretus. Idem de Meletio Vitali, & eodem Paulino scribit Hieronymus in 2. Epist. ad Damasum. *Meletius*, inquit, *Vitalis atque Paulinus tibi hærere se dicunt. possem credere si hoc vnus assereret. Nunc aut duo mentiuntur aut omnes. Ego interim clamito. Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est*. Hæc ille. Idem quoque de Cælestio Pelagiano commemorat Augu. *Beati*, inquit, *papæ Innocentij literis non est ausus obsistere, imò omnia quæ sedes illa damnaret, dãnaturum se esse promisit*. Ibidem quoque de ipso Pelagio ait, *quòd Romanam Ecclesiam fallere* (suam videlicet hæresim occultando) conatus fuerit, *etsi minimè id efficere valuerit*. Denique tantum vnius Rom. Episcopi Authoritati circa fidei Iudicium, in hac ipsa recenti tum Pelagianorum hæresi, tribuit sanctissimus pariter & Doctissimus hic pater, vt quamuis in variis diuersarum prouinciarum Conciliis, illa hęresis damnata fuisset, non tamen August. Iudicio euidenter ab Ecclesia separata & conuicta esset, donec à sede Apostolica, id est, Romani Episcopi sententia apertè damnaretur. Scribit enim ad Hilarium Episcopum. *Noua quædam heresis inimica gratiæ Christi, contra Ecclesiam Christi conatur exurgere: sed nondum euidenter ab Ecclesia separata est*. Scribit tamen in eadem Epistola. *Iam enim cùm ista scriberem, cognoueramus in Ecclesia Carthaginensi aduersus eos Episcopalis Concilij conditum fuisse decretum, per Epistolam sancto & venerabili papæ Innocentio dirigendam*, (nondum scilicet directam) *& nos de Concilio Numidiæ ad eandem Apostolicam sedem iam similiter scripseramus*. Hæc ille. Liquet etiam, ante hæc Africana Concilia, in Synodo quadam Palæstina eandem hæresim reprobatam fuisse. Sed quia nondum Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ accesserat calculus, nondum fuit illa hæresis (vt loquitur August.) *Euidenter ab Ecclesia separata*. Quo etiam sensu de quibusdam correctis Pelagianis, sic alibi scribit. *Nonnulli*, inquit, *eorum antequam ista pestilentia Manifestissimo etiam Sedis Apostolicæ Iudicio damnaretur, vobis innotescere potuerunt, quos nunc repente reticuisse perspicitis. Nec vtrum sanati sint sciri potest, &c. Satis tamen territos ipsa taciturnitas monstrat*. Vides vt Sedis Apostolicæ Iudicium Pelagianorum ora compescuit, & saltem ita hac tanta Authoritate eos perterritos fuisse, vt hæreses suas amplius palàm defendere non auderent. Nempe hoc illud est, quod alibi de eadem hac hæresi scribit August. *literis B. Innocentij totam de ea re dubitationem sublatam esse*. Ac denique

Lib. 1. epist. 3.
Hæretici veteres Rom. Eccl. communionem aucidè præ se tulerunt.
Histor. Eccles. lib. 5. cap. 3.
De peccato orig. lib. 2. cap. 7.
Alia Augustini testimonia de Supremo Rom. Pont. Iudicio in causa fidei.
Epist. 94.
Solius Sedis Rom. Authoritate euidenter damnatur hæresis.
Epist. 104. ad Sixtum.
Manifestissimũ Sedis Apostolicæ iudicium.
Lib. 2 cap. 3. cont. 2. Epist. Pelag.

In libello contra articulos falsò sibi impositos.

Lib. 2. cap. 1. cont. 2. Epist. Pelagian.

quod alio loco, de semetipso vir tantæ eruditionis scribit, *se sensum & fidem suam contra Pelagianos, ex Apostolicæ Sedis Authoritate defendere.* Postremò, hac etiam de causa quum post Innocentij literas & mortem, Pelagiani adhuc Romani cleri consensum falsò & mendaciter suis dogmatibus vendicarent, rogat August. *quæ tandem Epistola venerandæ memoriæ papæ Zosymi* (qui huic Innocentio proximè successit) *quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit credi oportere, sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci?* quod erat dogma Pelagianum. Vbi apertè ostēdit in illa grauissima Controuersia de fide, Iudicem supremum (sententiæ enim interlocutoriæ Iudicum sunt propriæ) Rom. Pont. fuisse. Ex quo sane, aliisque iam citatis locis, vni Rom. Pont. supremum & absolutissimum fidei Iudicium, tantum & tam excellentem, tàmque antiquum Doctorem, & vt asserit Caluinus, *fidelissimum vetustatis interpretem*, euidenter tribuisse, luce meridiana clarius eluceſſit. D

Atque hæc hactenus, pro instituta hoc loco in hac materia breuitate, de Primario & Supremo potestatis Ecclesiasticæ Subiecto, ex solis fere Sacrarum Scripturarum documentis, & paruo aliquo praxis Ecclesiasticæ iudicio, disseruimus. Ea enim omnia adferre quæ ad Supremi huius Capitis confirmationem, circa ipsam iudicij & Regiminis Ecclesiastici* praxim faciunt, & immensus foret & non necessarius labor; quum hac vna de re, & copiosissimè & accuratè satis multi hodie Catholici tractatores scripserint, quibus nec dum à protestantibus respōsum est. Inter quos præcipuè legi possunt, Albertus Pighius de Ecclesiastica Hierarchia, Melchior Canus locorum Theologic. lib. 6. Roffensis quóque noster, Martyr sanctissimus & Pontifex Doctissimus, in refutatione articulorum Lutheri art. 26. ac denique Reuerendiss. & Illustrissimi Card. Hosij Confessio Polonica. Postremò quoque opus illud egregium Nicolai Sanderi de visibili Ecclesiæ Monarchia. Contenti ergo ex Scripturis fere solis, huius vnius Capitis Supremi Authoritatem, quàm potuimus accuratè comprobasse, ad alia pergemus. E

Vide tamen etiam hac de re suprà lib. 4. cap. 17. & 18. Infrà quoque lib. 7. cap. 9.

Controuersiæ Secundæ & Libri Sexti finis.

A

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIA TERTIA, ET LIBER SEPTIMVS.

De Mediis Iudicij Ecclesiastici.

PRÆFATIO.

PENES quos maneat,& in quibus resideat Ecclesia-
stica de fide iudicandi potestas,in præcedente Con-
B trouersia duobus in libris explicatum est. Sed quia
ad doctrinalia fidei principia cognoscenda, siue ad
plenam decidendarum Cõtrouersiarum Normam
retinendam, quo ad potestatis Ecclesiasticæ subie-
ctum proprium,non satis est cognitum & explora-
tum habere, quę illæ personæ sunt, in quibus tan-
quam in Subiecto proprio,hæc potestas sita est;sed
præterea de Mediis & viis illis,quæ in iudicio & causa fidei expendẽda, per-
sonę illæ adhibere solent ac debent,constare oportet; (vt in prima illa Prin-
cipiorum fidei doctrinalium Analysi, quam toti operi pręmisimus, osten-
sum est:) propterea illa nunc Media qualia demum sint,à nobis inuestigan-
dum & demonstrandum est:de quibus quoque Controuersia hodie est, di- *Ecclesia non iudicat de fide nisi certis mediis.*
ligenter defendenda, & contra aduersariorũ exceptiones & calumnias pro-
pugnanda sunt. Neque enim sic in Ecclesię Catholicæ Episcopis & Pastori-
bus,aut in ipso Supremo Pastore Petri successore, hęc iudicandi de fide po-
C testas à Christo Saluatore collocata est,vt in iudicio & examine fidei,imme-
diatè à Deo in omnibus & semper docerentur, nullisque adhibitis circa ve-
ritatem indagandã Mediis,sed solis vel Enthusiasmis & afflatibus à Deo ex-
pectandis,vel (quod deterius est) priuatis animorum sententiis ac iudiciis ea
in re versarentur. Enimuerò,& varia & illustria admodum sunt Media, qui- *Scriptura Sacra maximum & potissimum Medium.*
bus hac in re Ecclesię Pastores quàm diligentissimè sunt vsi. Quorum quę-
dam sane,vel potiùs vnum quoddam aduersarij nobiscum agnoscunt, Sa-
crarum videlicet Scripturarũ testimonia irrefragabilia. Itaque de istis qua-
tenus sane Medium & testimonia sunt ad aliquid fidei probãdum, nihil hoc
loco disseremus,quia Controuersia de illis in eo sensu non est.Omnes enim
tam Catholici quàm hęretici illo Medio nituntur & vtuntur. Quatenus ve-
rò,& quomodo in Medium probationis afferri debeant,id est,quatenus ve-
rum earum & germanum sensum eruẽdo applicari in vsum possit, in distin-
cta & separata Cõtrouersia agemus, & quidẽ,quoad eius fieri à nobis potest, Controuers. 6.lib. 10.& 11.

X

Traditio non scripta aliud medium.

accuratissimè. Preclarum quoque & illustre Medium sunt Traditiones non scriptæ. Sed quia tum Scripturæ Sacræ, tum Traditiones non scriptæ, respectu Ecclesiæ, dupliciter considerari possunt; vel quatenus illis Ecclesia vtitur & vti potest, vel quatenus illæ ab Ecclesia traduntur & consignantur; eóque respectu, sane quoad nos, ab Ecclesia proficiscuntur, (sicuti calamus scriptorius tum à scriptore conficitur, tum ab eo in vsum assumitur) in hoc posteriori respectu maior, imò sola est hodie Controuersia circa vtrasque; (non enim de Scripturarum Authoritate, sed vnde hęc illarum Authoritas ad nos promanauit; non de earum veritate, sed de vero & genuino earum sensu controuertitur; nec de vsu Traditionum non scriptarum, sed an vllæ tales sint aut agnosci debeant, inter nos & illos disputatur:) proptera de illis quatenus obiecta materialia sunt Ecclesiasticæ potestatis, & quatenus circa illas vel tradendas, vel exponendas versatur Ecclesia; in distinctis Controuersiis & libris diligenter & accuratè, non de illis quatenus ab Ecclesia in vsum assumuntur, obiter & perfunctoriè, tractare & disserere institui: plurimum exinde ad Lectores vtilitatis, & ad præsentium Controuersiarum tempestates sedandas, momenti & compendij peruenturum ratus. His ergo duobus nobilissimis Mediis hac consideratione prætermissis, vel potius in alium locum reiectis, alia nunc Media quæ sint, aperiemus; eadémque vbi opus fuerit, & quantum opus fuerit (neque enim ab aliis diligentissimè tractata, hoc in loco retractare, & actum agere volumus) ab aduersariorum calumniis & cauillationibus defendemus. Iudicium ergo & examen fidei in proposita aliqua Controuersia, quum alium finem & scopum non habeat, quàm vt lite sopita ac dissensione omni propulsata, Vnitas fidei & consensus animorum restauretur, sartúsque tectus conseruetur, nec dubium sit quin certis Mediis & firmis ab exordio Ecclesiæ, Vnitas & integritas fidei hactenus contra omnes hæreses conseruata fuerit: profectò quæ à Christo Saluatore ad vnitatem fidei retinendam, fideliúmque perpetuum consensum arctissimo pacis vinculo colligandum data & Ecclesiæ suæ relicta sunt; quibúsque viis & Mediis Spiritu Dei edocta semper Ecclesia hactenus diligenter vsa fuit; eadem quoque & non alia ad Iudicium fidei in exorta Cōtrouersia exercendum adhiberi posse ac debere, nemini dubium esse potest. Ea ergo qualia sint, quibúsque viis ac Mediis Maiores nostri, Ecclesiarum per omnes ætates Antistites, ad sopiendas de fide Controuersias institerint, diligenter inuestigemus.

De hoc vtroque modo quare hoc libro nō agatur.

Media Iudicij Ecclesiastici vnde exploranda.

D

E

F

A *Quòd sit vna regula fidei in religione Catholica fidelibus omnibus notissima, quæ etiam multò latiùs patet quàm Symbolum Apostolicum.*

CAPVT I.

QVEMADMODVM igitur, nulla vnquam de re magis sollicita fuit Ecclesia Dei, quàm vt vnitas fidei sarta tecta conseruaretur, ideóq; nihil magis execrabile habuit, quàm hæresis aut hæretici nomen, sic vt hæc vnitas per omnem orbem terrarum salua consisteret, multa media diuinitus ecclesiæ data sunt. Primò datus est Ecclesiæ *Spiritus S. abundè effusus* in corda fidelium, non sic veteri populo datus, qui *diffusa charitate in cordibus nostris*, efficeret, *vt seruetur vnitas spiritus in vinculo pacis*. Deinde in singulis per orbẽ Ecclesiis *constituti sunt per ciuitates præsbyteri*, & Episcopi, vt vno aliquo ad tempus vice Christi constituto, huic vniuersa fraternitas obediret. *Neq; enim aliunde nata sunt schismata & ortæ hæreses* (ait Cyprianus) *quàm quòd vni sacerdoti Dei non obtemperatur*; & de hoc vno summo sacerdote in singulis videlicet parœciis ait Hieronymus, *nisi exors quædam & eminens tribuatur*
B *et potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot sunt sacerdotes*. Et Apostolus ipse dicit, ideo daros esse pastores, &c. *vt omnes occurramus in vnitate fidei*. Rursum vt adhuc magis huic vnitati prospiceretur, etiam vniuersis apostolis ac toti Ecclesiæ vnus Petrus præficitur, Capútque omniũ constituitur, *vt vnitatis origo ostendatur & vna Ecclesia monstretur*, ait Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ: & *vt schismatis tollatur occasio*, ait Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum: & vt ait ipsemet Saluator, *vt ille conuersus cõfirmaret fratres suos*. Quæ verba idcirco dicta esse, quia vna deberet esse fides totius Ecclesiæ, sapienter notauit S. Thomas. Hæ sunt variæ vnitatis conseruandæ causæ sed efficientes, partim intrinseca vt spiritus sanctus, partim extrinseca vt pontificum & Ecclesiæ magistrorum authoritas de qua hactenus in superiori controuersia disputatum & actum est. At verò, data sunt præterea ad vnitatem hanc conseruandam media quædã, quibus ipsos Ecclesiæ magistros vti, & in repellenda hæresi fidéque orthodoxa stabiliẽda, vel solis vel potissimum niti, Spiritus S. voluit. Inter hæc maximè proprium & formale medium conseruandæ vnitatis est, ad ipsius fidei notissimam regulam, quæ statim ab initio per Apostolos promulgata, & diligentissimè commendata est, respicere, eámque in omnibus sequi.

Vnitatis in ecclesia conseruandæ media. — 1. *Spiritus S. gratia.* Tit. 3. Rom. 5. Ephes. 4. — 2. *Ecclesiarum Episcopi & pastores.* Tit. 1. Lib. 1. epistol. 3. & lib. 4. epist. 9. In epistula ad Euagrium Tom 2. Ad Ephes. 4. — 3. *Vnus supremus pastor.* Lucæ 22. Secunda secundæ q. 1. art. 10. in cor.

Ad hanc regulam id potissimum pertinet, quod fidei Symbolum vocamus, *ab ipsis Apostolis in vnum collectis* (ait Ambrosius sermone 38.) *non in charta & atramento scriptum, sed in cordibus fidelium inscriptum*, (ait Hieronymus in epistola ad Pammachium, aduersus errores Ioannis Hierosolymitani versus finem;) & ita inscriptum, *vt Dominus noster* (quemadmodum dicit
C Leo papa epist. 13. ad Augustam) *neminem vtriusque sexus in Ecclesia id voluerit ignorare*. Et idcirco Symbolum istud vocat August. & ante eum Tertul. *Regulam fidei*. Sed latius adhuc patet regula fidei, quàm Apostolorum Symbolum; & eam omnem doctrinam significat, quam apostoli Ecclesiæ tradiderunt, & quę in Ecclesia publicè ab omnibus recipitur: éstque (vt scribit August. epist. 57.) *pusillis magnisque cõmunis, perseueranter in Ecclesia tenenda, si ab vnitate corporis Christi recedere nolumus*. Huius in apostolicis literis sæpe fit mentio. Neq; enim aliud est quod apostolus ad Romanos docet, haberi in toto corpore Ecclesię, *Donationes siue prophetiã*, id est, interpretationẽ difficultatum, *secundum rationem fidei*, id est proportionem siue regulam fidei. Nam verbo ἀναλογίας vtitur. Hæc est enim regula siue proportio illa, vltra & citra quam nihil in Ecclesia docendum aut disputandum est. Hanc se Corinthiis tradidisse, & secundum eam illorum fidem crescere scribit dicens. *Spem habentes crescente fide vestra secundum* Regulam *nostram, in vobis abundanter magnificari* Regulam enim seu Canonẽ fidei dicit, quã ipsemet eis tradiderat. De qua etiã ad Galatas euidenter loquitur. Cùm enim in magna illa Controuersia de obseruatione legalium, & gratia Christi, totã quæstionem terminasset his verbis, *In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura*; addit, *& quicunque hanc Regulam sequuti fuerint, pax super illos*. Hunc controuersiæ finem esse vult, sequi Regulam fidei; vel permanere potius in semel tradita & accepta Regula fidei. Nam eodem hic verbo στοιχεῖν vtitur, quo postea ad Philip. 3. vbi etiam iterum in varietate sententiarum &

Ad regulam fidei quid pertineat. — In Enchirid. cap. 56. & in lib. de velandis virginibus. — *Regula fidei quam latè patet.* — Rom. 12. — *Iuxta regulam fidei crescit fides.* 2. Cor. 10. — Ad Gal. 6.

Philip.3. *In varietate opinionum tenenda Regula fidei.*

opinionum Regulam fidei vrget. *Si quid*, inquit, *aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permaneamus Regula*: quasi diceret, vtcunque in subtilioribus & his quæ ad publicam omnium fidem nõ pertinent, varia varij sentiunt, tamen *vt idem sapiamus*, vt vnitas fidei seruetur, *in eadem permaneamus regula*, fidei profecto & dogmatum. Statim enim subiicit. *Obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* D

Lib.3. cap 4. *Ordo traditionis est Regula fidei.* *Origenes in prooemio librorum de principiis.*

Hanc formam Apostolicam seu fidei Regulam vocat Irenæus ordinem traditionis. *Si*, inquit, *Apostoli non reliquissent nobis Scripturas, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?* Hanc etiam vocat Origenes ecclesiasticam Traditionẽ. *Cùm*, inquit, *multi sint qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsq; ad præsens in Ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiastica discordat Traditione.* Hæc ille. Ostendunt hæc quæ diximus, tradidisse Apostolos quandam fidei Regulam certis limitibus compræhensam intra quam omnes fideles consistere oportebat. De hac multi patres mentionem fecerunt. B. Ignatius in epist. ad Magnesianos; Iustinus in Apologia 2. Origenes loco iam citato diligenter. Iræneus lib.1.cap. 2. & Tertull. in lib. de velandis virginibus. Hanc postea occasione contradicentium hæreticorum, & aliquam huius Regulæ partẽ conuellentium Concilia in Symbolis explicarunt, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense aliáque pòst sequuta. Denique extat in Concilio Carthag. 4. capit. 1. formula quædam, Regulam fidei magna ex parte complectens, de qua ordinandus Episcopus prius examinari debet. Hanc etiam fidei Regulam docendi studio, scripto posteris patres quidam magna ex parte tradiderunt; Augustinus in Enchiridio ad Laurentium. Epiphanius in Anchoratu. Theodoretus in libello de Diuinorum decretorum epitome. Ignatius in libro de traditionibus Apostolicis, vt commemorat Eusebius. Sed is liber nunc intercidit. D. autem Augustinus breuiter quoq; hanc fidei Regulam complexus est in principio libri in Genesin imperfecti; multo tamen plura comprehendens quàm quę in Symbolo Apostolorum habentur (quemadmodum & fecit Orig.) & dicit illa omnia, *esse Catholicam fidem, extra cuius metas nulla quærendi dubitatio debet excedere.* Hæc ille. Latius autem & copiosius in lib. de fide ad Petrũ Diaconum hanc Regulam fidei per 40. Capitula idem describit Aug. quam per singula capita docet *firmissimè tenendam esse, nec de ea vllatenus dubitandum.* Denique hanc Regulam fidei cathecumenos & in fide nouellos, olim accuratè docebant Ecclesiarum pastores, vt satis apparet ex Augustino in libro de catechizãdis rudibus tomo quarto, & in lib. de fide & operibus. Neque enim aliud olim erat Catechistarum officium.

Patres qui de Regula fidei scripserunt. — E

Hist. Eccles. lib. 3. cap. 30.

Quòd Apostoli Regulam fidei diligenter commendarint, & ad eius normam vacillantes in fide fideles reuocarint.

CAPVT II.

VIDEAMVS iam paucis, quãtopere Apostoli hanc regulam fidei cõmendarint, & ad eius Normam fideles semper reuocarint; vt quàm validũ sit hoc Iudicij ecclesiastici Mediũ fideles omnes intelligant. Sane cùm quidam resilirent, diligenter Rom. monet Apostolus, *vt obseruarent eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam ipsi didicerunt, facerẽt.* Sic Coloss. grauissimè contestatur, *vt permaneant in fide tradita fundati & stabiles: quæ*, inquit, *per vniuersum mũdum prædicata est.* Timotheũ seuerissimè monet, *vt depositum custodiat, deuitans prophanas vocum nouitates.* Et rursus, *vt formam habeat sanorum verborum quæ ab illo audiuit.* Deniq; *vt permaneat in his quæ didicerat, & credita sunt illi.* Similiter & Ioan. Apostolus. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne aue ei dixeritis.* Sic epi. 1. c. 2. *vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Sed seuerissimè Paulus, idq; repetendo Gal. increpans, dicit. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Sic aberrantes corrigit, vt ad acceptã fidei regulam reuocet. Et hoc est quod scribit Tertul. *Gal. ad regulã fidei recorrectos fuisse.* Sic statim post Apostolos factum fuisse, præclarè notat Irenæus. *Sub Clemẽte*, inquit, *Rom. Pontifice dissensione non modica inter Cor. facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas literas Cor. eos ad pacem cõgregans, & reparans fidem eorũ, & annuncians quã in recenti ab Apostolis acceperant traditionem.* Hæc ille. Neq; certe aliud erat quod Paulus & Barnabas F

Rom. 16. Coloss. 1. 1. Timoth. 6. 2. epist. cap. 1. 2. epist. cap. 3. Epist. 2. ad Gal. 1. Lib. 4 contr. Marcionem. lib. 3. cap. 3. Act. 15.

A *Barnabas faciebant, cùm perambularent Syriam & Ciliciam, confirmantes Ecclesias & præcipientes custodire præcepta seniorum, & Apostolorũ.* Nã ad regulam fidei illis Ecclesiis recenter traditam hæc præcepta pertinebãt. Nẽpe regula fidei & Traditio Apostolica erat, absq; Circuncisione aut legis Mosaycæ obseruatione, gentes ad fidem admittere. Hanc regulam ex suo cerebro & capite quidẽ Nouatores, ex hæresi uidelicet Pharisæorum Christiani facti, violare; & nouã doctrinã sine Authoritate maiorũ, introducere volebãt. Quos his verbis taxant Apostoli. *Quoniã audiuimus quòd quidã ex nobis exeuntes, turbauerũt vos verbis, dicentes circuncidi oportere, &c. quibus non mandauimus, placuit nobis, &c.* Hæc fuit ergo causa erroris, quòd absq; mandato Apostolico, absq; authoritate maiorum, absq; traditione & doctrina Ecclesiæ præpositorũ, ausi sunt quidã sui capitis cõmenta fidelibus obtrudere. Ad erroris autem remediũ, diligenter per omnes Ecclesias docẽt Paulus & Barnabas, *custodire præcepta Seniorum & Apostolorum*. Denique hæc regula fidei est illud *verbũ Domini, quod permanet in æternum.* Hoc enim scribens Petrus, addit explicationis causã. *Hoc est autem verbum quod Euangelizatum est in vobis.* Ideóq; ad hoc verbum Dei, id est ad fidem illis annunciatam & traditã, iterum in secunda Epistola diligẽter suos reuocat. *Hanc*, inquit, *vobis secundã scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram mentem, vt memores sitis eorum quæ prædixi verborũ à sanctis Prophetis & Apostolorũ vestrorum, præceptorum Domini & saluatoris.* His ergo omnibus in locis ad receptam & semel traditam fidem, siue ad Normam & regulam fidei acceptæ, Apostoli vel fideles & stabiles vt in ea permaneant hortantur, vel aberrantes vt ad eam recurrant, diligenter reuocant. Act. 15. Causa erroris primorũ christianorum. 1. Petr. 1. 2. Petr. 3.

Est verò in hoc genere res obseruatione dignissima, quòd ipse Apostolus Paulus, etsi (quẽadmodum scribit ad Galath. 1. *Euangelium suum neq; ab homine accepit, neque didicit sed per reue-* B *lationem Iesu Christi*, neque illa accepta reuelatione *venit Hyerosolymã ad antecessores suos Apostolos, sed rectà iret in Arabiam*, officio ibi docendi ac prædicandi fungens; tamẽ idem post annos 14. suæ prædicationis, (vt ad Galath. 2. scribit,) *ascendit Hierosolymã, idq; secundum reuelationem: & contulit cum Apostolis Christi Euangelium quod prædicabat in gentibus; seorsim autem cũ illis qui videbantur esse aliquid*: id est cum præcipuis, & in existimatione fidelium, non sua (ineptũ enim atq; impium fuerit hoc cogitare) primariis Magistris. Contulit autem, *ne forte in vanum curreret aut cucurrisset.* Et quare in vanum? Quia sanè nisi iuxta communem & receptam fidei regulam docuisset Paulus, in vanum laborasset. Ideóque etsi illo tempore, *qui videbantur esse aliquid nihil illi contulerunt*, id est, nihil Paulum quod antea nesciret, de nouo docuerũt, nec prædicandi Authoritatem (quasi ea priùs caruisset) tunc primùm ei contulerunt; tamen nõ prius eius doctrinam publicè comprobarunt, quàm eum in communi regula ambulare intellexissent: quod ipsemet his verbis exprimit. *Cùm cognouissent gratiã quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras mihi & Barnabæ dederunt societatis*; id est, ait Tertullianus: *Vt cum authoribus contulit, & conuenit de regula fidei, dextras miscuere, &c.* Alioqui (vt bene scribit Diuus Augustinus,) *si non inuenisset in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium, eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cum cognouissent eum hoc annunciantem, quod illi annunciauerunt, & in eorum vnitate atque communione viuentem, meruit authoritatem*: scilicet publicam & in acceptione omniũ C fidelium. In quã etiam sententiam Diuus Hieronymus: *Exposuit*, inquit, *Paulus Apostolis Euãgelium quod prædicabat inter gentes, ostendens se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri & qui cum eo erant fuisset sententia roboratum.* Hæc ille. Securitatem dicit, qua à fidelibus ei & sine scrupulo crederetur. Propter hanc ergo regulam fidei, siue vnicam totius Ecclesiasticæ doctrinæ formã, à qua nec Apostolo Paulo exorbitare licuit, fit vt validissimum inde ad quęuis dubia cõponenda argumentum peti possit. Quod enim ab illa publica fide aberrare comperitur, illud certissimè falsum; quod ei conuenire ostenditur, indubitata veritas iudicabitur. Hoc ergo illustre & certissimum medium est, quo in iudicio fidei Ecclesiarum magistri vti possunt ac debent. Hoc argumenti genere vsus est Apostolus, cùm de velandis mulieribus disputaret. Postquam enim variis argumentis à natura, à lege, & à doctrina Euangelica petitis id probasset, concludit tandem. *Si quis autem vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem nõ habemus, neque Ecclesia Dei.* Ad hanc quasi anchoram & extremum rollendæ omnis contentionis perfugium recurrit. Contentiosus enim qui nec à natura, nec à lege vetere, nec ab Euangelio petitis argumentis acquiescere vult (his enim omnibus, naturæ quoque exemplis & Scripturæ verbis probabiliter pro se allatis, contradicet) sola authoritate, eáque Ecclesiastica reprimendum esse & reprimi posse. Apostolus hoc illustri exemplo demonstrat, & documento præscribit.

Pauli Apostoli doctrina ad Regulam fidei examinata. Quare Paulus contulit euangelium suum cum Apostolis. Lib. 4. contra Marcionem. Contra Faustum lib. 28. cap. 4. Propter communem Regulam fidei Paulus meruit authoritatem. Epist. 11. inter epist. Augustini. 1. Cor. 11.

Quòd ex eadem Regula fidei tanquam ex medio certissimo veteres hæreses refutari semper à Patribus solitæ sint, copiosa ostensio.

CAPVT III.

Epist. 28. & Epist. 105.

Lib. 1. cap. 2.

Contra cresconium lib. 1. cap. 33.

Seruata Regula fidei controuersiam tollit.

De Baptism. côt. Donatist. lib. 5. cap. 25.

IAM verò, eodem medio frequentissimè Patres vsi sunt Apostolorum morem sequuti, cùm aut compendiò controuersiam expedire vellent, aut fortissimè aduersarium deiicere. Sic contra Pelagianos probat Augustinus peccatum originale ex Baptismo paruulorum. *Quia*, inquit, *cùm baptisandu paruulis festinatur & curritur, idque ex Ecclesiæ fundatissimo more*, vt ibidem loquitur. Sic de peccatorum meritis & remiss. lib. 3. cap. 5. Cùm ad hanc rem cyprianum citasset, illum asserit *ex indubitata & antiqua fidei regula loquutum esse*. & alibi contra Iulianum cùm Gregorium citasset, *ex regula notissimæ veritatis*, eum talia scripsisse dicit: Sic contra Donatistas, quòd post hæreticos non rebaptiset, ex hac publica fide se defendit. *Facimus enim*, inquit, *quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam Scripturarum commendat Authoritas. Vt quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit in hac obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Hæc ille. Nec aliter, cùm primùm illa quæstio moueretur, respondit Stephanus Papa B. Cypriano. *Nihil*, inquit, *innouetur, sed quod traditum est, seruetur.* Quam eius responsionem receptæ Ecclesiæ fidei & consuetudini innitentem, etsi valde asperè & grauiter exagitet S. Cyprianus in Epist. ad Pompeium, idque *cum periculo perniciosæ dissensionis*, vt grauiter notat Augustinus, multáque contra consuetudinem disputet, quibus hodie hæretici abutuntur, tamen quàm infeliciter & temerè id fecerit, error manifestus tam Sancti viri ostēdit. Itaque quod Augustinus Donatistis, hoc nostris hodie hæreticis respondemus. *Si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine mutanda* Hæc ille lib. 2. cap. 9 de Bapt. contra Donatist. Quanquam sanè & cyprianus ipsemet de vniuersali consuetudine & totius Ecclesiæ antiqua fide in eadem Epistola ad Pompeium circa finem sic scribit. *In compendio est apud religiosas mentes errorem deponere, & inuenire veritatem. Nam si ad diuinæ traditionis Caput, & originem reuertamur, cessat error humanus.* Hæc ille. Laudat hæc verba Augustinus, quòd *ad traditionem Apostolicam recurrere monet, indéq; in nostra tempora canalem deducere, Hoc enim*, ait, *optimum est & sine dubitatione faciendum.* Nam &

Traditio Apostolica seruāda. Lib. 5. cap. 26 cont. Donat. Epist. 118. *Tertullianus* *Cōsuetudo vniuersalis est Traditio Apostolica.* *Augustinus.*

idcirco alibi dicit, *de eo quod tota per orbem frequētat Ecclesia, disputare an ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est.* Rationem addit Tertullianus in lib. de Corona militis. *Consuetudo*, inquit, *sine dubio de traditione Apostolica manauit Quomodo enim vsurpari potest quod traditum prius non est?* Vniuersaliter scilicet. Sic enim & Augustinus docet lib. 2. cap. 7. de Baptismo contra Donatistas. *Multa*, inquit, *non inueniuntur in literis Apostolorum, neque in Conciliis posterorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* F Hæc ille. Quam sententiam repetit. epist. 118. & lib. 5. ca. 23. operis prædicti. Sic contra Luciferianos Hieronymus. *Poteram*, inquit, *vniuersos propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.* In dialogo aduersus illos. Sic Greg. Nazanzenus. *Vt alia*, inquit, *præsidia omittamus, nobis sufficere debet, quòd abhorret hinc Ecclesiæ nostræ doctrina.* li. 2. de Theologia. Sic Athanasius Epictetum Episcopū Corinthiorum cōtra Arrianos instituit. *Tantummodo*, inquit, *respondendum est ea Orthodoxæ Ecclesiæ non esse, neque maiores nostros ita sensisse.* Hęc ille in epist. ad Epictetū. Quā etiam totam inseruit Epiphanius Hæres. 77. contra Dimœritas. Idem quoq; in oratione quam vocat *Cōpendium pro Spiritus Sancti diuinitate*, versus finem, ex hac publica fide, quā vocat *stylum Christianismi & phrasim Apostolorum à patribus receptam*, hæreticos refellit. Sic etiā in libro ad Serapionē de Spiritu Sancto versus finem. *Videamus*, inquit, *illam ab initio traditionem & fidem Catholicæ Ecclesiæ. In hac enim Ecclesia fundamur.* Et paulò post. *Hæc est prædicatio in omnem sub cœlo Ecclesiam.* Hæc ille. His autem omnibus in locis, Ecclesiæ nomine publicā

Nazanzenus. *Athanasius.*

Fides Ecclesiæ est Traditio Apostolorum. *Irenæus.* Lib. 3. cap. 3.

Ecclesiæ fidem patres intelligunt. Nec aliter contra omnes hæreticos præscribendum docet Irenæus. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum*, id est, traditam ab Apostolis doctrinam, *in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera volunt videre.* Sic suprà Origenes inter variè de Christo opinantium sententias, *illam solam credendam esse veritatem* docet, *quæ in nullo ab*

A *nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.* Nec aliter contra omnes hæreses concludendum docet Augustinus in libro de hæresibus ad Quodvultdeum. Eas enim omnes cùm enumerasset, sic concludit. *Quid contra ista sentiat Catholica Ecclesia, superfluò quæritur; cùm propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fide quenquam recipere, debere.* Hæc ille. Vna ergo Ecclesiæ fides publicè recepta & notissima, satis argumenti & virium habet ad omnes hæreses refutandas. Sic sanè Epiphanius contra Melchisedecianos, vbi *traditiones Apostolorum & successiones doctrinæ*, vocat, *terminos nobis positos.* Item contra Millenarios circa finem hæresis 77. *Qui volunt*, inquit, *transgredi terminos sanctæ Dei Ecclesiæ, & spem traditionis propheticæ & Apostolicæ tum fidei tum doctrinæ, ab vno argumento exigui ac breuis sermonis, ad multa vaniloquia & periculosas opiniones & interminatas genealogias breui momento conuertentur.* Hæc ille, qui & alibi, *speciem seu formam Ecclesiæ dicit bituminis vim habere fugantem horenda & perniciosa dogmata serpentinam formam, & speciem viperarum gerentia.* Et in huius rei figuram, *Arcam olim forinsecus atque intrinsecus oblitam fuisse.* Hæres. 51. Ab eadem Traditione Aerium hæreticum idem doctissimus pater confutat. D. quoque Basilius contra Eunomianos disputans, ex Traditione non scripta, id est, ex publica Ecclesiæ fide, eos refellit. Postremò, hoc torum adeò verum est, vt non alio magis fundamento omnes aduersus hæreses Synodi vsæ fuerint. De Niceno primo sic meminit Theodoretus. *Multis*, inquit, *ibi bene & rectè, nonnullis perperam sentientibus, obtinuit illa quæ tunc per vniuersum orbem vicerat ac diuulgata fuerat fidei confessio.* Hæc ille in *Philotheo* suo, in vita B. Iacobi Nisibensis Episcopi. Hoc & S. Hilarius de seipso

B fatetur in lib. de Synodis aduersus Arrianos in fine. *Iouianus* se credidisse, antequam Concilij Niceni decreta vidisset. Sic & Athanasius in Epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ non longè à principio ait hæresim Arrij, *etiam ante Concilium Nicenum omnibus abominabilem fuisse à quo tempore Artemas, eius fundamenta iaciebat*: de quo homine vide Euseb. lib. 5. cap. 27. hist. Eccl. Idem sane in omnibus aliis Conciliis factum fuisse animaduertere licet: nihil scilicet aliud decretum fuisse, quàm quod antiquæ, & publicè receptæ totius Ecclesiæ fidei conueniret; quod & à nobis postea ostendetur, cùm de Patrum in fide iudicio disputabitur. Quare saluberrimum est quod cõtra omnes hæreses de hac fidei regula seruãda, & tanquam deposito Apostolico, vel Dominico potius solertissimè custodiẽdo ante annos 1200. scripsit Vincẽtius Lyrenensis in libello contra hæreses. *Depositum*, inquit, *custodi. Quid est depositum? Id est quod tibi creditum est, non quod à te inuentum: quod accepisti non quod excogitasti, rem non ingenij sed doctrinæ, non vsurpationis priuatæ sed publicæ traditionis: rem ad te perductam non à te prolatam: in qua non Author debes esse sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens sed sequens. Depositum custodi, Catholicæ fidei talentum inuiolatum illibatumque conserua: Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: Nolo mihi pro aliis alia subiicias Nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam plane.* Hæc Vincentius, Regulæ fidei, id est depositi Apostolici, & talenti Dominici naturam ac proprietatem, eleganter pariter & graphicè depingens.

Origenes in prooemio lib. de principiis.

Hæreticos sola fides tradita seu Traditio maiorum refellit.

Epiphan. in. Hæres. 5

Hæres. 75

D. Basilius in lib. de Spiritu sancto ca. 17.

In Nicæna Synodo prima, ex Regula fidei cõuicta hæresis.

Infrà cap. 11.

C

Quòd veteres hæretici inde deprahensi sunt, quia noua & præter Regulam fidei omnibus notissimam docerent.

CAPVT IIII.

TANTVM autem præiudicium communis Ecclesiæ fides semper fuit, vt non aliunde olim magis, aut alia certiore nota hæretici depræhensi fuerint, quàm quòd noua & ab illa publica ac recepta fide aliena assererent. Scribit Irenæus de Marcione, Valentino, Cerintho, Basilide, quòd *vnusquisque eorum Regulã veritatis deprauans, semetipsum* (id est à se inuentã doctrinã) *prædicare non erubesceret.* Notatur de Paulo Samosateno quòd *relicto Ecclesiæ Canone, ad peregrinam & adulterinam doctrinã transierit*, apud Eus. lib. 7. c. 24. Notatur de Mõtano quod *peregrinas quasdã voces funderet contra quã Ecclesiæ cõsuetudo cùm traditione, tũ successione antiquitus ab Apostolorũ tẽporibus eo vsque deriuata postu-*

Lib. 3. cap. 3.

Hæreticorũ omnium nota certissima.

Lib. de vera relig. cap. 5.

labat,prophetando. Apud Eusebium lib.5.capite 15.Idem de Nestorio notat Socrates lib.7.ca- D
32.Denique omnes hæreses notat Augustinus, *à regula Christianitatis auersas sic demum eiectas*
fuisse. Vnde sane merito Tertullianus *illis veritatem adiudicat,quicunque in ea Regula incedunt,*
quam Ecclesia ab Apostolis,Apostoli à Christo acceptam tradiderunt. In libello de præscriptioni-
bus.Postremò,tantum præiudicium fuit hæc sola vox Ecclesiæ,id est,publica omnium fides,
vt omnes fere hæretici,cùm primùm sua venena propinarunt, ea omnibus modis occultare
contenderint, & vt nihil ab hac publica fide alienum docere viderentur, omni studio ege-

Hæreticorum proprium sua dogmata initio occultare.

rint. Sic de Arrianis scribit Hilarius, quòd *cùm prædicare ipsi publicè sua dogmata non aude-*
rent ; Imperatorem tamen seorsim fallerent ad audiendum ; in lib. de Synodis. Idem docet de
Arriana & Sabelliana hæresi idem Hilarius de Trinitate lib.5. Sic de eisdem Arrianis Atha-
nasius, eos propterea *lucifugas* vocans; quòd *Arriani e sapientes sese tamen occultarent.* in Epist.
ad Epictetum Corinthiorum Episcoporum in principio. Nempe ne suam opinionis diuersi-
tatem proderent *sub vocabulo ingeniti,animi prauitatem occultabant* , ait idem Athanasius in li-

Vide disputationem habitam cum Arrio apud Athanas.

bro de decretis Nicenæ Synodi. Sic in libro ad Serapionem in fine de aliis notat, *quòd Spi-*
ritum sanctum negantes , simularent se Arrianis contradicere , sicut ipse Arrius simulabat se Sabel-
lium impugnare. Ideóque, vt in serm.3. contra Arrianos scribit, quum diuinitatem filij negan-
tes *abominabile hoc eorum dogma apud omnes esse viderent,statim veluti fulcrum quoddam ruinosæ*
hæresi excellentiam humanitatis Christi subiiciebant , multis verbis eam prædicantes,& hoc fuco
suam alteram hæresim decolorantes. Sic de Iohanne Hierosolymitano notauit Sanctus
Hieronymus in Epistol.ad Pammachium contra errores eius. *Non eras tam stultus*,inquit, *vt* E
apertè defenderes hæresim,quam sciebas Ecclesiæ displicere.Sic sententiam temperasti , vt nec simplici-

Lib 3. cap.1. Pelagij fraus in occultanda sua hæresis nouitate.

bus displiceres,nec tuos offenderes. Hæc ille non longè ab initio. Notauit idem de Pelagio ac Pe-
lagianis Augustinus multis in locis. De ipso Pelagio in libris de peccatorum meritis & remis-
sionibus his verbis. *Vidésne obsecro quemadmodum hoc totum Pelagius,non ex sua,sed ex aliorum*
persona indiderit scriptis suis? Vsque adeo sciens,hanc nescio quam esse nouitatem, quæ contra antiquã
Ecclesiæ insitam opinionem sonare nunc cœperit , vt eam ipse confiteri aut verecundatus aut veritus
fuerit: Hæc ille. Rursum eiusdem lib.cap.13. *Id agit*,inquit,*Pelagij disputatio, vt infantes omninò*
superfluè baptisari videantur,sed apertè hoc non dicitur,ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo
suos violatores ferre non possit. Hæc ille. Et in lib.de peccato Originali cap.15.& 16.*Pelagius* , in-
quit,*in Synodo Palestina anathematisans eos,qui dicunt Adæ peccatum ipsi soli obfuisse , non generi*
humano,Episcopos Catholicos decepit , existimantes eum illis verbis nihil aliud sapere,quàm quod Ca-
tholica Ecclesia prædicare cõsueuit. Intellexit ille tamen obfuisse aliis Adę peccatum,non in pro-
pagine nascentium,sed in exemplo imitantium:vt commemorat ibi Aug. Vide iterum de eo-
dem Pelagio eundem Augustinum libro 1.cap.9.de gratia Christi: De ipsis quoque Pelagia-
nis,vide eundem contra duas Epistolas Pelagianorum lib.2.cap.5.& lib.4.cap.2.& 3.vbi post-
quam varias latebras Pelagianorum enumerasset,quibus doctrinam suam occultant , graui-
ter insectando Manicheos(qui in altero extremo fuerunt)præclarè docet facile vtrosq; dam-

Regula catholicæ fidei omnem hæresim euertit.

nari , & deuitari:*si regula* , inquit , *Catholicæ fidei teneatur , nec hoc cum Pelagio,illud cum Mani-*
chæo doceatur. Sic de Paulo Samosateno meminit Eusebius hist.Eccl.lib.7.cap.22.*quòd in Sy-* F
nodo Episcoporum contra eum collecta,diu multúmque peregrinam suam & alienam ab Ecclesia do-

Studium hæreticorum in occultandis suis dogmatibus, ne Regulæ fidei aduersari videantur.

ctrinam adhuc occultare & obtegere moliebatur. Sic de Messalianis narrat Theodoretus, hæreti-
carum fabularum lib.4.quòd eorum Princeps Adelphius non aliter ad hæresim suam mani-
festandam induci potuerit, quàm simulante Episcopo Flauiano se illi fauere, cúmque in ad-
miratione habere. Simili dolo ab Imperatore Alexio delinitus Basilius, Bogomilorum prin-
ceps,ad suam hæresim manifestandam inductus est,vt scribit Euthymius Panopliæ Par.2.tit.
23.in principio. Idem rursus de Palagianis vide apud August. Epist.105.prope finem. Quum
enim Ecclesiæ vsum de exorcismis infantûm produxisset; *Non audent*,inquit , *dicere hæc in Ec-*
clesia mendaciter geri. Móxque eos inde breuiter confutandos esse docet. Sic Arrius quum filij
diuinitatem negaret,tamen Baptismi formam qua baptisantur fideles in Nomine patris & fi-
lij,& Spiritus Sancti,*propter nimis apertam transgressionem mutare non est ausus*,ait Theodoretus
lib.4.hæreticarum fabularum. Non aliam verò ob causam sic veteres hęretici agebant,quàm
ne publicæ Ecclesiæ fidei contradicere viderentur: vnde statim se deprehendendos & pro hę-
reticis condemnandos facile animaduertebant.

Euasio

A

Euasio veterum hæreticorum contra hanc reprehensionem ex violata aut relicta Regula fidei.

CAPVT V.

IAM verò, vt quæ contra hoc medium & argumenti genus inde deductum vel olim vel hodie disputata sunt, breuiter soluamus; obseruandum est duplici ratione veteres hæreticos, & altera illarum hodie nostros, illud declinare & excutere voluisse. Veteres enim hæretici partim & occultis Apostolorum traditionibus, partim ex communi populorum errore ab Apostolica traditione recedentium, noua sua dogmata contra Publicam hanc Ecclesiæ Catholicæ fidem asserere & stabilire voluerunt: quam hodie nostri secuti sunt. De prima illa hæreticorum euasione scribit Tertullianus in libro de Tertullianus.
præscriptionibus paulò post medium, *quòd dicerent Apostolos non omnia omnibus reuelasse, sed quædam palam & vniuersis, quædam secretè & paucis demandasse, quia & hoc verbo vsus est Paulus. O Timothee depositum custodi.* Contra hanc euasionem, disputat prolixè Tertullianus. Primùm ex ipso Paulo qui eundem Timotheum iubet, *ea commendare fidelibus quæ ex ipso audierat per multos testes*, id est, in facie Ecclesiæ.. Cui etiam addi potest, quòd idem Apostolus 1. Cor. *Traditiones Ecclesiæ non sunt occulta, sed fides notissima.* 1.
B 14. contestatur, se non nisi notissimam fidem docere. *Sicut*, inquit, *in omnibus Ecclesiis sanctorũ doceo*: nihil etiam priuatum, sed *siue ego*, inquit, *siue illi, sic prædicauimus & sic credidistis*. Deinde huc pertinet, quòd Saluator apertè in Euangelio Apostolis dixit, *vt quæ in aure audiuerant, prædicarent in tecto*: Nec non & illud, quòd vocat eos *lucernam non sub modio abscondendam, sed super candelabrum ponendam, vt luceat omnibus qui in domo sunt*: id est, in Ecclesia. Denique cùm nec Iudæos, nec Ethnicos Apostoli timerent, quin illos liberè omnem veritatem docerent, (qua de re vide Petri verba Act. 4. ad Iudæorum principes facta, & Orationem Pauli Act. 20. ad Episcopos & Præsbyteros Ephesi relictos habitam:) multo magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxerant, quòd aliis paucis seorsim demandarent. Postremò, etsi quædam inter domesticos disserebant, quasi magis ardua & supra captum vulgarem, (vt re vera factũ fuisse commemorat Eusebius demonst. Euang. lib. 1. cap. 6. & Origenes in prooemio lib. de princ.) *non tamen ea fuisse credendum est*, ait Tertul. *quæ aliam fidei regulam superinducerent, diuersam & contrariã illi quam Catholicè in mediũ proferebant: vt alium dominũ in Ecclesia dicerent, aliũ in hospitio*. Hæc ille.

2. Tim. 2. 1. Cor. 14. 1. Cor. 15. 2. Matth. 10. Matth. 5. 3. 4.

Eandem veterum hæreticorum euasionem commemorat Irenæus lib. 3. cap. 2. Irenæus.
qui propter illud Apostoli, *Sapientiam loquimur inter perfectos, &c. eam quam à semetipso adinuenit vnusquisque fictionem, illam esse sapientiam dicebant. Nempe se indubitatè & incontaminatè & syncerè absconditum scire mysterium*. Hęc ille. Respondet autem in sequenti capite dicens: *Si ita esset, vt recondita mysteria sciuissent Apostoli, quæ seorsim & latenter à reliquis perfectos docebant, certè iis vel maximè ea traderent, quibus ipsas Ecclesias committebant, quos & successores relinquebant*. Hæc ille: Quæ totidem verbis nostris hodie hæreticis responde: vt singularem quam venditant eruditionem & fidem, non nisi ab Apostolorum successoribus, Ecclesiæ Magistris accipere discant. *Hæreticorũ doctrina est propria, singularis, & secreta.*

C

Postremò, eandem euasionem commemorat D. Augustinus ex illis Domini verbis sumptam: *Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modo: Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Omnes*, inquit, *insipientissimi hæretici audacias figmentorum suorum, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur*. Sed hoc pertinere docet ad illam meretricis vocem Prouerb. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt: & panis absconditus suauior*. Item ad fabulas illas, de quibus Apost. 2. Timoth. 4. dicit *Ad fabulas conuertentur, &c.* Móxque in Tract. sequenti respondens illi alteri loco. *Sapientiam loquimur inter perfectos, Christus*, inquit, *carnalibus paruulis est lacteus potus; spiritualibus & perfectioribus seu capacioribus est solidus cibus: Non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerũt, sed quia quod eodẽ modo vtrique cũ diceretur audiebãt, pro suo modo quique capiebãt*. Et paulo post. *Propter paruulorũ lac & spiritualiũ solidum cibum, nulla necessitas est, vt aliqua secreta doctrinæ taceantur & abscondantur fidelibus paruulis, seorsim dicenda maioribus*, id est intelligentioribus, quod longa ibi disputatione ex Apostoli verbis probat, & tandem concludit. *Ex quo fit vt spirituales ista carnalibus, non omnino taceant propter Catholicam fidem quæ omnibus prædicanda est; nec tamen sic disse-*

Tract. 97. in Ioannem. *Secreta Traditiones hæreticorum propria.* *Tract. 98. in Ioan.* *mysteria omnibus prædicantur credenda, & si non aperiantur intelligenda.*

rant, vt volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, faciliùs fastidiri faciant in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem. Hæc ille. D

Iam verò quia eodem in loco saluberrimam & magnis & paruis exhortationem subdit, quæ ad hanc Regulæ seu Normæ Ecclesiasticæ diligentissimè retinendæ doctrinam egregiè pertinet, eam hoc loco breuiter subiiciam. Magno & spirituali dicit; *In eo quod peruenimus, ambulemus. Si quid ergo intellexeris, quod non sit contra regulam Catholicæ fidei, ad quam velut viam quæ te ducat ad patriã peruenisti, & sic intellexeris vt inde dubitare omnino non debeas; adde ædificium, noli relinquere fundamentum.* Quod se fecisse egregie describit Basilius. *Quam à puero, inquit, sententiam de Deo accepi, illam iustu incrementis auctam & adultam in meipso conseruaui non alias post alias maturescente ratione assumpsi, sed tradita principia absolui, & ad perfectionem deduxi: sicuti semen dum crescit, maius quidem è modico redditur, idem tamen est quod antea; non immutatum genere, sed perfectum ex incremento.* Hæc ille. De hoc etiam semine lege Augustinum de vnitate Ecclesiæ cap.15. Doctrina enim Catholica est *bonum semen in agro Dominico* (Mat. 13.) quod *crescit & fructificat in vniuerso mundo, per opera quidem bona fructificans, sed in scientia Dei crescens:* vt ad Coloss. cap.1. docet Apostolus. Non autem immutatur, non variatur aliquando. Quod etiam Vincentius Lyrenensis eleganter (vt omnia) his verbis expressit: *Christianæ religionis dogma sequatur has docet profectuũ leges, vt annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate: incorruptum tamẽ illibatumque permaneat: & vniuersis partium suarum mensuris, cũctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum ac perfectum sit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustineat definitionis varietatem.* Hæc ille E in libello contra hæreses: cap.29. quod & latius prosequitur cap. sequenti.

Regula catholicæ fidei est via quæ ducit ad patriam.
Epist.79.
Regula fidei est semen quod crescit quidem sed non mutatur.
Tract. 98. in Ioan.

Paruulis autem dicit August. *Vaniloquos fabulosa & falsa garrientes, & aliam scientiam promittentes contra regulam fidei, quam Catholicam suscepistis, omnino cauere & fugere debetis.* Et paulò post. *Qui enim prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Quod ergo dixit Dominus. Adhuc multa habeo vobis dicere, &c. adiicienda illis postea fuerant quæ adhuc nesciebant, non quæ iam didicerant euertenda.* Hæc ibi ille. Paruulorum quoque siue carnalium hac in re officium idem alibi docet his verbis. *Regulam fidei diligenter inquisitam tenent, & si quid ab ea deuiant, cito authoritate Catholica corriguntur, quamuis in eius verbis pro sensu carnali varijs adhuc phantasmatum concursibus fluctuent.* Hæc ille de bapt. contra Donatistas lib. 5. cap. 27. Atque hæc contra primam veterum hæreticorum euasionem.

Paruulorum in fide officium.

Altera euasio veteribus & hodie nostris hæreticis communis.

CAPVT VI.

ALTERA euasio fuit, & veteribus olim & nostris hodie hæreticis communis, nempe ab hac notissima fidei regula ab Apostolis tradita, per posteriores Ecclesias recessum esse; & apud paucos illam puram & illibatam remansisse. F Hanc veterum euasionem, apud Tertullian[illegible] cet in præscriptionibus. *Videamus*, inquit, *ne Apostoli quidem simp[illegible]iter & plenè omnem Regulæ ordinem omnibus ediderint, Ecclesiæ autem suo vitio aliter acceperint, quàm Apostoli præferebant. Omnia enim ista scrupulositatis inuitamenta inuenias prætendi ab hæreticis.* Hæc ille. Moxque respondet. *Hoc si ita est, neglexit officium Dei villicus Christi, vicarius Spiritus Sanctus, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat.* Quod tanquam blasphemum & absurdissimum reiiciens; *Quomodo*, inquit, *verisimile est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint?* Et paulò post. *Tot millia millium perperam baptisata; tot opera fidei perperam ministrata; tot virtutes, tot charismata perperã operata; tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique Martyria perperam & in vacuum.* Quæ eius disputatio si tunc vix 200. post Christum annis valuit, quanto fortius & plenius post annos iam 1500. & amplius valebit? Eundem autem in modum & Vincentius Lyrenensis contra sui temporis hæreticos argumentatur cap.33. Sed hunc in modum argumentari Tertullianum & Vincentium & fideles omnes docuit Apostolus, qui ad probandam Resurrectionem Christi sic disputat. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei.* Vbi tria vrget Apostolus. Primùm prædi-

Ecclesia non potest deficere à prima Regula fidei accepta.

Argumentatio Apostolica.
1.Cor. 15.
1.

A prædicationem suam;id est,publicam fidem ab eo traditam sicut acceperat: de qua prius eo- 1.
dem cap.dixerat. *Tradidi vobis quod & accepi.* Secundò,fidem ab ipsis acceptam & eorum cō- 2.
sensione approbatam;de qua etiam prius ibidē dixerat. *Quod & accepistis,in quo & statis.* Ter- 3.
tiò, Authoritatem suam Apostolicā siue Episcopalem,dicēs. *Inuenimur falsi testes.* Hæc enim tria(argumentando apud fideles, sicuti in totis istis Controuersiis non argumentamur)putat esse firmissima argumentandi genera. Nostri verò hodie hæretici eandē euasionem vsurpant, *dum paucorum esse veritatem,in multitudine autem errorem;dum semper à condito mundo maiorem hominum partem veritati restitisse;neque solum extra Ecclesiam Dei,vt Ethnicos, Mahometistas & cæteros,sed etiā in ipso cœtu qui titulum habet Ecclesiæ Dei, magnam semper esse multitudinē à veritate aberrantem* asserunt. Quam quidem eorum assertionem ex ipsorum verbis in prima Cōtrouersia produximus, eidemque respondimus, quum ipsorum argumenta contra visibilem semper Ecclesiæ multitudinem eiusdémque perpetuitatem soluimus. Neque enim alia sunt quæ contra hoc iudicij Ecclesiastici Medium à Regula fidei sumptum disputant,quàm quæ contra illas duas veræ Ecclesiæ proprietates disputare solent. Idcirco enim publicam Ecclesiæ fidem & consuetudinem in iudicio Controuersiarum præscribere nolunt, quia ex illorum sententia Ecclesia potest errare, *& totus mundus* (vt ait Musculus) *siue in Ecclesia siue extrà in mendaciis fluctuat.* Quæ omnia partim sunt antea refutata, partim mox in quarta Controuersia refutabuntur magis:& idcirco contra omnes eorum fraudes hoc Medium à nobis hic positum satis stabilitum videri potest. Maximè si huc referas, quæ sub finem primæ Contro-
B uersiæ, de paucitate quam veteres hæretici semper commendabant, multis exemplis ostendimus. Ex illis enim manifestum euasit, Catholicis semper proprium fuisse,ab hac publica Ecclesiæ fide contra omnes hæreses argumentari: hæreticis autem proprium eandem declinare,& contra eam, suam paucitatem defendendo,(vt nostri hodie faciunt)omnibus modis præscribere. Atque hæc de hoc Medio in iudicio fidei,à Regula fidei,siue à tradita ac notissima totius Ecclesiæ doctrina ac consentiente sententia (quam Ecclesiæ consuetudinem vel Traditionem alij vocant)petito,lōgè vtilissimo maximéque necessario, hactenus dicta sunto. Nunc ad alia Media demonstranda pergamus.

Suprà libr. 2. cap 8. & lib 3. cap. 6.

Quare protestantes Medium hoc à Regula fidei seu Ecclesiæ consuetudine aut traditione petitum respuunt.

Suprà libr. 4. cap. 14.
Infrà li. 8. ca. 12. & seq.

Quum Regula fidei proposita non persuaderet, mutuæ & consentientes Episcoporum literæ, Iudicij Ecclesiastici ad reprimendos errores in fide, Medium non incelebre fuit.

CAPVT VII.

C ATQVE hoc quidem Medium à Regula fidei notissima, & consentiente fidelium omnium iudicio ac sententia petitum, tale erat, vt aliquo vel emergēte dubio, vel exoriente contradictione pertinaci seu hæretica, intra priuatos parietes vel intra saltem cuiusuis parœciæ limites ab Episcopis aliísque pastoribus adhiberi potuerit;indéque vel dubium dissolui,vel contradictio non nimium pertinax & obstinata consopiri. At verò, quum nec sic sopiri contradictio potuit, sed magis in publicum serpere,fortásque ad plurium notitiam prodire partium contradictio cœpit,erratica videlicet oue sui proprij pastoris monita spernēte; animaduerso apud veteres solenne hoc & celebre fuisse, vt ad absentes vel totius prouinciæ, vel etiam aliarum prouinciarum, adeóque totius orbis coepiscopos, literæ publicæ ab Episcopo loci in quo emergere hæresis cœpit,scriberentur, vt communi multorum patrum iudicio noua dogmatisans, qui proprij Patris iudicium contempserat, damnaretur. Huius rei exempla quæ mihi occurrerunt,commemorabo. Alexander Alexandrinus Patriarcha, quum Arrium Præsbyterum suæ Ecclesiæ,aliósque cum eo nonnullos, detestandam illam hæresim postea Arrianam dictam tunc primò seminantes & in vulgus spargentes,nec monendo, nec contrà differendo; nec excommunicando compescere potuit; primùm quidem habita 100. Episcoporum suæ prouinciæ Synodo, eos publicè damnauit. Quum autem illi nihilo meliores facti, ad alios quosdam Episcopos se conferrent, eorum quasi sub tutela venena sua semper spargentes, scripsit sollicitus & egregius pastor, ad omnes coepiscopos suos vbique gē-

Boni episcopi officium circa nouorum dogmatum magistros.

Histor. eccles. lib. 1. cap. 3. tium positos, prolixā & eruditissimam Epistolam de hæretica sententia, & de depositione Arrij D & sociorum eius, quam videre licet apud Socratem. Sic Pelagij & Cælestij doctrina in Palæstina & Mileuitana Synodis damnata, quum adhuc grassari non desineret, datis ad totius orbis Episcopos literis à Zosymo Papa, (quarum mentionem facit August. Epist. 47. & lib. 2. de pec. orig. c. 21.) *magis adhuc euidenter damnata est*, vt scribit Aug. ad Hilarium. Et de hac ipsa diligentia adhibita, qua ab Episcopis Catholicis in suis locis sedentibus, subscriptiones contra hæresim Pelagianam petebantur, ægerrimè ipsi Pelagiani conquesti sunt; *illas subscriptiones simplicibus episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extortas esse* clamitantes, vt cōmemorat August. Quibus etiam postea de hac praxi & Medio conquerentibus, eodem libro respondit. *An verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur? Quasi verò nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit; quum potius rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit multòque sint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari damnaríque meruerūt, atque inde per cæteras terras deuitandæ innotescere potuerunt.* Hæc ille; ostendens quòd per literas ad reliquos Christiani orbis Episcopos scriptas, satis innotuerunt nouorum dogmatum seminatores vel zizaniorum potius superseminatores. Sic de Fortunato, & Fœlicissimo, aliísque Nouatianis pseudoepiscopis, factū fuisse meminit Cyprianus. Ait enim scribens ad Cornelium Papam, non solum sua, sed & plurimorum coepiscoporum sententia condemnatos eos fuisse, eáque de re literas ad eum, alióſque fratres coepiscopos suos, missas fuisse. Hoc etiam Medio seu potius remedio, contra Sabellij & Anomæi sectatores, vsus est Magnus ille Basilius. *Si in istu, inquit, perseuerauerint, cogemur & ad alias Ecclesias acceptum damnum proclamare, efficeréque vt à pluribus ad vos Episcopis mittantur literæ, quibus impij huius figmenti magnitudo destruatur.* Hæc ille. Sic contra Apollinarium, Eustathium & E Paulinum hæreticos scripsit ad Occidentales Episcopos idem Basilius, & ait. *Quòd si plures quoque vnanimes ea decreuerìtis, manifestum est quod multitudo eadem decernentium, indubitatam omnibus efficiet dogmatis susceptionem.* Hæc ille. Rationem quoque huius remedij quæ quidem frequenter vsu venire solet, paulò ante eodem in loco præmiserat. *Quæ nos enim loquimur* (ait) *multis suspecta sunt, quasi propter priuatas quasdam contentiones, metum ac pusillanimitatem illis incutere velimus. Vos verò quanto ab illis habitatione remotiores estis, tanto plus apud plebem habetis fidei.* Ita enim sanè interdum accidit; vt controuersia de fide oborta, proprio Episcopo quasi suam causam agenti, aut suo vel honori consulenti vel stomacho indulgenti; non solum ab impiorum dogmatum authoribus, sed etiam ab ipsa plebe Catholica, rudi tamen & nouis Magistris nimium plerumque credula, minus credatur. Quo quidem in casu exterorum Episcoporum longéque absentium iudicia per literas petita & accepta, ad sopiendam controuersiam plurimùm momenti afferre possunt, & solent. Nam & sic quoque idem Sanctus Basilius quum Arrianos resipiscentes ad pœnitentiam reciperet, facileque sine vlla hæsitatione admitteret, hoc factum suum quia quibusdam displicuit (vnde postea schisma Luciferianum exortum est) inde tuetur, quòd hac de re B. Athanasij Alexandrini Episcopi literas accepisset, in quibus etiam omnes tum Macedoniæ tum Achaiæ Episcopos eadem sentientes allegauerat Athanasius: *necessarium* videlicet (vt ait) *arbitratus, vt tanto viro, & propter fide dignā authoritatem eorum qui id decreuerant, obsequeretur.* Vide de huiusmodi literis Synodicis, & Episcoporum ad Origenistarum hæresim extinguendam mutuas Epistolas, Theophili Alexandrini & Epiphanij, apud Hieron. epist. tom. 2. Plena est his exemplis historia Ecclesiastica; plena quoque SS. Patrum volumina. Nam & in hunc quoque finem literæ etiam illæ formatæ siue communicatoriæ, de quibus in prima Controuersia mentionem fecimus, multáque earum exempla protulimus, in Ecclesia Catholica diligenter in vsum receptæ sunt. Ostendit autem diligentissima hæc Maiorum nostrorum praxis, ad controuersias de fide terminandas Ecclesiæ iudicio, Episcoporum etiam absentium consulta responsa, & consentientes sententias plurimum valuisse, Medíumque solenne & non incelebre fuisse. F

Margin notes: Epist. 94. — Lib. 4. cap. 8. cont. 2. epist. Pelag. — Cap. 12. ibidem. — Non propter quascunque hæreses congregandæ Synodi. — Lib. 1. epist. 3. — Epist. 64. — Epist. 74. — Quare absentiū Episcoporum literæ commodius hæreticis reprimuntur. — Epist. 75. — Lib. 4. Cap. 18.

Alterum Medium est, Concilia in rebus arduis celebrare: in quibus plenius & certius exercetur hac Ecclesia Potestas iudicandi de fide.

Caput

CAPVT VIII.

LIVD Medium erat, idémque longè celeberrimum; vt vel quum absentium Episcoporum consultæ sententiæ non sufficerent, vel etiam antequã illæ consulerentur, collecti pariter in Synodis Episcopi de re dubia deliberarent, atque communi sententia finem controuersiæ imponerent. Quãuis enim in doctrina fidei vnusquisque pastor oues docere possit & debeat vicissimque pastorem oues audire; tamen si vel pastor ipse aut Episcopus, nouum aliquid & à collegarũ iudicio alienum doceat, vel ouis aliqua refractariam se gerens pastori suo non obediat, vel denique aliquid arduum in dubium venit, de cuius veritate liquidò exploranda non suppetit consilium domi, in his & similibus commune Episcoporum pariter collectorum iudicium, Medium est, quo ab exordio Ecclesiæ per omnes ætates & contra omnes hæreses, quum res ita postularet, vsa semper Ecclesia fuit tanquam tutissimo quodam adeóque in causa fidei infallibili Medio. Neque est quòd hac de re multa verba faciamus, quum res sit & per se notissima, & præterea à quàm multis hodie scriptoribus copiosè pertractata, contráque aduersariorum calumnias & insidias strenuè defensa, abundéque explicata. Pauca hoc loco breuiter & summarim, notabimus potius quàm ostendemus.

Quare & quãdo Concilia contra hæreses celebranda.

Apostolorum tempore, quum iis qui Antiochiæ essent, Paulus & Barnabas circa obseruationem legalium satisfacere non possent, *conuenerunt Apostoli & Seniores*, id est Episcopi & præsbyteri, *videre de verbo hoc. Non quòd de re ipsa aliquid dubitarent*, (ait venerabilis Beda) *sed vt mentes dubitantium Apostolicæ Synodi authoritate firmarentur.* Et sanè emisso super hac re Synodi decreto, finem controuersiæ posuerunt, paritérq; perpetuũ & firmum posteris suis Christianis omnibus, finiendi controuersias exemplum reliquerunt. Hinc sanè statim post Apostolos, contra cæteros quosuis hæreticos, eadem via (quum alia Media non sufficerent) processum est. Circa obseruationem Paschatis, variæ habitæ sunt Synodi; Romæ sub Victore Papa, Hierosolymis sub Narcisso, in Gallia sub Irenæo Lugdunensi Episcopo, in Ponto sub Palma, Corinthi sub Bachylo: & sub aliis Episcopis alibi. Contra Montanistas diuersæ in Asia Synodi & conuentus habiti sunt. Contra Paulum Samosatenum Antiochiæ bis coitum est. Contra Nouatianorum sectam, Carthagini in Africa, Arelati in Gallia, & Romæ celebratæ sunt Synodi. Contra Donatistas in causa Cæciliani, eisdem in locis ac præcipuis ciuitatibus Episcopi conuenerunt. Contra Eustathium Gangræ in Armenia, contra Priscillianum Toleti in Hispania, contra Pelagium eiúsque sectatores in Palæstina, Carthagine, Mileto, atque etiam Constantinopoli conuentum est. *vbi* (ait Augustinus) *per competens iudicium communium Episcoporum, causa vestra finita est*, Iulianum Pelagianum alloquens. De qua etiam secta alibi dicit: *Contra Pelagianam hæresim quum fuisset diutius disputatum, etiam ad Concilia episcopalia nouissima necessitate peruentum est.* Sic denique contra Manichæos Ancyræ, contra Archonticos Neocæsareæ, aliósque alibi in primis illis 300. aut 400. annis Episcopi conuenerunt; finémque non quidem semper ipsis hæresibus, controuersiæ tamen & scrupulo omni apud animos fidelium imposuerunt.

Act. 15.

B in libro Retract. in Actus Apost.

Niceph. lib. 4. cap. 22. Euseb. lib. 5. cap. 23. & lib. 6 cap. 43 lib. 7. cap. 28. Socrates lib. 2. ca. 43 Tomo 1. concil.

Synodus prouincialis competens iudicium est ad hæresim finiendam.

Lib. 3. cap. 1. contra Iulianum.

De gratia & lib. arb. cap. 4.

C Postremò verò, quum prouincialia hæc Concilia ad tollendam prorsus controuersiam non sufficerent, ad concilia generalia ex toto orbe congregata itum est; de quibus hoc loco nihil attinet dicere, aut superuacaneam commemorationem texere, quum res ipsa sit passim doctis omnibus notissima, nec alia demonstratione sit opus, quàm tomis conciliorũ inspectis. Rariores tamen illæ hæreses fuerunt (vt suprà ex Augustino audiuimus) quę ad hanc necessitatem Ecclesiam compellerent. Quod enim de Arrianis sui temporis, Auxentio & Palladio dixit Ambrosius, *graue admodum fore, si propter duos in fide cariosos, toto in orbe essent Ecclesiæ sacerdotibus destitutæ*, sic indignum esset in quacunque hæresi reprimenda generales synodos conuocare. Affectare hoc quidem hæretici studiosè solent ad nominis sui famam propagandam, cuius rei incredibili libidine laborant, (vt rectè notauit Augustinus in libello de vtilitate credendi) non tamen hoc illis nisi ipsa cogente necessitate dandum esse Ecclesia censuit. *Iactitabant Pelagiani* (ait Diuus Augustinus) *ideò se esse victores, quia non illis datum est quale desiderabant examen. Nam hanc gloriam captabant*, (ait alibi idem Augustinus) *vt propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregaretur.* Sed respondet vtroque loco doctissimus pater *factum esse illis competens sufficiensque iudicium*: (nimirum per prouincialia Cõcilia superius enumerata) *ideóque vigilantia & diligentia pastorali vbicunque illi lupi apparuerint, conterendos esse.* Et iterum. *Dedit vobis Ecclesia Catholica iudicium quale debuit: vbi causa vestra finita est.* Tantundem hodie nostris protestantibus & cuiuscunque sectæ hæreticis responderi potest ac debet.

Concilia Generalia.

In concilio Aquileiensi tom. 1. conc.

Cap. 14.

contra Iulianum lib. 3. cap. 1.

Lib. 4. cap. 12. ad Bonifaciũ.

Protestantibus hodie datum est iudicium quale debuit. Dedit illis Ecclesia Catholica iudicium quale debuit,non solũ in prouincialibus Synodis frequenter,vt in Moguntino,Treuerensi & Coloniensi,in ipsa Germania superiori; Mechliniẽsi quoque & Cameracensi in Germania inferiori;sed etiam in generali & Oecumenico Concilio Tridentino,eodémque longè doctissimo & sanctissimo. D

Protestantum Cauillationes & exceptiones variæ contra Concilium Oecumenicum Tridentinum, breuiter confutantur.

CAPVT IX.

RIVOLAS autem penéque pueriles adferunt hodie aduersarij contra grauissimum illud Concilium exceptiones. Displicere aiunt,quòd fuerit ibi papa pont. Roma. Concilij Caput, & præses. At in omnibus generalibus Conciliis id hactenus factum fuisse proximo capite ostendemus. Displicet illum esse Iudicem cum aliis episcopis,qui in hac Controuersia sint partes. Illos enim,personas esse in hac Controuersia reas. Sed hæc exceptio non solum stulta,verùm & impia est. Omnium enim hæreticorum est eadem exceptio. Nolunt præsentem Ecclesiam Iudicem esse,à cuius doctrina sese seiungi apertè vidẽt. Sed hoc ipsum & solum hæreticum conuincit,quòd Ecclesiam præsentem Iudicem ferre nõ vult;quam solam in terris omnium cõtrouersiarum præsentem vnaquaque ætate & tempore Iudicem,christus constituit;solam dico non in toto corpore suo aut quibusuis eius partibus, sed in solis episcopis;maximéque petri successore omnium episcoporum principe, vt in 5. & 6.libris à nobis est demonstratum. Displicet tertiò,quòd maiori numero suffragiorum res decernatur. Quid volunt ergo? vt paucitate aut æqualitate suffragiorum feratur sententia? Nihil enim est tertium præterid quod antea repudiarunt. At verò paucitatem stipulari,est omnium hæreticorum proprium;vt in prima Controuersia ostendimus. Et si non sic esset, quæro quare maior in paucitate quàm in multitudine suffragiorum certitudo est? In æqualitate similiter sententientium,decerni nihil potest. Vana ergo est exceptio. Quanquam sane nec ipsa pluralitas,sed (vt ita loquar) totalitas suffragiorum concludit. Deliberatiua enim Sententia certè plurium est: definitiua autem Sententia omnium est. Nam in sententiam plurium omnes transeunt: & communi omnium consensu res fidei semper definitur. Deinde volunt vt ex scriptura res decernatur. Audio,& id nostros facere asserimus:negãt illi. Quis erit arbiter,nisi quibus & nos & illi *obedire & subiacere* Apostolus iubet, *Ecclesiæ præpositi*? nisi quã *audire iubet* Saluator, *Ecclesia*? nisi de quibus dicit, *qui vos audit me audit*, Apostolorum successores? Deinde Scriptura sit Iudex. Sed illam vtraque pars prætendit,nec minus catholicus quàm hæreticus profert: illa mihi non loquitur,illa seipsam non semper exponit. Viuæ vocis interpres & Iudex desideratur. Illa,si Christiani sumus,non alia quàm ipsa Ecclesia esse potest. E F

Hoc ipsum hæreticum conuincit, quod Ecclesiam iudicem recusat.

3. *De numero suffragiorum in Conciliis.*

Lib.4. cap. 14.

Hebr. 13. Matth. 18. Lucæ 10.

4.

5. Displicet adhuc magis,quod in Concilio,non ex iudicio,sed ex præiudicio & affectu contrariorum dogmata conclusum fuerit. Nam ante ipsum Concilium cœptum, solum Papam eos pro hæreticis damnasse,& Leonem 10. edita bulla Lutheri articulos anathemate percussisse,quin & quotãnis in bulla Cœnæ Domini idem repetere. Hoc autem Romani pontificis iudicium,quasi præiudicatam sententiam sine inquisitione & examine alios Episcopos sequutos fuisse: ex consuetudine scilicet iam recepta & Traditione maiorum magis quàm ex verbo Dei rem controuersam definientes. Aliis quoque maximis præiudiciis causam ipsorum à cæteris episcopis & sacerdotibus iamdudum damnatam extitisse,quia pro hæreticis ab illis iam ante Concilium habebãtur. Hæc illi hodie. Æquior fortasse & iustior hæc querela aduersariorum multis videri poterit. Sed nihil ea vanius aut etiam iniquius. Nam quum doctrina ecclesiastica,orthodoxa,christiana,nulla sit iam noua,ac ne post primam euangelij propagationem noua vnquam fuerit,inde consequens fit vt ad hæresim aliquam pro huiusmodi declarãdam & damnandam, nulla opus sit noua definitione, sed tantùm veteris & orthodoxæ fidei (quæ illa sit,) declaratione & explicatione. Quod certè nihil aliud est quàm consuetudini receptæ & Traditioni Maiorũ mordicus adhærere,& paribus semper vestigiis incedere. Quod & modo in Regula fidei obseruanda ostendimus; & mox in Authoritate patrum explicanda

De istis præiudiciis conqueruntur Ecclesiæ Saxonicæ in repet. Confessionis August. in fine.

A canda magis ostendemus. Sic in omnibus Conciliis hactenus contra hæreses collectis, nihil nouum definitum est, sed antiqua fides stabilita de nouo, & confirmata illustriùs fuit. Similiter ante Concilia collecta, contra omnes hæreses, Episcopi qui conuenerunt præiudicatã sententiam (quam ex Regula fidei & Maiorũ traditione hauserant) secum attulerunt. In Concilio Niceno primo contra Arrium definierunt episcopi, qui ipsum Arrium ante Concilium excõmunicauerant, vt Alexander Patriarcha Alexandrinus cum aliis permultis suæ prouinciæ, totius videlicet Ægypti, Episcopis in Synodo quadam Alexandrina prius collectis. Definierunt quoq; contra illum in ipso Cõcilio patres, quia veteres episcopos prædecessores suos ita semper sensisse animaduerterant, vt disertè Eusebius Cæsareensis in epist. ad suos, & Athanasius quoque attestãtur. Ideóque (vt idem notat Athanasius in epist. de Synodis Arimini & Seleucæ) in definitione fidei, *non scripserunt patres Niceni, visum est nobis, vt in quæstione de paschate, sed scripserunt. Sic credit Catholica Ecclesia.* Commemorat quoq; Theod. in suo philotheo, *illam sententiam in Concilio Niceno obtinuisse, quæ tũc per vniuersum orbem vicerat, ac diuulgata fuerat fidei confessio.* Sic de seipso scribit Hilarius, se antequam de fide Nicena audiuisset, homoousion tamen & consubstantialem patri filium credidisse, & ex Scripturis didicisse. Quid ergo? Num propterea Arriani Niceni Concilij Iudicio ac Sententiæ stare non debuerunt, quia tanto cum præiudicio illi Episcopi conuenerunt? Aut quia veteri Traditioni Maiorum suorum adhæserunt? Sed amplius est, quòd in aliis omnibus Generalibus Conciliis postea consecutis, tanto cũ præiudicio episcopi accesserunt; vt semper ante coeptum concilium Generale, Apostolica Sedes, in Rom. pont. omnes illas hæreses, Ecclesiæ pacem tunc perturbantes, prius damnauerit;

B idque vel Synodo Rom. priùs ea de re habita, vel epist. ipsius Rom. Pont. ad concilium de re tota conscripta, cuius doctrinam ad amussim semper reliqui patres & episcopi sequuti sunt. Sic ante concilium Constantinopolitanum secũdum, Damasus Papa collecta Romæ Synodo, Macedonium, Apollinarem, Photinum, Sabellium & Eunomium condemnauit, vt patet ex epist. eius ad Paulinum Thessalonicensem episcopum. Athanasius quoque Alexandrinus Patriarcha cum Eusebio Vercellensi, collecta Alexandriæ Synodo Macedonij hæresim longe ante Concilium illud Generale contra illum damnauit. Sic Nestorium ante Concilium Generale Ephesinum coeptum, damnauit Cælestinus papa, & literis ad Cyrillum scriptis decem dies ad deliberandum Nestorio præscripsit, infra quos nisi sententiam mutaret, excommunicationi & degradationi subiaceret. Quam sententiam sequutus Cyrillus, necessariò se compulsum illa Rom. pont. epist. scribit. Contra Eutychetas ante coeptum Concilium Chalcedonense, iam pronunciauerat Leo Papa scripta longè eruditissima epistola contra dogma illud hæreticum, atque ad concilium missa, quã ita sequuti sunt illius Concilij patres, vt ne latũ vnguem ab illa discederẽt. Similiter Petrum Antiochenum prius Symplicius papa damnauerat, & Acacium Felix Papa, quàm Synodus cõstantinopolitana 2. Generalis quinta contra eũ colligeretur. Imò hanc sententiam Rom. Pont. vniuersum concilium sequutum est. In eodem Concilio damnati sunt Seuerus Antiochenus, Petrus Apamæarum episcopus, Cyrus Edessæ, quos omnes etiam ante illud Concilium papa Hormisda damnauerat: vt ex epist. eius ad presbyteros & Monachos secundæ Syriæ patet: & etiam ex sententia Mennæ patriarchæ Constã-

C tinopolitani contra eosdem. Sic etiam Anthemium in eodem Concilio damnatum, priùs dãnauerat Agapetus Papa, tum Constantinopoli existens, quod diligenter cõmemorans Imperator Iustinianus, reuerenter Rom. Pont. sententiã sequitur. Sic hæreticos Monothelitas, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Constantinopolitanos episcopos, Theodotus & Martinus Ro. põt. collecta Synodo prouinciali ante celebratam aut celebrari coeptã Synodum sextam Generalem (in quã hæc hæresis totius Ecclesiæ Iudicio damnata fuit) publico decreto damnauerunt. Ad ipsam quoque Synodum literas scripsit Agatho papa, quibus hanc hæresim suo iudicio & præiudicio iugulauit. *Agathonis enim relationem* (ait Imperator Constantinus 4.) *tanquam ipsius diuini Petri vocem supermirati sumus. Nemo enim discrepauit nisi vnus.* Sic ante Nicenam secundam Generalem septimam contra Iconomachos collectam, literas præmisit Adrianus pontifex, ad Tarasium Constantinop. Patriarcham quibus illam hæresim suo præiudicio penitus damnauit. Sic postremo Photium Nicolaus primus priùs damnauerat, quã in Concilio Generali octauo cõstantinop. 4. condemnaretur sub Imperatore Basilio. Deniq, cõtra nullos hæreticos vnquã in concilio maximè Generali (quod postremũ est remedium seu potius Medium ad hæreses reprimendas) coitum fuit, quin prius multis & maximis præiudiciis Episcopi orbis christiani, maximè sedes Apostolica Roman. illos pro damnatis habuerint. Coierunt tamen nihilominus, vt pleniùs, vt manifestiùs, vt ad populi

Socrat. lib. 1. cap. 5.

Socrat. lib. 1. cap. 5.

In epistol. ad Africanos.

In vita Iacobi Nisibensis episcopi.

In fine libri de Synodis.

Vide Theodoretum hist. eccles. lib. 5. cap. 10. & 11.

Epist. 1.

Socrates lib. 5. cap. 5.

Vide Euagriũ Lib. 1. cap. 4.

Epist. 10. ad Flauianum.

In epist. Felicis ad Acaciũ Tom. 2. conc.

Conc. const. Gener. 5. Act. 1.

Vide Constitut. Iustin. contra Anthimum & cæter. ibidem.

In vita Theodori & Martini. PP.

Con. oen. 6. Act. 4.

Act. 18.

con. Nic. 2. Act. 2.

In epistol. ad Michaëlẽ Imperat. tom. 3. concil.

Christiani ipsorúmque principum maiorem & euidentiorem instructione damnarentur; atq; D
vt vltimus tandem illi Controuersiæ finis imponeretur; audita iam & intellecta clarissimè in
Concilij decreto, vniuersæ Ecclesiæ voce; quàm qui audire recusaret, non iam pro Christiano
Matth. 18. amplius, sed pro *Ethnico & publicano* iuxta vocem Saluatoris habendus esse. Quo iure ergo
Protestantium exceptio omnibus veteribus hæreticis patrocinatur. protestantes hodie propter Roman. ponific. cæterorúmq; episcopotum præiudicia contra se
facta, Concilii Tridentini sententiæ ac iudicio acquiescere nolũt, eodẽ iure prænominati om-
nes hæretici absoluentur, & Conciliis prænominatis acquiescere non debuisse probabuntur.
Imò, si rectè aduertimus, etiam in primo illo concilio Hierol. ab Apostolis ipsis celebrato, nõ-
ne contra Iudaisantes christianos, & legalium obseruationem baptisatis gẽtibus imponere vo
lentes, iam diu ante manifesta praxis in contrarium ipsorum Apostolorum, maximè Petri &
Act. 10. Pauli, apertè præiudicabat? Nam & antea Petrus Cornelium cum tota domo sua baptisaue-
Act. 14. rat, nullo tali iugo imposito; & Paulus per multas gentes transiens & prædicans, similiter fece-
rat; & denique disertè Apostoli in epist. Synodali ad gentes missa, profitentur sine vllo suo mã-
Act. 15. dato, nouos illos prædicantes & perturbatores pacis Ecclesiæ, suum nouum dogma sparsisse.
Audiuimus, inquiunt, *quia quidam à nobis exeuntes, turbauerũt vos verbis, quibus non mandauimus.*
Act. 15. Postremò Petrus, quum iam fieret magna conquisitio, & antequam ad aliquid concludendũ
Epist. 11. inter epistolas Augustini. veniretur, suam sententiam præmittens tantum causæ præiudiciũ attulit, vt *tacente omni mul-
titudine*, Apostolorum videlicet & Seniorum reliquorum (nam illi soli conuenerant) *in senten-
tiam Petri* (ait Hier.) *Iacobus primùm, móxque alij omnes presbyteri transirent*. Quod exemplũ se-
cuta posteritas, in Sedis Apostolicæ Rom. (in qua Petri Successor sedet) præiudicatam senten- E
tiam cõtra omnes hæreses, in omnibus Cõciliis, vnanimi consensu transiuit, vt modo in singu
lis ostẽdimus, solo primo Niceno excepto, cuius acta ad nostras manus non venerunt. Nõ de-
buerunt ergo ex Protestantum sententia, Iudaisantes illi christiani, Apostolorum decreto ac-
quiescere, vel propter præiudicatam antea illorum opinionem & sententiam, vel quia Papa il-
le Petrus suo præiudicio cæteros traxit. Vides ergo quàm sit hæc Protestantum exceptio non
solum vana sed etiam iniquissima, vt quæ omnibus qui hactenus extiterunt hæreticis, egregiè
patrocinatur, ipsam verò fidem orthodoxam (si semel admittatur) penitus pessundat & euertit.
Nulla enim hæresis hactenus legitimè damnata fuerit, ac ne quidem vnquam rectè ac legiti-
mè damnari poterit, hæc istorum hominum exceptio semel si admittatur.

6. Sed audiamus, si Papam cum suis, id est, si Eccl. Catholicæ episcopos de Controuersiis ho-
die iudicare nolunt, quos demum Iudices, quos arbitros admittent? Qui tandem illi erunt qui
Quale concilium postulent Protestantes. in Concilio collecti sententiam ferant? Concilium enim diu multúmq; flagitarũt, Christianũ
scilicet & liberum in quo hæc dissensio tandẽ cõponatur. Aiunt concilium se expetere, *in quo
instituatur examinatio doctrinæ iuxta verbum* Dei *per homines idoneos, non partiales*. Cui illorũ vo-
to sic breuiter respõdetur. Iam facta est in Concilio Oecumenico Tridentino, prolixa valdè,
accurata, & diligentissima examinatio doctrinæ, doctissimis viris & Theologis scientissimis
vndequaq; collectis, idq; iuxta verbũ Dei, tam scriptum in vtroque Instrumento Sacræ pagi-
næ, quàm etiam non scriptũ. Quod quidem vel ipsa decreta eius Concilij Canonibus præfixa,
luculenter ostendunt. Vbi liquidissimis Sacræ Scripturæ *testimoniis vniuersa* ferè doctrina soli- F
dè confirmatur. Imò, aiunt illi, Sacræ Scripturæ testimonia iniquissimè in alienũ sensum tor-
quentur, & causæ præsenti nihil subseruiũt. Rogo ergo hoc loco, quàm possum studiosissimè
Protestantes omnes & singulos, quis huius rei arbiter erit, rectène illi patres, Episcopi & docto
Protestantes de concilij æquitate iudicare non possunt. res in Ecclesia cõstituti, Scripturã tractauerint, an non? Vos ne illi Iudices esse vultis? Omitto
quòd ad hoc munus vocati non estis. Authoritatis enim hæc res est, non rationis aut argumẽ-
ti; vt in sequentibus luce meridiana clariùs ostendetur.

Hoc respondeo, hoc vrgeo, quòd & vos ipsi partiales estis, & cum præiudicio ad hoc examẽ
venitis. An tertii generis Iudicẽ preferre potestis? An græcos schismaticos, an Turcas an Moros
inter nos & vos hanc litem componere vultis? Verbũ Dei, dicitis, Iudex erit. Sed verbum Dei
scriptũ (quale solũ vos intelligitis) iam vtriq; protulimus. De interpretatione, tractatione, & ap-
plicatione huius verbi quæritur. Accusatis Cõciliũ homines superbissimi, & veteribus omni-
bus hæreticis simillimi, quòd male tractauerit verbum Dei. Condemnauit vos vicissim ipsum
Resolutio necessaria circa Iudicij Normam. conciliũ, & anathema vobis dixit, more sane omniũ hactenus Conciliorũ quòd sceleratè &
perniciosè animas fidelium ab auita fide abduxistis, & ita pestilenter seduxistis: nec alia magis
1. ratione quã verbi Dei fauduléta corruptela. Debetis, debetis, o Protestãtes, aut Cõcilio acqui-
Matth. 18. escere, *Ecclesiã* in suis pastoribus *audire*, *Præpositis vestris obedire*, *Episcopis qui regũt Ecclesiã* pare-
Hebr. 13. Act. 20. re, per *Pastores & doctores quos Christus Ecclesiæ suæ dedit*, *ædificari & cõsummari*, id est instrui &
doceri

A doceri; *Ecclesiā pro columna & firmamēto veritatis* agnoscere: aut certè euidēter ostēdere, vos esse Ephes. 4.
illos pastores, illos prępositos, illos doctores, illos Episcopos Ecclesiarū, illam denique Ecclesiā, 1. Tim. 3. 2.
quam solam agnoscere, audire, reuereri, & cui soli parere & acquiescere omnes oportet: aut 3.
profectò quod res est cōfiteri, vos *Ethnicos* nō christianos esse qui Ecclesiam non auditis; vos
Christum spernere, qui eos spernitis quos ipse misit, vos de numero Ouium gregis dominici Matt. 18.
non esse, vos denique ad Ecclesiam Christianorum non pertinere: aut denique quartò & po- Luc. 10.
stremò, dicere vos oportet, nullam esse ad res controuersas in religione christiana finiendas, 4.
viam & rationem: nullam esse disciplinam, nullam certam authoritatē, nullos pastores, docto-
res, præpositos, vel Episcopos, nullam denique Ecclesiæ stabilitatem aut firmitatem: sed vt in
Babylonica philosophorum & gentium sapientum ciuitate factum est (vt egregiè ostendit De ciuit. Dei
Augustinus) imò vt in regno ranarum fit, licere vnicuique æquè vociferari, sentire & iudicare lib. 18. cap. 41.
vt liber, seorsim sapere, liceret docere, astruere, destruere, prout libet. Eligite ex his quatuor
quicquid vultis. Primùm sane faciendum Scriptura manifestissimis verbis docet. Secundum Lib. 4. cap. 7.
nullo modo verum esse posse, in hoc opere demonstrauimus. De tertio & quarto eligite quod & seq. & lib.
vultis. Certè quod quarto loco diximus, etiam vobis Iudicibus erit falsissimum, & præterea 5. cap. 16.
ex primo puncto liquidò euertitur. Restat ergo vt tertium eligatis, quod & est verissi-
mum.

Sed adhuc respondetis, *idoneos & non partiales ad examen doctrinæ iuxta verbum Dei admitti oportere*. Sed ô insensati. Quis vos fascinauit, planéque etiam communi vos sensu priuauit; vt
B non videatis vel certe (quod magis existimo) vos non videre dissimuletis, aliam hoc lo-
co quæstionem esse longè maximam, qui tandem illi idonei sunt & non partiales, & quo-
rum iudicio constabit, qui tandem idonei sint. Certè si non partiales vultis hoc examen *Protestantium*
facere, christianum orbem exire debetis. Omnes enim Christiani in his controuersiis par- *cæca postulatio.*
tiales sunt, aut certè christiani non sunt. Omnes inquam vel Catholicas partes tuentur, vel ad
aliquam sectam vestram serio pertinent: nisi forte nec frigidi sint nec calidi, sed tales quos euo-
mat Christus, id est, è numero suorum longè proiiciat. Sed quis non videt hoc vos agere, ho- Apocal. 3.
mines scilicet minimè malos, & in quibus non est dolus, vt vos ipsi aut sectarum vestrarum
primi magistri, pro idoneis examinatoribus habeāntur, & pro non partialibus? At quis vos cen-
sebit idoneos? Vestri opinor principes & Magistratus, quos nequitia & astutia vestra circun- *Protestantes esse*
uenistis. Quid ergò alij principes Christiani iudicabunt; qui vestras hæreses cane peius & an- *quoque partia-*
gue meritò exhorrescunt? Imò inter tot sectas vestras qui tandem idonei communi consensu *les & minime idonei.*
(de communi enim & Generali Concilio agitur) omnium vestrum erunt? An vos Lutherani
Bezam pro iudice admittetis? An ex Heluetiorum pagis, comitatu Palatino Rheni, ex Anglia
& Scotia quempiam asciscendum pro idoneo & non partiali putabitis? Imò vos molliores,
Flaccum ne Illyricum cum suis Magdeburgensibus sociis, admittere pro idoneis voletis? vel
qui rigidiores inter vos sunt, ipsos molliores audient? Desinite istis nugis & præstigiis orbi ter-
rarum illudere & imponere. Id potius omni studio agite & contendite, vt vbi sit vera Eccle-
sia, vbi legitimi Ecclesiarum magistri, præpositi, & Episcopi sint, certò tandem & liquidò in- *Vnicum reme-*
C ueniatis; ac demum illorum sententiæ & iudicio (quibus videlicet Spiritus Sanctus certò & *dium ad conten-*
infallibiliter promissus est, & quibus obediendum esse tot Scripturæ tam manifestè docent) *tiones omnes sopiendas.*
simpliciter & fideliter acquiescatis. Id nisi fiat, rixandi & altercādi finis nunquam erit, vtcun- Vide infrà lib. 8. cap. 7.
que docendo, prædicando, scriptitando dies noctésque frustra & inaniter laboretis. Hac sane vsque ad 12.
de causa hoc Opus qualecunque elaborauimus, periculum facturi, ecquid hoc vobis prodesse
poterit; quod certè quàm maximè optamus. Certissimè enim nisi vera Ecclesia audiatur,
quæ est columna & firmamentum veritatis, veritas illa quam quæritis & quam ex se sola in-
uictam putatis, nunquam inuenietur. Veritas enim certè inuicta est, & nescit cedere falsi-
tati. Sed & non minus impia pertinacia inuicta est, & nescit cedere veritati. Exemplo sunt
omnes hæretici & ipsi dæmones, qui omnes conuincuntur sed non persuadentur. Sed nunc
ad alia.

Postremò, cauillantur protestantes, cuiuscunque etiam generalis Concilij sententiam ac *Concilij gene-*
Iudicium, non esse totius Ecclesiæ Iudicium, quia nec in Concilio omnes adsunt, nec omnes *ralis Sententia*
qui adsunt semper consentiunt. Sed respondetur, in Concilio totam illam Ecclesiam adesse, *est totius Eccle-*
quæ de dogmate fidei iudicandi potestatem à Christo accepit; vt in superiori Controuersia *siæ Iudicium.*
ostensum est; tam quoad corpus Concilij lib. 5. quàm quo ad Caput lib. 6. Atque illi omnes De baptis. cont. Donat.
consentiunt: licet non semper in deliberando, tamen in definiendo, vt antea est explicatum. lib. 1. cap. 18. lib 2. cap. 1.
Atque hinc fit vt Concilij Generalis sententia, sit totius Ecclesiæ sententia, atque Authorita- & 9.

Lib. 1. cap. 3. tem totius Ecclesiæ obtineat. Vnde Augustinus cum alibi, tum contra Donatistas sæpe, plenarij Concilij sententiam, totius Ecclesiæ consensionem vocat. *Antequam* (inquit) *plenary Concilij sententia quid in hac re sentiendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset.* Et paulò post in eodem opere, Concilij Generalis decretum vocat *vniuersæ Ecclesiæ statutum.* Plenaria autem *Concilia vocat quæ ex vniuerso orbe Christiano fiunt.* Non quòd præcisè ex vniuersis prouinciis Christianis, & omnes episcopi necessariò adesse debeant, sed quia vel ex vniuersis prouinciis aliqui Episcopi, vel ex plerisque prouinciis, & multo maiori ac celebriori orbis Christiani parte, plures Episcopi in huiusmodi Conciliis conuenire soleant. Sed de Conciliorum authoritate, & aduersariorum in contrarium cauillationibus, copiosè hodie multi scripserũt; inter quos primas fere tenet Melchior Canus Locor. Theologic. lib. 5. Nos quoque de eadem re plura Infrà lib. 11. cap. 6. & 7. postea, hoc eodem in opere, alio loco disputabimus. D

Illorum Conciliorum Iudicium est certissimum, quibus accessit Confirmatio Capitis.
CAPVT X.

ERTIVS adhuc magisque infallibile hoc Synodorum Medium est, in Iudicio fidei, siue prouinciales sint, siue etiã generales Synodi; quum à Roma. Pontifice S. Petri successore confirmatæ illæ fuerint. Ratio huius certitudinis est, quia vbi confirmatio capitis nondum accessit, deest illa certitudo, E & indefectibilitas fidei soli Petro & eius successoribus à Christo promissa, Supià lib. 6. *Multa concilia irrita facta, quia non approbata à Rom. pont.* vt suprà ostensum est. Sed vt rem hoc loco exemplis confirmemus (nam de huius capitis Authoritate diuinitus data antea satis diximus) notandum est, multas Synodos prouinciales, quæ contempto aut neglecto hoc Capite coierunt, irritas proptereà fuisse, vt Carthaginense Concilium sub Cypriano neglecta Authoritate Stephani Rom. pontificis, contrarium decernentis. De quo concilio vide Augustinum lib. 1. cap. 18. de Ecclesiast. histor. lib. 2. cap. 5. & 13. baptismo contra Donatistas, & alibi sæpe. Antiochena quoq; Synodus 90. Episcoporum tempore Iulij Papæ eadem de causa fuit irrita, vt refert Socrates. Mediolanensis item Synodus tempore Hilarij apud eundem Socratem lib. 2. cap. 29. Seleuciana apud eundem Socr. lib. 2. cap. 31. Nonnulla etiam generalia concilia similiter irrita fuerunt: partim quia non sunt à Romano Pontifice conuocata, vt Ariminense, & constantinopolitanum illud sub Leone Imperatore, quod Ephesinum tertium & Calcedonense intercessit 300. Episcoporum; item Synodus in Trullo habita sub Iustiniano Imperatore, falsò Synodus 6. dicta; ac denique pseudosynodus sub constantino copronymo constantinopoli habita, general. 7. falsò dicta: partim quia etsi à Romano pontifice conuocata, eiusque Legatione præsenti munita, tamen ab eo confirmata non fuerunt: vt concilium Ephesinum 2. vulgò prædatorium dictum, vbi repugnantibus legatis Leonis Papæ, omnes fere Episcopi Dioscoro Alexãdrino hæretico subscripserunt. Causam autem quare irrita hæc concilia fuerint, eam fuisse quam diximus, in vno aut altero Vide Nicen 2. Synodi act. 6. exemplo ostenditur. Primùm itaque, in Antiocheno illo concilio allegato, defectum huius F confirmationis Pontificiæ disertè notat Socrates his verbis. *Sed neque Iulius Romanus Episco-* τῆς ἐκκλησίας κανονίζειν. *pus aderat, neque quenquam qui eius locum suppleret eò misit: idque cùm Canon Ecclesiasticus iubeat,* Lib. 2. cap. 5. & 13. *non oportere absque sententia Romani* Pontificis * *decreta Ecclesiæ sanciri*, vel vt in tripartita histo- Lib. 4. cap. 9. ria vertit hæc verba Socratis Epiphanius Scholasticus, *nõ oportere præter sententiam Rom. Pontificis concilia celebrari.* Hunc etiam defectum illius Synodi, Orientalibus Episcopis apertè Iu- lib. 2. cap. 13. lius Papa per literas exprobrauit dicens *eos* (vt refert idem Socrates, atque Sozomenus) *contra leges Ecclesiæ egisse quòd illum ad Concilium non vocassent. Nam legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat Acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Legem autem intelligit Iulius Canonem illum, cuius duobus in locis Socrates mentionẽ fe- Lib. 3. cap. 9. cit. Idem legitur in Histo. Tripart. lib. 4. cap. 19. Hunc autem canonem, seu legem hanc Ecclesiasticam Iulius papa in Epistola sua prima ad Orientales (vt habetur tomo 1. Concilio- *Canon ecclesiasticus nihil decerni posse præter Rom. pont. sententiam.* rum) vocat *Niceni Concily Canonem. Canonibus*, inquit, *in Nicæna Synodo iubentibus non debere præter sententiam Romani* Pontificis *vllo modo Concilia celebrari.* Quod tamen adhuc antiquius fuisse Romanæ Ecclesiæ priuilegium, epistola Beati Marcelli papæ & Martyris ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ in qua idem asseritur, manifestè ostendit. Ait enim *Apostolos constituisse, vt nulla Synodus fieret præter Romanæ Sedis Authoritatem.* Quin

& idem

A &idem Iulius Papa in alia sua epistola ad Orientales, quam totam in Apologia 2. Athanasius complexus est, de hoc eodem illicito Concilio Antiocheno absque eius notitia congregato conquerens: *An ignari*, inquit, *esse hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod definiri iustum est, definiri posset?* aliáque ibi in eam sententiam multa. Rursum Ariminense Concilium longè maximum, tamen ea de causa nullas vires habuisse, quia à Rom. Pont. confirmatum non fuit, apertè in Epistola Synodica Romani Concilij habetur, vbi sic scribitur. *Numerus Episcoporum qui erant Arimini in vnum congregati præiudicij vim habere non debet, cùm formula fidei ibi composita sit, non consentiente Rom. Episcopo cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat.* Apud Theodoretum libr. 2. cap. 22. & apud Sozomenum lib. 6. cap. 23. Hac etiam de causa accusatur apertè Dioscorus Alexandrinus Patriarcha in Concilio Chalcedonensi. Act. 1. non longè à Principio, *quòd Synodum ausus est facere sine Authoritate Sedis Apostolicæ: quod nunquam ritè factum est, nec ritè facere licuit.* Hæc ibi. Rursum in eodem Concilio Act. 10. apertè dicitur, *quòd missi siue legati Apostolici semper in Synodis prius loqui, & confirmare soliti sint.* Hanc etiam exceptionem, Sanctissimus Martyr Stephanus iunior dictus, contra Pseudosynodum ab Iconomachis sub Constantino Copronymo habitam, constanter protulit. *Quomodo*, inquit, *Oecumenicum istud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes (citra cuius Authoritatem nullo modo fieri potest vt res Ecclesiasticæ ad Normam dirigantur) gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus.* Hæc ille sanctissimus pariter vir atque doctissimus in disputatione quadam cum Iconomachis Episcopis facta.

Sine authoritate sedis Apostolicæ Synodū facere nunquam licuit.

Vide vitam Stephani iunioris inter opera Damasceni an. 1577. edita.

B Cætera verò quæ hodie pro Concilijs habentur, à Romano Pontifice confirmata fuisse, ex paucis antiquioribus ostendemus. Nam in posteriorum ætatum Concilijs id factum fuisse vnà nobiscum agnoscunt aduersarij. In prima Nicæna Synodo scribunt Episcopi ad Syluestrum Papam in hæc verba. *Quicquid constituimus in Niceno Concilio, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Tom. 1. Concil. Patres Synodi Constantinopol. generalis secundæ ad Damasum Papam in hæc verba scribunt. *His rebus omnibus tanquam legitimè secundum Ecclesiæ canones constitutis, obsecramus vestram sanctitatem, vt consentiat:* apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. De Synodo Ephesina generali tertia, scribit Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, illius Concilij Præses, & Romani Pont. locum tenens, quod Cælestinus Papa *scripserit cōsona sanctæ Synodo, & omnia illius gesta confirmauerit.* Hæc ille. De Synodo Chalcedonensi generali 4. apparet in pluribus Epistolis Leonis Papæ fuisse eam (quod ad dogmata fidei attinet) ab ipso confirmatam: *Quod*, inquit, *Imperator ad omnes Episcopos Chalced. Concilij me scripta dirigere voluit, quibus quæ illic de fidei sunt regula definita firmarem, libenter impleui: ne fallax cuiusquam simulatio, sententiā meam habere vellet incertam.* Et ipsi Patres Chalcedonenses Action. 3. in Epist. ad Leonem Papam missa, hoc ab eo reuerenter petunt. *Rogamus*, inquiunt, *& tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua filiis, quod decet, adimpleat:* Aliáque ibi in eam sententiam. Maximi autem roboris, planéque necessariam fuisse hanc Rom. Pont. confirmationem, illud euidenter ostendit, quòd cùm primùm quidem in Constantinopolitano Concilio generali 2. deinde huius eiusdem Concilij Chalcedonensis decreto, præferretur cæteris Patriarchis, proximo post Romanum Pont. loco, Constantinopolitanus Antistes; tamen cùm

Prima Generalia concilia à Rom. Pont. confirmata sunt omnia.

Epist. 29. tom. 4. operum Cyrill.

Patres chalcedonēses filios Rom. Pont. se profitentur.

C & anteà Damasus, & pòst Leo Papa penitus hoc decretum repudiassent, vt videre est apud eundem Leonem Epist. 62. & apud Gelasium in tomo de Anathematis vinculo; tantam vim illa Romanorum Pont. repudiatio habuit, vt quamuis priuilegium illud prædictum Constātinopolitani Episcopi in Synodo Chalcedonensi firmatum, *Imperatoris patrocinio permaneret quodammodo*, (vt scribit Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in suo Breuiario) tamen ducentis post annis, in Concilio Constantinopolitano in Trullo, generali sexto falsò dicto, huius priuilegii noua facta fuerit petitio, vt videre est apud Gratianum dist. 22. cap. *Renouantes*: aut saltem nouum decretum, vt in ipso concilio habetur can. 36. tom. 2. conciliorum. Quod totum vt minimè necesse fuisset facere, si reluctante Romano Pontifice concilium illud Constantinopolitanum primum, vel Chalcedonense, hac in parte præualuisset; sic quia cōtra Romani Pont. voluntatem præualete non potuit, ita factum est: denuóque de nouo petitum. Propter hanc quoque confirmationis Pontificiæ authoritatem Patres concilii Cartaginen. ad Innocētium Papam, Acta concilii sui referunt: *vt statutis*, inquiunt, *nostræ mediocritatis, etiā Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas.* Quibus omnibus conciliis respondens Innocentius Papa, cùm diceret; *Patres olim non humana sed diuina decreuisse sententia, vt quicquid de disiunctis remotisque prouinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, quam ad illius sedis notitiam perueniret, vbi tota eius authoritate, iusta quæ fuerit pronunciatio firmaretur:* & iterum ferè tantundem in alia

Illustre exemplū Confirmationis Pontificiæ quàm fuerit necessaria.

cap. 13.

Apud Aug. Epist. 92.

concilia carthaginensia à Rom. Pont. confirmata.

Apud Aug. epist. 91. & 93. ad eosdem epistola repeteret; adeo visa est S. Augustino hæc tota responsio æquissima, & nihil habere præter iustam atque legitimam illius sedis authoritatem, vt in Epist. 106. narrans ad sedem Rom. ab his conciliis gestorum relationes factas fuisse, dicat. *Ad omnia nobis ille rescripsit, eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem.* Hæc ille. Atque hæc de Conciliorum siue generalium, siue particularium confirmatione, à Rom. Pont. facta, breuiter admonuisse satis erit. D

Quòd in Conciliis soli Episcopi iudicent, & sententiam ferant.

CAPVT XI.

IN hoc pastorum Ecclesiæ iudicio quod in Synodis exercetur, soli Episcopi iudicant, subscribunt, & sententias ferunt; non simplices præsbyteri, siue parœciarum Pastores siue Theologi Doctores existant: ne quis putet ex aliis quàm Episcopis constare Synodos posse, aut per alios Iudicij Ecclesiastici certitudinem exerceri quàm per Episcopos. Ostendit autem quod dicimus perpetua Ecclesiæ Praxis in omnibus Synodis, quæ semper (quantum ad definitionem fidei spectat) Episcoporum tantum fuit. Hanc sanè ob causam, in Concilio Chalcedonensi cùm clerici inferiores se immiscerent, à Patribus clamatum est, *Synodus Episcoporum est, non Clericorum: superfluos foras mitte.* Act. 1. Et rursum. Act. 5. eiusdem concilij refertur, quòd in Constātinopolitano illo Concilio sub Leone Imperatore, præsidente Flauiano rogatus quidam præsbyter à Dioscoro hæretico vt subscriberet, respondit: *non est meum subscribere: Episcoporum tantum est.* Probatur præterea quod diximus ex officio & iurisdictione Episcopali, quod proprium est docere & Euangelium prædicare: non ita sacerdotis, quatenus sacerdos est: vt in ordinatione vtriusque patet. Sacerdos autem si docet, non nisi authoritate ab Episcopo accepta id facit; vt videre est in Concilio Lateranensi sub Innocētio 3. cap. 3. vbi prohibentur sacerdotes omnes, vel publicè, vel priuatim prædicare, sine authoritate ab Episcopo habita. Hanc sanè ob causam sic distinguit Dionysius Areopagita inter Episcopum & sacerdotem, vt vocet sacerdotes *illuminantes*, quia sacramenta administrant, Episcopos *perficientes*, quia docent. Interfuerunt tamen & interesse possunt conciliis Præsbyteri, & Doctores: sed vt id quod fidei est, per scientiæ Theologicæ disciplinam illustrent, & explicent, & contra aduersarios defendant: non vt fidem ipsam quæ sit definiant: id est, vt consultores non vt iudices; & vocem habentes deliberatiuam, non definitiuam. Laici quoque primarij viri intersunt, sed non aliter quàm vt testes, executores, ac defensores concilij. Nam etsi in quibusdam Conciliis iudices vocantur, vt passim in Concilio Chalcedonensi, tamen non in fide definienda, sed in tumultibus compescendis, & pace conseruanda, conciliique sententia promulganda & executioni mandanda, hoc iudicium exercuerunt, vt clarè patet ex Actis ipsius Concilij Chalcedonensis. Exemplū vnum aut alterū subiiciam. *Quum legeretur* (quod in alio cōcilio factū fuerat:) *Magnificentissimus & gloriosiss. Patricius Florentius dixerat, Qui non dicit ex duabus Naturis, & duas naturas non dicit rectè* (quæ erat propositio quasi fidei definitiua) *Magnif. Patricius dixit. Hanc interlocutionem non dixi. Neque enim eram idoneus dicere.* Nempe quia homo laicus erat, licet vnus ex iudicibus. Rursum in eadem Synodo contra Dioscorum hæreticum, qui in sua causa examinanda, Laicos illos Iudices interesse postulauit, dicitur. *Quando quædam regularia examinantur, neque Iudices, neque aliquos laicos interesse oportet.* Idem videre licet de Palladio hæretico Aquileiensi, quem laicorum præsentiam postulantem, statim damnauit Ambrosius. Denique ex verbis Theodosij iunioris de Candidiano Comite ad Concilium Ephesinum 3. misso, (quæ suprà produximus) idem de horum Iudicum in conciliis officio ac munere, euidenter constat.

Margin notes: E — *Episcoporum est propriū docere.* — Ecclesiastic. hierarch. cap. 5. par. 1. — *Quomodo Doctores intersunt Conciliis.* — *Quare Laici vocantur Iudices in conciliis.* — F — Action. 3. — Vide Concil. Aquileiense. tom. 1. conciliorum. Suprà lib. 5. cap. 18.

Sanctorum

A

Sanctorum Patrum Iudicium, quantùm & quo modo valeat in iudicio fidei. Vbi & prima causa ostenditur, eo quòd Ecclesiarum Magistri & Pastores ipsimet, dum viuerent, erant.

CAPVT XII.

Ecclesiae potestas & iudiciũ circa fidei dogmata in sanctorum patrum qui ab Ecclesia recepti sunt, testimoniis plurimum versatur, certóque & salubriter exercetur. Intelligimus autem pro Medio Ecclesiastici Iudicij Sanctorum Patrum authoritatem tunc valere, quando vel omnes idem loquuntur, vel magna pars (reliquis aut non repugnantibus, aut de re controuersa nihil, vt sæpe fit, scribentibus;) quæsitæ veritati testimonium perhibet: si tamen eius generis veritas est, quæ ad cõmunem fidem spectet, vel sit alioqui ad credendum necessaria. Nam de his quæ absque iactura fidei ignorari possunt, vel subtiliora quædam sunt, & à doctis viris ratione & arte inuestiganda; alia ratio est. In his enim, vt *salua fidei compage doctißimi & optimi regulæ Catholicæ defensores interdum dissentiunt*, quemadmodum dicit Augustinus, lib. 1. contra Iulianum, sic etiã aliqui patres aliquid interdum veritati repugnans docere possunt. Cuius rei exempla non desunt. Sed illa euentilare, magis ad impium semen Chanaan, quàm ad pios Ecclesiæ filios pertinet. Quæstiones autem huiusmodi præter fidem multas enumerat Augustinus, vt *vbi sit paradisus, vbi nunc Elias & Enoch, quot sint cæli, cur antiqui homines tam diu vixerint*, & similia contra Cælestium & Pelagium, sic concludens. *Quis non sentiat, in his atque huiusmodi variis quæstionibus, siue ad obscurißima opera Dei, siue ad scripturarum abditißimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine?* Hæc ille. Demonstrari autem hæc Sanctorum Patrum Authoritas variis potest rationibus, iísque sane validissimis. Tribus autem tantùm ex causis id à nobis demonstrabitur. Primùm quia Sancti Patres, Episcopi aut sacerdotes in Ecclesia fuerunt, ideóque quòd de rebus fidei dogmaticè, & ex docendi proposito atque instituto scribunt, etiam ex Episcopali Charismate & sacerdotali authoritate scribunt, tanquàm Ecclesiæ Magistri & pastores: vt si illi à publica fide aberrauerint, sequatur tot Ecclesias & greges dominicos quot illi olim rexerunt, à fide quoque aberrasse. Hanc causam diligentissimè disputatores Orthodoxi semper annotarunt. *Hic in Ecclesia Præsbyteris*, ait Irenæus, *obaudire oportet, qui cum Episcopatus successione acceperunt charisma veritatis certum.* Itaque ille Polycarpi, Papiæ, aliorúmque testimoniis diligentissimè vtitur. Notat Ruffinus in historia sua Ecclesiastica de S. Basilio & Gregorio Nazianzeno, quòd *adolescentes quum essent, & sacris studiis operam dare cæpissent; earum*, inquit, *intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & authoritate hauriebant: eorum sane quos ex Apostolica successione, intelligendi regulam suscepisse constabat.* Hæc ille. Quæ postrema verba de *intelligendi regula ex Apostolica successione accepta*, multum sunt annotanda. Hoc est enim dicere, quòd quatenus Ecclesiarũ Magistri, ea quæ sunt fidei intelligendi Regulam & Normam assequuti fuerant. D. August. cùm contra Iulianum multos patres citasset, hoc vrget plurimùm quòd Episcopi essent. Hilarium enim cùm citasset, *Catholicus*, inquit, *loquitur: insignis Ecclesiarum doctor loquitur: Hilarius loquitur.* Hæc ille. Idem cùm multos Episcopos lib. 1. citasset, tandémque etiam S. Hieronymi testimonium citare vellet, inquit. *Nec S. Hieronymum quia præsbyter fuit, contemnendum arbitreris.* Sed de Episcopis postea dicit sub finem: lib. 2. *Isti Episcopi sunt docti, graues, sancti, in quibus inuenire non potes quod spernas.* Denique addit. *Talibus Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit.* Sic cùm Eunomius præcedentium Episcoporum sententias sibi præiudicare nollet, respondet Basilius. *Nullam ergo rationem dignitatis eorum facimus, qui omni spirituali gratia claruerunt?* Sic Gregorius Nazianzenus. *Nobis*, inquit, *satis est quòd nemo ex his qui diuino numine afflati fuêre, ex patribus illis & Magistris nostris, hanc sententiam hactenus vel pronunciauit, vel pronunciatam approbauit.* Hæc ille. Sic denique Eusebius Cæsariensis rationem suis reddens, quare Niceno Concilio contra Arrium consensisset: *Nos*, inquit, *Concilio consensimus, quoniam & priscorum Episcopos aliquos conscriptores elo-*

Quando Patrũ Authoritas valet.

In qua materia Patrum Authoritas firma censetur.

B

De peccato orig. lib. 2. cap. 23.

Prima ratio Authoritatis S. Patrum quia Episcopi aut Sacerdotes fuerunt.

Irenæus li. 4. cap. 43.

Lib. 1. cap. 3. Ruffinus li. 2. cap. 9.

C

Intelligendi Regula ex Apostolica successione.

Augustinus. Lib. 2. contra Iul.

Basilius lib. 1. cõtr. Eonom.

Nazianzenus libr. 2. de Theolog.

Eusebius hist. tripart. lib. 2. cap. 11. Athanasius.

Qui patrum testimonio carent sunt noui Iudaei & discipuli Caiphae.

Conciliorum praxis.

quentes & nobiles, nomine consubstantialis olim vsos fuisse agnouimus. Haec ille. Nec dissimiliter Athanasius in libello pro decretis Nicenae Synodi: Cùm enim veteres Episcopos produxisset, Concilium Nicenum antegressos, concludit his verbis. *Ecce nos demonstrauimus, istiusmodi sententiam à patribus ad patres, quasi per manus traditam esse. Vos autem noui Iudaei & discipuli Caiphae, quos verborum vestrorum patres ac maiores demonstrabitis?* Haec ille versus finem libri. D

Concilia quoque seu generalia seu particularia in id semper diligentissimè incubuerunt, vt praesentem controuersiam ex patribus qui Episcopi in Ecclesia extitissent, definirent. Sic in Concilio Niceno primo factum esse ex Eusebio iam audiuimus. Idem quoque meminit Athanasius in Epist. ad Afros apud Hist. Tripart. & apud Theodoretum. *Episcopi* (inquit Athanasius) *non suopte ingenio verba excogitantes sed à patribus petentes testimonia, sic scripserunt.* Moxque Episcoporum Romani & Alexandrini sententias ante annos 130. profert. Sic in Concilio Ephesino contra Nestorium in Epistola ipsius Synodi, cùm ad fidei definitionem veniunt, sic loquuntur. *Sequentes itaque omnium sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis Spiritu Sancto protulerunt, & intentioni eorum aequis vestigiis inhaerentes, profitemur, &c.* Eadem prorsus forma verborum vtuntur Patres Chalcedonenses Action. 5. & 6. Idem in Concilio Generali 6. Act. 10. & in Generali 7. Act. 2. copiosissimè factum est. Quis ergo Christianus deinceps ambigat in Controuersia de fide eos iudices sequi, quos tot Sacrosancta Concilia sequuta fuisse videmus? Quòd si quis de ipsorum Patrum diligentia in citandis semper praecedentibus Episcopis, contra sui temporis haereticos, plura cupit testimonia, percurrat Augustinum libro primo, & secundo contra Iulianum, qui fere totus ex Episcoporum praecedentium testimoniis conflatur. Theodoreti Dialogus primus magna ex parte, secundus verò totus, & media pars tertij ex solis Episcoporum praecedentium testimoniis contra Apollinaristas consistit: & hoc nomine eos subinde commendat, *quòd magna orbis terrarum lumina fideique Principes essent.* Item *Ecclesiarum doctores*, principio libri tertij. Basilius quoque in libro de Spiritu Sancto capite vigesimo nono, contra Eunomianos idem studiosissimè facit. Item Hieron. in fine Apologiae contra Iouinianum, Cyrillus Alexandrinus in Apologetico contra Orientales, post Anathematismum 8. Leo Magnus contra Nestorij & Eutichetis haereses. Obserua autem quòd non alios Patres, vel Concilia praedicta vel citati patres isti omnes citarunt, quàm quos hodie veneramur, & citare solemus, exceptis his quorum libri postea interciderunt. E

Lib. 2. cap. 7. Lib. 4. cap. 8.

Patrum ipsorum praxis.

Lib. 1. ferè in fine.

Epist. 98. cap. 3.

Secunda ratio Authoritatis patrum, quia testes sunt fidei illius Ecclesiae in qua scripserunt.

CAPVT XIII.

ALTERA ratio cur Patrum iudicium sit Ecclesiae iudicium, vel Iudicij Ecclesiastici certum medium haec est, quod quae illi in quaestione fidei tradunt, & loquuntur, ex fide Ecclesiae cuius membra erant, loquuntur: ideóque testes sunt illius fidei, quae illo tum loco ac tempore per Ecclesiam recepta erat. Et haec ratio etiam ad alios quosuis in Ecclesia Dei scriptores Catholicos, non Episcopos se extendit; ipsorúmque authoritatem confirmat, quatenus testimonium adferunt publicae fidei: *vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum.* Hoc etiam diligenter & frequenter dum Patres ipse citat, notat, atque vrget S. Augustinus. Cùm enim Gregorium Nazianzenum citasset, sic Iulianum alloquitur. *An tibi parua in vno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur authoritas? Est quidem tanta persona, vt neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent.* Haec ille libro primo, contra Iulianum. Quae verba plurimum expendenda sunt: & quod de vno illo Patre dixit, de omnibus sanctis Patribus intelligendum. Rursum lib. 2. contra eundem, cùm plurimos Patres allegasset, hoc nomine eorum iudicium commendat. *Hoc*, inquit, *probauimus Catholicorum authoritate Sanctorum. Tales quippe ac tanti viri, secundum Catholicam fidem quae vbique toto orbe diffunditur, haec vera esse confirmant.* Et iterum paulò pòst. *Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Rursum F

Math. 18.

Patres de fide non loquuntur, nisi iuxta Regulam fidei notissimam.

lib. I.

A lib.1.contra Iulianum cùm Hieronymum citasset,non vt vnius hominis verba vrget, sed, *hic vir*(ait)*omnes vel penè omnes, qui ante illum ex vtraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant,legit:nec aliam de hac re tenuit promptúque sententiam.* Hęc ille. Iterum quoque de peccatorum meritis & remissione lib.3.cap.6.cùm eundem Patrem citasset:*hunc*, inquit, *doctissimum virum si facile interrogare possemus, quàm multos vtriusque linguæ diuinarum scripturarum tractatores, & Christianarum disputationum scriptores commemoraret;qui non aliud ex quo Christi Ecclesia est constituta senserunt;non aliud à maioribus acceperunt;non aliud posteris tradiderunt?* Et iterum cap.7.*Hæc ideo ex illo commemoraui, non quòd disputatorum quorumlibet sententiis tanquã Canonica authoritate nitamur,sed vt appareat ab initio vsque ad tempus præsens,quo ista nouitas exorta est,hoc de Originali Peccato apud Ecclesiæ fidem summa constantia custoditum esse.* Rursum eodem libro capite quinto,cùm Cyprianum citasset;*vides*,inquit,*quanta fiducia ex antiqua & indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur?* Sic alio in loco pugnans pro gratia contra eosdem Pelagianos;*De sanctorum*(inquit) *literis qui scripturas ante nos fama celeberrima & ingenti gloria tractauerunt, aliqua documenta proferam:non quo canonicis libris à nobis vllius disputatoris æquetur authoritas,&c.sed vt sciant omnes,à nobis rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem,aduersus recentem Pelagianorum præsumptionem,defendi.* Hæc ille libro quarto, capite octauo ad Bonifacium. Sic apud Basilium in libro de Spiritu Sancto cap.29. citatur Dionysius Alexandrinus,non ex mente sua loquens,sed,*forma*,inquit Basilius, *regulàque à senioribus,qui ante nos vixerunt,accepta;illis congruenter loquimur.* Nec aliter Theodoretus Ioannem Chrysostomum

B producturus:*An non*, inquit hæretico,*hunc putas Apostolicã fidei seruasse regulã?* non aliter videlicet eius testimonio vsurus. Sic denique(vt finem commemorandi faciamus)notat Socrates quum in Concilio Alexandrino & de Spiritus Sancti diuinitate, & de Christi anima cum homine assumpta disputatũ esset,non aliter hoc factũ fuisse,quàm (inquit) *sicut antiquis viris Ecclesiasticis visum fuit.Non enim nouam aliquã religionem excogitare, in que Ecclesiã introducere, sed quæ ab initio traditio Ecclesiastica præscripserat,& sapiẽtes Christiani certis rationibus inquisiuerãt stabilire voluerunt. Atque ad hunc modũ veteres omnes de hac re disputarunt scriptísque prodiderunt ad posteritatem:Irenæus,Clemens,Apollinaris,Serapion,Origenes quoque,non quasi primus eius sententiæ Author,sed mysticam de ea Ecclesiæ traditionem interpretatus.* Hæc Socrates. Hunc etiã in modum,quum Artemon hæreticus suam hæresim ab Apostolorum temporibus pro vera doctrina habitam fuisse affirmaret,vsque ad viuentis tum Rom.Pontificis Zephyrini tempora;refert Eusebius Scriptoris cuiusdam orthodoxi huiusmodi verba.*Profectò*(inquit)*quod ab illis dicebatur,multum fortasse videri potuisset habere probabilitatis,nisi primùm S.Scripturæ testimonia illis contradicerẽt,deinde fratrũ quorundã scripta superessent Victoris temporibus*(cui Zephegyus successit)*multo antiquiora:vt Iustini,Miltiadis,Tatiani,Clementis, & aliorum nõnullorum in quorum omniũ libris Christus verus Deus esse confirmatur. Quis Irenæi,quis Melitonis, quis cæterorũ libros ignorat,qui Christum Deum & hominem constanter asseuerant?* Hæc Eusebius lib.5. cap.27. hist. Eccl. fidem & doctrinam Ecclesiæ veterem contra nouum hæreticum ex testimooio scriptorum Ecclesiasticorum qui præcesserunt diligenter defensam,manifestè vides. Ex hac

C itaque consideratione,quod non suam sed Ecclesiæ fidem Patres referunt,meritò apud fideles Authoritaem habent.

S. Hieronymi laus ex ore S. Augustini.

Quare catholici antiquos Patres audi citãt.

Dialogo 2. Hist. Eccles. Lib.1. Cap.5.

Tertia ratio,quia patres & lumina Ecclesiæ fuerunt,ab ipsa Ecclesia pro talibus approbati & recepti.

CAPVT XIIII.

ERTIA causa quæ patrum authoritatem necessariam facit, & Iudicij Ecclesiastici firmum Medium constituit, ea est; quòd eos pro patribus, & magistris,luminibus Ecclesiæ, vniuersa Christi Ecclesia semper suscepit & venerata est. Sic enim fit vt eorum iudicium, totius Ecclesiæ fit iudicium. Nam quemadmodum veterum hæreticorum scripta ideo omnia perierunt, nec illi pro patribus haberi potuerunt, quia Ecclesia Dei & ipsos & ipsorum scripta damnauit,atque aboleuit;sic contrà Sanctorum patrum scripta ideo ad nos vsque peruenerunt, & ideo ipsi pro patribus hodie habentur,quia Ecclesia & ipsos,& ipsorum scripta conseruauit,& approbauit. Ex cuius causæ

Quare veterum hæreticorũ scripta non extant.

consideratione Gregorius Magnus: Liquet, inquit, *quòd Arrius, Photinus, Macedonius, multique* D
his similes, docendo atque suadendo conati sunt patres videri: sed errores eorum sancta vniuersalis Ec-
clesia districta seueritate diiudicans, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos eiusdem gregis vni-
tatem dissipantes damnat. Hæc ille. Sic etiam de multis Hæresiarchis notat eleganter Vincen-
Moralium lib. 20. cap. 7. tius Lyrenensis, & inter cætera de Apollinari dicit. *Longum est vniuersa commemorare, quibus*
In libello contra prophanas Nouitates cap. 6. *profecto summis ædificatoribus Ecclesiæ par esse potuisset, nisi prophana illa hæreticæ curiositatis libidi-*
ne nouum nescio quid inuenisset, &c. Tantundem de Origene cap. 23. & de Tertulliano cap. 24.
docet. Scilicet hos viros propter ingenij magnitudinē, scriptorū eruditionē, eloquētię celebri-
tatem, *pro patribus Ecclesiæ haberi potuisse, nisi à veritatis regula excidētes, ab ipsa Ecclesia reproba-*
ti fuissent. Hæc ille. Idem de Origene obseruauit Theophylus Alexandrinus in lib 2. Paschali.
In tantum, inquit, *seipso magistro intumescens, vt non imitaretur humilitatem Pauli, qui cùm priori-*
bus Apostolis contulit Euangelium, ne in vacuum curreret. Idem de Tertulliano notat quoque
Can. 5. in Matth. Hilarius. *Consequens*, inquit, *error hominis, detraxit scriptis probabilibus Authoritatem.* Denique
hac de causa Gelasius primus Pontifex doctissimus in Synodo 70. Episcoporum, nominatim
qui scriptores pro Patribus Ecclesiæ habendi & legendi essent, qui pro Apocryphis respuen-
di (facta diligenti authorum enumeratione) definit. Vide eius hac de re decretum tomo 2.
Concil. Et hoc sane in sensu hácque de causa D. Augustinus, quum Cyprianum, & Ambro-
sium contra Pelagianos citasset, *Ecce*, inquit, *sancti & docti viri, fama totius Ecclesiæ constante*
lib. 4. cap. 12. cōtra 2. epist. pelag. *Catholici.* Est ergo SS. Patrum authoritas validissima, quia non temerè aut pro cuiusque arbi- E
trio, sed ex ipsius Ecclesiæ maturo iudicio, perpetua & generali consensione, pro Patribus ha-
biti sunt, quos hoc nomine hodie veneramur.

Cauillationibus Protestantum contra SS. Patrum Authoritatem, respondetur.

CAPVT XV.

ÆRETICI hodie seu Protestantes (synonyma enim hæc sunt) leuis-
1. simas ob causas grauissimam hanc authoritatem respuunt. Nam inter-
dum homines eos fuisse, proindéque & falli & fallere potuisse disputant:
2. aliquando etiam in certos errores, præcipuos eorum lapsos fuisse; multá-
3. que tum aliis, tum sibi ipsis repugnantia scripsisse, criminantur. Alij non
plus eis tribuendum esse arguunt, quàm ipsimet Patres sibi tribui postu-
lant. Et hoc in loco varias Augustini sententias producunt, quibus ille
suis scriptis nō aliter fidem haberi postulat, quàm quatenus vel ex Scriptura Sacra, vel ex eui-
4. denti ratione sententiam suam confirmauerit. Postremò solas scripturas audiendas esse in
Respons. ad 1. causa fidei; non patres, non homines clamitant. Ad hæc quatuor Capita, omnia quæ contra
patrum authoritatē disputant, referri possunt. Nos verò singulis breuiter respondendo, dici- F
mus ad primum: non asseri hic patrum authoritatem, vt homines erant, sed vt Episcopi &
Pastores erant à Christo in Ecclesia sua constituti: sicuti prima ratio docuit. Quo in genere
si errare potuerunt, omnes quoque Ecclesiæ quas illi variis temporibus ac locis rexerunt, er-
rauisse quoque probabuntur, Christúsque suæ Ecclesiæ defuisse, & curæ ac prouidentiæ di-
sertè repromissæ, non satis fecisse videbitur. Rursum vt homines in arduis quibusdam rebus
errare potuisse, & interdum cespitasse non diffitemur, sed vt Catholicos perfectos, & spiritua-
les homines in fide publica non errauisse asserimus: Quam distinctionem ex Apostoli verbis
Philip. 3. colligere licet. Ait enim. *Qui ergo perfecti sumus*, id est, Spirituales & Magistri Ecclesiarum, vt
Patres in fide publica non erāt. alibi explicuimus, *hoc sentiamus: Et si quid aliter sapitis*: hoc est, si vos qui perfecti estis, interdū
à vero aberratis, *& hoc vobis Deus reuelabit.* Nam ne per illa verba, *aliter sapere*, à fide publica
recedere, intellexisse videretur; & præterea vt ostenderet quibus tandem Deus reuelare vel-
let aliter sapientibus, addit *veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem perma-*
neamus regula; HOC est. Qui iam peruenimus in regulam fidei, & in regula fidei idem sapimus,
De baptismo lib. 2. cap. 5. quicquid sit de arduis illis & ambiguis, in quibus interdum aliter sapimus, quàm oportet, aut
Patrum error est tantum humana tentatio. quàm veritas habet, saltem in hac regula fidei permaneamus. Sic enim fiet, vt & illa alia no-
bis diuinitus reuelentur; atque ita plenissimè idem sapiamus. Explicat hoc totum Augustinus
contra Donatistas. *Plerunque*, inquit, *doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens &*
humilis

A *humilis charitas cōprobetur:*& paulò post. *Homines ſumus. Vnde aliquid aliter ſapere quàm ſe res habet humana tentatio eſt. Nimis amando ſententiam ſuam, ad ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt. In nullo aliter ſapere quàm res ſe habet, Angelica perfectio eſt.* Hæc ille. Sic ergo patres homines ſunt, non vt in ipſa notiſſima regula fidei, ſed vt in aliquibus rebus arduis, vel etiam dubiis, quarum nondum eſt explorata & eliquata veritas, aliter interdum ſapere poſſint, quàm ſe res habet. Talem ſeipſum eſſe Auguſtinus agnoſcit Epiſt. 48. & contra Fauſtum lib. 11. cap. 5. & in talibus diuerſa diuerſos ſentire poſſe, libro primo contra Iulianum docuit: vt ſuprà citauimus. Ideóque prudenter monuit Vincentius Lyrinēſis *antiquam SS. Patrum ſententiam non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm, aut certè præcipuè, in fidei regula inueſtigandam eſſe:* in lib. contra prophanas hæreſum nouitates cap. 39. Quod etiam propterea, ſignanter ſuprà in huius Medij demonſtratione, expreſſimus. Ad ſecundum dicimus, etſi quidam ex patribus in aliquos errores lapſi fuerint, tamen hinc eorum authoritati à nobis hic politæ, nihil propterea detrahi. Non enim omnibus eorū dictis hæc authoritas datur, ſed quatenus vel Eccleſiæ publicam fidem referunt, vt in ſecunda ratione oſtenſum eſt; vel ab Eccleſia Dei recepta & approbata ſunt, vt in tertia ratione oſtenſum eſt. Sic exempli gratia B. Cypriani ſcripta in his quæ circa Baptiſmum hæreticorum iterandum ſcripſit, authoritatem non habent, ſed in cæteris omnibus in quibus & Catholicæ fidei conſentanea ſcripſit, & à Catholica Eccleſia approbatur. Idem de Tertulliano, & Origene, & aliis dixeris. Idem quoque de S. Patrum, quas dicunt, repugnantiis iudica. Nā aut ſingulariter aliquid loquuntur, cæteris contrarij, & ſic eorum dicta authoritatem non habent, vt ſuprà eſt explicatum; aut apparentes tantùm, & in ſpecie, non veræ repugnantiæ ſunt. Tales autem repugnantiæ etiam in ipſis S. Scripturis, & earum authoribus, ſatis multæ apparent; vt propterea de conſenſu Euāgeliſtarum libros ſcripſerit S. Auguſt. & de concordia locorū in ſpecie repugnantiū, quàm plurimi plurima ſcripſerint. Nec tamen propterea vel cum paganis omnes, vel cū hæreticis certas Scripturas reiicimus; vel deniq; cū Proteſtantibus patres in vniuerſum cōculcamus. Debebāt autē certè Proteſtantes, ſi pietate Catholica patres legerent; non ſi quid incommodè aut durius dictum animaduerterent, eos propterea vel omnes, vel aliquos ſtatim penitus reiicere; tanquam homines ſcilicet, nihil videlicet Diuinum, nihil diuini Spiritus aut authoritatis diuinæ in ſe habentes; ſed quum per tot ætates in vniuerſa Eccleſia, apud omnes fideles, tanquam lumina, Magiſtri, Doctores, & (vt proprio quaſi vocabulo nuncupantur) Patres habiti fuerint, eorum dicta omni ſtudio & induſtria, in optimam partem interpretari. Quemadmodum profecto in prophanæ diſciplinæ ſtudio, vniuſcuiuſque artis Authores celebres ſi quem forte nodum ſcripto reliquerint, non propterea vt imperiti reiiciuntur, ſed magno conatu magnáque interpretum laude, ab illius artis ſectatoribus exponuntur. Hoc ideo fit quia in precio, & veneratione habentur, quia diliguntur & coluntur à ſuis Authores huiuſmodi. Hæretici autem omnes quia Eccleſiam non diligunt, inde fit vt Eccleſiæ magiſtros quauis data occaſione, lacerent potius & repræhendant, quàm in eorum dictis dextere & commodè exponendis laborent. Sed oſtendunt hoc ipſo, filios ſe & membra Eccleſiæ non eſſe, nec ad eam ſocietatem pertinere, cuius illi celeberrimi viri, Patres & doctores habentur. Exemplo rem totam illuſtrabimus, ex Auguſtino deſumpto, qui ſic ſcribit. *Si Virgilium*, inquit, *odiſſemus, imò ſi non eum priuſquàm intellectus eſſet, maiorum noſtrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis ſatisfieret de illis eius innumerabilibus quæſtionibus, quibus Grammatici agitari & perturbari ſolent. Nec audiremus libenter, qui cum eius laude illas expediret, ſed illi faueremus, qui per eas illum erraſſe ac deliraſſe conaretur oſtendere. Nunc verò quum eas multi ac variè pro ſuo quiſque captu aperire conentur, his potiſſimum plauditur, per quorum expoſitionem melior inuenitur poëta.* Et paulò poſt. *Quantum erat vt ſimilem beneuolentiam præberemus eis, per quos locutum eſſe Spiritum Sanctum, tam diuturna vetuſtate firmatum eſt?* Hæc ille. Quæ etſi de Scripturæ Authoribus loquatur, tamen quia & in Eccleſiarum epiſcopis ac magiſtris (quales hi patres fuerunt) Spiritus Sanctus etiam loquitur, idq; plane infallibiliter, licet diuerſo gradu, vt in proxima Controuerſia explicabitur, de SS. quoq; patribus veriſſimè intelligenda ſunt. Quò autem res adhuc dilucidior fiat, vt documēti huius exemplum ex Auguſtino deprompſimus, ita etiam & praxis ſeu rei geſtæ in hoc genere exemplum ex eodem proferetur. Etenim lib. 6. de Trinita. ſic ſcribit. *Quidam quum vellet breuiſſimè ſingularum in Trinita. perſonarum inſinuare propria; æternitas*, inquit, *in patre, ſpecies in imagine, vſus in munere.* Quæ verba quum paulò duriùs & incommodè dicta illi viderentur, ſicuti verè ſe res habet (nam, vt cætera taceam, æternitas patri propria

Suprà cap. 11.

Reſpōſ. ad 2.

B — De repugnātiis SS. patrū.

C — De vtilitate cred. cap. 6.

De Trin. li. 6. cap. 10.

Z

non est, propriè loquendo, sed tribus personis æqualiter communis,) tamen quia celeberrimi D in Ecclesia doctoris, S. Hilarij videlicet verba erant, omni studio conatur ea commodè exponere. Subiungit enim. *Et quia non mediocris Authoritatis in tractatione Scripturarum, & assertione fidei vir extitit, (Hilarius enim hoc in libris suis posuit) horum verborũ, id est, patris & imaginis & muneris, æternitatis & speciei & vsus, abditam scrutatus intelligentiam quantum valeo, non eũ secutum arbitror in æternitatis vocabulo, nisi quod pater non habet patrem de quo sit*, &c. vbi sic diligẽter tantum doctorem exponit, vt eius verba ad sensum aliquẽ commodum trahat, non vt eius ignorantiam aliquam vel errorem traducat. Idq; (vt dicit) eam sane ob causam, *quia magnæ authoritatis vir erat*, &c. Hic omnium lectorum æquitatem appello, satiúsne sit & Christianæ modestiæ atque etiam prudentiæ conuenienous, in dictis aliquorum patrum incommodis seu (vt videtur) erroribus, tanti Patris exemplo, eorum intelligentiam abditã scrutari, & cõmodè exponere; quàm cum protestantibus hodie, vel ea temere ventilare, taxare, virguláq; cẽsoria notare; vel etiam propterea patres ipsos, vt homines & humana tantum (quæ fallax est) prudẽna valentes, ab omni penitus Authoritate deiicere, fide ac testimonio spoliare. Ad 3. dicimus, primùm ipsorum patrum modestiam & humilitatem, qua suis scriptis authoritatem demunt, nihil præiudicii afferre; sed contrà magnam vim habere ad eorum authoritatem cõprobandam. Nã si aliter fecissent, & sibi credi postulassent (quod impudentissimè fecit Lutherus faciúntq; alij protestantes) vtique vel pro vanis, vel pro suspectis eorum scripta meritò haberẽtur. Quãquam quo sensu patres suis scriptis derogant, elegantissimè August. (cuius maximè verba protestantes in hoc genere afferunt,) explicat. Sic enim scribit. *In omnibus literis meis non solum piũ* E *lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero. veruntamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius quam Catholicam fidem; Iste se non amet amplius quàm Catholicam veritatem. Sicut illi dico, noli meis literis quasi scripturis Canonicis inseruire, sed in illis & quod non credebas quum inueneris incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere, ita isti dico: Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex diuina lectione vel inconcussa ratione corrigere.* Hæc ille in proœmio li. 3. de Trinitate. Hoc sane sensu & modo suis scriptis authoritatem demunt patres, vt & pij lectores simus, & liberi correctores, si tamen non ex cõtentione vel præsumpta opinione propria, sed ex fide publica & certa ratione, quod minus commode dictum est, corrigimus. Deinde etiã dicimus iam iudicasse Ecclesiam Dei, vtrum eorum scripta sint scripturis & rationi consentanea an non: vt 3. ratio docuit. Hoc autem iudicium nõ esse penes vnumquenq;, vt pro suo priuato iudicio vnusquisque Patres vel probet, vel respuat, sicut aduersarij faciunt, & ab aliis fieri vellent: hoc enim schismata, hæreses, & priuata dogmata fouet; vnam autem, catholicam, & publicam fidem prorsus euertit. Ad 4. respondebitur plenissimè, in Controuersia 6. & 7. quum de Scripturæ Interpretatione & Sufficientia disputabitur.

Patrũ modestia Authoritatem ipsorum commẽdit.

Ecclesia iam iudicauit an Patres rectè scripserint.

Aliis argumentis ex Augustino contra hanc Authoritatem patrum petitis, respondetur.

F

CAPVT XVI.

SED sunt quædam Augustini sententiæ quæ non modestiæ causa de seipso, & suis scriptis, sed planè absolutè, & in genere de omnium scriptis, extra Sacras ipsas Scripturas, pronunciant, liberum in illis debere esse lectoris iudicium. Ait enim in epist. 19. ad Hieronymum. *Alios præter scripturarum libros ita lego, vt quãtalibet sanctitate doctrináque præpolleãt, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quòd à veritate non abhorreãt persuadere potuerũt.* Hæc ille. Alibi verò contra Faustum multo apertiùs. *Distincta est*, inquit, *à posteriorum libris excellentia Canonicæ Authoritatis, veteris & noui testamenti:* Et paulò post. *Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare videntur à vero, quia non vt dicta sunt intelliguntur; tamen ibi liberum habet lector iudicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit: & ideo cuncta huiusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica authoritate defendantur, si cui displicuerit aut credere noluerit, non reprehenditur.* Hæc ille lib. 11. cap. 5. contra Faustum. Eandem quoque distinctionem notat in epist. 48. ad Vincentium.

Augustini Sententia quas contra Patrum Authoritatem Protestãtes proferũt.

1. Responsio.

Sed de his & similibus Augustini verbis diligenter aduertendum est, hoc eum dicere, non circa

A circa huiusmodi quæstiones quæ ad fidei substantiam proximè pertinent, sed circa huiusmodi quæ extra fidei necessitatem sunt, variéque à variis intelligi possunt absque iactura fidei; qualia multa enumerat in libro contra Cælestium & Pelagium de peccato originali. Quo etiam in loco hanc distinctionem diligenter tradit. Nam quod ad primum locum attinet ex epist. 19. citatum, illa dixit disputans de reprehensione Petri à Paulo facta. Ad fidem autem nō pertinet siue verè reprehensus fuerit Petrus, siue simulatè. In verbis illis contra Faustum de quibus mirificè exultant aduersarij, apertissimè quoque non nisi in causa huiusmodi quæstionū quæ extra fidei regulam essent, se illa loquutum esse ostendit. Ait enim de libris Authorum extra Canonicas Scripturas, aliquid eos habere *non consonum fortasse occultiori & ad dignoscendum difficiliori veritati*: non dixit, dissonum à regula fidei. Moxq; iterum. *Ne*, inquit, *adimeretur posteris, ad quæstiones difficiles tractandas atque versandas, linguæ ac styli saluberrimus labor, distincta est*, &c. vt in ipso loco iam citato habes. Est ergo in difficilium quæstionum explicatione & tractatione, ab ecclesiasticis scriptoribus facta, liberum aliquando lectoris iudicium; non in ipsius publicæ fidei testimonio, aut in eorum quæ ad eam pertinent doctissimorum hominum consensione. Hanc enim in causa fidei, ipsemet copiosè contra hæreticos producit & vrget, vt in 2. ratione ostensum est.

In quæst. ad fidei substantiam non pertinentibus, liberum est Lectoris iudicium.

Lib. 2. cap. 13.

In quæstionibus difficilibus à veritate interdum aberrant Patres.

Deinde, si forte in tractanda quæstione aliqua, etiam ad fidem pertinente, liberum alicubi August. vel alius quispiam pater permittat lectori iudicium; illud intellige locum habere, donec Ecclesia ipsa vel generali sua consensione, vel per Conciliorum aut Pontificum decreta illas patrum disputationes approbauerit. Nam postquam sic approbatæ fuerint, non est iam B amplius liberum lectori catholico iudicium. Intellige quoq; circa explicationem eorum quæ ad fidem pertinent, ipsique fidei antecedentia aut consequentia sunt, in quibus & obscuriùs, & imperfectiùs Patres loqui possunt, non autem circa ea quæ ex ipsa fide credenda sunt. Intellige denique (vt sapienter monet Vualdensis doctrinalis fidei lib. 2. cap. 21.) *de dictis doctorum in se*: quando scilicet aut soli, aut aliis contrarij, aut minus famati, id est ab Ecclesia in honorē non recepti sunt, quorum dicta proferuntur. Postremò, in disputatione & tractatione ipsa, etiā eorum quę directè ad fidem pertinent, hallucināťur interdum & male colligunt etiam approbati ab Ecclesia patres; scribentes videlicet non dogmaticè & assertiuè, sed ex contentione & in certamine: vt de Grægorio Neocæsariensi notauit Basilius epist. 64. Reprehenderant enim quidam Magnum illum Gregorium *quòd in expositione fidei dixerit patrem & filium iuxta mentu quidem considerationem, duos esse, hypostasi verò vnum. Hoc autem* [ait Basilius] *non dogmaticè sed contensiosè in disputatione contra Aelianum dictum esse intelligere noluerunt*. Et paulò post. *Sane qui Gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa verba exactiùs disputandū esse; sed alicubi consuetudini eius quem ad fidem inducit nonnihil condonat, dummodo principalibus ac necessariis non reluctetur. Quare & multas illic inuenias voces, quæ iā hæreticis plurimū addant roboris*: &c. Eodē planè modo & Origenē in quibusdā defendit Athanasius in libello de decretis Nicenæ Synodi. *Quæ*, inquit, *disputandi certandiq; gratia scripsit, ea nō quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorū qui cū eo cōtentiosius disputarūt accipiēda sunt. Post illa ergo quæ certādi gratia, quasi in palestra aduersus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt subintulit*. Hęc ibi C Athanasius. Ex his ergo duobus exemplis edocti, animaduertere diligēter & distinguere debemus, in lectione patrū quæ ab illis cōtentiosè, id est, occasione præsentis certaminis, in quo eorū disputatio versatur, & ad aliam longè diuersam materiā pertinentia proferūtur; quę autem dogmaticè, id est, cum studio & proposito docendi ab illis asseruntur. Nam in priori illo genere liberum est lectori cordato & perito iudicium; non autem in posteriori isto. Nam in conclusione doctrinæ quæ ad fidem pertinet, ab ipsis ex proposito ea de re differentibus, & cōmuni consensu traditæ, approbati ab Ecclesia patres non errant: nec in illo genere liberum est lectori iudicium, sed *Ecclesiæ iudicium sequi debet lector christianus sub pœna perfidiæ, si ad fidem res pertineat, sub pœna contumaciæ, si non pertineat*. vt docet eruditè Tho. Vualdensis doctrinalis fidei lib. 2. cap. 21. & 23. Atque hæc de præcedentium Sanctorum Patrum testimonio & cōsentiente sententia, quo tanquam illustri & nobilissimo Medio, ómnes Catholici tractatores, adeóq; ipsa episcopalia Concilia in iudicio fidei, & Controuersia aliqua dogmatica decernenda, vsa semper fuerunt, hæresésque omnes validè confutarunt. Alia adhuc de huius Medij celeberrimo & saluberrimo vsu, in aliis mox Controuersiis, magísque particulariter & expressè in medium proferemus; quibus hoc Medium hic à nobis constitutum, magis adhuc magísque confirmabitur. Quanquam etiam tanto breuiores in hoc loco fuimus, quanto plenius &

2. Responsio.

In doctrina Patrum ab Ecclesia approbata non est liberum lectoris iudicium.

3. Responsio.

4. Responsio.

5. Responsio.

Distinguenda sunt quæ scribuntur à patribus ἀγωνιστικῶς & quæ δογματικῶς.

Lib. 10. cap. 15. & li. 11. cap. 5.

diligentius à multis hodie Catholicis tractatoribus, hoc iudicij ecclesiastici Medium, Sanctorúmque patrum Authoritas confirmata & corroborata extitit. Qua de re lege inter cæteros Melchiorem canum locorum theologicorum lib. 7. D

Ipsiusmet populi fidelis commune testimonium & consentiens Iudicium, ad ferendam de re controuersa sententiam, Medium aliquando esse potest.

CAPVT XVII.

DICTVM & declaratum est superius, nec totam ecclesiam, (loquendo de partibus & membris eius vniuersis,) de fide ipsa iudicandi potestatem habere; nec inter ipsa membra Ecclesiæ, laicos & priuatos homines, quos populi nomine complecti solemus, hac ipsa potestate fungi. Nihilominus tū fides ipsa totius Ecclesiæ certissimè de rebus controuersis iudicat, vt de regula fidei suprà demonstrauimus, tùm præterea ipsius populi fidelis commune testimonium & consentiens Iudicium, vt Medium aliquod adhiberi interdum potest, ad sententiam in causa fidei ferendam. Medium autem non quidem semper certissimum, & demonstratiuum, probabile tamen & suo loco ac tempore sufficiens & validum. Nempe quum omnium quidem non sit credenda proponere & præscribere, omniū tamen sit rebus ad credendum propositis consentire & fidem habere, (*Multitudinis enim credentium cor vnum & anima vna* esse debet, & hic est proprius Ecclesiæ character, vt sit *vna Catholica*, hoc est, *omnes vnum sint*, vt Christus orauit) certè ex cōsensu vnanimi fidelis populi, cōtra hæreticum & noua spargentem dogmata rectè præscribi potest. Sed vt in cuiusmodi tandē re controuersa hoc Medium adhibere tutò possis, intelligas; aduertendum est, ex iis quæ ad fidem spectant, quædam huiusmodi esse, vt omnes ea explicitè credere teneantur, & ad regulam fidei omnibus notam pertineant, (*Regula enim fidei*, ait Tertull. *vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis*) quædam verò huiusmodi, vt Maiores & perfectiores tantùm ea explicitè credere teneantur, populus verò in fide Maiorum & implicitè; id est, non aliquo repugnādi aut contendendi animo circa incognita, sed parati ea credere si docerentur, & interim in maiorum fide simpliciter acquiescendo, qualia sunt circa regulam fidei consequentia & antecedentia; certè in priori genere credendorum, vox & consensus populi fidelis, testimonij & argumenti locum habere potest. Illa enim quum huiusmodi sint, vt apertè & expressè cuiuis fideli credenda sint, & in communi populorū fidelium ore, vsu, consuetudine, cōsensu versentur, nihil absurdi erit etiam populi testimonio vti. Vtitur sane eo testimonij argumenti genere non rarò S. August. cui tamē nec ad inuenienda argumenta ingenium, nec ad tractanda ars defuit. Ait enim. *In his rebus vbi nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei & instituta maiorū pro lege tenenda sunt.* Sic de futuro Heliæ aduentu disputans, non aliam probationem adfert. *Celeberrimum*, inquit, *hoc est in sermonibus cordibúsq; fidelium.* Hoc autē argumentandi genus quū ægrè Iulianus pelagianus tulisset, Iudicium illud tāquam *populi murmur* (sic enim dicebat) cōtēnens, respondet Aug. *Nec tibi, vt calumniaris, solum populi murmur opponimus. Quanquā & ipse populus aduersum vos propterea murmurat, quia non est talis quæstio, quæ possit cognitionem etiam fugere popularem. Diuites & pauperes, excelsi atq; infimi, docti atque indocti, mares & fœminæ nouerūt, quid cuiq; ætati in baptismate remittatur.* Et paulò pòst. *Quasi parua sit eius assertio, quòd in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento, ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo.* Hæc ille. F In quibus Augustini verbis, obserua & sensum & rationem huiusce Medij, à nobis antea præscriptam. Idem verò doctissimus pater contra Pelagianos, probaturus baptismum ad salutem & remissionem peccatorum dari, (quod illi negabāt) ex populi voce & iudicio argumentatur. *Optimè*, inquit, *Punici Christiani ipsum baptismum nihil aliud quàm* salutem, & sacramentum Corporis Christi nihil aliud quàm *vitam vocāt. Vnde nisi ex antiqua, vt existimo, & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent. præter baptismum & participationē mensæ dominicæ, ad salutem non posse perueniri?* Hæc August. nihil veritus etiā populi fidelis suffragio ac testimonio in re grauissima niti, idq; contra aduersarios acutos satis ac dentatos. Sed & D. quoq; Basilius contra Eunomium disputans, emunctæ naris hominem, & in re longè diuinissima, nempe pro æqualitate Spiritus Sancti cum Patre & filio decertans, profert probationis loco, populi quandam Orationem, vulgò dici solitam, quum primum lucernæ vesperi accenderentur: qui

Act. 4. *Vna catholica.* Ioan. 17.

Non omnia quæ ad fidem spectāt similiter ad credendū obligant.

In lib. de velandis virginibus.

Implicitè credere quid.

In quibus populi fidelis testimonium valet.

Epist. 86. ad casulanum.

De ciuit. Dei lib. 20. cap. 19.

Lib 1. cap 2. in Iulianum.

De peccatorū meritis & remiss. lib. 1. cap. 24.

E

A tur:qui etiam orandi mos adhuc apud nostros Anglos orthodoxos obtinet. *Visum est*, inquit, *patribus nostris, vespertini luminis gratiam haud quaquam silentio arripere: sed mox vt apparuit, agere gratias. Quis autem fuerit Author illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione apud lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam visi sunt impietatē committere, qui dicunt, Laudamus Patrem & filium & spiritum sanctum* Dei. Hæc ille. Sic apud Eusebium Scriptoris cuiusdam ecclesiastici verba proferuntur, contra Artemonem hæreticū, qui suam hæresim Apostolicam doctrinam esse affirmabat hunc in modum disputantis. *Quot psalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitus perscripti, qui Christum verum Deum esse concentu quodam concelebrant?* Hæc apud Eusebium lib. 5. ca. 27. hist. ecclesiasticæ. Horum ergo patrum exemplo, imò ex ipsius Apostoli documento, qui iubet *si quis contentiosus sit*, ei respondere, *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia* Dei; in huiusmodi dogmatibus quorum vel fides est notissima, vel vsus & religio vulgò recepta & nota sunt, qualia hodie pleraq; ab Aduersariis & nouatoribus istis in Cōtrouersiam vocantur, vt de Inuocatione Sanctorum, de orando pro defunctis, & id genus aliis permultis, vel ex populi Iudicio, testimonio, & consensu cōtra illos argumentari, fidémque orthodoxam asserere licet. Et hoc sane est quod confidenter dixit vir doctissimus Thomas Vvaldensis. *Certus sum quòd fides Ecclesiæ, testimonium laicorum non excludit, imò includit.* Fidem Ecclesiæ dixit laicos includere, quia & ipsi ad communem fidem pertinent. Non dicit Authoritatem & iudicium Ecclesiæ, eorum testimonium includere aut expectare, vt ineptissimè hodie & populariter protestantes docent. Qua sane de causa, nos vt in controuersia de Iudicij & potestatis ecclesiasticæ subiecto, laicos & populum exB clusimus, ita in præsenti controuersia de Mediis huius Iudicij, eos cum Thoma Vvaldensi includimus. Includimus autem, non quòd inde fides robur accipiat vel in se vel in acceptatione credentium, sed quòd aduersarios fidei hoc testimonium satis refellat. Testimonium enim hic dicimus cum Vvaldensi, quale vnitatis & confessionis communis testimonium est, non quod authoritatis vim aliquam habeat. Nam & propterea subiungit mox V. valdensis. *Sed quia fidem quam verissimè conceperunt, non valuerunt sub congruis terminis, liberis ab omni intricatione hæretica, successorum suorum propinare memoriæ, ideo ad fontem sanctorum Antistitum recurrimus.* Hæc ille. Vt immeritò propterea, hanc doctissimi Vvaldensis sententiam falsi arguerit Melchior Canus, quasi laicis Iudicium fidei tribuere voluerit. Longè enim res alia est, testimonium rei dubiæ adferre; alia, de ipsa re dubia & testimonio allato cæterisque Mediis & probationibus omnibus, iudicare & sententiam ferre. Hoc Ecclesia in suis Magistris & principibus facit. Illud, vt multis aliis modis, ita interdum & populi fidelis suffragio, ac testimonio, nec absurdè fit & commodè præstatur. Atque hæc de Mediis hactenus Iudicij Ecclesiastici, si non omnibus, saltem præcipuis, magísque tùm certis, tùm vsitatis, dicta à nobis sunto. Nunc aliunde initio sumpto, ad alias Controuersias transeamus.

In lib. de Spiritu S. ca. 29.

Oratio ad Lucernas accensas.

1. cor. 11.

Doctrinal. fidei li. 2. ca. 19.

Populi fidelis testimonium quatenus valeat, & quale sit.

Loc. theol. lib. 2. cap. 7. *Vvaldensis à Melchiore cano immeritò reprehensus.*

Controuersia 3. & Libri Septimi finis.

DE PRINCIPIIS FIDEI DOCTRINALIBVS CONTROVERSIA QVARTA, ET LIBER OCTAVVS.

De Iudicio, Potestate, seu etiam testimonio Ecclesiæ, formaliter & in se considerato.

PRÆFATIO.

1. BSOLVTIS nunc circa principia fidei doctrinalia E
2. demonstranda, Controuersiis tribus: de vera Christi
3. & Dei Ecclesia in se, qualis & penes quos illa sit; de
eiusdam Ecclesiæ Potestate circa Iudicium fidei, in quo Subiecto illa resideat; ac demum de Mediis & probationum viis, quibus illi iudices in causa fidei vtuntur ac vti debent; sequitur nunc de eadem adhuc Ecclesiæ Dei Potestate disputatio, longè vtilissima, nec minus necessaria, (quia non minus hodie de hac re quàm de aliis illis omnibus controuertitur:) In qua de hac Potestate,
Argumentum libri sequentis. formaliter & in seipsa considerata, quærendum est; qualis demum & cuius
1. generis illa sit. Sitne videlicet Ecclesiæ aliquid vel attestātis, vel docētis, vel
2. etiam decernentis vox, Iudicium, & Authoritas; libera quædam & indifferēs
3. sententia, quam vel acceptare vel repudiare liceat, an necessaria & huiusmo-
Argumenti vtilitas. di quam recusare non possimus; item probabilísne tantum & incerta, an cer-
ta & infallibilis; denique humanáne tantùm, an etiam quodam modo di- F
uina. Nam dum alterum horum, Protestantes hodie pertinaciter affirmant, & tuentur; alterum verò, Catholici omnes religiosè & constanter profitentur & docent; factum est vt illi quidem, tum in quamplurimis ab Ecclesiastica veritate recesserint, tum Orthodoxos multarum superstitionum & errorum, quasi ab vno Ecclesiasticæ Authoritatis falso principio deductorum, grauiter & superbè incusauerint: hi verò contrà, ipsos Protestantes, vel hoc potissimum nomine, pro hæreticis habeant, detestentur & fugiant; quòd à Sacrosanctæ Matris suæ Ecclesiæ placitis ac decretis, tanquam adulteri & degeneres filij, in tam multis & magnis de fide dogmatibus, longè latéque recedere non sunt veriti. Quæquidem causa est, quòd hoc argumenti genus via & ratione pertractare, pene solus (quod sciam) & primus, in Domino meo confidens, instituerim; paulóque quàm hactenus accura-

tius,

A tiùs,preſsiùs, & ſolidiùs, huic vni argumento inſiſtere decreuerim. Video enim ex ſola Eccleſiæ Sanctæ Authoritate ſacroſancta, neglecta & conculcata,plurimos & grauiſsimos errores,per ſuperba quædam ingenia,cum maximo animarum detrimento,in orbem Chriſtianum inuectos fuiſſe.Arbitror autem & confido ,eadem Authoritate ſemel rectè ſtabilita & ſolidè confirmata,fore vt eiſdem tandem perniciosiſsimis erroribus, vel finis imponatur, vel progreſſus vlterior præcidatur. Itaque vt hanc rem paulo altiùs ordiamur,de Cauſis fidei, ſeu inducentibus ad fidem, primo loco pauca diſſeremus: vt ad hoc fidei principium planè nobiliſsimum, cauſamque certiſsimam,(quantum quidem à nobis fieri poteſt, & inſtituta hæc docendi ac dictandi breuitas patietur,) abſolutiſsimè demonſtrandam ita demum accedamus.

Sententiæ variæ de causis fidei, siue de Medijs ad credendum, circa Ecclesiæ docentis vocem ac testimonium, enumerantur: vt quale tandem id Medium sit, inuestigetur.

CAPVT PRIMVM.



CIRCA Ecclesiæ docentis vocem, vt fidei doctrinale principium, id est, vt causam seu medium ad credendum, variæ hominum sententiæ fuerunt. Alij enim, ad assensum seu actum fidei in nobis eliciendum, solam
1. Dei immediatam reuelationem requirunt: Ecclesiæ autem docentis vocem, & alia omnia externa adiumenta, tanquam superuacanea reiiciunt. Suenckfeldianorum hæc hodie hæresis erat. Alij vocem & instructionem
2. externam desiderant quidem; sed ex his alij, solam Sacram Scripturam, tanquam solam Dei loquentis vocem admittunt; apertè reiecto omni Ecclesiæ testimonio,
In Apologia par. 3. iudicio, & Authoritate: quales sunt Lutherani illi antiquiores à Friderico Staphylo rigidi seu Antadiaphoristæ nuncupati. In Anglia hodie *Puritani* vocantur. Alij Ecclesiæ quidem vo-
3. cem admittunt, & ministerium verbi mirificè commendant; sed ita tamen, vt non aliter authoritatem habeat vox Ecclesiæ, quàm quatenus expresso scripto Dei verbo nititur: & sic cum priori sententia pene coincidunt. Differunt tamen, quia saltem vt veritatis testimonium E
& *confessionem qua infirmis consulatur*, Ecclesiæ vocem agnoscunt. Quæ postrema pars, Melanchthonis molliúmque Lutheranorum sententia est; prior pars aliis omnibus Protestantibus non nimium rigidis communis. Alij contra ad assensum fidei in nobis eliciendum, Deum
4 quidem per doctrinam legis reuelantem admittunt, & Ecclesiam docentem; tamen specialẽ aliquam gratiam, quæ ad assentiẽdum moueat, minimè necessariam putant: sufficere autem ad hoc, liberum hominis arbitrium quæ Pelagianorum hæresis fuit. Alij postremò, tantùm
5. Ecclesiæ docẽti tribuunt, miraculis, aliísque mediis externis, vt asserant, absque illis sufficere non posse habitum fidei infusum, vt quis actu credat. Imò posse hominem ex sola fide acquisita omnes articulos fidei credere; Denique Ecclesiæ vocem esse formalem rationem fidei, adeóque vltimam resolutionem, in qua tanquam suprema causa credendi, sistat fidelis animus: quæ scholasticorum quorundam opinio fuit. Sed hæ omnes sententiæ in extremo sunt. Nam vel Ecclesiæ vocem prorsus excludunt, aut minus quàm oportet expendunt vt priores; vel eandem nimium extollunt vt posteriores. Vna est media & sana sententia, quam nunc paulatim & certis quasi gradibus atque vestigiis per varia Axiomata seu Assertiones inuestigabimus.

Impossibile esse, sine speciali gratia ac dono fidei diuinitus infuso, actum veræ fidei producere, aut ex veri nominis fide credere, ostenditur. F

CAPVT II.

Assertio prima. IMPOSSIBILE est sine habitu fidei infuso, actu fidei iustificantis, & quæ renatorum propria est, credere.

Habitus fidei principium credendi. Probatio huius Axiomatis est euidens, quia actus talis fidei est actus supernaturalis: nempe firmiter assentire iis quæ ex natura rerum supra fidem sunt; quod dum fit, eleuatur homo supra naturam suam, ideóque principio aliquo etiã supernaturali indiget, quo eleuetur. Hoc principiũ
Durandi argumenta in contrarium. est habitus seu donum fidei, solo Dei opere infusum, quo illuminatur intellectus, & incitatur
In 1. sentent. dist. 28. quæst. 1. voluntas, ad huiusmodi actum credendi. Durãdus vt rationem hanc eludat (quæ est D. Thomæ 2.2 quæst. 6. art. 1.) distinguit, quòd quamuis superet naturalem facultatem intellectus,
Responsio. clarè intelligere ea quæ sunt fidei, tamen non superat eam assentiri huiusmodi ex authoritate alterius.

A alterius. Nam vt naturaliter credo pluuiam futuram, quia sic dicit Astrologus, ex hoc princi- 1.
pio naturali, *vnicuique in sua arte credendum est*, ita naturaliter possum credere Deum incarna-
tum, quia sic dicit Ecclesia, ex eodem principio. Item hæreticus assentit multis articulis fidei,
& dæmones credunt; non habent tamen habitum infusum, ergo, &c. Hæc ille. At errat hic
vehementer Durandus. Nam credo Deum incarnatum propter authoritatem & vocem do- 2.
centis Ecclesiæ, non vt vocis humanæ, aut humana vel authoritate vel eruditione mihi com-
mendatæ; sed vt vocis diuinæ, ac diuinitus ad hoc institutæ: vt postea docebitur. Deinde, 3.
quòd Ecclesiæ voci credimus, non ex naturali aliquo principio habemus, vt in Astrologo cre- Infrà cap.16.
dendo; sed ex obedientia fidei virtute supernaturali, qua credo docenti Ecclesiæ propter Deũ & sequent.
iubentem vt ei credatur. Denique, assentiri ipsi fidei, ex authoritate vel Dei vel Ecclesiæ, non item cap. 20.
superat naturam quo ad modum agendi, qui est liberè assentiri præsupposita adiuuante gra- & seq.
tia; sed superat naturam quo ad ipsum credendi lumen vel habitum producendum, quod est
purè Dei solius donum. Hæretici autem, dæmones, multique alij non verè Catholici Chri-
stiani, assentiunt illi quidem articulis fidei, quantum ab substantiam operis; quæ est *cum assen-
sione cogitare*: (vt ipsum credere iuxta substantiam definit August.) sed non assentiunt quan- *credere secundũ*
tum ad debitum modum assentiendi, id est non ex fide aut obedientia fidei: sed, hęretici qui- *substantiam*
dem quia hoc elegerunt sibi credendum, dęmones autem quia conuictus est eorum intelle- *actus quid.*
ctus euidenti rerum cognitione, assentiunt & credere dicuntur. De quo genere dixit Christus Lib.1.cap.2.
Pharisæis. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*; ostendens per signa ipsa potuisse intellectũ de prædestin.
B eorum conuinci, vt crederent & actu saltem assentirent, licet Christo ex fide assentiri noluc- sanct.
rint. Non autem ex illis verbis *habetur* (vt dicit Durandus) *motiuum probabile posse hominem* *Hæretici & dæmones quo sensu credunt.*
sine quocunque habitu infuso assentiri veritati supernaturali, si sane accipias assensum pro assensu Ioan.10.
fidei iustificantis. Iam verò, cùm passim Sacra Scriptura hanc Assertionem probet, vt illud *Alia Durandi*
ad Ephes. 2. *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est*: & ad Philip.1. *argumentis obi-*
Vobis donatum est pro Christo, vt credatis in eum. Et denique 1.Co.4. *Quid habes quod non acce-* *ter respondetur.*
pisti? &c. (quo præcipuè testimonio conuictum se fuisse Augustinus scribit, cùm similiter er-
rauerat,) Durandus vt suam sententiam tueatur, respondet; *probare quidem has scripturas, fidei* Lib.1.de præ-
donum non esse superfluum: quia tametsi non sit necessaria fidei infusa propter assensum absolutè acce- dest.sanct.
ptum, est tamen necessaria ad hoc vt intellectus veritati articulorum assentiat faciliter contra intelle- cap.3.
ctus duritiam, & firmiter ac discretè, contra intellectus errorem. Hæc ille loco iam citato. Sed pro-
fectò qui non plus tribuunt fidei dono, ad Pelagianos quàm proximè accedunt. Pelagiani
enim *diuina hæc testimonia* (ait Augustinus) *ad hoc dicunt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos* *Pelagianorum*
habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo, vt ab ipso augeatur in nobis. Quam sententiam *euasio circa Scri-*
statim confutat copiosè, vrgens inter cætera illud Apostoli, *Donatum est vobis vt credatis in eũ.* *pturas de gratia*
Non ait (infert Augustinus) *vt plenius & perfectius credatis in eum, sed vt credatis in eum. Nec sei-*
psum misericordiam consecutum dixit Apostolus vt fidelior, sed vt fidelis esset. 1 Cor.7. Hæc ille. Sic Lib.1.cap.2.
Durando respondetur, docere Apostolum in scripturis citatis, ex Dei dono esse non ex nobis de prædestin.
(donum autem non solum speciale auxilium, sed etiam habitum permanentem apud Apo- sanct.
C stolum significat) non solum vt faciliter, firmiter, ac discretè credamus, sed vt omnino creda- *Donum fidei est habitus permanens.*
mus: ex fide sane iustificante & Christianorum propria.

Ex hac autem demonstratione quæ euertit Pelagianos, & eorum similes; euertitur & ille
alius error, asserentium posse aliquem per solam fidem acquisitam omnes articulos fidei cre- *Gabrielis Biel*
dere. His autem argumentis nititur Gabriel Biel. in 3. dist.23. quæst.2. art.2. *Puer*, inquit, *aliquis* *argumentis respondetur.*
non baptisatus, & inter Christianos viuens, ac ab eisdem instructus posset omnia credere quæ credit
Christianus; quia crederet suos instructores esse veraces: tamen non haberet fidem infusam, quia non es-
set baptisatus. Respondetur, dupliciter deficere Argumentum. Primùm quia etiam non bapti- De bapt. cõtr.
satus potest nihilominus habere fidem infusam, vt catechumeni habent, (*quorum aliquos etiã* Donat. lib.4.
baptisatis fideliores esse, Augustinus non dubitat) aliique omnes qui voto Baptismum deside- cap.21.
rant. Imo sane Cornelius nondum Baptisatus repletus est Spiritu S. vt ibidem docet August. *Qui sine habitu infuso credit, non habet fidẽ.*
Deinde sine habitu infuso, ex sola attestatione instructorum suorum qui credit, non est dicen-
dus habere fidem iustificantem, ac ne quidem sufficienter ad illam disponi. Illud enim quod
fidei est, tenet quidem; sed non ex fide: vt qui conclusionem aliquam tenet nesciens medium,
tenet quidem illam, sed non ex scientia. Scire enim est per causas cognoscere. Credere quo-
que, vt oportet id est, habere fidem Catholicam, est ex tali fide credere, quæ ex Deo sit & di-
uina, non solùm ab effectu, quia firmissimum assensum præbet, (qualem firmitatem huma-
na fides interdum habet) nec solùm ratione principij quia ex Deo est (quantulacunque enim

& inchoata fides ex Dei gratia ortum habet,)sed etiam ab obiecto:id est,circa ea consistẽs & D
non alia quàm quæ Deus per Ecclesiam docet;& quæ vniuerso verbo Dei creditide qua denique certò cõstet eam esse à Deo,atque diuinam non autem humanam aut acquisitam aliquam. Hoc autem cõstat per externam reuelationem à Deo factam:vel per Ecclesiæ vocem lege cõmuni,vel per Angelos,aut etiam per seipsum immediatè aliquo priuilegio. Nam alio-
2.Cor.11. qui quod à Deo est,non certò cõstabit esse ex Deo, quia *Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis*,ideoque *non omni spiritui credẽdum* monuit Ioannes.1.Ioan.4. Vt talis videlicet fidei & principium sit ex diuina præueniente & adiuuante gratia,& obiectum à cõmuni & Catholica fide non diuersum. Quæ quidem distinctio & cæteris omnibus argumentis satisfacit.
1. Arguit enim. *Possum credere vnũ aliquem articulũ,non credendo alios,quod dum fit,fides infusa non*
2. *habetur. Illa enim omnes credit.* Quod etiam est Durandi argumentũ in 2.dist.28.quæst.1. Item *possum sola fide acquisita credere,quicquid Ecclesia approbat, quia video illam collectam esse ex viris*
3. *grauissimis & doctissimis:illa autem omnes articulos approbat,ergo,&c. Præterea hæretici sine fide infusa,vni alicui errori sic firmiter adhærent,vt pro eo moriantur. Ergo multo magis veritati adhærere quis posset sine fide infusa.* His enim omnibus respondetur, hos omnes assentire quidem certis articulis fidei,quantum ad substantiam operis; sed non quantum ad modum illũ,qui ex fide est:id est non propter Deum sic,siue immediate siue per Ecclesiam mediatè,reuelantem. Nã primus contemnit vocem docentis Ecclesiæ; Alioqui enim omnes crederet sicut credit Ec-
Infrà lib.9. cap.4. clesia. Secundus male accipit vocem Ecclesiæ, vt humanam scilicet non vt testem diuinam:cuius discriminis rationem infrà explicabimus. Tertius credit, quia vult hoc credere, non quia debet sic credere. Quanquam etiam non tam facile quis credet veritati sine gratia quàm adhæret errori. Error enim in rebus fidei est consentaneus naturæ, veritas autem fidei E quia supra naturam est, ingrata est naturæ & absurda; ideóque gratia indiget, quæ naturam caligantem illuminet, torpentem excitet, iacentem eleuet.

Errori facilius quàm veritati creditur.

Donum fidei infusum,tam certa & efficax est fidei causa : vt per id solum,veram fidem consequi liceat,absque voce,testimonio,doctrina & magisterio Ecclesiæ.

CAPVT III.

Assertio secũda.



IAM verò, adeo est ad credendum causa efficax, solum hoc " fidei donum infusum,vt posibile sit actu credere omnia " crẽdéda,per solam fidem infusam, absq; testimonio, doctrina, " & magisterio Ecclesiæ.

1. Probatur hæc Assertio euidenter, quia & ante legem sic Patriarchæ immediatè à Deo docebantur,& post legẽ multa Prophetæ,multa Apo-
S. Hieronymus. Math.16. stoli immediatè à Deo acceperunt ad fidem pertinentia:vt docet S. Hieron.in Epist.ad Pau- F linum tom.3. Tale est illud Matt. *Caro & sanguis non reuelauit tibi,sed pater meus qui in cælis est.*
2. Simile etiam refert August.de S. Antonio Eremita in Prologo libri de doctrina Christiana præfixo. Præterea,sicut in conferenda gratia remissionis peccatorum, Deus non alligatur sacramentis, sed *inuisibilis gratia sine visibili sanctificatione quibusdam affuit, & profuit*,(vt docet Aug.in quæst.in Leuiticum quæst. 84.)sic ad fidem generandam Deus non alligatur exter-
3. nis mediis. Rursum si impossibile esset, per solum habitum infusum actu credere, sed esset præterea absolutè necessaria fides acquisita,(vt voluit Gabriel & Durandus) sequeretur imperfectio in Deo, quòd per solam gratiam hominem ad credendum inducere non posset. Quod tamen vt suadeatur, ponit exemplum Gabriel de infante baptisato qui per Baptismũ accepit fidem infusam. *Hic enim*, inquit *nisi postea catechisetur & instruatur in fide nihil actu credet*. Sed addit Gabriel. *Cessante miraculo diuinæ illuminationis*, vbi suum ipsius argumentum quodammodo soluit,& possibilitatem concedit:nisi quòd miraculo illam,non dono necessa-
4. rio tribuit;sicuti tribuere debebat. Non enim miraculosè sed necessariò ad fidem generandã concurrit diuinæ illuminationis donum. Sequetur præterea fidem infusam dependere à fide acquisita,tanquam à principio operationis suæ,quia nisi illa præuia actum eredẽdi elicere non possit:quæ planè Pelagiana sententia est, principium bonæ actionis nobis ipsis, progres-
sum

Inuisibilis gratia sine Sacramentis interdũ operatur.

Donum illuminantis gratiæ necessarium.

A ſum verò & inc rementum Deo tribuens. Reſpondet ad hoc Gabriel, quòd non prorſus pendet á fide acquiſita: ſed vltra firmitatem quam hæc adfert, aliquid aliud ſuperaddit fides infuſa, vt intenſiorem actum eliciat habens vtrâque, quàm qui alterutram. Sed & hæc reſponſio nulla eſt, quando agitur de poſſe habitus infuſi. Omnis enim habitus, planè fruſtra ponitur, niſi ſufficienter inclinet ad actũ circa proprium obiectũ. Nec hoc ſolùm facit habitus acquiſitus, vt diſtinguit Durandus, ſed etiam infuſus. Hoc enim intrinſecũ eſt ipſi naturæ habituum; nec alia ratione virtutes theologicæ vocantur habitus, quàm quia aptitudinem illam & facilitatem inclinandi ad actus ſecum afferunt, quæ eſt in habitibus acquiſitis. Eſt autem omnis veritas reuelata, proprium obiectum fidei infuſæ. Poteſt ergo fides infuſa ſufficienter, (non dico ſemper efficaciter) inclinare animum ad quamlibet veritatem reuelatam actu credẽdam. Fides autem acquiſita addito fidei infuſæ dono (loquendo de poſſe & vi fidei infuſæ; nã aliud eſt loquendo de natura aut naturali infirmitate) nec intenſiorem actum neceſſariò facit (non minus enim intenſè & firmiter credidit Petrus, Chriſtum eſſe filium Dei, ex ſola fide infuſa, quàm cæteri poſtea prædicante Petro, & miracula faciente:) nec eſt, vt iſti volunt, abſolutè, neceſſariò, & ſemper partialis cauſa credendi actu, (ſicut in Petro non fuit, multíſque aliis veteris teſtamenti Patriarchis & Prophetis, quibus immediatè Deus fidem reuelauit) ſed ex hypotheſi, id eſt, ſuppoſita nunc ordinaria credendi via à Deo inſtituta, fides acquiſita eſt cauſa partialis cum infuſa cõcurrens. Præterea, hac ratione fides infuſa eſſet imperfectior acquiſita. 5.
Siquidem hæc ſola, ſecundum iſtos, actum credendi elicere poteſt: illa autem ſola non poteſt.

Habitus fidei ſufficienter inclinat ad credendum.

Non minus intenſa eſt fides ex reuelatione immediata credentis, quàm eius quæ ab Eccleſia docetur.

Quo ſenſu fides acquiſita eſt partialis cauſa credendi.

B Reſpondet Durãdus, *in cauſa eſſe non imperfectionem gratiæ, ſed quia gratia ſupponit naturam; & non econuerſo: ideóque cognitio ſecundum habitum gratiæ infuſum, non poteſt eſſe ſine aliqua notitia naturali modo acquiſita. Contrà verò, cognitio per habitum ex naturalibus acquiſitum, poteſt eſſe ſine habitu infuſo.* Hæc ille. Sed peccat rurſum hæc reſponſio. Nam in actu ſupernaturali (qualis eſt ex fide credere) eliciendo, gratia in communione cauſalitatis cum libero arbitrio concurrens, (de qua Scriptura dicit, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt luculenter exponit Aug. in libro de Spiritu & lit.) non ſupponit ſemper naturalia argumenta extrinſecus aduenientia, vt prædicationem, miracula, & ſimilia; ſed quemadmodum intrinſecam naturæ operationem, quæ eſt liberi arbitrij, ſupponit quidem ſemper; *credere enim vel non credere* (ait Aug.) *eſt in arbitrio voluntatis humanæ*, ideóque in paruulis non operatur gratia aliquem fidei actum, ſed *complet in illis quod per naturam facere non poſſunt*, vt idem docet Aug. eámque perficit, non tollit; ita extrinſecus adinuenictia adiumenta naturalia, aliquãdo prorſus præuenit, nec omnino expectat; vt eſt ſuperiùs oſtẽſum. Deinde quod addit, *Non ecõuerſo*, id eſt, natura non ſupponit gratiã, vix à Pelagianiſmo excuſari poteſt, loquendo de actibus gratiæ ſupernaturalibus; qualis eſt fides theologica & iuſtificans, de qua hoc loco diſputat Durandus. Natura enim adeò gratiã ſupponit in huiuſmodi, vt de hoc genere actionum dixerit Saluator, *Sine me nihil poteſtis facere.* In quibus verbis (vt ſapienter notauit S. Aug.) *non dixit Chriſtus, ſine me difficile poteſtis aliquid facere: ſed ait. Sine me nihil poteſtis facere. Nec ait: Nihil perficere, ſed nihil facere: hoc vno verbo initium finẽque cõprehendẽs.* Hæc Aug. Affert autẽ contra hanc ſententiã Durandus duo argumẽ. Primũ quòd Iudæi qui Chriſto docẽte habuerunt fidẽ infuſam, iuxta legis doctrinam; tamen ideo Chriſto

In 3. ſent. diſt. 25. q. 3.
Ioan. 1.
Cap. 32. & ſequent.
Quomodo gratia ſupponit naturam.
De prædeſt. ſanctor. lib. 1. cap. 5.
De baptiſ. cõtra Donat. Lib. 4. cap. 24.
In actibus gratiæ natura ſemper ſupponit gratiam.
Ioan. 15.
Lib 2 cap. 8. cont. 2. epiſt. pelagian.

C nõ oẽs crediderunt, quia non fuit in omnibus cõcurrens cum fide infuſa, noticia acquiſita ex vita & miraculis Chriſti. Hęc ille, vbi ſuprà. Quæ probatio dupliciter eſt falſa. Primũ enim plurimi qui non crediderunt, habuerũt noticiam acquiſitam ex vita & miraculis Chriſti; vt apertè legimus. *Cum tãta ſigna feciſſet corã eis, non credebãt in eum, &c.* Et iterũ. *Nunc autẽ & viderunt ſigna, & oderũt me, & Patrẽ meum.* Item in Mat. Phariſæi blaſphemabãt, *quòd in nomine Belzebub eijceret dæmonia*, multiſq; aliis in locis. Deinde qui crediderant, nõ ex ſola noticia vitę & miraculorũ Chriſti, ſed multo magis ex gratia diuina crediderãt: iuxta illud: *Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit illum.* Et iterũ. *Propterea vos non auditis, quia ex deo non eſtis*: vel etiam quia tracti, noluerunt credere: iuxta illud. *Lux venit in mundũ, & dilexerunt homines magis tenebras quã lucem.* Rurſum argumẽtatur Durãdus. Iudæi habuiſſent excuſationẽ incredulitatis, niſi Chriſtus feciſſet miracula, docuiſſet, &c. dicit enim. *Si non veniſſem & loquutus eis non fuiſſẽ, peccatum non haberent*, ergo ſine illis externis mediis, per ſolam infuſam fidem, non potuiſſent credere. Hæc ille. Sed male intelligitur dictũ Chriſti. Senſus enim eſt, quòd tantũ & tam graue, nouum & ſpeciale peccatũ non habuiſſent; ſcilicet diffidentiæ & contẽptus docẽtis chriſti, niſi Chriſtus veniſſet, &c. vt multis in locis docet Aug. Non eſt autẽ ſenſus, quòd abſque eo eſſent prorſus excuſandi, vel à reliquis peccatis, vel ab ipſa infidelitate, vt priuationẽ fidei ſignificat: (quanquã ab infidelitate vt actum ſignificat non credendi poſitiuè, id eſt reſi-

Ioan. 12.
Ioan. 15.
Matth. 12.
Ioan. 6.
Ioan. 8. & 10.
Ioan. 3.
Ioan. 15.
Cõtra 2. epiſtol. pelag. lib 3. cap. 3.
In epiſt. Ioan. tract. 6. de verbis domini. ſerm. 11.

Nō excusantur qui de Christo nihil audierūt. stendi veritati, excusati essent, vt docet Aug. tract. 89. in Ioan.)alioqui infideles omnes, qui D
nunquam audierunt de Christo, excusarentur; quod falsum esse Apostolus docet, dicēs. *Qui si-*
Ad Rom. 2. *ne lege peccauerunt. sine lege peribunt.* Et hæc hac de re hactenus, vt intelligant aduersarij, nos ho-
die Ecclesiæ vocem externam nullo modo sic extollere, vt sine ea nullam fidei rationem pos-
se absolutè consistere, doceamus: (quod tamen nobis falsissimè impingit Caluinus Instit. lib.
3. c. 2. par. 33. dicens apud nos, *Paradoxo*[n]*aton esse, neminem nisi cui donatum sit, posse in Christum*
Caluini calumnia mendacissima. *credere*) aut Deum ordini iam à se posito alligare velimus: vtcunque hac de re minus conside-
ratè aliqui scholastici doctores scripserint. Plerique enim iidémque probatiores, contra, & no-
biscum sentiunt.

Alia nihilominus sunt media à Deo ordinata, ad fidem animis humanis ingenerandam, quæ contemnere non licet.

CAPVT IIII.

Assertio tertia.

IHILOMINVS iuxta ordinem à Deo institutum, externa adiumenta ad fidem ingenerandam sunt necessaria, vt ea E
contemnere nemini liceat.

Fœderis cū humano genere à Deo inīti Ratio & progressus. Demonstratur euidenter hæc Assertio ex vniuersa Dei prouidentia, circa fœderis seu Testamenti cum humano genere ineundi rationē; postquam in populum aliquem ac multitudinem, seu Ecclesiæ faciem coalescere cœpit. Primùm in veteri populo; 1. ipsa lege, ceremoniis, & mandatis eius, statim scripto traditis; Sacerdotali tribu constituta, vnde essent qui populo legem semper explicarent; 2. datis quoque extra ordinem Prophetis, qui vel futura ostenderent, vel Sacerdotum negligentiam supplerent: deinde in nouo populo, 3. præter cælestem Christi ipsius prædicationem, quę quidem paruo in tempore, & in vnica regione facta est; missis per totum orbē (4.) Apost. datis Pastoribus & doctoribus qui perpetuò docerent; 5. factis item & dictis Christi in Euangelica historia conscriptis; 6. literis quoque & factis Apostolicis posteritati, scripto relictis; 7. denique in vtroque testamento miraculis & signis subinde datis. Hæc enim omnia externa adiumēta erant, quibus humana mens ad fidem induceretur: non quòd sola interna & immediata Dei inspiratio, ad hoc simpliciter sufficere nō posset; sed quòd nobis ac nostræ infirmitati salubriùs & suauiùs prospectum Deus voluit. In cuius rei argumentum obseruare licet, quòd quanto
Externa adiumenta tanto maiora, quanto infirmitas hominum maior. maior humana infirmitas erat, tanto maiora semper data fuerint adiumenta externa; quanto
autem minor, tanto minora & pauciora. Sic in veteri populo cùm Moyses (eò quòd populus
ad quē mittebatur, duræ ceruicis erat;) diceret Deo, *Non credent mihi*, dedit ei Dominus Po-
1. testatem signa faciendi. Christus quoque, & docuit viua voce diligentissimè, & doctrinam F
exod. 4. suam plurimis miraculis confirmauit; vt ad fidē incredulos Iudæos induceret. Apostoli quo-
2. que in ipso initio doctrinæ Euangelicæ, propter difficultatem credendi tam nouam doctrinā,
3. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Postea ve-
Matth. vlt. rò, iam collectis & fundatis Ecclesiis, vbi difficultas credendi cessauit; cessarunt quoque
4 miracula, Prophetiæ, dona linguarum & alia extraordinaria. Hæc enim omnia (vt de lin-
1. cor. 14. guis Apostolus scribit) *in signum erant non fidelibus, sed infidelibus.* Non autem cessauit prædica-
5. tio verbi: constitutus est ordo Ecclesiæ: dati sunt pastores & doctores: scripta sunt Euangelia:
scriptæ literæ Apostolicæ: omnia perpetuò duratura, ad perpetuam & ordinariam viam inter homines statuendam, qua ad fidē vocarentur, & in fide cōseruarentur omnes futuri filij Dei.
Lib. de vtil. credēdi. ca. 14. De his mediis Aug. *Christus*, inquit, *afferens medicinā, quæ corruptissimos hominum mores sanatura esset, miraculu conciliauit authoritatem: authoritate meruit fidem: fide contraxit multitudinē: multitudine obtinuit vetustatem: vetustate roborauit religionē.* Hæc ille. His ergo mediis semel à Deo constitutis non iam amplius considerandum est qua via Deus possit, sed qua velit nos ad fidē
Externa Ecclesiæ vox in doctrina non secus necessaria, quā in Sacramento. induci. Sicuti sanè in peccatorum remissione, ac in ipsius omnis fere generis gratię collatione, datis semel sacramentis per quæ tanquā instrumenta illa conferatur, non expectenda gratuita per Dei misericordiā aut Christi mortem remissio, vel immediata gratia, sine vllo sacramentorū vsu. Sed sicuti ab Ecclesia per claues Ecclesiæ dimitti peccata credimus, sic ab Ecclesia per do-

A per doctores Ecclesiæ doceri fidem nõ dubitemus. Itaq; quemadmodũ *inuisibilis sanctificatio* (vt scripsit August.) *quibusdam affuit atq; profuit sine visibilibus sacramẽtis, & tamen sacramẽtum visibile contemnendum non est, quia contemptor eius sanctificari inuisibiliter nullo modo potest*, sic licet ea quæ sunt fidei, credere quis posset, sola interna Dei inspiratione instructus; tamen externa media illi contemnenda non sunt. Contemptor enim eorum veram fidem nullo modo habere potest. Rursum sicut sanctificatio impletur aliquando inuisibiliter, *cùm mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit*, (vt scribit idem Augustinus) sic interna sola reuelatio ad fidem aliquando inducit, cùm externa illa media non contemptus docentis Ecclesiæ, sed articulus aliquis necessitatis excludit; vt videlicet quia vel in eremo, vel inter paganos, hæreticos, aut schismaticos viuitur, vbi nulla externa media ad fidem adsunt. Hic enim electis omnibus immediatè consulit Deus, & tangit eorum corda, quos elegit, sicuti de S. Antonio Eremita narrat Augustinus in prologo libris de doctrina Christiana præfixo. Præterea, sicut *ipsorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, ideóque contempta sacrilegos facit* (vt docet idem Augustinus) sic ipsius Ecclesiæ docentis vox & Authoritas inenarrabiliter valet plurimùm, ideoq; contempta sacrilegos facit. Vnde alibi Augustinus cùm de hac externa Ecclesiæ doctrina ageret, *Hanc*, inquit, *perturbare velle atque peruertere, nihil est aliud, quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere*. Hæc ille. Quod & ex proposito prolixè disputat in prologo lib. de doctrina Christiana præfixo. Sed de hac re tota satis disputatum est in alia Controuersia, maximè vbi aduersariorum argumentis contra authoritatem Episcoporum respõsum est. Nam & in illis Suenckfeldianorum iam explosa hæresis, & ipsorum
B fundamenta refutata sunt.

rum administratione.
In Leuiticum quæst. 84.
Contemptor docentis Ecclesiæ habere fidem nõ potest.
De bapt. cõt. donat. lib. 4. cap. 22.
Interna sola Reuelatio quando ad finem perducit.
Contra Faustũ lib. 19. cap. 11.
lib. De vtilitate credendi. cap. 10.
Perturbare ordinationem ad Religionem viam Sacrilegam est.
lib. 5. cap 5. & cap 16.

Media ista externa non consistunt in sola scripta doctrina.

CAPVT V.

HÆC adiumenta & media externa à Deo instituta, ad fidem mortalium animis ingenerandam, retinẽdámque, non consistũt in sola scripta doctrina, seu veteris seu noui testamenti: sed prætereà interdum in miraculis, aliàs in consensu orbis seu totius Ecclesiæ; semper verò in audiendo vocem viuam Pastorum, in Ecclesia pro tempore docentium.

Assertio quarta.

Hanc Assertionem hoc loco, ordinis & maioris lucis causa, tantummodo ponere, satis fuerit. Nam priorem partem in prima Controuersia, vbi causæ visibilis Ecclesiæ datæ sunt, satis demonstrauimus. Pastores verò ipsos esse necessariò semper audiendos, in secũda Controuersia prolixè probatum est: quatenus autem audiendi sint, videlicet an etiam aliquid extra & præter expressam Scripturam docẽtes, partim in Controuersia postrema copiosè & accuratè
C disputabitur, partim quoque quali & quanta obedientia audiẽdi sunt, in proxima iam disputatione ostendetur. Ratio autem huius Assertionis potissimùm triplex est. Primùm, quia non omnia ad fidei nostræ integritatem necessaria, sunt in scripturis comprehensa, vt in dicta postrema controuersia declarabitur. Secundò, quia licet omnia in Scriptura comprænderentur, tamen scripta litera non posset esse medium sufficiens ad fidem, vel adipiscẽdam vel conseruandam; sed prætereà, viua voce docentis Ecclesiæ, opus foret; quod in proxima iam disputatione demonstrabitur. Tertiò, si scripta litera posset ex se sufficere, tamen hæc Scriptura non posset, propter multiplicem eius obscuritatem & difficultatem, vt in penultima Controuersia initiò proposita elucescet. Quibus ita præmissis, & constitutis, ad ipsum nunc præsentis Controuersiæ punctum explicandum veniamus.

Lib 2. cap. 6. & 7.
Lib. 5. cap. 5. & seq.
1.
2.
Scripta litera non potest esse sufficiens Medium ad fidem.
3.
Lib. 10. cap. 11.

Vox Ecclesiæ est præterea Medium ad credendum à Deo ordinatum. Et aduersariorum ea de re sententia explicatur.

CAPVT VI.

Ox Ecclesiæ docentis, vel attestantis, sic inducit ad fidem, & conseruat in fide, vt sit medium ad credendum planè necessarium, infallibile & diuinum, non probabile tantùm, incertum, aut merè humanum; vel deniq; indifferẽs aliquod medium, quod liberè vel acceptare vel repudiare possis. Hæc sanè Assertio vt est cognitu dignissima, & ab Aduersariis hodie D tum pertinacissimè negata, tum summa fraude tractata, ita à nobis & euidenter explicanda & diligenter probanda est. Sunt autem positæ Assertionis tres partes.
1. Prima ponit vocem Ecclesiæ esse medium necessarium, non indifferens aut liberum. Secun-
2. da esse infallibile, non probabile tantùm. Tertia esse diuinum non merè humanum. Omnes
3. hæ partes ab aduersariis hodie negantur. Nam Lutherani illi molliores magisque commodi, qui ad veritatem Catholicam propius accedunt quàm cæteri, Ecclesiæ vocem libenter se audire affirmant, ideóque & Patrum & Conciliorum, & totius antiquitatis testimoniis crebertimè vtuntur. Sed illi tamen nihil aliud huic voci tribuunt, quàm vt sit confessio quædã amica huius veritatis, qua infirmiores nonnihil iuuentur. Sic Melanchthon horũ facilè princeps, sæpissimè docet in locis communibus: tit. de Ecclesia. *Ipsum*, inquit, *verbum Dei est iudex, & accedit confessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum tanquam iudicem aliqui pij & firmi, & horum firmorum confessione adiuuantur infirmi. Hoc modo dirimuntur controuersiæ.* Et paulò pòst. *Ita veteres damnauerunt Samosatenum & Arrium. Iudex erat verbum Dei, id est, testimonia ex Euangelio. Sed tamen adiuuabantur tunc quoque infirmi in pronunciando veritatem, confessione firmiorum, scilicet eorum qui Apostolos aut eorum discipulos audierant.* Hæc ille. Et rursum in responsione ad articulum 5. Bauaricæ inquisitionis, *Fides*, inquit, *qua amplectimur Symbola, nititur non authoritate aut mandatu Ecclesiæ, sed perspicuo verbo Dei, tametsi Ecclesiam Catholicam docentẽ piè audimus, & synceræ vetustatis testimoniis cõfirmamur, sicut Paulus vult infirmos à firmioribus confirmari.* Hæc ille. Hæc ergo doctrina nullũ necessarium mediũ in Ecclesiæ voce ponit, sed probabile tantùm & commodum; quo adiuuari & confirmari, non omnes sed infirmiores & vulgus fidelium possint. Ipsi enim eruditi, spirituales, & firmi (quales omnes Protestantes se esse supponunt) ex sola Scriptura *per internam eius claritatem* (vt distinguit Lutherus in libro de Seruo Arbitrio) veritatem inquirere & inuenire possunt: nec iudicium Ecclesiæ expectare, aut externam illam claritatem desiderare (quia infirmi non sunt) necesse habẽt. Hæc illi Ecclesiæ voci & iudicio tribuunt, qui maximè hodie inter Protestantes aliquid ei tribuere videntur. Iam verò alij Protestantes, vt Musculus in loc. com. titulo de ministris verbi: & Caluinus Institutionum lib. 4. cap. 1. Paragr. 5. & 6. Item cap. 3. parag. 1. 2. & 3. de Ecclesiastici ministerij dignitate, splendidè & copiose quidem scribunt, multisque scripturis ostendunt *ministerio hominum Deum nobis loqui*, ideóque *obediendum illis esse qui ministri verbi sunt, non secus quàm si Deus è cælo nobis loqueretur*: Denique docentis Ecclesiæ vocem, *vt medium planè necessarium* agnoscunt. Attamen iidem scriptores paulò post in reliqua disputatione, sic hanc vocem Ecclesiæ certis limitibus constringunt, vt eam & merè humanam constituãt & incertam. Nam non secus quàm alij Lutherani, eam soli scripto Dei verbo alligant atque includunt. Etsi enim Caluinus locis iam citatis, diligentissimè & copiosissimè docentis Ecclesiæ vocem extulisset & cõmendasset, tamen postea eiusdẽ lib. cap. 8. parag. 2. *Quicquid*, inquit, F *in scriptura, siue prophetis, siue Apostolis, siue Sacerdotibus, siue eorum successoribus defertur, id totũ non propriè hominibus ipsis, sed ministerio cui præfecti sunt datur: vel vt expeditius loquamur, verbo, cuius ministerium illis est commissum.* Ecce iudicium de rebus fidei non iam in ministris verbi, vt prius, nec in ministerio vt postea, sed in ipso verbo ponit. Hac videlicet fraude lectori fucũ facit, vt primùm Ecclesiæ Authoritatem magnificare videatur, eáque ratione lectorem Christianum ad suam doctrinam quasi verè Ecclesiasticam pellicere possit, postea verò iam pellectum vno verbo egregiè ludat, ac fallat; à ministris ad ministerium, à ministerio ad verbum scriptum omnia reducens; vt dum in solo scripto verbo omnia concludit, docentem, explicantem & decernentem Ecclesiam callidè excludat. Nam ad hoc ipsum probandum, post multas scripturas citatas, vt illud Deuteronom. 17. *faciès quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius*; Item Ezechiel. 3. *Audies ex ore meo verbum & annunciabis illis ex me*: & Hierem. 23. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. Quid paleis cum tritico?* & illud Esaiæ toties repetitum, capit. 1. 40. & 58. *Os Domini loquutum est*; concludit tandem paragrapho quarto Ecclesiæ potestatem *subiectam esse verbo Domini, & in eo quasi inclusam*, quia videlicet in his omnibus, non aliter iubetur vel populus parere, vel sacerdotes & prophetæ docere, quàm

Melanchthon de voce Ecclesiæ.

Melancthonici vocem Ecclesiæ medium tantum probabile & commodum esse ponunt.

Caluinus de voce Ecclesiæ.

Caluinus mediũ in se necessariũ ponere videri vult.

Caluini fucus ac ludus.

Huic disputationi Caluinianæ vide quid respondeatur infrà. cap. 13. & lib. 12. c. 9.

A quàm ipso verbo Domini annunciato: vt sanè hac conditione cessante, cesset quoque sacerdotum & prophetarum authoritas. Ac ne in veteri populo tantum hanc restrictionem valere putemus, adfert Caluinus etiam ex nouo testamento multa, quibus non Ecclesiæ tantùm Apostolis successuræ, sed & ipsorum Apostolorum planè limitata similiter authoritas seu docendi potestas fuerit. *Si Apostoli sunt* (ait Caluinus) *id est, missi à Christo, ne garriant quicquid collibitum fuerit, sed mandata eius à quo missi sunt, bona fide perferant. Et satis clara sunt Christi verba in quibus eorum legationem terminauit, dicens Matthæi vltimo. Docete omnes gentes, quæcunq; præcepi vobis.* Hæc ille. Móxq; parag. 7. ex illis verbis ad Hebræos 1. *Multifariè multisq; modis, &c. nouissimè autem loquutus est nobis in filio*, probare vult Caluinus Deũ *omnes docendi partes in filio cõpleuisse, nec posthac vt anteà, subinde per alios atq; alios loquuturũ, ideóq; omniũ hominũ ora clausa esse nunc debere, postquam semel loquutus est ille, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi essent*, ad Coloss. 2. maximè Deo de cælo clamante *Ipsum audite*: Matth. 17. & ipso Christo dicente, *vnus est magister vester.* Matth. 23. Denique hoc adeò valere vult Caluinus, vt neque ipse Spiritus sanctus alia docere Apostolos & Ecclesiam potuerit, quàm quæ Christus antea ore eos docuerat: propter illa Christi verba de Spiritu sancto dicta. *Ille suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Ista enim restrictio* (ait Caluinus) *attentè notanda est, vbi partes Spiritui sancto assignat suggerere quæcunque ante ore docuit.* Hæc ille parag. 8. Quam suam sententiam vt adhuc magis cõfirmet, adducit ipsam doctrinam Apostolorum non aliam fuisse. Hinc enim Petrus epist. 1. cap. 4. *Qui loquitur, loquatur tanquam sermones Dei. Et Paulus negat se dominari fidei discipulorum.* 2. Cor. 1. *Itaque non solùm singulis pastoribus* (ait Caluinus) *negatur illa potestas, vt*
B *certam sibi fidem haberi iure postulent, quia promittitur vt loquentibus prophetis duobus aut tribus cæteri diiudicent; verumetiam toti Ecclesiæ hoc negatur, quia ad Rom. 10. dicitur, fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: ergo à solo Dei verbo pendet fides.* Hæc ille. Vbi vides quo tandem deduxerit, id totum quod antea tam magnificè de Ecclesia prædicauerat. Sed est hoc hominis, qui multa quidem in vtramque partem videt, sed quid concludat aut resoluat, non videt. Idem verò docet Musculus in loc. com. tit. de ministris verbi, ca. de potestate ministrorum; omnésque protestantes, vno ore asserentes *Ecclesiam esse alligatã ad vocem euangelij.* Quæ omnia cùm dicunt, Ecclesiæ vocem & Iudicium, quatenus est Ecclesiæ planè incertum, conditionatum, meréque humanum faciunt: nempe huiusmodi eam fingunt, quæ à verbo & à veritate aberrare possit. Alioqui hanc conditionem, hos limites illi non apponerent, sed simpliciter Ecclesiæ vocem tanquam Dei ministram & Spiritus sancti organum audirẽt. Deinde si à solo verbo pendet fides, non Ecclesiæ quicquam, sed soli verbo omninò creditur. Denique verbo Dei & veritati ipsi à quocunque proferatur (vt illi volunt) credendum est. Nihil ergo hîc singulare Ecclesiæ magistris ex illorum sententia tribuitur: nec quicquam amplius quàm aliis quibusuis fidelibus: secus quàm antea isti homines docuerunt. Postremò hac limitatione euidenter ostendũt, nihil se prorsus Ecclesiæ credere. Quemadmodum enim Anabaptistæ hodie quum dicunt Scripturas esse alligatas ad ipsam Dei voluntatem, & ad nouas subinde reuelationes, quas illi hominibus inspirare placeret; ideóque si voluntati diuinæ aut alicui nouæ reuelationi aduersari Scripturæ animaduertantur, non esse illis credendum; hoc dicendo ipsas Scripturas
C planè negare, & hoc honesto fuco suam impietatem obtegere, meritò iudicantur: ita planè in re proposita Protestantes cæteri Ecclesiæ authoritatem honesto fuco ac prætextu prorsus tollere iudicandi sunt, qui non nisi sub conditionibus prædictis eam amplecti volũt. Posita ergo & ostensa hactenus aduersariorum sententia, nũc id quod proposuimus de Ecclesiæ iudicio probare conabimur: esse illud videlicet necessarium, infallibile, diuinum: vt veritate prius solidissimè confirmata, aduersariorum sentẽtiæ iam enumeratæ partim sua sponte corruant, partim (quod alio loco fiet) postea diluantur.

Paulanissima Caluini vox in SS. Apostolos.

Blasphema Caluini doctrina in Spiritũ sanctũ.

1. Cor. 14.

Paragr. 9.

Protestãtes omnes Ecclesiæ Iudiciũ incertum faciunt meréque humanum.

Infrà cap. 13. & lib. 12. ca. 2.

Vox docentis & attestantis Ecclesiæ, est medium ad credendum necessarium, propter infirmitatem & corruptam naturam humanam.

CAPVT VII.

Assertio quinta. PRimum ergo dicimus, vocem Ecclesiæ vel docentis per magistros D
„ & pastores suos, vel attestantis communi consensu suo, mediũ esse
„ ad credendũ necessariũ: non cõmodum tantùm quasiq; indifferẽs.

„ Cùm enim necessarium multis modis dicatur, etsi absolutè necessarium non sit, & sine quo
Necessariũ multiplex. mens humana credere nullo modo posset (vt suprà ostẽsum est,) tamen ideo necessarium est,
1. tùm quia sine eo difficulter credit humana infirmitas, tum quia ex hypothesi necessarium est;
cap.2. posita videlicet diuina ordinatione. Vtramque hanc necessitatis causam in re proposita nunc
2. ostẽdemus. Omnes homines ea quę rectę fidei sunt idcircò percipere nõ valẽt, vel quia adhuc
3. in paganismo cõstituti, fidei mysteria aut nunquã didicerũt, aut audiẽtes non capiũt; vel quia
Prima necessitas ab excellentia ipsa rerum diuinarum. fideles facti, tamen nequiter viuentes, ea quæ ex doctrina fidei cõsequuntur, capere non possunt. De primo genere ait Apostolus. *Ambulant gentes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorãtiam quæ est in ipsis, propter cæcitatẽ cordis ipsorũ.*
Ephes. 4. 1.Cor.2. De altero genere dicit, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Itaque omnes mortales vel Deum nescientes, vel secundum Deũ non
Qui sunt stulti apud Deum. 1. cor. 3. viuentes, pro stultis habet Scriptura, vocans eos sapientes huius mundi. *Sapientia autem huius mundi stultitia est apud Deum*, ait Apostolus. Iam verò *stultis vnica salus est, indicio ac præceptis*
De vtilitate credendi. cap.11. *sapientum duci; vt in aliis rebus omnibus, ita multo magis* (ait August.) *in religione. Nam & res humanæ promptiores ad dignoscendum sunt quàm diuinæ, & in istis quo maius eis obsequium debetur, eo periculosiùs peccatur*: Hæc ille. Hîc dices. Huic malo Deus vel per internã gratiam immediatè E
Quare hominũ ministerio doceri nos expedit. reuelando, vel extrinsecus per scriptum verbum suum nos docẽdo, mederi potest. Potest quidem hoc fieri absolutè loquendo. Multo tamen & nobis facilius, & ex Dei dispositione suauius id fit, si per hominem sapientem medium & viua voce docentem id fiat, *Negare enim non possumus* (ait Aug.) *inter stultitiam hominis & Dei sincerissimam veritatem, medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam. Itaq; homini stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sa-*
De Ciuit. Dei lib.11.cap.2. *piente propinquius. Hac sanè de causa ipsa æterna Dei sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominẽ dignata est.* Hæc ille capite quinto libri citati. Et (vt rursum alibi idem docet) *vt homo confidẽtius*
Humanæ infirmitatis remediũ, viua vocis magister. *ambularet ad veritatẽ, ipsa veritas homine assumpto constituit atq; fundauit fidẽ, vt ad Deũ iter homini esset per hominẽ Deũ.* Hęc ille. Quod sanè humanæ infirmitatis remediũ, olim in veteri le-
Exod.20. ge prędictũ est. Cùm enim vetus ille populus clamaret Moysi: *loquere tu nobis & audiemus? non*
Hebr.12. *loquatur nobis Dominus. Non enim portabant quod dicebatur* (ait Apost.) id est, à Deo immediatè
Deut.18. doceri non sustinebãt;) Dominus postea eorũ infirmitati condescendens, Christũ illis promisit. *Vt petisti*, inquit Moyses, *à Domino Deo tuo in Horeb atque dixisti, vltrà non audiã vocem Domini*, &c. *& ait Dominus mihi. Bene omnia sunt loquuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius*; & cætera quæ sequuntur, apertissimè Christum hominẽ promittentia, qui viua voce homines docturus esset. Sicut ergo Christus homo homines docuit, sic aliis hominibus potestatem docendi dedit, dicens: *Qui vos audit, me audit*;
Luc. 10. Ephes. 4. aliáq; permulta de quibus postea. Est igitur sicut Christus homo, ita eius loco ab eo missus, & institutus Ecclesiæ pastor & doctor, tanquam homo sapiens, à stulto audiendus, vt sapiẽs fiat.
Augustinus. Hîc verò rursus, [ait Augustin.cap.13. de vtilit. credendi] *oritur difficillima quæstio, quónam* F
modo stulti sapientem inuenire poterint. Neque enim vt aurum & argentum cæteráque id genus quæ extra nos sunt, & cognoscere cum videas, & non habere concessum est, sic sapientiam mẽtis, eius oculo
Difficile stulto inuenire Sapiẽtẽ à quo doceatur. *qui ea careat, videri fas est. Eam enim videre, est habere.* Hæc ille. Non potest ergo quandiu stultus est quispiam, certissima cognitione inuenire sapientem, cui obtemperando à tanto stultitiæ malo liberetur. Quòd si enim ipsi hîc quærimus nobis sapientes, cùm tot semper veritatis ho-
Cap.13. stes sapientum nomen præ se ferant, vix fieri potest quin aberremus: vt sic *cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant. Huic ergo immani difficultati* [ait ibidem August.] *quoniam de religione quærimus, solus Deus mederi potest: quem nisi & esse & humanis mentibus opitulari credimus,*
Authoritas sapientum mouet stultos ad sapientiam. *nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus.* Hæc ille. Non est ergo dubitandum, quin tale aliquod remediũ dederit Deus, quale est huic malo propriũ & maximè propitiũ. Nempè
Cap.16. *sola est authoritas* [ait August.cap.16. libri citati] *quæ commouet stultos, vt ad sapientiam festinent.* Quod & experientia euidenter docet. Solent enim Moriones sola authoritate cõpesci. *Itaque desperandum non est* [ait ibidẽ August.] *ab ipso Deo authoritatem aliquã constitutam esse, qua velut gradu certo annitentes, attollamur in Deum.* Hęc autẽ authoritas, hic gradus [vt paulò pòst docet Augustinus,] *partim in miraculis, partim in sequentium multitudine* posita fuit. Sed potissimum in voce docentis Ecclesiæ hæc authoritas collocatur, de qua paulò superiùs Augustinus dixit; *Facilè ab errore liberaberis, si præceptis Dei quæ tanta Ecclesiæ authoritate firmata esse voluit,*

A *libens obtemperet*. & postea concludit, *ut non dubitemus Ecclesiæ nos cōdere gremio: illi autem quæ ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, culmen authoritatis obtinuit. Cui*, inquit, *nolle primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ*. Hæc ille. Hæc est ergo authoritas, ad infirmitatis humanæ remedium nobis salubriter concessa, à Deo suauiter disposita. Ecclesiæ persona est ille homo sapiens, quo mediante, stulti ad Dei sapientiam perueniāt.

Cap.15. *Illa Authoritas est in Ecclesia.* *Cap.17.*

Præterea quia stultitia hæc de qua iam diximus, cæcitas quædam mentis est, & vulnerati per peccatum (seu originaliter contractum seu postea admissum) intellectus infirmitas, quæ ad Deum & diuina cōtuenda, nō secus atque oculus noctuæ ad lumen solis caligat; propterea media quæ nobis data sunt ad credendum, lucernæ nomen & vim acceperunt. Sic de Scriptura ipsa cecinit propheta; *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Sic de Prophetarum prædicatione Petrus. *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attēdentes, tanquam lucernæ in caliginoso loco* (hoc est in nocte huius seculi) *donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris*, id est, (vt exponit Augustinus) *donec ipse Christus veniat, qui illuminet occulta tenebrarum. Tunc enim præsenti tali die, lucernæ non erunt necessariæ. Non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiretur testimonium Ioannis, non ipso indigebimus Euangelio*. Hæc ille. Lucerna enim nobis ipse agnus erit. Hîc tamen intereà attendimus lucernæ verbi Dei. Talis quoque lucerna nobis est Ecclesiæ vox & testimonium. Quemadmodum enim in principio prædicationis Euangelicæ, quum *lux in tenebris luceret, & tenebræ eam non comprehenderunt, Ioannes fuit missus à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederēt* **B** *per illum*, sic in perpetua prædicatione eiusdem, quia eædem tenebræ sunt semper super terram; id est homines vel ad fidem cōuertendi seu ab hæresi seu ab infidelitate, vel in fide confirmandi sunt; alij præcones & Pastores mittuntur à Deo, vt omnes credant per illos. *Ioannes erat lucerna ardēs & lucēs*; ardēs in spiritus feruore, lucens in doctrinæ prædicatione. Et Apostolis dicitur. *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, &c.* Lucernæ autem nobis erāt, quia lucem ipsam oculi nostri ferre non poterant. *Neque enim* (ait Augustinus) *opus erat vt lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostra posset videri*. Et paulò pòst rationem subiiciens, inquit. *Ecce lucernæ perhibent testimonium diei propter infirmitatem nostram, quia diei claritatem tolerare & videre non possumus. Nam & nos ipsi qui Christiani sumus, in comparatione quidem infidelium lux iam sumus & filij lucis, tamen in comparatione illius lucis ad quam venturi sumus, adhuc nox est etiam dies in quo sumus*. Hæc ille vbi suprà. Huius lucernæ Ecclesiæ Typus, erat columna illa nubis quæ præcessit filios Israel in deserto, & viam illis in terrā promissionis commonstrauit. Ecclesiæ vox, est *nubes illa testium* (qualem produxit in epistola ad Hebræos Paulus) quasi medium quoddam inter rutilantem solem immediatè reuelātis Dei, & infirmitatem nostram posita. Deniq; vt in visione ista corporali, oculi nostri etiam sani ad intuendum ipsum solem parum firmi sunt; ea tamen quæ à sole passim illustrantur, libenter & commodè intuentur; sic in visione veritatis diuinæ, mentis oculi etiam per fidem iam sanati, veritatem tamen ipsam immediatè reuelantem & rutilantem cominus contueri & apprehendere nequeunt: Ecclesiam verò veritate illa iam illustratam; suauiter, salubriter, & cō**C** modè cōtueri, audire, & capere possunt. Nam ex hac naturæ infirmitate profectum est, quòd vitia veritati ipsi repugnantia (vt acutè docuit Augustinus in libro contra mēdacium) vt mendacium, dissimulationes, adulationes, non perinde exhorrescimus & damnamus quàm adulteria, homicidia, furta, quæ castitati & iustitiæ aduersantur. Hæ enim virtutes, quia non ipsa sunt veritas, sed ex veritatis luce habent, vt pro virtutibus habeantur; ideo clarius à nobis cognoscuntur, & per consequēs amantur, quàm veritas ipsa, quæ Deus est; aut certè lumen planè diuinum, nostrámq; mentis aciem longissimè superās. Præterea propter hāc infirmitatem naturalem, non ratione sed Authoritate ad fidem ducimur. Qua de re lege Augustinum de Moribus Ecclesiæ Catholicæ lib.1.cap.2.

Secūda necessitas propter naturalem mentis infirmitatem. *Psal.118.* *Scriptura est lucerna contra natura cæcitatē.* *2.Petr.1.* *Tract.35. in Ioan.* *Ecclesia quoque est lucerna.* *Exemplum in Euangelio.* *Ioan.1.* *Ioan.5.* *Matth.5.* *Exod.13.* *Typus in lege.* *Hebr.12.* *Simile in natura.* *Cap.10.*

Hanc infirmitatem naturalem auget superbia, hæreticis omnibus & Ecclesiæ contemptoribus ingenitum quoddam & connaturale malum. Existimantes enim se absque Ecclesiæ luce & magisterio, satis clarè, (vel in verbo vt dicunt, vel in suo cerebro vt se res habet,) omnia videre, nihil vident: sicut *gentium sapientes dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Vt enim Philosophi naturales in inqurendo summo bono, qui Deus est, ideo toto cælo errabant; quia ad hoc inueniendum, nullo duce aut authoritate à Deo posita nisi sunt, sed suis ingenij & industriæ viribus confisi, *semetipsis ducibus vtebantur*, (vt pulchrè demonstrat Prosper contra collatorem, & D. August. in opere de Ciuit. Dei.) Sic hæretici aliíque omnes superbi, quia Ecclesię magisteriū contemnūt, & semetipsis ducibus vtūtur, à veritate fidei aberrant. *Cùm enim veritas*

3. Necessitas propter adiunctam infirmitati superbiam. Hæreticorū omnium cæcitatis causa. *Rom.1.* *cap 26.* *lib.8.cap.8.*

Cõfeſſ. lib. 12 cap. 25. Ait Auguſtinus, *ſit omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè vocat Deus*, id eſt, cùm D
ſit Catholicæ Eccleſiæ, *iſti eam volentes habere priuatam, priuantur ea: & dum ſuum volunt eſſe,*
quod omnium eſt, à communi propelluntur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur
mendacium, de ſuo loquitur. Hæc ille. Huiuſmodi enim homines nó decreta per Eccleſiam tra-
De vera Religione cap 38. dita, ſed, vt alibi ſcribit Auguſtinus, *ſua phantaſmata colunt; & quicquid animo errante, cum ſu-*
perbia & tumore, cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant. Hæc ille. Hæc enim ve-
ta & potiſſima cauſa eſt, quòd hæreſes vocantur & ſunt idola: vt multis in locis docet Hiero-
Quare hæreſes vocantur idola & ſunt. nymus: in commentariis ſuper prophetas, maximè in cap. 5. Danielis, in Eſaiæ cap. 2. in Mi-
cheæ cap. 1. & in Oſeæ cap. 11. De hoc hominum genere diſſeruit in Euangelio Chriſtus. *Ego*
Ioan. 9. *in iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident;* (id eſt qui cæcitatem ſuam agnoſcunt ſeq;
duci patiuntur,) *videant: & qui vident*, id eſt, exiſtimant ſe videre,) *cæci fiant.* Móxque dicenti-
bus ei Phariſæis, *nunquid & nos cæci ſumus? Dixit eis Ieſus. Si cæci eſſetis*, (id eſt. *ſi vos cæcos eſſe ad-*
Ioan. 9. *uerteretis*, vt exponit Auguſtinus tract. 44. in Ioannem, ſi ignorantiam veſtram agnoſceretis,)
non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis quia videmus, peccatum veſtrum manet, id eſt, corrigi nó
1. cor. 8. *Quomodo Charitas ædificat* poteſt. Et hoc eſt quod Apoſtolus dixit. *Scientia inflat, charitas ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat*
aliquid ſcire, ſcilicet in rebus fidei tanquam ex ſeipſo, ſine magiſtra & duce Eccleſia, *nondum*
Tract. 6. in epiſt. Ioan. *cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.* Charitas enim quæ ædificat, id eſt quæ facit homi-
1. nem pertinere ad ædificium totius domus Dei, & ædificari in corpore Chriſti vnâ cum aliis
2. membris, eſt charitas Eccleſiæ & dilectio vnitatis fraternæ. Adeò ſanè vt D. Auguſtinus cha- E
3. ritatem Eccleſiæ vocauerit *vnctionem illam quæ docet nos omnia.* Eſt ergo neceſſaria Eccleſię
docentis vox: vel propter excellentiam ipſarum rerum diuinarum, vel ad ſuccurrendum in-
firmitati noſtræ naturali, vel denique ad reprimendam & edomandam ſuperbiam volunta-
riam.

Vocem docentis & atteſtantis Eccleſiæ, eſſe Medium neceſſarium ex hypotheſi quia à Deo ordinatum: vt propterea non niſi in Eccleſia & per Eccleſiam Deus audiatur, rationibus Theologicis explicatur.

CAPVT VIII.

IAM quod ad alteram neceſſitatis partem attinet, quæ eſt ex ſuppoſito, quia videlicet tale medium Deus de facto ordinauit, probabitur quidem & poſtea, cùm diuinum eſſe hoc Eccleſiæ teſtimonium, atque iudicium oſtendetur. Nunc tamen propriis argumentis demonſtrabitur, Eccleſiæ vocem ſic eſſe fidelibus ad credẽdum Medium neceſſarium, vt non aliter credi Deo aut verbo eius rite poſſit; niſi credatur Eccleſiæ, Deum ipſis & F

Deo ad fidem neceſſaria.

verbum eius prædicanti. Nempe qui accuratiſſimè de cauſis fidei diſputarunt, animaduerterunt ad actum fidei duo neceſſaria requiri: vnum vt proponantur homini ea quæ ſunt credẽda; alterum vt rebus propoſitis aſſenſum præbeat: ſicuti docet S. Thom. 2. 2. q. 6. art. 1. Neque enim ſanè credi poſſunt, niſi ea quæ proponuntur credẽda; neque actus fidei eſt, niſi aſſentiat

Duplex cauſa fidei.

propoſitis; ſicuti viſus non fit, niſi & præſente obiecto, & oculo contemplante. Circa vtrumq; autem duplex eſt cauſa fidei. Nam proponuntur ea quę ſunt credenda, vel immediatè à Deo; vt quæ Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis reuelata erant; vel mediante aut Angelorũ, aut hominum miniſterio. Rurſum præbetur aſſenſus, vel ſolo Deo interius mouẽte per lumen gratiæ, vt in Prophetis & Apoſtolis; vel aliqua etiam externa cauſa ad hoc inducente, vt miraculis, vt hominum docentium vel authoritate, vel perſuaſione. Imò interdum etiam, vel ex terrore poteſtatis humanæ, vel per blanditias huius ſeculi inducitur homo ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei. Sed terrores atque blanditiæ, vt ne moralem quidem virtutem generant (vera enim virtus non eſt, in qua paſſio electionem præceſſit) ita multo minus ingenerandæ fidei cauſæ eſſe poſſunt. Rationes humanæ, etſi iam credentes iuuant (vnde Auguſtinus dicit, *diſputare de rebus fidei non obeſſe, imò prodeſſe; Si tamen firmiſſima præcedat fides:*) vt vel intelligant quod ſemel crediderunt, vel delectabiliùs credant, tamen veræ fidei cauſa non ſunt: nec huiuſmodi

Multa inducunt ad credendum quæ non ſunt cauſæ fidei.

De nat. & gratia. cap. 20.

A iusmodi mediis tanquam propriis, ad fidem generandam Deus vti suos voluit, vt bene docet S. Thomas prima parte quæst. 1. artic. 8. in responsione ad 2. & 2. 2. quæst. 2. artic. 10. Reliqua verò duo, miracula & hominum ex legitima potestate docentium authoritas, veræ fidei media sunt, quatenus à Deo procedunt, propria. Vnde Apostolus causas ipsas commemorans, quare Corinthij prædicationi eius de Christo crediderant; *Ego*, inquit, *cùm venissem ad vos fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapiētiæ, annunciās vobis testimonium Christi: & sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei.* Hæc ille, vbi per *Ostensionem spiritus*, intelligit miracula, per *Virtutem Dei*, consilium Dei siue doctrinam Spiritus, quam attulit: de qua paulò pòst, *Nos*, inquit, *non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur; non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes.* Doctrinam autem spiritus vocat, eam doctrinam quam à Spiritu Sancto vt *homo spiritualis*, id est, vt doctor Ecclesiæ constitutus accepit. Propterea enim statim dicit. *Spiritualis omnia diiudicat.* Et iterum. *Nos autem sensum Christi habemus.* Hæc omnia eodem cap. Paulus, vt ostendat prædicationem suam ideo iustū & necessarium fuisse medium, quo Corinthios ad credendum induceret, quia nec terrore nec blanditiis, nec ratione aut sapientia humana, aut etiam eloquentia ageret, sed partim in ostensione spiritus per miracula, partim in doctrina spiritus per docēdi sensum, & potestatem à Christo acceptam, apud eos docuisset. Hæc itaq; duo media; miracula, & prędicatio eorum qui legitimè missi sunt, generant fidem, & inducunt ad credendum; non minus necessariò & efficaciter, quàm si immediatè Deus reuelaret aut moueret.

Miracula & doctrin Authoritas sunt propria credendi media.

1. Petr. 2.

Doctrina Spiritus quæ.

B Quod vt intelligatur, aduertendum est Deum esse obiectum fidei nostræ formale, siue medium formale, per quod credimus; non vt Deum, simpliciter, propriè, & explicatè loquendo; sed vt Deum reuelantem, & dicentem, & testificantem nobis, ea quæ sunt fidei: sicuti propriè & explicatè loquendo, appropriata causa Ordinis in rerum omnium dispositione, est sapientia Dei; gubernationis vniuersi, est prouidentia Dei; creationis rerum omnium, est potentia Dei; remissionis peccatorum, est charitas Dei; multáque huiusmodi opera Dei ad extra: quæ etsi toti Trinitati & Deo communia sint, tamen vni personæ vel attributo in diuinis, explicationis causa appropriantur. Hæc enim causa est quare, disputando de scientia Theologica, ponunt scholastici Deum sub ratione deitatis esse obiectum Theologiæ; idque propterea quia articulorum fidei (qui sunt principia scientiæ Theologicæ) Deus ipse obiectū est, & ea quæ ordinem habent ad Deum: sicuti facit S. Thom. 1. parte, q. 1. art. 7. At verò, disputando de fide Theologica (vt idem S. Thom. facit 2. 2. quæst. 1. art. 1.) obiectum fidei ponitur Deus, non sub ratione Deitatis per reuelationem cognoscibilis, vt antea; sed *vt est prima veritas reuelans.* Licet enim non sit aliud Deus, quàm prima veritas, tamen esse verum, ipsam deitatem alio modo nobis significat. Significat enim *Deum dicentem*, id est, quatenus dicit, non quatenus est. Veritas enim ad dicta refertur. Itaque scientia Theologica considerat de Deo vt est; fides vt verax est. Hinc ergo sequitur, vt ratione fidei, obiectum formale sit veritas prima reuelans, & ea quæ ordinem habent ad primam veritatem reuelantem:

Demonstratio quomodo Ecclesiæ vox sit medium fidei necessarium.

Deus vt testificans est obiectū formale fidei.

Alia ratione obiectū Theologiæ & alia fidei est Deus.

Deus est veritas reuelans testificando illam.

C id est, quæ à prima veritate verificandi potestatem participarunt, quia ab ea processerunt. Indiget autem necessariò fides tali obiecto & sub tali ratione. Fides enim seu credere secundum se, & proprium suum actum non significat actum indefectibilem à vero: credi enim & vana possunt. Scientia autem, sapientia, & intelligentia secundum se seu suos actus virtutem important. Scientia enim non est nisi verorum. Sapientia excludit errorem, & intelligentia ignorātiam, ex seipsis & quatenus talia. Credere ergo, cùm per se vel per actum suum non sit infallibiliter virtus, necessariò fides seu credere Theologicum per obiectum suum debuit explicari, quòd sit virtus & indefectibilis à vero. Hanc ob causam ponitur obiectum fidei, esse ipsa prima veritas reuelans: Deus videlicet non simpliciter & quatenus est,) Nam opinio quoque & fides acquisita, habent Deum pro obiecto quatenus est; sed ita, vt possint opinari, vel credere ex relatione historica aliquid de Deo, vel erroneè, vel non firmiter iuxta firmitatem fidei) sed quatenus est verax, proponens seu reuelans verissima; itémque mouens & inclinans ad talia. Sic enim fides nostra erit actus indefectibilis à vero, & fides Theologica seu Christiana. Innitetur enim testimonio firmissimo, quę sola est causa firmitatis in fide. Quemadmodum enim scibile aliquid est ex se, sic credibile est aliquid ex testimonio. Vnde Augustinus. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus; quod credimus, authoritati.*

Obiectum formale fidei, necessariò debet esse Testimonium infallibile.

Causa firmitatis in fide est firmitas Testimony.

De vtilitate credendi. Cap. 11.

His ita positis, iterum aduertendum est, Deum vt veritatē primam reuelantem, esse fidei

nostrę obiectũ formale; siue reuelantem simpliciter & immediatè, siue reuelãtem vt sic & per certũ aliquod mediũ: & perinde vtrumq; valere. Neq; enim vel in Deo hoc discrimẽ ponit, vel in nobis, quo ad certitudinẽ docendi aut reuelãdi; sed tantùm quoad modũ discẽdi: sicut sanè vnam & eandẽ habent naturã, quæ quotidie per medias causas producũtur, quàm ea quæ, vel D initio à Deo ex nihilo creata fuerũt, vel postea sępiùs miraculosè creata sunt de repẽte, & absq; mediis causis: quorum varia exempla vide apud Augustinum. Sed in modo tantum producendi, discrimen est. Loquitur enim idem Deus, & eadem certitudine siue immediatè reuelando, siue per alios docendo. Hac enim de causa, non minus certa & firma est fides Christiani nunc populi; & olim Iudaici, quàm ipsorum vel Patriarcharum, vel Prophetarum, vel Apostolorum. Quemadmodum enim Deus immediatè reuelans, est medium cui innititur fides; sic & Deus reuelans per alios est medium cui innititur fides: & illi alij per quos Deus reuelat, loquitur, docet, æquè concurrunt, id est pari infallibilitate, & (quoad nos necessitate:) ad causam fidei: non tamen seorsim considerati, sed cum Deo reuelante, sicut instrumẽta cum primo agente, coniuncti. Et propterea, *fidei Doctores habent se per modum agentis in manifestatione fidei*, vt sapienter docet S. Thom. secunda secundæ q. 1. art. 7. ad 3. Siue enim per Angelos, siue per Prophetas, siue per sacerdotes legis interpretes, siue per filium suum hominem factũ siue denique per Apostolos & eorum successores, Deus mortales docuit; erant illi omnes talia media ad credẽdum, vt illis necessariò, & sub pœna perfidiæ, homines assentiri debuerint: non secus quàm si absque illis, Deus immediatè hominibus loquutus fuisset. Idcircò in Scripturis tanquam Dei ipsius contemptores puniuntur, qui Prophetas spreuerunt; vt mox suo loco docebitur. Huius autem rei hæc ratio est. Non solùm audiendus est Deus, rex, aut Princeps quispiam; sed sic audiendus est, vt ipse vult & præscribit. Vox autem seu Prophetarum, seu Apostolorum & Ecclesiæ, seu etiam Christi incarnati, est conditio & modus loquentis Dei. E Vnde sequitur non solùm ipsam *veritatem primam, esse obiectum fidei formale*, vt S. Thomas docuit secunda secundæ quæst. 1. art. 1. neque etiam *fidem nostram inniti reuelationi solùm Apostolis & prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt*; sicut de illa sola hoc docet S. Thom. 1. part. quæst. 1. art. 8. ad secũdum: sed prætereà, vt idem postea pleniùs docuit 2. 2. q. 5. art. 3. quòd *formale obiectum fidei nostræ, est veritas prima, secundum quod, manifestatur in scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima*: vbi totam & plenam rationem formalis obiecti exposuit. Adeò sanè vt ibidem in responsione ad secundum doceat, *omnibus articulis fidei inhærere fidem nostram propter vnum medium: scilicet propter primam veritatem propositam nobis in scripturis, secundum doctrinam Ecclesiæ intellegentis sanè*. Et propterea recedit ab ipso obiecto formali, scilicet à Deo, qui recedit à conditione ipsius obiecti formalis; id est, vel à Prophetarũ & Apostolorum Scripturis, vel ab Ecclesiæ commendantis testimonio, & docentis viua voce, per quam Deus reuelat. Totum enim hoc, vnum est medium; sicut quoddam aggregatum ex multis partialibus causis. Per hæc enim omnia Deus loquitur, & audiri à nobis vult, non aliter: ordinariè scilicet, & citra miraculum aut priuilegium: sicuti sanè generat, ordinat, gubernat, disponit omnia per medias causas; loquendo de ordinaria rerum generatione & ordine, citra miraculum. F

Deus est veritas reuelans vel per se, vel per alios.

De Trin. li. 3. Cap. 5. & 6.

Doctores fidei necessario credendi.

Plena ratio formalis obiecti fidei nostræ.

Deus per Ecclesiam reuelans est vnum medium fidei.

Idem ex Scripturis copiosè ostenditur, & propterea Ecclesiæ loquenti neminem fidelem refragari debere, demonstratur.

CAPVT IX.

ISTA autem quæ ratione hactenus illustrauimus, nunc ex Scripturis euidenter comprobabimus. Diximus ergo Deum, vt veritatem primam reuelantem, ideò esse obiectum formale fidei nostræ, quia Deus omnem fidei veritatem intellectui nostro dicit ac testificatur; nósque Deo tanquam testi veraci innitimur, & testimonio Spiritus quod intra nos est, certissimè incumbimus, tanquam infallibili regulæ. De hoc genere dixit Ioannes. *Spiritus est qui testificatur, quòd Christus est veritas*: & pòst apertiùs. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*: nempe quia intus in animo, Deus vt est prima veritas, testificatione & assertione

Testimonium Spiritus.

sermone sua interna, certissimos nos reddit de hoc articulo, quòd Christus est filius Dei. Iam verò, quod Deus internè per instinctum gratiæ facit, hoc etiam externè per testimonium hominum præstat. Sic enim Christus quatenus homo. *Ego*, inquit, *in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, vt testimonium perhiberem veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam:* quia videlicet à Deo missus erat vt doceret mundum, hoc docendi officium testificandi opus vocat. De quo etiam ad Nicodemum apertissimè dixit, *qui acceperit eius testimonium* (scilicet qui de sursum venit) *signauit, quia Deus verax est.* Quòd si officium hoc testificãdi veritatem, sicut Christo, ita & Ecclesiæ datum fuerit; erit quoque Ecclesiæ vox, tanquam necessaria veritatis regula, audienda. Inspiciamus ergo officium Ecclesiæ commissum. Christus Dominus Apostolos in mundum missurus vt docerent veritatem, *Eritis*, inquit, *mihi testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Petrus in prima sua concione resurrectionem Christi annuncians, *huius*, inquit, *rei omnes nos testes sumus.* Additq; Lucas in fine concionis: *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, &c.* Idem repetit Petrus Act. 3. & 5. & 10. Vbi etiam ad Corneliũ dicit. *Præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et porrò addit. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* In his omnibus, suam testificandi potestatem diligenter allegat Petrus, tanquam necessarium & firmissimum medium, quo ad fidem amplexandam inducantur auditores. Paulus quoque futurus prædicator gentium, mittitur ad testimonium veritati ferendum. Ait enim illi Ananias. *Deus patrum nostrorum præordinauit te, &c. quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti.*

1. Ioan. cap. 5. *Christus testis veritatis.* Ioan. 18. Ioan. 3. Act. 1. *Ecclesia Testis est veritatis.* Act. 2. Act. 10. Act. 22.

B Sed & Christus cùm eum de cælo vocaret, huius generis munus ei mandauit. *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, &c.* Hoc etiam suum testimonium vrget. *Si non est*, inquit, *resurrectio mortuorum, inuenimur falsi testes, &c.* Ioannes quoque Apostolus testimonium hoc suum pariter vrget, *Hic est*, inquit, *discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius.* Item in principio Epistolæ primæ: *vita manifestata est, & vidimus, & testamur; & annunciamus vobis.* Et iterum cap. 4. *Nos vidimus & testificamur, quia pater misit filium suum.* Denique passim prædicatio Euangelij *Testimonium* vocatur vt 2. Thessal. 1. & 1. Timoth. 2. & 2. ad Timoth. 1. Act. 20. Ioan. 15. Postremò, euidenter de hoc testimonij genere & vsu prædixit Esaias. *Vos testes mei dicit Dominus, & seruus meus quem elegi; vt sciatis & credatis mihi, &c.* quod apertè de Christo & Apostolis eius prædixit. Non aliam verò ob causam *Testes* vocantur Apostoli & eorum prædicatio *testificatio* nuncupatur, quàm quòd ex parte Dei immediatè & proximè, reuelant & confirmant nobis omnem illam veritatem quæ est ad fidem necessaria: vt proptereà vox Ecclesiæ, sit legitimum & necessarium veritatis testimonium, per quod innotescere mundo vult Deus: & quod idcircò repudiare nemini liceat.

Act. 26. 1. Cor. 15. Ioan. vlt. 1. Ioan. 1. Cap. 43. *Quare Apostoli testes vocantur.*

Quod vt intelligatur, quæ testimonij vis sit, considerandum est. Quemadmodum ergo, quacunque in causa testis nemo est idoneus & legitimus, nisi qui vocatur & rogatur, vt testimonium ferat; ita constitutis semel testibus, eorum testimonia repudiari non possunt. Sed quia hic discrimen aliquod est, inter humanos testes, & testes in doctrina religionis; quòd videlicet humani testes ex arbitrio partium assumuntur, & à parte litigante reiici possunt, iusta exceptione interueniente, veritatis autem diuinæ testes, non hominũ quasi partium arbitrio, sed à Deo ipso tanquam Iudice huius causæ constituuntur; idcircò discrimen quoque est in obligatione testimonij. Hinc enim fit vt testes diuinæ veritatis non solùm repudiari non possint, vt falsi vel suspecti; sed præterea necessariò audiendi sint, vt certi & determinati: vtpotè qui non solùm vocati & assumpti, sed etiam ex mandato Dei delegati sunt, ad perhibendum testimonium veritati. Quas ob causas sapienter scripsit Vualdensis, *Testimonium Ecclesiæ Catholicæ esse obiectum fidei Christianæ.* Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 21. Hac etiam de causa *Martyres*, siue *Testes fidei* Christianæ, celeberrimo titulo vocati illi sunt; qui & si non ex officio viua voce, tamen morte & sanguine suo, fidem prædicarunt & contestati sunt. Confirmatio enim seu assertio fidei, pro qua mortem passi sunt, vt in nobilissimo actionum genere erat, sic nobilissimo vocabulo, & Dei loquẽtis vocem proximo, nuncupata est; vt Martyrium siue testimonium vocaretur, idq; ex singulari prærogatiua; ait Gilbertus Abbas Serm. 23. in Cant. Cant. in supplemento Bernardi. Non est enim in terris, alia probatio fidei aut veritatis supernaturalis maior, quàm ipsius testem esse, vel testimonium illi adferre. Ratione enim probari non potest (quum omnem rationem superet:) sed attestatione commendatur, & confirmatur quoad nos. Idcircò omnia quæ vel ex Scripturis ipsis, vel ex Conciliis, vel ex patribus, vel ex totius ecclesiæ consensu argumenta afferuntur ad aliquid fidei ostendendum, *Testimonia*

Testimonij vis quanta sit. C *Testimonium Ecclesiæ quantũ.* *Thomas Vualdensis.* *Martyrũ titulus vnde.* *Omnes fidei probationes sunt tantum Testimonia.*

A fieri voluit. Deinde illorum contemptores non secus ac sui, semper reprehendit, puniuit, 1.
damnauit. Postremò suis ministris, non secus ac sibi credi fidémque adhibere voluit. Sic de 2.
veteri populo liberato iam ex Ægypto in manu forti, & visa Ægyptiorum internecione 3.
post transitum maris rubri, scriptum legimus. *Timuit populus Dominum, & crediderunt* Exod.14.
Domino & Moysi seruo eius. Non solùm Domino sed & Moysi, quia per verbum Moysi ipsi
Domino credebant. Sic in primo eius regressu in Ægyptum, vt eius voci populus crederet, Exod. 4.
multis eum signis Deus illustrauit. *Si non crediderint tibi*, (ait Dominus ad Moysem) *ne-*
que audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Rursùm iam in deserto, Exod.19.
cùm legem per Moysem populo daturus Deus esset, *Iam nunc* (inquit) *veniam ad te in caligi-*
ne nubis, vt audiat me Populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Vides vt ipsi Moysi
credere populum Deus vult; & illos Deo credere, qui Moysi credunt. Vides quoque illos Numer.14.
Deo non credere, qui Moysi non credunt. Idcircò enim murmurantibus filiis Israël contra
Moysem & Aaron, & volentibus alium sibi ducem constituere, dixit Dominus. *Vsque quo* Num.14.
detrahet mihi populus iste? quousque non credet mihi? Deo enim non creditur, id est, primæ ve- *Deo non credi-*
ritati testificanti fides non habetur, quando testibus eius ab ipso constitutis non creditur. Si- *tur, quando Ec-*
militer, cùm sacerdotale regimen excutere voluit populus Israëliticus, & sub Regum Im- *clesiæ non credi-*
perio viuere, dixit Dominus ad Samuëlem, Prophetam tunc & sacerdotem populi: *Non* *tur.* 1.Reg.cap.8.
te abiecerunt sed me, ne regnem super eos. Sic & aliis Prophetis creditum erat ab iis, qui Deo
credebant. Vnde ad Agrippam in Actis Paulus. *Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quia* Act.26.
credis. Innititur ergo fides, vt olim Moysi & Prophetis, sic nunc Apostolis & eorum succes-
B soribus.

Hanc obedientiam fidei satis clarè Euangelicæ & Apostolicæ literæ demonstrant. Chri- *Fidem hominis*
stus Dominus cùm ad docendum omnes gentes Apostolos mitteret; *qui*, inquit, *non credi-* *Christiani obe-*
derit, condemnabitur: vobis scilicet prædicantibus. Hoc enim cùm aliquando incredulis Iu- *dientiam Eccle-*
dæis accideret, *indignos eos iudicabant (Apostoli Paulus & Barnabas) æterna vita.* Hac etiam *siæ esse, ex Euā-*
de causa Apostolus cùm dixisset, *Non omnes obediunt Euangelio*, causam subiungit. *Esaias* *gelio probatur.* Matth.vlt.
enim dicit. Domine quis credidit auditui nostro? vt sanè non obedire Euangelio, sit non obedire Act.13.
prædicantibus Euangelium; & contrà. Hac quoque de causa, volens Romanorum fidem Rom. 10. Rom.6.
laudare Apostolus; *Gratias*, inquit, *ago Deo, quòd obedistis ex corde in eam formam doctrinæ, in*
qua traditi estis. Et rursùm in eadem Epistola, cùm dixisset cap. 1. *fides vestra annunciatur in*
vniuerso mundo; in fine Epistolæ idem repetens: *vestra*, inquit, *obedientia in omni loco diuul-* Cap.6.
gata est, vt nihil sit aliud Paulo, fides veritati adhibita, quàm obedientia prædicatoribus præ- Cap.16.
stita. Nec dissimiliter in literis ad Corinthios, ostendens Apostolus fidem ipsam in obedien-
tia prædicationis factæ consistere. *Notum*, inquit, *vobis facio fratres Euangelium quod prædi-* *Fides veritati*
caui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini; qua ratione prædicauerim *adhibita est o-*
vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Et paulò post. *Siue ego, siue illi, sic prædicauimus & sic cre-* *bedientia Præ-*
didistis. Et iterum. *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra;* *dicatoribus præ-*
inuenimur autem & falsi testes. Hæc Apostolus: vbi vides ex prędicatione Apostolica sic fidem *stita.* 1.cor.15. 1.cor.15.
ipsam dependere tanquam medio maximè necessariò, vt ex firmitate prædicationis sequatur
C firmitas fidei, item ex inanitate prædicationis, sequatur quoque fides inanis. Quæ deductio
Apostoli parum firma esset; nisi ipsa prædicatio, quæ est vox Ecclesiæ docentis, medium *Ex firmitate*
esset ad fidem inducendam & conseruandam planè necessarium, & cui obedire necessariò *prædicationis se-*
oporteret. *quatur firmitas fidei.*

Huius etiam rei argumentum inde peti potest, quòd Christus oraturus pro omnibus fu- Ioan. 17.
turis fidelibus, rogat patrem pro his, *qui per verbum Apostolorum credituri sunt in eum.* Hinc *Non sunt fide-*
enim sequitur, non alios in numero fidelium à Saluatore haberi, nisi qui per verbum Aposto- *les, nisi qui per*
lorum, id est, Ecclesiæ magistrorum qui ipsis successerunt, crediderint. Quod adeò verum *verbum Eccle-*
esse Augustinus prolixè docet, vt propterea ipsius Pauli prædicatio, non ab homine sed per *siæ credunt.*
reuelationem accepta, debuerit tamen cum Apostolis conferri, vt & verbum eorum esse ap- Augustinus Tract.109. in Ioan.
pareret. De qua re alibi plura diximus. Nam & ideo ipse Apostolus suprà dixit. *Siue ego, siue* Lib.7.cap.2.
illi sic prædicauimus, &c. Vnde concludit Augustinus, *verbum fidei & verbum Apostolorum* *Verbum fidei est*
vnum esse, nec aliter per Christi orationem in vnitate conseruari fideles, nisi per verbum Apo- *verbum Aposto-*
stolorum, id est, Ecclesiæ crediderint in Christum. Hac etiam de causa Apostolus Petrus *lorum.* 1.Petr.1.
cùm dixisset, *Verbum Domini permanet in æternum*, subiungit: *Hoc autem est verbum quod* *Verbum Domi-*
Euangelizatum est in vobis. Manifestè docens verbum Domini, de quo tantopere hæretici *ni est verbū Ec-*
gloriantur, non esse aliud quàm verbum prædicantis Ecclesiæ, primò videlicet ab Apostolis, *clesiæ.*

postea ab eorum successoribus perpetuò annunciatum, ideóque in æternum permanens. Vehementius autem adhuc Apostolus in altera ad Corinth. epistola. Necessarium hoc fidei medium vrget. Agens enim contra Pseudoapostolos, & ministerij sui dignitatem commendare D

1. Cor. 10. Chrysostomus. homil. 21. in 2. ad Cor.

coactus. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, (*fastum Græcorum sophismatum & Syllogismorum robur dicit*, ait Chrysostomus) *consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi: & in promptu habentes omnem vlcisci inobedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia.* Hæc ille. Obedientiam vocat ipsam fidem, qua prædicationi Apostolicæ credebant Corinthij; & inobedientiam infidelitatem, qua credere recusabant alij. Galathas quoque à fide resilientes, ad hanc obedientiam reuocat. *Licet*, inquit, *nos aut Angelus de cælo Euangelizat vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.*

Obedientia ecclesia data est fides & inobedientia & infidelitas.

Gal. 1.

Obserua eum dicere, *quod Euangelizauimus*, nos scilicet Apostoli & Magistri Ecclesiarum. Non autem dicit, *quod Euangelizatum est*, quasi perinde sit vnde Euãgelium acceperint. Ideò iterum subiungit repetens: *præter id quod accepistis*, scilicet à nobis prædicantibus: non dicit *præter id quod credidistis*; quomodocunque scilicet aut vndecunque fidem nacti estis, sed præter id quod ab Ecclesia accepistis. Vnde & Augustinus, per Apostrophem Catholicã Ecclesiã alloquens, *Appello*, inquit, *paruulos tuos, teneros fœtus tuos, ne garrula curiositate seducantur abs te, sed potius anathement, si quis eis Euangelizauerit, præterquam id quod acceperunt in te.* Hæc ille.

Contra Faustum lib. 15. cap. 3.

Obedientia fidei quæ.

Obserua quod dicit, *in te*, vt obedientia fidei sit, obedire doctrinæ acceptæ in & ab Ecclesia. E

Hoc sensu vocat Apostolus doctrinam quam prædicauerat, Euangelium suum. *Memor esto Christum resurrexisse à mortuis, secundum Euangelium meum in quo laboro.* Nunquam autem diceret baptisma meum, vt notat S. Thomas in commentariis ad hunc locum. Hic enim nihil suum minister facit, vt contra Donatistas sæpissimè docet Augustinus. Attamen doctrina fidei, est doctrina Ecclesiæ; sicut Euangelium Christi fuit Euangelium Pauli, quia non nudus minister, sed legitimus testis, & doctor necessarius fuit doctrinæ quam attulit. Ideo autem & legitimus testis & doctor necessarius, quia illius quasi fidei concredita & commissa erat doctrinæ veritas.

2. Timoth. 2. 1. Thess. 3. 1 Tim 1. 2. Thessal 1.

Ecclesia custos fidei, ideòque Testis.

Probati, inquit, *sumus à Deo vt crederetur nobis Euangelium.* Et iterum. *Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.* Ex hoc enim sequebatur, vt confidenter Apostolus Thessalonicensibus dixerit. *Creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.* Quam etiam ob causam hanc obedientiam ab eisdem Thessalonicensibus ita flagitat, vt scribat ad eos. *Quòd si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo.* Quin & eisdem quum in priore epistola quædã præcepta dedisset, vel potiùs repetiisset, ait enim: *sicut prædiximus vobis & testificati sumus*, subiunxit. *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum*: & causam subnectit. *Qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.*

1. Thessal. 3.

1. Thessal. 4. Manifestè docet verbo suo non secus quàm Dei verbo obediendum esse. Postremò, ne sibi soli tanquam Apostolo, hanc obedientiam postulasse videatur, ad Hebræos in vniuersum de omnibus ecclesiæ magistris dicit. *Obedite præpositis vestris & subiacete illis.* In quam sententiam, multa alia habes in secunda Controuersia: vbi etiam ad Apostolorum successores potestatem illis datam peruenisse, ostendimus. Ex hac autem obediẽtia fidei ipsi Ecclesiæ præstita, ex hac testificantis Ecclesiæ Authoritate & Necessitate superius ostensa, fraudulenta illa & pestilens Caluini doctrina funditus euertitur, qua docet & dicit, *omnem hanc potestatem non propriè hominibus ipsis dedisse, sed verbo suo, cuius homines ministros fecit.* Verbum enim & quiuis hæreticus & ipse diabolus in ore habet. Nec verbum dicit sed dicitur, nec scripturam loquentem, sed ab aliquo fideli eius custode prolatam vel interprete explicatam audimus. Solemus quidem dicere Scriptura hoc dicit: Sed impropria est illa locutio, qualis ista: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Scriptura enim non est obiectum aliquod fidei formale, siue medium per quod credimus, sed est obiectum materiale. Et ex numero illorum quæ credimus. De qua re plura postea. F

Hebr. 13. Lib. 5. cap. 7.

Quòd sapientia fidei non sit alia, quàm sapientia Ecclesiæ.

CAPVT XI.

Sicuti

A SICVTI propter vocis Ecclesiæ necesſitatem ex ſuppoſita Dei ordinatione, obedientia fidei non eſt alia quàm obedientia Eccleſiæ; ita propter eiuſdem vocis neceſsitatem ex infirmitate & ignorantia humana profectam, ſapientia fidei non eſt alia quàm ſapientia Eccleſiæ: vt videlicet ſapere apud Deũ non ſit aliud, quàm omni propria abiecta prudentia, iuxta vocem docentis Eccleſiæ, vt diſcipulum & paruulum ſapere. *Assertio septima.*

Hoc enim eſt myſterium fidei Chriſtianæ, abſconditum à ſapientibus & reuelatum paruulis. Hoc futurum prædixit Eſaias. *Perdam ſapientiam ſapientum & prudentiam prudentium reprobabo.* De hoc exultat in Euangelio ſaluator. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.* Hoc diſertè explicauit Paulus. *Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi: & quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Quæ omnia manifeſtè docent viam ad fidem eſſe, vt audiamus Eccleſiæ Magiſtros & paſtores tanquam paruuli, diſcere & obedire parati; non tanquam ſapientes de doctrina fidei aut Doctoribus ipſis vel ingenio, vel ratione, vel præiudicio noſtro iudicaturi. Talis erat Nicodemus, qui etſi ſummo deſiderio cognoſcendi veritatem flagraret, ideóque de nocte ad Ieſum veniret; & ſi Magiſter in Iſraël, doctus in lege eſſet; etſi viſis miraculis admirator Chriſti factus eſſet, tamen adhuc docilis diſcipulus fidei non erat, quia non credere & obedire docenti vt paruulus volebat, ſed rationes & modos quibus illa fieri poſſent quæ Chriſtus docuit, tanquam ſapiens ſcrutari & cognoſcere cupiebat. Talem quoq; Auguſtinus in prima ætate fuiſſe ſe deſcribit. *Tumor,* inquit, *meus refugiebat modum eius* [de S. Scriptura loquitur] *& acies mea non penetrabat modum eius. Nam illa erat quæ creſceret cũ paruulis, ſed ego dedignabar eſſe paruulus, & turgidus faſtu mihi grandis videbar.* Hæc ille. Sed & D. Ambroſius propterea cum Auguſtino adhuc tali colloqui, eumq; de fide inſtruere recuſabat. Reſpondit enim *adhuc eum indocilem eſſe, eò quòd inflatus eſſet nouitate hæreſis quam tenebat*: ſicuti ipſemet narrat Auguſtinus. Hac etiam de cauſa quos Paulus ſuperbiæ notat, eoſdem inſcitiæ damnat. *Si quis enim aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum.* Iterum quoque. *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, &c. ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Ioannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Nempe ideo reprobi, quia ſuperbi; ideo ſemper diſcentes, quia apud ſemetipſos ſapientes. De via autem ad veram ſapientiã dicit propheta. *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Hoc eſt, Sacra veritas quam Deus nobis fideliter & firmiter teſtatur, ſapientes facit non quoſuis, ſed paruulos: id eſt obedientes voci Dei, quæ vox eſt Eccleſiæ, tanquam lucernæ in nocte, qua firmi mentis oculi contenti eſſe debent: iuxta illud Auguſtini. *Animalis homo tanquam paruulus in Chriſto, lactiſq; potator, donec roboretur ad ſolidum cibum, & aciem firmet ad ſolis aſpectum, non habeat deſertam noctem ſuam, ſed luce lunæ ſtellarúmque contentus ſit.* Hæc ille. Nempe hæc eſt illa ſobrietas quam docet Apoſtolus, *Dico,* inquit, *per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Quod quale ſit, ſtatim oſtendit; ſubiungens. *Et vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei*: quæ diuiſio non æqualis, ſed ſecundum menſuram, cuiuſmodi ſit; ſtatim quoque oſtendit. *Sicut enim in corpore multa membra habemus, omnia autem membra eundem actum non habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra: habentes donationes, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes; ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina; qui exhortatur in exhortando*: & cætera.

Sapere apud Deum, est sapere Ecclesiæ vocem sapere. *Esaiæ 29.* *Matth. 11.* *1. Cor. 1.* *Via ad fidem est audire Magistros Ecclesiæ vt paruulum.* *Ioan. 3.* *Exemplum in Nicodemo.* *Cõfess. lib. 3. cap. 5.* *Aliud exemplum in Augustino.* *Confess. lib. 5. cap. 11.* *1. Timoth. 6.* *2. Tim. 3.* *Superbi semper indociles in fide.* *Psal. 18.* *Via ad veram sapientiam.* *Confess. lib. 13 cap. 18.*

B

C *ad Rom. 12.*

Ille ergo ſapit ad ſobrietatem, qui vocatus ad docendum, docet; & non vocatus, diſcit. Idem iterum demonſtrat 1. Corin. 12. & ad Epheſ. 4. vt in ſecunda controuerſia oſtenſum eſt. Maximè autem [quod ad rem præſentem attinet] in illis verbis, vbi Eccleſiam deſcribit eſſe, ſub capite Chriſto, *totum quoddam corpus, compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis,* (id eſt ſubminiſtrati ſpiritus Dei) *ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri.* Videlicet non omnibus æqualiter ſed pro capacitate cuiuſque *augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Quia videlicet *niſi charitate quæ non inflatur, colligati fuerimus* [ait Chryſoſtomus:] *ſpiritus ſubminiſtrationem non capiemus.* Obſeruandum au-

Sapere ad sobrietatem quid. *Lib. 5. cap. 1. & 2.* *1. Cor. 12.* *Hom. 11. ad cap. 4. ad*

Ephes.

Vnicuique fideli proprius locus in corpore Ecclesiæ seruandus est.

Cap. 10.

tem maximè corpus Ecclesiæ compactum esse *per omnem iuncturam*. Nam idcirco (ait Chrysostomus:) *nō satis est esse vnitum corpori, sed oportet præterea & proprium locum obtinere, vtpote qui nec vnitus esse queas, nec spiritum accipere, si loco cesseris*. Hæc ille. Hoc autem in corporis naturalis partibus, & in elementis natura docuit. Omnia enim illa si locum suum egressa fuerint, vitā & operationem amittunt. Idem docet August. diligenter in libro de vtilitate credendi. Primū enim docet, ordinem hunc sic à Deo institutum esse, vt sacrilegum sit aliter in fide sapere, quā per Ecclesiæ vocem. Deinde vt quis maximè hoc vellet, tamen quòd illud efficere non possit. D

Sacrilegum est aliter in fide sapere quàm per vocem Ecclesiæ.

vna & eadem via ad fidem est omnibus ambulandum.

Quod ad primum attinet, etiam si de eorum genere sit quispiam, *qui absque magistro facillimè diuina secreta & certa ratione capere possit*; qualem supponit Augustinus Honoratum fuisse, ad quem hæc scribit, *tamen* (ait August.) *ea via ad fidem venire debet, qua cæteri qui primitus credunt. Quemadmodum si aliqui volare possent, tamen ne cui sit periculo incitamentum, paulisper cogantur incedere qua cæteris tutum est. Hæc est prouidentia veræ religionis: hoc iussum diuinitus: hoc à beatis maioribus traditum: hoc ad nos vsque seruatum: hoc perturbare velle atque peruertere; nihil est aliud quàm ad veram religionem, sacrilegam viam quærere.* Hæc ille propter ipsum ordinem à Deo sic institutum, vt (quod omnes prophanæ sapientię sectatores fecerunt) non nobis ipsis ducibus vteremur, sed Ecclesiæ magisterio. Quod ad alterum attinet, statim subiungit. *Quod qui faciunt* (vt multa hodie superba ingenia faciunt, quæ absque magisterio Ecclesiæ & solis Scripturis, vel etiam absque Scripturis, omnem fidem ediscere se posse existimant, sibique plane persuadēt) *nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt peruenire. Cuiusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt. Tunc autem adest Deus, si societatis humanæ in eum tendentibus cura sit* (id est, si nihil singulare, nihil præter communis societatis ordinem faciunt) *quo gradu nihil firmius in cælum reperiri potest. Ego quidem huic rationi nō possum resistere.* Hæc Augustinus. E

Qui deserunt magisterium Ecclesiæ nihil proficiunt.

Quibus adsit Deus in quæstione fidei.

Rom. 12.
Hebr. 11.
Ephes. 4.
Rom. 12.

Quæ tanti patris disputatio plurimùm est expendenda. Indubitanter enim illis solis in causa fidei adest Deus qui *non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt*; qui didicerunt quòd *accedentes ad Deum debeant credere*, id est, doctrinæ fidei se submittere, cognituri & intellecturi postea, denique qui proprium suum locum in corpore seruant, *iuxta iuncturam subministrationis*, vt Apostolus docuit. Nam ideo hæc tria coniungit Apostolus. *Id ipsum in inuicem sentientes, non alta sapientes, nolite esse prudentes apud vosmetipsos*, vt videlicet hæc duo posteriora ad illud primū media & viæ sint; hoc est, vt in Ecclesia vnitatem fidei seruemus, id ipsum inuicem sentientes; nō apud nosmet ipsos prudētes, sed humiles Ecclesiæ discipuli & paruuli, esse debemus. Sed nunc ad alia pergamus, ne prolixitate fortasse offendamus.

Vox docentis seu attestantis Ecclesia, est medium non solùm necessarium, sed etiam certum, & infallibilis Regula ipsius fidei.

CAPVT XII.

Assertio octaua.

Infallibilitatis Ecclesiæ causa communes.

OX docentis vel attestantis Ecclesiæ est Medium certum & infallibilis Regula ipsius fidei. F

Ista veritas ex communibus, euidenter & breuiter probari sic potest. Infirmitati & ignorantiæ humanæ in iis quæ ad fidem necessariò pertinent, non succurritur; nisi per sapientiam Ecclesiæ docentis. Debet ergo
1. Ecclesia sic esse sapiens in iis quæ fidei sunt, vt nec falli nec fallere possit.
2. Alioqui enim, ignorantiæ non succurritur, sed imponitur. Rursum voluit Deus per Ecclesiæ vocem nos docere; voluit nos huic voci obedire; voluit nos iuxta hanc vocem sapere; voluit denique hanc vocem extrinsecus testificari, & manifestare nobis omnem veritatem; sicut ipse intrinsecus testificatur & reuelat. Debet ergo Ecclesiæ vox non secus esse infallibilis & certa, non ex se sed quo ad nos & ad doctrinam nostram, quàm est ipsius Dei vox. Alioqui enim vel falleret nos Deus, [iubens nos testibus & magistris parere, aut ignaris quia falluntur vel falli possunt in iudicio veritatis, aut mendacibus quia prudentes & scientes fallere possunt, forte etiam fallunt;] vel certè falleretur in seipso Deus, non valens id per Ecclesiam efficere [homines scilicet ad fidem quo ad Ecclesiæ sufficientiam efficaciter inducere, & in fide continere:] quod tamen per Ecclesiam efficere decreuit, & in tot Scripturis reuelauit. Est ergo

Ecclesiæ vox quoad nos non secus infallibilis quàm ipsius Dei vox.

propter

A propter has duas causas, Ecclesiæ docentis vox necessariò certa; &, quantum in se est, infallibilis. 3.

Rursum, quæ conspicuæ semper & aspectabilis necessariò Ecclesiæ Christi causæ, in prima Controuersia allatæ sunt; quæcunque etiam vel Scripturarũ testimonia, vel rationum argumenta, perpetuam Ecclesiæ Christi durationem in eadem Controuersia probauerunt; denique quę contra hæreticorum vel contra visibilem semper Ecclesiam argumentum septimũ & decimum,) vel contra Ecclesiæ perpetuam sanctificationem, varias cauillationes in eadem Controuersia disputata sunt; hanc etiam propositionem seu assertionem de Ecclesiæ docentis infallibili veritate euidenter probant. Maximè cùm illa omnia, quæ de perpetua Ecclesiæ sanctificatione, in propheticis & Apostolicis literis dicta sunt, præcipuè & propriè ad Ecclesiarum magistros referantur, & ad docentium in Ecclesia stabilitatem pertineant, vt in toto lib. 5. per multa quidem capita, maximè verò capite quinto & sequentibus copiosè probatum est, tùm in ipsa veritate confirmanda, tùm etiam vbi ad argumenta primi generis ab aduersariis afferri solita, in eadem Controuersia responsum est. Itaque generaliter quidem, & ex communibus causis, satis superque hæc propositio seu Assertio comprobata iam hactenus fuisse, videri potest.

Lib. 2. cap. 6. & 7.
Lib. 3. cap. 1. & 3.
Lib. 2. cap. 14. & 16.
Lib. 3. cap. 5. & sequent.
Lib. 5. cap. 7. potissimum.
Cap. 9. 10.

Sed ex propriis argumentis & causis, idem euidentissimè ostenditur. Et primum quidem ex principio seu medio, ex quo docet Ecclesia; deinde ex fine propter quem docet. Quemadmodum enim actionem ex se efficacem facit principium mouens efficax; sic conclusionem faciunt vel necessariam vel probabilem, media necessaria vel probabilia. Ecclesia ergo si docet

B ex principio infallibili, erit eius doctrina infallibilis. Quia autem non docet nisi ea quæ sunt fidei: eius doctrina nec erit dialectica, quæ ex probabilibus procedit; (fidei enim falsum non solùm non subest, sed nec subesse potest:) nec erit demonstratiua, quæ ex certis & notissimis naturæ principiis procedit; (naturam enim & rationem omnem superant, & solo reuelantis Dei testimonio nituntur:) sed vt infallibiliter doceat, ipso Deo, seu eius verbo ac reuelatione, pro Medio & magistro vti debet. Quòd si ergo Ecclesia, nihil ex se aut humana aliqua vi, sed totũ ex Deo & ex spiritu veritatis loquatur, erit necessariò eius doctrina infallibilis. Hoc verò ita se habere; & Ecclesiam ipsam, id est, eius magistros & principes nõ solùm in testes à Deo assumptos fuisse; sed præterea, vt possent testificari non solùm veraciter, sed etiã infallibiliter, spiritũ sanctum de cælo accepisse, ex illis ipsis locis euidenter colligi potest, in quibus Christus Ecclesiæ suæ magistros testes & prædicatores veritatis designauit. In eisdem enim locis, de Spiritu veritatis, deque sua perpetua præsentia ex proposito, & subinde inculcat. *Ego*, inquit, *rogabo patrem & alium* Paracletum *dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum; spiritum veritatis: quem mundus nõ potest accipere, quia non videt eum nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Manifestissimè docet, fore vt apud Ecclesiæ magistros maneat Spiritus veritatis, & in illis sit, *non in mundo*; hoc est, non in illis qui iuxta sapientiam huius mundi, ex seipsis & suo ingenio sapere volũt, sicut omnes philosophi & hæretici, qui *semetipsis ducibus vtuntur* vt dixit Prosper. Móxque paulò post, officium Spiritus Sancti quale futurum sit, declarat. *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Quòd si omnia

C Spiritus Sanctus doceat; & præterea suggerat; hoc est, vel de nouo inspiret (hoc enim est docere) vel oblita in memoriam reuocet (hoc enim est suggerere quæ antea mandata fuerant) dubitari non debet, quin Ecclesiæ vox sic à Spiritu Sancto instructa, infallibilis sit in doctrina fidei. Rursum docens Saluator fore, vt per testimonium Apostolorum mundus crederet, præmisit huius testimonij firmitatem à spiritu sancto profecturam, *Cùm venerit*, inquit, *Paracletus*, &c. *ille testimonium perhibebit de me* (scilicet in cordibus vestris) *& vos* (scilicet per prædicationem vestram) *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Ecce in cordibus Apostolorum Spiritus S. testimonium perhibebit de Christo, vt ipsi postea Apostoli toti mundo testimonium perhibeant de eodem. Christi autem nomine, intellige omnem doctrinam quæ ad fidem Christi pertinet: vt docet August. in libro de fide & operibus. *Euangelisare*, inquit, *Christum, est cuncta dicere quæ sunt credenda de Christo.*

Infallibilitas ecclesiæ ex propriis causis probatur.
1. Ex principio per quod docet.
Deus ipse est Magister ecclesiæ
Spiritus S. ibi promittitur vbi ecclesiæ magist. designantur.
Ioan. 14.
Contra collatorem. cap. 26
Docere & suggerere Spiritum sanctũ quid sit.
Ioan. 15.
cap. 9.

Similiter declarans Christus missionem Apostolorum suorum quam fecerat, præmittit de futura eorum sanctificatione, orationem ad Patrem. *De mundo*, inquit, *non sunt; sicut & ego non sum de mundo*: id est, Potestatem iuxta mundi sapientiam non habent sed diuinitus instructam. Sequitur. *Sanctifica eos in veritate tua. Sermo tuus veritas est.* Ecce orat expressè vt sanctificentur, id est, confirmentur & infallibiliter consentiantur (sanctum enim est, quod firmum & inuiolabile est) in veritate: doctrinæ scilicet & verbi

Ioan. 17.
Sanctificatio Ecclesiæ in veritate.

Dei. Rationem autem huius petitionis subiungit. *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.* Manifestissimè docet, quia missi erant Apostoli in mundum, sicut Christus ipse *venit in mundum: vt testimonium* scilicet *perhiberet veritati:* ideo velle se, vt sanctificentur in veritate sicuti ipse sanctificatus erat. *Per hanc enim sanctificationem* (ait Cyrillus Alexandrinus) *id est per participationem spiritus sancti ad mandatum illud supernaturale roborati, ad intelligendas rectè scripturas & Ecclesiæ dogmata perducti sunt.* Hæc ille. Et paulò post in fine capitis. *Ad imitationem suam ordinatos missosq; à se discipulos, Euangelicam & cælestem doctrinam mūdo prædicaturos, indigere ait Christus necessariò, vt in veritate sanctificentur, vt possint sui ministerij cursum absoluere.* Hæc ille. Cuius etiam rei necessitatē & in subsequētibus Christus subiungit. *Et pro iis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Hoc est; ego vt homo, in verbo ipso, ab initio natiuitatis meæ sanctificatus sum, vt omnem veritatem infallibiliter scirem. Sed quia isti sunt membra corporis mei, cuius ego sum caput; & ad idem officium destinati, *missi scilicet in mundum, sicut tu me misisti;* propterea volo vt illi quoque sanctificentur in veritate, in verbo, in me filio Dei, sicuti ego tanquam filius Dei, sanctificaui meipsum & hominem, pro eis. Christus enim (ait August.) *Spiritum sanctum non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo: propterea dictus est plenus gratia, & natus de spiritu sancto. Tunc enim inuisibili vnctione vnctus est, quando verbum Caro factum est.* Hæc ex Augustino. Orat autem hoc loco disertè, tantùm pro magistris Ecclesiæ mittendis in mundum. Postea quidem subiungit seorsim pro reliqua fidelium multitudine, *qui per verbum Apostolorum credituri erant,* orationem distinctam, scilicet *vt in vnitate conseruentur;* per charitatem nimirum & obedientiam: non autem vt in ipsa veritate sanctificentur, sicuti pro Apostolis & eorum successoribus orauerat. Est enim hæc sanctificatio solis Ecclesiæ magistris propria, spiritualis illa potestas tam docendi & pascendi, quàm alia sacra munera obeundi, Ecclesiæ pastoribus data; de qua in Secunda controuersia multa disputauimus ex scripturis. D E

Ioan. 18. Lib. 11. cap. 25. in Ioan. *Sanctificatio est participatio Spiritus sancti.* *Quomodo christus sanctificat seipsum.* De Trinit. lib 15. cap. 26. *Nota duplicem Christi orationem.*

Hanc verò rursus euidenter expressit Christus, quum Apostolis suis diceret. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Hic enim volēs ostēdere, positos esse Apostolos, vt irent & fructum facerent; præmisit ad hoc esse illos plenissimè instructos, vt errare non possint. Similiter quum iam de facto eos in mundum destinaret, Matth. vltimo dicens. *Euntes ergo docete omnes gentes, &c. docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis;* addit. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi:* manifestè docens in ipsa prædicatione & doctrina Ecclesiæ perpetuò Christum per gratiam & influxum internum præsentem fore. Deinde dixit Christus Apostolis & discipulis præsentibus. *Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes,* &c. Hic enim iterum virtutem spiritus sancti signanter præmisit, vt intelligerēt illa accepta, sic demum fore vt testes essent infallibiles extrinsecus docendo, sicut ipse spiritus sanctus est infallibilis intrinsecus inspirando. Idcirco tum Paulus quum de sua doctrina dixisset, *Qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum, hanc causam adiunxit: Qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* 1. Thess. 4. tum etiam Petrus quum dixisset *nunciata nobis esse à prophetis prædicta, per eos qui euangelisauerunt nobis,* adiunxit etiam *spiritu sancto misso de cælo* 1. Pet. 1. Quibus ergo in locis, vel promisit, vel declarauit Christus, Apostolos & eorum successores veritatis ipsius testes, doctores, & magistros esse, vel fore; in eisdem prorsus locis suam & spiritus sancti præsentiam atq; assistentiam promisit, & declarauit: vt indubitanter profectò credamus Ecclesiā non solùm testem esse & magistram; sed esse & infallibilem testem, & certissimam magistram totius veritatis, propter principium & medium infallibile cui nititur. F

Lib. 5. cap. 7. & 10. & 18. Ioan. 15. *Legationi Apostolicæ præsentia Christi & virtus Spiritus S. annectuntur.* Act. 1.

Iam verò, ex fine ecclesiasticæ potestatis hæc infallibilitas veritatis inuictè colligitur. Finis nempe dati in Ecclesia ministerij est sic pascere & docere ouile Christi, vt ab omni errore cōseruetur. Apostolus luculenter hunc finem expresit, quum diceret, *datos esse in Ecclesia pastores & doctores ad consummationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi; vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroru.* Hūc quoq; finem expresit Saluator, cùm diceret: *vos estis sal terræ,* &c. Rursum. *Posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Item; *Posuit vos spiritus sanctus regere Ecclesiam dei.* Item *Præpositi peruigilant quasi rationem pro animabus reddituri.* Cùm ergo nihil horū omniū perfici posit sine certitudine fidei, quæ est totius salutis fundamentum, sequitur necessariò potestatē docendi & pascendi Ecclesiæ datā, adiunctā habere veritatis infallibilitatem, ipsámq; docentē Ecclesiam infallibilē esse veritatis Regulam. Alioqui cùm natura

Ex fine ob quē Ecclesia docet. Ad Ephes. 4. Matt. 5. Ioan. 15. Act. 20. Ad Hebr. 13. *Ecclesia doctrina infallibilis necessariò.*

nihil

A nihil faciat frustra, sed omne agens agat propter finem, hanc tam necessariam & excellẽtem
in terris potestatem, agente eam & per eam Spiritu Sancto, Christus in Ecclesia posuisset & Matth. 15.
Deus fecisset frustra; nec tantum frustra sed & perniciosè. *Cæcus enim cæcum duceret, & ambo* Lib. 5. cap. 10.
in foueam caderent. Ex hoc fine emergit illa Dei prouidentia, quæ facit vt pastores Ecclesiarũ
in pascendo non errent, de qua in secunda controuersia disputatum à nobis est. Denique quia
& tali principio, & propter talem finem vox Ecclesiæ infallibilis veritatis regula est, propterea *Elogia Ecclesiæ, & quare data.*
ipsa Ecclesia passim in scripturis huiusmodi elogiis ornatur, quæ hanc eius præstantissimam Esaiæ 26.
dotem significant. Hac enim de causa vocatur ab Esaia propheta: *Voluntas Dei in ea.* Dicitur Oseæ 2.
desponsata Deo in fide, nec in æternum ab eo derelinquenda. Dicitur à Saluatore, *quòd portæ inferi nõ* Matth. 16.
præualebunt aduersus eam. Vocatur ab Apostolo *corpus Christi, plenitudo Christi, Sponsa Christi,* ve- ad Ephes. 1. 4. & 5.
ritatis denique *Columna & firmamentum.* 1. Tim. 3.

Quæ verba multum expendi debent. Est enim illustre & magnificum Apostoli Pauli
vel potius spiritus sancti de Ecclesiæ Authoritate & iudicio testimonium. Nempe est Eccle-
sia veritatis omnis reuelatæ (de ordinaria reuelatione & spiritus sancti doctrina loquẽdo) quo- *Quo sensu Ecclesia est columna*
ad fideles sanè ipsos cui reuelatur, *Columna*, quoad ipsam autem fidem, *Firmamentum.* Fideles *& firmamẽtum veritatis.*
enim omnes Ecclesiæ magisterio, tanquam immobili & fortissimæ colũnæ securè inniti, sim-
pliciter obedire, obedienter acquiescere debent, vt iam satis explicatum & probatum est. Ipsa
autem fides, quoad acceptationem sanè nostram, ab Ecclesia firmatur, stabilitur, & solidatur. Ephes. 4.
Itaque de magistris Ecclesiæ dicit Apostolus, quòd dati sint *in confirmationem sanctorum, ne*
sicut paruuli circumferamur omni vento doctrinæ, & Supremo Pastori ac Magistro specialius di- Lucæ 22.
B citur, *Tu conuersus confirma fratres tuos.* Ipsa itaque Ecclesia in suis Magistris & Pastoribus fir- Epist. 18. & 89
mamentum dicitur, & quidem longè robustissimum atque (vt August. sæpe loquitur) funda-
tissimum. *Contra Ecclesiæ*, inquit, *fundatissimum morem nemo sentiat.* Et de Pelagianis dicit. *Iam*
occultè mussitant, timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem. Et iterum contra eosdem, *Consuetudi-* Serm. 14. de
ne Ecclesiæ antiqua, Canonica, fundatissima, paruuli baptisati fideles vocantur. Quod & vox ab verbis Apost. 1. cor. 15.
Apostolo hoc loco vsurpata (quæ in toto nouo Testamento præterea non inuenitur) ἑδραίωμα
videlicet satis luculenter docet. Significat enim robur quoddam longè validissimum, nulloq; colossi. 1.
casu aut impetu è loco deturbandum. Itaque huius coniugato idem vtitur Apostolus quan- 1. Cor. 7.
do firmitatem aliqua in re tenacissimã exprimere vult. vt vbi dicit. *Itaque fratres mei dilecti sta-*
biles estote & immobiles. ἑδραῖοι καὶ ἀμετακίνητοι. Et rursum. *Si tamen permanetis in fide fundati &*
stabiles, & immobiles. τεθεμελιωμένοι, καὶ ἑδραῖοι, καὶ ἀμετακίνητοι. Denique & de firmissimo virgi
nitatis proposito quum loquitur. *Qui statuit in corde suo firmus, &c.* ὃς δ' ἕστηκεν ἑδραῖος ἐν τῇ καρ-
δίᾳ. Talis est ergo Ecclesiæ firmitas, ita fundata & stabilita est in omni veritate quæ ad Deum
cognoscendum vel amandum pertinet, vt ipsius fidei atque veritatis meritò firmamentũ vo-
cetur: ipso scilicet Spiritu sancto in ea residente in æternum, per eam loquente infallibiliter, ei
data inseparabiliter. Hæc ergo omnia euidenter ostendunt non magis posse Ecclesiæ Dei veri-
tatis docendæ certissimam claritatem deesse, quàm à sole lumen aut ab aqua humorem abes-
se. Vt enim lux mundi corporalis Sol est; sic lux mundi spiritualis Ecclesia est. Sed de hac re *Lux mundi Ecclesia.*
inferiùs plura. Facit autem hæc infallibilitas iudicandi de fide Ecclesiæ data, vt omnium de fi-
C de Controuersiarum Iudex legitima meritò censeatur: non secus sane quàm scriptum Dei
verbum; quia per illam non secus quàm in scriptura Deus loquitur. Cuius rei exemplum in
Augustini disputatione contra Pelagianam hæresim tale occurrit. Sic enim scribit de Iuliano
Pelagiano. *Ipse dicit. Quo modo rei sunt paruuli pro quibus Christus mortuus est? Nos respondemus.*
Imo paruuli quo modo rei non sunt pro quibus Christus mortuus est. Ista Controuersia iudicem quærit.
Iudicet ergo Christus: & cui rei mors eius profecerit ipse dicat. Iudicet cum illo & Apostolus: quia &
in Apostolo ipse loquitur Christus: Hæc ille: quibus rectissimè addi potest. Iudicet cum illo &
Ecclesia, quia & in Ecclesia loquitur Christus: ipseq; Apostolus in quo loquebatur Christus,
Ecclesiasticus pastor erat: & in eo quatenus tali loquebatur Christus.

Cauillationes aduersariorum contra probationes è Scripturis superius allatas soluuntur.

CAPVT XIII.

AS Scripturas tam euidenter Ecclesiæ in docendo infallibilitatem demonstrantes, partim dissimulant hodie hæretici, partim variis cauillationibus eludere conantur, quibus breuiter respondebitur. Primùm adesse quidem Ecclesiæ Spiritum Sanctum agnoscunt, quatenus & quàdiu verbo Dei scripto nitatur. *Neque enim aliud facere Spiritū sanctum, quàm suggerere Ecclesiæ, quæ viua voce Christus docuerat; propter illa verba. Suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Hoc Caluini commentum est, quod & vehementissimè vrget. Sed respondetur, primùm non hoc solum Christū dixisse; *Suggeret vobis, &c.* sed prætereà præmisisse, *Ille vos docebit omnia*; quę verba scelerate Caluinus ex hoc loco detrūcauit, & prorsus dissimulauit. Duo enim sunt officia, docere & suggerere, vt antea explicatum est. Deinde disertissimè dicit Christus. *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Spiritus autem ille veritatis cùm venerit, ille vos docebit omnem veritatem*: nempe quam explicatè Christus adhuc non docuerat: quia eius doctrinę nisi in semine capaces adhuc Apostoli non erant. At infert hîc Caluinus, *saltem postea Apostolos omnem illam veritatem quam Christus viua voce non docuerat, & propterea in Euangelicam historiam relata non fuerat, sed à spiritu sancto docendam prætermiserat, ab ipso spiritu sancto plenè & explicatè didicisse, & in sua scripta retulisse.* Affirmat hoc totum fortiter Caluinus, sed nulla prorsus ratione probat. Nos autem suo loco probabimus, & multa scripsisse Apostolos, quæ Christum viua voce docuisse ex Euangelio non constat; & præterea multa, etiam ad fidem necessaria in Apostolorū scriptis non compræhensa, sola illorū traditione ad nos peruenisse. Interea tamen euertitur euidenter illa prior Caluini blasphemia, quòd Spiritus Sanctus illa tantum Apostolis suggesserit, & suggerere potuerit, quæ Christus viua voce docuit, & in Euangelia relata fuerant. Deinde non dicit Christus, *Suggeret vobis* quæcunque iam dixi vobis, sed *quæcunq; dixero vobis*, in futurum scilicet. Nam & nunc Christus per spiritum sanctum loquitur Ecclesiæ suæ, dicēdo & testificando intus in cordibus per spiritū suum, qui spiritus sanctus est, quicquid spiritus sanctus suggerit. *Non enim à semetipso loquetur, sed quæcūque audiet loquetur*, ait Christus. Audit autem spiritus sanctus sicut procedit à persona Patris & Filij, non tanquam inferior discendo, sed tanquam distincta persona eadem & æquali sapientia omnia intelligendo posteáq; nos docēdo. Rursum etsi verum esset spiritum sanctum non alia Apostolos docuisse, quàm quæ Christus antea mandauerat, probari tamen non potest illa omnia quæ Christus ante mandauerat, ab Euangelistis esse in scriptum relata. Cùm enim non minus Christi facta quàm verba nos doceant, Ioannes autem Euangelista disertissimè dicat, *multa alia fecisse Iesum quæ scripta non sunt, &c.* cap. vltimo, dubitari non debet, quin & multa quoque Christi verba scripta nō fuerint. Sed de hac re aliàs copiosius. F

1. Cauillatio. Ioan. 14. Inst. lib. 4. cap. 8. par. 13. *Caluini scelus.* Cap. præced. Ioan. 16. Parag. 14. lib. 12. cap. 5. 6. & 9.

Secundò cauillantur, quòd tota Ecclesia quidem non erret aliquando, sed nec Episcopi nec concilia nec Papa est tota Ecclesia: verùm præter illos, in multis electis & sanctis fidelibus consistere potest Ecclesia, & promissiones istæ in illis locum habere, etsi cæteri isti omnes errant. Respondemus in secunda Controuersia demonstratum esse, quomodo nec tota Ecclesia erret, nec tamen ad totam Ecclesiam istæ promissiones propriè spectent; sed ad partes quasdam, quarum est ab errore reliquos conseruare: & tales partes esse, partim singulos Episcopos, partim Concilia Episcoporum, partim & maximè totius Ecclesiæ caput Petri successorem.

Secunda Cauillatio. lib. 5. cap. 7. lib. 6. cap. 8. Lib. 7. cap. 8.

Tertiò cauillantur, non sic toti aut præcipuis partibus has promissiones conuenire, quin & singulis quoque conueniant: *alioqui spoliari singulos spiritus sancti magisterio, dum certis partibus attribuitur.* Respondemus etiam & singulis fidelibus spiritum sanctum adesse; sed iuxta cuiusque mensuram, & seruato totius ordine: aliis ad credendum & consentiendum, *vt vnum sint*; aliis ad docendum, qui propterea *sanctificantur in veritate*: aliis in corde ad iustitiam priuatam, aliis in ore ad salutem publicam: vt in alia Controuersia ostensum est: maximè in responsione ad tertij generis argumenta.

Tertia Cauillatio. Caluinus vbi supra. Quomodo Spiritus S. adsit singulis. Ioan. 16. Lib. 5. cap. 4.

4. cauillatio. Quartò cauillantur, spiritum sanctum residere in Ecclesia, quandiu peccata ipsa non diuidunt

A dunt inter Deum & Ecclesiam; alioqui Spiritum sanctum effugere fictum, & Dei promissio- Lib.2. cap.14.
nes propter scelera hominum euacuari. Huic sufficienter responsum est, in Controuersia pri- & 16.
ma, in responsione ad argumentum septimum, & decimum contra visibilem Ecclesiam; & in Lib.5.cap.9.
secunda Controuersia, in responsione ad primi generis argumenta.

Quintò cauillantur, hanc Spiritus sancti assistentiam & per consequens in docendo 5. Cauillatio.
infallibilitatem solis Apostolis à Christo promissam, postéaque in die Pentecostes illis solis Ioan.15.
datam fuisse; idcóque illis solis dixisse Christum. *Omnia quaecunque audiui à Patre meo, nota feci* Rom. 8.
vobis, & illos solos *primitias Spiritus accepisse*, eorum vero successores non ita in omni veritate 1.
instructos esse, quin errare possint. Ad hoc respondetur, non secus successores Apostolorum *Successores Apostolorum in omnibus ad fidem necessariis non secus à Spiritu S. instructi quàm Apostoli.*
in iis quæ ad fidem necessaria sunt semper à Spiritu sancto instrui, quā ipsi instruebantur Apo-
stoli. Id probatur primùm ex fine ministerii in Ecclesia relicti, qui cùm idem perpetuò sit, ea-
dem perpetuò Spiritus sancti assistentia necessariò requiritur. Deinde, quia Christi promis-
siones disertè ad perpetuitatem destinantur. *Manebit vobiscum in æternum: omnibus diebus v-* Ioan. 16.
que ad consummationem seculi. Rursum in Ecclesiam *tanquam in amplum & diues depositorium,* 2.
omnia quæ sunt veritatis, Apostoli plenissimè contulerunt, ait Irenæus. Ipse quoque Apostolus Matth.vlt.
Paulus disertè testatur, *annunciasse se omne concilium Dei pastoribus Ephesi relictis.* Sic Timoth. *Christi promissiones ad perpetuitatem destinantur.*
suum *in omnibus instruxisse* ostendit 2. Epist. c. 1. & 2. Denique in secunda controuersia osten-
sum est, non solis Apostolis, sed & eorum legitimis successoribus, hanc docendi perpetuā po-
testatem, & proinde assistentiam Spiritus sancti, datam à Christo fuisse. Quo autem discri- Lib.3.cap.4.
mine, Apostolis & eorum postea successoribus hæc infallibilitas in docendo data sit, paulò Act.20.
B post docebitur. Lib.5. cap.7. Infrà cap.15.

Sextò cauillantur, quòd hoc totum de immediata Spiritus sancti reuelatione, seu potius 6. cauillatio.
consolatione, intelligendum est: quia videlicet vel Apostolos, vel alios quosuis electos, per
omnes ætates partim in fide instruxit, partim in gratia confirmauit: vt nimirum, & sine er-
rore vel docerent vel crederent; & constantissimè vel doctrinam vel fidem suam profiteren-
tur. Nam & disertè Saluator noster, *ne turbaretur cor eorum cùm odio eos haberet mundus,* Ioan.14. & 15.
Spiritum hunc tanquàm *Paracletum*, id est, consolatorem illis promisit. Hunc autem dat
electis suis omnibus, quos perseuerare vult in finem. Nihil ergo ad Apostolos tanquam
Ecclesiarum Magistros, & multo minus ad eorum ex hac parte successores hæc pertinent.
Respondetur, inde cauillationem hanc vanissimam esse depræhendi quòd disertè & expres- 1.
sè Spiritum veritatis tunc Apostolis promittat, quum eos in mundum mittendos, tanquam Suprà cap.12.
Ecclesiæ magistros docet: vt suprà est ostensum. Spiritum sanctum verò, non solùm esse 2.
magistrum, vt rectè doceamur, sed & consolatorem vt sanam doctrinam profiteamur; &
hanc fidei professionem, non ad solos Ecclesiarum magistros pertinere sed ad omnes; liben-
ter concedimus. Verum nec ad omnes æquè hæc fidei professio, pertinet, id est, non perin-
de & ex æquo interest saluti Ecclesiæ, vt omnes fidem publicè profiteantur, quàm vt Eccle-
siarum præpositi hoc faciant, qui propterea vocantur *Lux & sol mundi*, vt aliis exemplo 3.
præluceant; nec propter solam in aduersis consolationem, & in professione fidei cor- Matth.5.
roborationem, vocatur Spiritus Sanctus *Paracletus*; sed etiam propter veritatem ipsam 4.
C quam in arduis quæstionibus & difficultatibus, Spiritus Sanctus docet & suggerit. Sic *Quare Spiritus S. vocatur Paracletus.*
enim cùm inter Apostolos circa obseruationem legalium, *magna conquisitio fieret*, vt nar-
rat Lucas, surgens Petrus sententiam dicit, quam statim reliqui omnes à Spiritu Sancto
edocti in hæc verba sequuntur, & concludunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Sic in om- Act.15.
nibus postea Conciliis & Synodis factum est. Et hæc est maxima consolatio, in summis dif-
ficultatibus laborantem Ecclesiam à docente & suggerente Spiritu sancto, omnem verita-
tem doceri.

In quo sensu asseratur hæc infallibilitas Ecclesiæ in docendo, ex Scripturis collecta.

CAPVT XIIII.



SED meritò hic quæritur, quænam sit hæc veritatis infallibilitas Ecclesię data, suggerente Spiritu sancto. Nempe an Ecclesia ipsa nihil agente in quæstione proposita, sed vel solis precibus Deo rem commandante, vel etiam ne orante quidem, sed eo ipso quod laborat & doceri cupit, Deo statim suggeren te, hanc veritatis infallibilitatem consequatur; an potius studio & industria ipsius Ecclesiæ, diligenter & scripturas ipsas & alia media consulentis, id fiat: Denique quo & quanto studio, quibus mediis & subsidiis, hanc tantam infallibilitatem Ecclesia consequatur. Etenim sinę vlla inquisitione & labore, verita tem omnem cognoscere, ad immediatam illam reuelationem spectat, solis prophetis & Apostolis propriam; quibus dictum est: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Non autem ad eorum successores, & Ecclesiæ magistros, qui eos sequuti sunt. Alioqui frustra & Synodi conuocarētur, & rerum sacrarum studia atque exercitia susciperentur, pastores quoque in Ecclesia nō vigilantes, sed in vtramque aurem dormientes statuerentur, multáque alia absurda cōsequerētur. Rursùm, si labore & industria hæc veritas exquiratur, alia quæstio est, quomodo constabit de h oc labore ab Ecclesia suscepto, aut legitimis Mediis adhibitis; dabitúrque aduersariis excipien di locus, quòd temere Ecclesia definierit, non adhibito illo maturo iudicio, studio, & consilio quibus opus erat, mediis quoque non adhibitis quibus oportebat. Ad hanc quæst. respondetur, Ecclesiam quæ Apostolos sequuta est, eique successit, in dubiis circa fidem discutiendis, immediata & sola reuelatione Spiritus Sancti non vti sed facta inquisitione, & causæ meritis expensis, adhibitis quoque mediis & subsidiis ad rem propositam idoneis, vt ante omnia Scripturis ipsis, deinde summorum Pontificum & Conciliorum decretis, Patrum sententiis, Regula fidei consulta, & similibus, (vt in 3. Controuersia disputauimus) ad veritatis certitudinem peruenire. Docetur enim Ecclesia nunc, & statim post Apostolos edocta semper fuit, per veros Pastores & doctores, non per Angelos vt ante legem, non per Prophetas vt in veteri lege, nec per Apostolos aut Euangelistas vt statim post Christum. His enim, vt talibus, proprium est & peculiare, ex proxima Dei reuelatione docere. Proprium autem, solis quidem & omnibus, sed non semper. Nam & illi ipsi interdum humanis documentis & mediis vtuntur: sicuti Matthæus & Ioannes ex his quæ viderant oculis suis, Lucas & Marcus ex iis quæ audiuerant ab aliis, Euangelia sua conscripserunt. Sed tamen etiam in huiusmodi quasi humanis mediis, infallibili & peculiari Spiritus sancti directione vtuntur; quam Ecclesię pastores semper & in singulis mediis non habent: vt pote qui mediis & documentis vtuntur in-
1. terdu m diuinis, interdum humanis; modo tamen, studio, & industria humana. Pastores enim
2. & doctores Ecclesiæ, nec vt Prophetæ vel Apostoli ex immediata reuelatione loquuntur; nec
3. vt Philosophi naturales sola ratione aut experientia humana pro regula vtuntur; denique nec prophetica est omnino, nec discursiua omnino, eorum doctrina: sed ratiocinantur quidem vt homines sapientes quo ad Media, aliud ex alio inferendo & colligendo; in ipsa autem conclusione diuinitus adiuuantur, ideóque eorum doctrina in Mediis est discursiua, in conclusione prophetica. Et propterea excipiendi locus non datur aut dubitandi, rectè ne an secus collegerint, studiumque & industriam quam oportebat impenderint. Deus enim qui gubernat omnia fortiter, & disponit omnia suauiter, dans ipsum finem, dat etiam omnia media ad finem necessaria; conseruátque à Mediis, per quæ à fine possent excidere. Quemadmodum enim prædestinationis effectus sunt, in ipsis prædestinatis;, non solùm ipsa vita æterna, sed etiam vocatio ad fidem, gratia, perseuerantia, aliáque omnia ad vitam æternam consequendam necessaria; (*quos enim prædestinauit, hos & vocauit & iustificauit, & cætera*) sic promissionis Ecclesiæ à Christo factæ, & prouidentiæ eius effectus est, non solùm *vt in veritatem omnem inducantur* eius Pastores, sed etiam vt ea media illis conferantur, quibus hanc veritatem consequantur; & ab illis mediis arceantur, per quæ à veritate aberrare & excidere possent. Cùm ergo Christus Ecclesiæ suæ infallibilem Spiritus Sancti assistentiam promiserit, qui eam doceat omnem veritatem; nec ea sine debitis & certis mediis doceatur; dubitandum non est, quin idem Spiritus ea omnia quoque media suggerat, & circa ipsa media sic infallibiliter eam dirigat, vt finem promissum infallibiliter consequatur. De hoc enim genere dixit Apostolus. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Nec obstat huic Ecclesiæ in docendo firmitati, (vt multum obstare & contradicere arbitrantur hæretici; quòd etiam in Conciliis, orant diligenter Patres, tùm ante deliberationes cœptas, tùm post easdem finitas, ne in iudicio veritatis Orthodoxæ errent vel errauerint. Sic enim Isaac cui semen à Deo pro-

An Ecclesia infallibilitas nitatur studio & industria humana.
Matth. 10.

Responsio. Ecclesia Apostolis succedēs, sola reuelatione non nititur.
Lib. 7.

Quibus sit proprium ex reuelatione docere.

Peculiaris Spiritus S. directio Apostolis propria.

Doctrina Ecclesiæ in Mediis est discursiua in cōclusione est Prophetica.

Ad Rom. 8.

Ecclesia non potest carere certis mediis quibus inducatur in veritatem.

1. Cor. 3.

D E F

A Deo promissum fuerat, pro semine tamen consequẽdo diu multúmque orauit. Gen. 21. & 25. Ipsæ quippe preces, ex mediis illis sunt, quæ ad effectus prædestinationis non secus pertinent quàm finis ipse. Quæ quum ita sint, bonus Ecclesiæ filius, docentem Ecclesiam securus & tutò audiet; fretus promissione Christi & diuina prouidentia: nec sollicitè laborans, (quia de hoc iudicare suum non est) an idonea media ad doctrinam suam tradendam Ecclesia adhibuerit, nec curiosè inquirens (quia hoc explorare sui muneris non est) an in ipsis mediis debitam diligentiam impenderit: non magis sanè, quàm cui de sua vel alterius aut æterna salute, aut aliquo alio beneficio conferendo, diuinitus reuelatum esset; non aliter reuelanti Deo credendum hoc sibi putaret, nisi etiam media omnia sigillatim explorata haberet, quibus salutem hanc æternam, aut beneficium promissum, infallibiliter vel ipse vel alius consequeretur. Exempla autem huius fidei & obedientiæ multa, in scripturis habes: vt in Abrahamo, Isaac, Dauide, aliisque Prophetis. Zacharias autem etiam punitus à Deo & mutus factus est, eò quòd accepta per Angelum de futura prole promissione, simpliciter promittendo Deo non acquieuit, nec sermonibus Angeli crediderit, sed de mediis quibus id fieret, percontari ausus erat, dicens. *Vnde hoc sciam?* Quæsiuit enim non modum quo hoc fieret, sicuti B. virgo dicens, *Quomodo fiet istud?* sed argumentum quo cognosceret, sibique illud persuaderi posset. Quo etiam peccati genere peccant illi, qui audita Ecclesiæ voce, conclusione, decreto non prius illi credendum esse sibi persuadent, quam diligenti per seipsos inquisitione facta, decreti rationes, causas & momenta ipsimet explorauerint.

Boni christiani circa Ecclesiam audiendam officium.

Gen. 18. 21. 25. 1. Reg. 30.

Luc. 1.

Ibidem.

B

Circa quæ (in genere) versatur hæc infallibilitas docendi, Ecclesiæ attributa.

CAPVT XV.

EX hac tamen responsione, alia quæstio oritur. Si Spiritus Sanctus adest Ecclesiæ, tùm in fine tum in mediis; an sicuti Ecclesię Doctrina in fine, id est conclusione veritatis, est infallibilis; ita quoque in ipsis mediis ita sit infallibilis, vt neque in colligendo aut ratiocinando errare valeat; neque vel falsam propositionem ad aliquid probandum assumere; vel ex veris malè & impropriè colligere. Neque enim exempla desunt, tum in responsis Romanorum Pontificum, tùm in actis & decretis Conciliorum, tum in disputationibus sanctorum Patrum, vbi præter veritatem ratiocinati fuisse depræhenduntur, & ex argumentis parum firmis, veritatem tamen Catholicam conclusisse. Quæ sanè SS. Patrum in Conciliis argumentationes, ab hæreticis hodie ad Conciliorum salubertimam Authoritatem vellicandam, nonnunquam proferuntur. Huius ergo dubitationis causa, quæ & alia secum trahit multa, alia adhuc Assertio ponitur; vt intelligatur circa quæ saltem in genere (nam de præcipuis speciebus & partibus postea in tribus postremis Controuersiis disputabitur:) hæc docentis Ecclesiæ infallibilitas versatur. Dicimus ergo.

C

Assertio nona.

Docendi infallibilitas in causa fidei Ecclesiæ data, (intelligendo per Ecclesiam Apostolorum successores; id est, vel totam seriem succedentium Episcoporum, vel consensum Patrum, vel ipsa Concilia, vel Summos Pontifices:) tantummodo in illis fidei dogmatibus infallibiliter definiendis, & fideli populo certa veritate tradendis, locum habet; quæ vel in Controuersiam vocantur, vel alioqui ad publicam Ecclesiæ fidem necessariò pertinent.

Sensus huius Assertionis est, quando de iis quæstionibus quæ vel non necessariò ad fidem pertinent, sed salua fidei compage, variè à variis intelligi possunt; (de quo genere alibi ex Augustino disseruimus) vel non ad publicum aliquod & commune dogma explicandum, (quod vel omnes fideles explicitè credere debent, vel in publico Religionis vsu versatur, vel saltem maiores explicitè credere tenentur, populus autem implicitè in maiorum fide) sed ad priuatam alicuius vel infirmi fidem instruendam, vel superbi curiositatem expleudam, vel denique

Quo sensu infallibiliter doceat Ecclesia.

Lib. 1. cap. 17. & lib. 7. ca. 11.

ad ea explicanda spectant, quæ potius appendices fidei sunt quàm ad eius substantiam pertinentia; quando de huiusmodi (inquam) quæstionibus vel consulitur, vel obiter disputat Ecclesia, aberrare aliquando poterit, vel asserendo vel etiam cõcludendo, absque eo quòd hæc promissa à Christo Ecclesiæ infallibilitas violata propterea fuerit. D In disputationibus autem, quæ

Ecclesia in conclusione fidei nõ errat: In mediis errare potest.

circa quæstiones ad dogma fidei publicum (vt modo explicuimus) necessariò pertinentes versantur, vel alioqui in Controuersiam apertè vocantur, consulta Ecclesia concludendo quidem & asserendo (vt iam dictum est) nunquam errat. In mediis autem ipsis & argumentis, hallucinari & aberrare poterit, salua tamen promissa Ecclesiæ ea quam diximus docendi infallibilitate.

1. Ratio.

Ratio Assertionis huius est, primùm finis ipse datæ infallibilitatis. Illa enim propter publicam salutem fidelium data est, non propter aut inutiles curiositates explendas, aut subtilitates non necessarias inuestigandas. Deus enim sicuti natura, vt non deficit in necessariis, ita non superabundat in superfluis. Itaque diuinæ promissioni & prouidentiæ satisfit, si in his quæ ad publicam salutem necessaria sunt, impleatur. Neque enim vel extendendæ Dei promissiones sunt, vel ad quæuis particularia specialis Dei gratia seu prouidentia deducenda est, qui quum sit vniuersalis prouisor, multos in particulari defectus patitur, vt ipsius vniuersi vel conseruationi, vel decori consulatur. Neque enim ex particulari aliquo vel errore vel defectu, vniuersa maculatur Ecclesia; sed tam Ecclesia quàm totus hic mundus, vt bonis malos, ita firmis & sicut oportet sapientibus, infirmos & minùs sapientes mixtos habet; quibus etiam quemadmodum Antithetis Oratio, ornatur sæpe & illustratur magis. E *Nam* (ait sapienter Augustinus) *ordinem seculorum, tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam Antithetis Deus honestauit.*

Dei promissiones ad quæuis particularia extendenda non sunt.

De Ciuit. Dei lib. 11. cap 18.

2. Ratio.

Deinde alia Ratio huius Assertionis est, quia discrimen varium est inter ipsos Apostolos & eorum successores: vnum in datæ potestatis plenitudine, alterum in acceptæ plenitudinis modo. Quod ad primum attinet, singuli Apostoli de omnibus plenissimè à Deo instructi erant, ita vt eorum quilibet de quocunque dogmate ad fidem, siue necessariò, siue non necessariò pertinente, pronunciare potuisset: idque tanta certitudine, vt non solum Pastores essent fidelissimi, sed etiam Magistri peritissimi, omniáque etiam subtilissima circa fidei mysteria penetrarent; omnes scripturas veteres & nouas intelligerent; nihil eos in materia fidei lateret. Quod cùm receptum sit à Theologis, nec ab aduersariis negatum, hoc loco probare opus nõ est. Pertinet enim hoc ad extraordinariam Apostolicæ Potestatis plenitudinem, vt vbique terrarum, cum plena iurisdictione singuli, quacunque data occasione & ex tempore docerent. Pertinet quoque ad confirmationem in gratia; vt sicut ab omni crimine, sic & ab errore omni immunes fuerint post acceptum Spiritum Sanctum, de qua re lege Tertullianum de præscriptionibus hæreticorum circa medium. At Apostolorum successores, nec singuli sed in Synodum legitimè collecti, vel ex communi aliorum collegarum fide docentes, hanc docendi infallibilitatem habent, (vt in Secunda Cõtrouersia docuimus) nec denique quantumcunque docti, omnia fidei mysteria intelligunt: sed iuxta illud doctissimi Patris August. dictum, *in ipsis Sanctis Scripturis plura nesciunt quàm sciunt.* Quod etiam Irenæus, præclarè contra superbos sui temporis hæreticos docet. F Quod ad secundum discrimen attinet, Apostoli quemadmodum à Deo in omnibus immediatè edocti erant, sic non solum in ipsa conclusione, sed etiam in mediis omnibus & dictis suis, infallibiliter veritatem docebant: sicuti Sacri Scriptores non solùm rerum gestarum substantiam, sed & circunstantias omnes infallibili veritate scripserunt, ita vt nec memoria lapsi fuerint, nec vel in minimis errauerint. Cuius rei causas ad Scripturas quod attinet (ne actum agamus) vide apud Melchiorem Canum locorum theologic. lib. 2. Quod autem de Doctrina Apostolorum diximus, ex eo verum esse ostenditur, quòd non solum doctrina ipsorum, sed & forma docendi atque argumentandi qua vsi sunt, firmissima censetur. Hinc enim ab exemplo Pauli, qui per Saram & Agar duo testamenta significari docuit; Ecclesia, reliqua quoque veteris testamenti facta similiter per allegoriam interpretanda esse, didicit. Vnde Augustinus. *Hæc*, inquit, *forma intelligendi de Apostolica Authoritate descendens, locum nobis aperit, quemadmodum Scripturas duorum Testamentorum accipere debemus.* Non sic forma docendi in Ecclesiæ doctrina semper in exemplum trahẽda est. Hoc enim si aliquando fit, vt ad exemplum Patrum vel Conciliorum, argumentari de rebus fidei viros doctos videamus, aduertendum est id fieri, quatenus doctores etiam sunt, non quatenus Pastores tantùm; & quatenus ex scientia theologica docent, non tantùm ex Pastorali Potestate decernunt illi, quorum hac in re exempla imitantur. De quo discrimine Pastorum & doctorum

Duplex discrimen inter Apostolos & eorum successores.

1. Apostoli ab omnibus etiam leuissimis in fide errore immunes.

Lib. 5. cap. 7. 9. & 11.

Epist. 119. c. 11.

Lib. 2. cap. 49.

Lib 2. cap. 3. & 17.

Ipsa forma docendi Apostolorum infallibilis erat.

Ad Galat 5.

De Ciuit Dei. Lib. 15. cap. 2.

A doctorum, plura alio loco. In quæ tamen imitatione, non fidei sed scientiæ tantum certitudo, *lib. 10. cap. 12. & 14.*
cui subesse falsum potest, comparatur.

Quod autem de Apostolis modo diximus, vt non solùm in doctrina, sed etiam in forma *Quare solis Apostolis peculiare hoc fuit.*
docendi infallibili veritate niterentur; peculiare hoc esse Deus voluit primis Ecclesiæ magi-
stris, ipsisque Spiritus Sancti Amanuensibus; tùm ad commendationem & propagationem 1.
necessariam nouæ tum temporis doctrinæ Euangelicæ, vbi omnia de nouo & absque duce 2.
præcedente Ecclesiæ doceri oportebat: tùm idque præcipuè, vt magistri posteriores non tam *Tria Apostolis propria.*
nouas à Spiritu Sancto reuelationes expectarent, quàm maiorum suorum maximéque Apo-
stolorum vestigiis & semitis inhærerent. Nam & ideo primis illis magistris solis concessum à 1.
Deo est, Articulos fidei de nouo condere & Ecclesiæ tradere; sacramenta promulgare; Scri- 2.
pturam Canonicam scribere. Successoribus Apostolorum hoc concessum non est: sed hæc 3.
omnia partim sua authoritate (respectu credentium) confirmare, & Ecclesiæ pro tempore exi- *Succedentis Ecclesiæ duo præcipua officia.*
stenti perpetuò tradere & consignare; partim si quid circa illa omnia dubium aut difficile
emergat, aperire & explicare. Hæc duo sunt succedentis Ecclesiæ præcipua officia. Itaque 1.
Apostolorum Authoritas fontana fuit successorum translata aut deriuata est, vt rectè docuit Tho- 2.
mas Vvaldensis Natura nihilominus ac substantia potestatis ac certitudinis, eadem est Eccle- *Doctrinal. fidei lib. 2. cap. 24.*
siæ nunc, & illius Apostolorum: sicuti fontis ac riuuli inde fluentis, eadem est in specie & bo-
nitate naturali aqua, nisi ab aliquo extrinseco immutetur: quod hic fieri non potest, quia sem-
per eundem Spiritum Sanctum magistrum, (tanquam formalem rationem puritatis & syn-
ceritatis tam fontis quàm riuuli,) successores habent, quem Apostoli ipsi habebant: licet in
B alio diuerso gradu.

Propter hoc autem discrimen, quia successorum Ecclesia in se & per se non cudit, sed tra- *Prima causa prædicti discriminis.*
dit ea quæ sunt credenda, agitque potius testem quàm authorem (nisi quatenus per Episco-
porum successionem perennem vna est & eadem hæc nostra cum Apostolica propriè dicta;
vnde & Apostolica in Symbolo Patrum hæc nostra nuncupata est; & sic in ipsis Apostolis hâc *Quare præsens Ecclesia est Apostolica.*
suam Potestatem exercuit, eámque adhuc habet, sed non vt exerceat; sicuti in senibus vegeta-
tiua vis animæ adest quidem, (est enim animæ potentia qua senes non carent) sed nutrimento *Simile.*
soli non omnino amplius augmẽto intendit: & sicuti in Deo est potestas nouas naturas creã-
di, licet nunc non creet;) quia inquam hac consideratione excepta, Ecclesia successorum te-
stis tantum est credendorum non etiam Author, vt erant Apostoli; hinc fit quòd pro ipsius in
docendo infallibilitate, satis fit quoad ipsam quidem fidem commendandam & conseruan-
dam, quòd eam infallibiliter tradat fidelibus, tanquam veritatem à suis propriis maioribus 1.
acceptam; aut tanquam gustum quem à fonte suo hausit, præter quem impossibile est vt sa- *Ecclesiæ infallibilitas est acceptam à maioribus doctrinã infallibiliter tradere.*
piat, cùm sit eadem aqua nec immutata: quoad dubia verò emergentia dissoluenda, & laten-
tem veritatem aperiendam; quòd conclusiones certas & infallibiles faciat, etsi ex argumentis
& mediis per se minimè interdum validis ad inducendum, tamen ad declarandum idoneis,
id faciat. Apostoli enim sicuti respectu Iudæorum, *messuerunt quod non seminauerunt* (semina- 2.
uerunt enim Patriarchæ & prophetæ, vbi de venturo Messia factis ac dictis prænunciarunt;)
ita respectu gentium & totius orbis, plantauerunt. Vnde disertè Apostolus *Ego plantaui, Apol-* *Cõparatio Apostolorum & Ecclesiæ succedẽtis.*
C *lo rigauit*. Apostoli fundamenta fidei posuerunt: Ecclesia succedens superædificauit. Vnde ibi-
dem Apostolus: *Vt sapiens architectus fundamẽtum posui, alius autem superædificat*. Denique Apo- *Ioan. 4.*
stolorum doctrina erat, *bonum illud semen quod seminatum est in agro dominico*, quæ est Eccle- *1. cor. 3.*
sia, *& crescit vsque ad messem*: & illud *verbum Euangelij, quod in omni mundo fructificat & crescit*: 1.
vt ait Apostolus. Crescit autem & fructificat hoc semen locupletius factum & auctius, non 2.
in se sed in acceptione credentium, nec aliqua nouitate mutatum, sed maiori luce & explica- 3.
tione adhibita illustratum. Hoc fidei proprium esse docent eleganter Sanctus Basilius, & *Matth. 13. coloss. 1.*
August. in libro de vnitate Ecclesiæ, & Tertullianus in libro de præscriptionibus. Et Vincen- *Doctrina fidei est semen, crescens & fructificans.*
tius Lyrenensis contra prophanas vocum nouitates cap. 30. Iam verò, quia in seminando,
plantando, fundamenta iaciendo, labore, sapientia, & omnimoda certitudine opus est, (vnde *epist. 79.*
de primis illis seminatoribus prædictis, Patriarchis & prophetis, ait Christus Apostolis. *Alij* *cap. 15.*
laborauerunt, & vos introïstis in labores eorum) Apostoli hanc certitudinem omnimodam *Ioan. 4.*
& sapientiam habuerunt, tam in mediis quàm in fine. Conseruare autem prius tradita; rigare
quod plantatum est; fouere quod iam in lucem editum est; superædificare fundamento iacto; *Quare Ecclesia succedens infallibili omnino in ipsis mediis certitudine non indiget.*
metere quæ alij seminauerunt; quia non tam præclara & exacta sapientia indiget, sed satis ha-
bet, si diligenter acceptis & semel traditis insistat; inde fit quòd Ecclesia succedens tanta cer-
titudine in ipsis mediis non dirigitur. Neque enim tanta argumentorum certitudine opus

est,aperire & explicare quod virtute in semine fidei latet,aliúdque ex alio deducere,quàm de D nouo rem penitus ignoratam explorare & docere. Sic enim & philosophi,positis prius maxima industria principiis quibusdam & axiomatibus,tanquam seminibus & fundamētis iactis, reliquam suam doctrinam multò facilius superextruunt. Atque hæc vna causa est,quare tantam infallibilitatem in ipsa forma & ratione docendi,successorū Ecclesia non desideret quantam ipsi Apostoli.

Altera causa.

Ecclesia est fidei schola non Scientiæ.

Marc. vlt.

Matth. vlt.

Huius autem rei & alia causa est. Ecclesia non docet ex arte,sed ex authoritate, nec de Deo & rebus diuinis,tanquam ex scientia theologica concludit,sed tanquam ex Pastorali potestate diuinitus accepta decernit. Neque enim scientiæ, sed fidei scholam Christus aperuit, nec ad probandum,sed ad prædicandum Euangelium discipulos suos misit. Et *docere* quidem iussit, sed ita vt testificando ac prædicando id facerent, non probando aut disputando. Quemadmodum ergo in naturalibus & moralibus,Philosophus quidem tunc persuadet,cū firma ac probabili ratione probat quod asserit:princeps verò aut legislator secularis non quidem contra aut præter rationem,tamen sine rationum & causarum explicatione, iubet &

Discrimē Theologi docentis & Ecclesiæ decernētis.

præscribit quod iubendum censet; eique obeditur iubenti,non auscultatur probanti,sic in supernaturalibus,theologus quidem tunc docet aut persuadet,quum ex arte & principiis disciplinę theologicæ,id demonstrat quod quæritur:Ecclesiæ verò Pastoribus & Magistris decernentibus creditur: non quia legitimè probantur quod decernunt, sed quia apertè decernunt & tradunt sic esse credendum, siue decretum suum ex legitimis mediis probasse nobis constet,siue non. Hæc est enim obedientia fidei de qua suprà disseruimus. Et hæc est causa quòd in Conciliis fere omnibus,conclusiones & decreta videmus:probationes & argumenta non E videmus. Non quia sine argumentis conclusum ab illis erat,sed quia non ex firmitate argumentorum,at ex suggestione Spiritus Sancti concluserunt. Quemadmodum enim factæ alicuius à Superioribus & iis qui in Authoritate sunt *dispensationis causam,ignorare debent, quibus illa vtilis futura est*,vt exemplis Petri & Pauli docet Chrysostomus,sic causas doctrinæ Ecclesiasticæ, à Magistris Ecclesiarum traditæ, expedit fidelibus ad maius & fidei & obedientiæ meritum,maiorémque etiam securitatem, ignorare. Quotus enim quisque est fidelium & maximè laicorum atque imperitorum hominum,(quorum est maxima turba) quibus causæ etiam optimæ satisfacient,si semel ipsa doctrina displiceat? Neque enim illi de causis & argumentis iudicare possunt. Itaque maxima cum fidelium vtilitate factum est,vt decreta Ecclesiæ essent certissima omnibúsque compertissima,media & probationes non item. In comparatione tamen prædicta,legislatoris iubentis & Ecclesiæ decernentis, discrimen est magnum inter ipsum principem seu legislatorem secularē,& inter potestatem spiritualē. Ille enim vel contempta ratione tyrannicè iubere, vel etiam cōsulta ratione,(quæ est anima legum omniū humanarum)ex ignorantia cæcutire,vel denique contra fidem & diuinam religionem,rationis regulam sequutus,leges ferre potest. Quo in loco locum habet illa exceptio, quòd *plus obedire oportet Deo, quàm hominibus*. Ecclesia verò, quia non ratione,sed Authoritate, assistētia, & prouidentia diuina nititur; eámque infallibiliter promissam habet,nec præter veritatem, nec erroneè,nec contra Deum vllo modo decernere potest. Quę causa est quòd prædicta illa exceptio(quam hodie tamen aduersarij frequenter vsurpant)cōtra Ecclesię dogmata perinde F valere non potest,sicut contra principum seculariū leges & mandata valuit. Hæc etiam causa est,cur in ratione credendi securi esse debemus;quàm dexterè aut solidè suis mediis Ecclesia vsa fuerit,ad aliquod fidei dogma concludendum. Etsi enim non aptè semper & propriè illis vtatur,tamen falsis nunquam aut erroneis mediis nitetur;sed huiusmodi & eo modo adhibebit,vt à recta conclusione non excidat vnquam;quòd nobis satis esse debet. Hic enim semper meminisse debemus, agi de fide:quæ non demonstratione ad videndum, sed reuelatione ad credendum profertur;non ratione sed Authoritate nititur,nec argumentis,sed testimonio cōprobatur. Et idcirco,si alicui conclusioni in materia fidei,propter Media tantū & argumenta quibus probatur, assentirem; assensus ille meus, non fidei assensus sed scientiæ habitus esset. Aliud verò est de scientia ipsa rerū diuinarū, quæ Theologica dicitur. Illa enim fide præsupposita,etiā de mediis & argumētis inquirit;vel quibus ipsius Ecclesiæ sentētia nitatur,vt quod credimus intelligamus,quantū in hac vita intelligere datur;(quod tantùm ex parte fit,& in ænigmate per speculum)vel quibus ipsa fides ab aduersariorum argumentis defendatur,& non esse improbabilis ostendatur. Quod quidem propriè ad disputationem & scientiam theologicam pertinere docet S. Thomas in procemio lib. 1. & 4. contra gentes, & aliàs. Hoc ergo sensu infallibilis est veritatis Regula Ecclesiæ docentis vox;& hæ sunt huius sensus causæ.

Demon-

Cap. 10.

Quare Conciliorum extant decreta non argumenta.

In epist. ad Gal. cap. 2.

Discrimen in decreto Ecclesiæ & Principis secularis.

Act. 5.

Impia Protestātium exceptio contra Ecclesiam.

Quare securi esse debemus de Ecclesiæ Doctrina.

Vide supra cap. 9.

1. Cor. 13.

A

Demonstratio quòd vox docentis Ecclesiæ non sit merè humana, sed suo modo diuina, ex discrimine legum & scientiarum omnium.

CAPVT XVI.

TERTIA pars Axiomatis siue propositionis illius in qua de Ecclesiæ docentis voce, qualis in seipsa sit * supra inuestigare cœpimus, hæc erat. *Cap.6.

Iudicium siue testimonium docentis Ecclesiæ, medium est ad credendum non merè humanum, sed diuinum. *Assertio docenda.*

Hoc necessaria & accurata demonstratione indiget; quia hæretici, seu protestantes hodie, opponunt semper Scripturas Ecclesiæ; verbum scriptum interpretationibus probatorum Patrum, & decretis Côciliorum, ac Romanorum Pontificum; tanquam vnicum Dei verbum, mandatis & doctrinis hominum. Sic enim in Confessione Augustana vrgentibus Catholicis illud Christi: *Si Ecclesiam nô audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Item illud. *Quæ dicunt facite, &c.* aliaque similia; opponunt statim & respondent. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Item illud. *Sine causa me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum*: & alia his similia. Quasi nimirum Catholicæ Ecclesiæ vox, siue in consensu totius orbis Christiani; siue in Regula fidei omnibus notissima; siue in doctrina legitimi Pastoris vnitatem retinentis, & ex communi fide docentis; siue in decretis Conciliorum, siue in probatorum Patrum consentiente sententia; siue denique in iudicio Sedis Apostolicæ (tot enim modis Ecclesia Catholica loquitur; vt in superioribus controuersiis ostensum est:) merè humana sit, & *de mundo hoc*: (vt Saluator & Apostolus de humana sapientia loquuntur) Dei videlicet Spiritu destituta; & humanis tantùm vel legibus instituta, vel consiliis instructa; sicuti sunt Philosophorum placita, doctorum hominum priuata iudicia, principum huius seculi instituta, leges denique & consuetudines humanæ, siue gentium omnium siue ciuiles. Enimuerò, nihil isti diuinum agnoscunt, nisi quod in Propheticis & Euangelicis literis expressum continetur. Videndum est ergo, an quod Ecclesia docet, & quod per vocem Ecclesiæ fidelibus innotescit, tanquam doctrina merè humana censenda sit. *Hæreticorum hodie vulgaris error.* *Matth. 18.* *Matth. 23.* *Act. 5.* *Matth. 15.* *Lib. 5. cap. 6. & 7.* *Ioan. 4. & 17.* *1. Cor. 2.*

B

Dicimus vocem docentis & attestantis Ecclesiæ non merè humanam esse, sed potius suo modo diuinam: vt videlicet quod Ecclesia iudicat, determinat, & definit in causa fidei; illud non pro humano, sed pro diuino decreto & iudicio, à cunctis fidelibus accipiendum sit. Vt hæc propositio solidè demonstretur, paulo altiùs eius demonstrationem inuestigabimus. Est enim cognitu maximè necessaria, & totius religionis nostræ (nô quidem in se, sed quo ad nos) basis & fundamentum: vel, vt cum Apostolo certiùs loquamur, *columna & firmamentum.* Vt ergo Ecclesiæ vel docentis & prædicantis vox, vel tradentis & asserentis testimonium, vel in dubiis determinantis iudicium, vel qualiscunque tandem potestas & authoritas in iis quæ ad fidem pertinent, humanum aliquid vel diuinum censeatur; considerandum est qua ratione & quibus ex causis, vox, testimonium, iudicium aut sententia aliqua, vel humana sit vel diuina. Iudicium autem vel sententia, verbum vel testimonium prolatum; quum sit legis aut luminis alicuius effectus, tanquam regulatum à sua regula: verbum aut vox erit humana vel diuina, quæ vel à lege vel lumine, humano vel diuino proficiscitur. Quod enim est in practicis lex; hoc est in speculatiuis seu scientiis lumen. Videndum ergo quæ sit vera & intrinseca ratio, siue legis siue scientiæ diuinæ & humanæ. *Propositio.* *1. Tim. 3.* *Probatio.* *Vnde Sententia aliqua censenda sit diuina vel humana.*

C

Verum itaque discrimen & formale legum ac scientiarum omnium diuinarum & humanarum, nec à principiis nec ab vltimis finibus earum sumitur; sed potiùs à modo & conditione cuiusque. Principium enim vt in praxi legum omnium, lex æterna; sic in speculatione sciētiarum omnium, lumen æternum in mente diuina est. Nam vt à lege æterna, quæ est summa ratio in mente diuina, *quia iustum est omnia esse ordinatissima* (vt definit Augustinus in libris de libero arbitrio) deriuatur tanquam à fonte perenni, ad naturalem cuiusque rei finem consequendum, in rebus quidem inanimatis [vel etiam animatis, sed viuentibus tantùm vita vegetatiua] inclinatio naturæ; in animatis sensitiuis instinctus naturæ; in rationali verò creatura, *Lex æterna quid.* *Lib. 1. cap. 6.*

Lex Naturæ. *Lumen Naturæ.*

Lex naturæ *scripta in cordibus* humanis, de qua ad Rom. 1. agitur; quæ sine vlla disciplina & lege externa, sine vllo etiam discursu, videlicet simplici intuitu principia bene agendi, & principiis proxima; vt decalogum, aliáque similia; sic à lumine æterno & totius veritatis lucidissimo fonte, deriuatur similiter in rationali creatura tantùm (nam cætera animantia motus non item luminis participia sunt) lumen naturæ; quæ est vis rationis, ad intelligendum simplici intuitu & sine discursu, principia scientiæ naturalia; & quædam etiam principiis proxima, quæ Axiomata, Pronunciata, Maximas, & dignitates scholæ philosophorum vocant. De hoc naturæ lumine, quia ab æterno illo deriuatur, dixit propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Psal. 4. D

Leges, præcepta, Scientiæ, conclusiones naturæ sunt.

Rursum vt leges humanæ nihil aliud sunt, quàm præcepta discurrendo deducta ex lege naturæ, & principiis proximis; sic humanæ omnes scientiæ, quæ naturales vocantur aut morales, nihil aliud sunt quàm conclusiones discurrendo deductæ, ex principiis illis & axiomatibus naturæ.

Ex lege Naturæ Ius gentium. *Ius ciuile aut positiuum.* *Ex lumine naturæ Scientiæ Speculatiuæ.*

Præterea quemadmodum ex lege naturæ, per modum quidem naturalis illationis, ortum est ius gentium (quod omnes mortales sine vlla legislatione amplexi sunt, & ex principiis naturalibus per modum conclusionis ratiocinati sunt:) per modum autem arbitrariæ cuiusdã determinationis, [videlicet determinando in specie & particulariter his locis, & his hominibus, & huic tempori, quod generaliter tantùm lex naturæ & gentium dictabat,] ortum est Ius ciuile; aut municipale, aut prætorium, aut aliud quiduis positiuum ius humanum, vt Senatus consulta, plebiscita, & huiusmodi: sic ex lumine naturæ ortæ sunt omnes scientiæ quæ ad meram speculationem pertinent: sed per modum naturalis illationis tantùm non etiam arbitrariæ determinationis, vt in legibus agẽdorum. Cuius discriminis causa est, quòd omne verum est necessarium & immutabile, ideóque sola demonstratione & ratiocinatione inuenitur: bonum verò humanum (nam de eo adhuc tantùm agitur) est mutabile; nec ex se sed ex obiecto suo, fine, circunstantiis, æstimatur; ideóque arbitrio opus habet, & variationem subit. E

Ratione originis omnia ex Deo.

Ex his itaque apparet, ratione originis, radicis, & principij à quo promanant, non differre legem aut scientiam diuinam & humanam; sed vtramque ex Deo esse, vtramque à lege & lumine æterno deriuari. At verò, in modo, & in conditione explicationis, seu positionis qua vnaquæque lex fertur, aut scientia addiscitur, discrimen magnum est. Nam vt in legibus, alia per modum naturæ sine discursu, ex solo simplici intuitu rationis, procedit; alia per modum discursus, vi ratiocinandi atque actione & agitatione quadam ipsius naturæ; alia demùm ex arbitrio & consensu humano vt ostensum est; sic scibilium, alia simplici intuitu intelligentiæ, alia per discursum cognoscuntur. Hoc sanè respectu, leges humanæ vel quatenus ex lege naturæ (quæ legis æternæ participatio est) deducuntur, vel quatenus ex authoritate legitima aut populorum aut regum, (quæ *potestas à Deo est*,) feruntur, quodammodo diuinæ sunt, vt & *qui his resistit, Dei ordinationi resistat*, & qui illas violat, in Deum peccet. Veritas quoque scientiarum omnium, vt certa & euidenti ratione nititur, à lumine æterno profluenti, diuina quodammodo est: vt propterea verum omne [non quidem semper ignorare, defectus aliquando enim ille inuoluntarius est, sed] agnitum seriò negare, etiam in re minima semper peccatum sit, vt accuratè docet Augustinus. Humanæ nihilominus [simpliciter loquendo] vtræque censentur & sunt; quia per modum & media humana, leges prolatæ & scientiæ acquisitæ sunt: quia ratione explicationis & positionis, vel ex ratione & discursu humano, vel ex arbitrio & consensu hominum, extiterunt. F

Leges humanæ aliquo respectu diuinæ. ad Rom. 13. *In lib. contra mendacium.*

Discrimen Legum ex parte finis.

Iam verò, proximo quidem fine differunt diuinæ & humanæ leges, quia humanæ pro proximo suo fine commune tantum reipublicæ bonum & humanum bonum habent, diuinæ verò seu leges seu scientiæ proxime & immediatè Deum ipsum, & cætera vt referuntur ad Deum spectant: vltimo tamen fine, vt multi volunt, conueniunt; quia etiam humanæ leges, etsi non ex intentione legislatoris, aut vi ipsarum legum, ad Dei honorem, aut ad animæ salutem quicquam conferunt, tamen quatenus à lege naturæ & proinde æterna profluxerunt, faciunt actus particulares bonos, & propterea quantum in se est ad principale bonum [quod Deus est] ordinabiles quum sint, eatenus virtualiter, vt loquuntur, ad ipsum Deum referuntur. Hinc enim fit quòd opera purè moralia sint interdum bona, & veræ virtutes; vt docent probabiliores scholastici. Similis est scientiarum ratio in genere.

S. Thomas 2. quæst. 23. art. 7.

Vt ergo verbum, lex, aut sententia aliqua diuina censeatur vel humana, nec ex ipsa prima

A prima origine,nec ab vltimo eius fine sumenda distinctio est. Sed discrimen & distinctio vel alicuius iudicij & sententiæ in speculatiuis,vel alicuius actus in practicis,à modo & conditione cuiusque sumitur.

Quod nunc exemplis demonstrabitur. Eadem nempe lex, idem verbum, idem præceptum, propter diuersum eius modum & conditionem, est & dicitur vel naturæ, vel gentium, vel ciuile, vel etiam diuinum. Verbi gratia in practicis. *Non furtum facies*, quando simplici intuitu absque discursu cognoscitur, (vt in natura vel integra vel non nimium corrupta) naturæ lex & præceptum dicitur: *Idem præceptum propter diuersum modum, est naturale, Iuris gentium, ciuile & diuinum.*
Quando per modum illationis ex altero principio colligitur, vt ex 1.
eo, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, Ius gentium est. Quando lege lata cauetur, Ius ciuile 2.
est. Quando in Decalogo à Deo tradito præcipitur, Ius diuinum est & verbum Dei. Sic etiã 3.
actus huius præcepti, qui est suum cuique reddere, quãdo absque vlla humana disciplina ob- 4.
seruatur, actus est naturalis, hoc est sola natura duce & magistra elicitus: de quo genere Apo-
stolus dixit. *Naturaliter ea quæ sunt legis faciunt*. Quando ex consuetudine & more hominum 1.
obseruatur, actus est moralis ex iure gentium. Quando propter iubentem legem obseruatur, ad Rom. 1.
actus est ciuilis. Quando propter Deum iubentem obseruatur, actus est diuinus & æternæ vi- 2.
tæ meritorius. Similiter in speculatiuis, propositio illa, *vnus est Deus*, vt naturæ lumine siue dis- 3.
ciplina cognoscitur principium est scientiæ potius quàm scientia. Vt per hæc visibilia cogno- 4.
scitur, ex quibus ortum capit scientia humana, pertinet ad naturalem scientiam. Vt per lumen gratiæ reuelata, pertinet ad fidem, & est supernaturalis siue theologicæ scientiæ obie-
B ctum. Nam & ipsa supernaturalia aliquando à sapientibus naturali scientia cognoscuntur, & à fide præsupponuntur (vt docet Sanctus Thomas secunda secundæ quæstione prima ar- *Eadem propositio diuerso respectu principium scientiæ, Scientia humana & Theologica est.*
ticulo quinto) & quæ naturaliter cognosci possunt, aliquando propter infirmos per gratiam 1.
miraculosè reuelantur (vt idem Sanctus Thomas docet) & tunc ex fide creduntur, non sciun- 2.
tur. Ex quibus omnibus patet, illa ad virtutes morales & scientias naturales pertinere, quæ 3.
per modum naturæ aut disciplinæ humanæ, vel aguntur vel sciuntur. 1. Secundæ quæst. 190. art. 1.

Illa vero diuina esse tam in scientia quàm in moribus, quæ per modum diuinæ reuelationis, id est, quæ à Deo proximè & per se procedunt. Sic enim licet omnis potestas secularis magistratus à Deo sit, vnde Sapiẽs, *per me Reges regnant*, quod & Apostolus docet ad Romanos Prou. 8.
decimo tertio, tamen quia non immediatè per diuinam institutionem, sed per legem naturæ descendit; quæ homines in societate aliqua victuros, alicui certæ potestati subiici, ad societatem illam conseruandam docuit; diuina illa potestas non est sed humana: vt propterea Petrus 1. Petr. 2.
talem potestatem *humanam creaturam* vocauerit: hominum videlicet consensu, arbitrio, consilio proximè institutam. Si qua ergo potestas est immediatè à Deo collata, si quis virtutis actus, si qua scientiæ propositio est à Deo, id est, per modum à Deo siue extra ordinem, siue specialiter institutum procedens; erit illa potestas, virtus, sententia diuina non humana: siue *Ecclesiæ vox quare diuina.*
hominum ministerio tradatur, vt decalogus ipse populo per Moysem, siue Angelorum, vt ipsi Moysi à Deo datus fuit, siue denique immediatè, vt pleráque prophetis & Apostolis reuelata sunt. Sic enim Ecclesiæ vox, iudicium, Doctrina, etsi per homines administretur, tamen quia Deo ipso hos homines mittente, & hanc illis potestatem (non per media huma-
C na, non per discursum aut arbitrium hominum,) sed per seipsum & per Sacramentum à se institutum conferente, talis potestas exercetur; profecto illa omnis potestas, & quæ ab illa potestate tanquam huiusmodi promanant, diuina erunt non merè humana. Regum enim potestas aut alia quæcunque humana, non ideo humana censetur & est, quia humanum commentum aut inuentũ est habere reges in mundo, (est enim sanctissima Dei ordinatio & voluntas) sed quia potestas illa mediante lege naturæ, siue ex dictamine rationis hominibus *Regum potestas quare humana.*
à Deo insitæ, per homines instituta est, & à Republica facta est. Ecclesiæ autem potestas non ex lumine naturæ, per Rempublicam aut hominum consensum facta est, (vt quidam scholastici opinati sunt Gerson & qui eum sequuntur, de quo vide Dom. Soto in 4. senten. distinct. 20. quæstio. 1. articu. 4. & distinct. 18. quæst. 1. articu. 1.) sed immediatè per Deum ipsum & Christum eius, suprà & præter naturam instituta est. Non enim toti corpori aut communitati fidelium, sed certis personis, certo sacramento initiandis, & specialiter vnctis, *Quare potestas ecclesiæ ab hominum consensu non pendet.*
Christus in Euangelio omnem Ecclesiasticam potestatem commisit, vt in secunda Controuersia docuimus. Ambæ igitur à Deo procedunt, & neutra ipsarum humanum commentum Lib. 5. cap. 2. & 5.
est (vt de Ecclesiæ doctrina & legibus, non solum impiè sed etiam stultissimè loquuntur hodie hæretici) sed aliis atque aliis modis. Vna mediante lege naturæ & hominum consensu

altera immediatè à Deo,& per ipsam Dei proximam ordinationem. Atq; ideò,hæc eatenus diuina est non humana;illa verò merè humana. D

Quòd doctrina Ecclesiæ est diuina,licet leges Ecclesiasticæ eo modo diuinæ non sint.

CAPVT XVII.

Quæstio grauis.

QVAERITVR tamen adhuc, quum doctrina Ecclesiæ per Dei quidem ordinationem immediatam tradatur, non tamen ab ipso Deo vel per ipsum Deum aut Christum eius, (qui est instrumentum diuinitati coniunctum vt brachium corpori,ideóque quod Christus tradidit, meritò Deus tradidisse censeatur,) sed per ministerium vel Angelorum, vel hominum; quare humana non dicatur ac censeatur,æquè ac in aliis rebus,illud naturale aut ciuile censetur,quod per naturæ lumen,aut per ciuium consensum à Dei tamen æterna lege deriuatum,institutum est? Vtrobique enim Dei ordinatio apparet, & vtrobique medium non diuinum conspicitur. Quare ergo Angelicum aut humanum, in causa religionis æquè non vocatur,quod Angelorum & hominum ministerio affertur; sicuti naturale aut ciuile habetur,quod per naturæ aut ciuium operationem est allatum? Aut si propter potestatem à Deo immediatè acceptam,diuina sunt omnia quæ ab illa procedunt,erunt ergo diuinæ etiam leges Ecclesiæ,quæ ad mores formandos & ritus pertinent. Hæ autem leges à iure diuino tam purè diuino quàm positiuè diuino distinguuntur,& ius merè positiuum seu humanum esse censentur,quia non à Deo sed ab hominibus, potestate humana licet diuinitus accepta,latæ sunt. Hæc enim omnium scholasticorũ sententia est, etiam eorum qui Ecclesiasticæ potestati in hoc genere plurimum tribuunt,eámque non solùm in declarando ius diuinum(vt Gerson & qui eum sequuntur,tradiderunt) sed etiam in condẽdo de nouo ius ac leges quæ antea nullo iure fideles obligabant, & in determinando in particulari generalia Dei præcepta,eadémq; interpretando,valere volunt. Quare ergo sicut leges Ecclesiæ circa mores & ritus,leges positiuæ seu humanæ,idest non diuinæ,sed contra diuinas ex opposito condiuisæ censentur;sic etiam decreta Ecclesiæ circa doctrinam fidei,humana quoque & positiua nõ censentur,sed vt nos dicimus diuina? Satis ardua & difficilis hæc quæstio multis visa est. Sed aliorum sententiis prætermissis,breuiter respondemus. Ratio discriminis est, primùm quoad vtrasque,tùm merè humanas seu ciuiles tùm ecclesiasticas leges;quòd in vtrisque legislatores ipsi sunt causæ mediæ per se agentes,& vi quadam propria ac sua leges instituunt, licet aliunde deriuata hæc vis sit:sicuti riuuli aqua ex fonte scaturiens riuuli tamen propria est; & virtus generandi in animalibus & germinandi in arboribus à Deo quidem recepta est, ipsis tamen propria est. Nam in iure gentium & ciuili per discursum rationis,per arbitrium, & cõsensum prorsus humanum (quæ sunt facultates hominis propriæ) fiunt leges. In legibus quoque ecclesiasticis ferendis,humanum arbitrium & consensus,determinantia his locis, hominibus,ac temporibus,certas leges interueniunt. Valent enim & obligant leges ciuiles & ecclesiasticæ, non quia immutabili sapientia feruntur,sed quia vtræque leges, per potestatem condendi leges à Deo acceptam,latæ sunt. Itaq; hac in re agit Ecclesia non vt testis veritatis infallibilis,sed vt *Pastor & prudens paterfamilias,dans cibum in tempore*,iuxta prudentiam pastoralem;tempori, loco,& personis conuenientem. Denique ad clauem iurisdictionis, quæ scientiam discernendi adiunctam necessariò habet,hoc officium pertinet. Huius autem generis præcepta adeo humana sunt,vt sint etiam idcirco dispensabilia; non autem perpetua & æterna sunt, sicuti quæ à Deo & Christo,tanquam propria nouæ legis præcepta lata sunt. Hæc enim quia diuina,ideo immutabilia: ideóque sic se habent ad Ecclesiæ præcepta, sicut lex naturæ aut gentiũ ad leges ciuiles. Hac etiam de causa in alio genere sunt præcepta illa morum, quę Apostoli ipsi & Euangelistę vt testes atque prędicatores verbi Dei vel scripserunt vel tradiderunt, & alia illa quæ vt Pastores & gubernatores Ecclesiarum, ipsimet tulerunt. Quale illud erat *de suffocato & sanguine non comedendo,de dispari coniugio fidelis & infidelis tolerando*, aliaque nonnulla. Cum his enim,quia humana erant,dispensatum est à sequentibus Ecclesiæ Pastoribus. Cum illis aliis dispensari nunquam poterit. E F

Ecclesiæ leges à præceptis diuinis aut dogmatibus fidei distinguũtur vt ius positiuum à diuino.

Responsio.

Quare leges Ecclesiasticæ & ciuiles obligant.

Lucæ 12.

Aliter de fide iudicat, aliter leges fert Ecclesia.

Apostoli diuerso respectu decreta tulerunt.

Act.15.
1.Cor.7.

Quanquam

A Quanquam tamen inter ciuiles & Ecclesiasticas leges (ne pari prorsus ratione humanæ ambæ esse putentur) duplex discrimen est; Primum, quòd leges Ecclesiasticæ, etsi humanæ sint; tamen non sunt tales ratione principij quasi in ferendis legibus, errore aut ignorantia laborare possit Ecclesia; [Spiritus enim Sancti certa & perpetua directione etiam in hac re nititur] sed tantùm ratione obiecti, vel scilicet materiæ circa quam versantur, quæ indifferens ex se est ad salutem, non absolutè necessaria; vel ipsorum hominum quibus feruntur, quibus propter varias locorum, temporum & personarum circunstantias non idem semper vtile, aut necessarium est: ideóque leges morum illis latæ mutabiles & temporariæ, non æternæ & indispensabiles sint necesse est. Leges autem ciuiles quia non solùm mutabiles ex parte obiecti vtraque ratione sunt, sed etiam erroneæ & noxiæ ex parte principij & legislatoris esse possunt, ideo duplici nomine humanæ sunt. Aliud discrimen est quòd leges Ecclesiasticæ, propter curam & salutem animarum, ad quas proximè diriguntur, & potestatem super illos immediatè à Deo acceptam, definire possunt, quid sub venialis quid sub mortalis peccati pœna seruandum sit. Ciuiles autem tantummodo in certa specie virtutis, vt obedientiæ, fortitudinis, & similium constituere opus possunt. An autem eius operis & præcepti transgressio sit venialis aut mortalis; ex natura rei, non ex voluntate principis iudicandum est: quod secus fit in Ecclesiæ legibus. Hæc obiter, ne breuiùs aliqua, ideóque obscuriùs dicta, erroris causam minus perito lectori darent. Sed quod ad rem præsentem attinet, quia Ecclesia in ferendis suis legibus quæ ad mores & externum Dei cultum pertinent, prudentia & arbitrio humano vtitur, (non tamen sine directione Spiritus Sancti) ideóque vi quadam sua & humana agit, fit

Leges ecclesiasticæ & ciuiles non sunt similiter humanæ.

B vt illæ leges humanæ censeantur, & sint. At verò Angelorum vel hominum ministeria, reuelantia aut testificantia nobis ea quæ ex Deo procedunt, in ratione fidei, non sunt media aut causæ per se agentes; aut quæ aliqua vi sua, puta per ingenium, discursum, aut arbitrium humanum ea quæ sunt fidei inueniant; aut de nouo verum faciant quod antea verum non erat (quod enim fidei est, æterna est & immobilis veritas in seipsa, licet quoad nos tunc fidei esse incipit cùm traditur & promulgatur; Ideóque in moribus condit Ecclesia de nouo leges, * fidem de nouo non condit; sed veterem promulgat, vt à nobis acceptetur:) sed per modum puri instrumenti se habent, quoad promulgationem suam & acceptationem nostram. Instrumenti autem liberi quidem & non bruti (ideóque per modum agentis se habent, non tantùm materialiter vt cæteri qui discunt; sicuti docet Sanct. Thomas) tamen quantum ad illud totum quod ministrant, veritatem scilicet reuelatam; non per aliquam formam propriam vt dictum est, sed prorsus atque omnino per virtutem principalis agentis agunt: qui ad hoc eos assumpsit vt testes & nuncij essent voluntatis suæ, qualescunque illi tandem in seipsis sint, boni vel mali, sapientes vel insipientes, facundi vel rudes. Hinc enim fit quòd etiam impius qui non assimilatur principali agenti Deo, nisi in communi imagine naturaliter indita, nihilominus tùm docendi & prædicandi omnem veritatem, tum sacramenta omnia administrandi idoneus minister esse possit, vt in secunda Controuersia probatum est.

Clarum discrimen inter decreta fidei & leges de Moribus.

* Vide huius discriminis illustre exemplũ ex Athanasio, infrà lib. 11. cap. 6. versus finem.

2. 2. quæst. 1. art. 7. ad 3.

Causa intrinseca quare malè Ministri ministerio fungi possunt.

Quanquam etiam magis est purum, & quodammodo passiuum instrumentum, minúsque adhuc sua vi aliquid agit, minister verbi quàm sacramentorum. Nam minister sacramen-C torum ita agens est minister, vt saltem intentio ministri, vt minimùm virtualis & præsupposita, sit ad sacramenti conficiendi essentiam planè necessaria. At in ministerio verbi & doctrinæ, non solùm absente tali intentione, sed etiam contraria intentione præsente, tamen, fit legitimum ministerium & audientibus salutare. Hoc enim est quod Apostolus dicit, *gaudere se dum omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus prædicetur*, vt alibi explicuimus. Et facit hoc totum vt tanto magis sit diuina, Ecclesiæ docentis vox. Quanto enim minus per se & ex se Ecclesia agit, tanto magis Deus per illam agit. Et quemadmodum in ministerio sacramentorum ideo intentio ministri est necessaria, quia ex parte Ministri humanus actus est, sic in ministerio verbi, ideo intentio ministri non est necessaria, quia ex parte docẽtis Ecclesię, diuinus actus est. Non enim homines sed Deus per homines loquitur. In sacramentis verò minister verè baptizat, verè absoluit, &c. & ipsa sacramenta verè conferunt continẽntq; gratiam. In doctrina & voce Ecclesiæ non ita. *Vnus est enim Magister Christus, qui verè docet.* Sed per ministros suos. *Vnus est spiritus*, qui per homines *loquitur*. *Vnus est filius hominis*, qui per seruos suos *seminat*. Homines organa tantũ sunt, iuxta illud Psalmi: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Sic ipsius Balaam & asinæ eius vox, erat vox Dei. Vox Caiphæ erat vox Dei. Vox Pharisæorum bona dicentium & mala facientium, erat vox Dei. *Sacerdos enim* (ait Chrysostom.

Lib. 5. cap 10.

Minister verbi magis passiuum instrumentum quàm minister Sacramentorum.

Philip. 1.

Lib. 5. cap. 10.

Ecclesiæ vox est ipsius Dei vox, ideóque diuina.

Matth. 13.

Matth. 10.

Matth. 13.

Psal. 44.

Num. 22.

Ioan. 18.

Math. 23.

Chrysostomus. Hom. 2. in epist. 2. ad Timoth.) *Angelus Domini est, nihil ex seipso loquitur. Si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinauit.* Denique hoc est, quod per Ezechielem de malis Pastoribus Deus dixit. *Ego pascam oues meas*: vt alibi ex Augustino explicuimus; quia nimirum non homines sed Deus in hominibus pascit. Sic Ioannes Baptista *vocem* se esse dixit *clamātis in deserto*. Et tamen doctrinam eius *non ex hominibus, sed ex cælo fuisse* docet Saluator. Nempe *quia missus erat à Deo*. Sic iudicium Ecclesiæ vox quidem est clamātis in deserto huius sæculi, ex cælo tamen & cælestis est, quia *à Deo missa in mundum* Ecclesia est, *vt doceret omnes gentes*. Nēpe hæc *est illa manus Domini quæ tetigit os Hieremiæ*. Hic est ille *calculus quem tulerat Angelus de altari & tetigit os Esaiæ*. Vt pulchrè describit Philastrius in lib. de hæresibus. Hoc est *volumen illud quod comedit Ezechiel, vt loqueretur ad filios Israel*. Denique hæ sunt illæ *linguæ igneæ descendentes in Apostolos, & in alios 120. discipulos præsentes*, id est, in omnes Ecclesiæ Magistros; vt intelligeremus eorum vocem de cælo esse & diuinam, non de terra & humanam. *Loquebantur enim prout Spiritus dabat eloqui illis*. Sic post eos Ecclesia in suis magistris loquitur, non prout ipsi volunt; non ex ratione & sensu humano, sed *prout Spiritus veritatis qui manet cum ea in æternum, dat eloqui illi*. Et hic *Spiritus Dei non recedit de ore Ecclesiæ. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.* Et hoc denique est, quod S. Hieronymus dicit, *Hæreticos non habere Dei Euangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum est Euangelium quod docetur.* Hæc ille. Hæc enim de causa vocatur *verbum Dei gladius Spiritus*, quia nisi Spiritu S. suggerente & docente, inspirante & interpretante eductus fuerit, gladius furoris, telum venenatum, & Satanæ verbum fit. Quamobrem (vt rem totam concludamus) sicuti per Angelos Moysi, & per Moysen populo data; lex diuina erat nō Angelica aut humana; licet *in dispositione Angelorum Moyses eam acceperat*, & Moyses eius ad populum minister, homo esset: sicuti vaticinia Prophetarum & præcepta Apostolorū sunt diuina, licet ipsi homines essent (seruata tamen quoad Apostolos, distinctione superiùs data:) sic Ecclesiæ doctrina, iudicium, testimonium, vox in causa fidei, diuina quoque est; licet homines ipsi sint, & interdum non optimi, qui Ecclesiæ præsunt, & per quos Deus loquitur.

Marginalia: Ezechi. 34. Lib. 5. cap. 10. Matth. 1. Luc 10. Ioan. 1. Matt. vlt. Ioan. 17. Hierem. 1. Esaiæ 6. Hæres. vlt. Ezech 2. Act. 2. Act. 2. Ioan. 14. Esaiæ 59. 2. Petr. 1. Hæreticos nō habere Dei euangelium. In commentar. ad Galat. ca. 1. Ephes. 6. Act. 7.

Ecclesiæ docentis vocem esse diuinam ex scripturis demonstratur.

CAPVT XVIII.

QVOD quidem hactenus rationibus Theologicis inuestigatum, vel explicatum potius, nunc scripturarum authoritate breuiter demōstratur. Nam magna ex parte hoc iam antea factum est, quum de supposita necessitate vocis Ecclesiæ ex Dei ordinatione, suprà ca. 8. & de obedientia fidei, ca. 10. disputauimus. Christus cum Apostolis diceret, *Qui vos audit, me audit*, apertissimè docuit vocem Ecclesiæ magistrorum, esse vocem Dei. Sed inuertit hæc Christi verba, nósque propter sensum iam dictum, *asinos & stolidos*, vocat Melanchthon in repetit. Confessionis Augustanæ. Ait enim. *Qui vos audit me audit: id est verbum meum non vestrum loquimini.* Intelligit autem verbum scriptum. Sed hoc commentū verba ipsa euertunt. Neque enim adhuc scriptum erat verbum istud, quod nunc Scripturam vocamus; neque Scripturam audimus quatenus Scripturam, sed legimus; neque prædicatio Apostolica alia est, quàm vox audita. Hanc vocem Christus esse suam dicit, qua per Apostolos loquitur. Sic Ecclesiæ vocem, Dei vocem esse dicimus, quia Deus per Ecclesiam loquitur; & quia Ecclesia non suum sed Dei verbum, infallibiliter accipit, tenet, docet. Præterea, manifestè dixit Christus hæc verba in eum finem, vt Apostolorum authoritatem declararet & cōmendaret; ideóque statim adiunxit. *Qui vos spernit me spernit.* Debēt ergo illa verba, *Qui vos audit me audit*, similem sensum habere; neque sic intelligi quasi præscriberent Apostolis, quibus verbis, in docendo vti deberent scripto videlicet vel scribendo potius Christi verbo; vt iste nugator intelligit, (hoc enim & alibi eos perspicuè docuit, & hic nihil minus tractat) sed sic intelligi, vt euidēter demonstrēt, quantā verbis Apostolicis, & cōsequenter aliis Ecclesiarū magistris ipsorū successoribus, (alioqui enim stultus iste cauillator nihil de his verbis solicitus esset) authoritatē deferre atque tribuere debeamus. Et dicit Christus, sic illos esse audiēdos, & cum tāta autho-

Marginalia: Lucæ 10. Cauillatio Melāchthonis eluitur. 1. 2. 3. 4.

A authoritate ac si Christum ipsum loquentem audiremus. Hæc propter Malancthonis cauillum paulò verbosiùs.

Ad alias nunc Scripturas pergamus. Apertissimè idem Apostolus ad Thess. docuit. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum sed, sicuti verè est, verbum Dei.* Ex his verbis, Aug. verbum Apostolorum verbum Dei esse ostendit. *Non*, inquit, *propterea non est verbum Dei, quia dictum est verbum Apostolorum, sed ideo verbum Dei quia Deus id donauit. Ideo verbum Apostolorum, quia Deus illis primitùs ac præcipuè prædicandum commendauit.* Hæc ille. Vnde iterum Apostolus contra eos qui verba eius tanquam humana contemnerent, séque ipsos tanquam peritos & sapientes venditarent, vt hodie nostri Protestantes faciunt. *An à vobis*, inquit, *verbum Dei processit? Aut in vos solos peruenit? Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis; cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Nec tamen quæ Paulus tunc ad Corinthios scripsit, in Scriptura Euangelica habentur, sed doctrinam suam *Domini mandatum* vocat, quia ab illo tanquam Apostolo & Doctore Gentium verbum Dei processit, non ab illis aliis superbis Corinthiis, qui illum tunc spernebant; vt hodie Ecclesiam hæretici. Deinde *ne eius sententia humana esse putaretur* (ait Augustinus in lib. de S. virginitate cap. 18.) dixit Apostolus: *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam* 1. Cor. 7. Quo etiam modo ad Thessalonicenses scribit. Ait enim. *Qui hæc spernit, non hominem sed Deum spernit*: causamque adiungit. *Qui dedit Spiritū Sanctum suum in nobis* 1. Thess. 4. Denique Christus ipse satis apertè in Euangelio ostendit, quibus ille fidei mysteria reuelauit, vt alios docerent,

1. Thess. 2 · *Tract. 109. in Ioan.* · *Ioan. 17.* · *Verbum Apostolorum verbū Dei.* · *1. Cor. 14.* · *Pauli doctrina in Euāgelio non scripta, Domini tamen mandatū est.*

B illos non merè homines sed propter Authoritatem diuinam deos quodammodo fuisse. Hac enim de causa quum Apostolos suos interrogasset. *Quem dicūt homines esse filium hominis?* postea subiunxit. *Vos autem quem me esse dicitis?* Id est, vt exponit S. Hieronymus in Commentariis suis in hunc locum: *Illis, quia homines sunt humana opinantibus, vos qui estis dij, quem me esse existimatis?* Plane inter homines humanis opinionibus ductos, & inter Apostolos diuino Spiritu afflatos, ideóque diuina docentes apertè distinxit. Eandem etiam ob causam alibi dixit Christus. *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.* Ioan. 17. Quod etiam paucis interpositis, statim repetit: manifestissimè profectò docens, propter sermonem diuinum illis datum & concreditum, non iam eos de mundo esse, id est, non mundana aut seculari aliqua, sed planè cælesti & diuina eos Authoritate pollere, potestate fungi, & doctrina donari.

Rursum Christus in Euangelio exprobrat sæpenumero Iudæis incredulitatem, quòd illi à patre misso, & eius voci non crederent. *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.* Et paulò post. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Hæc Christus quia cùm à patre vt homo, *ad Euangelizandum pauperibus missus & à Spiritu vnctus esset*, & Deus loqueretur in eo, (*quē enim misit Deus, verba Dei loquitur*) eius tamen vocem, vt Dei audire & tanquam diuinam venerari, *eius testimonium* (vt ipsemet dixit) *accipere* noluerunt. Si solus Christus sic argumentatur, in solo Christo valebit argumentum; & in Christo tanquam in filio Dei, non tanquam homine à Deo misso, valere hoc totum putabitur. Si autem & Apostoli eodem modo argumentātur, in ipsis quoque vale-

Matth. 16. · *Ioan. 8.* · *Luc. 4.* · *Ioan. 3.* · *Christus vt homo verba Dei loquitur.*

C bit. Et si in ipsis, in eorum quoque successoribus, propter ea quæ suprà de Ecclesiæ medio & necessario & infallibili tam multa disputauimus. Ioannes eodem plane modo, de sua doctrina argumentatur. Agens enim de falsis spiritibus & Pseudoprophetis cauendis; *Ipsi*, inquit, *de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus*, id est, docēdi qua fungimur Potestatem diuinitùs accepimus; non ex mundo aut ab hominibus, vt Pseudoprophetæ. *Qui nouit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Plane sua verba pro Dei verbis venditat, non secus quàm suprà Christus. Hoc autem ideo facit quia Apostolus, quia pastor Ecclesiæ Dei fuerat legitimè missus, & testis veritatis constitutus: vt de illo verum sit, quod Christus de seipso dixit. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Iam verò, ne hæc illis tanquam Apostolis tantummodo, non etiam tanquam pastoribus Ecclesiæ & veritatis testibus constitutis dicta fuisse: Proindéque eorum in hac parte successoribus minimè conuenire, videantur; Apostolus Paulus de vniuersa fidei & doctrinæ ratione disserens, idem quoque quibuscunque fidei magistris tribuit. Conscendens enim ab vltimo effectu fidei, gradatim vsque ad primum principiū fidei, cùm dixisset; *Omnis qui innocauerit nomen Domini saluus erit*; qui est fidei effectus vltimus & supremus, addit. *Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt nisi mittan-*

1. Ioan. 4. · *Apostoli ex Deo loquuntur.* · *1. Ioan. 4.* · *Ioan. 3.* · *Apostolorū successores ex Deo loquuntur.* · *Rom. 10.*

Missio Basis & Radix. *tur?* Vides in hac pulcherrima connexione, primoquidem loco tanquam basin & fundamentum esse, missionem legitimam ab ipso Deo factam, quę est radix huius diuinitatis (vt sic loquamur) quam in Ecclesiæ voce ponimus; id est, prima & formalis causa est, quare Ecclesiæ D
2. vox diuina habeatur, non merè humana, vt reliquarum humanarum potestatum voces & iudicia. Secundo loco esse prædicationem. Tertiò auditum prædicatorum. Quartò ex auditu
3.
4 fidem. Quintò ex fide inuocationẽ; id est, omnis generis cultum & religionem Deo debitam.
5. Animaduerte rursum sic hæc singula inuicem esse connexa, vt alterum ab altero separari non
Connexio Apostolica omnium totius religionis partium. possit. Hoc crebræ illę Apostoli interrogationes manifestè ostendunt. Quemadmodum ergo inuocatio non est sine fide præcedente, & radix inuocationis est fides; sic fides non est sine auditu, & causa credendi etiam formalis, & propria, & necessaria, & ordinaria, est auditus ipsius Dei. Deus autem non auditur sine prædicante. Sic enim Apostolus apertè infert. *Quo-*
1. *modo*, inquit, *credent ei* (haud dubiè Deo) *quem non audierunt? Aut quomodo audient* scilicet
2. Deum *sine prædicante?* Ergo auditur Deus audito prędicante, & vox prædicatoris est vox Dei.
3. Et hoc est quod postea ipsemet Apostolus concludit, dicens. *Ergo fides ex auditu; auditus autem*
Auditus per verbum Christi quid significet. *per verbum Christi.* Nempe auditum & resonans in ore prædicantis & docentis Ecclesiæ. Dicit enim Apostolus, *verbum Christi*, non quòd intelligat verbum scriptum, quod nec dum totum scriptum erat (vt stultissimè Caluinus vrget, cæterique pariter omnes Protestantes) sed quòd intelligat verbum legitimi prædicatoris, esse verbum Christi; quia non quæ sua sunt, sed
Ioan. 3. quæ Dei sunt loquitur. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Auditus enim non fit nisi
Verbum auditus non est scriptum verbũ sed prædicatum. per verbum prolatum sonans, & ex ore alicuius docentis auditum. Nunquid enim audimus per verbum scriptum quatenus scriptum? An obiectum auditus est scriptura? Sed verbum auditum est verbum Christi, quando ex ore prædicatoris legitimè missi auditur. Non enim audio verbum Dei nisi prædicatum, nec audio prædicantem nisi legitimè missum. Hac sane de causa Petrus, quum dixisset, *verbum Domini manet in æternum*, adiecit: *Hoc est autem verbum,* E
1. Petr. 1. *quod Euangelizatum est in vobis.* Si ergo auditur Deus, audito prędicatore legitime misso; si fides mea est ex auditu talis prædicatoris, si audito tali prædicatore, auditur verbum Christi (quę omnia Apostolus dicit) inuictè probatur vocem prædicatoris, id est vocem Ecclesiastici
Quare Ecclesia vox est suo modo diuina. Pastoris, eo sensu quo in Secunda Controuersia explicatum est, esse vocem Dei: proindéque Ecclesiæ docentis vocem non esse merè humanam, sed esse suo modo diuinam. Dixi suo modo diuinam: eodem sane modo quo Scriptura Sacra vocatur Scriptura diuina. Ipsa enim scriptura vt res scripta, nihil diuini in se habet. Sed quia res ipsa quam Scriptura continet, diuina prorsus est; ideo & ipsa quoque diuina censetur. Ipsum nempe Dei verbum & doctrina de Deo, non quia dicitur aut scribitur; sed ex natura sua, siue dicatur aut scribatur, siue non dicatur aut scribatur, sed tacita inspiratione in mente capiatur; diuinum est. Contrà verò Scriptura ipsa, vel vox ipsa seu Prophetarum veterum, seu ipsius Ecclesiæ, diuina est; non ex natura sua, sed quia loquitur ex Deo, vel quia vox est ipsius loquentis Dei. Hoc ergo sensu non merè humana, sed diuina est Ecclesiæ docentis vox; quia Ecclesia loquens non est Deus, sed vox Ecclesiæ est conditio & modus loquentis Dei, vt suprà ostensum est: ideóque ex tali
Suprà cap. 8. conditione diuina est, non absolutè, nec seorsim nec per se accepta. Sed nunc disputationis huius filum abrumpamus, & ad alia porrò pergamus. F

Quòd Ecclesia est omnium fidelium Mater, & quas ob causas sic à fidelibus Catholicis passim nuncupare tur, accurata demonstratio.

CAPVT XIX.

Assertio vndecima.

" CCLESIAE vox sic est necessarium, infallibile & diuinum medium ad credendum, vt propterea sicut Deus pa-
" ter, ita Ecclesia omnium fidelium Mater vocetur & sit.

Hanc Assertionem, ad maiorem & exactiorem Ecclesiasticæ potestatis tum illustrationem, tum etiam demonstrationem addere libuit; maximè verò, quia hanc vulgatam Catholicorum vocem de *Sancta Matre*

A *Matre Ecclesia* irrident hodie & execrantur hæretici; ipsi hoc nomine magis execrabiles. Primùm, Ecclesia ideo mater omnium vocatur & est, quia parit fideles omnes & in nouam spiritualem lucem educit per Baptismum. *Ante Baptismum enim, quantumcunque in Christum credentes, concepti quidem sunt* (ait Augustinus:) *in vtero Sanctæ Matris Ecclesiæ, per signum crucis*, id est, per benedictionem datam; sed nondum in lucem editi, nondum filij Dei, nondum hæreditatis æternæ capaces sunt. Vnde ibidem alibi. *Si propter hæreditatem patris hominis temporalem, nascitur ex visceribus matris carnalis, propter hæreditatem patris Dei sempiternam, nascantur ex visceribus Ecclesiæ. Generat enim Deus de Ecclesia filios, &c.* Huius autem rei causa est, quòd baptismus ipse aliáque sacramenta omnia, sunt Ecclesiæ propria tanquam sponsæ & coniugis Christi. Quod ex eo colligitur, quòd facta fuit Ecclesia sponsa Christi, & mater omnium viuentium, eo demum momento, quo sacramentis ipsis vis viuifica dari cæpit. *Quando videlicet latus crucifixi lancea perforatum est. Inde enim sacramenta manarunt quibus credentes initiarentur:* ait Augustinus in opere de Ciuitate Dei, & in expositione super Euangelium Ioannis. Tunc enim factæ sunt nuptiæ, vel saltem tunc consummatum fuit matrimonium, inter Christum & matrem nostram. Quod his verbis alibi docet Augustinus. *Viro dormiente, Eua coniux facta est. Moriente Christo, Ecclesia coniux facta est. Illa de latere viri, cum costa detracta est, hæc de latere viri, quando latus lancea percussum est, & sacramenta profluxerunt.* Quod autem diximus propria esse matri Ecclesię omnia sacramenta, vel illud Axioma theologicum apertè docet; Non confici sacramenta, nisi cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quod quidem tantum valet, vt si cum Ecclesiæ intentione fiant; etiam apud hostes & alienos vera sint sacramenta.

Prima Ratio.

Augúst. lib. 2. cap. 1. de Symbolo ad Catechumenos.

Tract. 12. in Ioan.

Omnia Sacramenta sunt propria Ecclesiæ tanquam Sponsæ Christi.

Lib. 15. cap. 16. & tract. 15. in Ioan.

Consummatum matrimonium inter Christum & Ecclesiam.

Anatrat in psal. 127.

Nullum Sacramentum conficitur sine intentione Ecclesiæ.

B Non aliam verò ob causam id fit, quàm quòd apud hostes huius matris, id quod propriũ matris est, adhuc retinetur: ideóque generãtur filij, non ipsis Ecclesiæ hostibus, sed veræ matri Ecclesiæ. Docet hoc in sacramento Baptismi copiosè Augustinus. *Vna*, inquit, *est Ecclesia quæ sola Catholica nominatur. Et quicquid suum habet in communionibus diuersorum à sua vnitate separatis, per hoc quod suum in eis habet, ipsa vtique generat, non illæ. Neque enim separatio eorum generat, sed quod secum tenuerunt de ista. Quòd si & hoc dimittant, omnino non generat. Hæc itaque in omnibus generat, cuius sacramẽta retinentur, vnde possit tale aliquid vbicũque generari.* Hęc ille. Et paulò pòst egregia similitudine rem explicans: *Ecclesia*, inquit, *omnes per baptismum parit: siue apud se, id est, ex vtero suo, siue extra se de semine viri sui: siue de se, siue de ancilla. Nam & Ismael magis Saræ filius fuit, quàm Agar: quia per ipsius iura coniugalia, & in ancilla seminatus erat & ex ancilla susceptus. Sic & apud istos, Ecclesiæ iure quod est in Baptismo, nascuntur quicunque nascuntur.* Adeo ergo parit per Baptismum Mater Ecclesia, vt etiam extra illam non pariantur, nisi per illam: id est, nisi per ipsius sacramentum, quod iure suo illa sola possidet, tanquam vnica vera Christi coniux. Quemadmodum enim, non fuisset Ismael legitimus filius Abrahæ, natus ex ancilla, nisi voluntas Saræ coniugis accessisset; sic ab hæreticis baptisati, non censerentur Christiani, nisi cum intentione & voluntate faciendi, quod facit Ecclesia. Illic enim *Ancillæ vterus accõmodatus est, & Saræ voluntas accessit:* ait Augustinus, sicut hic hæretici ministerium accõmodatum fuit, sed Ecclesiæ intentio accessit. Quemadmodum ergo in coniugio carnali, *vir nõ habet potestatem corporis sui, sed vxor, nec vxor habet potestatem corporis sui sed vir*, vt nulla genera-

Lib. 1. cap. 10. de baptis. cõt. Donatistas.

Ecclesia parit filios siue de se siue de ancilla.

Lib. eodem cap. 15.

Tract. 12. in Ioan.

1. cor. 7.

Nec christus sine ecclesia, nec ecclesia sine christo generat.

C tio legitima fieri possit absque vtriusque consensu, sic in mystico illo coniugio inter Christum & Ecclesiam, neque Christus sine Ecclesia (ordinariè scilicet, & in voto saltem suscipientis, licet non in re semper adiuncta) neque Ecclesia sine Christo generat. Semen viri, est baptismus à Christo institutus. Vterus matris est intentio & voluntas Ecclesiæ; sine qua qui baptisantur, spurij & adulterini sunt; non filij Dei, non Christiani.

Rursum dicitur Ecclesia Mater omnium fidelium, quia verè nos filios adoptionis facit per sacramenta quæ confert. Synagoga mater dicta non est, quia seruos non filios generauit: Illi enim *spiritum seruitutis in timore, nos spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus. Illi Deum vt patrem nunquam inuocabant*, vt docet Augustinus Sermone 182. de tẽpore, & in quæstionibus veteris & noui testamenti, quæst. 123, ideoque nec Synagogã pro matre habebant. Nos vt *clamamus Abba pater*, sic & clamamus *Ecclesia mater*, ex virtute Dei, sed ex ministerio solius Ecclesiæ.

Secunda Ratio.

Synagoga non fuit mater fuorũ

Ad Rom. 8.

Præstereà, generat nos Ecclesia mater, non solum per sacramentum veræ adoptionis, quod ipsa sola iure possidet & dat, verumetiam per fidem, quam ipsa Ecclesia & non habentibus fidem, vt habeant impartit; & habentibus vt magis habeant, communicat. Quemadmodum enim paruuli, qui actu credere non possunt, fideles tamen censentur & sunt, *non solùm propter fidei sacramentum quod accipiunt*, (vt docet August.) sed etiam propter fidem ipsam Matris

Tertia Ratio.

Paruuli in fide Ecclesiæ sunt fideles.

Epist. 23.

D

Tract. 8. in Ioan.

Paruuli per ecclesiam credunt.

3. Pag. quæst. 68. art. 9. ad 1.

Lib. 1. cap. 25.

Optatus li. 2. ad Parmenianum.

Lib. 3. cap. 1.

Epist. 23.

Tota ecclesia omnes & singulos parit.

Ecclesiæ, per quam & in qua credit regeneratus filius; sic etiam & adultis, quia modica sæpe & non satis magna fide accedunt, supplet Ecclesia & communicat de suo. *Hoc verbum fidei,* ait August. *tantum valet in Ecclesia Dei, vt per illam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem; quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.* Fides ergo Ecclesiæ mũdat infantem, qui non in se, sed in Matre Ecclesia credit. Quemadmodum enim pueri in maternis vteris constituti, (vt docet S. Thomas) non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris substentantur, ita etiam pueri nondum habentes vsum rationis, quasi in vtero Matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Vnde Aug. in libris de peccatorum meritis & remissione ait. *Mater Ecclesia cor maternum paruulis præbet, vt sacris mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam; &c.* Idem rursum docet Aug. copiosè, (epist. 23. ad Bonifacium & de verbis Apost. Serm. 14.) Cui etiam consona scripsit ante eum Optatus. *Viscera,* inquit, *Ecclesiæ proculdubio sunt in sacramentis & in nominibus Trinitatis: cui concurrit fides credentium & professio. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia.* Hæc ille. Huius autem rei ratio est, (vt in loco iam citato ex lib. de peccat. meritis & remissione docet Aug.) operatio Spiritus sancti qui vnit Ecclesiam, & bona vnius communicat alteri. Quod quidem cum ipsi susceptores specialiter faciant, (vnde de ipsis scripsit Aug. in lib. eisdem de peccatorũ meritis & remiss. *quòd eorum iustitiæ spiritus responsione sua traiicit in paruulos fidem, quam voluntate propria habere nondum potuerunt;*) tamen (quia illi hypocritę & etiam infideles esse possunt) multo & efficacius & certius, tota id facit ecclesia. Vnde alio in loco plenissimè rem totam E explicat in hæc verba Aug. *Offeruntur,* inquit, *paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis, si ipsi boni fideles sunt) quàm ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus nanque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur; & quorum charitate ad communionem Sancti spiritus admittuntur. Tota hoc ergo Mater Ecclesia quæ in sanctis est, facit; quia tota omnes, tota singulos parit.* Hæc ille. Hac ergo ratione iterum Mater est omnium fidelium Ecclesia, quia per fidem suam tanquam per nutrimentũ maternum, filios paruulos de nouo regenerat.

Quarta Ratio.

Ecclesia Mater quia lactat fideles.

Lac charitatis.

Lib. 1. cap. 6. & 8. & Lib. 3. cap. 6.

1. Cor. 3.

Hebr. 5.

Tractat. 98. in Ioan.

ad Gal. 4. enarrat. in Psal. 57.

Formari debemus in vtero ecclesiæ.

Iam verò quia matris officium est, non solum parere, sed & partum lactare: hac quoque ratione Mater fidelium Ecclesia est. Quum enim paruuli in Ecclesia sint carnales & infirmi, qui vel per fragilitatem sæpe peccant, & arctiora vitæ præcepta non seruant, vel per infirmitatem intellectus, altiora fidei mysteria non capiunt, vtrunque hoc genus Ecclesia lactat: & illos quidem charitatis lacte tolerat, hos fidei lacte interim pascit, donec solidi cibi capaces videat. Et quidem de lacte charitatis, quo Mater Ecclesia malos tolerat, aliâs dictum est, quum ex bonis & malis constare Ecclesiam Christi in prima Controuersia ostenderemus: maximè cum argumentis Musculi responderetur circa Ecclesiæ perpetuitatem defendendam. Nunc de lacte fidei, quod huic loco proprium est; diligènter considerandum est, ipsa elementa fidei non nisi ab huius Matris vberibus hauriri; & infirmos ac dubios in fide, non nisi ab Ecclesia salubriter doceri; solũ denique Ecclesiæ iudicium esse; quibus lac, quibus solidus cibus cõueniat. Hoc iudicium exercuit Apostolus; sic ad Corinthios scribens. *Ego fratres non potui vobis loqui* F *quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis. Sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis.* Hãc quoque infirmitatẽ in Heb. deplorãs, lacte illos pascẽdos ostendit. *Quũ deberetis,* inquit, *Magistri esse propter tẽpus, rursum indigetis vt doceamini, quæ sint elemẽta exordij sermonũ Dei; & facti estis, quibus lacte opus sit non solido cibo.* Atqui hi infirmi in fide erant, tanquam paruuli lactandi & cathechisandi; quia exercitatos sensus non habebant ad solidum cibum capiendum: id est, ad ipsa fidei mysteria intelligenda, licet fidem ipsam tenerent credendo. *Huiusmodi enim* (ait Augustinus, hunc locum explicans) *nisi fidei quodam lacte teneantur, & inuisibilia quæ non vident, & intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant; facile ad vanas & sacrilegas fabulas, promissione scientiæ ducuntur.* Hæc ille. Alij dubij & fluctuantes, tolerandi & parturiendi erant; sicut ad Galatas à fide accepta iam recedentes, scribit Apostolus. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quæ verba tractans Augustinus: *in persona Matris Ecclesiæ Apostolũ ea dixisse,* scribit in exposit. epist. ad Gal. Alibi quoque eadem verba exponẽs, *Expecta,* inquit, *formari; noli tibi tribuere iudicium quod forte non nosti. Carnalis es adhuc: Conceptus es, eo ipso quo accepisti nomen Christi. Sacramento quodam natus es in visceribus Matris. Bonum est vt formatus exeas, ne abortiuus exeas. Generet te Mater, non abortiat: Si patiens fueris vsque quo formeris, vsque quo in te certa sit doctrina veritatis, continere te debent materna viscera. Si autem impatientia tua concusseris latera*

Matris

A *Matris,tuæ,cum dolore quidem excutit foras;sed magis tuo malo quàm suo*. Hæc ille. Sic ergo mater est Ecclesia, vt paruulos adhuc & dubios in fide ipsa lactet, ipsa parturiat, ipsa formet; nec nisi ab ea formari quis possit. Vnde iterum Aug. *Si erras in aliquo, quare non redis ad lac Matris? Quia si non extollimini, si non exaltetis cor vestrum, si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed humiliter sentitis sicut qui ablactatus est super matre sua, reuelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum quod aliter sapitis, defendere vultis & pertinaciter asserere contra pacem Ecclesiæ; fit vobis maledictum quod dixit Propheta: ita fiat retributio in anima mea: Quia adhuc super matre cùm estis, id est paruuli portandi à matre nec dum ablactati; foris à lacte separabimini, foris à visceribus matris fame moriemini*. Hæc ille. Multa in eandem sententiam habet in libello de quantitate animæ. Item in Epist. 38. & contra Faustum, Manichæum, quæ breuitatis causa prætermitto. Et contra Epist. fundamenti ca. 23.

Enarrat. in Psal. 130.
cap. 33. fere in fine.
Lib. 15. cap. 3.

Rursum sic omnium fidelium Mater Ecclesia est, vt ipsos iam grandiores & ablactatos solido cibo omnique cælesti & perfecta doctrina, hæc eadem instruat. Describit hoc egregiè Aug. in libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, sic eam compellans. *Meritò Ecclesia Catholica Mater Christianorum verissima, non solùm Deum castissimè colendum prædicas; sed etiam proximi dilectionem ita complecteris, vt morborum omnium, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat*. Quas singulas animæ medicinas quum enumerasset, subiungit, *Iam verò, cum hoc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutrierit, & roborauerit animum, sequendo Deo factum idoneum; tantus charitatis ardor innascitur, tantum diuini amoris consurgit in-*
B *cendium; vt hoc vnum isti hæretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te, atque in tuo gremio, minimè superbi & mente pacata venerarentur*. Hæc ille ibi, multóque plura. Hanc autem sententiam adhuc apertius Enarrat. in Psal. 57. expressit. *In ventre*, inquit, *Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse est inquam vt falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit*. Hæc ille. Hanc sane ob causam, vniuersa fides etsi Deum authorem habeat; tamen non nisi ab huius Matris vberibus hauritur, & ad nos deriuatur: adeo sane, vt *ipsarum scripturarum duo Testamenta Ecclesiæ duo vbera* vocauerit Aug. In huius autem rei argumentum, solebant olim veteres Christiani, cùm Symbolum in Baptismo profiterentur; addere in fine: *Per sanctam Ecclesiam*. Cuius rei meminit Cyprianus & Aug. de Symb. ad cathecumenos, vbi & causam huius consuetudinis explicans: *Propterea*, inquit, *Symboli conclusio per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum*. Hæc ille. Móxque infert. *Nec enim Deum habebit patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem*. Id est, à Deo spiritum adoptionis filiorum Dei non accipiet, qui in Ecclesiæ gremio & vnitate, qui in Ecclesiæ sacramentis & doctrina eum non accipit. Symbolum enim fidei, Sacramenta, & cętera omnia fidei nostræ vel mysteria vel monimenta, à Deo quidem procedunt; sed per vocem docentis & attestantis Ecclesię. In quam etiam sententiam, multa præclarè scripsit Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ: ea fere omnia complectens quæ hactenus diximus. *Vna*, inquit, *est Mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur; illius lacte nutrimur: Spiritu eius animamur. Hæc nos Deo seruat, hæc*
C *filios regno quos generauit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habeat matrem*. Hæc ille.

Quinta ratio. Ecclesia ablactatos solido cibo pascit.
Cap. 30.
Deus non nisi apud Ecclesiam, & in eius sinu gremio quærendus.
Duo testamenta, duo ecclesiæ vbera.
Credimus per S. ecclesiam.
Tractat. 3. in epist. Ioan.
Lib. 1. epist. 12.
Lib. 1. cap 10. & iterum lib. 4. cap. 10.
Cyprianus in lib. de vnitate ecclesiæ.
Quomodo & quare Ecclesia sit mater nostra

Sextò, huius admirabilis copulæ de Deo patre & Ecclesia Matre illa ratio est, quòd Spiritus Dei, qui facit nos filios adoptionis Deo, omniáque alia tam in doctrina quàm in Sacramentis operatur; in sola Ecclesia tanquam in domo, in templo, in subiecto proprio habitat & residet. Vnde Aug. Symbolum explicans ait. *Rectus ordo confessionis poscebat, vt Trinitati subiungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori ciuitas sua*. Hoc enim est illud. *Sacramentum magnum* coniugalis copulæ *inter Christum & Ecclesiam*. Hic est ille indiuiduus & reciprocus nexus Christi Capitis, & *Corporis sui quod est Ecclesia*. De quo Irenæus. *Vbi Ecclesia, ibi & Spiritus: & vbi Spiritus Dei, illic Ecclesia*. Probat autem hunc nexum August. hoc argumento. *Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Non est autem particeps diuinæ Charitatis qui est hostis vnitatis. Non habent ergo Spiritum, qui sunt extra Ecclesiam*. Hæc ille. Eodem argumento vtitur serm. 11. de verbis Domini, & de Baptis. contra Donatistas lib. 3. c. 16. Item Tract. 32. in Euang. Ioannis. vrgens vbique illud Iudæ Apostoli. *Qui seipsos segregant, animales sunt, Spiritum Dei non habentes*: Capitulo vnico. Hinc enim colligit, in Ecclesia Dei animales, carnales, & paruulos; habere quidem Spiritum Dei, licet non sapiant ea quæ sunt Spiritus Dei; sicuti multi animam habent, qui tamen officia aut vires animi vel

Sexta ratio. Ecclesia est domus & templum Spiritus sancti.
In Enchiridio. cap. 56.
Ad Ephes. 4.
Lib. 1. cap. 40.
Vbi Ecclesia ibi spiritus Dei.
Epist. 50.
Rom. 4.
Quare extra ecclesiam nulla sit salus.

1. Quia Spiritus Dei non eſt extra corpus chriſti.

Tractat. 27. in Euãgel. Ioan.

non intelligunt, vel non exequuntur: hæreticos autem & ſchiſmaticos ſpiritum Dei omnino D
non habere. Quæ ſane cauſa eſt, quòd cùm alia multa extra Eccleſiam non minus vere quàm intra Eccleſiam haberi poſſint, ſola ſalus animæ, quæ proprius eſt Spiritus ſancti effectus, extra illam haberi non poteſt. Neque enim extra corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, poteſt Spiritus Chriſti eſſe. Vnde Auguſt. *Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à Corpore Chriſti, non eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. Quiſquis autem ſpiritum Chriſti non habet,* (Rom. 8.) *hic non eſt eius.* Hæc ibi ille. Quin & alio in loco præclare idem his verbis docet Auguſtinus. *Extra Eccleſiam Catholicam, totum habere poteſt hæreticus præter ſalutem. Poteſt habere honorem ſecundum eccleſiaſticum ordinem. Poteſt habere ſacramentum, poteſt cantare Halleluia, poteſt reſpondere Amen, poteſt Euangelium tenere, poteſt in nomine patris & filij, & Spiritus ſancti, fidem & habere & prædicare, ſed nuſquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit inuenire.* Hæc ille in ſerm. ſuper geſtis Emeriti tomo 7. Idem docet in Pſal. 54. ſuper illa verba. *Inter multos erant mecum. Baptiſmum,* inquit, *habebamus vtrique, in eo erant mecum. Euangeliũ vtrique legebamus, erant in eo mecum. Feſta Martyrum celebrabamus: erant ibi mecum. Paſchæ ſolemnitatem frequentabamus: erant ibi mecum, ſed nõ omnino mecum. In ſchiſmate non mecũ, in hæreſi non mecũ. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecũ, non eis proſunt multa in quibus mecũ.* Et paulo pòſt. *In omnibus Sacramentis mecũ, in vna charitate non mecũ.* Hæc ibi Aug. Ratio autem eſt, quia nulla ſalus ſine charitate vt docet Apoſt. 1. Cor. 13. & nulla charitas eſt extra Eccleſiã. Vnde Apoſt. iubet *ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Vinculum autem pacis, eſt dilectio vnitatis Eccleſiæ. E
Ergo in vnitate Eccleſiæ, ſeruatur vnitas Spiritus. Huius rei ſignum erat olim donum linguarum. *Quemadmodum enim tunc apparebat,* (ait Auguſtinus) *illum accepiſſe Spiritum ſanctum, qui loquebatur linguis omnium gentium; ita nunc ille ſe agnoſcat accepiſſe Spiritum ſanctum, qui tenetur vinculo pacis Eccleſiæ, quæ diffunditur in omnibus gentibus.* Hæc ille. Idem alio in loco his verbis docet. *Vnde,* inquit, *cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritum ſanctum? Interroget cor ſuum. Probet ſeipſum. Videat ſi eſt in illo dilectio pacis, vnitatis, dilectio Eccleſiæ toto terrarum orbe diffuſæ.* Hæc ille. Eſt ergo his de cauſis inſeparabilis nexus Spiritus ſancti & Eccleſiæ. Et propter hunc nexum, non poteſt per Spiritum adoptionis habere Deum Patrem, qui per dilectionem non habet Eccleſiam Matrem: apud quam ſolam ille Spiritus adoptionis filiorum Dei inuenitur.

2. Quia non eſt vera charitas extra illam.

ad Epheſ. 4.

Vinculum pacis eſt dilectio vnitatis Eccleſiæ.

De verbis Domini ſerm. 11.

Tractat. 6. in Ioan.

Septima ratio.

Septimò, vt intelligas, quàm propriè & ſignificanter Eccleſia Dei Mater credentium vocetur & ſit, docet te ipſa humanæ generationis ratio, vnde huius appellationis hæc Metaphora ſumpta eſt. Quemadmodum enim in naturali hominis generatione (vt ex philoſophorum ſententia docet S. Thomas) formatiua virtus ſeminis operatur formationem corporis, prout agit ex vi animę patris, cui attribuitur generatio, ſicut principali generanti; (Matris enim vterus receptiuus eſt tantùm, vt propterea virum formæ, fœminam materiæ Ariſtoteles in Phyſicis comparauerit) & quemadmodum ipſa virtus actiua ſeminis paterni, ad ſe trahit materiam quæ fuerit à matre, per ſpiritum operans, (fundatur enim huiuſmodi virtus in ſpiritu, vt ſcribit S. Thomas contra gentes;) ſic in ſpirituali hominis regeneratione, totáque vita ſpirituali; gratia Dei regeneratiua, ſanatiua, illuminatiua, iuſtificatiua (vt ſic loquamur) operatur for- F
maliter regenerationem, ſanitatem, ſapientiam, & Iuſtificationem animæ, prout agit ex vi diuina: (Deus enim eſt qui illuminat, Iuſtificat, ſanat, regenerat:) & attribuitur tota hominis Iuſtificatio, Deo, vt principali agenti, ſed per operationem Spiritus Sancti, (cui appropriatur remiſſio peccatorum, lux, ſanitas, & Iuſticia animæ:) ita tamen vt (propter cauſas prædictas) in vtero Matris Eccleſiæ, in ſacramentis Eccleſiæ, in vnitate Eccleſiæ, denique in miniſterio & magiſterio Eccleſiæ; hic fœtus Spiritualis producatur. Et hanc ob cauſam, quia Eccleſia non agit ipſa principaliter, nec regenerando, nec ſanando, nec Iuſtificando, nec docendo; ſed recepto in ſe ſemine Spiritus Sancti; vel potius ipſamet attracta, tanquam materia materna, per Spiritus Sancti operationẽ, factáque ſic particeps diuini ſeminis & fœcunda, animat omnia membra ſua; (vnde Cyprianus ſuprà dixit, *Spiritu eius animamur*) animata generat; generata fouet, conſeruat, perficit; ideo verè & propriè iuxta rationem myſtici corporis, fidelium omnium Mater vocatur, & eſt.

Lib. 2. cap. 89. cõtra Gentes.

Eccleſia ſpiritualiter parit, ſicut mater naturalis naturaliter.

Lib. 4. cap. 46.

Modus quo operatur Deus ſalutem noſtram.

Eccleſia fœcunda Spiritu S. animat ſua membra.

Eccleſia omnia matris naturalis officia exercet.

Rurſum mater naturalis ipſamet lactat, ablactat, alit, fouet, veſtit, ornat filios ſuos; & proximè atque immediatè eorum curam habet. Pater autem labore & induſtria ſua media & ſubſidia omnia ſuppeditat; quibus hæc omnia & ſingula fiant. Sic in vita Spirituali Deus ipſe gratiam dat, & media omnia ſpiritu ſuo ſubminiſtrat, in ædificationem corporis ſui. Sed illa

A omnia media, è manu Matris Ecclesiæ accipere nos voluit: ab illa lactari nos & ablactari, id est, num lac, tum solidum cibum accipere; ab illo nos foueri consiliis & præceptis, ornari scientia & virtute voluit: denique vt illa proximè & immediatè ageret circa *ædificationem corporis Christi, & consummationem Sanctorum.* ad ephes. 4.

Postremò, quia quandiu peregrinamur hic à Domino, filij & ouiculæ sumus, *vt semper crescamus in capite Christo, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ideo semper hic sub Matre Ecclesia sumus: *Donec absorpta fuerit mors in victoria, & euacuantes ea quæ sunt paruuli, viri facti simus.* Nondum enim ad mensam patris in cælo, sed ad mammillã Matris in terra idonei sumus. Vt ergo mater, videns filium nondum idoneum ad capiendum per se cibum; ipsos cibos ei dat, sed traiectos per carnem suam, ore & lingua sua maceratos & mollitos; sic Ecclesia Mater nostra, quia paruuli plærique sumus, omnes certè de numero ouiũ sumus, dat nobis cibos sanæ doctrinæ, suæ prius linguæ & oris ministerio maceratos, & ad capacitatis nostræ modum mollitos: ideóque veræ matris officium facit. ephes. 4. Semper sub matre ecclesia sumus, quia semper filij & ouiculæ sumus.

Quòd si roges, quid propriè & præcisè, Ecclesiæ nomine intelligamus, quum eam Matrem vocamus, scias vnitatis respectu, & ea ratione qua fide & charitate sua, Ecclesia nos & generare & alere suprà ostensa est, totum corpus Matrem vocari. Cuius rei typus, Centurio & Chananæa, ipsique sæpiùs Apostoli, (quorum intercessione Christus multis opem tulit,) in Euangelio fuerunt. *Quòd enim rogante Centurione* (ait Augustinus) *& Chananæa muliere filij ipsorum sanantur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est & mater & filia. Nam simul omnes quibus constat Ecclesia, Mater dicitur. Singuli autem idem ipsi filij appellãtur.* Hæc ille. At verò, quatenus nos sacramentis suis, vberibus suis, doctrina & spiritu suo, generare, alere, pascere, animare dicitur: magis propriè ipsi magistri & pastores Ecclesiæ intelligendi veniunt. Sic enim Paulus *parturiuit iterum Galatas, lactauit & genuit Corinthios* epist. 1. ca. 3. & 4. *Aedificauit Ephesios, Suppleuit ea quæ deerant Thessalonicensibus.* 1. Thess. 3. denique quot modis hac ratione Ecclesiæ pasto res patentum officium præstent, lege apud Chrysostomum. Neque verò absurdum videatur, si qui filij Ecclesiæ, illi quoque & mater sint, diuerso respectu: totius corporis filij, partium aliquarum mater. Hinc enim August. *In carnalibus*, inquit, *nuptiis, alia vxor & alij filij. In Ecclesia quæ vxor, ipsi quoque & filij sunt. Ad Ecclesiam enim pertinebant Apostoli, & in membris Ecclesiæ erant. Ergo in coniuge ipsius Christi erant, & tamen ipsa cõiux erant, secundum portionem suam quam in membris obtinebant.* Hæc ille. Portionem vocat, locum & ordinem quem in Ecclesia tenebant; iuxta quem magis propriè quàm cæteri fideles coniux Christi, & Mater fidelium erant: nempe officij illis commissi, & communicatæ illis à Christo dignitatis, causa; vt ipsi *pastores, & doctores, testes veritatis, lux & sal mundi dispensatores mysteriorum Dei, ministri Christi* essent: quæ illis solis non cæteris fidelibus conueniunt, & quorum respectu Matris personam & officium gerunt. Quid propriè & præcisè ecclesiæ nomine intelligitur, quum eam matrem vocamus. Quæst. Euangelic. lib. 1. quæst. 18. B Gal. 4. ephes. 4. Lib. 3. de sacerdotio & hom. 2. in 2. ad Timoth. Eadem persona & filij ecclesiæ sunt & mater. enarrat. in psal. 127. Ephes. 4. Act. 1. Matth. 5. 1. Cor. 4.

C

Ecclesiæ vox non est tota formalis ratio & vltima resolutio fidei nostræ propter præmissas illius tantas prærogatiuas: vbi & proponuntur aliter sentientium argumenta.

CAPVT XX.

VAMVIS Ecclesiæ vox sit medium ad credendum dupliciter necessarium, adeò vt obedientia fidei non alia sit quàm obedientia Ecclesiæ præstita, nec sapientia fidei sit alia quã sapientia Ecclesiæ, quamuis etiam sit medium infallibile atque diuinum, ipsáque Ecclesia his nominibus mater omniũ fidelium vocetur & sit, tamen Ecclesiæ vox non est tota formalis ratio, nec vltima resolutio fidei nostræ, ita vt in eius vocem tãquam in authoritatem supremam desinat, in eáque sistat fidelis animus. Assertio duodecima.

Adiicitur adhuc hęc Assertio in huius Controuersiæ tractatione, tùm ob maiorẽ totius hac in re veritatis elucidationem, tùm ad hæreticorum hodiè calumnias repellendas; qui propter 1. 2.

præcedentes Aſſertiones catholicas, vel quod dei proprium eſt, Eccleſiæ nos tribuere; vel hu- D
Deus eſt formalis ratio credẽdi.
mano teſtimonio & authoritate fidem noſtram niti calũniantur: tùm denique propter Scholaſticos aliquos, qui incautiùs & impetitiùs contrariam ſententiam tenentes, calumniandi &
Cap. 1.
erroris cauſas hæreticis horum temporum dederunt. Primum itaque in Deum ipſum deſinere & ſiſtere fidem noſtram; ipſúmque reuelantem, eſſe formalem rationem credendi; & vltimã reſolutionem fidei noſtræ hanc eſſe, quia Deus verax eſt; non eſt opus hoc loco demonſtrare. Iam enim id factum eſt, quum ſine fide infuſa nullum actũ fidei educi poſſe docuimus, Imò quum ſolam illam fidei actum ſufficienter educere poſſe docuimus capite ſecundo. Denique cùm Deum vt primam veritatem reuelantem, eſſe formale medium & proponendi credibilia & inducendi ad fidem, capite quinto oſtendimus. Hinc enim validiſſimum conſtruitur argumentum. Fides eadem eſt in prophetis, Apoſtolis, iiſque omnibus qui immediatè à Deo edocti ſunt, quæ in tota reliqua Eccleſia eſt. Nam eſt vna omnium fides, & ſpecie ac natura eadẽ. Debet autem vna atque eadem ſpecie virtus, vnã atque eandem habere formalem ſui actus rationem; ſiue idem obiectum formale. Actus enim accipit ſpeciem ab obiecto. Apoſtolorum autem & prophetarum immediatè reuelata fides, in ſolum reuelatorem Deum vltimò reſoluebatur; eum ſolum pro formali obiecto habuit: in eum ſolum tanquàm ſupremam & vltimam credendi cauſam, deſinebat atque ſiſtebat: ergo & reliquæ totius Eccleſiæ fides, idem formale obiectum habet. Plura ad hanc rem argumenta vide apud Melchiorem Canum locorum
Cap. 8.
Theologicorum lib. 2. Sed difficilius eſt oſtendere, quomodo cum hac indubia veritate ſtet illud aliud, quod hactenus oſtendimus; videlicet vocem Eccleſiæ eſſe medium credendi neceſſarium, eſſe Regulam infallibilem omnium credendorum, eſſe denique vocem & teſtimonium diuinum. Ex his enim potius cõſequi videtur, ipſam Eccleſiæ vocem eſſe formalem ra- E
Argumenta in contrarium.
tionem fidei, & vltimam illam cauſam, propter quam & per quam aliquid credimus. Etenim,
1.
ſi non Eccleſiæ vox, ſed ipſa prima veritas eſt ſola formalis ratio credendi, hæretici erunt fideles; qui in his quæ credunt & confitentur, ſoli primæ veritati innituntur, propter verbum Dei credunt, non recipientes Eccleſiæ ſenſum nec Eccleſiæ authoritatem ad ea quæ tenent credenda, expectantes. Hoc enim ſi facerent, æquè omnia alia crederent quę Eccleſia docet, quã ea quæ credere videntur: ſic hæretici non eſſent. Rurſum Auguſtini illa celeberrima ſentẽtia
2.
Contra epiſt. fund. cap. 4.
eſt; *Ego euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret Authoritas.* Conſtat autem quòd Eccleſiæ authoritas aliud & diſtinctum quid eſt ab ipſa prima veritate. Eſt enim res creata, quum illud ſit increatum. Ergo ſi Auguſtino credimus, non prima veritas eſt obiectum fidei formale, ſed Eccleſiæ vox. Hoc autem ſi ita eſt, reſolutio fidei vltima & ſuprema cauſa, quare credam aliquem articulum fidei, erit hoc: quia Eccleſia ſic teſtificata eſt. Hinc autem ſeque-
3.
tur illud inconueniens quod ponit Scotus; quod fides infuſa reſoluetur in fidem acquiſitam.
3. ſent. diſt. 23.
Illa quoque Durandi argumentatio valebit, qua ſic colligit. *Credo Deum eſſe trinum & vnum, quia Scriptura ſic dicit. Credo dicenti ſcripturæ quia Dei Verbum eſt diuinitus inſpiratum. Credo eſſe Dei verbum diuinitus inſpiratum, quia Eccleſia hoc teſtatur. Credo Eccleſiæ ſic atteſtanti, quia credo Eccleſiam regi infallibiliter à Spiritu Sancto. Ergo à primo ad vltimum, primum*
3. Sent. diſt. 24 quæſt. 1.
inter credibilia quod eſt ratio credendi alia (ſicut quod primum eſt in vnoquoque genere, eſt cauſa cæterorum in eodem genere) *& ad quod fit vltima reſolutio credibilium, eſt: crede-* F
3. Sent. diſt. 23. quæſt. 2.
re Eccleſiam regi à Spiritu ſancto. Hæc ille. Probat autem hanc ſuam ſententiam ex illis Auguſtini verbis modò citatis. Idem facit Gabriel Biel Scotum ſequutus. Ex hac autem radice illa
Concl. 1. & 2.
alia pullulauit ſententia, quòd fides acquiſita eſt ad credendum abſolutè neceſſaria, imo quòd illa ſola ſufficiat. Quam vtramque ſententiam ſuprà confutauimus. Hæc quoque ſcholaſti-
Cauſa quare Proteſtantes fidẽ informem rennuunt, & fidem Catholicorum hiſtoricam tantum fidem eſſe calumniantur.
Inſtit. lib. 3. cap. 2. ſect. 9.
Tit. de fide par. 1. & 4.
Suprà cap. 1. & 2. Inſt. lib. 10. cap. 3.
Vide Melchiorem Ca-
corum quorundam, (non omnium nec probatiorum) ſententia, cauſam dedit noſtri temporis hæreticis, vt quam nos fidem Theologicam vocamus & firmum eſſe aſſenſum articulorum fidei diuinitus reuelatorum dicimus, nec non informem interdum ſine charitate & ſpe ſeu fiducia illa promiſſionum Chriſti ponimus, illi opinionem tantùm aut fidem hiſtoricam eſſe, ex humano teſtimonio & authoritate acquiſitam dogmatiſarent. Nempe, nos articulos fidei credere, quia ſic Eccleſia docuit, quia totus orbis conſenſit, qualis eſt (aiunt illi) Turcarum & Iudæorum nunc fides. Sic enim catholicorum fidẽ irrident Caluinus in Inſtitutione & Muſculus in locis ſuis communibus. At verò D. Thomas, multíque alij qui eum ſequuti ſunt, doctiſſimi noſtræ ætatis Scholaſtici, ita clarè & eruditè rem iſtam explicarunt, vt temerè & immeritò hanc cauſam arripuerint hæretici, imo ſcelerate & deſtinata malitia, veram catholicorum ſententiam diſſimulauerint, & calumniati fuerint, ſicuti partim ſuprà oſtẽdimus, partim infrà rurſum magis oſtendemus. Nunc autem vt de re præſenti agamus, nos D. Thom. 2. 2. q. 1. arti. 1.

A artic.1.& q.5.ar.3.aliarúmq; nostri temporis Scholasticorũ,& cõmunem planè omniũ Theo- *nũ loc. theologorũ lib.2.*
logorum hac in re sentẽtiam sequuti, veram catholicorum sententiam explicabimus. Illa nẽpe *Cap. 8.*
est, Ecclesiæ quidem docẽtis & attestãtis vocẽ esse medium ad credendum planè necessariũ, *Catholicorum*
infallibile,& diuinum, vt iam explicatum est, non tamen esse propterea ipsam formalem ra- *sententia de formali obiecto fidei.*
tionem, aut vltimam resolutionem fidei nostræ; quod quidem sic explicatur.

Proposita sententiæ de formali ratione fidei nostræ in Deo non in Ecclesia absolutè posita, probatio: cum quarundam difficultatum solutione: circa Articulum illum: Credo Ecclesiam Catholicam.

CAPVT XXI.

BIECTVM formale fidei illud est, neque quod, neque de quo primò & *Obiectũ formale fidei quod.*
principaliter credimus (illud enim quatenus tale, materiale obiectum est)
sed per quod & propter quod formaliter & principaliter credimus: sicut
lux est formalis ratio videndi, non color: & medium per quod fit demon-
stratio, non ipsa res scita, est formalis causa sciendi. Itaque cùm ad creden-
B dũ duo requirantur; (vt suprà est ostensum:) vnum, vt proponantur ea quæ
sunt fidei; Alterum, vt rebus propositis assentiamus; etsi Ecclesiæ vox tùm *Suprà cap. 8.*
proponat, tũ etiã ad assentiendũ inducat, & in vtroq; genere agat necessariò, infallibiliter, pla-
néq; diuinè: tamẽ, quia nõ ipsa est, quæ principaliter agit; sed est tantũ cõditio principalis agẽ-
tis Dei; nõ in illã, sed in principale agẽs resoluitur fides: & nõ illa sed principalis agẽs, est forma-
lis ratio fidei. Nẽpe fidei nostræ formalis ratio (vt etiam in superioribus ostẽsum est,) est *Deus* *Suprà cap. 8.*
reuelãs, & vltimò resoluitur fides nostra, *in Deũ reuelantẽ veracẽ*, nec vltra quæritur, quare Deus *Formalis ratio fidei quæ.*
sit verax, non magis, quã si quæras, quare homo est homo, Iã verò, quia formalis ratio fidei no-
stræ, non est Deus reuelans simpliciter, sed reuelans vt sic, id est, per Ecclesiam; & quia vltima *Quare in complexo formalis rationis fidei ponitur Ecclesiæ vox.*
resolutio fidei nostræ, non est in Deum reuelantem simpliciter, sed in Deum reuelantem vt sic;
id est, per Ecclesiam, (quoad nos & ordinariè loquendo) propterea ponitur quoq; in toto com
plexo formalis rationis & vltimæ resolutionis, ipsa Ecclesiæ vox. Nec tamen sic posita, variat
propterea, aut mutat rationem obiecti formalis, quod est Deus reuelans; quasi alia esset forma-
lis fidei ratio in patriarchis, prophetis & Apostolis, quàm in nobis. Quæ enim per accidens cõ-
tingunt obiecto alicuius habitus, illa non variãt illius obiecti formalem rationem: vt si aëri so-
le illustrato, propter infirmitatem videntis oculi interponeretur linteum transparens; aut ob-
duceretur sol nube; aut denique in maxima debilitate visus, accenderetur lucerna. Nam in his
omnibus, sola formalis ratio videndi, est aër illustratus; siue sic, siue aliter: nõ autem ipsa lucer-
na, linteum, aut nubes. Sic autem se res habet in fidei doctrina; in qua Ecclesiæ vox, lucernæ
C nobis vicem supplet, propter infirmitatem nostram: vt suprà est declaratum. Non enim ab Ec- *Ecclesia vox est lucerna fidei.*
clesia ipsum fidei lumen infunditur, sed manifestatio fidei fit per Ecclesiam. Vnde significan-
ter dixit S. Thomas, *formale obiectum fidei esse veritatem primam, secundum quod manifestatur in* *cap. 7.*
Scripturis Sacris, & doctrina Ecclesiæ quæ procedit ex veritate prima. Hæc ille. Non ergo ipsum
formale obiectum, sed conditio formalis obiecti est, manifestatio per Ecclesiam facta. Nam
quòd de scripturis quoque hîc dicitur, quale sit tum suprà breuiter est dictum, tum etiam in *2.2. quæst. 5. art. 3. in corp.*
sequentibus cumulatiùs docebitur. Similiter verò eandem ob causam, vltima resolutio fidei, *Suprà cap. 8.*
siue vltimum credibile, quod sit causa cæterorum; non est (vt ait Durandus) hoc complexum; *Infrà lib. 9. & 12.*
Credo Ecclesiam regi à spiritu sancto; sed aliud adhuc isto superius. Quæri enim meritò potest, *Durãdi sententia reprobatur.*
quare credo Ecclesiã regi à Spiritu Sancto. Cui respondetur, ideo me hoc credere, quia Deus
mihi hoc complexum per Ecclesiam, siue in Scripturis, siue extrà reuelauit: Sic enim alia
omnia complexa credo, quæcunque creduntur; quia illa Deus nobis reuelauit per Eccle-
siam, siue in Scripturis, siue extrà. Ergo vltima resolutio est Deus reuelans, sed per Eccle-
siam.

Hic tamen suboritur quæstio prima facie non leuis. Si enim credo Ecclesiam regi infallibi- *Quæstio grauis.*
liter à Spiritu Sancto, quia hoc mihi Deus per Ecclesiam reuelauit; ergo vt Ecclesiæ attestan-
ti credatur, ipsa sibi Ecclesia testimonium perhibet. Hoc enim ipsum, Deum scilicet per

Ioan.5. Ecclesiam nobis reuelasse, quòd Ecclesia non erret; ab ipsa Ecclesia didici. At dicit Christus. D
Ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Multo magis in Ecclesia hoc verum esse debet. Rursum si omnium quæ creduntur, vltima resolutio est, Deus reuelans per Ecclesiam; quid de illo articulo fidei dicemus, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam*? Si enim omnia resoluuntur per Ecclesiam reuelatam; ergo iterum in hoc articulo qui procedit à Deo per Ecclesiam reuelantē; Ecclesia sibi testimonium perhibebit, & semetipsam nobis prædicabit. Imò quomodo in Deum per Ecclesiam reuelātem omnia resoluuntur; quum hoc ipsum,
Sensus articuli, Credo Sanctam Ecclesiam. Deum per Ecclesiā reuelare, sit vnus & partialis & distinctus artic. fidei? Huius enim articuli *Credo sanctam Ecclesiam*, sensus hic est, etsi forte non grammaticus, tamen certè Theologicus, qualis in arti. fidei maximè spectādus est. Credo illa omnia quæ Deus per Ecclesiā me docet.

Quomodo ergo vltima resolutio, & regula infallibilis omnium quæ creduntur illud esse potest, quod ipsummet est vnū ex his, quæ per generalē regulam credi præcipiuntur? Sanè enim regula cæterorum omnium, non debet esse in eodem genere regulata: tum quia ipsa esset regula suiipsius, tum quia reuera extra cōmunem aliorum regulā esse debebat, quod ipsummet est aliorum regula. Verbi gratia, Rex condit leges populo suo. Inter illas leges absurdum esset, vnam legem esse, quòd Rex potestatem habeat condendi leges. Hoc enim planè præsupponi, & prius certò constare debet. Alioqui peteretur principium, videretúrq; Rex per illā legem illud probare populo suo velle, de quo prius & ante omnia constare populo debebat. Sic in proposito. Si Deus per Ecclesiam reuelans, est regula credēdi omnia, hoc inter ipsas res in Symbolo seu regula fidei ad credēdum propositas, & quasi iam regulatas, referri non debebat, sed potius tanquam principium per se notum prætermitti & supponi. Quod enim est in argumētatione demonstratiua medium demonstrandi, hoc est in doctrina fidei auctoritas docētis Dei. E
Sicut ergo principia ipsa demonstrationum nullo modo probantur, sed supponuntur tanquā per se nota; sic principium credēdi nulla auctoritate aut regula demonstrari debuit, sed supponi tanquā principium per se notissimum. Duplex ergo difficultas apparet. Vna quòd sibi ipsi Ecclesia testimonium perhibet. Altera de articulo illo, *Credo Ecclesiam sanctam, &c.* Vtriq; breuiter & dilucidè satisfiet.

Ad primam Responsio. Ad primam dicitur absurdum non esse, vt Ecclesia sibi testimonium perhibeat. Nam & necessariū hoc nobis erat, (vt ex se patet) nec erat ipsi Ecclesiæ inconueniēs, vt multis exēplis
Ecclesia sibi ipsi testimoniū perhibet nec absurdè. ostenditur. Sic enim Moyses historiam Exodi scribēs; *Crediderunt*, inquit, *Domino & Moysi seruo eius.* Paulus pastor cùm esset, scripsit tamen, *Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores.* Et alibi. *Posuit*, inquit, *nos in lucem gentium.* Et Apostoli ipsi Matthæus, & Ioannes omnia illa scripserunt,
Exod.14. Ephes. 4. Act.13. quæ pro authoritate Apostolorum ex Euangelio citantur. Ioannes verò apertissimè, in fine Euangelij sui, suum ipsius testimonium affirmat, & verum esse asseuerat. *Hic est*, inquit, *ille discipulus qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium eius.*
Cap.vlt. Ad verbum Christi dicitur: Christum vt hominem, sibi ipsi testimonium non præbuisse; nec
Ioan.5. solum id fecisse; sed accessisse testimonium Ioannis: *& (quod maius erat,) ipsius Patris, per opera & signa quæ dedit ei Pater vt faceret*: sicut ipsemet contra Iudæos vrget. Attamen vt filius Dei,
Christus perhibet testimonium de seipso sed quia filius Dei, & quia non solus. ipse quoq; testimonium perhibuit de seipso. Etenim quamuis dixerat Ioan.5. *Ego si testimoniū perhibeo de meipso*, solus, videlicet vt homo & nemo alius, *testimonium meum non est verum*; tamen postea Ioan.8. fortissimum de seipso testimonium dixit, dicens. *Ego sum lux mundi: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Quod eius dictum cùm repræhenderent Pharisæi dicentes: F
Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verū, nihil mutat Christus; sed respōdit dicens. *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum est verum.* Móxque rationē
Ad Heb.6. subdit; *quia scio vnde veni & quo vado.* Nempe quia à Patre processit, æqualis Patri, potuit de seipso testimonium perhibere. Quemadmodum sanè Deus, *quia neminem maiorem habet, per*
Ioan.8. *semetipsum iurat.* Rursum sibi testimonium perhibet, sed non solus. Hoc enim in sequentibus
Quare sibi Ecclesia testimoniū perhibet. fere verbis ostendit. *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Sic ergo Ecclesia sibi testimonium perhibet; tùm quia maius testimonium in
Cap. 56. terris habere non potest, (ideóque in Symbolo fidei proximo post Deum loco ponitur, vt no-
1 tat August. in Enchiridio:) tùm quia sola hoc non facit; sed Deus in verbo suo amplissimū ei
2. testimoniū dedit: vt in præcedētibus ostēsum est; tùm deniq; quia nō vt homines humano ar-
3. bitrio, sed vt testes totius veritatis à Deo cōstituti, diuina quadā non humana ratione hoc fa-
ciūt; Deo videlicet per ipsā de ipsa testificāte, vt in Mosaica & Euāgelica scriptura suprà citata.

Responsio ad 2. quæst. Ad secundam dupliciter responderi potest. Primùm, Articulum illum Symboli hoc tantum significare, credenda esse ea quæ docet Ecclesia; non autem veritatis quam docet testem

esse Ec-

A esse Ecclesiam: iuxta discrimen superiùs datum, quòd alia ratione cõsideratur Ecclesia vt docet, alia vt id quod docet testificatur quoque. *Nam alioqui* (ait Vvaldensis in doctrinali fidei, vbi etiam hanc distinctionem tradit) *non esset alius Articulus de Ecclesia, quàm de cæteris complectentibus totam fidem de Christo: eo quòd credere Ecclesiam, est tantùm credere habere illam testimonium fidele à Christo & legibus eius.* Hæc ille. Nempe vt in fide & doctrina non erret. Non ergo est hoc sensu distinctus Articulus fidei, *Deum per Ecclesiam reuelare*, sed est quoddam transcendens & generalius fidei axioma atque principium, ex quo & hic & alij omnes articuli deducuntur. Nam & sic primus Articulus, *Credo in Deum*, non significat nos credere Deo vt reuelatori omnium quæ creduntur, quod est etiam quoddam transcendens, sed vt est auctor omnis naturæ & beatificum bonum nostrum. Et sanè quemadmodum Charitatis præceptum non numeratur in Decalogo, quia omnia Decalogi præcepta ordinantur ad charitatem: sic Deum per Ecclesiam reuelare, non est necesse inter Articulos fidei numerari, quia omnes articuli ab hoc vno dependent, & hoc vnum præsupponunt. Deinde etsi vtrumque in hoc Articulo intelligatur, non tamen propterea locum habebunt inconuenientia allata. Nam regula cæterorum omnium articulorum fidei, potest quoque sub articuli præscripti forma regulari & comprehendi, quando non est ipsamet Principalis Regula, sed conditio tantùm quædam & modificatio ipsius. Hoc enim ex parte regulæ non magis absurdũ est, quã si Rex lege caueret, ducibus & præfectis, per quos Rempublicã administraret, obtemperandum esse. Quantum ad nos verò, etiam commodum fuit, vt inter credenda, ipsa quoq; omnium credendorum regula explicaretur. Quamuis enim principium sit, tamen non est natura notum & per se, sed superB naturaliter & per reuelantem Deum: qui volens per certum aliquod medium reuelare, meritò illud ipsum medium reuelauit. Cùm enim (vt notat Augustinus) *omne lumen & alia demonstret & seipsum*; quemadmodum Deus sic est lux mundi, vt & omnẽ aliam veritatem & seipsum demonstret; sic Ecclesia ita est lux mundi, vt & omnes alios articulos fidei demonstret, & seipsam quoq; inter articulos manifestet. Non secus sanè quàm si pictor aliquis, inter alia multa quæ pingit, etiam seipsum pingat. Postremò, nihil obstat, quo minus Ecclesia per vocem membrorum suorum seipsam reuelet & commendet, sicut Christus qui est Caput Ecclesiæ seipsum reuelat per vocem Ecclesiæ suæ, id est, membrorum suorum.

> Suprà cap. 9.
> Lib. 2. cap. 20.
> *Deũ per Ecclesiã reuelare, est quoddam transcendẽs fidei axioma nõ distinctus Articulus.*
> *Non est absurdũ inter Articulos fidei poni, Deum per Ecclesiam reuelare.*
> Tractat. 35. in Ioan.

Proposita sententia de ratione fidei formali amplior adhuc probatio, & per quadam Similia illustratio.

CAPVT XXII.

HÆc de difficultatibus occurrentibus. Nũc ad rem principalẽ redeamus; & formalem credendi rationem, non esse Ecclesiæ vocem adhuc paucis ostendamus: vt nimirum propositis initiò argumentis pleniùs satisfiat, résque ipsa magis elucescat. Quemadmodum ergo in intelligendo prin-C cipia scientiarum (huiusmodi enim quædam sunt ea quę creduntur, quatenus non probantur argumentis, sed ex authoritate reuelantis & attestantis innotescunt) sola formalis ratio illis assentiendi, est lumẽ naturale intellectus agentis, quem propterea splendori & luci comparat Aristoteles; tamen multa præambula, qualique inducentia quædam media præcedunt, vt illa principia cognoscantur: (qualia sunt, institutio, disciplina, explicatio per exempla, per effecta, terminorum quoque expositio & similia,) sic in assensu fidei, formalis ratio assentiendi alicui articulo fidei, est lumẽ supernaturale à Deo reuelãte infusum: quod quidem tum proponit intellectui, id quod credi debet, tùm inclinat intellectum per voluntatem noua gratia motam & excitatam, ad credẽdum ipsi Deo reuelanti. Credere enim aliquem Articulum fidei, est credere Deo reuelanti hunc Articulum fidei. Econuersò, credere Deo reuelanti, hoc aut illud, est credere hoc aut illud: non autem credere Deo reuelanti simpliciter. Hoc enim facit infidelis (vt postea suo loco clariùs docebimus) sed solus fidelis credit Deo reuelanti hos vel illos articulos fidei. In hoc ergo consistit tota formalis ratio credendi, & in hoc stat vltima resolutio credendorum. Verbi gratia. Credo Christum esse Deum & hominem, non simpliciter & absolutè, quia Euangelistæ sic scripserunt, vel Apostoli docuerunt, vel Ecclesia tradidit; sed quia Deo ipsis Euangelistis & Apostolis, & Ecclesiæ hoc reuelante, illud scripserunt, docuerunt, tradiderunt. Accedit

> *Obiecta fidei materialia se se habent ad intellectum sicut principia scientiarum.*
> Infrà cap. 24.
> *Tota formalis ratio & vltima resolutio fidei.*
> *Vox Ecclesiæ dicitur quadã formalis ratione.*

tamen Euangelistarum, Apostolorum, & reliquæ Ecclesiæ testimonium, tanquam conditio D
1. quædam Dei sic reuelantis; per quam conditionem, partim adiuuatur intellectus, vt ad fidei as-
2. sensum determinetur; propter innatam infirmitatẽ & rerum diuinarum ignorantiam: partim
medio quodam ordinario diuinitus instituto inducitur ad assentiendum, propter innatã mor-
Lib. 2. quæst. 40. talibus superbiam, & propter vnitatem seruandam: ordine pulcherrimo hac ratione instituto,
vt homines ab hominibus discamus. De quo lege August. in prologo in libros de Doctr. Christiana & quæst. Euangelicarum lib. 2.

Nihil derogat ecclesiæ magisterio, quod non sit ipsa formalis ratio fidei. August. in lib. de Magist. tom. 1.

Neque tamen hoc Ecclesiæ magisterio suprà demonstrato quicquam derogat. Sane enim si rectè aduertimus (quod prolixè docuit Augustinus in libro de magistro versus finem) etiam in artibus & disciplinis humanis, magistri eatũ nihil suos auditores per verba & præcepta quæ afferunt docẽt; sed tantum admonent, & veluti digito aut nutu suggerunt; vt vel quod antea nouerunt, iam recognoscant meliúsque aduertant; vel saltem quod in semine & radice intelligentiæ suæ, vel naturalis vel acquisitæ, iam audiendo acceperunt, nunc enucleatiùs & pleniùs percipiant. Hinc enim sanè fit, vt non omnes auditores earundem disciplinarum & magistrorum sint capaces. Qui autem capaces sunt, ex lumine seu naturæ seu sciẽtiæ acquisitæ, iam secum attulerunt, vnde intelligerent quod audirent. Hinc enim dici solet. *Verbum sapienti sat est.* Itaque rectè Dialectici docent inter scientiæ causas, primarias quidem ipsum esse intellectum & species rei cognitæ, administram verò esse eandémque remotam & extrinsecam causam Magistrum docentem. Nihilominus disciplinarum Magistri huiusmodi verè censentur & sunt. Multò magis in fide, ipsa Ecclesia prædicando & testificando nihil propriè docet, sed (intellectus agentis loco diuina gratia mentem illuminante) suggerit & admonet. Discunt enim E
2. 2. Quæst. 2. art. 9. ad 3. & credunt illi, *non qui foris tantùm audiunt sed qui intus à cælesti magistro docentur* (vt rectè iuxta Scripturas notauit S. Thomas.) Hoc enim est quod Christus dicit. *Vnus est magister vester.* Et
Matth. 23. Ioan. 6. iterum. *Omnis qui audiuit & didicit à patre meo venit ad me.* Et quod Apostolus dicit. *Neque qui*
1. cor. 3. *plantat, neque qui rigat, est aliquid; sed qui incrementum dat, Deus.* Et quod Ioannes dicit. *Vnctio*
1 Ioan. 4. *eius docet vos de omnibus,* Non quòd sola vnctio doceat, (vt volunt hæretici) sed quòd quicquid
Quomodo vnctio doceat de omnibus. docent homines foris loquendo, hoc doceat vnctio intus inspirando; faciátque vt docentis Ecclesiæ docilis & idoneus auditor quis fiat. Vnde in hæc verba Augustinus. *Magisteria,* inquit,
Tractat. 30. in epist. Ioan. in fine. *forinsecus facta, adiutoria quædam sunt & admonitiones. Cathedram in cælo habet qui corda docet.* Hæc ille & alia ibidem in eam sententiam multa. Idem docet lib. 2. cap. 25. de peccatorũ me-
Lib. 4. cap. 16. ritis & remiss. Et de doctrina Christiana. *Ipsis,* inquit, *Ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus, nemo rectè discit quæ pertinent ad viuendum rectè cum Deo, nisi fiat à Deo docilis.* Tantum ergo abest, vt in ecclesiæ voce acquiescere se debere putent fideles. Cæterum
Qui credit ecclesiæ multo magis credit Deo. qui credit Ecclesiæ docenti; & per Deum intus docẽtem, & propter Deum qui per Ecclesiam foris loquitur, credit. Ergo multo magis ipsi Deo credit, eique vt supremæ causæ innititur. Vnumquodque enim propter quid, & illud magis. Denique hic illa Samaritanorum vox locũ habet. *Iam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est Saluator*
Ioan. 4. *mundi.* Fideles enim omnes per vocẽ Ecclesiæ, inducuntur ad fidem. Inducti autem & lumine inspirationis diuinæ illustrati, non iam amplius propter loquelam Ecclesiæ, sed propter lumen illud diuinum credunt. De quo lumine dixit Ioannes. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium* F
1. Ioan. 2. *Dei in se,* Hoc tamen in loco (vt bene monet Vvaldensis) *non sunt ingrati filij Matris Ecclesiæ, qui*
Lib. 2. ca. 21. Doctrinal. fidei. *primò propter verbum testantis Ecclesiæ de Christo credunt; & quum crediderint, authoritatem qua inducti sunt, authoritati eius postponunt, cui credunt.* Hæc ille. Nempe Deus nõ per se sed per alios nos docet propter vnitatem & ordinem in populo suo seruandum, vt sæpe dictum est. Ipse tamen est qui docet, non homines qui loquuntur. Sic Paulus quũ à Christo à quo vocatus erat, doceri etiam potuisset, *ad Ananiam tamen missus est* (ait August.) *vt illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est sacramentum doctrinæ fidei perciperet, & verus eius approbaretur color. Non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere (nã quis alius hoc facit etiam in Ecclesia?) sed vt ipsa societas congregatorum fidelium approbando inuicem atque communicando veræ fidei doctrinam, in omnibus quæ vel dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquã vnam speciem veri coloris obducat.* Hæc ille quæst. Euang. lib. 2. q. 40. Docens quod olim ad vnam speciem veri coloris omni lepræ varietate purgata, approbandã à sacerdotibus fiebat; id hic ad vnam doctrinæ speciem exclusa omni varietate conseruandam in Ecclesia fieri. Ergo hoc medium seruandum est, vt nec
Medium hac in re seruandum. cum hæreticis, Ecclesiæ vocem vel in ipsius fidei initio, perniciosè abiiciamus; vel fide iam imbuti, eam ingratè despiciamus. Nec cum Durando & similibus, in ipsa Ecclesiæ voce acquiescamus: sed Deum quidem reuelantem veréque & formaliter inducentem piè agno-

scamus;

A ſcamus;eundem quoque per Eccleſiam reuelantem,nec niſi per eam nos docentem(ordinariè loquendo)neceſſariò contra hæreticos teneamus.

Poſtremò,vt alio ſimili rem clariùs explicemus,diſcunt homines ab hominibus,oues à paſtoribus in Eccleſia militante,ſicut Angeli illuminantur ab Angelis in Eccleſia triumphante; *Docet eccleſia militans, ſicuti illuminat eccleſia triumphãs.*
vt ordo in omnibus ſeruetur,de quo aliàs diximus.Angeli verò ſuperiores illuminant inferiores,nec Deũ ipſum illis manifeſtantes(Dei enim eſſentiã omnes Angeli & beati immediatè vident)ſed rationes quaſdã diuinorũ operũ:(quas ſane rationes tãto vnuſquiſque Angelus plures in Deo cognoſcit,quanto Deum perfectiùs videt,)nec etiam ipſum lumen ſeu naturę, ſeu gratiæ,ſeu gloriæ aliis communicantes, ſed tantùm aliquas veritates illis manifeſtantes,quæ pertinent ad ſtatum vel naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ: vt videlicet eos illuminando, diſponant eos ad vltimam formam,non quod talem illis formam imprimant. Quod totum ſcitè docet
S.Thomas. Ita planè Eccleſiæ paſtores & magiſtri diſponunt homines in ſtatu gratiæ, & maximè ad fidem veram amplectendam ac retinendam; & in eo genere illuminant mundum; ſed diſponendo ad luminis receptionem,non quòd formaliter & effectiuè eos illuminent lumine gratiæ. *1. P. Quæſt. 106. art. 1. ad 1. & 2. & iterum 1.2. quæſt. 112. art. 2. ad 3.*
De hoc enim genere illuminandi mundum cùm Apoſtolus dixiſſet. *Abundantius illis omnibus laboraui*, adiecit. *Non ego autem ſed gratia Dei mecum*. Rurſum de eadem re diſſerens ſic temperat ſermonem; vt quum dixiſſet; *Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus*: ne Eccleſiæ operam prorſus excludere putaretur, adijceret: *Dei adiutores ſumus*, vel potius cooperatores. *1. Cor. 15. 1. Cor. 3.*
Móxque, ne efficientem, primariam, & formalem cauſam in adiuuante Eccleſia ponere videretur, ſubiungit & repetit. *Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis*. *ovngyol.*
B Sic Propheta Dauid cùm dixiſſet de Apoſtolis & prædicatoribus Sanctæ Eccleſiæ; *Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi, Ne tamen* (ait Aug.) *auxiliũ ab ipſis propriè montibus eſſet, adiecit: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Vnde iterum Deo loquitur & dicit. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Quia videlicet* (ait Auguſt.) *per hos montes Sanctarum Scripturarum eminentiſſima authoritas conſtituta eſt; ſed illuminante ab eis illo, cui dicitur, illuminans tu, &c.* *Pſal. 120. Pſal. 75. Enarrat. in Pſal. 67.*
Hæc ille. Eccleſia ergo ipſa quidem non illuminat; ſed Deus tamen per illam. Non ipſa quidem incrementum dat: ſed adiuuat tamen. Non ipſa quidem ex ſe auxilium adfert; ſed ab illa tamen & per illam venit auxilium. *Quomodo eccleſia cum Deo concurrit in ratione docendi.*
Denique veritas quidem prima eſt Regula fidei, ſed in ore Eccleſiæ quæ eſt particeps veritatis. Vnde Auguſt. Enarrat. in Pſal. 57. *Ex veritatis ore agnoſco Chriſtum ipſam veritatem. Ex veritatis ore agnoſco Eccleſiam participem veritatis.* Hæc ille, Chriſtus quoque dictat nobis omnem veritatem, ſed teſte Eccleſia. Vnde ſapienter monet Vvaldenſis. *Ibi quærenda eſt veritas, vbi Chriſtus eſt dictans.* Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 19. Veritas prima eſt cibus animæ quo fides gignitur. Sed ille cibus diſtribuitur *per ſeruos prudentes & fideles quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt Dent illi cibũ in tempore.* Matth. 24. Veritas prima eſt lux animæ; ſed per illos affulget quibus dixit. *Vos eſtis lux Mundi.* Matt. 5. Veritas prima eſt Dominus ille qui *paſcit nos & regit nos: ſed in loco paſcuæ*, quæ eſt Eccleſia, & per Paſtores quos dedit. Poſtremò Chriſtus eſt veritas, & docet nos omnia per Spiritum ſuum, ſed voce & verbis ſponſæ ſuæ. Nam vt ſponſæ ipſi quantum ad illam dixit, *Spiritus veritatis ipſe docebit vos omnia*, Ioan. 17. ſic eidem ſponſæ quantum ad nos dixit.
C *Euntes docete omnes gentes.* Matth. 28. Hic enim eſt diuinæ prouidentiæ ordo, vt mediantibus aliis ad ſumma tendamus. Nam & ipſi Prophetę ſuas reuelationes non ſine miniſterio Angelorum acceperunt, vt ex Dionyſio Areopagita cæleſtis Hierarchiæ cap. 4. docet S. Thom. Sic & ipſe Decalogus in diſpoſitione Angelorum datus eſt. Tale ergo eſt Eccleſiæ miniſterium, vox, teſtimonium; non cauſa formalis & per ſe mouens ad credendum, ſeu talis in qua ſiſtat fidelis animus: ſed cauſa adiuuans, neceſſaria tamen, denique conditio & modus loquentis ad nos Dei. *2. 2. quæſt. 172. art. 2. Act. 7.*

Solutio argumentorum, quæ ſuprà cap. 20. propoſita ſunt.

CAPVT XXIII.

VIBVS ita explicatis, vno quasi verbo respondetur dubiis in capite huius Assertionis allatis. Nempe hæreticus censetur propter Ecclesiæ vocem contemptam, per quam primæ veritati reuelanti assentiri debebat. Ideoque non ex fide, quæ ex auditu Ecclesiæ est, sed ex sua quadam electione primæ veritati assentitur. Euãgelio non creditur, nisi Ecclesiæ cõmouente auctoritate; quia nec cõditionem istã loquentis Dei contemnere cuiquã licet, quod facit hæreticus: vt propterea à formali ratione fidei eũ excidere doceat S. Thomas; quia videlicet totam formalem rationem, sic vt oportet modificatam, non retinet:) nec hac ipsa conditione & modificatione loquentis Dei carere possumus; quia nobis planè necessaria est in hac infirmitate nostra, & ingenita superbia. Non tamen in Ecclesiæ voce vt humano testimonio, & à Deo loquente distincto, acquiescimus; sed in Deo ipso, qui per Ecclesiam loquitur. Quod cùm sit, non iam à Deo distincta est Ecclesia, sed cum eo coniuncta, vt instrumentum cum suo agente: vel vt conditio ac modus cum subiecto cuius est modus. Quibus ita positis, non in fidem acquisitam resoluitur fides infusa, vt ex hac doctrina Scotus collegit: sed contrà, acquisita fides per infusam absoluitur atque perficitur; sicque veri nominis fides. Denique non in hoc complexum, *Ecclesiam regi à Spiritu Sancto*, sed in illud, *Deus reuelat per Ecclesiam*, resoluitur fides nostra quoad nos. Absolutè vero in illud, *Deus est verax*, iuxta illud Ioannis Baptistæ: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Et qui accipit testimonium eius, signauit, quia Deus verax est.* E

Ad 1. argum. Ad 2. argum. 2.2. quæst. 5. art. 2. Ad 3. argum. Ad 4. argum. Ioan. 3.

Demonstratio (per modum Appendicis) veri discriminis inter fidelem & infidelem, Catholicum & hæreticum.

CAPVT XXIIII.

X hac tota disputatione, per Axiomata, siue Assertiones iam 12. facta; emergit nobilissimæ Appendicis loco, vera & luculenta differentia inter fidelem & infidelem: inter Catholicum & hæreticũ. Primùm enim, vt fidelis quis habeatur, & sit: non satis est vt credat Deo, & Deum ipsũ pro formali obiecto, siue pro ratione & regula suæ fidei agnoscat. Tantundem enim infideles oẽs (solos Atheos, si qui tales propriè sunt, excipio) profitentur. Credimus, inquiunt & illi, Deo si quid dixerit; multo sane magis quàm cuicunq; bono viro: & parati sumus illi credere si aliquid nobis reuelet. Quis enim est qui Deo loquenti non credat? Sic cùm Moyses & Aaron ad Pharaonẽ ingressi, dixissent; *Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, &c.* Respondit Pharao. *Quis est Dominus. Vt audiam vocem eius, & dimittã Israel? Nescio Dominum.* In Euangelio quoque, quamuis animo meliore, cũ Christus cæco restituto diceret, *Tu credis in filiũ Dei?* respondit; *Quis est Domine vt credam in eum?* Denique tum perfidi Iudæi circa Prophetas veteres & Christũ ipsum, tum infideles & Pagani omnes circa verũ Deum, in Thesi non errauerũt, sed in Hypothesi: id est, Deo loquenti credere non recusabant; sed Iudæi quidem hunc Christum esse Messiã; Pagani hos fuisse Prophetas veri Dei; & Deum hos articulos reuelasse quos credunt fideles; pernegant: & propterea perfidi & infideles censentur. Contrà verò, fideles illi sunt, qui non solum credunt Deo si aliquid dixerit, sed qui credunt Deum iam hæc & illa dixisse: Hunc Christum Messiam fuisse: hos Prophetas, hos Apostolos, hanc Ecclesiam Christi Dei fuisse & esse: hos articulos fidei Deum reuelasse. F

Etiam infideles habent Deũ pro obiecto formali fidei. Exod. 5. Ioan. 9. Infideles non errant in thesi sed in hypothesi. Varij infidelitatis gradus.

Nempe sunt infidelitatis varij gradus. Vnus est negare omnino esse Deũ, aut res humanas
1. curare. Qui hoc senserunt, Athei & sine Deo propriè dicti sunt: quales Epicureos fuisse censet
Aug. Secundus gradus fuit, negare vnum Deũ, qui Græcorum & gentium Paganarum error
fuit. Tertius gradus fuit, negare verum Deum, & si vnum agnoscerent; qui Philosophorum
2. olim, nunc fere omnium gentiũ Paganarum est, explosa quidem illa de multitudine Deorũ
3. vanissima opinione, retento tamen falsi numinis cultu. Quartus gradus fuit, vnum quidem &
4. verũ Deum agnoscere, sed Mediatorem humani generis, vel venturũ vel iam aduenisse nega-
5. re. Hic Philosophorũ quondam, hodie Iudæorũ & Mahometistarum error est, fuitque à nato
Christo. Quintus gradus est, Deũ quidẽ & Christũ agnoscere, sed deficere in assentiendo illis
quæ à Christo sunt reuelata & tradita: id est, sponsam eius Ecclesiam negare, per quam omnia

Contra Faustum lib. 20. cap. 10. Hæreticorũ omnium propria infidelitas.

A tradidit & docuit Christus. Et hic hæreticorum omniũ morbus proprius est: vt rectè docet S. 2. 2. quæst. 11. art. 1.
Thomas. Et ab hoc vltimo gradu, ordine retrògrado, sed facili & frequẽter nimis, ad Atheis-
mum peruenitur. Quod enim in tota Africa, totóque fere Oriente iam à multis annis, factũ
cernimus, vt ab hæresi, alij ad Iudaismũ, alij ad Mahometismum, in vno gradu; alij ad merum
Paganismũ in alio gradu peruenerint: hoc hodie in certis personis verũ esse cognouimus, vt à
Catholicis facti hæretici, ab hæresi ad Iudaismũ primò transierint, ac posttemò in Atheismo
desierint. Tales erant Bucerus, Vergerius, Bernardinus Ochinus, & alij multi, qui in quauis
hodie secta (fundamẽto retẽto) se saluos esse posse sibi persuadent. Iuxta hos ergo infidelitatis
gradus, ipsius fidei perfectio constituitur: vt omnibus illis remoris erroribus, tota veritas te-
neatur. Virtus enim est ex tota causa. Infidelis ergo erit siue atheos, siue πολυθεὸς, siue paganus,
siue Iudæus, qui Deo quidem credit, sed non vt reuelatori Articulorum fidei. Contrà, fidelis
erit qui credit Deo reuelatori Articulorum fidei, eorum quos fideles credunt. Et hoc totum
discrimen est inter fidelem & infidelem.

Aliud verò & exactius discrimen est, inter Catholicum fidelem & hæreticum. Hæreticus *Discrimen inter catholicum & hæreticum.*
enim ille est qui credit (loquendo abusiuè de actu credendi) Deo loquenti & reuelanti: sed vel
absque scripto verbo immediatè de nouo reuelanti, per reuelationem aliquam nullo certo si- 1.
gno confirmatam, quam ipse sibi finxit vel ab aliis confictam accepit; quales erant olim Mõ-
tanistæ, Manichæi, Priscillianistæ, hodiéque sunt Svvenckfeldiani, & qui eos sequuti, aliis nũc
nominibus vocantur; qui nouis reuelationibus absque scripto nitebantur, retento Christi no- 2.
B mine; vel in Scriptura aliqua loquenti Deo credit; quam tamẽ Scripturam ipse, vel pro verbo 3.
Dei agnoscit & recipit, vel intelligit & exponit, ex proprio arbitrio; sine auctoritate & testi- 4.
monio à Deo cõstituto. Sic enim veteres omnes hæretici, partim multas scripturæ partes ne-
gabant; partim sensum à seipsis confictum illis tribuebant. Catholicus autem est, qui credit si- *Catholicus quis*
ue extraordinariæ interdum & immediatæ reuelationi, certo tamen aliquo signo confirmatæ;
idque rariùs; siue Scripturæ ipsi, & cuicunque alteri veritati ordinariè reuelatæ: idque porissi-
mum propter Deum hoc illi loquentem & reuelantem per Ecclesiam Sponsam suam, per
quam loqui se velle manifestissimè demonstrauit; & cuius principes, posuit testes esse totius
veritatis, quæ ad fidem pertinet. Hanc sane ob causam verè fidelis, vt nomine Christianus, ita
cognomine Catholicus est. Nam vt ipso Apostolorum tẽpore, cœperunt fideles Christianorũ
vocabulo nuncupari, (vt habes Act. 11.) quo non solum à paganis, sed etiam à Iudæis non ba-
ptisatis discernerẽtur; sic statim post Apostolos emergẽtibus hæresibus, Catholici nuncupati *catholicus christiani cognomen.*
sunt, vt ab hæreticis & sectariis omnibus sub Christi nomine latitãtibus distinguerentur. De- *Pacianus Barcilon. episcopus.*
clarat hoc eleganter Pacianus Barcilonẽsis Episcopus doctissimus ante annos mille & ducẽ-
tos in Epist. 1. ad Sympr. Nouat. *Cùm post Apostolos,* inquit, *hæreses extitissent, diuersisque nomini-
bus columbam Dei atque reginam lacerare, & in partes scindere niterentur, cognomen suũ plebs Apo-
stolica postulabat: quo incorrupti populi distingueret vnitatẽ.* Et paulò pòst. *Ne æstues frater, Chri-
stianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat; istud ostendit. Hoc probor, inde
significor.* Hæc ille. Catholicus autem cognominatur aliquis quia nõ solum in Christum cre- *primum discrimen.*
dit, sed etiam ita credit vt Catholica docet Ecclesia. Ergo inter Catholicum & hęreticũ hoc
C primũ discrimen est, quod Ecclesiam audit Catholicus, non audit hæreticus. Imò (aiunt horũ
tẽporum hęretici) Ecclesiam audimus, sed quatenus audienda est; non simpliciter & absolutè.
Audimus eam si ex verbo Dei loquatur. Dicit enim Caluinus, *discrimen hoc esse inter illos &* Institut. lib. 4. cap. 8. par. 13.
*nos, quòd videlicet nos Ecclesiam sine verbo Dei tutò incedere posse ponimus quocunque pergit; non
posse sentire aut loqui nisi verum; denique etiamsi extra & præter Dei verbum aliquid statuat, pro Dei
verbo habendum. Illi autẽ verbo annexam Ecclesiã esse volũt, nec ab eo separari posse.* Hæc ille. Sed *Verum discrimẽ inter catholicos & Protestantes hodie.*
fallit lectorẽ fuco verbi Dei. Hoc enim verũ & germanũ discrimen inter nos & illos est. Nos
Catholici vt verè Matris Ecclesiæ filij sumus, Catholicam Ecclesiam (in simplicitate cordis, & * 3. Reg. 9. 1.
fidei * toties in Scripturis laudata, & tanquã certo verè pij atque fidelis charactere, commen- Paral. 29. Iob. 1.
data) simpliciter audire vt testem legitimam, & ei simpliciter obedire volumus, postquam no- Sap. 1. Act. 2.
bis de vera Ecclesia eiúsque magistris semel constitit. Non quidem siue verbum Dei sequatur 2. cor. 1. & 11. Ephes. 6.
siue non; sed siue hoc nobis constet, siue nõ. Quia certò credimus eã vt testẽ legitimã & bene coloss. 3.
instructã, à verbo Dei aberrare non posse. Isti verò, vt verè hæretici sint; id est, vt liberè eligẽdi αἵρεσις.
quã fidẽ volunt, potestatẽ habeãt (hæresis enim electionẽ significat) Ecclesiæ docenti obedire *Hæretici credũt Ecclesiæ sub conditione, eáque fallaci & perniciosa.*
nolunt simpliciter, sed sub hac conditione, si ex verbo Dei doceat, aut illi consentanea. In
quem finẽ Scripturas illas varias citarunt, quas habes suprà in principio cap. 6. Hæc autẽ con-
ditio etsi speciosa videatur: est tamen longè perniciosissima. Hac enim in re, non de verbo Dei

certos & securos fideles faciũt,(vt videri volũt)sed prorsus incertissimos. Siquidẽ ipsius verbi Dei testes à Deo positos,& interpretes cõstitutos(per quos solos hæc certitudo verbi Dei,sensũsque eiusdẽ ad fideliũ notitiã peruenire potest ac debet,)remouẽt & eorum fidẽ in dubium vocãt;seq; ipsos tã Ecclesiæ quã verbi Dei iudices hac ratione constituũt. Non secus sane quã si rebellis aliqua multitudo,cõstitutos à principe iudices & sapiẽtissimos & integerrimos,hoc prætextu reiiceret,quòd nõ iuxta leges à principe cõstitutas iudicarẽt. Quũ verò ob hanc dementiam boni subditi eos auersarẽtur,clamitarẽt se legũ assertores esse; & in hoc ab aliis discrepare,quòd illi leges principis sartas tectas conseruari volunt,alij sine legibus iudicare cõstitutos iudices permittunt. Nam vt hic manifestũ est,nõ id agere hos rebelles vt legũ integritatẽ tueantur, sed vt iudicũ legitimã authoritatẽ conuellãt,sic & multo magis hæretici omnes, non id agũt vt iuxta verbũ Dei sincerè doceant,sed vt Ecclesiã(cuius solius hoc officium est, & quã hac in re infallibiliter docentẽ,simpliciter audire debebãt)eiũsque authoritatem planè pessundent. Est autem Ecclesiæ testificantis & docentis vox sic ab omnibus fidelibus audiẽda,vt non de ea iudicemus rectène an secus docuerit,sed satis nobis sit quòd Ecclesia hoc vel illud docuerit. Non aliter sane,imò multò magis,quã iudicũ sententiæ acquiescere bonus subditus debet,imò non aliter quàm satis nobis esse debet,quòd Deus aliquid dicat. Deus enim per Ecclesiã dicit. Quemadmodũ enim credimus Deo reuelãti quia ille verax est, nec fallere aut falli potest;si autẽ quæratur quare sit verax,non respondemus; quia rationi consonum est quod dicit Deus,vel quia nobis verũ videtur quod dicit(sic enim Dei veritas à nostro vel iudicio vel arbitrio pẽderet)sed respõdemus,quia Deus est qui mẽtiri nõ potest;nec vltrà quærendi locus est:sic omnino credimus Ecclesiæ docenti & testificãti aliquã veritatẽ credendã, quia ipsius veritatis certissima testis & custos est. Si autẽ quæratur quare est ipsius veritatis tã certa testis,respondemus quia Deus per illã loquitur,& eam infallibilẽ testẽ constituit,ibique sistimus:non autẽ respõdemus,quia nobis videtur Ecclesia sacris literis aut rationi cõsentanea dicere. Sic enim Ecclesiæ testimonium non ex virtute Dei,qui eam in testem assumpsit;sed ex arbitrio nostro penderet,qui eam pro teste suscipimus,quãdo nobis videtur quòd vera doceat;id est,quando volumus,& prout volumus,iuxta illud August. ad Manichæos. *Qui in Euãgelio quod vultis creditis,quod vultis non creditis,vobis potius quàm Euangelio creditis.* Vt enim in Euangelio Manichæi, sic in Ecclesia hodie hæretici,id probant & improbant,quod ipsis vel probandũ vel improbandũ videtur. Ergo alterũ discrimẽ est quod Catholicus obediẽter,simpliciter,& absolutè Ecclesiã audit,*ne excidat à simplicitate quæ est in Christo Iesu*: Hæreticus verò *non in simplicitate cordis,sed in sapientia carnali*(de cuius cõtrario gloriatur Apostolus)cum electione propria,iudicio suo & proprio,& sub cõditione audit. Itaq; exceptio illa vulgaris qua vel iuramus vel promittimus,in licitis & honestis,non autẽ simpliciter obedire:est sane in omni humana potestate,non legitima tantum sed & necessaria exceptio. In diuina autẽ potestate & authoritate recognoscenda(qualẽ iam Ecclesiæ potestatem esse maximè in causa fidei ostẽdimus)talis exceptio ipsi Deo est iniuria;ideoq; vt cũque speciosa,tamẽ nefaria & impia. D E

Hæretici hodie rebelli populo similes.

Quare simpliciter Ecclesiæ credamus.

Contr. Faustũ lib. 17. cap. 3.
Secundũ discrimen
2. Cor. 11.
2. Cor. 1.

Rursum discrimen est,quòd nos Catholici ipsum Dei verbum eiusq; sensum, non temerè ex arbitrio proprio sine iusta authoritate;sed per os & ministeriũ alterius:nec cuiusque alteri*. sed solius Ecclesiæ Dei Catholicæ accipimus. Vt illud nobis verbũ Dei sit, non quod quiuis se pro magistro & teste veritatis vẽdicans asserit;sed quod Ecclesia Dei nobis pro huiusmodi cõmendat & tradit. Illi autẽ verbũ Dei & sensũ eius,non ab Ecclesia,sed à suo cerebro(sub titulo spiritualis gustus quẽ quisq; sibi vendicat) accipiunt;vt illud sit eis verbũ Dei, non quod Ecclesiæ testimoniũ & authoritas tradit,sed quod ipsorũ dogmatibus cõuenit, (vt de Manichæis meminit Aug. *ex Euãgelio quod hæresim eorũ non impediebat illos accipere:quod autẽ impediebat,nõ accipere*:)& quod ipsis apud semetipsos sapiẽtibus tale videtur. Vt sane Ecclesiã annexã esse verbo iuxta Caluinũ,nihil aliud sit,quã Ecclesiæ credendũ esse, quãdo illorũ sententiæ & iudicio(quibus illi tanquã regula & canone definiũt,tũ ipsum verbũ,tũ verbi sensũ:)cõsentanea dixerit. Verbũ enim ipsũ & sensum eius nõ ex Ecclesiæ iudicio,sed ex suo metiũtur. Hoc enim est quod alibi dicit Caluinus, *ipsis conciliorum definitiones esse instar præiudicij,ita tamẽ vt examen non impediat*, qua de re vide quæ in 1. Contr. diximus,& quæ postea suo loco dicemus. F

Tertium discrimen.

Contr. Faust.
Quod sit Ecclesiam annexam esse verbo iuxta Caluinum.

Lib. eodem cap. 9. §. 8.
Suprà lib. 2. cap. 15.
Inf. à lib. 10. cap. 5.

Præterea, hinc aliud discrimen oritur, quòd illi qui tantopere de verbo glorientur, non verum & viuum Dei verbum habent, sed informem & confusum tantùm huius verbi sonum. Scriptura enim ipsa est quidem verbum Dei. Cæterùm huius verbi vox, est Ecclesia. Verbum enim Dei non loquitur, sed per locutionem auditur: non dicit, sed dicitur: non testificatur, sed est testimonium. Nos ergo verbum ipsum, vna cum voce loquentis hoc

Quartũ discrimen.
Protestantes non habent verbum Dei viuum sed informẽ sonum verbi.

verbum

A verbum, accipimus. Illi dum vocem loquentis & testificantis Ecclesiæ despiciunt, non Dei distinctum & formatum verbum habent: sed confusum & informem sonum Dei, quem *literã occidentẽ* Apostolus vocat: vnde mille hæresum portẽta fabricãt. Non sane secus quàm hodie Iudei, qui Prophetas & Psalmos retinent, sed ita intellectos, vt Christum in illis non videant, sed alium semper expectent. 1. Cor. 2.

Postremò, illud discrimen est, quòd nos Catholici Ecclesiam regi & doceri dicimus, idque infallibiliter, à Spiritu Dei, qui eam in testem assumpsit; quíque etiam propterea ei promissus & datus est, siue per verbum iam scriptum illam doceat, siue per non scriptum: vt sane non eam aliquando à verbo Dei seiungamus, (vt cauillatur Caluinus) aut sine eo tutò eam quauis incedere posse putemus; (imò vocem Ecclesiæ, esse vocem Dei per eam loquentis, demonstrauimus:) sed quòd verbum Dei & doctrinam Spiritus Sancti, latiùs patere quàm verbum Dei scriptum, certissimè credamus: quod & suo loco demonstrabitur. Illi verò, verbum Dei solis literis vtriusque testamenti iam scriptis includunt; nec latiùs patere posse, ne quidem si Spiritus Sanctus maximè velit, blasphemè docent. Sed de vtroque hoc postremo discrimine aliàs latiùs. Summa ergo est fidelem & Catholicum illum esse, qui non solùm credit Deo vt testi veraci eorum quæ dicit, si qua dixerit; sed etiam credit Deo iam reuelatori articulorũ fidei: Nec hoc solùm, sed etiam credit Deo reuelanti Articulos fidei, & testificanti illos per Ecclesiæ vocem. Eam quoque vocem non sub conditione, sed simpliciter & absoluté audit: idque siue ex verbo scripto loquatur, siue extra illud. Vt propterea vocẽ Ecclesiæ, seu potius

Quintum discrimen.

Lib. 12. cap. 1.

Infrà lib. 12. *Catholicus plena definitio.*

B Deum per Ecclesiã suam loquentem audire, sit plena & formalis ratio hominis fidelis & verè Catholici. Vnde etiam euidenter sequitur, quòd iudicium, & arbitrium supremum, infallibile, & necessarium omnium Controuersiarum de fide, seu Norma & Regula secundum quam omnes Controuersiæ expendi, decerni, & terminari debeant, est penes personam Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ: non in toto suo Corpore aut quouis Corporis membro, sed in suis Pastoribus & Episcopis, non quomodocunque docentibus, sed de quæstione fidei (præter Sacrarum Scripturarum testimonia) etiam ex Patrum suorum consentiente sententia, ex Conciliorum decretis, ex consensu totius Christiani orbis, ex notissima fidei Regula ab illa Ecclesia nobis tradita, & in illa semper inuiolabiliter conseruata, pronunciantibus & iudicantibus. Potissimum verò atque præcipuè, in Capite totius Corporis Vicario, S. Petri successore Romano Pontifice. Quę sane omnia ita se habere, ex his iam 4. Controuersiis per libros octo explicatis & absolutis, probatum satis & demonstratum esse, pro instituta hac docendi breuitate, videri potest.

Omnium Controuersiarum Iudex supremus & Norma.

Controuersia quarta, & libri octaui finis.

D

DE PRINCIPIIS FIDEI. Doctrinalibus Controuersia 5. & Lib. 9.

DE ECCLESIASTICÆ AVTHORITATIS obiecto Materiali. Et primùm, circa Canonem Scripturarum consignandum, & recipiendum, PRÆFATIO,

SEV

Introductio ad præsentem Controuersiam, vbi hæreticorum hodie, circa sacræ scripturæ Canonem vellicandum audacia exponitur. E

Vvm iam in quatuor Controuersiis principalibus, disputatum & demõstratum sit, quicquid de ipsa Ecclesia quæri potuit; In prima quidem, quæ & qualis, & penes quos sit vera Dei Ecclesia; In secunda, quod sit potestatis Ecclesiasticæ subiectum tam commune quàm primarium; In tertia de Mediis Iudicij & potestatis Ecclesiasticæ: In quarta qualis sit hæc Ecclesiæ potestas in seipsa considerata, indéque quatuor fidei principia deducta demonstrauimus, alia nunc fidei principia demonstranda sunt, quæ non tam ad ipsam Ecclesiam aut eius potestatem, quàm ad res ipsas, circa quas Ecclesiæ iudicium versatur, pertinent, quæ videlicet ad potestatis Ecclesiasticæ obiectũ spectãt. Obiectũ autẽ potestatis Ecclesiasticæ circa iudiciũ fidei, est quicquid in fide creditur. Attamen F inter ea quæ creduntur, præcipuum locũ habent, tanquam regulæ quædam subalternæ eorum omnium quæ creduntur, & tanquam principia quædam secundaria primis principiis proxima, Scriptura ipsa, Sensus Scripturæ, Dogmata non scripta: Nam ex his tribus principiis, capitibus, & fontibus deducuntur, dependent, & promanant alia omnia quæ in particulari creduntur. Etenim vt generale principium & supremum medium ad credendum est *Deus per Ecclesiam reuelans*, Sic ipsa Ecclesia vel potius Deus per Ecclesiam hæc tria probationum principia tanquam fundamenta religionis Christianæ primo loco posuit, vt videlicet quicquid de Deo vel de rebus diuinis credimus, ideo credamus, quia Deus illa per Ecclesiam reuelauit quidem, sed vel in verbo scripto, eóque benè & sane intellecto, vel in verbo non scripto, sed ab Apostolis ipsis viua voce tradito, & ad nos per manus deriuato. Volẽs ergo tum Ecclesiasticam potestatẽ ratione obiecti sui materialis in causa

Tria Principia fidei Catholicæ seu Regulæ subalternæ.

A causa fidei amplissimam esse demonstrare, tum reliqua probationum principia quibus doctrina fidei nititur explicare, hæc tria mihi pertractanda proposui. Si enim hæc tria non nisi per Ecclesiæ iudicium innotescant, profectò extra Controuersiam erit, reliqua omnia de quibus hodie cõtrouertitur, per Ecclesię quoque iudicium definienda & determinanda esse. Quúmque ex his tribus omnia argumenta petantur in aliis quibuscunq; particularibus Controuersiis, profectò si semel de scripturæ Canone, de sensu eiusdem, déque dogmatibus non scriptis cõstabit, patebit ad omnes alias Controuersias tractandas, examinandas, & terminandas ratio expeditissima & Norma certissima. Istud nunc ergo iuxta Analysim principiorum initio disputationis factam, per tres alias distinctas & Principales Controuersias inuestigemus.

Due maxime sequentiũ controuersiarum vtilitates.

Enimuerò horum temporum hæresis, vt nihil fere in religione intactum reliquit, ita & ipsum Scripturarum Canonem violauit. Nam ex veteris quidem testamenti Canone, Machabæorum libros, Ecclesiasticum, Tobiam, & Iudith, omnes vno ore Protestantes eiiciunt, & inter Apocrypha recensent. Anabaptistæ verò & noui Arriani horum temporũ, quos Seruetanos vel Tri-

Præsentis controuersiæ necessitas.

Quot & quàm varias S. Scripturæ partes Protestantes hodie reiiciant.

B nitarios appellant, aliorum exemplo audaciores facti, ipsum psalterium tanquam non à Dauide, sed à recẽtioribus quibusdam Iudæis post natum Christum conscriptum; Canticum quoque canticorum tanquam amatoriã cantilenam, item librum Iob, tãquam tragicomediam Hebræorum, similiter pro non sacris scripturis reiiciunt: Addentes præterea etiam in reliquis veteris testamenti libris, multa tam à Iudæis quàm à Christianis falsata fuisse. Ex noui autem testamenti Canone, omnes ferè Protestantes; Epistolam Iacobi, (quam stramineam vocare non est veritus Lutherus, planéque asserere nihil eam Apostolico Spiritu dignum habere) Petri secundam, Ioannis secundã & tertiam, item Iudæ audacissimè reiiciunt, multísque argumentis docere conantur Apostolicas non esse. Quin & de Epistola ad Hebræos scribit Lutherus, eam durum nodum habere, capite sexto videlicet, vbi de grauitate relapsorum post baptismum agitur, ideóque eam sibi displicere. Ipsa autem Euangelia, maximè Ioannis falsata esse Anabaptistæ asserunt. Atque hac sanè illi audacia & arrogantia, ipsarum Scripturarum Censores esse, bonámq;

Magdeburg. Cent. 2.

Populi seductio per protestãtes.

C illarum partem rẽscindere non verẽtur, populo interim persuadentes & turpiter imponentes, se solos esse puros & integerrimos verbi Dei professores, cultores, vindices; vniuersúmque Sacrorum bibliorum corpus integrum se retinere, & sacrosanctum habere. Sic enim vulgò ab imperito populo quem illi seduxerunt, prorsus existimatur & creditur. Quum tamen illi hodie soli varias Scripturarum Sacrarum partes è reliquo Canone excindant & abradant: soli verò Catholici integrum Canonem retineant. Nunc ergo vt ipsarum Scripturarum Canon integer retineatur, quæritur qua Authoritate ille Canon cõsignetur, & quo iudicio definiatur. De hac enim re, non secus quàm de ipso Canone cõtrouertitur, & prioris cõtrouersiæ hæc altera causa est, vt hac semel sublata, illa prior concidat necesse sit. Hæretici enim tam veteres quàm noui, quia propriis argumentis & iudiciis, sicuti cætera fidei Dogmata ita quoque & Scripturarum Canonem inquirunt, inde factum est, vt Canonis integritatem violauerint: & alij has, alij illas Scripturas vel admiserint, vel

Quare hæretici aliquas S. Scripturæ partes remouere audeant.

reiecerint, prout ipsorum Dogmatibus vel suffragatæ vel refragatæ fuerint. D
Cuius rei illustre exemplum est liber Apocalypseos. De quo etsi diu à veteribus dubitatum fuerit, etiam vsque ad Hieronymi tempora, quod vnum illis satis argumenti est, ad alias Scripturas quasdam reiiciendas, tamen omnes Protestantes pro canonica Scriptura illum librum nihilominus suscipiunt; quia videlicet bestiæ & Babyloniæ meretricis, quam Romanam Ecclesiam esse volunt, mentio ibi fit: & quia mulier in desertum fugiens, diabolúsque post mille annos solutus, pro defectione Ecclesiæ quam fingũt, facere videntur. Catholici verò, quia vna communi Regula tam circa cætera quæ credũtur, quàm circa ipsas Scripturas vtuntur, ideo soli Canonem Scripturarum integrum & germanum retinent, sicuti & reliquam fidem. Hæc vna communis Regula, est Ecclesiæ tradentis, testificantis, & approbantis Authoritas. Enimuerò sic ante has turbas, Catholici omnes vnanimiter docuerunt & senserunt. Nunc autem quia ab aduersa parte, in controuersiam vocata res est, illam diligenter expendamus. Et quia lubrica & varia hac in re aduersariorum sententia est; ipsáque in se Controuersia sinuosa & ampla est; vt ordine E procedat disputatio, eáque finibus quàm fieri potest breuissimis contineatur, primùm explicatis breuiter aduersariorũ sententiis, Controuersiæ punctum inter nos & Protestantes aperiemus: Deinde Catholicam sententiam, positis de more certis Assertionibus, quibus paulatim ad totam veritatem conscendatur, trademus & stabiliemus: refutatis interim quæ contrà afferuntur.

Protestantes apocalypsim admittunt quamuis olim pro apocrypha habitam, quia ipsorum dogmati fauere videtur.

Apocal. 12. 13. & 20.

Ordo præsentis libri.

Sententiæ

A

Sententiæ aduerſariorum de re propoſita, & ſtatus Controuerſiæ explicantur.

CAPVT I.

Lutheri ſententia.

VTHERVS ſanè in initio, ingenuè faſſus eſt ac docuit, *Eccleſiam habere poteſtatem diſcernendi verbum Dei à verbis hominum, ſed non proinde tamen eſſe iudicem verbi Dei.* Quam ſuam ſententiam aperuit, tum in Comitiis Auguſtanis anno 30. habitis, tum in lib. de captiuitate Babilonica, vbi de ſacramento ordinis agit. Brentius Lutherum ſequutus, in prolegomenis ſuis contra Petrum à Soto, ingenuè itidem agnoſcit, *per Eccleſiæ traditionem recipi Scripturas, & hanc traditionem eſſe vult certam, firmam, indubitatam, neceſſariam, ac omnibus modis amplectendam.* Et hactenus quidem nobiſcum ſentire videtur. At in Confeſſione Vvirtembergenſi (cuius idem Brentius præcipuus architectus fuit) reſtrictiùs hac de re loquuntur Lutherani. *Sacram Scripturam* (inquiunt) *vocamus eos canonicos libros, veteris & noui teſtamenti, de quorum Authoritate in Eccleſia nunquam dubitatum eſt.* Hæc ille. Quibus verbis, illos omnes libros è Canone excludunt, de quibus aliquando dubitatum fuit; & Eccleſiæ, nec totius, nec ſimpliciter, ſed tantum antiquiſſimæ & conſtanter ſentientis, ſententiam & Authoritatem admittunt: ſimúlque Eccleſiæ Apoſtolos ſequutæ, & huc vſque ſuccedenti, Authoritatem hac in parte omnem adimunt.

Brentij.

Vvirtembergicorum.

B

Magdeburgenſium.

Magdeburgenſes verò Centuriaſtæ, plus ſibi hac in re tribuunt, quàm Vvirtembergenſes auſi ſunt. Nam quamuis de illis quoque Scripturarum libris adhuc dubitandum cenſent, de quibus olim veteres dubitarunt; ideóque argumentis quibus poſſunt Iacobi & Iudæ Epiſtolam, duas quoque Ioannis poſteriores, necnon & Apoſtoli ad Hebræos conuellunt; (nequicquam illas hodie, & à multis iam ſæculis, approbante Eccleſia,) tamen Epiſtolam Petri poſteriorem & Apocalypſim recipiunt, & argumentis contra veterum dubitationem muniunt atque defendunt; vt iam ex horum ſententia non veterum tantum dubitatio, ſed & recentiorum quoque ſcrupuli & rationes, cauſæ eſſe poſſint cur è Scripturæ Canone liber aliquis reiiciatur.

Caluini.

Inſtit. lib. 1. cap. 7.

Caluinus Statum quæſtionis inuertit.

Caluini ſententia paulo hìc operoſiùs explicanda eſt. Omnium enim accuratiſſimè &, vt ſolet, callidiſſimè rem tractat. De hac enim quæſtione ex propoſito diſputans, primùm ſtatum quæſtionis inuertit, vt Catholicam ſententiam odioſam reddat, *Inualuit* (inquit) *apud pleroſque pernicioſiſſimus error, Scripturæ tantùm ineſſe momenti, quantum illi Eccleſiæ ſuffragiis conceditur: ac ſi verò æterna inuiolabiliſque Dei veritas, hominum arbitrio niteretur. Sic enim magno cum ludibrio Spiritus Sancti quærunt. Ecquis nobis fidem faciat hæc à Deo prodiiſſe? Ecquis ſalua & intacta ad noſtram vſque ætatem perueniſſe, certiores reddat? Ecquis perſuadeat, librum hunc reuerenter excipiendum, alterum numero expungendum, niſi certam iſtorum omnium Regulam Eccleſia præſcriberet? Pendet igitur, inquiunt ab Eccleſiæ determinatione, & quæ Scripturæ reuerentia debeatur, & qui libri in eius catalogo cenſeantur.* Hæc Caluinus. Fatemur autem quæſtiones hic ab eo propoſitas, totieſque repetitas, noſtras eſſe; ſed non ex illis quæſtionibus, hoc totum conſequi quod in principio dixit, & in fine noſtro nomine concludit: ſcilicet *ab Eccleſia pendere, quæ Scripturæ reuerentia debeatur.* Longè enim hoc aliud eſt, quàm *ab Eccleſia pendere, qui libri in Scripturæ catalogo cenſeantur.* Illud enim Scripturæ ſacræ reuerentiam conſiderat, vt in ſeipſa eſt; & hoc eadem conſiderat quoad nos, de qua re poſtea.

C

Ex aſſumptis Catholicorum concludit hæreticus quod vult eos dicere non quod dicunt.

Status præſentis Controuerſiæ.

Nos autem in hac controuerſia, non quærimus quare Scriptura hæc vel illa ſit ſacra aut diuina; & vnde hoc habeat in ſeipſa: ſed quærimus, vnde hoc nobis conſtat quod ſit diuina. Obſerua ergo diligenter quòd in principio diſputationis, ſtatum quæſtionis (vt in aliis Controuerſiis alij ſolent proteſtantes) callidè Caluinus inuertit. Deinde verò, quum aliquot argumentis Catholicam ſentententiam de recipiendo Scripturæ Canone, ex Authoritate Eccleſiæ vellicaſſet; (quibus ſingulis ſuo loco reſpondebitur,) ſuam tandem ſententiam & opinionem hac in re explicat: & dicit; *Quare cùm*

Scripturarum Ecclesia recipit, & suffragio suo obsignat, non ex dubia aut alioqui Controuersa authenticam reddit; sed quia veritatem agnoscit esse Dei sui, pro pietatis officio nihil cunctando veneratur. D

Caluini fraus aperitur.

Hæc ille. Iterum veteratorem agit Caluinus. Ecclesia enim, vt Magistros & Pastores populi fidelis significat; (quo sensu in hac Controuersia semper accipitur) non solùm veneratur Scripturam, sed & commendat eam suo testimonio, tradit, consignat: respectiuè scilicet, ad subiectum sibi populum.

Distinctio notanda.

Vt autem populum fidelem, aut ipsos Pastores tanquam membra & priuatas personas Ecclesia significat; tantummodo veneratur Scripturam: non etiam commendat aut tradit eam.

Quo sensu Ecclesia consignat Scripturam.

Deinde quum suo suffragio obsignat scripturam Ecclesia, non ex dubia simpliciter, sed ex dubia quoad nos, authenticam reddit; nec simpliciter authenticam, sed quoad nos. Cæterùm posito quòd nullo modo ex dubia authenticam redderet, quæritur qua authoritate, quo testimonio, quibus argumentis adducta Ecclesia; agnoscit & credit esse Dei sui veritatem, ideóque veneratur. Hoc quia necessariò quæri videbat Caluinus, subiũgit. *Quod autem rogant, vnde persuadebimur à Deo fluxisse, nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus; perinde est ac si quis roget, vnde discemus lumen discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro? Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum vltrò Scriptura præ se fert, quàm coloris sui res albæ ac nigræ, &c.*

Fucus Caluini detegitur.

Videatur hic fortasse Caluinus, cuipiam eius strophas non intelligenti, dicere ac docere; de scripturarum canone dubitari & controuerti non posse: tam esse cuius manifestissimam, &c. Quod si ita est, quî fit; vt tam multi olim hæretici tam varias scripturæ partes sustulerint, tam multi hodie denuò tollant, tam multi denique Pagani, Turcæ & Iudæi in vniuersum reiiciant? Illi vtrunque, hi nouum Testamentum. E

Lux Scripturarum quã ponit hæreticus est priuatus Superbiæ Spiritus.

Sed lux ista scripturarum, quam Caluinus ita deprædicat, nihil est aliud, quàm priuatus superbiæ spiritus illi cum cæteris omnibus hodie hæreticis communis. Quod ex eius sequenti doctrina nunc demonstrabitur. Nempe eodem cap. paragr. 4. punctum quæstionis propositæ explicaturus: *Si conscientiis,* inquit, *optimè consultum volumus, ne instabili dubitatione perpetuò circunferantur, altius quàm ab humanis iudiciis petenda est hæc persuasio: nempe ab arcano Spiritus testimonio.* Et paulò post. *Non ante fidem reperiet sermo in hominum cordibus, quàm interiore Spiritus testimonio obsignetur.* Et iterum. *Maneat ergo hoc fixum, Scripturam quidem ipsam demonstrationi & rationibus subiici fas non esse: quam tamen apud nos meretur certitudinem, Spiritus testimonio consequi.* Postremò in fine 8. cap. *Tum demum,* inquit, *ad salvificam Dei cognitionem Scriptura satisfaciet, vbi interiori Spiritus persuasione fundata fuerit eius certitudo.* Hæc ille. Si Caluinus de dono fidei & lumine gratiæ intus nos docentis, &

Lib 8. cap. 22.

omnem veritatem per Ecclesiæ ministerium reuelatam nobis testificantis, (vt in superiori Controuersia docuimus:) hæc omnia diceret, quæ de spiritus testimonio dicit; esset eius doctrina magis vero similis. Nam sine dono fidei, Ecclesiæ vocem nihil efficaciter operari, suprà docuimus: nec sic tamen esset omnino hæc eius doctrina vera. Quamuis enim sine dono fidei, Ecclesiæ vox fidem non facit; tamen nec ordinariè absq; Ecclesiæ voce hoc fidei donum infunditur; nec extraordinariè sic infunditur, vt Ecclesiæ vocem contemni liceat, vt suprà in

Lib. 8. cap. 4.

præcedenti Controuersia dictum est. Agitur autem hîc de ordinaria, publica, & externa Canonicæ Scripturæ certitudine. Nunc verò Caluinus per Arcanum Spiritus testimonium, nihil aliud intelligit quàm priuatam quandam lucem & priuatam persuasionem, qua sibi quisque Spiritum Dei venditat; & iuxta quem Spiritum, tum de Scriptura, tum de scripturæ sensu, tum etiam de quouis alio dogmate iudicare vnumquemque posse, dogmatisat: iuxta illud, F

Arcanum spiritus testimonium quid sit Caluino.

1 Cor. 2.

Lib. 1. cap. 13.

Spiritualis omnia diiudicat. Quæ etiam Lutheri doctrina fuit in libro *de Seruo arbitrio*: vt in prima Controuersia ostendimus in Lutheri inuisibili Ecclesia describenda. Nam propterea Caluinus semper vtitur vocabulo *arcani testimonij*: videlicet non de quo publicè per Ecclesiam constat, sed quod sibi quisque seorsim vẽditat, *per interiorem persuasionem Spiritus.* Quo etiam vocabulo vtitur in verbis postremis ex eo citatis: vt planè intelligamus eum non de dono fidei loqui, quo intrinsecus operante, foris auditur Ecclesia, & fit *fides ex auditu*; sed de persuasione

Rom. 10.

priuata, quam sibi quisque ex Deo se habere persuadet, absque Ecclesiæ Magisterio, iudicio, vel testimonio. Quod quidem Ecclesiæ magisterium, ne vlla instabili dubitatione perpetuò circunferamur, Christus instituit, vt ex Apostolo ad Ephes. 4. iam alio in loco non semel

Ecclesiæ magisterium est plerophoria nostra.

demonstrauimus: volens sanè vt Ecclesiæ vox, non priuata cuiusque persuasio, esset illa plerophoria, & plenissima fluctuantis animæ pax & resolutio. Ex hac autem persuasione priuata

Caluini singularis sententia.

gignitur illa præsumpta lux, quam in scripturis esse superius dixit. Singularis ergo hæc eius sententia est, Ecclesiæ testimonium penitùs excludens, & à Lutheranis multùm diuersa; qui & ex ecclesiæ testimonio, & etiam ex argumentis probabilibus collegerũt, qui libri in Canonem

Punctũ præsentis Controuersiæ.

scripturæ referendi essent, qui non. Punctum ergo Controuersiæ inter nos & aduersarios

hac in

A hac in re est, quòd illi quidem Ecclesiæ testimonium vel nullius prorsus authoritatis esse sentiunt, sed *arcanum Spiritus testimonium*, ad scripturam cognoscendam sufficere docent, vt 1.
Caluinus & eius sequaces: vel authoritatem quidem illud habere volunt; ita tamen vt aut ve- 2.
teris tantùm Ecclesiæ, idémque constans & perpetuum testimonium admittant; succedentis autem Ecclesiæ nullum in hac parte iudicium statuãt, vt Brentius cum suis Vvirtembergen- 3.
sibus: aut etiam ipsius veteris Ecclesiæ iudicium sic admittant, vt auditis rationibus meliori-
bus etiam ab ea recedere liceat, vt Magdeburgenses Centuriastæ; aut denique Ecclesiæ qui- 4.
dem potestatem simpliciter hac in re admittant, ita tamen vt sine iudicio quasi superioris potestatis id fiat: quæ Lutheri fuit, & molliorum adhuc hodie Lutheranorum sententia est. Nos autem Catholici Ecclesiam & quæ nunc est, & quæ ab initio fuit, Scripturæ Sacræ Canonem consignare, & fidelibus tradere posse, asserimus; idque cum Authoritate, cui fideles omnes obtẽperare necesse est: siue olim recepti in Canonem aliqui libri fuerint siue nõ. Puncto ergo præsentis Controuersiæ, & aduersariorum sententiis hactenus explicatis; nunc Catholicam sententiam studiosè confirmabimus: positis certis Assertionibus; in quibus & varij huius Controuersiæ articuli distinctè tradentur, & omnes aduersariorum opiniones & cogitationes dilucidè refutabuntur. *Catholica Sententia.*

B

Protestantum Argumenta, quòd non conueniat Scripturam per Ecclesiæ Iudicium determinari, recensentur: & veritas Catholica in contrarium confirmatur.

CAPVT II.

NON est inconueniens, vt ipsamet Sacra Scriptura per Ecclesiæ iudicium & authoritatem consignetur, populóque fideli tradatur. *Assertio prima.*

Ponitur primo loco hæc Assertio propter horum temporum aduersarios, qui vel ea maximè de causa Ecclesiæ hac in re authoritatem reiiciunt, quia absurdum illud & scripturæ Majestate indignum censent. His autem argumentis nituntur. *Argumenta Protestantium.*
1. Si ab Ecclesiæ determinatione pendet Scripturæ Ca- 1.
non, fiet vt quæcunque extant de vita æterna in scripturis promissiones, solo hominum iudicio fultæ consistant. Ita nulla erit conscientiis securitas aut certitudo. 2. Fides nostra ri- 2.
dicula videbitur: quæ cùm ferè ex Scripturis tota petatur, hominum beneficio non secus ac precariam habebit authoritatem. 3. Testimonium spiritus omni authoritate præstan- 3.
C tius est. Itaque idem spiritus qui in Scripturis loquitur, nobis quoque persuadebit, se in scripturis esse loquutum. Deus enim solus idoneus de se testis est. 4. Apostolus testatur, Ec- 4.
clesiam Apostolorum & Prophetarum fundamento sustineri (*superædificati*, inquit, *super fundamenta Apostolorum & Prophetarum*) ergo præcedere Ecclesiam Apostolica doctrina debet, eiúsdémque approbatio, sine qua Ecclesia non extitisset. Hæc quatuor argumenta facit Caluinus. *Ephes.2.* 5. Scripturæ in doctrina religionis Principij locum habent, per quod om- 5.
nia probentur, ipsum autem per se constet, sicuti apud Philosophos communes animi conceptiones seu axiomata. Non ergo per Ecclesiam approbari eas conuenit. *Instit. lib.1. cap.7.* 6. Ecclesia 6.
subiicitur Scripturæ; quæ videlicet *in tam sublimi sede constituta est, vt ei seruiat omnis fidelis & pius intellectus*: ait Augustinus contra Faustum. Si ergo de scriptura iudicet Ecclesia, inferior de superiori iudicabit: quod est inconueniens & contra doctrinam eiusdem iterum Augustini, vbi docet *iustos & spirituales ita cum lege & Deo esse, vt quodammodo ipsi lex fiant; sic tamen, vt secundum legem quidem iudicent omnia, de ipsa tamen lege iudicare non possunt*. Aut ergo Scriptura inferior erit voce Ecclesiæ, quod videtur absurdissimum, aut de Scriptura iudicare Ecclesia non potest. *Lib.11. cap.5.* *Lib. de vera religione cap.31.*

Antequam his argumentis respondeatur, breuiter Assertionis nostræ sensum & rationes aperiemus. Primùm, cùm dicitur Scripturas Ecclesiæ iudicio consignari, intelligitur quoad

Quòd non sit inconueniens Scripturas per Ecclesiã determinari.

acceptationem nostram, non quoad seipsam. Nam Scriptura quoad se ipsam attinet ex Deo authore eius habet, vt sit sacra: & siue adhuc acceptetur ab Ecclesia, siue non; erit sacra. Non quòd possit aliquando Ecclesia eam Scripturam quæ verbum Dei est repudiare; sed quòd possit aliquando non acceptare. Sic enim, & multa alia fidei dogmata Ecclesia posterorum acceptauit, & in articulos fidei retulit, quæ à maioribus non erant publicè & explicatè pro talibus acceptata: Spiritu Sancto paulatim & per gradus omnem veritatem docente, sicut & suæ sapientiæ conuenire, & hominum saluti expedire videbat. Illa tamen omnia nihilominus in se, veritates erant certissimæ. Sic verbi causa; Deus semper erat Adonai, quamuis *hoc nomen* ipsi Abrahæ, Isaac, & Iacob, *non indicauerat Deus*. Sic mysterium Christi mediatoris erat ab æterno, licet *in alijs generationibus non agnitum, reuelatum est sanctis Apostolis*. Sic & in ipso statu noui Testamenti Spiritum Sanctum procedere à Patre & filio: animas de nouo & in singulis creari; Sanctorum animas statim post mortem Dei visione frui; Baptismum hæreticorum iterari non posse; & huiusmodi multa alia, erant quidem semper articuli verissimi; sed variis & certis temporibus sic ab Ecclesia traditi & commendati sunt; vt illos pro talibus acceptare & explicitè credere, non nisi talibus temporibus necessariò Christiani debuerint. Hoc est enim *superædificare super fundamentum, & supplere ea quæ desunt fidei*. De qua re lege Augustinum Tract. 98. in Ioan. & S. Thom. secunda secundæ quæst. 1. artic. 7. Ergo iudicium quod hic exercet Ecclesia, non respicit scripturam nisi materialiter; quia videlicet ecclesiæ iudicio obtemperare nos debemus, & propter eius iudicium Scripturam pro Sacra acceptare. Esset sanè inconueniens si ipsa rerum veritas, siue Scripturæ, siue aliorũ quæ creduntur, ab Ecclesiæ iudicio sic penderet, vt non aliter vera esset, nisi Ecclesia approbaret. Nunc autem Ecclesia non facit vt vera sint; sed vt pro veris credantur. D

Exod. 6. — Ephes. 3. — *Dogmata quædam progressu temporis accepta.* — 1. Cor. 3. — 1. Thessal. 3. — *Ecclesiæ Iudiciũ nõ respicit Scripturam nisi materialiter.*

Deinde quòd per Ecclesiæ iudicium innotescat nobis Scriptura, non est magis inconueniens; quàm quòd Deus ipse, & Christus, aliáque omnia mysteria fidei per Ecclesiam nobis innotescant. Est enim scriptura vnum ex his quæ creduntur; nec excellentior esse potest, quàm Deus ipse. Et Deus quidem tanquam Author naturæ, innotescit *per ea quæ conspiciuntur visibilia mundi huius*; Vnde & testimonium diuinitatis illa nuncupantur. Vt autem bonũ beatificum nostrum reuelauit seipsum vel per Angelos, (vt loquens Patriarchis) vel per Prophetas, vel denique per filium suum, loquens nobis in illo. Sed & ipse filius eius homo factus innotescere nobis voluit per Ioannem, dicentem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Quemadmodum ergo inconueniens non erat, *vt Ioannes testimonium perhiberet de Christo vt omnes crederent per Ioannem*; nec vt Apostoli testes essent Christo, iuxta illud: *Eritis mihi testes, &c.* nec hoc derogat aliquid Christo; sic nec Scripturis derogat, quòd per Ecclesiæ testimonium & iudicium nobis tradantur & consignentur. E

Rom. 1. — Act. 14. — Hebr. 1. — Ioan. 1. — Ioan. 3. — Act. 1.

Præterea, non est magis inconueniens per homines commendari Scripturam, quàm per homines illam scribi. Nam & hoc mouit olim Paganos quosdam *vt Euangelicis literis minus crederent: quia Christus ipse nihil scriberet, sed tantum discipuli eius, qui magistro suo* (aiebant illi) *amplius tribuebant quàm erat*. Contra quorum errorem scripsit Augustinus de consensu Euangelistarum librum primum, vt fatetur ipse libro eodem. At scriptura omnis per homines, Prophetas, Apostolos, & Euangelistas scripta est. Quòd si ergo hoc nihil scripturarum dignitati derogat, sed ita eorum mentes & calamum dirigere Spiritus sanctus potuit, & voluit, vt ne in minimo quidem errarent; nec etiam Scripturæ derogabit, quòd iam scripta hominum testimonio & iudicio approbetur; nec absurdum erit sic Ecclesiæ iudicium hac in re Spiritum sanctum dirigere potuisse, vt non aberraret. F

Sicut per homines scribi, sic per homines Commendari Scriptura potest. — Cap. 7. de retract. lib. 2. Cap. 16.

Argumentis Protestantum suprà allatis respondetur.

CAPVT III.

A ENSV ergo & ratione Assertionis nostræ sic breuiter explicata, argumentis respondebitur.

Ad primum respondetur. Ecclesiæ iudiciū hac in re non est merè humanum aut vllo modo dubium, vt propterea fluctuare debeat fidelis animus audiēs Ecclesiam Scripturas commendantem; sed est diuinū & infallibile, vt ei propterea obedienter parere debeat & tutissimè acquiescere possit fidelis animus, sicuti suprà explicatū est in quarta Controuersia. Disertè enim dixit per Apostolum Spiritus sanctus, dedisse Christum Apostolos, Pastores, Doctores, &c. *ne circunferamur omni vento doctrinæ*, ideóque per Ecclesiam *consultum conscientiis voluit, ne instabili dubitatione perpetuò circunferamur*, quod soli arcano testimonio Spiritus tribuendum docuit modo Caluinus. Et hæc est illa *consummatio sanctorum* (id est confirmatio seu corroboratio, vt alibi explicuimus *ne semper simus paruuli fluctuantes*) ad quam operandam Christus dedit Ecclesiæ Magistros & præpositos. Neque enim quum Ecclesiæ iudicio nititur fidelis, in ipsa Ecclesiæ voce seorsim accepta & quasi humana acquiescit, sed in Deo per Ecclesiam loquente: vt in quarta modò Controuersia ostēsum est. Ideóque à Deo qui per Ecclesiam loquitur, securitatem atque fiduciam, tùm ipsarum Scripturarum, tùm diuinarum promissionum, quæ in Scripturis habentur, animus fidelis petet.

Ad primum. Lib. 8. cap. 12. & seq. Ephes. 4. Cap. 19. & seq.

Similiter ad secundum respondetur. Non enim hominum beneficio, sed ex Dei testimonio per homines loquente, authoritatem suam habet Scriptura, & reliqua fides nostra: nec precariam aliquam Authoritatem, (vt cauillator Caluinus nugatur) quasi ab Ecclesia dependentem in seipsa, Scriptura ab Ecclesia accipit; sed apud nos Authoritatem habet tali conditione, loquentis scilicet per Ecclesiā Dei, nobis cōmendatam & illustrem factam. Vox enim Ecclesiæ est cōditio loquētis Dei nobis necessaria, & propter nos ordinata, vt suprà ostensum est. Non autem est conditio aliqua, ipsi Scripturæ aut fidei in se necessaria: vt iam dictum est.

Ad secundum. B Lib. 8. cap. 8.

Ad tertium respondetur: Testimonium quidem Spiritus Dei esse omni authoritate superius, sed ne seductorij spiritus sub titulo Diuini Spiritus se ingerant, debere hoc testimonium Spiritus publicum esse, non priuatum tantum: & manifestum ac certum, non arcanum: quale obtendi facilè à quocunque posset, vt videlicet non solùm sit à Deo testimonium illud, sed etiam constet esse à Deo. Agitur enim de eo quod fidei est, & publicæ atque communis doctrinæ, de qua omnibus constare debet quòd à Deo sit. Tale autem publicum & illustre Spiritus sancti testimonium in Ecclesia Dei perpetuò residere suprà docuimus: ideóque Spiritum Dei per Ecclesiam loqui, & de verbo suo per os Ecclesiæ testimonium perhibere: sicuti *de salute ventura testimonium perhibuit per os Prophetarum eius*. Nec cùm Ecclesiæ testimonium aut iudicium prædicamus, Dei Spiritum, vel ab Ecclesia docente, vel à nobis audientibus excludimus, (vt vel stultissimè de nobis imaginantur, vel vafrè & sceleratè cogitare se fingunt Protestantes) sed vtrobiq; disertè includimus. Hūc enim Spiritum Dei, & cum Ecclesia Dei inseparabiliter coniungi, in his quæ sunt fidei tradendis, suprà docuimus: & singulis quoque adesse, vt docenti Ecclesiæ credant, ostendimus. Cæterùm aduerte hæc tria argumenta non magis contra scripturam, quàm contra alia omnia quæ creduntur, militare; & ex eo fundamento deduci, quòd Ecclesiæ iudicium pro consensu merè humano, & spiritu Dei destituto, hæretici hodie accipiunt; existimantes vel existimare se simulantes, Ecclesiæ Authoritatem à nobis, vt merè humanam commendari; & fidem à nobis non infusam diuinitus, sed acquisitam humanitus prædicari. Et ideò cōtra scholasticos illos, qui fidem acquisitam nimium extulerunt, aliquo modo hæc argumenta procedunt; sed contra Catholicam sententiam à nobis in præcedente Controuersia explicatam, nihil planè faciunt.

Ad tertium. *Testimonium Spiritus debet esse publicum.* Lib. 8. cap. 14. & seq. Luc. 1. Contr. 4. li. 8. Cap. 12. Eiusdē contr. Cap. 2. & 3. C

In quarto argumento triumphat Caluinus, & *Rabulas nos vocās, hoc vno Apostoli verbo nos pulchrè refelli* iactitat. At sanè hoc vno verbo peregregiè ipsemet refellitur. Nam dixit Apostolus fideles *superædificari super fundamenta Apostolorum & Prophetarum*, quia sanè proximè post Christū *qui est lapis angularis*, Propheticæ & Apostolicæ prædicationi, testimonio, magisterio, innituntur fideles. Hæc autem prædicatio Prophetica, & Apostolica est vox Ecclesiæ. Non enim de scriptis Apostolicis (quæ nondum scripta erant) illa Paulus dicere potuit, sed de prædicatione Apostolica de qua alibi dixit. *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Et de qua Petrus quum dixisset, *Verbum Domini permanet in æternum*, adiecit: *hoc est autem verbum quod Euangelizatum est vobis*. Nam quòd Prophetas adiungit, ideo fit, quia vel veteris testamenti prædicationem fidelibus quoque necessariam docet, vel (quod magis existimo) quia noui testamenti Prophetas, id est, interpretes sermonum intelligit; de quibus postea loquutus est, dicens illis esse *reuelatum mysterium Christi*: & cap. 4. docēs Christum tales dedisse Ecclesiæ suæ,

Ad quartum. *Caluinus triumphum ante victoriam.* Ephes. 3. *Fundamentum Apostolorum, prædicatio Apostolica.* Rom. 10. 1. Petr. 1. *Prophetæ noui Testamenti.* Ad Ephes. cap. 3. 1. Cor. 14.

& quorum officium alibi describit. Ergo docet Apostolus; fideles vt corpus Ecclesiæ consti- D
tuunt, niti fundamento Apostolicæ & Propheticæ doctrinæ; & hanc doctrinam consequen-

Doctrina Apostolica præcedit Ecclesiã vt fidelium corpus signat.

ter præcedere Ecclesiam eo sensu acceptam. Non autem vt Ecclesia ipsos Apostolos & prædicatores significat (nam quatenus tales, ædificatores ipsi & architecti sunt) sed vt populum credentem notat. Itaque fallit lectorem in æquiuoco vocis Caluinus dupliciter. Nec enim doctrina Apostolica Scripturam, sed prædicationem Apostolorum hoc in loco significat; nec Ecclesiam vt Magistros & præpositos, super hanc doctrinam fundari dicit; sed ipsos fideles, vt corpus Ecclesiæ constituunt. Fundamentum autem ipsorum Ecclesiæ Magistrorũ vt talium, est Christus & Spiritus Christi, ipsis promissus; non ipsa prædicatio quam faciunt, aut doctrina quam tradũt. Illa enim nos respicit, non illos quatenus tales sunt. *Ideò enim sunt fundamenta*

Enarrat. in Psal. 88.

(ait Augustinus) *quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram. Ideò etiam portæ quia per illos intramus in regnum.* Quare ad formam argumenti dicitur; nec scriptura, nec eius approbatio, præcedit Ecclesiam; id est Præpositos & Pastores Ecclesiæ, sed illam sequitur; non quidem tempore aut natura sua posterior, sed in acceptatione quo ad nos. Non enim à nobis acceptatur, nisi approbatio Ecclesiæ præcesserit. Apostoli autem verbá, nihil ad rem præsentem faciunt.

Ad quintum.

Ad quintum respondetur, principia scientiarum in se quidem non probari; sed esse indemonstrabilia in eo quod quid est. Tamen propter nostram tarditatem, nobis interdum explicari, & demonstrari quia sunt. Sic Scripturæ per Ecclesiam demonstrantur non quid sunt,
sed quia sunt: vt à nobis videlicet acceptentur non vt in seipsis sacræ & diuinæ subsistant. E
Præterea non sic est principium Scriptura, quin prius eo sit vox Ecclesiæ. Nam Scriptura est vnum ex iis quæ creduntur; vox Ecclesiæ est regula omnium quæ creduntur. De quo discri-

Lib. 12. cap. 16.

mine latius postea in Controuers. 7.

Ad sextum.

Ad Sextum respondetur. Ecclesia vt corpus fidelium significat, subiicitur & seruit Scripturæ simpliciter & absolutè, nec de ea iudicium aliquod fert. Et in tali sensu loquutus est

Lib. 12. cap. 18.

August. in loco contra Faustum. Vt autem significat Præpositos Ecclesiæ Spiritu Sancto ad docendum instructos, sic Ecclesia & de ipsa Scriptura nondum acceptata indicat vt acceptetur (non ipsi authoritatem tribuens, sed nos docens, quòd ei authoritas sit tribuenda,) & se-

Quomodo Ecclesia iudicat de Scriptura.

cundum eam iam semel acceptatam omnia iudicat, quæ per eam iudicari possunt. Nec aliter sensit Aug. in loco de vera religione. Loquitur enim disertè de lege iam constituta, cùm de ea dicit neminem iudicare posse. Subiungit enim statim. *Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent quum eas instituunt; tamen quum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.* Hæc ille. Neque verò, quum de acceptandis Scripturis iudicat Ecclesia inferior de superiori iudicat; partim quia Deus per Ecclesiam iudicat, non Ecclesia sine Deo; partim quia iudicium hoc nos respicit formaliter nõ ipsam scripturam, vt iam dictum est. Secus in humanis legibus fit, vbi ex iudicio & arbitrio hominum tota vis legum pendet, vt est suprà explicatum.

Suprà lib. 8. cap. 16.

Sed vt melius ac plenius aduersariorum ora obstruantur, suis ipsorum armis hanc eorum F
calumniam, & inuidiam quam Catholicis hoc nomine concitant, retundemus. Etenim quod Lutherani & Caluinistæ disputant contra Ecclesiam pro Scripturis, quia eius authoritatem etiam circa Scripturas commendant Catholici, idem disputat secta Svuckfeldianorũ

Angli Superilluminati.

& multorum hodie Anabaptistarum (quales etiam hodie in Anglia sunt, quos superilluminatos vocant,) pro Spiritu contra Scripturas, quia Scripturarum authoritatem etiam ad diiudicandos spiritus adhibent Caluinistæ. Nam quemadmodum illi sic Scripturas extollunt, vt Ecclesiã in illis determinandis contemnant; sic isti ita spiritum & immediatas suas reuelationes prædicant, vt scripturas circa illas diiudicandas prorsus respuant, nec vllo modo ferãt. Vtuntur enim eodem argumento contra Caluinistas, quo Caluinistæ contra nos. Sic enim

Caluinus suo gladio iugulatur.
Instit. lib. 1. cap. 9.

disputant teste Caluino, qui hæc de illis refert. *Indignum esse causantur Spiritum Dei, cui subiicienda sunt omnia, Scripturæ subiacere: vt videlicet emortuam & occidentem literam consectari cogamur, cùm solum Spiritus magisterium ad omnia sufficiat.* Huic eorum argumento respondet Caluinus. *Quasi verò hoc sit ignominiosum Spiritui Sancto sibi esse vbique parem & conformem; ac nusquam à se variare. Equidem si ad humanam vel Angelicam, vel aliam quamuis regulam exigeretur Spiritus Dei, censendus tum esset in ordinem, imò in seruitutem redigi. Sed dum sibi ipsi comparatur, quis ideo dicet ei irrogari iniuriam? Atque ita ad examen reuocatur, fateor. Sed quo suam apud nos maiestatem sanciri voluit. Nobis quidem abunde esse debuerat, simulatque se nobis insinuat. Verùm ne sub titulo suo, Satanæ spiritus obrepat; in sua imagine, quam scripturis impressit, vult à no-*

bis re-

A *bis recognosci.* Hæc ille contra Svuenkfeldianos. Totidem verbis nos illi de Ecclesia responde-
mus, argueti indignũ esse, Ecclesiæ subiici scripturas, quibus omnia subiiciuntur. Nam quia
per Ecclesiam Deus loquitur, (vt iam satis probatum est,) idque non secus ac per Scripturã; *Scriptura non*
ideircò nõ ad regulam aliquam vel angelicam, vel humanam exigitur Scriptura; (etsi vt olim *exigitur ad re-*
Angelorum ministerio, sic postea hominum, verbum suum Deus hominibus patefecerit,) *gulam humanã*
sed sibiipsi comparatur & conformis inuenitur. Idem enim Dei spiritus qui in Scripturis lo- *iudicante de illa*
quitur, per Ecclesiam loquitur. Quod cùm fit, quis dicet, verbo Dei scripto iniuriam irroga- *Ecclesia.*
ri? Nam ad examen quidem reuocatur Scriptura, fateor; sed tale, quo suam majestatem nobis
certò innotescere & sanciri voluit Deus. Et sanè verbum Dei vbicunq; lectum, vel auditum,
nobis abundè esse debuerat; si nulla esset in rerum diuinarum cognitione, vel ignorantia no-
stra vel superbia. Verùm ne sub titulo verbi Dei & Scripturæ sacræ, fabulosa & hæretica sim-
plicioribus obtruderetur, Deus in sua imagine quam Ecclesiæ verissimæ sponsæ suæ ad viuũ
impressit, vult à nobis recognosci. Sic ergo, quæ ratio ostendit, non esse inconueniens, vt pro *Vt probantur*
Spiritu Dei aut reuelatione diuina non recipiatur, vtcunque prætexatur, quod scripto Dei *Spiritus per Scri-*
verbo contrarium est; quia in scripto verbo Deus loquitur, nec sibi contrarius esse potest; ea- *pturam, sic Scri-*
dem ratio docet quoque non esse inconueniens, vt pro scripto Dei verbo non admittatur, vt- *ptura per Eccle-*
cunque Scripturæ titulum præ se ferat, quod Ecclesiæ Dei iudicio contrarium est, aut eius *siam.*
testimonio & approbatione caret; quia Deus per Ecclesiam semper loquitur quandocunque
Ecclesia loquitur, nec sibi contrarius esse potest.

B

Necessarium esse, vt Ecclesiæ authoritas scripturarum canonem consignet.

CAPVT IIII.

Ecessarium est, vt Ecclesiæ authoritas & iudicium Scriptu- *Secunda Asser-*
rarum Canonem fidelibus consignet. *tio.*

Necessarium hoc loco dicimus eo sensu, quo ipsam Ecclesiæ authori- *Cõtro. 4. li. 8.*
tatem in aliis fidei dogmatibus necessariam esse suprà docuimus; nobis *cap. 7. 8. & 9.*
scilicet, tùm propter nostram & infirmitatem iuuandam & superbiã edo- *Scripturarum*
mandam; tum etiam propter Dei ordinationem, qui per Ecclesiam om- *Canon indubi-*
nia nos discere voluit. Probatur autem hæc Assertio variis argumentis. Nempe cum scriptu- *tatus non erit*
rarum Canonem certum & indubitatum habere, maximè sit religioni & fidei necessarium; *nisi per Ecclesiã.*
(quod ex se patet) hoc aliundè exploratum habere, quàm ab Ecclesiæ authoritate non possu-
mus. Primùm quia maior & certior authoritas, quæ omnem à conscientiis dubitationem in- 1.
stabilem remoueat, nulla est: Deus enim per Ecclesiam nos docet, nec sine Ecclesia docere
disponit. Deo autem docente nihil certius. Rursum quæcunque alia media tentaueris, ad Ec- 2.
C clesiam recurrẽdum est. Nam siue ex stylo & phrasi, vel Apostolica vel Prophetica iudicium
sumpseris; siue ex analogia & regula fidei; siue alia aliqua ex causa, in his omnibus sola Eccle-
sia certissima iudex est. Illa enim sola nouit optimè vocem sponsi sui, & Phrasim loquendi
eius. Illa sola de regula fidei iudicat certissimè, vt quæ illam nobis tradit. Deinde scriptura per 3.
scripturam probari non potest; nec in toto, nec in illis partibus quæ posterius scriptæ sunt. *Scriptura per*
Nam quamuis dubitans de vna parte Scripturæ prius scripta & tradita, posset fortasse ex aliis *Scripturam*
partibus posterius scriptis quas admittit, conuinci, (sicuti qui negaret legem & prophetas, sed *probari non po-*
nouum testamentum reciperet, conuinci posset ex nouo Testamento legem à Deo profectã *test.*
esse, & Prophetas diuinos fuisse, quod facit diligenter & copiosè Augustinus in libris contra
Faustum, & contra aduersarium legis & Prophetarum:) tamen nec in iis quæ posteriùs scri-
ptæ sunt, idem præstari potest (neganti enim, verbi causa, Epistolas Pauli, ex Euangeliis, vel ex
toto veteri Testamento nullo modo probari posset illas esse Canonicas) nec in tota ipsa Scri-
ptura. Probatio enim omnis à notioribus procedit. Neganti ergo simpliciter, aut nescienti o-
mnino totam Scripturam, ex Scriptura nihil probatur. Vtrobique tamen Ecclesiæ authori-
tas succurrit, quæ tùm dubitanti de vna parte facilè persuadet, vt qua ratione cæteras admisit
(nimirum propter authoritatem Ecclesiæ) eadem quoque ratione & illam partem admittere
non dubitet; tùm etiam totam scripturam vel neganti vel nescienti, sua quoque authoritate

persuadet, vt qua ratione fidem Christi accepit, (nimirum ex prædicatione Ecclesiæ) eadem D
quoque ratione & scripturis credat, quas commendat Ecclesia. Iam verò, sicuti nec vna pars
semper ex altera, nec rota aliquãdo in se, ita nulla pars Scripturæ seipsam probare potest, quòd
Scriptura est verbum nō vox Dei. sit verbum Dei. Non est enim scriptus aliquis liber sacer, imediata Dei vox, sed est verbum
Dei; & vnum ex his, quæ à Deo pronunciata, creduntur. Itaque authorem habet Deum, si-
1. cut reliqua omnia quæ creduntur. Tamen non ex seipso, sed aliundè, (nempe per Ecclesiæ vo-
2. cem, vt cætera) cōstare nobis debet. Est enim fidei, vt cætera; superat captum nostrum, vt cæ-
3. tera: per immediatas reuelationes nō debet accipi, magis quàm cætera: rationibus & argumē-
4. tis inuestigari non potest, magis quàm cætera: debet ergo per Ecclesiam cognosci, vt cætera.
Quæstio grauis. Cæterum occurrit hic dubitatio grauis, & ad magis explicandum præsentis Controuersiæ
statum vtilis. Nam contra probationem modo factam, sic meritò posset quispiam arguere. Si
5. rectè sequitur, per Scripturam non posse probari scripturam, quia fieri potest vt tota negetur
vel ignoretur Scriptura; profectò simili ratione sequetur, per Ecclesiam nō posse probari Scri-
pturas; quia fieri potest vt Ecclesia quoque & eius authoritas, in toto negetur vel ignoretur.
Responsio. Respondetur autē simile hoc nō esse. Nam qui Ecclesiæ authoritatē vel omnino ignorat, vel
1. simpliciter negat, fidelis omninò aut Christianus non est. Tum quia in ipso Symbolo profi-
Non est Christianus qui Ecclesiam omninò ignorat aut negat. temur nos credere Ecclesiam, tanquam medium credendi alia omnia, (non item scripturas,
quarum in Symbolo nulla fit mentio,) ideóque præsupponitur necessariò cognitio, obediētia,
& nexus Ecclesiæ in quocunq; fideli; tum etiam quia fides est ex auditu Ecclesiæ: & tota for-
malis ratio fidei, est Deo per Ecclesiam reuelanti assentiri. Dico autem omnino ignorare, &
2. simpliciter negare. Nullus enim hæreticus est, qui vel omnino ignorat vel simpliciter negat
Nullus aliquo modo fidelis Ecclesiam ignorare potest. Ecclesiā (talis enim Ethnicus & infidelis potius dicendus est quā hæreticus) sed aut falsam pro
vera credit vel audit; aut ipsi veræ Ecclesiæ minus tribuit quàm oportet. Fidelis autē & Chri- E
Sine Scriptura esse fideles possunt & sunt multi. stianus esse potest, & sunt multi, qui in reliqua fide à prima ætate instructi, Scripturas nesciūt;
donec vel studij vel alia aliqua ex causa eas legere vel audire, incipiunt. Alij etiam qui per to-
tam ætatem nesciunt *sed sine charactere vel atramento scriptam habentes in cordibus salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes*, (quales commemorat Irenæus in multis gentibus
Lib. 3. cap. 4. Barbarorum fuisse) ex sola doctrina Pastorum & Ecclesiæ, in Christum credunt. Fidem quo-
que & nomen Christi profiteri potest, qui vt cæteras hæreses tenere, ita etiam totam scri-
pturam repudiare possit; tam in specie istam (quod multi fecerunt) quàm in genere omnem.
Quod fecerunt hodie Svvenkfeldiani & Anabaptistæ quidam & alij quos in Anglia super-
De qua Authoritate Ecclesiastica hæc controuersia agitur. illuminatos vocant. Tales ergo omnes vt scripturarum canonem recipiant, non nisi ex Eccle-
clesiæ authoritate inducentur; illi vt fideles faciliùs, isti vt rebelles difficiliùs quidem, necessa-
riò tamen: sicuti sanè in alia quacunq; hæresi seducti, vt hæretici esse desistant, per solam Ec-
clesiæ receptam authoritatem eiúsq; obedientiam efficitur. Agitur autem in hac Cōtrouersia,
Ecclesiæ Iudicium apud solos fideles propriè valet. de illo iudicio & authoritate circa Scripturas recipiendas, cui fideles siue Christiani acquie-
scere debent; quo casu de illis controuertatur: fideles inquam largissimè accepti: non autem
quo hominib. prorsus infidelibus & Paganis persuadeatur. Qui enim tales sunt, poterūt qui-
Controu. 1. lib. 2. cap. 6. dem Ecclesiæ authoritate induci ad credēdum scripturis, quatenus vident in Ecclesia Christi
Fideles & infideles non eodem modo Ecclesiæ Authoritate ducuntur. multarum gentium consensum, longi temporis præscriptionem, famámque celeberrimam, F
vt alio in loco obiter ostendimus. Sed hæ conditiones etsi sint notæ veræ Ecclesiæ Christi (vt
in prima Controuersia docuimus) tamen nec sunt notæ respectu ipsorum prorsus infidelium,
Lib. eodem cap. 5. vt ibidē ostensum est, nec ad intrinsecam causam pertinent, cur voci Ecclesiæ credatur vt in
Lib. 8. cap. 2. & 22. quarta Controuersia satis disputatum est. Demonstrāt enim illæ quidem notæ & cōditiones
Ecclesiam Christi; sed fidem & Authoritatem infallibilem Christianæ Ecclesiæ non demon-
Lib. eodem cap. 12. item 20. & seq. strant: quippe quæ altioribus ex causis dependent, vt in eadem quarta Controuersia explicatū
est. Quas sanè causas; quia infideles aut nesciunt, aut non credūt (tunc enim fideles essent si l-
tem largo modo accepti) propterea per authoritate Ecclesiæ vt talis, id est, vt illa testis est di-
uina, & certissima custos ac magistra totius veritatis, non inducuntur ad credendum Scriptu-
ris. De tali autem Ecclesiæ authoritate & iudicio hic disputatur: & per consequēs ad eos qui
prorsus sunt infideles, hæc disputatio non pertinet; sed tantum ad fideles seu Christianos lar-
gissimè acceptos. Quæ cùm ita sint, non sequetur quia negari vel ignorari potest in toto Ec-
clesia, ideo fieri posse, vt sine illius iudicio cognoscantur Scripturæ, sicut bene sequitur: negari
vel nesciri in toto Scripturæ possunt, etiam à fidelibus largissimè, interdum etiam & propriè
acceptis, vt ex Irenæo ostendimus, ergo absque scripturarum iudicio cognoscuntur Scriptu-
ræ, nec ipsæ ad seipsas demonstrandas vllo modo sufficiunt.

De varij

A

De varij generis apocryphis, dubiis & supposititiis S. Scripturarum libris, & duplici adhuc necessitate Ecclesiasticæ Authoritatis prædictæ.

CAPVT V.

SED potissima ratio huius necessitatis, est varietas ipsa & multitudo librorum, qui vel sub Apostolorum & discipulorum eorum nominibus æditi, 1.
pro sacris à quibusdam aliquo tempore habiti, sunt; vel ab hæreticis confi- 2.
cti, pro sacris & Canonicis scripturis, aut à quibusdam Catholicis igno- 3.
ranter sunt habiti, aut ab aliis hæreticis impudēter sunt obtrusi. Alia etiam 4.
hæreticorum impietas, qui verè canonicos libros vel in toto resecabant, vel in parte mutilabant, vel etiam interpositis quibusdam corrumpebant, huius necessitatis in eodem genere causa est. Primi generis libri erant, Pastor siue Hermes, Pauli acta, epistola Barnabæ, doctrina Apostolorum, Apocalypsis Petri, & Euangelium secundum Hebræos apud Eusebium. Clemens Alexandrinus in libris Hypotiposeωn meminit
B epistolæ Barnabæ, & Apocalypsis Petri, quæ à multis fidelibus etiam tunc pro sacris habitæ sunt, vt refert Eusebius. Meminit etiam eorundem Innocentius primus. Euangelij quoque secundum Hebræos meminit Theodoretus, & illud solum ab Ebionitis admissum fuisse scribit, in opusculo hæreticarum fabularum. Huius etiam generis erat, Euangelium secundum Petrum, quo Nazaræi vtebantur vt in eodem libro narrat Theodoretus. Quo etiam deceptus fuit ad tempus Serapion doctissimus Episcopus, vt videre est apud Eusebium. Item sermones Pauli, quorum meminit Augustinus contra Faustum. Nisi fortè idem sint cum actis Pauli, quorum meminit suprà Eusebius. Denique & libelli cuiusdam qui *doctrina Petri* appellatur, meminit Origenes, in procemio librorum de principiis.

Secundi generis erant, Euangelium Iudæ Iscariotis, quod Caini hæretici sibi finxerunt, vt scribit Theodoretus in Opusculo hæreticarum fabularum. Et Apocalypsis Pauli quam hæretici etiam confinxerunt, vt narrat August. Euangelium item Thomæ, quo vsi sunt Manichæi, vt idem August. scribit contra Adimantum cap. 17. Et contra Faustum lib. 22. cap. 79. Cuius etiam meminit Concilium Nicænum 2. Actione 6. Marcionitæ quoque Anonymon quoddam Euangelium pro sacro receperunt, vt scribit Tertullianus cōtra Marcionem. Bardesianistæ quoque Apocrypha etiam quædam pro Canonicis legerunt, teste Epiphanio. Tatianus quoque & Cassianus Encratitæ hæretici, vsi sunt Euangelio quodam secundum Ægyptios, vt scribit Clemens Alexandrinus. De quibus etiam refert Epiphanius, quòd *Scripturis vterentur, quæ dicuntur Andreæ & Ioannis Actiones, itémque Thomæ, & quibusdam Apo-*
C *cryphis; & quibus volunt libris veteris Testamenti.* Innocentius primus meminit etiam Euangeliorum sub nomine Matthiæ, Petri, & Ioannis, & Andreæ à Philosophis quibusdam (quos ibi nominat,) conscriptorum. Priscillianistæ hæretici *nihil quidem scripturarum canonicarum repudiabant*, (ait Augustinus) *sed simul etiam Apochrypha legunt, & in authoritatem sumunt.* Multos etiam tractatus sub nomine Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum à sepsis confictos ędiderunt; vt commemorat Concilium Braccarense primum. Eosdem quoque hoc nomine grauiter perstringit Leo Magnus. Narrat quoque Augustinus librum sub nomine Enoch Patriarchæ ab hæreticis quibusdam confictum fuisse.

Tertij generis exempla penè infinita sunt; sed pauca breuiter perstringam. Manichæi totum vetus testamentum & multas etiam noui partes negabāt; teste [1] Augustino ad Quodvultdeum. Ptolomaïtæ quoque libros Moysis sustulerunt, vt scribit [2] Epiphanius. Nicolaitæ & Gnostici Psalterium è canone eradebant teste [3] Philastrio in libr. de hæresibus. Ad horum etiam hæresim accessisse videtur Paulus Samosatenus, teste [4] Eusebio. Ebionitæ Matthæi Euangelium apertè negabant; apud [5] Epiphanium. Et reliqua Euangelia non magni fecerunt, teste [6] Eusebio. Marcion solum Lucæ Euangelium retinuit, vt Tertullianus in Præscriptionibus, & [7] Irenæus meminerunt; sed in locis plusquàm 20. mutilatum: vt narrat [8] Epiphanius, & ad longū confutat. Alogi quidam etiam Ioannis Euangeliū atq; etiam

De 1 genere apocryphorum. Hist. Eccl. lib. cap. 19. Lib. 6. cap. 11. Epist. 3. cap. 7. lib 2. Lib. 6. cap. 10. Lib. 19 ca. 25.

De 2 genere apocryphorum. Hæreticarum fabul. lib. 1. Tract. 98. in Ioan. *Euangelium anonymon.* Lib 4. Hæres. 56. Lib. 3. stromateon. Hæres. 47. Epist 3 cap. 7. Hæres. 7? *Ad Quodvultdeum.* Cap. 17. Tom. 2. concil. Epist. 93. cap. 15. De ciuit. Dei. Lib. 18. cap. 38.

De 3 genere. Nota h... rum qui ... plures partes negarat

[1] Hæres. 46 & contra Faust. Lib ... & ... cap. ...
[2] Hæres. ...
[3] Cap 127.
[4] Lib 7. 24.
[5] Hæres. 30.
[6] Lib. 3. ca 25.
[7] Lib. 1. ca. 29.
[8] Hæres. 42.

[1] Hæreses 51. Apocalypſim negarunt apud [1] Epiphanium. Acta Apoſtolorum negauerunt Seueriani teſte D
[2] Lib 4.c.27. [2] Euſebio. Iidem Manichæi teſte [3] Auguſtino. Ebionitæ adhuc omnes epiſtolas Pauli re-
[3] Lib. de vtil. cred. cap. 2. iecerunt, teſte [4] Irenæo, & apud [5] Euſebium, & apud [6] Epiphanium. Ad quorum inſa-
[4] Lib. 1. ca. 26. niam acceſſerunt poſtea Helcheſeitæ, apud [7] Euſebium. Marcionitæ duas epiſtolas ad Ti-
[5] Lib. 1. ca. 21. [6] Hæreſ. 30. motheum, vnam ad Titum, & alteram ad Hebræos reiiciebant, teſte [8] Epiphanio. Arriani
[7] Lib. 6. c. 27. Epiſtolam ad Hebræos Apoſtoli Pauli eſſe negauerunt, vt meminit idem [9] Epiphanius,
[8] Hæreſ. 42. [9] Hæreſ. 69. necnon & Theodoretus in præfatione commentariorum in eandem epiſtolam. Theodorus
Omnium hæreticorum cõſuetudo. Mopſueſtenus Epiſcopus Neſtorianus Prouerbia Salomonis & Eccleſiaſten non pro-
phetico ſpiritu ſed humana prudentia conſcripta fuiſſe; item librum Iob Pagani cuiuſdam
opus fuiſſe, & Canticum Canticorum nuptiale canticum, quale Plato de amore conuiuium
ſcripſit; docere & ſcribere non eſt veritus: vt videre eſt in Synodo 5. Conſtant. confeſſione ſeu
Hieronymus. collatione. 4. tom. 2. Conc. Deniq; hic omnium hæreticorum mos eſt, (vt notat Hieronym. in
proœmio comment. in epiſtola ad Titum.) *Quicquid contrarium ſuo dogmati viderant, vel trade-*
re, vel etiam integra repudiare. Quod etiam notat Tertullianus, *Iſta*, inquit, *hæreſis non recipit*
Tertullian. *quaſdam Scripturas; & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti*
ſui interuertit: & ſi recipit, non recipit integras. Hæc ille in Præſcriptionibus. Poſtremò, diſertè
profitetur Fauſtus Manichæus hanc ſibi libertatem dari. *Me*, inquit, *Manichæa fides reddidit*
August. lib. 18 cap. 1. contra Faustum. *tutum, quæ principiò mihi non cuncta quæ ex Saluatoris nomine ſcripta leguntur, paſſim credere per-*
ſuaſit; ſed probare ſi ſint vera, ſi ſana, ſi incorrupta: eſſe enim permiſta zizania, &c. Hæc ille. Apud
Manichæorum olim & Proteſtantium hodie fides. Auguſt. contra Fauſtum. Hæc eſt hodie Lutherana & omnium Proteſtantium fides; non cre-
dere, ſed probare; id eſt (vt mox reſpondet Auguſt. cap. 7. ibidem) *quod hæreſim eorum non im-*
pedit, hoc accipere: Quod autem impedit, non accipere. Hæc ille. In hac ergo partim opinionum
varietate, qua vel incerta & Apocrypha pro certis & Canonicis recipiuntur; vel adulterina E
1. pro veris ab hæreticis confinguntur; partim variorum hæreticorum multiplici impudentia;
2. modo has, modo illas ſcripturas pro ſui dogmatis arbitrio reiicientium: maxime neceſſaria eſt
3. Eccleſiæ authoritas, quæ fideles certò & indubitanter doceat; quid dubium & Apocryphum
Refelluntur Proteſtãtes ex ipſorum principiis. cenſendum ſit: quid ab hæreticis confictum fuerit: quid denique contra hæreticos pro cano-
nica ſcriptura tenendum ſit. Quemadmodum ergo reliqui Proteſtantes contra Swenkfel-
Inſtitut. lib. 1. cap. 9. dianos, ſpiritum ſibi, & immediatas reuelationes venditantes, neceſſitatem Scripturarũ ſta-
tuunt ad tales ſpiritus diiudicandos; quia (ait Caluinus) *nullam authoritatem habebit apud nos*
ſpiritus, niſi certiſſima nota diſcernatur; diſcernitur autem voce Domini in ſcripturis, in quibus vult
à nobis recognoſci: ſic omnino nos contra reliquos Proteſtantes, libros Scripturarum cum ve-
teribus hæreticis pro ſuo arbitrio acceptantes & repudiantes, neceſſitatem eccleſiaſticæ au-
thoritatis, ſtatuimus: quia apud nos (non dicimus in ſeipſa) nullam authoritatem vel ſpi-
ritus vel ſcriptura habebit, niſi certiſſima nota diſcernatur à ſuppoſitiniis ſpiritibus & Scriptu-
ris. Diſcernitur autem voce Domini in Eccleſia ſua, in qua & per quam vult à nobis reco-
gnoſci.

6. Ratio. *Quædam à prophetis & Apoſtolis ſcripta non tamen in canonicam Scripturã relata.* Præterea, vt hęc neceſſitas magis eluceſcat, notandũ eſt, tum in veteri, tum in nouo teſta-
mento ipſos Prophetas & Apoſtolos aliqua ſcripſiſſe, quæ tamen in canonem ſcripturarum
non ſunt relata. In veteri ſanè populo, geſta Dauidis à Samuële, Nathan, & Gad Prophetis, F
ſcripta fuiſſe memorantur. Geſta quoque Salomonis; Nathan Propheta, Ahias Silonites, &
1. Paral. vlt. Addo Propheta ſcripſiſſe perhibentur. Idem quoque Addo Propheta geſta Abia regis ſcri-
2. Paral 9. pſiſſe dicitur: ſicuti & geſta Ioſaphat regis Iehu Propheta. Horum tamen omnium nihil iam
2. Paral. 13. in canone extat. Multa quoque alia ſcripſit Dauid & Salomon, quàm quæ in Canone nunc
2. Paral. 12. extant, vt euidenter apparet 3. Reg. 4. Et notauit Athanaſius in ſynopſi diuinæ ſcripturæ. Ita-
De ciuit. Dei. lib. 17. cap. vlt. que *in magna multitudine prophetarum, perpauci ea ſcripſerunt quæ Authoritatem Canonis obti-*
nerent: ait Auguſtinus. Sic & Apoſtoli quædam ſcripſerunt, quæ tamen in Canone non ha-
bentur. Epiſtolam ad Laodicenſes ſcripſit Apoſtolus, & eam in Eccleſia Coloſſenſium legi
In catalogo illuſtrium virorum. iubet ad Coloſſenſ. 4. Petri plures olim ferebantur libri, vt Actorum eius, Euangelij, Præ-
dicationis, Apocalypſis, Iudicij, *qui tamen inter Apocryphas ſcripturas reputantur*, ait Hie-
De ciuit. Dei. Lib 18. cap. 38. ronymus. Idem ſcribit ibidem de periodis Pauli & Theclæ, quæ Lucæ aſcriptæ erant. Con-
Prophetæ nõ omnia ex diuino Spiritu ſcripſerunt. ſtitutiones quoque Apoſtolicæ à Clemente octo libris digeſtæ ſunt, nec tamen in Canonem
receptæ. Huius verò rei cauſam diligenter quærens Auguſtinus, *aliam ſe inuenire non poſſe*
ſcribit, *quàm quòd exiſtimet prophetas veteres* (adde etiam Apoſtolos) *quibus ea quæ in Autho-*
ritate religionis eſſe deberent, Spiritus Sanctus vtique reuelabat; alia ſicuti homines hiſtori-
ca diligentia, alia ſicut prophetas inſpiratione diuina ſcribere potuiſſe: Atque hæc ita fuiſſe diſtincta,

vt illa

A *vt illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis authoritatem: in qua authoritate custoditur Canon.* Hæc ille. Apparet ergò tam prophetas quàm Apostolos, cùm plura scripserint quàm quæ in Canonem scripturarum referri debuerint, eorum quædam in Canonis authoritatem relata fuisse: quædam non. Hæc autem Canonis authoritas à sola Ecclesia peti necessariò debet, nisi ad illam Babylonicam sententiarum & dogmatum confusionem omnia redigi velimus, De ciuit. Dei lib. 18. cap. 41.
quam inter paganos & philosophos obtinuisse meminit Augu. *inter quos etsi vera interdum dicebantur, eadem tamen licentia dicebantur & falsa. Nec vllus vnquam populus, senatus, potestas, aut dignitas publica impiæ ciuitatis innumerabiles illas philosophorum dissensiones diiudicandas curauit, sed passim sine vllo iudicio omnes in gremio suo portauit.* Non sic olim Israëlitæ. Non sic hodie Christiani. Sed fuit tunc Synagoga, nunc est Ecclesia quæ omnibus istis dissentientibus de Scriptura sacra sententiis, Iudicio suo finem imposuit. Quod nunc in sequentibus de ecclesia potissimum Christiana demonstrabitur.

Ecclesia sua authoritate effecit, vt qui pro dubiis aliquando habiti sunt, posteà pro authenticis & certò Canonicis haberentur.

CAPVT VI.

B

ECCLESIÆ iudicio & authoritate factum est, vt Apocryphi primi generis à certò Canonicis distinguerentur, & demum paulatim pro Canonicis reciperentur. *Tertia Assertio.*

Nempe in maxima multitudine librorum, qui à sanctis viris vel scripti sunt, vel scribi dicebantur, aliqui erãt tùm apud Iudæos olim, tùm apud Christianos pòst, semper certò pro Canonicis habiti, quos meritò Protocanonicos dixeris. *Protocanonici.* Alij erant Hagiographi dicti siue ecclesiastici libri, quos (ait Hieron. in præfatione in libros Salomonis) *ad ædificationẽ plebis vetus illa legit Ecclesia, sed non ad authoritatem dogmatum confirmandam.* *Hagiographi. Hieronymus.* Quos etiam Catechumenis tãtùm legi solitos scribit Athanasius in Synopsi diuinæ scripturæ iuxta sane Canones Apostolorum, in quibus *liber Sapientiæ extrinsecus legendus & ab adolescentibus perdiscendus* præscribitur. *Athanasius. Apostolic. can. 84.* Hos alij Apocryphos vocant, tanquã occultæ & dubiæ fidei libros; quos quia bona ex parte in Canonẽ postea recepti sunt, nõ male Deuterocanonicos dixeris. *Apocryphi. Deuterocanonici.* Tales nimirũ sunt in veteri testamento, liber Iudith, Hester, Tobiæ, Machabæorum primus & secundus, Baruch, Epistola Ieremię, Sapientia Salomonis, ecclesiasticus, Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Susannæ historia, & de dracone Belis. *Apocryphorum primi generis Catalogus.* Noui autem testamenti, præter apocryphos primi generis iam antea enumeratos, epistola ad Hebræos, Iacobi epistola, Ioannis 2. & 3. Iudæ epistola, Apocalypsis Ioannis cum quibusdam Suprà in principio cap. 5.
C aliis fragmẽtis de sudore Christi & de muliere in adulterio deprehẽsa. Lucæ 22. Ioan. 8. & ca. Marci vlt. Hæc ergo olim apud vetustissimos Christianos pro Ecclesiasticis quidem & sanctis diu habita, sed dubiis tamen & apocryphis; tandem ab Ecclesia Dei magna ex parte cum certò Canonicis numerata sunt; & per eius authoritatem pro Canonicis habita. Huius rei argumentum certissimum est, quòd quemadmodum ante Ecclesiæ definitionem pro dubiis & apocryphis illa omnia habebãtur; sic definiente Ecclesia aliqui eorum pro certò Canonicis sunt habiti. Sic D. Hierony. de libro Iudith scribit: *Liber*, inquit, *Iudith inter Hagiographa ab Hebræis legitur. Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, vt eum ex Hebræo in latinum transferrem.* Hieto. de Libro Iudith. Hęc ille in præfatione in librum Iudith. Sic Diuus Athanasius Apocalypsin Ioannis inter certò Canonicos numerat; *quia*, inquit, *à Priscis sanctis & spiritu Dei imbutis Patribus, veluti quæ illius sit, accepta & approbata est.* Athanas. de Apocalypsi. Hæc ille in Synopsi diuinæ scripturæ. Quin & ante eum Tertullianus, *Ordinem episcoporum ab Apostolis succedentium Apocalypsin Ioanni Euangelistæ tribuere affirmat.* Lib. 4 aduers. Marcionem. Concilium quoque Laodicenum prædictos omnes libros (exceptis Machabæorum libris, Tobiæ, & Iudith, & Ioannis apocalypsi) inter Canonicos recenset, eósque *legi, & in authoritatem recipi oportere* decernit. can. vltim. Innocentius verò primus, Epist. 3. Cap. 7. Gelasius in Concilio 70. Episcoporum, & Concil. Carthag. 3. Cap. 47. etiam illos quos prætermisit Laodicæna synodus, vnà cum cæteris inter certò Canonicos numerat.

Rationem quoque subiiciunt Patres Carthag. *quia à patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* D

Lib 4 cap. 18. de orthodoxa fide.
De doctrin. christ.lib. 2. Cap.8.
Athanasius.
Hyeronym.

Eosdem etiam libros,(quod ad nouum testamentum attinet,) omnes Damascenus; sed tam noui quàm veteris testamenti omnes D. August.inter canonicos recenset.Et de his de quibus olim dubitatum erat,dicit:*quia in authoritatem* (vtique ab Ecclesia) *recipi meruerunt; ideo inter propheticos numerandos esse.* D.quoque Athan.in Synopsi enumerans quædã huius generis Apocrypha: *Ex his*,inquit,*veriora quædam,& spiritus Dei instinctum resipientia,transsumpta & vt legantur selecta sunt.* Sic de epist. Iacobi scribit Hier.Quòd *etsi ab alio quodam sub eius nomine asserebatur,tamen paulatim tempore procedente obtinuit authoritatẽ.* De epist. verò Iudæ similiter dicit,quòd etsi à plærisque reiiciebatur,tamen *authoritatem vetustate & vsu meruit, & inter sanctas scripturas computatur.* Hæc ille in catologo Scriptorum ecclesiasticorum. Nec dissimili ratione Epistolam ad Hebræos & Apocalypsim Ioãnis pro Canonicis Scripturis recipi debere docet alibi idem Hiero. *Nos*,inquit,*vtrumq; recipimus;nequaquam huius temporis consuetudinẽ; sed veterum scriptorum authoritatem sequentes:qui plærumque vtriusque vtuntur testimoniis,non vt interdum de apocryphis facere solẽt,sed quasi Canonicis & ecclesiasticis.* Hæc ille in epist.ad Dardanum. D.quoque August.librum Sapientiæ hoc nomine diuinum probat,*quia*, inquit, *proximi Apostolorum egregij tractatores eum testem adhibuerunt,nihil se adhibere nisi diuinum testimoniũ credentes.* Hæc ille. Vides vt omnes hi patres in Apocryphis primi generis vel admittendis vel reijciendis,Ecclesiæ iudiciũ,testimonium,authoritatem,& vsum, pro regula & amussi adhibuerint;& vt ipsa concilia non secus de recipiendis Scrip.quàm de aliis dogmatibus statuerint.

Veterum Scriptorum Authoritas.

Tom.3. De prædest. sanctorum. cap.14.

Euseb.hist. Eccles.lib 3. cap.19.
Ecclesiæ traditio perspicua nota verarum Scripturarum.

Sed omnium apertissimè Eusebius Pamphili rerum Ecclesiasticarum diligentissimus pertractator hanc amussim & regulam in diiudicandis libris vel Canonicis vel Apocryphis explicuit. E Nam de ipsis certò Canonicis Scripturis dicit,*illas secũdum Ecclesiæ traditionem veras,germanas,& omnium sententiis manifestè confirmatas esse:& hac perspicua nota ab aliis omnibus discerni,quæ non sunt eiusdem authoritatis;sed sunt positæ in Cõtrouersia,à plerisque tamen Ecclesiasticis viris euolutæ & pertractatæ.* Hæc ille. Vides vt *perspicuam notam* ipsorum certò Canonicorũ ponat *Ecclesiæ traditionem*:alios verò inter dubios ponat,non prorsus adulterinos,quia ab Ecclesiasticis viris testimonium habebant. Hac sane de causa idem Eusebius quoties alicui libro siue certò Canonico,siue primi generis [1] Apocrypho authoritatem asserere vult,nõ aliũde hoc facit,quàm ex Catholicorum Patrum testimoniis, quod vnum est Ecclesiasticæ probationis medium,vt in tertia Controuersia ostendimus [2]. Hinc enim ca.32.eiusdem lib. 3.epist.ad Hebræos ex Clementis testimonio confirmat[3]. Rursum capite sequenti Papiæ testimonium adfert pro priore epist.Ioan.ac item Petri. Deinde Polycarpi testimonium adfert pro priore epi. Petri,& [4] testimonium Theophili Antiocheni 6.Epicopi pro Apocal. [5] Rursum in testem adfert Apollonium scriptorem ecclesiasticum pro Apocalypsi. Sic etiam diligenter notat de Irenæo,quòd ex Apocalypsi,& ex libro sapientiæ Salomonis,in libris suis testimonia subinde citauerit. Postremò Clementis Alexandrini testimonium adfert,pro epist. Iudæ & epistola ad Hebræos. Et hæc quidem ille. D.quoque Augu.huius rei rationem ex proposito demonstrãs, & ostendens ex vario Ecclesiæ iudicio totam hanc veritatem & discrimen pendere: *Tenebit*, inquit,*hunc modum fidelis in Scripturis Canonicis,vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus,præponat eas, quas plures grauioresque accipiunt,eis quas paucioris minorisq; authoritatis Ecclesiæ tenẽt.* Hæc ille, & alia multa in eam sententiã. Vides vt omninò ab Ecclesiæ Catholicæ authoritate petere fidelẽ velit,librorũ certò aut minus certò canonicorũ discrimen. Sic etiã contra Faustũ docet. *Distincta est*, inquit,*à posteriorum libris excellentia Canonicæ authoritatis veteris & noui Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus,per successiones Episcoporum,& Propagationes Ecclesiarum,tãquam in sede quadam sublimiter constituta est.* Hæc ille. Vbi iterum vides esse quidem in sublimi sede cõstitutam scripturam,sed *per successiones Episcoporum & propagationes Ecclesiarum*: id est, approbantibus & in authoritatem recipientibus illam, Episcopis & Ecclesiis. Sic Origenes apud Eusebium, Epistolam ad Hebræos *propter Patrum traditionem sine dubio legendam*, docet: *ipsaque Euangelia,quia sic ex traditione didicerat,pro diuinis habenda.* Eodem etiam modo Iulio Africano respõdet circa historiam Susannæ:quam dicit,sicut & alias quasdam Scripturæ partes,non propterea repudiari debere,quia fortasse Hebraicè scripta non est;quum hanc vna cũ aliis quibusdam hoc non obstante,*ad Ecclesiæ ædificationem susceperunt patres nostri,quorum terminos nobis constitutos minimè transgredi debemus.* Hæc ille in Collatione Africani & Origenis: quam vide in fine operum Origenis. Denique Dionysius Corinthiorum Episcopus doctissimus disputans prolixè de Apocalypsi,& quædam in ea notans,quæ ad Cerinthi hæresim spectare

[1] Lib.4 cap 13
[2] Lib.4.ca.23.
[3] Lib 5.ca.17.
[4] Lib.5.cap.8.
[5] Lib.6.cap.11.
De doctrina christ.lib.2. cap.8.
Plurib. & grauiorum Ecclesiarum Authoritas præponitur in recipiendis Scripturis.

Lib. 11. cap.5. contra Faustũ. F

Lib.6. cap.19. *Patrum traditio.*

A ꝺtare viderentur, propter styli quoque dissonantiam, eam Ioannis Euangelistæ non esse existimans: *tamen*, inquit, *librum ipsum nullo modo abrogare audeo, præsertim cùm adeo multi fratres mei* (coepiscopos suos intelligit) *eam tam magni existimēt*. Hæc ille apud Eusebium. Nec aliter Epiphanius Millenariam sectam obiter perstringens, etsi mille annorum mētio in Apocalypsi fiat, librum tamen non respuit, quia *apud plerosque* (inquit) *liber receptus est, etiam apud pios*. Hæc ille contra Hæres. 77. Sic denique ipse Eusebius, quamuis multi de Epistola Iacobi, & Iudæ dubitassent, easque adulterinas iudicassent, opponit tamen Ecclesiæ iudicium, & dicit. *Tamen nos istas cum reliquis in quamplurimis Ecclesiis publicè receptas approbatásque cognouimus*. Hæc ille. Hæc ergo tot & tam illustria vetustissimæ Ecclesiæ testimonia, positam assertionem satis euidenter & luculenter demonstrasse videri possunt.

Styli dissonātia contra Patrum consensum non respicienda.

Lib. 7. cap. 20.

Lib. 2. cap. 22.

Ecclesia suo iudicio Apocryphos & confictos sub Apostolorum nomine libros, repudiauit & reiecit: suáque authoritate fecit, vt pro huiusmodi haberentur.

CAPVT VII.

B LIBRI secundi generis Apocryphi, videlicet vel ab hæreticis, vel à Philosophis, vel à quibuscunque aliis sub nomine Prophetarum & Apostolorum conficti, ideo pro diuinis Scripturis nunquam sunt habiti, quia illos Ecclesia Dei nūquam recipiendos iudicauit.

Quarta Assertio.

Hanc rationem omnes fere, quos priùs produximus Patres, in reprobandis Apocryphis adferunt. D. Athanasius rationem adferens, quare Euangelia illa Thomæ, Petri, secundum Hebræos, &c. non approbentur: *Nam*, inquit, *quatuor nobis Euangeliorum libros, sacri; Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Canones sanxerunt. Præter ista non est vllum aliud*. Hæc ille in Synopsi diuinæ Scripturæ. Sic Eusebius in historia Ecclesiastica penitus Apocryphas & Nothas tales esse pronunciat; *quia*, inquit, *nemo ex scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuata temporum successione, ab Apostolis huc vsque vixerint, vsquam in suis scriptis in memoriam ea redigere dignatus est*. Hæc ille. Móxque disputationes Petri & Appionis ideo reiicit; *quia*; inquit, *apud veteres nulla omnino eius fit mētio*. Apertiùs quoque alio in loco, Petri acta & Euangelium & libellū de prædicatione, & Apocalypsim, ideo in scripturis Catholicis numerari negat, *quia*, inquit, *nullus scriptor Ecclesiasticus, vel ex veteribus vel hodie, testimoniis ex illis libris depromptis vsus est*. Hæc ille. D. sane August. sæpe contra Manichæos, non ex alio fundamēto apocrypha, quibus

Athanasius in Synopsi. Ecclesiæ Canones.

Euseb. hist. Eccl. li. 3. c. 19.

Lib. 3. cap. 32.

Lib. 3. cap. 3.

C illi vtebantur refellit. Citantibus enim illis ex Euangelio Thomæ, respondet. *Huic scripturæ licet nobis non credere, quia non est in Catholico Canone*. Et iterum contra Faustum. *Has scripturas Canon Ecclesiasticus respuit*. Causam quoque repudiationis, omnino ab Ecclesiæ Iudicio pēdere, his verbis eodem in loco ostendit. *Legant*, inquit, *Scripturas Apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas, quæ suorum scriptorū temporibus in authoritatem S. Ecclesiæ recipi mererētur, si sancti & Docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent*. Hæc ille. Vides plane propter examen & iudicium sanctorum hominum in Ecclesia, factum fuisse vt Apocrypha huiusmodi prorsus repudiarentur. Ideo sane tū Innocētius primus, tū Leo Magnus, tū Gelasius Papa in concilio 70. Episco. & nominatim multa, & in vniuersum omnia huius secūdi generis apocrypha Anathematisant. Sic Augu. de apocalypsi Pauli scripsit, *illā fabulis plenā à vanis quibusdā confictā, ecclesiam sanā nō recipere*. Hoc fundamento vtitur Tertull. ad euertendum Marcionis Euangeliū, quod sub Lucę nomine obtrusit. *Si*, inquit, *sub Pauli ipsius nomine euangeliū Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti, destituta patrocicio antecessorum*. Et iterum paulò post. *Ego meum Euangelium dico verum, Marcion suum. Quis inter nos determinabit, nisi tēporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem quod posterius reuincetur?* Et paulò post: *Si constat id verius esse quod prius; id prius quod ab initio; id ab*

Augustinus de serm. Domini in monte lib. 1. cap. 38.

Lib. 22. ca. 79.

Canon Catholicus & ecclesiasticus.

Innocent. 1. epist. 3. cap. 7.

Leo epist. 93. cap. 15.

August. tract. 98. in Ioan.

Tertullianus lib. 4. aduers. Marcionem.

Apostolorum est quod Ecclesia Apostolorū seruant.

Lib.13.cap.4. contra Faust.

Authoritas per Ecclesias Christi.

initio, quod ab Apostolis; pariter constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Hæc ille aduersus Marcionem. Vbi hæretici confictum euangelium ex antecessorum & præcedentis Ecclesiæ testimonio diiudicandum docet. Similiter & Manichæorum Apocrypha hoc nomine reiicit Augustinus. *Si alios, inquit, quos dicat Apostolorum nostrorum codices, protulerit; quomodo eis ipse authoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit; vt inde ad posteros firmata commendatione transcurrerent? Quomodo ille cui non credo, profert mihi Scripturas, quibus de illo credam, & eis ipse conatur dare authoritatē, cui ego ipse non credā?* Hæc ille: Manifestè docens Apocryphas Scripturas ideo reiiciendas, quia nulla authoritate per Ecclesiam acceptę traduntur, cùm tamen ipsi Ecclesiæ de Christo credamus. Quæ Augustini ratio bene est aduertenda. D. quoque Hieronymus docens tertium & quartum libros Esdræ, inter apocryphorum somnia habendos; causam subiiciens, dicit: *Quæ non habentur apud Hebræos, nec de 24. senibus; sunt procul abiicienda.* Hæc ille in præfatione in Esdram & Nehemiam. Erat enim 24. Seniorum & ipsius Synagogæ tunc, germanas à Nothis Scripturas discernere, sicut nunc Ecclesiæ est: ideóq; non nisi in ipso templo à Scribis ipsis, quæ pro Canonicis habenda erant, vel conscripta erant, vel approbata; vt Dorothæus in Synopsi docet. Quin & huius generis apocryphos, id est, ab incertis & impiis authoribus confictos, ita definit August. vt dicat ita vocari tales libros apocryphos, *non quòd habendi sunt in aliqua authoritate secreta, sed quia nulla testificationis Luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prolati sunt.* Hæc ille. *Lux illa testificationis*, qua carent isti Apocryphi, est *testimonium Ecclesiæ.* Sicuti apertius alibi docet. *Apocrypha* (inquit) *nūcupantur eo quòd eorum occulta origo nō claruit patribus, à quibus vsque ad nos, authoritas veracium Scripturarum*, certissima & notissima successione, *peruenit.* Quo sane etiā nomine patres Nicenæ 2. Synodi Apocrypha reiecta semper fuisse docent. Aiunt enim. *Inter Epistolas diuini Apostoli, quædam fertur ad Laodicenses, quā Patres nostri tanquam alienam reprobarunt. Ad hæc Manichæi Euangelium secundum Thomam inuexerunt, quod Ecclesia Catholica meritò vt impium auersatur.* Hæc illi. Sic rursum August. de libro Enoch aliorúmq; Prophetarum scriptis: *Ea*, inquit, *castitas Canonis non recepit.* & iterum. *Nō inueniūtur in Canone quem populus Dei recepit.* Ibidem. Eiusdem Canonis iterum meminit lib. 15. ca. 23. de Ciuit. Dei, dicens; *Multa sub nominibus Prophetarum & Apostolorum ab hæreticis proferri, quæ omnia sub nomine Apocryphorum, authorisate Canonica diligēti examinatione remota sunt.* Hæc ille. Denique, *Non sine causa*, inquit, *tam saluber vigilantiæ Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant.* Postremò, hoc ipso nomine sapienter docet Damascenus Mahometis Alcoranum pro conficta fabula habendum, quia testimonio legitimo, Dei scilicet atq; Ecclesiæ suæ destituitur; vt eleganter disputat in libello de hæresibus. Ostendunt hæc omnia ex Ecclesiæ determinatione & iudicio, reiecta semper esse secundi generis Apocrypha, & pro diuinis Scripturis eam ob causam haberi nō potuisse, quia Ecclesia re probauit.

Hyeronym.

Dorotheus Tyrius in Synopsi de vita & morte Prophetarū.

Vnde Apocrypha dicti.

Lib.11. cap.2. contra Faust.

De ciuit. Dei lib.15.cap.23.

Actione 6. concil. tom.3.

De ciuit. Dei lib.18. cap.38.

Castitas canonis, & Authoritas canonica.

cōtra Cresconiū lib. 2. c.31.

D

E

Hæretici veteres negantes aliquam Scripturarum partem, Ecclesiæ iudicio ab Antiquis patribus conuicti & refutati sunt.

F

CAPVT VIII.

Quanta Assertio.

REPVDIANTIBVS hæreticis aliquam diuinæ Scripturæ partem, aut de libro aliquo Canonico Controuersiam mouētibus, ex Ecclesiæ authoritate & traditione refelluntur.

» Hoc sane ab antiquissimis & doctissimis patribus diligenter factitatum semper fuisse, pluribus exemplis ostendemus. Non fieret autem nisi ipsorum librorum Canonicorum determinatio & authoritas quoad acceptationem nostram, ab Ecclesiæ iudicio vel maximè penderet. Facilis enim fuisset hæreticorum veterum exceptio, vt dicerent quod hodie nostri dicunt. *Quid mihi cum Ecclesiæ iudicio aut authoritate? Non habet hic liber apud me arcanum spiritus testimonium. Stylus Apostolum non refert. Maiestatem diuino spiritu dignam nequaquam præ se fert.* Sed sancti Patres nihil morantes huiusmodi exceptiones, merè cauillatorias; (quandoquidem de testimonio illo Spiritus arcano, de stylo,

Protestantium voces.

A de ſtylo, de maieſtate Deo digna diſcernere, iudicare, & determinare, ad Eccleſiam pertinet)
non illa incerta & probabilia tantùm argumenta, quæque adhuc ex aliis probari debent; ſed
hoc vnum infallibile, neceſſarium, ſupremum, & in hoc genere proprium medium, quod eſt
Eccleſiæ Iudicium, attulerunt; contra quod exceptio nulla ſupereſt. Negantibus Manichæis
modò vetus Teſtamentum vniuerſum, modò certas Euangelij partes, modò etiam actus Apo
ſtolicos, non niſi ex Eccleſiæ authoritate & traditione eos refellit Auguſtinus. Et primùm, cū
Manichæi Euangelio ſe credere profiterentur, ſed actus Apoſtolicos non reciperent; (vt appa-
ret ex cap. 2. libri de vtilitate credendi) Auguſtinus ex actibus aliquid contra Manichæos ci-
tatutus, quos ab illis negari ſciebat, huic eorum negationi occurrens, ait. *Cui libro neceſſe eſt me* (cap. 5.)
credere, ſi credo Euangelio; quum vtramque ſcripturam ſimiliter mihi Catholica commēdat authoritas. (*Catholica commendat Authoritas.*)
Hęc ille contra Epiſtolam fundamenti. Diſerte profitetur, & Euangelio & actibus propter
Eccleſiæ authoritatem, idque neceſſariò ſe credere. Rurſum negante Fauſto illud Apoſtoli
Rom. 1. *De filio Dei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, & Pauli Epiſtolæ interpolatum* aſſerente; (2. mach. 12.)
(ſicut hodie Proteſtantes illud de oratione pro defunctis facta, inſertum eſſe Machabæorum (*Proteſtantes cauillatio Manichæo ſimilis.*)
libris à quibuſdam Monachis aſſerunt; quandoquidē in quibuſdam vetuſtioribus Græcis exē-
plaribus (aiunt illi) non reperitur illa ſententia,) reſpondet Auguſt. *Quid ſi alius dicat, imò illud* (Lib. 11. cap. 2. contra Fauſt.)
quod in aliis locis pro te ſonat, falſum eſt, quod autem hic pro me ſonat, verum eſt? quid acturus es, niſi
forte alium librum prolaturus? Hoc ſi feceris, non de aliqua eius particula, ſed de toto audies contradicē-
tem & clamantem: falſus eſt. Quid hic ages? Quò te vertes? Quam libri à te prolati originem, quam ve- (*Series ſucceſſionis.*)
tuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis: & vides
B *hac in re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas; quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum,*
vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione fir-
matur. Hæc Auguſt. Hanc verò authoritatem pro noſtris libris facere paulò poſt his verbis do (Lib. 13. cap. 5. ibidem.)
cet. *Noſtrorum librorum authoritas, tot gentium conſenſione, per ſucceſſiones Apoſtolorum, Epiſcopo-* (*Gentiū cōſenſio, Apoſtolorum, Epiſcoporum, & Conciliorū conſenſio.*)
rum, conciliorúmq; roborata, vobis aduerſa eſt: veſtrorum autem nulla eſt, quæ à tam paucis profertur,
&c. Hæc ille. Vbi nota quam authoritatē Eccleſiæ vrgeat, & in quo ſubiecto illam ponat, iux-
ta capita 5. 6. & 7. Controuerſiæ 2. atq; item cap. 3. & 8. Controuer. 3. Quin & huius rei neceſſi-
tatem in eodem opere oſtendens, contra Manichæorum impudentiam quædam in ſcripturis (Lib. 5. & 7.)
falſata eſſe clamantium, quia ipſis ita videbatur; ſic ſcribit. *Videtis id vos agere, vt omnis de medio* (lib. 32. cap. 19. contra Fauſt.)
Scripturarum auferatur authoritas, & ſuus cuique animus author ſit, quid in quaque Scriptura probet
quid improbet: id eſt, vt non authoritati ſcripturarum ſubiiciatur ad fidem; ſed ſibi Scripturas ipſe ſubij-
ciat. Non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi authoritate ſcriptum legitur, ſed ideo rectè ſcri-
ptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuo-
luta, quò te committis? Cur non potius Euangelicæ authoritati tam fundatæ, tam ſtabilitæ, tanta gloria (*Euangelica Authoritas per Succeſſiones certiſſimas commendatur.*)
diffamatæ, atque ab Apoſtolorum temporibus vſque ad noſtra tempora per ſucceſſiones certiſſimas com-
mendatæ, non te ſubdis vt credas? &c. Hæc ille: manifeſtiſſimè docens, & pernicioſiſſimum eſſe
ſine Eccleſiæ authoritate aliquam ſcripturam admittere, ſuúmque ea in re iudicium aliquem
ſequi, (quod diſertè faciendū docuit ſuprà Caluinus, in arcano ſpiritus teſtimonio, quod vnuſ- (Suprà cap. 1.)
quiſque ſibi venditat, omnem Scripturæ certitudinem ponens) & contrà, tutiſſimum eſſe cir- (Lib. 18. cap. 7. contra Fauſt.)
C ca Scripturas recipiendas Eccleſiæ authoritati, ſeſe ſubiicere. Vnde etiam hoc diſcrimen Ca-
tholici & hæretici alibi oſtendit. *Sicut*, inquit, *te Manichæus impiam docuit peruerſitatem, vt ex* (Lib. 28. cap. 2. contra Fauſt.)
Euangelio quod hæreſim tuam non impedit, hoc accipias, quod autem impedit, hoc non accipias: ſic nos (*Eccleſiæ teſtimonium eſt authoritas confirmatiua.*)
Apoſtolus docuit piam prouiſionem, vt ſi quiſquam nobis annūciauerit, præter id quod accepimus, ana-
thema ſit. Hæc ille. Vides vt plane in eccleſiæ traditione, in eo videlicet quod accepimus, ac-
quieſcere velit fidelem in recipiendis ſcripturis. Rurſum neganti Manichæo genealogiā ſcri-
ptam Matt. 1. cap. opponit illi, *vniuerſæ Eccleſiæ ab Apoſtolicis ſedibus vſq; ad præſentes Epiſcopos* (Lib. 33. cap. 6. contra Fauſt.)
certa ſucceſſione perductæ teſtimonium. Et hoc teſtimoniū vocat *Confirmatiuam authoritatem* ca.
4. ſequenti. Cuius etiam rationē firmiſſimā, alio in loco adfert. *Quis*, inquit, *tāto furore cæcatur,* (*Apoſtolica cathedra certiſſima Succeſſione ſeruata, fidelem Scripturarū cōfirmationē meruerunt.*)
vt dicat hoc mereri nō potuiſſe Apoſtolorū Eccleſiam tā fidam, tam numeroſam fratrum concordiā; vt
eorū ſcripta fideliter ad poſteros traiicerent; cū eorum cathedras vſq; ad præſentes Epiſcopos, certiſſima
ſucceſſione ſeruarent, maximè cū hoc qualiumcunq; hominū Ethnicorū & Philoſophorum ſcriptis, ſiue
extra Eccleſiam, ſiue in Eccleſia tanta felicitate proueniat? Hæc ille. Poſtremò, eod. lib. ca. vltim. ſic
de hac tota re concludit. *Quapropter breuiter vos admoneo, vt ſi authoritatem Scripturarum omni-* (*Per Succeſſiones Epiſcoporum cuſtodita, commendata, clarificata Scriptura eſt.*)
bus præferendam ſequi vultis, eam ſequamini, quæ ab ipſius præſentiæ Chriſti temporibus, per diſpenſa-
tiones Apoſtolorum, & cæteras ab eorum ſedibus ſucceſſiones Epiſcoporum, vſque ad hæc tempora, toto
orbe terrarum, cuſtodita, commendata, clarificata peruenit. Hæc Auguſtinus, Manifeſtiſſimè

docens authoritatem Scripturarum, vel scripturam ipsam (quam sequi debemus) eam solam D
esse, quæ per Ecclesiam custodita, & commendata ad nos peruenit; & hoc Ecclesiæ meritis ac
sanctitati tribuendum esse.

Augustini de hac re sententia defenditur, & explicatur: aduersariorum subterfugiis sublatis.

CAVT IX.

Cauillatio Caluini. D hæc omnia tam luculenta & plane manifestissima D. Augustini verba,
semper ab Ecclesiæ authoritate Canonicas Scripturas contra hæreticos de-
fendentis, respondet Caluinus. *Non eò spectat Augustinus, vt pendere doceat,*
Instit. lib. 1. cap. 7. parag. 3 *quam Scripturis authoritatem deferimus, ab hominum definitione & decreto. Tā-*
tùm, quòd in causa plurimùm valebat vniuersale Ecclesiæ iudicium profert, in quo
aduersarius erat superior. Hæc ille. Priori huius responsionis parti suprà satisfa-
ctum est c. 3. in resp. ad 1. & 6. argumentū. Altera pars friuola est euasio. Non
enim hoc argumento vtitur toties August. quia in eo superior erat Manichæis, qui contra con
1. sensum orbis negabant aliquas Scripturas; sed quia ipsum per se argumentum proprium est
& certissimum medium ad cognoscendas Scripturas. Primùm, quia alioqui tam frequens in-
culcatio authoritatis Ecclesiæ quam facit, mera fuisset euasio, & responsio ad hominem tan- E
tum; vnde sophistam ageret Augustinus. Quod de tanto doctore, in argumento graui, & con-
2. tra talem hostem qualis Faustus erat cogitare, indignissimum est. Deinde non simpliciter au-
thoritatem Ecclesiæ opponit Manichæis, quia Scripturas illi negabant, quas Ecclesia recepit,
vt pro se stare Ecclesiam & contra illos facere Ecclesiam ostenderet, hácque inæqualitate eos
confunderet; (vt imaginatur Caluinus) non inquam solummodò hoc facit (facit enim & hoc
Quot modis Augustinus Ecclesiæ Authoritatem vrget. sane euidenter in loco supra allegato ex lib. 13. ca. 5. contra Faustum) sed prætereà, ex certa ip-
sius authoritatis Ecclesiasticæ vi & robore id facit; vt in eodē loco iam dicto videre est, idque
varijs modis. Primùm, quia hæc authoritas necessariò eum cogit credere Scripturis, vt ex lo-
1. co contra Epistolam fundamenti præallegato patet. Secundò, quia nisi huic authoritati subij-
2. ciamur, omnis ipsarum Scripturarum authoritas concidet, vt ex loco præallegato ex libr. 32.
3. cap. 19. patet. Tertiò, quia Apostolica prouisio est, vt etiam in Scripturis recipiendis non rece-
Lib. 28. cap. 2. damus ab eo quod accepimus, id est, à traditione Ecclesiæ: in loco ex lib. 18. ca. 7. præallegato.
4. Quartò, quia hoc Ecclesiæ testimonium *confirmatiuam authoritatem* vocat. Quintò, quia hoc
5. meritis & sanctitati Ecclesiæ tribuendum esse iudicat, vt Scripturas fideliter ad posteros traij-
6. ciat: in loco ex lib. 33. cap. 6. præallegato. Sextò & postremò, quia disertissimè in postremis ver-
ex lib. 33. cap. vltim. bis citatis docet; *si authoritatem hac in re certam sequi volumus, eam sequendam esse, quæ ab Eccle-*
siæ traditione & commendatione accipitur. Præterea, si loca Augustini reuoluas cap. 7. & 8. à no-
3. bis producta, manifestissimè videbis Augustinum hoc argumēto, non tanquam ad hominem,
sed vt ad rem ipsam validissimo, vsum fuisse. Recole locum ex lib. 2. cap. 8. de doctr. Christ. in F
cap. 7. & in cap. 8. Posteriorem locum ex lib. 22. cap. 79. contra Faustum. Et paulò post ex lib.
13. ca. 4. contra eundem. Postremò mens Augustini hac in re euidentissimè ex celeberrima illa
4. contr. Epist. fundamenti cap. 5. eius sententia liquidò cognoscitur, qua scripsit. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Ca-*
tholicæ commoueret authoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis nō
obtemperem *dicentibus mihi, noli credere Manichæo?* Et paulò post. *Si dixeris, noli Catholicis crede-*
re, non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Euangelio Catholicis præ-
dicantibus credidi. Hæc ille contra Epistolā fundamenti. Hæc Augustini verba vt quosdā scho-
lasticos fefellerunt, sicuti in 4. Controuersia lib. 8. ca. 23. ostendimus; ita plurimùm hodie pro-
testantes torserūt: & illi vicissim hæc verba eludere omnibus modis conati sunt. Nam & Cal-
Instit. lib. 1. cap. 7. uinus, & Musculus in loc. com. lōga disputatione eorū sensum alio trahere nituntur. Summa
autē hæc est, quòd hæc verba Augu. in persona hominis adhuc infidelis loquitur, nō in perso-
na sua, vt sit sensus: Ego cū alienus olim essem à fide, nō potui adduci vt Euāgelio crederē nisi
me tūc ecclesię cōmouisset authoritas. Quā vt August. mentē esse ostēderet Caluinus adfert
cap 4. Caluini oscitātia turpis. alia eius verba, vt ille dicit, *paulò ante prolata*, quæ tamē reuera multò post c. 14. habētur, & ni-
hil ad rē præsentē faciunt. Vbi obiter nota insignē huius archihęretici oscitantiā in re maximi
momēti. Musculus phrasim vult esse Augu. vt dicat *cōmoueret pro cōmouisset* videatúrq; de prę-
senti

A tempore agere cùm de præterito intelligat. Sed putidissimas esse omnes has euasiones,& Augustinum in persona fidelis ac sua ista dixisse;aliquot argumentis ostenditur. Primùm,quia infidelis Ecclesiæ authoritate quatenus Ecclesiæ non inducitur vt credat Scripturis:sicuti antea docuimus. Deinde quia Augustinus dicit, *Ecclesiæ Catholicæ*(non simpliciter Ecclesiæ) *authoritate* se commotum fuisse. Ecclesiæ enim authoritatem, vt Catholicæ,solus fidelis & Catholicus agnoscit. Tertiò,quia subiungit(quasi seipsum explicans,& idem aliis verbis de more suo repetens) *se Catholicis prædicantibus obtemperasse dicentibus, crede Euangelio.* Hoc enim fideli proprium est. Quartò,quia in eodem cap. paulò post in præsenti tempore dicit de Actibus Apostolorum. *Cui libro necesse est me credere,si credo Euangelio; quum vtramque Scripturam similiter mihi Catholica cõmendat authoritas.* Hęc ille euidẽter de sua persona & in præsẽti loquẽs. Suprà cap. 4. Quod adhuc magis eluceesset, si alia eius verba alibi de se dicta his adiũgantur. Ait enim. *Quũ nobis opus esset Authoritate sanctarum literarum,iam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes iam terras Authoritatem;nisi & per ipsam tibi credi,& per ipsam te quæri voluisses.* Hæc ille. Vbi euidenter docet ex cõmuni consensu orbis Christiani adductum se fuisse, vt Scripturis crederet. Quintò, quia in præcedenti cap. 4. apertissimè dicit se iam Catholicum & fidelem,adeóque Catholicæ Ecclesiæ tunc Episcopum, *teneri in Ecclesiæ gremio, per ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen, per consensum populorum atque gentium* vtique Christianorum:vt nullo modo dubitandum sit,eum in hoc c. 5. de seipso & in persona fidelis loqui, cùm ab Ecclesiæ authoritate ad Euangelium recipiendum commoueri se dixit, qui confess.lib. 6. cap. 5.
B proximo præcedente cap.in tota fide se retineri ex eadem causa docuit. Sextò & postremò, quia in omnibus locis priùs allegatis,docet authoritatem Ecclesiæ esse fidelibus necessariam, vt Scripturas Canonicas,vel à non talibus discernant; vel contra hæreticos defendant maximè lib. 2. cap. 8. de doctr. Christ. vt habes suprà ca. 7.

Aliorum adhuc Patrum Iudicia in præsenti Controuersia afferuntur.

CAPVT X.

SED iam Augustino alios iungamus Patres ad presentis Assertionis demonstrationem. Negantibus Arrianis Epistolam ad Hebræos, respondet Theodoretus. *Oportebat ipsos et si nihil aliud, temporis quidem certè diuturnitatem reuereri, quo hanc Epistolã in Ecclesiis perpetuo legerant veritatis alumni.* Hæc ille in argumento dictæ Epistolæ commentariis suis præfixo. Tertullianus tergiuersantibus hæreticis circa repudiandas Scripturas, hoc modo præscribendum docet. *Quid Apostoli prædicauerint, & præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt; ipsi eis prædicando tam viua voce, quàm per Epi-* Theodoretus. *Temporis diuturnitas præscribere debet.* Tertullianus.
C *stolas postea.* Hæc ille in præscriptionibus, docens in genere, Epistolas Apostolicas ex Ecclesiarum Apostolicarum testimonio & approbatione petendas esse. Sed apertiùs in lib. 4. aduersus Marcionem, quia Apocalypsim reiecit Marcion, ab Ecclesiæ authoritate illũ librum defendit. Ait enim. *Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit Authorem.* Et paulò post, defendens in specie Lucæ Euangeliũ, ab Ecclesiæ quoque authoritate id copiosè facit. Cùm enim enumerasset varias Ecclesias Apostolicas, infert. *Dico itaque apud illas, nec solas iam Apostolicas, sed apud vniuersas quæ illis de societate Sacramenti, id est, fidei, confœderantur, id Euangelium Lucæ ab initio æditionis suæ stare, quod nos tuemur.* Et paulò post. *Eadem authoritas Apostolicarum Ecclesiarum cæteris quoque patrocinabitur Euangeliis, quæ proinde per illas & secundum illas habemus.* Et rursum paulò post. *His fere compendiis vtimur, cùm de Euangeliis aduersus hæreticos expedimur, defendentibus & temporis ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & authoritatem Ecclesiarũ traditioni Apostolorum patrocinantem.* Hęc ille. Eodem compendio vtitur Irenæus ad scripturarum fidem stabiliendam. Quum enim lib. 1. varias hæreticorum sententias enumerasset, qui varias scripturarum Canonicarũ partes pro suo quisque dogmate vel sustulissent vel deprauassent, vt à cap. 20. vsque ad cap. 30. dicti libri videre est; interposita longissima disputatione in 2. 3. & 4. libris, qua partim ipsa dogmata refellit, partim ipsas scripturas ab illis negatas, per alias scripturas quas receperunt, defendit; tãdem sicut in genere docuerat, lib. 3. c. 3. & 4. sic Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. *Ecclesiæ Authoritas probationis compendium.* Irenæus lib. 3.

in re præsenti Ecclesiæ authoritatem, tanquam demonstrationem firmissimam & compendiosam, illis opponit; & dicit. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, secũdum successiones Episcoporũ, quæ peruenit vsque ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque ablationem recipiens lectio sine falsatione, &c.* Hæc ille, docens ab Ecclesia conseruatam esse Scripturarum & tractationem plenissimam sine Apocryphorum confictis somniis; & lectionem integram sine vlla corruptela aut deprauatione sacri textus: & hanc esse agnitionem veram siue demonstrationem certissimam. Hanc sanè ob causam contra Priscillianistas hæreticos sic definierunt Patres Toletani. *Si quis dixerit vel crediderit alias Scripturas, præter illas quas Ecclesia Catholica recipit, in authoritate habendas; vel esse venerandas; Anathema sit.* Hæc illi in Conc. Toletano 1. in Assertione fidei post Canones posita. Tom. 1. Conciliorum. Exemplum etiam huius rei habes in Serapione Antiocheno Episcopo doctissimo, qui sic apud Eusebium loquitur. *Nos libros quosdam Apostolorum nominibus falso inscriptos, omnino repudiamus: certò cognoscentes huiusmodi nos ab illis nunquã accepisse* Hæc ille, traditioni ab Apostolis acceptę, tanquam firmissimæ regulæ innitens, in discernendis falsis Scripturis à veris. Ex quibus omnibus positæ Assertionis veritas euidenter satis elucescit.

Irenæus lib. 4 cap. 63.

Concil. Tolet. 1.

Serapiõ apud Eusebiũ lib. 6. cap. 10.

D

Regula fidei in Ecclesia notissima adhiberi est solita, vt Medium discernendi Scripturas veras à falsis.

E

CAPVT XI.

Assertio Sexta.

ADEO penes Ecclesiæ iudicium est, Canonem Scripturarum consignare, vt ipsa Regula fidei ab Ecclesia nobis tradita, & fidelibus omnibus notissima, scripta videlicet in cordibus eorum, hac in re consulta atque adhibita, Scripturas veras à falsis discernere valeat: atque olim discreuerit.

Ponitur hæc Assertio tum ad Ecclesiæ authoritatem hac in parte egregiè demonstrandam, tùm etiam vt ad futuram disputationem de dogmatibus non scriptis, via sternatur. Hac enim Assertione demonstrata, sequetur Ecclesiam per præuiam & præexistentem fidem suã de Scripturis determinasse. Vnde etiam sequetur, non tam ipsius fidei Regulam in se esse Scripturas, quàm ipsarum Scripturarũ Regulam (quoad acceptationem nostrã) esse fidem Ecclesiæ præsuppositam & præexistentem: esseque propterea fidem ipsam Scripturis priorem, & distinctum quid à scripta doctrina; neque conuerti cum ea aut concludi in ea: quod hodie cũ maxima animarum pernicie sibi & aliis persuaserunt hæretici. Quid autem per Regulam fidei hic intelligamus, & quantum in aliis dogmatibus probandis illa semper valuerit; satis copiosè explicuimus in Controuersia tertia. Nunc quòd etiam ad Scripturas demonstrandas plurimùm valeat, breuiter ostendemus. Apostolus Paulus docet haberi in toto corpore Ecclesiæ, *Donationes differentes, siue Prophetiam, &c. secundum rationem fidei*, id est, vt nulla audiatur Prophetia, nulli credatur spiritui, nihil vel scriptum vel non Scriptum admittatur, quod rationi, proportioni & Regulæ ipsius fidei repugnet. Hoc Apostoli cõsilium seu oraculũ potius, diligẽter sequuti magistri Ecclesiarum, nihil pro Scripturis verè diuinis agnoscere voluerunt, quod ab analogia & Regula fidei acceptæ, & ab Apostolis traditæ, vel latum vnguem discreparet. Sanè iuxta illud Apostoli: *si quis Euangelizauerit præter id quod accepistis Anathema sit.* Sed contrà, iuxta acceptam fidei Regulam, Scripturas aliquas pro diuinis non rarò acceperunt. Huius rei necessitatem docens Clemens Alexandrinus, ostendit ideò hæreticos Scripturas ipsas interdum repudiare, quia hanc fidei Regulam non tenent: Catholicos autem ex eadem Scripturas demonstrare. *Necesse est, inquit, labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi Regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autem sunt eiusmodi, meritò etiam falluntur in plurimis singularibus; eò quòd non habeant verorum & falsorum iudiciũ plenè exercitatũ in his*

F

Lib. 7. cap. 1. & seq.

Ad Rom. 12.

Gal. 1.

Lib. 7 Stromatum.

Regula fidei est verorum & falsorum iudicium.

A *in his quæ oportet eligere. Si enim haberent, parerent Scripturis diuinis.* Hæc ille de hæreticis. De Catholico autem mox subiicit. *Qui autem est ex seipso iam fidelis, Dominicæ Scripturæ & voci fidem habet. Ipsa autem (fide) iudice vtimur ad res inueniendas.* Et paulò pòst, iterum de hæreticis dicit: *Quum Ecclesiasticæ cognitionis mysteria non didicerint, Scripturas valere iusserunt.* Hæc omnia ille. Sic Eusebius Pamphili diligenter notat, ideo confictos illos Apocryphos libros repudiatos fuisse, *quòd sententia & institutum eorum quæ in illis libris traduntur, à vero Orthodoxóque Scripturæ sensu & opinione, toto cælo aberrans, planè perspicuéque ostendat, ea callida solùm hæreticorum esse commenta.* Hæc ille. Quin & eodem libro disputationes Petri & Appionis hoc nomine reiicit, *quòd puram illam & sinceram Apostolicæ Orthodoxæque doctrinæ notam* (quæ est Regula fidei) *minimè retinerent.* Accuratè autem & perspicuè obseruauit ac tradidit istud August. sic scribens. *Cæteri homines, qui de Domini vel de Apostolorum actibus, aliqua scribere conati vel ausi sunt; non tales etiam suis temporibus extiterunt, vt eis fidem haberet Ecclesia: atque in Authoritatem Canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet. Nec solùm quia illi non tales erãt, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiã quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ catholica atque Apostolica Regula fidei, & sana doctrina condemnat.* Hæc ille. Huius rei exemplũ illustre habes in Serapione Antiocheno Episcopo doctissimo. Is enim cùm ad tempus Euangelium quod Petri dicebatur, legendum suis permisisset; postea libro diligentiùs inspecto, & nonnullas illius Euangelij sententias à recta doctrina discrepantes animaduertens, hoc nomine repudiauit, vt videre est apud Eusebium. Ostendunt ista ex Regula fidei tanquam amussi

Apocryphi reprobati quia cũ Regula non conueniebant.

Eusebius. histor. Eccl. li. 3. cap. 19. & cap. 32.

August. de cõsensu Euangelist. lib. 1. Cap. 1.

Hist. Eccles. lib. 6. cap. 10.

B certissima dijudicatos & deprehensos fuisse de rebus diuinis confictos libros. Sed & ipsos quoque verè diuinos ex eadem amussi approbatos, quasique legitimos factos fuisse, ostendit Tertullianus in Euangelio Lucæ; quod contra Marcionis corruptelam defendit. Probaturus enim Lucæ Euangelium, quo catholici vsi sunt, non esse corruptum. *Si,* inquit, *Apostolica integrè decurrerunt, Lucæ autem quod est secundum nos, adeo conuenit Regulæ eorum, vt cum illis apud Ecclesias maneat, iam & Lucæ constat integrum decurrisse vsque ad sacrilegium Marcionis.* Hæc ille. Postremò, si prædicatio Apostoli Pauli facta inter gentes, non aliter orthodoxa & diuina habita fuisset, nisi collatio eius facta, cum Apostolis & cum eorum Regula conuenisse animaduersa fuisset; vt in tertia Controuersia ex D. Augustino & Tertulliano, imò ex ipso Paulo ostẽdimus; profectò neque ipsa scripta Pauli pro diuinis habita fuissent, nisi cum Regula fidei à fidelibus recepta, & ab ipsis apostolis antecessoribus eius tradita, omnino conuenissent. Neque enim inter scripta Apostolica & prædicationem apostolicam aliquid discriminis est: sed vtrũque æquè diuinum est: Quod autem de Paulinis litteris verbi gratia diximus, intelligendum venit de cæteris omnibus Scripturis. Est ergo ipsa Regula fidei ab Ecclesia tradita & accepta, vnum idémque certissimum medium, quo pastores & magistri Ecclesiarum veras Scripturas à falsis discernunt.

Libri Canonici approbati, quia cum Regula fidei conueniunt.

Tertullianus aduers. Marcionem lib. 4.

Lib. 7. cap. 2.

C

Præsens quæ nunc est Ecclesia, vel quocunque tempore existens, Authoritatem habet approbandi & determinandi Sacræ Scripturæ libros.

CAPVT XII.

NON solùm Ecclesia illa prima & propriè Apostolica, Scripturas Canonicas consignare & discernere sua Authoritate & iudicio potuit; sed etiam Ecclesia tam quæ eos subsequuta est, quàm quæ nunc est, eandem potestatem habet.

Assertio septima.

Sensus Assertionis huius est, Ecclesiam Christi præsentem, aut quæ Apostolos quocunque tempore subsequuta est, non quidem de nouo libros Canonicos scribere, qui aut ad vetus, aut ad nouum testamentum pertineant; (nam nec Apostolorum tempore aliquid de nouo scriptum est, quod veteri testamento adderetur) nec huiusmodi libros pro Canonicis approbare posse, quos Apostolorum Ecclesia aliquando reprobauit: sed tam libros Canonicos olim approbatos sua quoque authoritate comprobare, & contra negantes confirmare posse; quàm libros olim in dubium vocatos, & vel non certò

Quo sensu præsens Ecclesia canonicas scripturas consignare possit.

approbatos, vel non publicè pro huiusmodi acceptatos de nouo approbare, & ex dubiis authẽticos facere, siue ad vetus siue ad nouum Testamentũ pertineant: sicut ipsa Ecclesia Apostolorum partim veteris testamenti libros apud Iudæos pro Hagiographis tantùm habitos Canonicos fecit; partim varias scripturas noui testamenti apertè taxauit, reiectis aliis & repudiatis. Denique quod ad iudicium, determinationem, & approbationem Scripturarum Canonicarum attinet, eius rei potestatem penes præsentem Ecclesiam esse, non secus quàm olim fuit penes Apostolos. D

Assertionis huius demonstrandæ necessitas.

Hæc Assertio propterea necessariò adiicitur, vt hæreticis hodie excipiendi omnis occasio tollatur, & dicendi; Hæc omnia quę hactenus probata sunt, ad ipsos tantum Apostolos & propriè Apostolicos viros pertinere: Qui vt Euangelia & Epist. Canonicas soli scribere, ita eadem tradere & confirmare soli potuerunt: Ad Ecclesiam verò, vel quæ nunc est, vel quæ perpetua successione eos subsequuta est; hanc potestatem non pertingere; Itaq; de illis libris, de quibus aliquando sub ipsis Apostolorum temporibus dubitatum est, dubitari adhuc posse. Nos autẽ in hac tota disputatione non sane de Ecclesiæ propriè Apostolicæ authoritate adeo soliciti sumus, (neque enim de ea hodie cõtrouertitur) sed Ecclesiæ Catholicæ quæ nunc est, quæque perpetuò Apostolos subsequuta est, authoritatem inuestigamus. Præterea ratio quærendi est, quorundã etiam Catholicorum sententia, qui huic Assertioni contrarium opinati

Durandi sententia in contrariũ. In 3. sent. dist. 24. quæst. 1.

sunt & docuerunt. Durãdus apertè hoc his verbis docet. *Quod dictũ est*, inquit, *de approbatione Scripturæ per Ecclesiã, intelligitur, solùm de Ecclesia quæ fuit tempore Apostolorum.* Et rationem subiungit, *quia fuerunt repleti Spiritu, S. & viderũt miracula Christi & audierunt eius doctrinam, & ob hoc fuerunt conuenientes testes eorum quæ Christus fecit aut docuit, vt per ipsorum testimoniũ scriptura continens facta & dicta Christi, approbaretur.* Pro confirmatione autem huius rationis adfert illud Ioannis. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerũt, testamur & annunciamus vobis.* Et rursum, quod dicit Petrus. *Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo introiuit & exiuit inter nos Dominus Iesus testẽ resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Hæc Durandus. E

1. Ioan. 1. Act. 1.

Lib. 4 cap. 4. de ecclesiast. script. & dog. *Ioan. Driedonis sententia in contrarium.*

Ad Durandi sententiam accedit vir doctissimus Ioannes Driedo. Sic enim scribit *Primitiua Apostolorum Ecclesia in docendis fidei mysteriis maioris erat authoritatis quàm Ecclesia quæ nunc est: idque propter Apostolos qui testimonium de his quæ viderant perhibere poterant.* Et paulò post. *Ecclesia primitiua propter collegium Apostolorum ad tradendam nouam fidei nostræ doctrinã maioris erat gratiæ, maiorisque authoritatis quàm Ecclesia quæ nunc est.* Et in confirmationem affert, *quòd Ecclesia huius temporis innititur antiquæ fidei, & antiquis Scripturis atque Traditionibus veteris Ecclesiæ Apostolicæ, &c.* Hæc ille agens expressẽ de approbatione Scripturarum, & eandem rationem afferens quam attulit Durandus, quam postea pluribus verbis prosequitur: occurrens etiã obiectioni de Marco & Luca, qui ipsi non viderunt facta Christi. *Tamen*, inquit, *eorum Euangelia recipimus, approbata sub testimonio primitiuæ Ecclesiæ Apostolorum, qui Christum viderunt & audierunt.* Quin & alias Scripturas affert, vt illud; *vidimus gloriam eius, &c.* Et illud. *Speculatores facti magnitudinis illius, voce à Deo Patre delapsa, quam de cælo allatam audiuimus, &c.* Hæc Driedon: Vt doceat non Ecclesiam quæ nũc est, sed solam illam Apostolorum, idoneam esse testem factorum & dictorum Christi; & per consequens Scripturę quæ illa continet. F

Ioan. 1. 2. Petr. 1.

Argumentatio Thomæ Valdensis in contrariũ.

Quin & ad hanc sententiam accedere videtur nobilissimus Author Thomas Vvaldensis: fatetur enim ille sane solius Ecclesiæ testimonium tantæ Authoritatis esse, vt ipsos libros diuinarum scripturarum taxare, & de eorum Authoribus fideles (vt loquitur) certificare posset. Sed hoc propriũ esse vult primitiuæ Apostolorum Ecclesiæ. Et rationem hãc affert, *quia lex Christi iam attigit ad perfectum: Infantia enim fuit sub veteri lege sed iam est plenitudo tẽporis. Tempus autem hoc est, Christi & Apostolorum eius. Elapso Apostolico tempore, non potuit amplius crescere librorũ sacrorum numerus. Itaque Ecclesia hoc olim fecit in Apostolis: & hoc pro præconio potestatis suæ modernæ ei sufficere debet, quòd olim hoc fecerit. Apostolorũ enim Ecclesia & hæc nostra vna & eadẽ est indiuidua Ecclesia. Sicut idẽ & indiuiduus homo est puer & senex: Quare quod olim fecerũt Apostoli, fecit Ecclesia quæ nunc est, in illis. Sed alios pro sacris aut Canonicis approbare non potest, quã quos ille approbauit. Exempli gratia, Thomæ Euãgelium recipere, ne sane* (quod obiecit Vvicleph) *videretur licere Papæ & Concilio superaddere scripturas sine fine.* Deinde Authoritate Diui Hieronymi suam sententiam probat. Is enim tractans illa verba *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea*, dicit, *Principum id est, Apostolorum & Euangelistarum horum qui fuerunt, non qui sunt in ea, vt exceptis Apostolis quodcunque aliud postea dicitur, abscindatur; nec Authoritatem habeat.* Ex quibus Hieronymi verbis colligit Vvaldensis *Apocrypha, non posse nunc habere Authoritatem per*

Apostolorum Ecclesia & hodie nostra vna & eadem indiuidua ecclesia. Hieronymus in psal. 86.

concordem

A *concordem definitionem Ecclesiæ. Ipsis enim patribus qui tunc præsidebant Ecclesiis,incumbebat ducere volumina scripturarum ad perfectum. Tunc enim temporũ fuit plenitudo*,&c. Hęc etiam affert D. Augustini verba, dicentis de libris sub Apostolorum nomine scriptis, quòd *ipsorum scriptorum suorum temporibus in Authoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent*. Hæc ille. Ex quibus infert Vualdensis. *Transijt hora: non potest crescere iam Canon, &c.* Lib.22.c.79. contra Faust. Denique concludit, *eos qui credunt Scripturarum Canonem posse adhuc augeri per authoritatem Ecclesiæ cum Iudæis plenitudinem temporis expectare, Iudaico forsitan sub Messia*. Hæc omnia ille. Tom.1.lib.2. doct. fidei ca. 20. & 21.

Assertionis posite probatio.

Probatur nihilominus posita Assertio, postea que secus opinantium argumentis respondebitur. Primùm,cùm Ecclesia quæ nunc est,quæque Apostolos per singulas ætates subsequuta est,eundem habeat Dei Spiritum, eiúsque assistentiam quam habuerunt Apostoli (vt suprà ostensum est) dubitari non debet,quin æquè certo & infallibiliter de sacris libris iudicare possit,atque illa Apostolorum Ecclesia. 1. Contr.4. li.8. cap.13. in solutione cauillationis 5. Nam(quod bene obserua) etsi successores Apostolorum in alio & diuerso gradu Spiritum Dei habeant, neque in tanta plenitudine quanta ipsi Apostoli; (vt suprà declaratum est:) tamen hæc diuersitas in illis rebus non consistit,quæ proximè & necessariò ad fidem pertinet; sed in quadam non minus circa media quàm circa conclusiones infallibilitate: vt ibidem ostensum est. Cont.4. lib.8. cap.15. Iudicare autem de aliquo libro Sacro, proximè & necessariò ad fidem pertinet; vt per se patet. Debet ergo succedens & præsens Ecclesia

In iis quæ proximè & necessariò ad fidem spectant, eadem est certitudo præsentis ecclesiæ, atque Apostolicæ.

B iudicandi potestate & infallibilitate hac in re non secus valere. Præterea, tam inter Catholicos aliquando dubitatur, quàm ab hæreticis pertinaciter sæpe contradicitur, de libris Canonicis. 2. Debet autem in hac concertatione Iudex & arbitra esse Ecclesia præsens, quæ viua voce rem definiat, non secus quàm in alijs Controuersiis; vt suprà dictum est. cap.5. Habet ergo Potestatem in tali casu definiendi. Deus enim Ecclesiæ non deficit in necessariis. Tertiò certissimum est Ecclesiam quæ Apostolos aliquot seculis subsequuta est, de libris Canonicis iudicasse, quosdam taxasse, & inter Canonicos sua authoritate aliquas Scripturas retulisse, quæ ipsis Apostolorum temporibus pro huiusmodi non sunt habitæ, nec adhuc à fidelibus pleno consensu receptæ. 3. Sic enim librum Iudith antea Apocryphum primi generis, Concilium Nicenum sua authoritate, vt pro Scriptura Canonica haberetur, effecit; sicuti suprà ex Hieronymo ostendimus. Aut quia istud D. Hieronymus tantùm ex fama referre videtur, idémque alibi (vt in Epistola ad Furiam) de eodem libro dubitat, saltem Concilium Laodicenum, Carthaginense 3. & Romanum illud 70. Episcoporum sub Gelasio Papa, Innocentius quoque primus libros Canonicos definierunt, qui antea pro huiusmodi habiti non sunt, vt est suprà ostensum. Cap.5. Denique ex Eusebio, Hieronymo, Augustino, aliísque patribus euidenter iam demonstratum est, Epistolam Iacobi, Iudæ, Petri 2. ad Hebræos, & Apocalypsim, cùm de illis diu per aliquot secula dubitatum fuisset, tamen *tempore procedente* (vt loquitur Hieronymus in lib. de viris illustribus) *obtinuisse authoritatem*, & pro certò Canonicis receptos fuisse. Cap.5. 4. Quartò, in locis præallegatis ex varijs patribus, maximè ex D. Augustino contra Faustum, vrgetur

Succedens Apostolis ecclesia aliquas Scripturas pro canonicis determinauit de quibus antea dubitatum fuit.

C authoritas Ecclesiæ, siue in Apocryphis primi generis recipiendis, siue in Apocryphis secundi generis reiiciendis, siue in ipsis Canonicis contra hæreticos defendendis; non solum Apostolicæ propriè dictæ, sed etiam succedentis Ecclesiæ, per Episcoporum certas & perpetuas successiones, per populorum consensiones, per Conciliorum decreta. Suprà cap.8. & 10. Vide potissimum loca præallegata ex lib.11.cap.2. ex lib.13.cap.5.& ex lib.32.cap.19. contra Faustum. Item lib.2. cap. 8. de doct. Christiana. Quare iudicarunt illi Patres non solum Apostolos ipsos, sed & eorum per omnes ætates successores idoneos esse testes ipsarum scripturarum. 5. Quintò, Ecclesia successorum & præsens, idonea testis est cuiuscunque articuli fidei, siue tradendi & sua authoritate definiendi (casu quo in Controuersiam vocetur,) siue exponendi & declarandi; non secus quàm ipsa Apostolorum Ecclesia: sicut frequentia ab eo tempore habita contra varias hæreses Concilia, & quædam eadem Authoritate communi Symbolo adiecta, manifestissimè nobis ostenderunt. Poterit ergo & illa idonea testis esse Scripturarum, suáque authoritate eam approbare. 6. Sextò, rationes omnes quæ Ecclesiæ infallibilitatem circa ea quæ sunt fidei probant & confirmant, siue ex principio & fundamento cui nituntur in docendo, siue ex fine, propter quem data est illi hæc iudicij infallibilitas, illę petantur; siue à promissionibus Christi Ecclesiæ factis sumantur; Illæ, inquam, omnes rationes non minus Ecclesiæ Catholicæ pro quocunque tempore pręsenti conueniunt, quàm Apostolorum Ecclesię. Quod facile discurrendo per singula quę in Controuersię 4. cap. 12. & seq. de hac re disputauimus, vtcunque- Lib.8.cap.12.

Augustinus etiam succedentis Ecclesiæ Authoritatem vrget.

Rom.10. 7.

Fides fidelium propriè nititur Testimonio præsentis Ecclesiæ.

consideranti per se patebit. Habebit ergo præsens & cuiuscunque temporis Ecclesia, non minorem in hac re (cùm fidei illa sit, maximéque ad fidem pertinens) potestatem, quàm habuit ipsa Apostolorum Ecclesia. Septimò & postremò, fides fidelium, quæ *ex auditu est*, audit propriè præsentem Ecclesiam, & acquiescit testimonio atque iudicio pro tempore docentis & pascentis Ecclesiæ, vt in aliis fidei dogmatibus, ita in Scripturis Canonicis recipiendis: sicuti propriè & immediatè subiiciuntur fideles pastoribus pro tempore existentibus, non eorũ antecessoribus: nisi per consequens, & propter eandem fidei vnitatem, quæ facit vt pro patribus quidem habeamus multis ante nos sæculis defunctos Ecclesiarum pastores & Episcopos; magis autem propriè Ecclesiæ seu Diœcesis in qua viuimus. D

Catholicorum quorundam sententiis secus opinantium, eorúmque Argumentis superiùs enumeratis, respondetur.

CAPVT XIII.

Respondetur. Durando.

HIs itaque positis, secus opinantium sententias expendamus. Durando primùm respondetur, firmitatem testimonij in Apostolis, non ex visu & auditu eorum, quæ de Christo scripserunt, dependisse; sed ex vi assistentiæ Spiritus Sancti quæ eos ita infallibiliter docuit, vt ea quæ viderant & audiuerant, fideliter crederent; veraciter scriberent; & firmiter testificarentur. E Multi enim increduli eadem viderunt maxima ex parte & audierunt, quę illi; sed non perinde credere voluerunt; neque testificari potuerunt; vt pote ad illud munus nequaquã assumpti. Hæc autẽ assistẽtia Spiritus Sancti etiã Ecclesiæ quę nõ vidit, aut audiuit Christũ, nõ minus infallibiliter & certò adest. Alioqui nec ipsi Apostoli omnia viderũt quę scripserũt (Matt. enim licet Apostolus, multa tamen scripsit quę ante eius vocationem facta sunt) nec omnes qui scripserũt erant Apostoli. Marcus enim quæ à Petro didicit, non quæ ipse vel vidit vel audiuit à Christo, scripsit; vt propterea passim à patribus vocetur Marcus *Petri interpres* à Tertulliano, ab Irenæo, & à D. Hieronymo & apud Eusebium. Lucas disertè fatetur se *ab his qui viderunt, Euangelium suum didicisse*. Sane Faustus Manichęus hac exceptione vtitur contra illa Christi verba: *Non veni Soluere legem*, &c. quia Matth. ipse non interfuit cùm dicerentur. Dicta enim erant in monte cùm Matthæus nondum vocatus esset. Cui exceptioni respondet August. *Si nemo de Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit & audiuit, hodie de illo nemo vera dicit.* Hæc ille. Tantundem Durando facile respondere est. Ad confirmationem, quam adfert Durandus, respondetur: non propterea Ioannem scribere se vidisse quę scripsit; vt scripta sua hoc nomine, vel solo vel præcipuo, commendaret: quasíque ad credendũ induceret; sed vt homines iam fideles, ad quales scripsit, hoc nomine consolaretur. Subiungit enim. *Hæc scribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudiũ vestrum sit plenum.* Nec Petrus ideo vnum ex 70. discipulis in successorẽ Iudæ elegit, quòd hoc solo nomi- F

Firmitas testimonij Apostoli non processit ex eo quod visa & audita narrauerunt.

Marcus Petri interpres.

Lib. 4. aduers. Marcionem.

Lib. 3. cap. 1. & 11.

In catalogo illustr. virorũ.

Lib. 5. cap. 8.

Matt. 5.

contra Faust. lib. 7. cap. 3.

1. Ioan. 1.

1. ne idoneus esset futurus testis, quia discipulus Christi fuerat, sed quòd cęteris paribus, hoc no-
2. mine magis idoneus futurus esset; quódque illa tunc fidei initia tales oculatos & auritos testes desiderarent. Alioqui Paulus qui discipulus Christi nunquã fuerat hic in terris agentis, factus est nihilominus *vas electionis, qui portaret nomen Christi in Gentibus*: multáque ipse scripsit quæ pro diuinis scripturis indubiè habentur.

Act. 9.

Ioanni Driedoni respondetur.

Ioanni Driedoni viro doctissimo respondetur, non solùm eos qui viderũt, aut ab ipsis qui viderunt proximè audierunt, idoneos esse huius rei testes & iudices; sed & illos etiã, qui intermedia aliquot annorũ & hominũ successione, per fidelẽ & certam traditionem aliquid receperunt. Alioqui quod hic de Scripturis dicitur, idem de alio quouis dogmate dici posset: solã Apostolorum Ecclesiã esse eius rei testẽ idoneã. Quod verò addit, ad tradendã nouã fidei doctrinã maioris authoritatis Apostolorũ Ecclesiã fuisse, quã eam quę nunc est; id quidẽ de doctrina simpliciter noua loquẽdo, libẽter fatemur. Sed doctrina dicitur noua, vel quia nunquã hominibus tradita, iam primum à Deo per Ecclesiam reuelatur; vel quia olim tradita, tamen apud paucos innotuit; & non in se, sed iuxta acceptationem & notitiam publicam noua est. Primi generis nouam doctrinam in statu gratiæ tradere, proprium fuit Apostolorum Ecclesiæ, qui immediatè vel à Christo vel à Spiritu S. edocti, doctrinam antea gentibus inauditam,

Quomodo doctrina aliqua dicũda est noua.

A inauditam,& Iudæis quoque in secundo genere nouam prædicarunt: facti *ministri noui testamenti*. Huiusmodi nouas reuelationes hodie ab Ecclesia expectandas non docemus: sicut etiã antea monuimus. Quia videlicet in vnoquoque statu fidei ante legem, in lege, & in tempore gratiæ, prima reuelatio facta Abrahæ, Moysi, & Apostolis, fuit semper excellentior, & super quam cæteræ omnes reuelationes eiusdem status fundabantur: vt egregiè docet S. Thomas. Attamen alterius generis nouam doctrinam ab Ecclesia tradi, absurdũ non est. Sic enim contra varios hæreticos, varias definitiones Ecclesia fecit; quæ suis quæque temporibus hoc sensu nouæ erant. Sic etiam Scripturas aliquas, ab Apostolis sane aut apostolicis viris scriptas, & ab illis non sane improbatas, immò fortasse approbatas, non tamen pro huiusmodi publicè commendatas & receptas fuisse dicimus; quæ postea à succedente Ecclesia pro sacris & Canonicis publicè commendatæ & traditæ fuerunt, quarum antea varia exempla produximus. Hoc non est nouas Scripturas cudere, sed veteres approbare. Sic enim Articulorum fidei numerus, quãtùm ad substantiam non creuit per temporum successionem; sed quantum ad explicationem: vt rectè distinguit S. Thomas. Quod verò pro confirmatione addidit (*Nam Ecclesia huius temporis innititur antiquæ fidei & antiquis scripturis*, &c. verissimum quidem illud est. Neque tamen hoc præsentis Ecclesiæ Authoritatem in re proposita quicquam diminuit. Nam (vt doctè distinxit Melchior Canus) aliud est quærere, quid Ecclesia præsens definire possit, & quousque habeat Controuersias decernendi Authoritatem; aliud verò, inuestigare quãnam via & ratione, ad rectam & firmam harum rerum definitionem valeat peruenire. Itaque fatemur non esse nunc nouas reuelationes, aut nouas Scripturas, in primo illo sensu quem modo

2. cor. 3. Lib. 8. cap. 1. 2. 2. quæst. 174 art. 6. 2. 2. quæst. 1. art. 7. in corp. Locorum Theol. lib. 2. cap. 7.

B assignauimus, ab Ecclesia expectandas; sed quicquid de nouo (quoad nos videlicet & acceptationem nostram) decernit aut tradit præsens Ecclesia, illud nec contra traditam prius ab Apostolis fidem, nec sine veterum Scripturarum, Traditionum, Conciliorum, Doctorum testimoniis (quoad eius fieri potest) decernere debet. Nam & hoc modo Ecclesia tempore D. Augustini, definiuit quasdam Scripturas esse certò Canonicas, quæ antea tales non erant, *ex testimoniis veterum Patrum*, qui easdem scripturas approbarunt, vt disertè loquuntur patres Carthaginenses. Ergo Ecclesia præsens potestatem habet definiendi hac in re, sed non nisi consulta antiquitate, & adhibitis mediis illis, quæ in tertia Cõtrouersia tradidimus. Aliis scripturis quas adhuc adiecit Driedo, eodem modo respondendum quo suprà Durando responsum est. Non enim propterea Ioannis testimonia vera sunt, quia vidit ea quæ scripsit; aut Petri prędicatio ita certa est, quia narrat ea quæ viderat aut audiuerat; sed quia tanquam testes & ministri à Spiritu S. ad testificandum & prædicãdum assumpti, ita scripserunt & prædicauerunt. Vidisse autem aut audiuisse ea quæ docebant, per accidens fuit prædicationi; non eius ratio aliqua intrinseca aut necessaria. Vrgetur tamen illa, partim ad maiorem commendationem testimonii sui, propter infirmitatem audientium infidelium; partim etiam ad consolationem ipsorum fidelium, vt suprà dictum est; partim denique quia scripturi ipsas Canonicas & diuinas literas, primique Ecclesiæ magistri futuri, illa immediata doctrina proximè à Christo sensibiliter accepta, opus habebant: vt etiam in illis fides ex auditu esset.

Qua via & ratione aliquid de fide quo ad nos nouum Ecclesia tradere potest. Concil. Carthag. 3. cap. 47 1 Petr. 1. 1. Ioan. 1. *Quare Apostoli vrgēt se scribere ea quæ viderūt vel audierunt.* 1. 2. 3.

C

Respondetur argumentis Thomæ Vualdensis.

CAPVT XIIII.

NVNC ad Thomam Vvaldensem (cuius magna laus est in Ecclesia) veniamus, eúmque à nostra sententia non adeò multum discrepare; in quo autẽ discrepat, humano more lapsum fuisse ostendamus. Non vult esse in potestate vniuersalis Ecclesiæ *adijcere librum alium Authoritati Canonicæ: puta Euangelium Thomæ, ne* (quod obiiciebat Vvicleph) *liceret Ecclesiæ superaddere sine fine*. Hæc eius sententia, si intelligatur de libris olim reprobatis, qualis erat Euangelium Thomæ, verissima est. Neque enim quod semel damnauit prior Ecclesia, posterior recipere potest; nec sibiipsi Spiritus Dei contrarius esse. Sed verò, de libris aliquando in dubio positis, nunquam certò damnatis, intellecta eius sentẽtia, à veritate aberrat. Rationi autem quam adfert, respondetur; plenitudinem temporis, non esse tantummodo tempus quo Christus & Apostoli docuerunt; sed etiã tempus hoc totum vsque ad alterum aduentum Christi. Totum hoc tempus est vna illa hora, de qua Ioannes dixit: *Filioli*

Plenitudo temporis quæ. 1. Ioan. 2.

Lib.3.cap.36. de doctr.Chr. 1.Cor.10. Epist.80. ad Hesichium. 2.Cor.6.

nouissima hora est. Vnde Augustinus. *Tempus,inquit,ipsum quo Euangelium prædicatur, quousque Dominus reueletur,hora hæc est.* Hæc ille. Totum hoc tempus sunt *nouissimi dies,& fines seculorũ,* in quos nos deuenisse Apostolus etiam suo tempore dixit. Vnde iterum Augustinus. *Mille annorum tempus,si eorum finis esset seculi finis,posset vniuersum dici nouissimum tempus.* Denique totum hoc tempus,est *tempus illud acceptabile & dies salutis,*quem Apostolus aduenisse describit: Non autem solum illud tempus Christi & Apostolorum. Rursum cõmemorat ipse Vvaldensis eodem in loco,inter Scripturas authoritate Ecclesiæ tunc receptas 7.Catholicas Epistolas, & 14.Pauli,& Apocalypsim. At verò certissimum est, quædam horum longè post Apostolos in Canonem recepta fuisse,vt est antea demõstratum. Itaq; elapso Apostolico tempore,creuit quidem Scripturarum Canon;sed confirmatis illis Scripturis,de quibus dubitatũ erat,non adiectis simpliciter nouis. Creuit sane vt reliqua fides,non in se,sed in acceptatione nostra. Nam hæc est *plenitudo temporu,& vir perfectus ad mensuram ætatis plenitudinis Christi,*vt alia fides,alia Ecclesia,alia Sacramenta non sint expectanda,quàm ea quæ Christus & Apostoli docuerunt & tradiderunt. Sed quemadmodum non eadem semper lux lucet,etiam lucente sole, sed suas habet nebulas & caligines dies ipse;sic non eadem semper est,aut scripturarum aut aliorum fidei dogmatum lux & claritas in hac plenitudine temporis,& statu Euangelico. Sed vel ignorantia interdum dormitantibus ministris obrepit,vel fraudulenta & pertinax hæreticorũ contradictio & disputatio caligines ac difficultates inducunt. Quo in casu occurrit lucerna Ecclesiæ, non solum Apostolicæ propriè dictæ,sed & sua quaque ætate currentis & lucentis in domo;vt vel quod antea latebat fidelibus,manifestum faciat,(quod proprium esse conciliorum, *cùm de prioribus aliquid emendatur,*docet Augustinus)vel quod manifestum est, contra hæreticos defendat. Hac sane ratione creuit variis temporibus,tùm scripturarum,tùm aliorum dogmatum numerus,non quoad substantiam rerum,sed quoad explicationem earum, & acceptationem nostram.

Quomodo creuit canon Scripturarum. — Ephes.4. — *Simile.* — *Lucerna Ecclesiæ in caligine obscurarum quæstionum.* — Lib.2. cap.3. de baptism. cõtr. Donast.

D E

Ecclesia non superaddit canoni.

Ad illud verò inconueniens quod ponit Vvicleph,& hodie resumunt protestantes,fore vt si talis Ecclesiæ præsenti concedatur authoritas,nullus sit finis superaddendi scripturarum Canoni;solidiùs respondetur,Ecclesiam hac in re non suo,sed ex diuini spiritus ductu agẽtem,ex eodem spiritu sic agere; vt nec modum aut numerum excedere in superaddendo, nec vnquam errare & labi in addendo valeat. Idem enim spiritus per cuius afflatum & assistentiam addit, sic in ea operatur,vt nunquam superaddat. Quanquam vt iam dictum est, Ecclesia approbando librum non antea approbatum,nihil Canoni aut fidei propriè loquendo addit.

Ecclesia præsens nec scribere, nec diu post Apostolis scriptos libros in Sacrum Canonem admittere potest.

Ad confirmationem ex D.Hieronymo allatam (si tamen opus illud Hieronymi sit,)respõdetur,eum negare alios libros in authoritatem recipiendos, quàm qui ab Apostolis aut Apostolicis viris conscripti sunt. Quod & nos sane fatemur. Neque enim damus nunc potestatem Ecclesiæ præsenti scribendi aliquam nouam scripturã Canonicam,aut etiam recipiendi eam quæ longo tempore post Apostolos scripta esset,pro diuina & Canonica. Sed libẽter cum doctissimo Vvaldensi fatemur,scriptos esse omnes libros futuros Canonicos vel ab ipsis Apostolis vel ab Apostolicis viris,sicuti & omnem fidem,omniaq; fidei dogmata vllo modo ad salutẽ necessaria,ab ipsis Apostolis in semine & virtute tradita ac prædicata fuisse non dubitamus. Sed hoc prætereà asserimus, Ecclesiam præsentem vel aliqua ætate succedentem Apostolis, potestatem habere recipiendi,taxandi & approbandi Scripturas olim scriptas. Neque satis F esse quòd in Apostolis olim hoc fecerit,ratione indiuiduæ & homogeneæ vnitatis quam habet cum primitiua Ecclesia;sed hoc illi etiam incumbere, ipsa vt per se & sua authoritate idipsum faciat;casu quo aliqua difficultas aut dubitatio oriatur. Non secus quàm ipsius proprij muneris est,corpus fidelium pro tempore existens, pascere & regere. Itaq; quod infert Vvalden.ex verbis Hieron.dicens. *Ipsis patribus incumbebat,qui tunc,id est,tempore Apostolico præsidebant Ecclesiis,ducere scripturarum volumina ad perfectum,* concedimus hoc illis solis incubuisse quoad eas conscribendas. Sed quoad eas ad publicam omnium notitiam aperto decreto deferendas,non illis solis,sed etiam succedenti Ecclesiæ incumbere asserimus:satisq; suprà comprobauimus.

Ecclesia præsens per se debet dubia determinare.

Quomodo ecclesia succedens recepit in canonẽ, libros antea non canonicos.

Sane quod subiungit Vvaldẽsis,*summa præsumptio foret eos libros nunc probare,quos patres certa ratione respuerant,* verissimum est:sed pro sua cõfirmanda sentẽtia,vel nostra infirmãda nihil facit. Longè enim aliud est Ecclesiã successorum probare libros, quos Ecclesia Apostolorum reprobauit;(quod asserere esset impium)aliud eam eos libros pro Canonicis probare, quos vel non satis constat ab Apostolis approbatos fuisse,vel Apostolorum Ecclesia nondum pro certis approbauit,

A approbauit,nec vllum de eis iudicium tulit. Aliud inquam est reprobare, aliud non probare aliud reiicere, aliud tolerare: denique aliud sententiam ferre, aliud suspēdere & differre. Quas scripturas Ecclesia sequens approbauit, eas Apostolorum Ecclesia nunquam reprobauit: sed vel circa eas nullum iudicium tulit, relinquens eas in medio & tolerans, vel si approbauit, de approbatione certò non constabat, vt propterea opus esset sequenti Ecclesię suo iudicio rem incertam definire. Et hæc est sententia verborum Augustini, quæ postremo loco citauit Vvaldensis. Nempe *fabulas Apocryphas à succedente Ecclesia non recipi, quia olim cum primò scriberentur, non solùm receptæ non erant, sed etiam reprobatæ*. Agit enim dilertè Augustinus eo in loco de huiusmodi; non autem de illis libris qui sub dubio relicti, aut saltem in dubium vocati erant.

Manet ergo firmum, authoritatem hanc determinandi, taxandi, & approbandi quoad nos, sacræ scripturæ libros; ad Ecclesiam Christi præsentem, vel quocunque tempore existentem, non secus pertinere, quàm ad Apostolorum Ecclesiam, vt sane sit penes Ecclesiam Catholicā huius temporis, tùm contra hæreticos præsentes Epistolam Iacobi, Machabæorum libros, aliasque scripturas, quas illi è sacro Canone expungunt, sua authoritate confirmare; tùm etiam præterea (si id ei Spiritus S. suggereret) librum aliquem alium nōdum in canonem receptum, Apostolorum tamen tempore conscriptum, & nunquam hactenus Ecclesiæ iudicio reprobatum (Exempli causa librum Hermæ discipuli Pauli, Pastoris nomine inscriptum, à multis antiquissimis patribus Clemente, Irenæo, Origene, Athanasio, Eusebio, Hieronymo, & citatum diligenter & egregiè commendatum; vel constitutiones Apostolicas à Clemente editas) in numerum librorum sacrorum, & certò Canonicorum referre posse. Quod vt non temere vnquam faciet Ecclesia; sic si faceret, authoritatem diuinam apud nos illi libri haberent, non secus quàm alij, siue sub ipsis Apostolis, siue post illorum tempora in Canonem relati. *Conclusio præsentis controuersiæ.*

B Atque hæc hactenus de præsenti Controuersia circa ipsum Sacrarum Scripturarum Canonem consignandum & determinandum, in genere dicta sunt. Nam singulas in specie scripturas quæ sint ostendere, aut quæ ab hæreticis hodie vel repudiantur, vel in dubium vocātur, propriis argumentis tueri ac defendere, & à nostro proposito alienum est, & planè superuacaneum est, posita assertionum supradictarum veritate: & postremò copiosè iam & accuratè à doctissimis viris factum est. Primùm quidem à Ioanne Driedone de Ecclesiasticis scripturis & dogmatibus libro primo deinde à Melchiore Cano locorum Theologicorum libro secundo. Postremò verò, & quidem accuratissimè, à Sixto Senensi in Bibliotheca sancta. Nos verò in genere iam ostendimus, certisimam huius Controuersiæ regulam, esse Ecclesiæ authoritatem: eámq; Orthodoxo solam satisfacere & posse & debere. Ex quo etiam sequitur, alterum & illustre Catholicæ fidei Principium doctrinale, scripturas Sacras videlicet ab Ecclesia consignari; nec alias pro Sacris, & pro ipso Dei verbo habendas, nisi quas Ecclesia Catholica per præpositos suos, & adhibitis quæ demonstrata sunt, Mediis pro huiusmodi approbauerit. Huic autem disputationi commodè subnecti posset illa nobilissima & difficillima quæstio, quæ sit maior Authoritas Ecclesiæ an scripturæ: quandoquidem Scripturam ipsam taxat, approbat, & confirmat Ecclesia. Sed ne Principiorum doctrinalium instituta demonstratio, iuxta ordinem Analyticum initio præstitutum perturbetur; eam disputationem C in finem totius operis, loco etiam commodiore, reiecimus. Nunc ergo, aliunde initio sumpto, ad sequentia pergamus. *Cap.9.10.&11 Lib.7.& 8.*

Controuersia quinta & libri Noni de Canone Scripturarum per Ecclesiam consignando, finis.

D

DE PRINCIPIIS FIDEI Doctrinalibus Controuersia sexta, & Liber Decimus.

DE ECCLESIASTICÆ AVTHORITATIS altero obiecto Materiali: videlicet SS. Scripturarum interpretatione. Et primùm à qua authoritate, si ab aliqua, petenda illa sit. E

PROOEMIVM,

In quo Status Controuersiæ explicatur.

QVÆ de ipsis scripturarum libris hodie Controuersia agitata est, quo iudicio & qua authoritate determinari possit ac debeat, in superiori disputatione explicatum est. Nunc quia multò maior hodie pugna & Controuersia existit, circa Scripturarum interpretationem veram & germanam à falsa & adulterina discernendam, eam vt huic tempori maximè necessariam diligenter explicandam suscepimus. Et quia res ipsa etiamsi in Controuersia posita non esset, multiplicem tamen secum vtilitatem adfert, estque ea non solùm vt fidelibus, sed etiam vt Theologis longè vtilissima, quàm fieri à nobis potest accuratissimè tracta- F
bitur. Sunt autem in hac Controuersia duo potissimum inuestiganda. Primũ
penes quos sit Authoritas interpretãdi Scripturas. Alterum qua ratione, vel
quibus mediis vtuntur ij, qui hanc authoritatem habent. Sed ante omnia, vt

De quali Scripturarum interpretatione hic agatur.

1. ipsius Controuersiæ status manifestè intelligatur, obseruandum est, agi hic
2. de interpretatione Scripturarum non quacunque, sed de ea quæ ad fidem vel
ingenerandam vel conseruandam necessariò pertinet. Etenim illa Scripturarum expositio, quæ vel ad exhortationem & formandos in melius mores, vel ad subtilia inuestiganda, (de quibus salua fidei regula aliter sentire licet) adhibetur, hoc in loco in quæstionem non vocatur. Latiùs enim multò illa pa-
3. tet, & liberior est, quàm quæ vel ad dogmata fidei, vel ad vitæ præcepta necessaria comprobanda assumitur. Rursum agitur de illa interpretatione etiã
4. eorum quæ sunt fidei, non qua fidem ipsam quam firmiter iam quis habet, le-

etiam

A gendo & exponendo ſibi ſoli nutriat atque confirmet: [quanquam & hic curioſitas & audacia cauenda eſt,] ſed qua aut fidem de nouo inquirimus: aut 5.
etiam iam acceptam alios docere contendimus. Denique de huiuſmodi omni 6.
interpretatione ſcripturarum hic diſputatur, quæ adhibita Authoritatem habeat, & quæ pro certo & germano Scripturæ ſenſu neceſſariò tenenda eſt: non de huiuſmodi, quæ probabilis aut veriſimilis Scripturæ ſenſus exiſtimanda ſit. Hoc enim ſcientia & ſtudio Theologico eruitur: illud fide creditur, hoc in diſputatione verſatur, illud authoritate traditur. Hoc denique ſcholaſticum eſt, illud Catholicum. His ita breuiter præmiſſis, rem ipſam rectà aggrediemur, ídque more conſueto, vt poſitæ certæ Aſſertiones, paulatim & per certos gradus, rem vniuerſam complectantur.

Quòd hæreses omnes ex Scripturis malè intellectis vel cæperint, vel incrementum accepe-rint, declaratio.

CAPVT I.

Assertio prima.

ÆRESES omnes ex Scripturis malè intellectis aut ortæ sunt, aut incrementa sua & subsidia præcipua acceperunt.

Adhibetur hæc Assertio, tùm vt Argumenti huius maxima necessitas intelligatur, tùm (idque præcipuè) vt omnium sanè sed maximè nostrorū hodie hæreticorum pestilentissimus sed speciosissimus laqueus, diligenter caueatur. Nempe, cùm omnia naturaliter appetāt bonum, nec in malum aliquod, quod vel intellectum vel volūtatem à recto deflectat inducatur animus, nisi sub specie veri & boni; (ideóque Diabolus ipse vt homines fallat, *transfigurat se in Angelum lucis*) in ratione autem fidei; nihil magis verum habeatur quàm scriptura sacra; hæretici omnes, vel vt à fide aberrent, vel vt alios ab ea diuellant, Scripturæ Sacræ titulo & nomine falluntur & fallunt. Quod sane tanta ambitione & studio faciunt, vt etiam solis Scripturis se niti velle omnes ferè hæretici clamitent: de qua re plura suo loco. Iam verò quia ex veris falsa probari non possunt, ideóque Scriptura Sacra rectè intellecta nullum errorem gignit aut fouet; necessariò fit, vt ex Scripturis male intellectis causam suam hæretici potissimum tueantur. Præmonuit nos E diligenter in scripturis ipsis spiritus sanctus, ne facile hac fraude nos decipi pateremur. Quod enim apertè Saluator prædixit, vt *attenderemus à falsis Prophetis, qui sub vestimentis ouium sunt lupi rapaces.* Hoc de ista hæreticorum fraude intellexit; qua sub verbis Prophetarum & Apostolorum gerunt vestes ouium, intus autē in sensu verborum sunt lupi rapaces & prædones animarum, vt docet eleganter Vincentius Lyrinensis in lib. contra Prophanas hæresum nouitates. *Quid est* (inquit) *vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorū feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaqua possunt, dilacerant? Sed vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum feritate deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obuoluūt.* Hæc ille. Quod ibidem addit saluator. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, hoc de falsis dogmatibus ex scriptura male intellecta collectis, intelligit, vt ibidem docet Vincentius, & ante eum Theodoretus, & author operis imperfecti in Matthæum. Rursum quod cauere nos docuit Saluator, à Pseudoprophetis clamātibus *Ecce hic est Christus, ecce illic*, hoc per scripturas ab hæreticis detortas fieri docet præclarè Origenes. *Dicit enim* (inquit ille) *quis seducere nos voluerit: Ecce hic est Christus, demonstrans verbi gratia, hunc Euangelij locum. Alterius autem author erroris dicet: Ecce hic est Christus, offerens ad exemplum alterum textum.* Hæc ille, & multa alia in hanc sententiam. Præterea, quod apertissimè Apostolus præmonuit de Pseudoapostolis sui temporis, dicens eos esse, *Operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi*, non alia de causa dixit, quàm quòd Apostolorum verba & scripturas prætendunt, sempérque in ore habent; sed in sensu alienissimo: vt F præclarè docet Vincentius Lyrinensis, & ante eum Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ.

2. Cor. 11.
Quare hæreses omnes Scripturis male intellectis maximè nituntur.
Inf. lib. 12. c. 7.
In Scripturis prædictū est, fore vt hæretici per Scripturas fallerent.
Matth. 7.
Vincent. Lyr. cap. 36.
Hæret. fabul. lib. 3. in principio.
Hom. 19.
Math. 24.
Origenes in Matth. hom. 29.
2. Cor. 11.
Cap. 37.
Gal. 1.

Quod autem scriptura præmonuit, diligenter ab omnibus hactenus hæreticis factitatū fuisse, obseruatum est, & ab Apostolis ipsis, & ab eorum successoribus, quoquot contra hæreticos scribendi aut disputandi occasionem habuerunt. Quod enim Paulus exclamat contra Galathas, *eos in aliud Euangelium transferri, quod tamen non est aliud*; ideo dixit, quia (vt exponit ibidē Chrysostomus) *impostores illi fraudi prætexebant Euangelij nomen.* De huiusmodi fraude Thessalonicenses monuit. *Ne deterreamini per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Erant enim qui per verba prioris Epistolæ cap. 4. male intellecta, illos deciperent. Petrus verò apertissimè de suo tempore scribit, *indoctos & instabiles deprauasse quædam in epistolis Pauli.* Et addit generalem clausulam; *sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Vbi generalem hunc omnium impostorum morem notat. Iam verò prolixum esset omnium hac de te patrum sententias commemorare. Satis erit loca digito demonstrasse. Videat ergo studiosus lector Irenæum libro 1. capite 1. Cyrillum Alexandrinum epistol. 28. Augustin. tract. 18. in Ioann. Lactantium libro 4. capite 30. de vera religione, Ambrosium libro 4. in Lucam. Hieronymum in Commentar. ad caput 23. Esaiæ, ad caput 13. Ezechielis, ad cap. 7. Michææ. & in

Chrys. in comment. ibidem
2. Thessal. 2.
Epist. 2. cap. 3.
Patres omnes notarunt, hæreses ex Scripturis male intellectis nasci.

A & in epist. ad Domnionem. Vincentium Lyrinensem cap. 35. & sequentibus. Tertullianum in præscript. Concilium Nicenum 2. act. 6. Hilarium in lib. ad Constantium, Athanasiũ orat. 2. cõtra Arrianos, Origenem homil. 31. in Exodum. In quibus omnibus locis diligenter obseruato arma, fraudes, & perditionem omnium hæreticorum, quibus pugnant, fallunt, & falluntur, esse solas fere Scripturas malè intellectas. Imò nonnulli Patres ex hoc quasi inseparabili accidente, hæreticum & hæresim definiunt. Ambrosius in commẽtariis ad Titum 3. explicans illud Apostoli; *hæreticum hominem deuita, &c.* Hæretici (inquit) *illi sunt qui per verba legis, legem impugnant; & proprium sensum verbo astruunt legis, vt peruersitatem mentis suæ legis authoritate commendent.* Hæc ille. Hieron. explicans locum Apostoli, ad Gal. 5. vbi inter opera carnis hæresis nominatur. *Hæresis*, inquit, *ab electione dicitur: quòd scilicet eã sibi eligat vnusquisque disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunque ergo Scripturam aliter intelligit, quàm sensus Spiritus S. flagitat, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, &c.* Hæc ille. Ad horũ sententiam accedit Augustinus qui disertè scribit, *non ob aliud esse hæreticos, nisi quia scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt.* Hæc ille. Idem breuius Hilarius dixit. *De intelligentia hæresis est, non de scriptura: sensus non sermo fit crimen.* Postremò si rectè aduertimus, hoc idem Saluator docuit, dicens Sadducæis: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Non enim Sadducæi textum Scripturarum non legerant (imò illas solas legebant & legendas esse asseuerabant, vt de hac secta commemorat Iosephus Antiquitatum lib. 13. cap. 18.) sed ideo eos errare dixit, quia nesciebant, id est,

B non intelligebant scripturam: ideòque adiunxit: *Neque virtutem Dei*, id est, sensum & consiliũ Dei, quod latet in Scripturis: docens profectò, causam erroris in hæreticis esse, quòd Scripturas non intelligunt etsi verba ad vnguem teneant.

Hæreticis est inseparabile accidens, Scripturæ male intellectæ.
Ambrosius.
Hieronymus in comment. ad Gal. cap. 5.
Hæresis etymologia.
Augostinus de Genesi ad lit. lib. 7. ca. 9.
Lib. 2. de Trinit.
Matth. 22.

Quæ cùm ita sint, saltem vel serò sapiant Catholici, non propterea nouis doctrinis aurem præbere, quia Scripturas nouatores producunt. Diabolus ex Scripturis Christum ipsum tentauit, & ad præcipitandum semetipsum, prouocauit. Iudæi ex Scripturis ostẽdere conati sunt, Christum non esse Messiam. Dicebant enim, *nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne scriptura dicit quia ex semine Dauid & de Bethlehem venit?* Et iterũ Pharisæi ipsi Nicodemo dicunt. *Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit.* Nec Messiam tantùm illum esse ex Scripturis negabant, sed præterea morte etiam dignum illum ex Scripturis probare volebant. *Nos*, inquiunt, *legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Quin & in hunc vsque diem, Iudæi Scripturas veteris testamenti legunt & venerantur, sed Christum in eis non vident. Quin & Mahometistæ vtrumque testamentum venerantur, sed interpretationem sequuti quam illis in Alcorano Mahometes tradidit (vt docet Marsilius Ficinus in lib. de religione Christiana) Christiani non sunt; nec illa stante interpretatione, esse aliquando possunt. Neque vero propterea ista cõmemorauimus, vt Scripturarũ vel Maiestati, vel veritati aliquid detrahatur, aut vt eius authoritatem in quæstione fidei vllo modo minuamus: sed vt doceamus quàm sit necessarium, Scripturæ sacræ sensum, certum tandem aliquem & exploratum habere: nec satis esse in causa fidei Scripturam allegari, sed spectandum esse, vt iuxta germanum eius sensum allegetur. *Non putemus* (ait S. Hieronymus) *in verbu scripturarum esse*

C *Euangeliũ, sed in sensu. Non in superficie, sed in medulla. Non in sermonũ foliis, sed in radice rationis.* Hæc ille. Debebamus ergo (vt monet S. Chrysost.) *non timuisse hæreticos quum videremus eos ex Scripturis loquentes*, nec Protestantum hodie Protestationẽ vel nihili fecisse, qua protestantur se propter verbum Dei ab Ecclesia Romana defecisse. Hanc horum princeps Lutherus vsurpauit in colloquio Vvormatiensi anno 21. supra sesquimillesimum, vt refert Coclæus in actis Lutheri. Protestabatur enim post omnem disputationem & collationem frustrà cum eo habitam, *se per scripturas, quas in libris suis allegauerat conuictum esse; & capta conscientia in verbis Dei, reuocare illos non posse.* Se propterea Concilium Constantiense damnare, *quia in eius decretis verbum Dei damnatum fuerat:* Nimirum illa Assertio Hussitarum, qua affirmabant, ex solis prædestinatis Ecclesiam consistere. Denique nullum esse, harum de religione contentionum componendarum modum aut finem, *nisi vt verbum Dei liberum sit & non ligatum.* Et hæc eius postea cùm in Germaniam rediret perpetua protestatio & querela fuit, *quod obtinere Vvormatiæ non potuit, vt verbum Dei audiretur.* Atque hæc quidẽ Lutherus. Sed vide quid Lutheri discipulis respondet Caluinus. *Excipiunt* (inquit) *se verbum Dei habere, quo palàm facta est Dei voluntas: Nempe si illis conceditur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod verbo lucẽ afferat. Fateor illos habere verbum, sed quale olim Antropomorphitæ, quum Deum corporeũ fecerunt: quale Marcion & Manichæi quum fingerent Christi corpus vel cæleste, vel phantasticum.* Citabant

Non debet mouere catholicos, quod scripturis hæretici vtũtur.
Matth. 4.
Ioan. 7.
Iudæi ex scripturis conãtur ostẽdere christum non esse Messiã.
Ioan. 19.
Cap. 36.
In comment. ad Gal. ca. 1.
Serm. contra hæreticos. tom. 3.
Protestãtum ridicula protestatio.
Idem quod hic Lutherus dicit, omnes hæretici vociferari solẽt.
Institut. lib. 4. cap. 17. § 25.

1. Cor. 15. Philip. 2. *enim testimonia. Primus Adam è terra terrestris: secundus Adam cælo è cælestis. Itē, Christus seipsum* D *exinaniuit forma serui accepta, & habitu inuentus vt homo.* Hæc ille contra Lutheranos quidem. Eandem tamen protestationem tum ille tum omnes vsque hodie Protestantes vsurpant: & infinita animarum millia hoc solo prætexto verbi Dei perdiderunt & perdunt. Nunquam autem tam temere & leuiter id factum fuisset, si quæ iam diximus, rectè fideles aduertissent, aut illud Hieron. in dialogo aduersus Luciferianos, & Hilarij in lib. aduersus Constantium meminissent, *Scripturas non in legendo sed in intelligendo consistere.* Sed pergamus nunc, & huius mali remedium inuestigemus.

Quòd aliqua certa & infallibilis authoritas, est necessaria ad certam aliquam & indubitatam S. Script. intelligentiam consequendam.

CAPVT II.

Assertio Secunda. NECESSARIA est ad Scripturas Sacras, maximè in his quæ sunt fidei, rectè & certò intelligendas, aliqua expositio & in- B
» terpretatio authentica, non minus certa & infallibilis quàm
» est ipsa Scriptura.
» Hæc Assertio si cum solis Catholicis ageretur, minima aut nulla probatione indigeret. In promptu enim sunt variæ rationes. Primùm obscuritas ipsa & difficultas Sacræ Scripturæ passim & plerisque in locis occurrens, vt copiosè docet D. Augustinus. Secundò, quia *propter altitudinem ipsius* (ait Vincentius Lyrinensis) id est, fœcunditatem & amplitudinem mysteriorum & sententiarum in ea latentium, *non vno eodémque sensu vniuersi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur.* Hæc ille. Tertiò, quia etsi nec obscura, nec adeo fœcunda esset; tamen natura quodammodo rei scriptæ est quatenus scriptæ, vt quantumuis clara & euidens sit, pro varietate tamen iudiciorum atque affectuum variè sonet, variéque intelligatur: vt idem in libris eueniat, quod in cibis. Quarta ratio esse potest id totum, quod in præcedenti capite demonstrauimus. Illa enim tam longa experientia euidentissimè iam demonstrauit scripturarum interpretationem aliquam certam & authenticam, planéque infallibilem, in qua firmiter & tutò acquiescere liceat, plusquam necessariam esse. Itaque Catholico iam satis ex his paucis probata fuerit posita Assertio.

Causæ expositionis Scripturarū necessariæ. — De doctrinal. Chr. Li. 2. c. 6. — Cap. 2.

Lutheranorum hodie tergiuersationes ad declinandam huiusmodi necessitatem, aperiuntur & confutantur. E

CAPVT III.

SED quia cum hæreticis hic litigamus, & Controuersiam profitemur, necessariò adhuc aliquatenus est huic rei immorandum. Protestantes enim vt illud iudicium quod certum est in interpretandis scripturis declinarēt; initio sui schismatis, non tam contra ipsam interpretandi potestatem disputabant, quàm contra rationes illas, propter quas hanc interpretationē necessariam esse iam ostendimus. Planè sicut astuti litigatores, ne de principali respondere cogerentur contra allegationes pugnabant & dilatoria quærebant. Nempe cùm viderent Catholicos propter difficultatem illam, profunditatem, & fœcunditatem Scripturarum, interpretandi necessitatem stabilire; illam, licet rem ex se clarissimam, omnibus tamen modis conuellere conati sunt. Idcirco contrà asserebant, Scripturarum nullam esse difficultatem. Et Lutherus quidem vult hoc esse tanquam principium & indubitatum axioma. *Id oportet*, inquit, *apud Christianos esse in primu ratum atque firmissimum, Scripturas Sanctas esse lucem*

Lutheri axioma. Nullā esse prorsus Scripturarū difficultatem.

A *lucem spiritualem, ipso sole lōge clariorem.* Et paulò post: *Ego de tota Scriptura dico: nullam eius partem volo obscuram dici.* Hæc ille in libro de Seruo arbitrio.

Iam verò quia facile Catholici multis argumentis probarunt, multa esse in Scripturis difficilia, maximè ipsius Petri testimonio de Epistolis Paulinis 2. Petr. 3. suprà citato, exemplo quoque Eunuchi qui dicebat: *Quomodo possum intelligere, si nemo ostenderit mihi*, & discipulorum Christi quibus Christus *aperuit sensum vt intelligerent Scripturas*: alij Lutherani hanc eius impudentissimam vocem mitigare voluerunt, dicentes; *Saltem circa ea quæ ad salutem necessaria sunt, vt circa decalogum, Symbolum Apostolorum, orationem dominicam & sacramenta, Scripturas nihil obscuritatis habere; vtcunque in aliis subtilioribus, minimèque necessariis, obscuræ videantur.* Hoc facit Brentius in suis Prolegomenis contra Petrum à Soto; & alij alibi. Sed & hanc eorum moderationem, cùm non minus Paradoxam esse multis argumentis Catholici ostenderent; maximè in Scripturis illis, ex quibus olim Articulos Symboli contra varios hæreticos Ecclesia propugnauit, & hodie contra præsentes hæreses doctrinam de Sacramentis tuetur: alias rationes excogitarunt, quibus sententiam suam temperarent quidem, ita tamen vt certa aliqua interpretatione Scripturam non indigere assererent. Dicunt enim obscuritatem quidem interdum esse in Scripturis; sed propter verba, non propter res: vt qui verba teneat, sitque grammaticus & schemata seu figuras dicendi calleat, omnem Scripturam intelligere possit. *Fateor*, inquit Lutherus, *esse multa loca in scripturis obscura & abstrusa; non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum & grammaticæ; sed quæ nihil impediat scientiam rerum omnium in* B *Scripturis.* Hæc ille in libro de Seruo arbitrio. Ex hac sane Lutheri doctrina prodierunt tot hodie ludimagistri, rhetores, & Poëtæ; qui statim vt linguas & artem dicendi calluerunt, accepto breuique tempore perlecto sacrorum bibliorum volumine, summi de repente Theologi, ministri verbi, & Euangelistæ euaserunt.

Cap. 2. Act. 8. Luc. 24. — *Prima moderatio.* — *Secunda moderatio.* — *Indocti Prædicātes vnde prodeant.*

Sed cùm hæc distinctio, seu potius euasio non sufficeret; quia longe aliud est, in vnaquaque disciplina verborum significata & sententiarum constructiones tenere, (qua in re vna grammatica omnibus disciplinis artem suppeditat.) aliud rerum intelligentiam habere, quæ vnicuique disciplinæ propria est, in studio autem Theologico, (quod ex Scripturis potissimum hauritur) longè est excellentissima; & ab humanis tùm sensibus, tum rationibus sæpenumero remotissima; ideóque non solùm Iudæorum Rabbini, & Ethnicorum doctissimi, sed etiam Christiani fideles, linguarum peritissimi, & (quod maius est) ipsius religionis scientissimi, hanc in scripturis difficultatem experti sunt; vt Origenes, Hieronymus, Augustinus, aliíque permulti; quorum clarissima extant de scripturæ obscuritate & multiplici difficultate luculenta testimonia, & querelæ grauissimæ, quas recensere esset facillimum; Alteram euasionem subiiciunt; & dicunt, hoc non fieri ex Scripturæ aliqua obscuritate, quæ per se egeat interprete, sed (ait Lutherus) *ex eorum socordia vel cæcitate, qui non agunt vt clarissimam veritatem videant: sicut Paulus de Iudæis dicit, velamen manere super cor eorum. Et iterum. Si Euangelium nostrum opertum est, his qui pereunt opertum est.* Hæc ille in libro iam allegato.

Non satis esse ad Scripturas intelligendas verba & phrases tenere. — *Tertia euasio.* — *2. Cor. 3.* — *2. Cor. 4.*

C At verò, cùm & hæc euasio videatur ipsos patres Ecclesiæ complecti; omnémque Antiquitatem cæcitatis & impietatis, non solùm socordiæ arguere; addit mirabilem distinctionē Lutherus, qua se euasisse existimat, sed magis constringitur. *Quicunque*, inquit, *claritatem scripturarum non vident; aut sunt impij, & declarāt suo exemplo, quanta sit maiestas & potentia Satanæ in filiis hominum, vt clarissima verba Dei neque audiant, neque capiant: aut sunt pij & inter electos censendi sunt, qui in errorem ducuntur aliquando, vt declaretur virtus Dei in nobis, sine qua nihil possumus.* Hæc ille in libro prædallegato: vt videlicet patrum testimonia, & querelas de scripturarū obscuritate, & consequenter de certæ alicuius interpretationis necessitate, hoc fuco deleat. Sed hac distinctione magis ille constringitur; totáque quæstio magis implicatur. Duæ enim hinc sequuntur difficultates maximæ, quas expedire nunquam Lutherus potuit, nec poterit vnquam nisi ad Ecclesiam recurrat. Tertium quoque sequitur quoad illum incōueniens, quo velit nolit, ad certam aliquam interpretationis legem pertrahitur. Prima difficultas est, iudicare & discernere, sitne impius an pius qui Scripturas exponit, maximè in sensu Lutheri, qui Pium & impium pro electo & reprobo semper accipit. Hoc enim scire solius Dei proprium est, iuxta illud, *Nouit Dominus qui sunt eius.* Altera difficultas est adhuc longe maior, etiamsi constet esse Pium qui exponit, an tamen hoc faciat vt Pius ex certo iudicio, an ex errore quē Deus in illo ad tempus permittit ad gloriam suam. Harum enim difficultatum neutra expediri potest, nisi relinquēdo commentitium hunc pium & impium, ad Ecclesiam recurramus;

Patres socordiæ & cæcitatis arguuntur. — *Quarta euasio.* — *Lutherus sua distinctione magis implicatur.* — *2. ad Tim. 2.*

Persona Ecclesiæ in iudicio fidei semper pia. Quinta euasio.

cuius persona in iudicio fidei publico, infallibiter & perpetuò est Piæ eo sane sensu quem in D
4. Controuersia copiosè explicuimus. Etsi enim Lutherus, vt has difficultates expediat dicat *Pium esse illum, qui Spiritum Dei habet; & tunc ex certo iudicio, non ex errore iudicare, quando ex spiritu Dei iudicat & exponit*, tamen eòdem res redit. Nam quis habeat Spiritum Dei, ad hunc sanè effectum, & quando habeat, nulla ratione probari potest; nisi ad Ecclesiæ personam cui Spiritus Sanctus disertè repromissus est, iterum recurratur, vt prius. Inconueniens Luthero maximum ex hac distinctione consequens, illud est: quòd imprudens & incautus in illud incidit, quòd hac distinctione euadere se posse putabat: nempe in certos aliquos interpredandi Scripturas Authores. Iam enim fatetur non quibusuis hoc competere, sed solis Piis; etsi non semper, tamen illis solis. Siue ergo obscura, siue non obscura sit scriptura; non est iam cuiusuis eam exponere, etiam authore Luthero, sed piorum tantùm.

Secundum Lutherum certi aliqui sunt S. scripturæ interpretes.

Sic planè Brentius post Lutherum rem definit. Et postquam multis argumentis & artibus ostendere conatus esset, claram esse Scripturam; huc tamen tandem cum suo Luthero vel inuitus recidit; & ad eundem scopulum impingit. Prius tamen quàm id faceret, aliam euasionem interponit; vt non nisi dura necessitate coactus, ad hanc tandem confessionem naufragaret. Ait enim, *si alicubi Scriptura obscura videatur, extare tamen alia Scripturæ loca, quibus obscura illa (sola collatione inuicem facta) illustrentur sine interprete.* Multùm quidem valere ipsam Scripturarum collationem, idque multis in locis cum Augustino fatemur. Sed nec semper hoc verum est, nec illa ipsa manifesta scripturæ loca omnibus sunt manifesta. E
Quod enim vni manifestum est, alteri vel tardioris ingenij vel aliter affecto obscurum est. *Hoc est corpus meum*, nobis est clarum, Berengario, Vviclepho, Lutheranis & Caluinistis obscurum. *Verbum caro factum est*, nobis est clarum; At Arrianis, Nestorianis, Eutychianis, & Apollinaristis obscurum erat. Sed hoc interpretandi genus quantum valeat, postea suo loco pleniùs disputabitur. Incurrit ergo mox Brentius in Magistri sui scopulum, & dicit. *Nos quum loquimur de perspicuitate scripturæ, non respicimus ad Ecclesiam Asotorum*, (sic per contumeliam Catholicos vocat) *sed Ecclesiam piorum, & cætera. Et quemadmodum olim Deus in veteri populo, cùm nondum esset rex, excitauit iudices; & postea cessantibus regibus Prophetas; sic Deus his temporibus, postquam ordinarij successores non sunt ampliùs Ecclesiæ amici, excitat Ecclesiasticos & politicos viros, qui dogmata illustrent & Scripturas exponant.* Hæc ille in prologomenis. Vides ergo vtcumque scripturam perspicuam doceant, habere tamen illam suos certos tractatores & interpretes; sed pios Lutheranos, non Ecclesiæ Magistros: nec alia de causa interpretationem scripturarum illos subterfugere, quàm quia ipsi pro huiusmodi interpretibus non admittuntur. Postremò, vt hoc in loco insignem Protestantum peruicaciam inspicias, obseruandum est. Flaccum Illyricum hominem Lutheranissimum in Claue Scripturæ parte secunda tractatu primo causas difficultatis Sanctę Scripturæ vsque ad quinquagesimum commemorasse, móxque remedia 8. substituisse: conari tamen nihilominus difficultatem negare, quo nihil potuit impudentius agi. *Ne verò* (inquit) *Papistæ calumnientur me vltrò fateri Scripturarum habere complures difficultates, sciendum est plerasque harum difficultatū bonas versiones amouisse, qualis est Lutheri; deinde quamuis multa obscuriora non intelligant imperitiores, alia* F
tamen innumera clariùs dicta ab illis intelligi posse. Denique propterea largitur Deus intelligentes doctores ac ministros, &c. Hæc ille. Sed quis non videt pertinacissimum hæreticum, non tam cōtra veritatem quàm contra seipsum in vanum luctari & stolidè tergiuersari? Si enim amotæ sunt difficultates per versiones bonas quæ commemorantur, quare remedia adhibentur, quare clauis tua Illyrice tanto molimine constabilitur? Sed bene est quòd saltem multa non intelligi fateris: ideóque adhibendos *intelligentes Doctores.* Vbi iterum pro nobis contra te ipsum sententiam dixisti. Huius ergo rei necessitate certa, & euidenti ratione & aduersariorum vel inuita confessione constituta (longissima illa & parum vtili disputatione de facilitate aut difficultate Scripturæ prætermissa) vbi interpretatio ista, quam tandem aduersarij nobiscum agnoscunt, quærenda & inuenienda sit, iam inuestigabimus.

Sexta euasio.

Lib. 2. cap. 6. de doctr. Chr. *Eadem scriptura non est omnibus manifesta.*

Infrà lib. 11. cap. 10. & 11. *Septima & postrema moderatio.*

Quare Protestantes hodie necessitatem Interpretationis subterfugiunt.

Flacci Illyrici impudentia.

Quod

A *Quòd Sacræ Scripturæ interpretatio quæ certa indubitata & authentica esse debeat, non sit ab aliquo priuato Spiritu petenda aut præsumenda, multis argumentis demonstratur.*

CAPVT IIII.

CRIPTVRÆ interpretatio quæ certa & infallibilis est, & quæ ad dogma fidei confirmandum vel explicandum ad publicam vtilitatem adhibetur; non est ab aliquo priuato spiritu vel præsumenda vt doceat, vel quærenda vt doceatur. *Assertio tertia.*

Sensus est, nec posse aliquem priuato suo spiritu scripturarũ intelligentiam sibi certo arrogare, nec debere aliquem tali intelligentiæ à priuato alicuius spiritu profectæ, vllo modo confidere aut acquiescere; quando ad aliquod dogma fidei in controuersia positum, illa intelligẽtia adhibetur. Priuatum autem spiritum hic vocamus, vel qui communem excludit, & pro- *Priuatus Spiritus qui sit.*
B prio iudicio innititur neglectis aliis, quicunque ille sit qui hoc facit, siue pastor aut doctor, siue persona priuata & indocta, vel cum priuata persona sine vlla legitima authoritate, siue ordinaria siue cum euidenti signo extraordinaria, diuinitus accepta, scripturam interpretatur, siue hoc vnus, siue plures faciant. Neque enim ad hanc rem quicquam interest. Itaque priuatus erit spiritus, quando vel hæretici, vel schismatici, vel laici fideles scripturarum interpretationem in casu & modo iam proposito sibi assumunt; vel denique cùm is qui authoritatem & donum interpretandi habet, non tamen vtitur certa ratione illa & regula, secundum quam interpretari debet. Hæc autem assertio quantum ad Authoritatem ipsam interpretandi attinet, primùm quidem ex his quæ iam antea disputata sunt, magna ex parte elucescit. Eisdem *Lib.5.cap.2.* enim argumentis probatur & confirmatur, quibus Assertio Capitis 2. in 2. Controuersia probata & confirmata est. Quæ enim ibi illata sunt ad probandum penes laicos & priuatos homines non esse vllam potestatẽ de rebus fidei iudicandi, probant quoque non esse penes eosdem potestatem scripturas interpretandi. Hoc enim iuxta statum præsentis Cõtrouersiæ initiò explicatum vel maximè ad fidem pertinet. Itaque tanto hic breuiores erimus. Accedunt tamen aliqua maximi momenti argumenta, & huic hipothesi propria, & quæ aduertere est valde operæprecium propter aduersarios hodie qui assertionis huius doctrinam remis & velis euertere contendunt. Nam ex hoc priuato spiritu, quo exponi posse scripturas fortissimè asseuerant, tota ista hæresum & nouorum dogmatum immensa colluuies in orbem hodie christianum inuecta est.

Primùm itaque; interpretatio scripturæ eo sensu & fine, quem iam exposuimus, à priuato *Prima Ratio, quia talis omnis interpretatio incerta & dubia est ex se.*
C cuiuslibet spiritu profecta, vt minimùm incerta est & dubia. Neque enim vel ex parte eius qui interpretatur, vel ex se certitudinem habet. Non primùm, quia sine vlla interpretandi authoritate id facit. Cùm enim exponere Scripturas in sensu proposito, sit pars doctrinæ & ad Clauem scientiæ pertineat (vt suo loco ostendetur) qui ad docendum non vocatus id facit, Authoritate caret. *Infrà cap. 14.* Non secundum, quia quod proprium est, excludendo commune, nouum est. Omne autem nouum & singulare, maximè in causa fidei, in qua nihil innouandum vnquam est, meritò in suspicionem vocatur. At temerarium est in negocio fidei dubiis & incertis sese committere.

Secundò, vt incertum hoc non esset ex se, adfert tamen secum ex consequenti, incertitudinem totius fidei longè maximam. *Secunda Ratio quia ex consequenti incertitudinem totius fidei maximam adfert.* Liberum enim erit hac ratione cuilibet, vel priuatum cuiuscunque velit spiritum sequi, vel ex se etiam priuatim quod velit comminisci. Sequitur hodie alius Lutheri, alius Caluini spiritum; tertius vtrumque respuit, & suum sequitur. Exempli gratia. Saxonici Lutherani in colloquio Altemburgensi anno 1568. habito, Melanchthonis iudicium respuunt, & dicunt, *se illum recipere, quatenus cum verbo Dei, & cum Luthero eius doctrina consentit.* Contra verò Electorales totum corpus doctrinæ Christianæ (veriùs Lutheranæ) à Melanchthone editum, in Authoritatem recipi non secus atque Lutheri scripta, id est non secus ac Paulum postularunt. Vnde frequenter sic in Colloquio illo loquuntur, *Paulus* *In Epistola Secundini Manichæi ad August. tom. 6.*

& Lutherus docuerunt, Christus & Lutherus tradiderunt: sicuti sane apud Augustinum Secundinus Manichæus: *Hoc*, inquit, *Paulus, hoc ipse testatur Manichæus*: non alio scilicet loco Manichæum suum ille, Lutherum suum isti quàm Paulum ipsum habẽtes. Nimirum fit in hac libertate spiritus, quod apud Philosophos & apud veteres hæreticos fieri solitum legimus. D

De ciuit. Dei lib. 8. cap. 3 & lib. 18. cap. 41.
In præscriptionibus.

Socratici ab ipso Socrate, *quod cuique placuit sumpserunt; & vbi cuique visum est, ibi finẽ boni constituerunt*: ait August. Quod iterum copiosè de omnibus Philosophis demonstrat in eodem opere. De hæreticis dicit Tertullianus. *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare.* Hæc ille in libro de Præscriptionibus prope finem. Hodie Lutherus interpretatus est scripturam priuato suo spiritu, vt libuit. Fecit post cũ Zuinglius idem, vt libuit: fecit Osiander, fecit Rothmannus Anabaptistarum pater, & singuli à magistro (Luthero) in exponenda scriptura variantes, singulas & distinctas hæreses pepererunt. Est hæc incertitudo, & maxima & perniciosissima.

Tertia ratio, qua ordinariã certitudinẽ nullam habet.

Tertiò si etiam de priuato spiritu esset aliqua certitudo, videlicet aut ratione probabili, aut reuelatione facta; tamen nec ordinaria illa certitudo est, qualem in Controuersiæ Iudicio & doctrinali principio quærimus; & præterea perniciosa est exemplo. *Expedit vt hi qui sciunt volare* (ait August.) *ne cui sit periculo inuitamentum, paulisper cogantur incedere qua cæteris tutum est. Hæc est prouidentia veræ religionis, quam peruertere velle, aut perturbare, nihil est aliud, quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere.*

Lib. de vtilitate credendi cap. 10.

Hæc ille. Itaque si quis esset hodie Anthonius, qui (vt scribit August. in Prologo lib. 1. de doctr. Christ.) *sine vlla scientia literarum, Scripturas diuino munere intelligeret*, eius tamen exemplum ab aliis imitandum non est, aut priuato spiritui confidendum; vt ibidem multis verbis docet Augustinus. E Priuilegia enim paucorum non faciunt legem communem; de qua hic quæritur.

Quarta ratio, quia Priuatus spiritus est in toto suo genere malus.

Quartò, priuatus spiritus in exponendis scripturis excludendo communem, in toto suo genere malus est, & à Deo esse non potest, siue in docente, siue in audiente. De docente manifestum est, quia *Dei spiritus pacis est non dissensionis*. Omnis autem priuatus spiritus, vt priuatus est, diuisionem parit. Nam filiorum Dei *vt vnum est corpus, sic & vnus est spiritus*. Vt propterea *soliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*: sciẽtes *se stare in vno spiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij*. Sed priuatus spiritus vnanimitatem dissipat, diuersitatem inducit, nec collaborat fidei cum aliis; sed contendit de fide seorsim ab aliis. Vt meritò propterea lupos describat Apostolus; *quòd abducant discipulos post se*: id est, post sensum & spiritum suũ: & latronem Saluator quòd *mactet & perdat*: id est auellat & desiungat à communi doctrina. Denique *seipsos* qui sunt huiusmodi *prædicant, veritatis Regulam* (quæ communis est) *deprauantes* vt docet Irenæus. Imò omnis qui ex priuato spiritu loquitur, *venit in nomine suo*, non Dei, & est præcursor Antichristi, de quo Saluator dixit: *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Denique sicut diabolus *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, sic & ministri eius cùm mendacium loquuntur, ex proprio spiritu loquuntur, Et econuersò.

1. Cor. 14.
Ephes. 4.
Philip. 2.
Act. 20.
Collaborare fidei.
Ioan. 10.
Lib. 3. ca. 2.
Priuatus Spiritus venit in nomine suo.
Ioan. 5.
Ioan. 8.

Spiritus veritatis non est datus priuatis, nec priuatè.
Ioan. 14.
Act. 2.
Veritas fidei priuata non est sed communis.
Confess. lib. 12. cap. 25.
Ioan. 14.
Ioan 8.

In cuius rei signum *spiritus veritatis qui maneret nobiscum in æternum*, non est promissus priuatis personis, sed Apostolis futuris Ecclesiæ magistris: Nec effusus in die Pentecostes obscurè in sinum priuati alicuius, sed *facto de cælo sono vehementi*, fideles qui tunc erant omnes, Ecclesiam repræsentantes, perfudit. Deinde & intrinseca quædam huius rei causa est, quòd ipsa veritas, maximè fidei, priuata non est sed communis. F Quod suis verbis explicantem Augustinum audiamus. Agens enim ille ex proposito de interpretatione Scripturæ, *Veritas*, inquit, *tua Domine nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas; terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id quod tu fruendum omnibus proponis sibi propriè vendicat, & suum esse vult quod omnium est, à cõmuni propellitur ad sua; id est, à veritate ad mẽdacium*, &c. Hæc ille. Nullus ergo priuatus spiritus veritatem tenere potest, quæ priuata non est, sed fidelibus omnibus communis. ideóque ex Deo esse non potest, qui *est ipsa veritas*: sed ex diabolo qui est *Pater mendacij*.

Non est fidelis qui audit priuatum spiritum.

De audiente autem quoque & sequente priuatum spiritum manifestum est; quia hoc qui facit, discedit à communi spiritu & sensu fidelium: ideóque spiritum Dei in se non habet. Quemadmodum enim verè fidelis audiens proximum Christianè loquentem, agnoscit communem Dei Spiritum, qui etiam in seipso seu corde suo idem loquitur; ex vnctione videlicet Spiritus sancti & ex testimonio Dei quod in se habet, (ideoq; dixit Saluator: *Qui natus est ex spiritu, audit vocem spiritus*, & ipse Ioannes in quo Spiritus Dei ad docendum erat, dicit: *Qui nouit Deum audit nos*, id est, Ecclesiam:) idem verò fidelis audiens aliquem priuato & nouo spiritu loquẽtem, fugit & abominatur, *nec sustinet audire vocem alienorum*, vt Saluator monuit, *imò nec Aue ei dicere* dignatur, qui alienam doctrinam adfert; vt docuit Ioan. sic plane econuerso, qui audit priuati alicuius spiritus vocẽ, & acquiescit ei; iam

Ioan 3.
1. Epist. ca. 4.

ostendit

A ostendit se à communi Spiritu excidisse, ex Spiritu Dei natum non esse, vnctionem in se ipso non habere, iuxta illud Ioan. *Qui non est ex Deo, nō audit nos*: sed alienos scilicet & priuatos doctores. Quod in Corinthiis reprehendit Aposto. quia *alium spiritum acceperant à pseudoapostolis*, quem ab illo non acceperant. Denique audire priuatū spiritum, est tentatio illa de qua Moyses præmonuit: *Si surrexit in medio tui Propheta, & dixerit: eamus, sequamur deos alienos quos ignoras, non audies illum: quia tentat vos Dominus Deus vester, vtrum diligatis eum an non.* Prouocat autem ad deos alienos, qui priuatum & singularem spiritum suum nobis obtrudit, inde idola fabricans quæ sequamur. Hunc qui sequitur, ostēdit se dilectionem Dei non habere, id est, ex Deo non esse. Talis tentatio fuit Nestorius, Photinus, Apollinaris, Origenes, multique alij doctissimi archihæretici, & ad tempus magni Ecclesiarum magistri; donec in quibusdam ex priuato spiritu loquentes, & scripturas interpretantes, tùm ipsi ex Deo esse desierunt, facti ex pastoribus lupi, tum alios qui ex Deo non erant, i. qui *in charitate radicati & fundati* non erant, *qui non permanebant in fide fundati & stabiles*, seduxerunt. De hac tentatione vide multa præclarè disserentem Vincentium Lyrenensem.

Ioan 4. Epist 2. 1. epist. cap 4.
2. Cor. 11.
Audire priuatum spiritum, est tentatio à Deo.
Deut. 13.
coloss. cap. 13. & 23.

Quintò, priuatus spiritus in exponendis scripturis etiamsi in suo genere malus non esset, vt iam ostensum est, sed ex sua natura legitimus, & tantummodo per abusum malus esset; Deo videlicet non minus priuatæ libertati cuiuscunque fidelis (vt imaginantur hodie hæretici) aut etiam hominum voluptati indulgente, quàm communi vtilitati & ordini rerum prospiciente; tamen qualis hodie ab hæreticis defenditur & vsurpatur, semper est & necessario erraticus spiritus: errans & in errorē mittens. Horum enim priuatus spiritus excludit commune iudicium:
B nec (vt quidam iam demum prætendunt) per modum deliberandi & consulendi in commune, sed cum insigni aliorum omnium contēptu, suum quisque iudicium orbi obtrudit: ideóq; superbiæ spiritus est. Contemnūt enim, respuūt, atque reiiciunt in intelligendis Scripturis, Patrum, Conciliorum, Episcoporum, totiúsq; Ecclesiæ Catholicæ iudicium. Aiunt quidem illi, se non contemnere sed *grato animo labores patrum suscipere*, vt Lutherus in Præfatione assertionum apud Roffensem, & Martinus Chemnitius in censuris super Concilium Tridentinum loquuntur, *Episcoporum quoque & Conciliorum iudicia magni momenti & ponderis esse in disceptatione huiusmodi* (vt loquitur Caluinus,) sed affirmant præterea, *nec semper veram esse illorum interpretationem, nec præterea plus illis tribuendum esse, quā vt præiudicij cuiusdam loco sint; quod tamē examen non impediat, sed liceat nihilominus verbo Domini examinare & ad regulam verbi Dei omnia hominum iudicia exigere.* Sic enim Caluinus scribit. Et hic est præcipuus & honestissimus fucus quo suam hanc in re superbiam tegunt. At nihil agunt. Nam Patres, Concilia & Ecclesia adhibent quoque verbum Dei in suis iudiciis. Sed quia elatum illud verbum ex seipso nō est, eius sensum & intelligentiam nobis tradunt, quam isti suo iudicio & priuato spiritu respuunt. Non ergo ad regulam verbi Dei, sed ad regulam priuati spiritus & iudicij sui, interpretantem Ecclesiam reuocant; atque de ipsius iudicio ipsimet iudicant. Aiunt enim, *vt omnes omnium spiritus ad regulam verbi Dei exigamus; Et verbo domini examinemus.* Non dicunt vt exigantur, & examinentur, (quod in aliquo sensu & casu verum esse potest, vt in controuersia 3. de patrib. explicatum est) sed in prima persona loquuntur, vt ipsi exigant, & ipsi examinent: id est, seipsos
C Patrum, Conciliorum, & totius Ecclesiæ iudices constituunt. Semetipsos prædicant, vt de veteribus hæreticis notauit Irenæus. Hic verò est ille superbiæ spiritus ex diametro oppositus spiritui fidei, secundum quam sapere est sapere secundum Ecclesiam, cuius sapientia est sapiētia Ecclesiæ, & cuius obedientia est obedire Ecclesiæ; sicuti suprà ostensum est. Hic vero superbiæ spiritus euidētissimè in Luthero excelluit, qui ipsemet de se scribit, *nactum se fuisse spiritum insignem contemptorem tam fraudis quàm furoris papistici* vt alibi notauimus. Et in fine libri de seruo arbitrio, ait: *Ego in hoc libro non contuli, sed asserui & assero: & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo, vt præstent obsequiū.* Hæc ille. Rursum in examē vocāt Ecclesiæ iudiciū, quia hominū (inquiunt) est iudiciū, nō memores interim se quoq; homines esse, & sanemeros homines: id est, ex mera humana & carnali prudētia agētes, dū priuato suo spiritu, qui à Deo esse nō potest, scripturas exponūt. Hoc verò nō meminisse nec attēdere, euidēter superbiæ indiciū est. Ecclesiæ vero iudiciū in quacunq; fidei causa tractāda hominum aut merè humanū nō est, sed diuinū, vt suprà est ostēsum. Vnde fit vt nō hominū, sed Dei iudiciū in examen arrogantissimè vocēt, dum Ecclesiæ iudiciū examinare præsumūt. Quod profectò si intelligūt, intollerabilis superbiæ est: si nō intelligunt, crassæ & miserrimæ inscitiæ est. Iā verò superbiæ spiritus scripturas in his quæ sunt fidei rimandis, intelligere nullo modo potest. Huius rei ratio in prōptu est ipsa fidei natura, quæ cum Dei donū sit, & humanæ sapiētiæ vires lōgè excellens; quæ ad eam intelligendam pertinent, non nisi à spiritu humili capiuntur: & (vt post longam

Quinta Ratio quia excludit commune iudicium Ecclesiæ.
Protestantium Spiritus est necessario spiritus mendax, & erraticus.
Protestantium fucus quo contemptum patrū & conciliorum excusant.
Instit. lib. 3. cap. 9.
Protestātes hodie ad Regulam priuati sui spiritus interpretantem Ecclesiā reuocant.
Lib. 7. cap. 15.
Lib. 3. cap. 3.
lib 8. cap. 10. & 11.
In principio libri contra Regē Angliæ.
Lib. 8. contr. 4. cap. 16.
Protestātes merè homines in iudicio fidei.
Superbiæ Spiritus Scripturas intelligere non potest.

hac de re disputationem concludit sapienter Augustinus) *nisi pietas & pax quædam mentis accedat, de fide nihil prorsus intelligi potest.* Hæc ille in libro de vtilitate credendi. Vt videlicet non so- D

cap. 18.

lùm fides ipsa, sed etiam intelligere ea quæ ad fidem vel indagādam vel confirmandā faciunt, animum pium & pacatum necessariò postulet. In istis verò priuatis spiritibus nec pietas est, quia superbi sunt; nec pax, quia contentiosi; & cum priuatæ opinionis præiudicio accedūt. Iudæi hodie non intelligunt veteres scripturas de Christo, quia *velamen adhuc est super cor eorum,* ait Apostolus. Hoc velamen, est duritia cordis, siue superbia mētis, pertinaciter inhærens præ-

1.Cor. 3.

Velamen Iudæorum quale.

iudicatæ opinioni contra Christum crucifixū. Sed huius rei plura habes documenta ex Apostolo & aliis scripturis in alia Controuersia deprompta, quæ omnia ad hanc hypothesim trāsferre potes. His etiam adde præclaram illam Irenæi admonitionem, quam lib. 5. facit egregia

Lib.5.cap.11.

Irenæus.

similitudine à primi hominis lapsu petita. *Qui relinquunt,* inquit, *præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes quanto pluris sit idiota religiosus, quàm impudens sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant.* Et paulò pòst. *Fugere ergo oportet sententias ipsorum, & intentius obseruare, ne coniungamur ipsis; cōfugere autem ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & dominicis scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesiæ paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno paradisi, id est ab omni scriptura dominica* (vt eam

In Ecclesiæ sinu educari oportet.

tibi Ecclesia germinat) *manducabis. Superelato autem sensu* (qui est lignum scientiæ boni & mali quam talis præsumit,) *ne manducaueritis neque tetigeritis hæreticam dissensionem. Ipsi enim confitentur semetipsos habere agnitionem boni & mali, & suprà sentiunt quàm est mensura sensationis, nō sapientes ad sobrietatem,* &c. Hæc Irenæus. Huius autem rei illustre & memorabile documen- E

tum S. Augustinus de seipso nobis dedit. Adolescens enim necdum baptisatus, sapientiæ tamen amore & studio captus, sic de se scribit. *Institui animum intendere in scripturas sanctas, vt viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis. Et non eram ego talis, vt intrare ad eam possem.* Causam autem statim subiungit, dicens: *Tumor enim meus refugiebat modum eius, & acies mea non penetrabat interiora eius. Nam illa erat quæ cresceret cum paruulis. Sed ego indignabar esse paruulus, & fastu turgidus mihi grandis esse videbar.* Hæc ille. Nempe quia tum adolescens erat eloquentiæ

Illustre exemplū superbi spiritus in Augustino adolescente & Manichæo.

Confess.lib.3. cap. 5.

Scriptura crescit cum paruulis.

(quam profitebatur) laude & philosophiæ cognitione inflatus, indéque suo ingenio confisus; nihil in scripturis videre poterat. Quin & postea totus vir factus, sed Manichæi superbissima hæresi corruptus, nec tunc quoq; scripturas intelligere potuit, vt de seipso testatur in libro de vtilitate credendi. Eadem quoque de causa; Episcopus quidam doctissimus à matre eius Mo-

Cap.1.

nica instantissimè rogatus, vt cum Augustino colloqui, eiusque errores refellere vellet, recusauit. *Respondit enim* (ait August. de seipso) *me adhuc esse indocilem, eo quòd inflatus essem nouitate hæresis illius.* Qua etiam in re prudentiam Episcopi laudat. Postea verò iam humilis factus, & ab

Confess.lib.5. cap.12.

hæresi Manichæa alienatus, & amator catholicæ fidei effectus, legens epistolas Pauli; intelligit; *omnémque eius textum cum testimoniis legis & prophetarum congruere videt,* vt de semetipso scri-

Confess.lib.7. lib 12.

bit. Neque tunc tamen etiam episcopus iam factus, securus esse, aut priuato spiritui indulgere voluit; sed in explicando principio Geneseos laborat, & clamat. *Intelligam ea pater bone, da mihi hæc subterposito;* (id est humiliter sapienti) *quia subterpositis solidasti ea.* Hæc ille. Huius ergo ce-

August. humilis Scripturas intelligit, quas superbus intelligere non potuit.

lebertimi Patris nobilissimum exemplum documento esse debet priuatos superbiæ spiritus, F neque ante fidem, neque in fide, circa intelligendas scripturas quicquam, nisi ad suam & aliorum perniciem, valere posse. Sextò, si nihil horum omnium esset, ipsa tamen scriptura euidenter docet interpretationem eius nullo modo propriam aut priuatam esse posse. Clara est hac

Cōfess. lib. 13. Cap.25.

Sexta Ratio quia Scriptura Interpretatio non est propria aut priuata.

de re Apostoli Petri doctrina. Cùm enim dixisset, *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Quæ verba Lutherus inuicta esse vult ad probandum scripturam per se esse clarissimam, & interpretatione alicuius authoritatis non indigere, statim Apostolus quasi occurrens huic impudentiæ Lutheranæ, subiungit. *Hoc primùm intelligentes quòd omnes Prophetiæ scripturæ* (id est, omnis reuelata doctrina scripto comprehensa) *propria interpretatione non fit.* Quasi diceret. Scripturæ quidem Propheticæ attendendum est, tanquam lucernæ pedibus nostris; sed ita vt primùm & ante omnia caueas, ne sic attendas vt propriam interpretationem adhibeas. Lucet enim illa quidem, sed non qui-

Scriptura lucet sed nō quibusuis.

busuis; non infideli, non superbo, non hæretico, non illi qui ex priuato spiritu illam contemplatur. Et notandum diligenter quòd dicit, *hoc primùm intelligentes:* quasi rem scilicet ad intelligendas Scripturas maximi momenti insinuans, vt priuatam caueas seu propriam interpre-

Infrà lib.11. cap.2. & 3.

tationem. Per hanc enim lux illa tibi tenebræ, immo laqueus & fouea fiet. Rationem quoque huius rei subiungit. *Non enim* (ait) *voluntate humana allata est aliquādo prophetia: sed spiritu sancto*

inspirati

A *inspirati loquuti sunt homines Dei.* Vt videlicet ab eodem spiritu interpretationem expectemus, à quo ipsam scripturam accepimus, de qua re postea. Vel hic ergo vnicus Petri locus, priuatam hanc priuati spiritus interpretationem prorsus iugulat. Qui eandem in patribus doctrinam videre cupit, legat Clementis Papæ Epistolam 5. Vbi quasi Petri magistri sui verba Paraphrasticè reddens: *diligenter*, inquit, *obseruandum est, vt lex Dei cùm legitur, non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur.* Hæc ille. Legat itidem Basilium in Hexaemeron hom. 2. & in epist. 75. Origenem hom. 31. in Lucam. Clementem Alexandrinum libro 1. Stromaton. Tertullianum in Præscriptionibus. Hieronymum denique in 13. cap. Ezechielis illa verba explicantem. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Quod de Pelagianis his verbis notat August. *Iustitiam quæ nobis ex Deo est, non ex nobis in scripturis sanctis maximè canonicis aduertere atque agnoscere debuerunt. Sed quia eas secundum sensum suum legunt profectò nec in illis quæ aperta sunt contuētur.* Hæc ille in lib. de gratia Christi cap. 42. Alibi verò in lib. de fide & Symbolo ca. 9. sic scribit. *Multa de Christo inueniuntur in scripturis ita dicta, vt impius hæreticorum mentes priùs volentes docere quàm nosse in errorem miserint.* Hæc ille veram erroris causam in hæreticis scripturas legentibus hanc esse docens, quòd volunt prius docere quàm nosse, id est, quòd superbe & inflato spiritu ad legendum accedunt.

Septimò & postremò, quum quæ hactenus dicta sunt, quibuscunque ex priuato spiritu interpretantibus Scripturam conueniant, vnum est quod hæreticis vel schismaticis ab Ecclesiæ corpore præcisis, siue suo, siue Ecclesiæ iudicio, in hoc genere proprium est; idque animaduersione dignissimum. Huius enim solius rei ignoratio aut neglectus, maximas hodie in religione

Septima ratio.

B calamitates peperit. Nempe huiusmodi hominibus non competit possessio & proprietas scripturarum, sicuti laicis fidelibus, etsi alioqui non idoneis hac de re iudicibus; ideóque nullum in eas ius interpretandi habent: non magis sane, quàm agrum colendi is, qui in agrum ius nullum habet; aut ciuitatem gubernandi, qui plane peregrinus & aduena est; aut denique imperatorias leges authoritate prætoria exponendi, qui toto Imperio, cuius illæ leges sunt, exulat. Hic enim grauissimus error ab initio fuit, hodiéque est; quòd hostes Ecclesiæ scripturas interpretantes audire, & legere, fideles sustinuerunt: nec aduerterent, quis esset, qui ex scripturis aliquid asserebat, & an vllo iure id faceret. Nam vt peccator quidem lætaliter peccans ius hæreditatis cælestis amisit, ideóque eius regni diuitiæ nihil ad eum pertinent in peccato manētem, Sacramentorum tamen participandorum ius habet, si quando ad saniorem mentem redeat: infidelis verò non solùm illius regni cælestis, sed etiam huius regni cælorū quod Ecclesia est, nullum plane ius habet; ideóque Sacramentorum eius particeps aut mysteriorum conscius, quantuncunque maximè cupiat, esse non potest, nisi prius Christianus fiat: ita plane hæreticus omnis ab Ecclesia præcisus, seu sententia lata seu sponte sua, ius totum amisit, non secus ac si *Ethnicus & publicanus* esset, tam ad Sacramenta percipienda, quàm ad mysteria fidei vllo modo tractanda. Reipublicæ enim Christianæ non iam amplius *ciuis & domesticus*, sed *hospes & aduena*, imò quod maius est, hostis & *alienus* factus est. Hac sane de causa negat hæreticis omnem Scripturarum tractationem Tertullianus. *Dispici debet*, inquit, *cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competit.* Et paulò post. *Ordo rerum hoc desiderabat,*

Hæretici Scripturas interpretandi ius nullū habent aut facultatem.

Math. 18. Ephes. 3. Ioan. 10.

C *rabat, illud prius proponi, quibus competat fides ipsa; cuius sint scripturæ; à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum.* Et paulò post: *Si hæretici sunt, Christiani non sunt. Ita non Christiani nullum ius capiunt Christianarum literarum.* Hæc ille in præscriptionibus. Sic plane Origenes. *Si quando testimonia de scripturis audieris, vide ne statim loquēti acquiescas sed considera illum qui loquitur, cuius sententiæ, cuius voluntatis sit. Si enim sententia hæreticus est, & sub ouis pelle lupus latitat, diabolus in eo loquitur. Nihil ad eum scripturæ pertinent, vt ex illis doceat.* Idem egregiè contra Arrianos docet Athanasius. *Hæreticus*, inquit, *tametsi voces suas è sacris literis mutuetur, nihilominus suspectus animóque corruptus audiet à spiritu sancto. Quare tu enarras Iustitias meas, &c. Contrà beatus Paulus etsi ex alienis literis loquatur, vt illud, Cretenses semper mendaces, tamen sanctus quum sit, magister gentium est in fide & veritate, & quæ loquitur, cum pietate loquitur.* Hæc ille in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ. Hanc plane exceptionem & paratissimam & saluberrimā, docuit nos Apostolus; superbos quosdam pseudoprophetas, qui sibi videbantur prophetæ & spirituales hoc modo reiiciens, *An à vobis verbum Dei processit aut in vos solos peruenit?* Docens eos nec magistros esse Ecclesiarum, à quibus prędicatio verbi processit; nec etiam ad ipsum populum fidelem pertinere, ad quem illa prædicatio peruenit, ideóque omni modo à prophetandi seu verbum Dei interpretandi Potestate, esse

Saluberrima Tertulliani doctrina.

Homil. 31. in Lucam.

1. Cor. 14.

penitus exclusos. Eodem sane iure & nostri hodie Protestantes ab omni Scripturarum tractatione excluduntur, vtcunque eam more rebellium, tanquam arma & vexilla Regia, in manus suscipiunt & vsurpant. D

Quòd in doctrina fidei, non quid dicatur, sed quis loquatur à fideli populo attendendum est: vbi & aduersariorum contrariæ sententiæ respondetur.

CAPVT V.

IAM verò, propter hanc docentis personam, in doctrina fidei diligenter attendendam; obseruare licet, iuberi passim in Euangelio fidelem populũ, de personis cauere magis quàm de doctrina. Personas enim ab Ecclesia eiectas cognoscere, in promptu fideli est; ipsa semel cognita Ecclesia. Ideo clamat Saluator: *Attendite à falsis Prophetis. Oues meæ alienum non sequuntur. Multi surgent pseudoprophetæ dicentes, hic est Christus, &c.* Sic Apostolus Paulus *à lupis rapacibus, à pseudoapostolis operariis subdolis.* Petrus *à pseudoprophetis & magistris mendacibus,* cauere fideles iubent. Et Ioannes *non omni spiritui credere, sed probare spiritus an ex Deo sint,* id est, Potestatem loquentis, an à Deo accepta sit. Vides vt semper à personis loquentium non à doctrina quam loquuntur cauere iubemur. E

De personis docentium iubentur cauere fideles. Matth. 18. Ioan. 10. Matth. 24. Act. 20. 2. Cor. 11. 2. epist. cap. 2. 1. epist. cap. 4. *Obiectio.* Gal. 1. Rom. 16. Philip. 3. coloss. 1. & 6. 1. Timoth. 6. 1. Ioan. 2.

At dices hic fortasse, Apostolos in epistolis suis etiam à doctrina quæ affertur, vt caueatur, frequenter iubere. Quale illud est: *Si quis Euangelizauerit præterquam quod accepistis.* Rursum *præter doctrinam quam vos didicistis.* Item, *in eadem permaneamus Regula. Permanere in fide tradita. Deuitare profanas vocum nouitates. Quod audistis ab initio, in vobis permaneat,* & his similia.

Solutio. De doctrina generaliter accepta cauere iubentur, & possunt fideles, non in particulari.

Obserua ergo non aliter hæc omnia dicta esse, quàm de doctrina generaliter accepta. Iubent enim in fide semel accepta, permanere fideles: & sic in genere, putà nouáne sit an vetus, de doctrina quam audiunt, cauere. Sed doctrinam ipsam qualis sit in seipsa, vera an falsa, probare & discutere non monentur fideles vsquam, sicuti iubentur probare spiritus, an ex Deo sint, & attendere à falsis prophetis. Hoc enim probare & attendere, examen & discussionem quandam in particulari faciendam significat. At, inquies, vnde falsum prophetam nisi ex falsa doctrina cognoscam? Respondeo: Cognosces sane à falsa doctrina in genere accepta: puta si noua & inaudita, & præter notissimam Regulam fidei, quam accepisti, proferat; non autem à doctrina ipsa, vt propriis suis argumentis ac fundamentis nititur. Nam hoc artis & industriæ est, quæ paucorum est: illud fidei, quæ omnium communis est. Et de hoc genere scribit Diuus Augustinus. *Non magnum est tunc discernere spiritum, quum ad aliqua peruenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel contra regulam fidei. Tunc enim à multis discernitur.* Hæc ille. Nempe an scripturas, vel veras proferat, vel verè intelligat quispiam, certò cognoscere non potest homo priuatus & rudis, nisi de persona loquentis constet. Si enim vel hæreticus est, & apertè præcisus; vel adhuc in vnitate externa manens, sed intus ab vnitate diuulsus; certè in primo facile fugies & exhorresces: in secundo non diu decipieris. Cito enim vel seipsum prodet, vel ab aliis peritioribus depræhendetur. Cuius rei illustre exemplum Nestorius Constantinopolitanus Archiepiscopus fuit, vt historia Ecclesiastica demonstrat. Ergo id ante omnia expendes, quis sit qui scripturas exponit. Etsi enim non omnis (etiam magister) qui in Ecclesia est rectè semper exponit; tamen omnis qui extra Ecclesiam est, malè semper exponit: ea dico, quæ sunt fidei & in Controuersia posita. Nam aut errat interpretando, aut ex interpretatione vera falsum colligit & in fine seducit. Itaque ibi periclitari fortasse potes, sed non diu: ipso errante magistro per disciplinam Catholicam, citò & facilè emendabere. Hic verò non potes nõ errare & grauiter seduci, aurem si præbes. Hæreticus enim, quia etiam in his quæ vera sunt, sensum hæreticum sectatur, etiam ipsa rectà loquitur non rectè. vnde Augustinus ad Pelagiani cuiusdam verba sic respondet. *Hæc omnia quæ dixit, rectè diceret, si in eis Catholicum sensum defendere niteretur. Quia verò scimus quid ex his moliatur efficere, profectò dicit etiam recta peruersè.* Hæc ille libro secundo, capite 13. de nupti. & concup. ad Valerium. F

De Genesi ad literam lib 12. Cap. 14. Falsus Magister quomodo à falsa doctrina cognoscatur. Socrates lib. 7 cap. 32.

Rursum

A Rursum hac in re, ne omne iudiciũ ab ipsa doctrina & rebus in se consideratis acceptum
prorsus excludere videamur, discrimen quoddam diligenter obseruãdum est. Subiecto enim
populo, infirmis & turbis, innotescit doctrina per Pastorem; nec iudicandus ab illis, sed audiẽ-
dus tantùm Pastor est. At verò toti Ecclesiæ seu superiori suo innotescit verus Pastor, & Do- *Iudicium de doctrina duplex.*
ctor Orthodoxus, non per personam quam gerit (nam è Pastore lupus fieri potest) sed per do-
ctrinam quam docet; per successionem videlicet & loci & doctrinæ: iuxta illud Irenæi: *Qui cũ*
Episcopatus successione, charisma acceperunt veritatis. Huius rei formam saluator in sua benedicta Lib. 4. cap. 41.
persona tribuens, turbis & populis innotuit per Ioannis testimonium; & postea fidelibus per
Apostolos, eorúmque successores. Ipsis autem Apostolis quasi Ecclesiæ principibus per vocẽ
Patris de cælo, cùm transfiguraretur. Et iterum coram tota turba quasi tota Ecclesia, audita
illa voce: *Et clarificaui & clarificabo.* Non quia ipsis Apostolis, aut toti Ecclesiæ, quasi superiori Matth. 17.
suo, sic innotescere quasi; vocationis suæ rationẽ reddere debuit; sed quia propter nos, & in- Ioan. 12.
structionem nostrã, sic facere placuit. Dixit enim. *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Ioan. 12.
Iuxta hanc formam, doctrina fidei innotescit fideli populo per Apostolorum successores. Ipsi
autem successores, per testimonium veræ doctrinæ, suis vel superioribus vel æqualibus inno-
tescunt.

Huic autem rationi sane saluberrimæ vehementer hodie obsistunt Protestantes, & contrà Iacobus Acõtius Stratagematum Satanæ lib. 6.
asserunt; *non quis dicit, sed quid sit illud quod dicitur, aduertendum esse. Nam nec propterea falsum esse*
aliquid quod Satanas dicit, si per se verum est; nec propterea verum esse quod Angelus dicit, si per se fal-
sum est. Deinde veritatem rerum non à personis loquentium, sed à rebus ipsis suam certitudinem accipe- 1.
B *re. Denique, vix vllum esse fidei Articulum, cuius assertor & defensor aliquis hæreticus non fuerit.* 2.
Hæc illi. Et hac de re monendum diligenter populum docent. *Esse enim stratagema Satanæ,* 3.
quod nos docemus, perpendendum esse quis doceat, & non quid doceatur. Sic enim scribit Iacobus
Acontius in libro Stratagematum Satanæ. Nos contrà asserimus insigne esse, Satanæ Strata- Ephes 4.
gema, suadere populo vt relicto Ordine à Christo instituto, de audiendis Pastoribus & Do- *Alia est ratio*
ctoribus, per se vnusquisque sapere velit, & vt in particulari dogmate quid dicatur singuli ad- *personæ loquentis in materia*
uertant (aliter quàm in genere vt supra dictum est) non quis dicat. Nam vtcunq; sit in aliis dis- *fidei & in materia prophana*
ciplinis humanis verum, non esse curandum quis aliquid dicat, sed quid dicatur; & veritatem *doctrinæ.*
semper esse veritatem, siue Socrates illam, siue Diogenes pronunciet, quia videlicet non au- Cõtr. 2. cap. 5. & contrO. 3.
thoritas sed ratio, totius veritatis humanæ regula & principium est, tamen in causa fidei quæ cap. 6.
authoritate non ratione nititur, longè se aliter res habet. Nam doctrina fidei, quia priuato iu- *Protestantes hodie Doctrinam*
dicio, sensu, ingenio, non acquiritur, ac neque priuatis reuelationibus & afflatibus infunditur, *religionis cum*
sed seruato Ordine à Deo & Christo eius instituto, ab aliis discenda est; nec à quibusuis aliis, *doctrina humana confundunt.*
sed à solis Ecclesiæ magistris; (vt iam olim abunde explicatum est) hinc fit, vt in quæstione fi-
dei, necessariò ante omnia quærẽdum sit, de potestate docentis, & de persona loquentis. Quã
sane rationem & distinctionem veritatis sacræ à profana, quia hæretici vel non aduertunt vel *Ad primum.*
contemnunt; propterea doctrinam religionis cum doctrina humana confundunt; & ad easdẽ
regulas vtramque reuocant. Itaque vt ipsis respondeamus, dicimus verum in se semper esse ve-
rum, & falsum in se semper esse falsum, siue illud Satanas, siue hoc Angelus dicat. Attamen Sa- *Satanas nõ audiendus etiam*
C tanam propterea audiendum non esse, etiamsi vera dicat, quia quod in se verum est, nobis sem *si vera dicat.*
per verum non appareat: ideóque in causa religionis testem idoneum & certum adhibere de-
bemus, cuius testimonio certò acquiescere possimus. Talis Satanas non est; quia etiam vera di Luc. 4.
cens, vel alia falsa permiscet, & sic de facto fallit; vel malo fine illa asserens, in fine seducit. Dixit Act. 16.
Satanas Christo: *scio te quia sis sanctus Dei.* Sed increpauit eum Christus dicens: *obmutesce*: do-
cens nos hoc exemplo suo, ne quidem in veris, diaboli testimonium accipere. Quod sane do- Act. 16.
cumentum & Paulus sequutus est, clamante post illum puella, spiritum pythonem habente, *ij*
sunt serui Dei altissimi. Quum enim hoc sæpius fieret multis diebus, *dolens Paulus, præcepit spiri-* Ad secũdum.
tui exire ab ea. Rursum quia fides nititur testimonio docẽtis, vt suprà dictum est, testimonium
autẽ seu authoritas testificans, personarũ est nõ rerum quatenus talium, non nisi à legitimo te- *Veritas fidei non*
ste & persona idonea, fidei veritas accipiẽda est. Atq; hinc fit, vt fidei veritas nobis nõ sit fidei *nisi à legitimo teste audienda*
veritas, neq; à nobis necessariò pro huiusmodi acceptãda, nisi ab Ecclesiæ persona docẽte ac- *est.*
cipiatur: tũ quia nõ aliter certò talis nobis apparebit, tũ quia ad assentiendũ aliter nõ obligabit. Homil. 29. in 1. ad cor.
Sane *diabolus ipse* (vt egregiè docet Chryso.) *veritatẽ aliquando dicit, primũ vt rerum ordinem con-* 1.
fundat; deinde vt auferat Apostolorũ dignitatẽ; postremò vt multitudini persuadeat sibi attendere. Quæ 2.
ne fierent, etiam vera dicentium dæmonũ ora obstruxit Christus. Hæc ille. Idem plane in hæretico 3.
vera interdum prædicante fieri considera. Hæreticus ergo, etsi semper aliquid de fide verũ as- Ad tertium.

ferat atque defendat,(omnia enim quæ sunt fidei si negaret,infidelis prorsus nō hæreticus haberetur) tamen nec eius assertio legitimum est fidei testimonium, non magis quàm Satanæ, cuius minister est & membrum;nec aliquid fidei ex fide,& quatenus est fidei,loquitur. Sed vel quia conuincitur intellectus eius,vt in diabolo credēte fit, vel quia eligit pro vero quod asserit;idcirco aliquid fidei tenet. In hæretico enim nulla veri nominis fides est;vt alibi ostensum est. Quæ quum ita sint,planè in causa fidei non quid, sed quo modo & à quo aliquid dicatur,fideli populo & quidem quàm diligentissimè attendendum est. Ex qua etiam conclusione,illa Caluini fraudulenta distinctio euertitur,quæ ait *Potestatem prædicationis & ministerij non ipsis hominibus Christum propriè dedisse,sed verbo suo,cuius homines ministros fecit.* Quod etiā ex illis quæ in Controuersia quinta copiosè disputauimus,clarius elucescit. His autem ita semel constitutis,priuatis istis spiritibus nullus amplius erit seducendi locus. D

controuers. 4.lib.8.cap.2. Institut.lib.4. cap.11.par.1.

lib.8.cap.8.

Argumenta Protestantum pro priuata interpretatione tria enumerantur:& Scripturæ quibus primum tuentur, recensentur:obiter quoque quibus gradibus ad hanc priuatæ interpretationis audaciam peruenerunt, demonstratur.

E

CAPVT VI.

Quàm diligenter Protestantes priuatam interpretādi potestatem tueantur.

ARGVMENTA nunc aduersariorum expendamus,quibus adducti,hanc priuati sui Spiritus in interpretandis Scripturis potestatem & libertatem statuerunt,& adhuc tuentur. Pro hac enim priuata interpretandi Scripturas potestate & libertate,tanquam pro aris & focis dimicāt: vt quæ sit totius nouæ doctrinæ quam adferunt,fundamentum. Lutherus ad hoc vnū probandum, longam præfationem suis assertionibus contra Leonem 10. præmisit,quam vna cum breui eiusdem confutatione,vide apud Roffensem contra articulos Lutheri. Brentius eum sequutus, sua quoque Prolegomena contra Petrum à Soto de hoc vno fere argumento constituit, contra quæ lege ipsum Petrum à Soto in Defensione Catholicæ Confessionis tract.3.& Hosium contra Brentium. Melanchthon in locis suis communibus & Musculus in suis,Magdeburgenses quoq; passim Centuria prima & secunda,hoc argumentum diligenter tractant:sane vt fundamentum totius doctrinæ prædicationis suæ. Sed operæ pretium est aduertere quibus gradibus, ad hanc tandem audaciam ventum est;vt prætermissis patribus,neglectis Conciliis,contēptis Episcopis,tota Ecclesia reiecta,suos istos ac priuatos spiritus commendare ausi fuerint:aut(vt ipsi loquūtur,& facere videri volunt)Scripturarum interpretationem ex solis Scripturis, & Spiritu Dei in illis latente, petendam docuerint. Perspiciemus enim huius rei causam fuisse nec scripturarum venerationem,nec veritatis studium,sed animi pertinaciam,vt suas semel conceptas opiniones mordicus tuerentur. Primùm itaq; Lutherus solos Scolasticos doctores & scriptores reiiciebat, atq; vnicum Concilium Constantiense: vt apparet tùm ex propositionibus suis ad disputandum propositis,tùm ex colloquio Vvormatiensi anno 23.habito. Prouocauit enim ibi à scholasticis doctoribus ad Ecclesiasticos Patres,& ad Decretales Rom. Pontif. Sane vel vt totum suū venenum in primo congressu non effunderet,sed saltem aliqua religione Patrum & Pontificum tectus adhuc videretur;vel quia sperabat,non ita apertè contra sua dogmata Patres facere, sicut scholasticos; qui suis distinctionibus omnes eius fucos & fallacias nimis clarè aperiebant. Non longe autem post,quum ipsos Ecclesiasticos patres,& decretales Rom. pont. non minus clarè & abunde quàm scholasticos, contra se facere perspiceret; illos quoque cum decretalibus prorsus repudiauit. Nam in præfatione ad assertiones suas,apud Roffensem disertè protestatur, *se nullius S. Patris authoritate cogi velle nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus.* F

Quibus gradibus eo audacia ab hæreticis ventum est, vt suos priuatos spiritus venditarent.

Primū soli scholastici Doctores reiiciuntur.

Lutherus contemnit Patres. in assertio.

1. In libro quoque de seruo arbitrio, omnes Patres reiicit: dicens, *eos vel ex infirmitate carnis*
2. *lapsos fuisse, vel alieno animo scripsisse, & aliter sensisse quàm scripserunt, vel ad finem vitæ re-*
3. *sipuisse, vel denique sub illis seruasse sibi Deum Ecclesiam, licet illi vera Ecclesia non essent, sed alij*
4. *essent qui non dicerentur Ecclesia Dei.* Decretales verò & vniuersos canones, etiam publico incendio

A incendio è medio sustulit: idque vt dicit, *cum fiducia tanquam impios & Christo aduersarios.* Lib. 4. cap. 9.
Huius exemplum alij sequuti, non solùm Constantiense, sed & omnia alia Concilia, solis pri- paragraph. 8.
mis quatuor, Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi exceptis (quæ re- Instit.
uereri se vt sacrosancta, asserit Caluinus, quantum attinet ad fidei dogmata:) prorsus in dog- *Concilia generalia omnia reijciuntur.*
matum iudicio repudiarunt. Neque verò in hac moderatione diu substiterunt, sed paulò
post ipsa quoque cum aliis valedicere iusserunt, & certos errores in Concilio Niceno *certa S. Scripturæ partes abrogantur.*
primo & in Chalcedonensi taxarunt; ideóque nullis Conciliis certam fidem adhibendam,
sed solis scripturis innitendum esse censuerunt. Quin & ipsas scripturas, quum aliquam earũ
partem clariorem esse contra se viderent, quàm vt vllo fuco dissimulari veritas posset, potius
negare & tollere, quàm de suo dogmate quicquam immutare voluerunt. Hinc enim episto-
lam Iacobi *Stramineam esse, & nihil Apostolico Spiritu dignum habere*, pronunciauit Lutherus; Cap. 6.
quia solius fidei inanem sine operibus iactantiam, nimis apertè asseruit. Machabæorum quo- *Aliqui Lutherani omnẽ propriũ Scripturam loco mouent.*
que libros, quia orationes pro defunctis nimis clarè docent, expungit. Epistolam quoque ad
Hebræos quia pœnitentiam acrius cõmendat, *durum nodum habere, & Apostoli non esse* pro-
nuntiat. Neque verò hic horum hominum audacia substitit. Alia enim Lutheranorum secta
tantum huic suo priuato spiritui tribuendum putauit, vt quod Lutherus in quibusdam, id illi
in omnibus scripturis facerent, eísque prorsus valedicerent ex solis Enthusiasmis & afflatibus
immediatis omnem religionem petentes. Tales erant & sunt adhuc Svvenckfeldiani, vel
vt Lutherus eos vocat, cælestes Prophetæ, vel denique vt in Anglia nostra hodie nuncu-
pantur, Supetilluminati. Vides ergo ex hoc priuato spiritu, per eos impietatis gradus ad
B supremam quandam Apostasiam penéque Atheismum ventum esse, vt primùm scholasti-
cos, post etiam Ecclesiasticos Doctores seu patres, mox & Decretales omnes Romanorum
Pontificum deinde Concilia, primò vnum aut alterum, post omnia posteriora, (quatuor pri- *Protestantium pertinacia.*
mis exceptis) mox verò & ipsa quatuor prima, tandem verò & scripturarum certas partes, po-
stremò vniuersam scripturam contemnere potius & remouere in iudicio dogmatum fidei
voluerint, quàm vel latum vnguem à semel concepta opinione recedere. Hic priuati huius
Spiritus fructus & effectus hodie fuit. Argumenta autem quibus nituntur, fere ex scriptu-
ris pessimè intellectis, vt solent, depromunt; suntque in triplici genere, & tres causas com-
plectuntur, propter quas hanc sententiam defendunt. Eas omnes his verbis Magdebur-
genses expresserunt. *Donum interpretandi & intelligendi scripturas, non esse alligatum ad certas*
personas hominum; sed à Deo ad ædificationem Ecclesiæ liberè donari sacram scripturam legentibus Centuriæ 1. lib. 2. cap. 4.
& meditantibus, & à Deo sapientiam & intellectum petentibus, docent scripturæ. Hæc illi. Tuen-
tur ergo priuatam hanc interpretationem, primùm quia donum Dei est libere datum, non
potestatis alicuius aut authoritatis. Secundò, quia datur hoc donum scripturas ipsas legen- 1.
tibus & meditantibus. Tertiò, quia intellectum scripturarum & sapientiam à Deo petenti- 2.
bus, idem donum conceditur. Primam autem sententiam omnes protestantes confiden- 3.
ter amplectuntur, & mordicus tuentur. Secundam, quæ quandam meditationem & stu- *Tria capita argumentorũ pro priuata interpretatione Scripturæ.*
dium postulare videtur, puriores Euangelici non ita certam & solidam esse volunt. Sed ter-
tiæ sententiæ libenter subscribunt illi quidem: alij verò, vt Saxonici & rigidiores Lutherani,
C non ita semper necessariã esse existimant. Abutitur autem variis scripturis vnaquæq; senten- *Primi capitis probationes.*
tia: maximè prima, quæ cæterarum fundamentum est. Ad primæ sententiæ confirmatio-
nem, multa à Magdeburgensibus proferuntur. Imprimis quòd apud Apostolum, inter alia Centuriæ 1.
dona enumeretur *donum prophetiæ, & interpretationis sermonum*, vbi etiam additur, quòd hæc lib. 2. cap. 4.
omnia *operatur Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Et rursum. *Spiritum nolite extinguere, prophe-* Rom. 12. & 1. cor. 12.
tias nolite spernere, Omnia probate, quod bonum est tenete. Ex his enim colligunt, interpretari my- 1. Thess. 5.
steria Dei, vt Scripturas & alia, esse donum fidelibus datum; siue illi in Potestate Ecclesia-
stica constituti sint, siue non. Ideóque & talibus qui donum acceperunt, licere interpretari,
& alios ne illorum interpretationem contemnant, iuberi. Hinc etiam docent, audiendos
esse omnes qui Scripturam interpretantur, etsi nouam adferant interpretationem; nec pri-
ma facie quia noua est, aut priuata, repellendam; sed diligenter expendendam, an ex dono
Prophetiæ prolata fuerit. Ad cuius etiam rei probationem vehementer vrgent illud Pauli. 1. Cor. 14.
Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri diiudicent. Quod si alij fuerit reuelatum sedenti, prior taceat. Pote-
stis enim omnes per singulos Prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur. Hæc Aposto-
lus. Hæc verba proferunt perpetuò aduersarij, vt priuatum hoc suum interpretandi donum
(quam Prophetiam vocant) probent. His etiam Apostolicis verbis confisi & abusi, qui-
busdam in locis (vt in Anglia feruentissimè Puritani) prophetandi formam eo in loco ab

Apostolo commemoratam diligenter imitantur. Conueniunt enim ex omni genere laici & D
Scripturam quam vult vnusquisque multis audientibus, prout Spiritus ei suggerit, exponit vel deprauat potiùs. Quem sane prophetandi morem dementissimum, quum cohibere nuper in Anglia Potestas politica vellet, (seditiosè enim multa ibi effutiebantur) eáque in re opera & ministerio pseudoepiscopi Cantuariensis vti vellet; obstitit ille omnibus modis, nec quod Dei verbum disertè probat atque permittit, sese aliquando inhibiturum respondit. Qua etiam in sententia à biennio iam & amplius vsque hodie persistens, Iurisdictione omni Ecclesiastica spoliatus manet. Tanti sane momenti, tamque certa & firma, promiscua hæc diuini verbi interpretatio, ex his verbis Apostolicis collecta, illis hominibus videtur.

Respondetur Scripturis ad primam Protestantum sententiam confirmandam allatis: vbi qualis sit manifestatio Spiritus ad vtilitatem multis modis ostenditur.

CAPVT VII.

E

Donum interpretationis datur secundum Mensuram fidei.

Mensura fidei qua & qualis.

IHILOMINVS his scripturis singulis breuiter & efficaciter respondetur. Apostolus 1. Corinthiorum 12. & ad Romanos 12. non obscurè aut breuiter, sed clarè & copiosè docet hoc donum interpretationis, sicuti & cætera dona diuidi à Deo in Ecclesia, non promiscuè aut quocũque modo, sed *iuxta mensuram fidei, & vnicuique ad vtilitatem*. Mensura autem fidei est, *non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatẽ*, id est vnumquẽque sapere iuxta vocationem, in qua vocatus est. Hęc enim mensura fidei, quomodo non cuiuis membro Ecclesiæ, sed iuxta vocationem & officium cuiusque membri detur, ex similitudine corporis humani, eodem in loco luculenter docet Apostolus dicens: *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habẽt, ita multi vnum corpus sumus in Christo. Singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes.* Hæc Apostolus. Quemadmodum ergo pessima esset & absurdissima hæc collectio, Deus corpori humano tribuit varia dona, videndi, audiẽdi, loquendi, & similia, prout ex ordine suæ prouidentiæ voluit, ergo vnumquodque membrũ habet donum, aut habere potest videndi, loquendi, &c. non seruata cuiusque membri functione propria, quam aptum natum est habere, sic protestantum est longè vanissima ex his locis collectio. Deus dedit donum Prophetiæ in Ecclesia, &c. dona vnicuique prout vult, ergo dedit illa vnicuique membro in Ecclesia, nulla habita ratione vocationis cuiq; mẽbro propriæ, ad quam ex ordine à Christo constituto vocatus est. Rursum quemadmodum optima est F
hæc collectio; In corpore humano sunt variæ functiones, & vnicuique membro Deus diuisit iuxta mensuram vitæ humanæ, vt inuicem se membra iuuarent, essetque ordo & pax in toto corpore, ideóque *non posset oculus manui dicere, opera tua non indigeo*, nec totum corpus est oculus, aut auris, sed donum videndi proprium est oculo, donum audiendi auri, & sic in cæteris membris, ad eundem plane modum optima hæc est & Apostolica collectio: In corpore mystico Ecclesiæ, varia sunt dona *iuxta mensuram fidei*, id est, ea ratione vt fidei vnitas, salus, & pax conseruetur. Ideóque *non omnes Prophetæ, non omnes doctores sunt*; sed qui in Ecclesia caput est, capitis donum accipit, qui oculus est, oculi gratiam accipit, & sic de reliquis. Hæc est euidentissima Apostoli sententia in vtroque loco allegato. Quam etiam clarius exponit ad Ephesios quarto. Quum enim idem dixisset quod ad Romanos 12. & primæ Cor. 12. dixerat, videlicet *vnicuique nostrum data est gratia secundum mẽsuram donationis Christi*, statim subiungit, & qualis sit mensura, exponit dicens. *Propter quod dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, &c.* Non ergo ex dono, Ecclesiæ membrum, sed ex vocatione membri, donum quærere debes. Non porrigas pedem, vt videas: sed oculos aperi. Nec oculum aperias, vt ambules, sed pedem moue. Sic quære dona Dei in vocatis Apostolis, Pastoribus, Doctoribus, &c. vt *vnusquisque in vocatione in qua vocatus est, in ea permaneat* 1. Cor. 7. vnde de

Protestantum collectio quàm vana.

Apostolica collectio.

Caupone

A Caupone vigilantio scripsit Hieronymus. *Non est eiusdem hominis aureos nummos & Scripturas probare, degustare vina & Prophetas & Apostolos intelligere.* Hæc ille in Epistol. aduersus vigilantium. Tom. 2.

Sed quia hoc hæreticos hodie fefellit, quòd cùm audiunt in Ecclesia dari eiusmodi dona, *Causa erroris Protestantium.*
putant Deum illa promiscuè & cuiuis membro dare, siue ad functiones sacras vocatus ille sit *Donum interpretationis datur seruato Ordine in Ecclesia posito.*
siue non, subiungam paucas sed grauissimas causas, quibus & Catholicam sententiam tueri, &
hominibus hac in parte hæreticis satisfacere possis. Primùm ergo dantur à Spiritu Sancto huiusmodi dona in Ecclesia; sed seruato Ordine quem Christus in Ecclesia posuit: de quo Ordine multa in Controuersia secunda disputauimus. Hic Ordo vult, vt quia pes non debet capitis officium facere, neque donum capitis accipiat. Lib. 5. cap 4. & seq.
Vnicuique nostrum (ait Apostolus) *data est gratia, secundum mensuram donationis Christi*; Ephes. 4.
vt videlicet Spiritus Sanctus quem Christus Dominus promisit & dedit, operetur iuxta Ordinem donationis à Christo factæ. Hæc autē Donatio Christi, & per consequens donorum distributio, qualis sit statim describit dicens: *dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* In his ergo Apostolis, Pastoribus, Doctoribus, quærenda sunt *Quærenda sunt dona in vocatis Pastoribus &c.*
dona, ne aliam tibi fingas aut præsumas donationem quàm Christus fecit. Quod isti faciunt, qui non in doctore donum quærunt; sed ex præsumpto dono, doctores vel seipsos faciunt, vt Lutherus, Caluinus, & alij; vel sibi eligunt, vt Lutherani, Caluinistæ, & alij. Secundo, Christus Dominus cùm hæc dona de facto in specie dedit, (de qua donatione in genere Apostolus in his locis disseruit,) solis illis dedit qui vocatione ipsa Pastores & Magistri Ecclesiarū futuri essent. *Christus dedit sua dona solis futuris Ecclesiarum Magistris.*
B Solis enim Apostolis, non turbis dixit: *vobis datum est nosse mysteria, &c.* Imò turbas diserte ab hoc dono excepit, dicens: *Turbis autem in parabolis.* Matth. 13.
Solis Apostolis dixit: *Spiritus veritatis manebit vobiscum in æternum*: Ioan. 17.
Et huius generis alia multa quæ in Controuersia quarta copiosè tractauimus. In illis ergo quærenda hæc dona, quibus ista Christus Authoritate Suprema de facto assignauit; non in aliis quibuscunque (ad arbitrium nostrum) Ecclesiæ membris. Lib. 8. cap. 12.
Tertiò, *manifestatio Spiritus* (ait Apostolus) *datur ad vtilitatem*, 1. Cor. 12.
ipsius sanè totius corporis Ecclesiæ, cui non expedit vt aliis hæc dona dentur, quàm iis qui ad docendum vocati sunt; ne fit schisma in corpore: ne forte dicat, Non iam caput pedi, sed pes capiti; non es mihi necessarium: *Priuati spiritus omnium schismatum seminaria.*
& ego spiritum Dei habeo: in me quoque Dominus loquutus est: aliáque his affinia, schismatis & perturbationis in religione seminaria maxima & fomenta perpetua. Quæ vna res, quia consideratione dignissima est, insistemus ei paulisper, & explicabimus magis.

Nempe hæc est vera & ipsissima Ecclesiæ vnitas, vt non aliis Spiritus ille interpretationis *Ecclesia vnitas qualis.*
& docendi detur, quàm quibus ex officio interpretari & docere incumbit. Etenim vna qui- 1.
dem est Ecclesia, propter vnam fidem; quia omnes vnum & idem credunt, sperant, amant, &
eadem tenent sacramenta, seu quoscunque cultus religionis necessarios. Sed hac ratione ma- 2.
gis similis est, consentiens, vnanimis, & vniformis Ecclesia, quàm propriè loquendo vna. Ite-
rū Ecclesia dicitur vna propter vnū caput Christū, & eius in terris vicariū. Sed & hac ratione, 3.
magis est sub vno, quàm vna. Alio adhuc modo Ecclesia est propriè vna, propter vnitatē collectionis vniuersorum membrorum; vt scilicet vnusquisque fidelis sit pars vnius numero populi, ciuitatis, domus, seu corporis mystici. Nam propter hanc vnitatem, non satis est, vt singuli fideles idem credant, & vni atque eidem capiti obediant in ratione credendi; sed etiam vt
C in ipsa credendi, sperandi, amandi, sanctificandi, obediendi, & præcipiendi operatione, secundum modum quendam operentur: videlicet vt partes vnius totius, & non vt seorsim singuli. *Ad conseruandam vnitatem singuli operantur vt partes vnius totius corporis.*
Spiritus enim Sanctus *diuidens singulis prout vult*, sic diuidit, vt Ecclesiam totam faciat vnum numero corpus, non plura. Et propterea mouet singulos ad internus & extertius operandum, tanquā partes vnius corporis, & propter vnum corpus, & secundum vnum corpus: sicuti fieri
videmus in corpore naturali. Anima enim mouet manum, non sicut lignum aut lapidem ex- 1.
tra corpus; sed tanquam partem totius corporis, secundum dependentiam quam habet *Simile.*
à reliquo corpore, ad ministerium vel functionē corpori vtilem aut necessariam. Mouet quo-
que ad vtilitatem reliqui corporis. Mouet denique iuxta modum, decorem, & proportionem 2.
totius corporis, vt nec altiùs se tollat, nec ad plura se extendat, quàm corporis ratio patitur, & 3.
vires ferunt: nec etiam ad inferiora aut viliora se dimittat, quàm corporis decor postulat. Sic in Ecclesiæ corpore, vnusquisq; fidelis sciens se esse membrum Ecclesiæ, quicquid facit aut patitur vt fidelis, facit & patitur, non solùm vt Deo & proximo spirituali dilectionis vinculo particulariter vnitus, sed etiam vt membrum totius Ecclesiæ, & huic toti in vnitate Spiritus *Omnia operantur fideles vt mēbra Ecclesiæ.*
coniunctus; siue doceat, siue discat; siue credat siue credere recuset; siue amet, siue refugiat; siue speret, siue non sperandum putet; siue ministret sacramenta, siue suscipiat; & sic in reliquis.

Omnia propter bonum Ecclesiæ. Rursum, propter Ecclesiam illa omnia facit & patitur, vt pars propter totum cuius est quicquid in eo genere est. Nam vnitas particularis aliquorum ad inuicem, ordinatur ad vnitatem totius. Ideoque in Symbolo profitetur vnusquisque fidelis, non solùm Ecclesiam esse vnam, vt ille sit eius membrum; sed etiam communionem Sāctorum; vt sciat se omnia facere & pati in commune bonum, quoties vt fidelis aliquid facit aut patitur. *Omnia secundū Ecclesiæ sensum.* Denique secundum Ecclesiæ fidem, sensum, iudicium, Regulam, & pro Ecclesiæ honore atque decore, omnia facit & patitur; neque plus, neque minus, quàm sibi vt parti totius, conuenit. Hæc est maxima, & intrinseca, & propriissima Ecclesiæ vnitas; quam colligere licet ex verbis Apostoli, ad Ephes. 4. & ad Coloss. 2. quæ alibi tractauimus, & ex Thoma Vvaldensi. Item ex D. Thoma, maximè verò ex Caietani scholiis ibidem. Contrà verò, huic vnitati propriè opponitur schisma. Quicunque enim totum tenuit operari in ratione fidei, vt pars Ecclesiæ Catholicæ, vultque se gerere vt quoddam totum seorsim, quacunque ex causa hoc faciat, schismaticus hoc ipso est. Præclarum sane esset, (quod ex maxima humilitate & charitate optauit Moyses) vt *vniuersus populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum.* Sed quia hoc non expedit vnitati totius corporis, & *manifestatio Spiritus non datur nisi ad vtilitatem* totius, propterea *non omnes prophetant*, nec omnibus Deus dat Spiritum suum. Quibus autem dat; dat vt partibus vnius totius, ad ministerium & conseruationem totius, non ad priuatam vniuscuiusque & seiunctam à toto vel voluptatem vel vtilitatem. Abstulit quidem Dominus de Spiritu Moysis, & dedit aliis, sed futuris Magistris populi. Ait enim: *Auferam de Spiritu tuo, tradámque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Datur ergo illis Spiritus, qui ad ministerium Ecclesiæ à Deo vocantur, non aliis. Sane sententia hodie Protestantum de hac distributione donorum, non in ordinaria potestate, sed promiscuè data & extra illam, est ipsissima schismaticorum ipsorum Core, Dathan, & Abiron vox & sententia. Illi enim clamabant contra Moysen & Aaron. *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populum Domini?* Quæ schismatica & superba vox quantum Deo displicuerit, consequuta statim horrenda pœna monstrauit. Idem hodie dicunt Protestantes. Nam *donum interpretandi non esse alligatum ad certas personas, quasi ad prætoriam quandam Potestatem, sed liberè dari legentibus & orantibus, quia omnes sunt docti à Deo, & vnctio docet nos omnia,* (quæ sunt verba Magdeburgensium, Melanchthonis, & aliorum Protestantum omnium) idem est plane, quod illi dixerunt: donum Spiritus non esse alligatum ad Moysen & Aaron certas illas personas, vt illi quasi in prætoria Potestate eleuarentur super populum, sed omnem multitudinem esse sanctorum, & in ipsis Dominum esse. Sit ergo hæc tertia ratio plane firmissima, Spiritum & dona dati Ecclesiæ, sed quia ad vtilitatem totius dantur, non nisi illis dari, quibus propter pacem & vnitatem totius corporis expedit dari.

Margin notes: *Suprà lib. 5. cap. 7. & lib. 8. c. 11. doctrin. fidei Lib. 2. cap. 15. & 16.* — *2. 2. quæst. 39. art. 1.* — *Schismaticus quis.* — *Num. 11.* — *Quibus & quomodo Deus dat Spiritum suum.* — *Num. 11.* — *Protestantes hodie veri schismatici.* — *Numer. 16.*

Spiritus datur ad vtilitatem & capacitatem singulorum. Quartò, sic *datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem*, vt etiam singulorum quoque, non solum totius vtilitati consulatur. Non est autem vtile cuiuis, vt hoc donum accipiat. Non enim omnes capaces sunt illius doni. *Dominus diuisit talenta: Alij quinque, alij duo, alij vnum, vnicuique secundum propriam virtutem*, id est, iuxta modum & capacitatem cuiusque, vt exponit ibidem Hieronymus. *Matth. 25.* Deinde si priuati aliqui huius doni capaces sunt, tamen neque illis expedit hoc donum accipere. Adhuc enim cùm de numero ouium sunt, non datur eis Spiritus nisi quatenus oues sunt, scilicet vt obediant & discant, seruentq; locum quem habent in corpore *Non enim satis est* (ait Chrysost.) *vnitum esse corpori, sed oportet proprium locum obtinere, vt pote qui nec vnitus esse queas, nec Spiritum accipere si loco cesseris.* *Locus in corpore Ecclesiæ vnicuique suus seruandus est.* Simile est de corporum membris, & ipsis quatuor rerum omnium elementis, quæ singula locum suum egressa, operari nō possunt. *Homil. 11. in 4. cap. ad. Eph.* Itaque ne sit ei occasio ruinæ, vt accepto dono locum suum & stationem egredi quis velit, atque ad ea se extēdere quæ non oportet, vtiliter & salubriter cuicunque capaci hoc donum nō datur. *Hebr. 13. coloss. 2.* Itaque seruant omnes locum suum *obedientes præpositis suis, qui rationem pro ipsis reddituri sunt, vt cum gaudio hoc faciant* ipsi præpositi (quale gaudium expressit ipse in se Apostolus. Monens enim *ne quis eos deciperet in sublimitate sermonum*, subiungit: *Spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum* (seu stabilitatem) *fidei vestræ,*) *& non gementes. Hoc enim non expedit illis*, id est, ouibus ipsis non expedit sic ex aliquo dono sublime sapere, vt præpositis suis obedire recusent. Quod ne fiat, etiam capacibus sæpenumero hoc donum saluberrimè negatur.

Obiectio de iis qui dona acceperunt nō vocati. Responsio. At dices: Exempla non deesse de multis nondum ad docendū vocatis, qui tamen hoc donum reuera acceperunt. Et illustre est hac in parte Origenis exemplum, qui multis annis ante Presbyteriū Scripturas docuit & interpretatus est fœliciter. Ad hęc & huiusmodi respōdetur,

rara ista

A rara ista & extraordinaria esse,& priuilegia paucorum nō facere legem communem. Præterea si quando hoc datur talibus,non tamen sic dari vt vel P[illegible]tis suis obedire recusent; vel (quod grauius est) docendi sibi authoritatem arrogent; (tunc enim schisma fit in corpore, violatur ordo,dissoluitur vnitas,perit obedientia fidei;) vel denique non aliter dari, quàm vt ad consolationem & instructionem vel propriam(vt clarius intelligant,quæ iam crediderunt) vel aliorum per modum consilij & conferendi in commune,eo dono vti debeant:non vt propterea aliquid singulariter sapiant,nouum aliquid dogma ex scripturis colligendo: non denique vt aliquid quasi magistri doceant;siue *præter mensuram donationis Christi*,siue *præter rationē & regulam fidei*. Quibus conditionibus saluis,non negatur hoc donum etiam non vocatis ad docendi munus dari. Sed has conditiones non ferunt aduersarij,qui sic dari hæc dona volunt non vocatis,vt ipsis vocatis eadem negent;sibique ex vi doni Potestatem arrogent,de ipsis vocatis déque eorum doctrina iudicandi;& quodcunque fidei dogma etiam in plenariis Conciliis discussum & definitum,de nouo discutiendi,& examinandi;vt fecerunt hodie superbissimi homines Ioannes Caluinus,Martinus Chemnitius & alij.

[Margin: 1. 2. 3. 4. 5. — Ephes.4. Rom.12. — *Potestātem intollerabilis superbia.*]

Alijs Scripturis superius ab aduersariis prolatis satisfit.

CAPVT VIII.

B IAM verò(vt ad alias Scripturas respondeatur)quod Apostolus iubet *Prophetias non spernere, & omnia probare, quod bonum est tenere*, toti Ecclesiæ Thessalonicensium scribit, vt exordiū Epistolæ declarat, non cuius Ecclesiæ membro. Facit hoc autem Ecclesia per illa sua mēbra,quibus probandi ea quæ ad fidem pertinēt potestas data est. Sic Dionysius Alexādrinus hæc verba πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, firmioribus & perfectioribus(quales sunt Ecclesiarum præpositi)dicta esse intelligit,apud Euseb. in historia Eccl.& Socratem. Et sane sic homo totus,in his quæ vel ad rationis vsum vel ad corporis bonum pertinent,omnia probat;quod bonum est tenet;sed non per quodlibet suū mēbrum hoc facit. De qua re alias plura diximus in Controuersia secunda.

[Margin: 1.Thessal.5. — Euseb.lib.7. cap.6. Socrat. lib.5. cap. 14. — Lib.5.cap.2.]

Magis vrgent & incredebili confidentia(vt suprà monuimus) inculcant illud de Prophetis in priore ad Cor. Epist. Cui tamen loco variè & solidè respondetur. Primùm agere ibi Apostolum expressè & disertè, de dono prophetiæ extraordinario(non secus sane quàm ipsi prophetæ,quorum Apostolus meminit ad Ephes.4.extraordinarium Munus erat,vt Apostolorum & Euangelistarum)& quod per modum miraculi fiebat,sicut donum linguarum,sanitatum,& similia quæ in illis tum Ecclesiæ initiis ad fidei Christianæ commendationem fidelibus passim dabantur; vt docet in commentariis ad hunc locum Chrysost. & adhuc clarius in comment.in epistolam ad Rom.super illa verba:*Spiritus orat pro nobis*,&c. Idē quoque docet Ambros.in Comment.ad cap.4. ad Ephes. Non autem agit ibi Apostol.de ratione ordinaria & perpetuò duratura ipsius Prophetiæ,aut interpretationis sermonum. Vt non minus C certè ridiculum sit illum prophetandi morem nunc imitari, quàm vanum & ridiculum esset donum quoque linguarum, maximè in constituta iam Ecclesia, vel superbè sibi quenquam venditare, vel stolidè à Deo dandum expectare, vel etiam tanquam nouos orbis Apostolos vsurpare. Signa hæc omnia erant,in prima fidei plantatione. Linguę quidem ipsis infidelibus, vt eo miraculo ad fidem inducerentur;prophetiæ verò fidelibus,vt in recenter accepta fide tā illustri signo confirmarentur. Sic enim rem apertè distinguit Apostol.dicens: *Linguæ in signū sunt non fidelibus,sed infidelibus. Prophetiæ autem non infidelibus sed fidelibus*,sc.signa sunt. Est autem gens praua & exasperans,non solùm stolida & temeraria,post tot sæculorum fidem acceptam & conseruatam adhuc signa quærere.

[Margin: 1.cor.14. — 1. Responsio. — *Donum prophetia de quo Paulus.* 1.cor.14. *non erat donum ordinarium & perpetuum.* — Hom.14.]

Præterea,illa prophetia tunc in vsu,non erat interpretatio verbi scripti, ad dogmata fidei vel probāda vel explicāda,diuinitus data. Neque enim adhuc scriptum erat magna ex parte, nouum testamentum;neque de fidei dogmatibus in illa prima Ecclesiæ prophetia tractabatur. Sed cùm hi qui dono linguarum valebant,non semper intelligerētur ab aliis qui eo dono carebant,ideóque sine fructu illud donum exercererur, aliis datum erat Prophetiæ donum, vt interpretarentur id quod ex dono linguæ prolatum fuisset; non quòd in canonicis libris scriptum fuisset. Cessante ergo nunc dono linguarum(quod in fidelibus tantùm signum erat)

[Margin: 2. Responsio. *Illa prophetia non erat interpretatio scripti verbi.*]

cessat quoque prophetiæ huius donum, quod non nisi propter linguarum donum datum fuit; ne inutile prorsus [redacted] quidem omninò) sed ipsis fidelibus esset. Nam infidelibus, etiam non explicatum, eatenus vtile fuit, quatenus eos in admirationem religionis Christianæ excitauit. Fidelibus verò (qui tali excitatione non indigebant) nisi explicatum inutile prorsus fuit. D

3. Responsio. *Nō erat doctrina sed exhortatio.*

Deinde per donum hoc linguarum, cui accessit interpres hæc Prophetia, non proferebantur ea quæ ad fidem per modum doctrinæ, sed quæ ad pietatis studium per modum exhortationis valebant. Ait enim Apostolus ibidem: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* Et statim paulò pòst enumerat tanquam distincta *reuelationem, scientiam, Prophetiam, doctrinam*, vt diuersa hæc fuisse dubitandum non sit. Quo in loco, hoc etiam obserua, hic iam ad scripturæ interpretationem doctrinalem Protestantes trahere, quod semper aliàs de orationibus & publico Ecclesiæ officio intelligi volunt. Ita quidlibet illi ex quolibet Scripturæ loco, libertate hac interpretandi freti, probant.

1. Cor. 14. 4. Responsio. *Erat reuelatio vel futurorum vel occultorum.* 1. Cor. 14.

Rursum hæc Prophetia erat reuelatio vel rerum futurarum, vel occultorum criminum, vel etiam rerum præclarè ab aliis gestarum. Vnde Apostolus ibidem. *Si omnes prophetant, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis eius manifesta fiunt.* &c. Itaque ad interpretationem Scripturarum, eo sensu quem hodie sibi hæretici vēditant, & de quo nos hoc in loco quærimus nihil prorsus ista pertinet prophetia: etiam si ordinarium aliquod & perpetuum in Ecclesia officium esset.

5. responsio. *Ecclesia iudicat de prophetiis.*

Deinde etiamsi talis aliqua interpretatio, qualem protestantes fingunt, hæc prophetia esset, tamen non aliter permittit Prophetis istis & interpretibus loqui, nisi *vt cæteri diiudicent*, scilicet Prophetæ cæteri & symmistæ: qui videlicet vt dono prophetiæ, sic etiam discretione Spirituum valebant. Vult ergo Ecclesiam de hoc dono iudicare; cuius hæc omnia dona sunt propria: maximè discretio spirituum, vt alibi ostēdimus. *Ne videlicet* (ait Chrysost. in Cōment. ibidem) *aliquis hariolus admisceretur, aut diabolicus quispiam præceptor ingrederetur.* Quod etiam post eum docet Theodoretus. Itaque eodem res recidit. Neque enim hoc donum, si quod tale esset, aliquid valeret nisi per Ecclesiæ iudicium approbaretur. E

6. Responsio. *In dono prophetiæ exercendo aberat confusio & præsumptio Protestantibus propria.* Act. 4. 2. Cor 13. 1. Cor. 14.

Sed & præterea, promiscuè & confusè aut præter ordinem, etiam in illis initiis hoc dono vti non licebat. Qui autem hodie hoc donum sibi vendicant, dicunt se hoc Prophetiæ Spiritu impulsos esse, vt Romanæ Ecclesiæ errores taxent, & nouas suas interpretationes in medium profetant, semper illud in ore habentes. *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Et rursum; *non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.* Apostolus verò etiam in ipso dono audaciam, præsumptionē, & confusionē damnat. *Spiritus*, inquit, *prophetarū prophetis subiecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* Itaq; etiā si huius generis hoc donum esset, quale Protestātes fingunt, & hodie quoq; daretur, (quod vtrunque falsum est) tamen iuxta Apostoli doctrinā, non ita in contemptū pastorum erūpere, sed continere & reprimere se isti spiritus debebant, vt absque dissensione & tumultibus donum suum exercerent.

Protestantes hodie soli volunt esse interpretes Scripturarum.

Quod iterū in fine huius disputationis solicitè monuit Apostolus, sic concludens. *Itaque fratres æmulamini prophetare, & linguis loqui nolite prohibere. Omnia autem honestè, & secundū ordinē fiant in vobis.* Hæc Apostolus. Isti contrà propterea hoc donū prophetiæ sibi arrogant; vt omnibus honestatis & Ordinis Ecclesiastici perruptis repagulis, se solos homines priuatos, nec ad docendum vocatos, pro magistris & interpretibus diuinarum literarum, orbi obtrudant. Idque ea sane confidentia, vt non solùm Catholicæ Ecclesiæ interpretes veteres, sed & alios quoscunque deinceps sequuturos verbi interpretes reiiciant. Cuius rei luculentissimū documentum est, immēsa illa cōmentariorum in vniuersam Scripturā farrago, ab istis hominibus iam passim edita, & maximè ab August. Marloraro in vnam Cathenam seu corpus redacta, nunc verò ab horum sectatoribus, non secus ac vnica, natiua, & germana diuini verbi interpretatio passim allegata. Sed quod ad præsentem Apostoli textum attinet, eius moderationis (quam modo dixi) in hoc dono prophetiæ seruandæ, illustre exemplum habes in Cypriano & collegis suis Africanis Episcopis; circa quęstionem de hæreticorum baptismo approbando. F

In epistol. ad Quintum fratrem. Exemplum moderationis seruatæ circa libertatem prophetiæ etsi male præsumptam.

Nam putauit sane ille Apostolum in hoc loco, *docere & ostendere multa singulis in melius reuelari, nec debere vnumquemque pro eo quod semel imbiberat pertinaciter congredi; sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti*: (in quo tamen vir ille sanctus eatenus errauit, quatenus contra Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem, singulariter se sapere posse putauit) sed tamen non ita in errore hoc suo istud putauit Cyprianus, quin nihilominus pacem & vnitatē Ecclesiæ seruaret: nec aliter sentientes collegas & coëpiscopos suos, aut dānaret aut grauiter ferret:

quod

A quod apertissimis verbis in epistola ad Iubaianum & in Concilio illo Africano (vbi erronea illa sententia definita fuit) protestatur, sicuti etiam commemorat, eúmque hoc nomine vehementer laudat sanctus Augustinus, in libro de baptismo contra Donatistas. Memorabile autem est, ex eodem Apostoli loco sic vt protestantes volunt, intellecto; aberrasse à veritate tot episcopos, & doctos & graues: quamquam modestiùs id multo factum sit, quàm à protestantibus hodie fiat. Lib. 2. cap. 2. & 8.

Postremò, hoc donum prophetiæ qualecumque illud esset, non cuiuis è populo (vt Puritani illam hodie seditiosè vsurpant) sed Præpositis ipsis & magistris datum fuisse, Sanctus Chrysostomus docet. Ait enim *Spiritum ibi cuncta administrasse, cuncta Ecclesiæ capita moderando. Et propterea hodie populum sacerdoti respondere in officiis diuinis*, quæ huic prophetiæ successisse arbitratur; *Et cum Spiritu tuo: quia olim sacerdotes non nisi in spiritu isto prophetico, & mysteriorum omnium intelligente, ea loquerentur; quæ hodie nos ex præscripta forma loquimur.* Hæc ille in commentariis ad hunc locum. Ad cuius sententiam accedit Theodoretus in Comment. ibidem. Ait enim. *Hic ordo* (scilicet prophetandi) *mansit in ecclesiu in præsens vsq; tẽpus: & ex doctoribus* (non ex quibusuis de populo) *alij quidem in hac concione, alij verò in alia cum populo disserunt.* Itaque omnibus his de causis, cum hoc genere prophetarum, aut prophetãdi modo qualem hîc Apostolus descripsit, priuata ista SS. Scripturarum interpretatio quam protestantes sibi solis vsurpant, nihil affine aut coniunctum habet. Multò autem minus, insana illa & seditiosa prophetantium in Anglia Puritanorum consuetudo, ex hac Apostolica doctrina colligi potest. *Septima Resp. Donũ prophetia nõ erat quorumlibet sed tãtum Præpositorum Ecclesiæ. Chrysostom.*

B

Alia scripturarum loca ab aduersariis proferuntur, pariterque breuiter expenduntur.

CAPUT IX.

Eliquis Scripturis, quas adhuc ad sententiæ suæ confirmationem Protestantes afferunt, tribus quasi verbis satisfaciemus. Proferunt illud Petri: *vnusquisque sicut accepit gratiam, siue donum, in alterutrum illam administrantes:* Sed statim adiungit Petrus; quod illi omiserunt: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei:* apertè ostendens se non de aliis quàm de dispensatoribus mysteriorum Dei loqui, qualem se cum collegis suis Paulus fuisse docet. Proferũt & illud. *Vobis datũ est nosse mysteria.* Item Ioan. 17. *Spiritus docebit vos omnia.* Et denique 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, &c.* Hæc loca citant Magdeburgenses: quæ tamen euidentissimum est, non ad alios pertinere quàm ad Apostolos & eorum successores, Ecclesiarum præpositos, vt alibi sæpius ostendimus: ipsáque locorum circunstantia clamat. 1 Petr. 4. 1. Cor. 4. Math. 13. *Indigna applicatio S. Scripturæ per protestãtes.*

C Proferunt adhuc alia, quæ ad priuatos quidem & quosuis fideles pertinent, sed non eo sensu quem ipsi affingunt: qualia illa sunt: *Erunt omnes docibiles à Deo. Vnctio docebit vos omnia.* Quibus addit Brentius illud Pauli. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et rursum. *Nemo potest dicere: Dominus Iesus nisi in Spiritu S.* Breuiter respondetur. Probant sanè hæc omnia verè fideles omnes à Deo doceri, & Spiritu Dei illustrari, sed vt dociles fiãt Auditores Ecclesiæ, vt credant & consentiant veritati; non vt vnusquisque officio Ecclesiæ fungatur, & doceat veritatem: non vt omnes sint prophetæ & Doctores. De qua te vide plura in secunda & quarta Controuersia. Ioan. 6. 1. Ioan 2. Rom. 8. 1. Cor. 12. Lib. 5. cap. 2. & 4. & lib. 8. Cap. 12.

Addit his Melanchthon in locis communibus, quæcunque cõtra impios & de impiorum cæcitate in Scripturis dicuntur. Qualia sunt illa: *Non intelligent omnes impij. Audite audiẽtes, & non intelligite. Obscurentur oculi eorũ ne videant.* Denique illud Apostoli: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Hæc testimonia* (inquit Melanchthon) *perspicuè ostendunt interpretationem Scripturarum esse donum Piorum, nec alligatã potestati. Impietatis enim pœna est cæcitas mentis.* Hæc ille. Sed ad hoc Melanchthonis argumentum, primum negato consequens. Nam, etsi nulli impij intelligerent, non tamen sequeretur, quòd omnes pij intelligant: non magis sane quàm istud: nullus cæcus currit, ergo omnes qui vident possunt currere. Nam vt ad currendum requiritur præter videndi vim membrorum agilitas, sic ad donum intelligendi Scripturas non solùm requiritur pietas, sed & donatio, id est vocatio cui annectitur donum. Dan. 12. Esaiæ 6. Psal. 6. & 8. Rom. 11. 1. Cor. 12. *Melanchthonis. Argumentatio vanissima.*

I

Deinde & antecedens dupliciter falsum est. Nam licet impij ad suam quidem ipsorum salutem non semper intelligant, tamen vocati à Deo ad docendum, etiamsi impij sint, ad aliorum salutem rectè docent: de qua re vide quæ disputauimus in Controuersia secunda. Postremò non semper & cuiusuis impietatis pœna est cæcitas, sed tantùm grauissimæ, & qualis infidelium est: de quibus Daniel loco citato loquitur, & Apostolus ad Rom. 1. multa dicit. Itaque animales carnales, vitiosi in Ecclesia multi sunt, qui tamen non statim cæcitate mentis in his quæ sunt fidei percutiuntur; sed reseruatur hæc pœna, vel ipsis infidelibus, vel supremæ & perseueranti impietati fidelium. His ergo Scripturis perperam intellectis, & argumentis leuissimis, egerunt hodie Protestantes, vt priuatum hoc interpretationis donum stabilirent. vt sanè monstri instar sit, tam leui pugna, tantam & tam munitam Ecclesiasticæ interpretationis Arcem obtinere eos potuisse. Vicerunt tamen apud plurimos non virtute sua, sed ignauia, leuitate, & temeritate Auditorum. De qua re aliàs diximus. D

Lib 5. cap. 10.

In Oratione de causa grassantiũ hæresum an. 66. Antuerp. cũ aliis excusa.

Alia duo argumenti genera ab aduersariis circa Scripturarum interpretationem produci solita refelluntur.

CAPVT X.

Meditatio & Oratio, qualia sunt media & quatenus ad intelligendas Scripturas.

AD alia duo argumenti genera, quæ faciunt Protestantes, nimirum legentibus ac meditantibus Scripturas, deinde etiam sapientiam à Deo & intelligentiam petentibus hoc donum dari, breuiter respõdemus: primùm, meditari Scripturas & orationes pias adhibere, media esse quibus Scripturarum intelligentiam consequantur non omnes promiscuè, sed ij quibus hoc donum datur. Quia autem vt iam probatum est, donum hoc nõ datur quibusuis, sed vocatis tantùm ad docendi munus; hæc media certò & infallibiliter efficacia tantummodo in huiusmodi sunt. Deinde iis mediis etiam priuatos & non vocatos ad docendum consequi interdum Scripturarum intelligẽtiam; sed vel ad priuatam ipsorum tantùm salutem & consolationem, vel ad aliorum etiam fortasse ædificationem, si per modum consilij & modestè adhibeatur; non autem vt propterea potestatem alios docendi, & authoritatem de fide iudicandi, vel sensum Scripturæ germanum præscribendi, vllo modò sibi arrogare debeant. Rursum hæc media non efficere in quocunque fideli, absolutam & plenam omnium Scripturarum intelligentiam, quæ ad fidem necessaria est; sed eam tantum quæ ipsius vtilitati & saluti priuatæ sufficit: cui nec semper expedit omnia etiam abstrusa intelligere, ne sapiat plusquam ad sobrietatem. De quo genere dixit Sapiens. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Sic iubetur Moyses *contestari populum, ne trãscendat terminos ad videndum Dominum.* Hæc autem in figura scripta sunt nostri. E

Eccles. 3.

Exod. 19.

Meditatio & Oratio nõ præiudicant aliis medus sed seruiunt illis.

Præterea hæc media non præscribunt aut præiudicant Authoritati in Ecclesia positæ ad Scripturas interpretandas, aut aliis Mediis de quibus postea dicemus; sed seruiunt & militãt illis, submittunt quoque se illis. Alioqui non iam erit meditatio & pietas, sed præsumptio & impietas qualis hæreticis omnibus communis est. Talis est Caluinistarum hodie ex meditatione præsumptio, quam his verbis expressit Caluinus. *Nos, vt in tota Scriptura, sanam huius loci* (Hoc est corpus meum) *intelligentiam non minore obedientia quàm cura consequi studemus: neque præpostero feruore temerè arripimus, & sine delectu quod primum se mentibus ingerit; sed sedula meditatione adhibita, sensum amplectimur, quem Spiritus Dei suggerit. Quo freti, despicimus ex alto quicquid terrenæ sapientiæ contrà opponitur.* Hæc ille contra Lutheranos disputans. Sed hæc Caluini circa illa verba non solum ex se tam clara, sed etiam totius Ecclesiæ consensu longè aliter intellecta, meditatio quam dicit, mera est præsumptio; nec quod Spiritus Dei, qui in sola Ecclesia residet (a qua iste quàm longissimè se abstraxit) sed quod spiritus mẽdax in ore Prophetarum (quos Dominus non misit; & ipsi currebant) ei suggessit, amplexus est: ideóque ex eodem spiritu (qui etiam superbiæ Spiritus est) alios omnes ex alto despicit. F

Institut. lib. 4. c. 17. par. 25.

Quare multa lateant pios in Scripturis.

1.

Postremò, hæc Media quãtumcunque adhibita, non semper sunt efficacia, ne quidem in iis quæ cum vtilitate animæ & ædificatione aliorum cõiuncta sunt: Deo etiam studiosissimis & piis fidelibus multarum Scripturarum intelligentiã subtrahẽte; vel quia ipsis expedit aliqua nescire,

A neſcire, vel quia aliis vtile eſt aliqua ſemper ad inueſtigandum & eruendum relinqui, vel de- 2.
nique vt modum vnuſquiſque ſuum in Eccleſia tenere ſalubriter diſcat. De qua re ſic ſapien- 3.
ter Auguſtinus vir in Scripturis euoluendis ac meditandis ſolertiſſimus, ac etiam tum tem-
poris non tam miles veteranus, quàm Dux exercitatiſſimus ſcribit. *Tanta eſt Christiana-* Epiſt. 3.
rum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſque ad S. Scripturarũ profunditas.
decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quòd
ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate; ſed cùm quiſque ibi fidem te-
nuerit ſine qua piè rectéque non viuitur, tam multa támque multiplicibus myſteriorum vmbracu-
lis opaca, intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis quibus iſta dicta ſunt, ſed
etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagran-
tiſſimiſq; cupiditate diſcendi, hoc contingat quod eadem ſcriptura dicit. Cùm conſummauerit homo, tùnc
incipit. Hæc ille. Quam etiam ob cauſam alio in loco *plura ſe in Scripturis neſcire quàm ſcire*, in-
genuè vir tantus profitetur. Quæ ſanè quum ita ſint, in lectione & meditatione, (adde etiam Epiſt. 119. c. vltimo.
orationem) plenam, certam, & infallibilem Scripturarum intelligentiam ponere, temeritatis
nota & præſumptionis periculo carere non poteſt. Scripturas tamen etiam ad hanc rem pro-
bandam proferunt, quas breuiter expendemus. Intelligentiam Scripturarum ex ipſarum ſe-
dula lectione comparari, probare volunt Magdeburgenſes ex verbis Petri dicentis: *Habemus* 2. Petr. 1.
propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Et ex 2. Timoth. 3.
verbis Pauli: *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem:* Deinde ex facto
B nobilium Theſſalonicenſium, qui *ſuſcipientes verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutabantur* Act. 17.
Scripturas ſi hæc ita ſe haberent. Nam ex hoc loco, probare vult Brentius, omnium fidelium eſſe,
ſcrutari ſcripturas, an rectè doceat Eccleſia. Sed breuiter ad ſingula reſpondebis. Ad primum,
attendendum quidem eſſe ſermoni Prophetico: ſed non adhibita *propria aliqua interpretatione*, vt
Petrus ſtatim ſubiũxit; id eſt eiuſmodi quæ vel ex proprio ingenio (neglecta regula fidei & ſa-
na doctrina) vel ex priuata authoritate (contemptis Eccleſiæ magiſtris) proficiſcitur. Ad ſecun-
dum, ſacras literas hominem inſtruere quidem ad ſalutem; ſed rectè & vt oportet intellectas:
de qua re ibi Apoſtolus non agit. Nempe fructum Scripturarum, non rationem intelligendi
eo loco docet. Ad tertium dicito, rectè & piè illos nobiles ſcrutatos eſſe Scripturas; non ita
tamen hoc feciſſe, vt de Apoſtolorum prædicatione ipſi iudicarent, veráne eſſet an falſa; ſed *Quomodo Theſſalonicenſ. ſcrutabantur ſcripturas.*
vt inſpectis veteribus Prophetiis, ad maiorem & clariorem eorum intelligentiam quæ iam
firmiter crediderant, ſcrutarentur quo modo geſta Chriſti illis reſponderent. Qua in re ſtu-
dioſos ſe Chriſti & Apoſtolorum Diſcipulos præſtiterunt; non iudices conſtituerunt. Non
pudet ſanè Brentium dicere etiam iudices illos fuiſſe doctrinæ Apoſtolicæ, apud Hoſium Lib 5. cap. 2. &
lib. 2. contra Prolegomena Brentij. Sed abſurditatem rei indigniſſimam, habes antea multis in lib. 8. cap. 8.
locis explicatam. Sanè Chriſtus ipſe hortatur Iudæos, *vt ſcrutentur ſcripturas, quia illæ teſtimo-* & ſeq. Ioan. 5.
nium perhiberent de ipſo. Sed nunquid propterea doctrinæ ſuæ iudices & arbitros conſtituit
Iudæos Chriſtus? Sed aliud eſt, ſcrutari ſtudio intelligendi quod iam credis; aliud, ſcrutari pro-
prio ſtudio (omni authoritate contempta,) vt ſic primùm credas. Ex illo priori & quorundam
C facto, hoc poſterius colligunt aduerſarij; & in toto fidelium genere valere volunt. Hactenus
ergo quæ ex Scripturis diſputant aduerſarij, pro priuata hac ſua Scripturarum interpretatio-
ne defendenda, refutata ſunt. Agunt præterea variis rationibus ad eandem ſententiam confir- Lib. 11. cap. 2.
mandam. Sed aptiùs illæ alio loco, cùm de Mediis & variis interpretandi agemus, expenden-
tur. Nunc ad alia pergamus.

Quòd penes Eccleſiam ſit ſola, certa, & infallibilis Scripturarum interpretatio. Sed quo ſenſu id verum eſſe intelligatur, primùm aperitur.

CAPVT XI.

Assertio quarta

» ILLA Sacræ Scripturæ interpretatio, quam Ecclesia Catholica, vel per ministerium Episcoporum atque Pastorum, vel in Conciliis siue generalibus, siue particularibus postea approbatis, vel in decretis Romanorum Pontificum, vel denique in publico religionis vsu & praxi, aut ipsamet tradit & præscribit, aut ab aliis traditam verbo vel facto approbat, sola est certæ & infallibilis authoritatis: & huiusmodi quam in dogmate controuerso, solam amplecti & sequi, tum tutò possimus, tum necessariò debemus: alia omni interpretatione exclusa atque damnata quæ illi directè aduersatur. D

Officium fidelis in Scripturæ sensu quærendo.

Persona interpretantis, Ecclesia.

Huius Assertionis primò sensus diligenter aperiendus est; deinde probationes afferentur. Sensus ergo est, non quòd quicquid vnus aut alter siue Episcopus siue Pastor pro scripturæ sensu quocunque casu docet; statim tanquam certum atque germanum necessariò retinendum sit: sed quòd in scripturæ sensu dubio aut controuerso, quando de fide agitur, officium fidelis est, 1. nec Ecclesiæ hostes vllo modo in tali Controuersia audire; 2. nec à quocunque priuato, quanuis sit doctissimus & Catholicus, eius rei solutionem petere, vt ei certò & necessariò credendum sibi esse existimet; 3. sed illis planè prætermissis, his sobriè & modestè consultis, sine præiudicio determinantis Ecclesiæ diligenter inquirere, quid Ecclesia in ea re sentiat, & quem sensum illius Scripturæ Pastores & Episcopi probent. 4. Quod autem Episcopos sentire & docere animaduerterit, firmiter credat; quandiu sanè & illos Episcopos in vnitate Catholica persistere perspexerit, & ab aliis Coëpiscopis suis eandem vnitatem tenentibus diuersum sensum adferri non viderit. Horum enim alterutrum si contigerit, necessariò iudicium suspendat oportet, & hac in re vel 5. Concilij, vel 6. Supremi capitis sententiam expectet. Qua intellecta omni dubitatione remota, firmissimè credat illum esse orthodoxum sensum, quem vel Concilium, vel summus Pastor aut tradidit, aut approbauit. 7. Cæterùm & hîc rursum obserua, sensum aliquem Scripturæ sic esse amplectendũ, & eo gradu tenendum, quo eum tradit vel approbat Ecclesia. Si talem sensum esse de fide tenendum doceat Ecclesia, de fide illum teneas oportet. Si vt commodum quidem & probabilem commendat, non tamen de fide aut necessariò tenendũ præscribat, eodẽ gradu nec alio à te amplectendus est. E

Modus interpretandi authenticus.

Idem etiã de sensu repudiando iudicabis; vt sic eum & eo modo repudies, quo repudiat Ecclesia. 8. Deinde hoc iudiciũ & determinationem vel Episcoporũ, vel Conciliorũ, vel Rom.
1. Pont. sic deprehendes; si vel apertè eos definire & sub anathemate eos præscribere talem sen-
2. sum legeris, (sicuti sæpe in Conciliis occurrit) vel contra hæreticum aliquem tueri diligenter
& constanter asserere perspexeris, vel denique pro sensu Orthodoxo tradere, cùm ex proposito in causa fidei ad salutem necessaria consuluntur & rogantur, audiueris: (his enim in locis
3. ex Cathedra loquuntur, id est, officium propriè Episcopale exercent) vel postremò, quando
4. media illa adhibent, quæ postea trademus ad interpretationem rectam inueniendam certissima. 9. Non autem tunc iudicasse aut determinasse Ecclesiam putabis, quando vel obiter F
1. aliquem sensum aut Episcopus inter docendum affert, aut Concilium inter disputandum
2. producit; vel in quibuslibet argumentis & mediis, quibus conclusionem Catholicam suadere nituntur stabiliendis Scripturas applicat. In hoc enim vtroque casu, nulla est allatæ interpretationis certitudo infallibilis. Nam & in primo nihil tale intenditur, & in secundo absque præiudicio fidei errari in argumentis potest salua cõclusione, vt est alibi à nobis ostensum. 10.

Lib. 8. cap. 15.

Quo sensu hæc sola interpretatio censetur infallibilis.

Suprà lib. 8. Cap. 15. Lib. 2. cap. 23.

Dicimus hanc solã interpretationẽ esse certæ authoritatis, non quia negatur vel Doctoribus scholasticis, vel aliis viris doctis ad Episcopale aut Pastorale munus non vocatis, omnis prorsus facultas interpretandi, aut omnis planè authoritas in sensu afferendo; sed quia horum hominum nec facultas tanta est, nec authoritas certa. Non est tanta facultas, quia quantacunq; sit, semper humana est quatenus talium, humano nempe studio & industria cõparata; ideóque tantum illis creditur, quantum ratione & argumentis probare potuerunt. In hoc enim (vt antea monuimus) differt Theologus ab Episcopo, doctor scholasticus ab Ecclesiastico, deniq; sciẽtia Theologica à fide Catholica. Ecclesiæ autem facultas in hoc genere est, vt mox ostendemus, diuina. Non est certa authoritas, quia non sub pœna perfidiæ talis interpretatio sequẽda est, licet bene sub pœna crassæ contumaciæ, vt rectè ex mente Augustini distinguit Vvaldensis in doctrinali fidei. 11. Imò ipsi Episcopi quando non quatenus Episcopi de cathedra

docent

A docent, vt suprà diximus, sed tanquam Doctores Scripturas tractant, certam hanc de qua agimus & infallibilem authoritatem non habent, donec ab Ecclesia, Authoritate sacra, approbati eorum tractatus, pro Catholica & certò Orthodoxa interpretatione cōmendentur. Quod fecit Gelasius primus in Decreto de libr. Apochryph. 12. Neque etiam in approbatis ipsis ab Ecclesia Authoribus, quælibet interpretatio statim pro certa & infallibili habēda est; sed eo gradu & eatenus, quatenus ab Ecclesia approbati fuerint: seruatis quoque cautelis illis & conditionibus, quas in Patrum authoritate recipienda explicuimus. 13. Itaque Doctores siue scholastici, siue Ecclesiastici, siue scholarum more disputando, & argumentis veritatem inquirentes, siue explicantes Scripturas, aut apud populum in homiliis, aut in scriptis Tractatibus; quatenus tales disputatores & tractatores, non sic legendi aut audiendi sunt, vt in eorum verba (quod quidam temere faciunt) iurandum sit. Sed reuerenter sanè & cum debito doctis viris honore audiendi sunt, nec temere à recepta Doctorum virorum sententia recedendum, nisi vel euidenti ratione vel Ecclesiæ authoritate eo nos impellente. De qua re tota aperta est & elegans Augustini sententia. *Quæ vera*, inquit, *esse perspexeris, tene & Ecclesiæ Catholicæ tribue.* (vt videlicet propter Ecclesiæ vel docentis, vel approbantis, vel in officio ac potestate constituentis, non propter hominis quantumuis doctissimi atque etiam Episcopi priuatim aliquid tractantis Authoritatem, teneatur quod verum esse perspeximus:) *quæ falsa respue, & mihi qui homo sum tribue: quæ dubia, crede: donec aut respuenda esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat Authoritas.* Hæc ille. Nempe de toto hoc genere

Lib. 7. cap. 15.

Doctorū disputationes, homiliæ & commentary quantum Authoritatis habeant.

De vera religione cap. 10.

B priuato studio tractandi & exponendi Scripturas, etiam in vocatis Ecclesiæ episcopis & magistris quum de eorum numero esset S. August. dicit se suósque similes, *non præcipiendi authoritate, sed proficiendi exercitatione scribere: & totum hoc genus literarum non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate legendum esse.* Quam sententiam sæpe aliis in locis repetit. Non quòd licet de patribus semel ab Ecclesia approbatis, vel de eorum consentiente interpretatione liberè cuiuis iudicare, (vt alibi docuimus in 3. Contr. cap. 15.) aut temere etiam nondum approbatos Catholicos scriptores contemnere; sed quòd Ecclesia adhuc nihil iudicante ac determinante, quatenus Doctores credendi necessitatem non imponunt, nec sub pœna perfidiæ quatenus tractatores eruditi per se obligant. Habent ergo docti suam Authoritatem, sed quæ non sit per se fidei, & infallibilis, & necessaria. Adiiciam autem hac de re Hieronymi sententiam in epist. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origenis, vbi quo sensu & quatenus Origenis interpretationes approbauerit, commemorat. Reddens enim rationem quare Origenem laudauerit, *Simplex*, inquit, *interpretatio atque doctrina simplici voce laudata est, nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehensum est. Laudaui interpretem non dogmatisten, ingenium non fidem, philosophum non Apostolum.* Móxque sic à Cypriano laudatum & lectum Tertullianum scribit. Sic Apollinarim, sic Eusebium Pamphili, Apolinarium quoque Laodicenum, & Didymum à se lectos atque auditos commemorat: vt Doctores scilicet & Magistros, qui quæ iam crederet, eum magis docerent; non vt fidei Præpositos & pastores, à quibus quid credendum esset, acciperet.

Lib. 11. cap. 5. contra Faust. Epist. 19. & 48 & de baptis. cont. Donat lib. 2. ca. 3. Lib. 7. cap. 15

Doctorum Authoritas per se non est infallibilis.

Hieronymus tom. 2.

C Quod sanè Doctorum & Ecclesiæ discrimen, vt magis adhuc intelligatur, (res est enim obseruatione dignissima; tum propter Hæreticorum calumnias, qui nos doctores pares cum ipsis Scripturis facere mētiuntur; tum propter imperitiores Catholicos, qui non satis dexterè aliquando ista distinguunt) aduertēdum est, Doctorum virorum labores in exponenda Scriptura veluti arma & præsidia esse, quibus vel aduersarios fidei refutamus, vel infirmos in fide roboramus; Ecclesiæ autem vocem & Authoritatem esse tanquam ipsum fidei munimentū & propugnaculum, ad quod se recipere fidelis debet, vt inde Doctorum armis vel seipsum tueri, vel hostem repellere valeat: ne fortè extra propugnaculum pugnans (quod omnes qui hæreticos sequuntur faciunt) in arma & tela incidat falsorum Doctorum. Nihil est enim periculosius, quàm eruditionis armis extra vallum fidei pugnare. Omnes Ecclesiæ hostes quia Scripturis pugnandum esse videbant, vt à vero Scripturarum sensu fideles abducant, ad eruditionis examen & rationum momenta eos prouocant; & ex Arce Ecclesiæ descendere, quasique æquo Marte pugnare, sepolita eius Authoritate, iubent. Hoc enim non solum de Manichæis (qui in hoc seductionis genere excellebant) notat Augustinus; quorum hæc vox erat, se in tractandis Scripturis, *non credendi iugum imponere, sed docendi fontem aperire*; sed in vniuersum, omnium hæreticorum hunc morem esse præclarè docet. *Illi*, inquit, *qui quum in communione & vnitate Catholica non sint, Christiano tamen nomine glorientur, coguntur aduersari credentibus, & audent imperitos quasi ratione traducere.* Et paulò post. *Conantur authoritatem stabilissimā*

Discrimen doctorum & Ecclesiæ.

Periculosum est eruditionis armis extra vallū fidei pugnare.

Lib. de vtilit. credendi. c. 9.

Epist. 56.

Hæretici omnes ab Authoritate Ecclesiæ fideles auertunt.

fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum, quasi regularis est ista temeritas. Hæc ille. Et sanè non alia fuit Fœliciani, Arriani vox, in disputatione quadam apud eundem Augustinum. *Quæ me,* inquit, *in disputationibus vestris frequenter offendunt, nihil deterius puto quàm quòd sic præcepta fidei rudibus traditis, vt non de intelligendarum rerum ratione, sed potius de quadam testimoniorum ostentatione colloquentibus præscribatis.* Hæc Arrianus ille, vt suprà Manichæus. Causam verò huius hæreticorum moris præclarè exponit Augustinus, pariterque (quod dicere cœperamus) Authoritatis Ecclesiæ arcem ad quam confugere oportet, eruditè describit. *Coguntur,* inquit, *hoc facere hæretici, quia iacere se abiectissimè sentiunt, si eorum Authoritas cum Authoritate Catholica conferatur. Sed ille fidei imperator clementissimus* (qui, vt alibi idem vir sanctus docet, *fide mortales ducebat;* ideóque miracula tot ac tanta faciebat, non vt ratione persuaderet, sed vt authoritate pertraheret) *& per conuentus celeberrimos populorum atque gentium, sedésque ipsas Apostolorum, Arce Authoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiã inuictissimæ rationis armauit. Verum illa rectissima disciplina est, in Arcem fidei quam maximè recipi infirmos, vt pro eis iam tutissimè positis fortissima ratione pugnetur.* Hæc ille. Móxque ostendens Platonicos aliósq. Philosophos, *quia diuinam personam non habebant, qua imperarent fidem; suã sententiam potius legere quærendã, quàm polluendã proferre maluisse;* cõcludit. *Itaq; totũ culmen authoritatis & lumen rationis, in illo vno salutari Christi nomine, & in vna eius Ecclesia, reformando humano generi constitutũ est.* Hæc in illa Epist. Aug. Arx ergo & propugnaculũ fidei est Ecclesiæ Authoritas, in quam se tumultu exorto recipere fidelis debet. In hac arce constitutus, doctorum armis vel ipse pugnabit si fortis est, vel pugnantibus aliis defendetur, si infirmus est. Hoc est discrimen inter Doctorum sententias de sensu Scripturarum, & Ecclesiæ iudicium. Hoc fidei est, in quo acquiescere & quo te recipere debeas. Illud roboris est, quo fidem confirmes magis. Sic Augustinus, *tractationem fidei à spiritualibus viris factam ad muniendum symbolum valere scribit: Non vt ipsa pro Symbolo baptizandis memoriæ mandanda & reddenda tradatur, sed vt illa quæ in symbolo retinẽtur cõtra hæreticorũ insidias authoritate Catholica & munitiore defensione custodiat. Hæc ille in lib. de fide & Symbolo, cap. 1.* De hoc doctorum officio lege pulchrè disserentem Vincentium Lyrinensem in aureo illo libello contra prophanas vocum nouitates. Quare (vt id obiter hoc loco moneam) consultius illi faciunt, qui in causa fidei Episcopum etsi non perinde doctum consulunt, quàm qui doctorem Theologum, quamlibet in re Theologica versatum; nisi ita consulant, vt Episcopi Iudicio etiam doctoris sententiam subiiciant. Tunc enim extra periculum vterque erit. Ratio autem eius quod diximus est, quia regulam fidei certiùs Episcopus tenet, & circa eam magis diuinitus adiuuatur, quàm doctor aliquis quanuis doctissimus. Vnde sapienter monuit Vvaldensis, dicens: *Omnis doctor Catholicus fiducialiter & cum reuerentia audiatur, sed sacrorum Episcoporum authoritati obtemperetur attentius.* Hæc ille. Quod & mox probat ex August. de vtilitate credendi.

[margin, D] In lib. contra Fœlicianũ c. 2. — Epist. 56. — *Hæretici carent omni authoritate.* — Lib. de vtilit. cred. cap 14. — *Arx Authoritatis Ecclesia.* — *Culmen Authoritatis in Christo & in Ecclesia.* [E] — *Arx fidei Ecclesiæ Authoritas.* — Ca. 27. & seq. — *In causa fidei magis consulendus Episcopus quàm Doctor Theologus & si doctissimus.* — Doctrinal. fidei lib. 2. cap. 24. — Cap. 10.

Postremò, sic solius Ecclesiæ interpretatio est certa, vt omnis alia excludatur; non quidem omnino, sed quæ ei aduersatur, & est ex diametro opposita. Nam vt eiusdem Scripturæ, quæ est bonorum sensuum fœcundissima, variæ interpretationes esse possunt; ita omnes admitti possunt, etsi nondum ab Ecclesia approbatæ: sed ita admittentur, vt probabiles tantùm, & inquantum ædificant, vel ad fidem vel ad bonos mores: non defendentur autem vt certę, donec accedat Ecclesiæ vel tacita, (quia non condemnat) vel aperta (quia vel in praxi obseruat, vel decreto aliquo & publica doctrina confirmat) approbatio. Quod verò addidimus in ista Assertione de publico religionis vsu & praxi, seorsim postea tractabitur cùm de mediis agemus quibus interpretatio Scripturæ fit. F

Infrà lib. 11. Cap. 4.

Ex communibus causis breuiter ostenditur, Ecclesiæ magistros esse idoneos & certos interpretes Scripturarum.

CAPVT XII.

A
NVNC explicata quantum necesse fuit Assertione posita, ad probationes eius accedamus. Authoritatem certam interpretandi Scripturas esse penes Ecclesiam; id est, (vt Ecclesiæ nomine intelligi oportere docuimus in 2. Controuersia) penes Episcopos & Pastores Ecclesiarum, maximè Episcoporum Concilia, & ipsum supremum Pastorem Petri successorem; idque in sensu quem iam diximus; primùm sanè ex communibus causis, sed certa & euidenti ratione breuiter ostenditur. Ecclesiarum magistri sunt iudices in omni fidei dogmate tradendo & explicando, vt in Controuersia secunda explicatū est, maximè in Synodis congregati, vt in 3. Controuers. dictum est, & postremò certissima ratione Christi Vicarius, Romanus Pontifex, Supremus iudex in hac causa est, vt in Controuersia 2. copiosè probatum est. Habent igitur iidem scripturas exponendi authoritatem certam & infallibilem; cùm vel hoc maximè ad fidem seu de nouo comparandam, seu deinceps retinendam proximè & necessariò pertineat, vt ex se patet. Rursum ab Ecclesiarum magistris, & eorum testimonio atque authoritate, ipsas Scripturas accepimus; & esse illas verè diuinas credidimus; vt in alia Controuersia explicatum est. Ab eisdem ergo & Scripturarum sensum accipere debemus. Neque enim minoris authoritatis est Scripturas taxare quàm exponere. Neque intelligibile est, Ecclesiam Scripturas taxare, commendare, & consignare posse, quas ipsa non intelligat, aut interpretari non valeat. Præterea, nisi exponendi Scripturas certam authoritatem haberet Ecclesia, finem ipsum propter quem scripturas vel inspirāte

Lib. 5. Cap. 5. & seq. Lib. 7. Cap. 8. Lib. 6. cap. 15. & seq.

Lib. 9. cap. 6. & seq.

B & docente Deo scripsit ipsa, vel suggerente acceptauit & tradidit, ipsamet Ecclesia non consequeretur. Finis enim est vt illis rectè intellectis, ad salutem æternam (cuius consequendæ viam Scripturæ præmonstrant) filios suos perduceret: sicuti * Ioannes in fine Euangelij sui, & Apost. ad Rom. 15. disertè scribunt. Est ergo penes illos qui eam tradiderunt, & intelligendi facultas & exponendi potestas: ne arcam clausam & librum signatum quem aperire ipsi non possent, fidelibus tradidisse videantur. Imò sanè alioqui sequeretur Ecclesiam Christi in tota hac Euangelij Luce & gratiæ plenitudine, vel deteriore loco esse sempérque fuisse, quàm Synagogam; cuius Principes non solum libros Prophetarum & legis in manibus habebant; sed etiam clauem scientiæ acceperant, qua veritatem in illis latentem intelligerent: (quod contra quosdam aliter sentientes rectè docet Origenes) vel certè non meliore loco esse, sempérque fuisse, quàm eadem Synagoga vel eo tempore fuit, quo iam sacerdotij ac legis translatione pro foribus existente, clauem quidem scientiæ in suis principibus habuerunt, sed sic (vt dicit Saluator) *vt nec ipsi intrarent, & eos qui intrare volebant, prohibuerunt*; vel etiam hodie tota Iudæorum turba est. Qui etsi hoc à maioribus suis habeant, vt *credita illis fuerint eloquia Dei*, tamen *propter velamen positum super corda eorum, vsque in hodiernum diem non intelligunt*. Denique non meliore loco esset Ecclesia, quàm ipsi Saraceni, Mahometani, aut omnis generis hæretici. Hi enim omnes, Scripturas vel in toto vel in parte legunt & venerantur; sed nulla certa Authoritate intellectas. His adde, quòd in vnaquaque disciplina, quæ certis libris continetur, ab illis petenda librorum expositio est, qui eam disciplinam profitentur; Igitur & à fidei magistris, libri fidei exponendi sunt. *Quis mediocriter sanus* (ait Augustinus) *non facile intelligit, Scripturarum expositionem ab illis petendam esse, qui earum Doctores se profitentur?* Quam rationem pluribus verbis prosequitur in lib. de vtilitate credendi nósque postea suo loco prosequemur magis. Atque ex communibus quidem causis, hæc hactenus breuiter.

Hæc scripta sunt vt credatis & credentes vitam habeatis. Ioan. 20.

Vel deteriore vel non meliore loco esset ecclesia quā Synagoga, si has Authoritate careret.

Lib. 4. cap. 2. de Principiis. Luc. 11. Rom. 13. 2. Cor. 3.

Libri fidei à fidei magistris exponendi.

C *In lib. de moribus ecclesiæ Cathol. cap. 1. Cap. 6. & seq. Lib. 12. cap. 5.*

Ex causis propriis & necessariis idem copiosè demonstratur.

CAPVT XIII.

1. Ratio.

Scriptura vtriusque testamenti mystica. 1. Cor. 10. Lib. 22. cap. 24 contra Faust. Lib. 3 cap. 4. de princip.

NVNC ad magis propria huius hypothesis fundamenta veniamus. Diuinæ D Scripturæ hoc proprium quodammodo esse, nemo in Scripturis versatus ignorat, vt sub historica narratione & figurata locutione, quàm plurima mysteria latenter significet. Neque id solum in veteri testamento, quibus pleraque *in figura contingebant*, nec tantum in ipsis ceremoniis, sacrificiis, totóque genere cultus diuini, sed etiam in rebus ipsis gestis, adeò vt *prophetarum ipsorum non tantùm lingua* (ait August.) *sed & vita fuerit Prophetica, immò totum illud regnum gentis Hebræorum magnus quidam fuerit Propheta*; verum etiam in ipso nouo Testamento hoc genus loquendi non rarò occurrit, sicuti multis exemplis Origenes, (etsi ille in hoc genere modum excessit, éstq; propterea cautè & prudēter in hac re legendus) demonstrat. Ante illum verò S. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus (vt ipsemet testatur epist. 8. ad Demophilum) hanc ob causam libellum *de significatiua Theologia* scripsit, sicuti ipsemet testatur in li. *de mystica Theologia* cap. 3. & in epist. 9. ad Titum. vbi & causam huius mysticæ scriptionis his verbis affert. *Idcirco*, inquit, *velata sunt, ne prophanis fierent peruia quæ sacratissima sunt: solísque veris ac legitimis Dei amatoribus paterent, quippe qui puerilem omnem sensum deponerent, ac supereminentem signorum veritatem penetrare sufficerent*. Hæc ille. Hæc autem mysteria in scripturis latentia, nec in veteri lege vulgò Iudæorum, sed sacerdotibus & Prophetis ipsis (qui propterea videntes vocati sunt,) aliísque legisperitis & magistris; nec in nouo Testamento turbis fidelium, sed Apostolis reuelauit Deus: Christo in Euangelio Apostolis *& futuris magistris* (ait Hieronymus in Commentar. ad Matthæum 13.) aper- E tissimè dicente: *vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, cæteris autem in parabolis*. Tales ergo Scripturæ, quæ siue in verbis, siue in rebus huiusmodi mysteria continent, non nisi ab Ecclesiarum Magistris, quibus hæc iuxta ordinem à Christo positum reuelata sunt, certò & infallibiliter exponi possunt.

Luc. 8.

Secunda Ratio. Scriptura intelligentia Regulæ fidei subseruit. Infrà lib. 11. cap. 2. 3. & 4.

Rursum omnis Scriptura debet sic intelligi, vt eius intelligentia ipsis Articulis & regulæ fidei, cultui quoque diuino & religioni nullo modo aduersetur, sed ad ipsam fidem & religionem siue stabiliendam, siue illustrandam, seruiat potius. De qua propositione plura dicemus postea. Soli autem Ecclesiarum Præpositi, certò & infallibiliter iudicare possunt, quid fidei & religioni conueniat, quid non. Soli ergo & illi Scripturas interpretari certò & infallibiliter possunt.

Tertia Ratio. Lib. 3. cap 4. Lib. 16. ca. 27. Scriptura diuinæ voluntatis instrumentum. Lib. 20. ca. 4.

Prætereà, vocatur Scriptura Testamentum Dei, vel potius (sicuti vocandum esse docet Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum, quia testamentum propriè dictum idem sonat quod Pactum, sunt autem multa alia huius generis Dei testamenta, vt docet August. in opere de ciuitate Dei) *diuinæ voluntatis instrumentum*, quemadmodum loquitur August. in opere de ciuitate Dei, *humano generi relictum*, vt quid Deus vel credere vel facere homines velit, in hoc scripto instrumento vel omnino & absolutè, [vt putant aduersarij] vel certè maxima ex parte [vt nos dicimus] declarauerit. At verò quæ sit ipsissima, & certa voluntas sponsi, certò cogno- F uit sola sponsa, cui omnia sua consilia Deus communicauit. Apostolis Christus, non turbis, dixit in concione in horto habita. *Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Nempe quia illis aperuit & aperturus erat [neque enim per anticipationem & propter certitudinem absurdum est in præterito dici quod ex parte adhuc futurum erat, sicuti etiam hunc locum exponit August. epist. 57.] omne consilium, quod quidem ad salutem hominum cognitu necessarium erat. Illos constituit *Patresfamilias qui scirent dare in tempore tritici mensuram*. Illos vocat *Scribas doctos in regno cælorum, qui proferunt de thesauro suo noua & vetera*. Id est, vtrumque testamentum intelligunt, & aliis exponunt, vt hunc locũ Sancti Patres explicant. Aug. in lib. 5. Euang. cap. 16. Greg. hom. 11. in Euang. & Hilarius can. 14. in Matt. Denique vnus ex illis cùm dixisset, *ea quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei*, statim subiecit: *Nos autem nõ spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur in doctrina spiritus*. Nam etsi in quibusdam vel particularibus vel occultissimis rerum causis *nemo cognouit sensum Domini, nemo consiliarius eius fuit*, tamen de his quæ ad salutem fidelium attinent, non dubitauit vnus Ecclesiæ Præpositus aliis Prępositis dicere. *Omne consiliũ Dei annunciaui vobis*. Postremò, in huiusmodi rebus *dispensatorem se vocat mysteriorum Dei*. Ecclesiarũ ergo Magistri conscij facti consiliorum Dei, & de voluntate eius instructi, Scripturas ipsas, in quibus hæc Dei voluntas tanquam in scripto instrumento continetur, optimè & certissimè intelligere aliísque exponere posse iudicandi sunt.

Ioan. 15. Luc. 12. Matth. 13. 1. Cor. 4. Rom. 11. Act. 20. 1. Cor. 4.

4. Ratio.

Prætereà, cùm interpretatio Scripturarum non nisi à Spiritu Dei, quo conscriptæ sunt, petenda

A tenda sit; vt nobiscum fatentur aduersarij, hunc autem Spiritum Dei Pastoribus Ecclesiæ datum esse ad vniuersi corporis Christi ædificationem, cùm in alia Controuersia probatum sit, (Lib. 8.) necessariò consequitur ab eisdem Pastoribus hanc interpretationem esse petendam.

Sed expressius fortasse aliquid ad hanc Hypothesim proprium, ex Scripturis desideras. (5. Ratio.) Obserua ergo quoties in Scripturis legis docendi prouinciam Apostolis vel Episcopis committi, vt Matth. vlt. *Docete omnes gentes, &c.* & ad hoc docendi munus Spiritum Dei illis promitti, vt illud Ioan. 16. *Spiritus docebit vos omnia,* & similia; toties ad interpretationem verbi illos mitti, & Spiritum Dei ad hũc finem illis promitti. Nam *docere verbum Dei*, est disserere, interpretari, non legere, aut referre tãtùm. (*Docere verbum Dei est interpretari.*) Hoc enim sensu dicitur toties *Saluator docuisse in Synagogis,* quia sanè (quòd expressè commemorat Matth. cap. 5. Luc. cap. 4. & Ioan. cap. 7.) *Scripturas & veteres Prophetias interpretabatur mirantibus Iudæis, quomodo literas sciret, cùm non didicisset.* (Ioan. 18.) Hoc etiam sensu dicitur in Actis, Apostolos *docuisse verbum Dei*, quia ex veteribus Scripturis docuerunt Christum esse Messiam. (Act. 5. & 15. & 18.) Hac sanè de causa distincta sunt in Scripturis pascere & docere: non quòd distincta sint hæc officia, sed quòd eiusdem officij distinctæ sint functiones. (*Pascere & Docere, functiones distinctæ.*) Pascere enim est præcipere, monere, exhortari, & similia. Hæc enim ad regimen animarum (1. Timoth. 6.) Pastorale propriè pertinent. Docere autem est differere, tractare, & exponere. Coniunxit hæc (1. Timoth. 4.) duo Apostolus, cùm Timotheo scriberet: *Hæc doce, & exhortare.* Et iterũ, *Præcipe hæc & doce.* (Hom. 13. in 2. ad Timoth.) Vtrobique eiusdem est docere, cuius exhortari, etsi distincta functio; vt docet elegãter Chrysostom. *Sunt quædam*, inquit, *quæ doctrina indigent, quædam imperio & exhortatione. Verbi gratia.*

B *Abstinere à peccato docere non conuenit; sed imperare. Substantiam pauperibus erogare, exhortatione agendum est, de fide disserere si opus sit doctrina agendum est.* Hæc ille. Propterea quoque eodem loco distinxit hæc Apostolus, iubens Timotheum *attendere lectioni, exhortationi, doctrinæ*, tanquam officij sui distinctis actionibus; (Ephes. 4.) vt aliud sit legere scripturas, aliud ex eisdem vel exhortari circa manifestè vera, vel docere circa dubia & difficilia. Hunc sensum sequutus Apostolus, cùm tanquam officia distincta enumerasset, *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas*; subiungit non disiunctim sed coniunctim: *Alios autem pastores & Doctores*; quia videlicet eiusdem sit officij pascere & docere, licet varia functio. Quam etiam (1. Cor. 12.) ob causam enumerans iterum eadem officia, tertio loco ponit *Doctores*, tacẽs planè de Pastoribus, quia iidem illi essent cum doctoribus. Quinetiam quia excellentior erat doctoralis illa functio quàm pastoralis, ideo quum dixisset Apostolus *Presbyteros illos qui bene præsunt, duplici honore dignos esse*, (1. Timoth. 5.) propter videlicet duplicem illam pascendi & docendi functionem, hanc tamen excellentiorem, adiecit: *maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Vt ergo breuiter tem colligamus, cùm docere verbum Dei, sit ipsum verbum Dei explicare & interpretari, sicut (*Docendi facultas excellentior quàm pascendi.*) pascere est vel præcipiẽdo, vel exhortando, regere, atque dirigere; hoc autem non nisi Episcoporum atque pastorum est; & iidem vt officium suum faciãt, à diuino spiritu infallibiliter docentur, sicuti ab eodem certissimè mittuntur; sequitur interpretationem Scripturarum certam atque infallibilem, non nisi ab illis petendam esse.

Postremò, vt propius accedamus, & positæ Assertionis causam intrinsecam aperiamus, (Sexta ratio.)
C exponere scripturas, sic vt illa expositio de fide credenda sit; aut necessariò amplectenda, pro certa & indubitata scripti verbi intelligentia; non est aliqua facultas, ingenio aut studio comparanda, sicuti in disciplinis humanis; sed est donum seu potestas à Deo data illis, quibus ex officio incumbit docere in Ecclesia, & ad salutem animarum Scripturas exponere. (*Potestas Ecclesiæ datur non solum vt legitimè sed etiam vt rectè doceat.*) Potestas enim docendi Ecclesiarum magistris data, non est solùm authoritas, qua legitimè & absque vsurpatione alieni officij possint, sed etiam est vis quędam & facultas spiritualis indita, qua rectè & infallibiliter valeant docere. Sicuti enim in naturalibus, non solum est inclinatio quædã naturæ à mouente Deo per commune auxilium, sed est etiam à Deo indita vnicuique rei forma, quæ omnium actionum principium est, (Simili.) vt sic secundum seipsam vnaquæque res inclinetur ad suum actum, sintque huiusmodi motus faciles & connaturales; & quemadmodum in Moralibus non solum inest animo potentia ad volendum, sed inest etiam habitus vniuscuiusque virtutis, ad rectè in vnoquoque genere volendum; sic in operatione ista supernaturali, qua Deus per hominum ministerium, salutem hominum operatur, non solùm datur Authoritas diuina docendi, qua legitimè moueantur ad docendi munus exercendum; sed etiam gratia & virtus diuina datur, qua instructi rectè & infallibiliter doceant. Proinde & vocatur in Scripturis hæc docendi in Ecclesia potestas, vel χάρισμα, id est gratia gratis data, vt 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 1. 1. Petr. 4. vel donum seu donatio ad Ephes. 4. vel deniq; clauis scientiæ vt mox dicemus. (*Docendi facultas est gratia & donum Dei.*) Gratiam autem hanc de qua nunc agimus, exponendi Scripturas, disertè designauit

1. ad Tim. 4. Apostolus, sic ad Timotheum scribens. *Dum venio attende lectioni*; (haud dubiè Scripturarũ, D
vt exponit Chrysost. ad eum locum) *exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ data est
tibi per prophetiam*, id est per doctrinam tibi à me traditam: vt Chrisost. illud verbum exponit.
Sed quia non tanquam discipulo sed tanquam collegæ scribit, & quia non absque sacramẽto
hoc factum est, addit: *cum impositione manuum præsbyterij*. id est, cum Sacramento Ordinis
2. Timoth. 1. tibi à me dato. Hoc enim alio loco repetens, apertiùs dicit. *Admoneo te vt resuscites gratiã dei,
quæ est in te per Impositionem manuum mearum*. Vtrobique videlicet significat, Ordini Sacer-
Gratia intelligẽdi Scripturas annexa ordini. dotali vel Episcopali à Timotheo suscepto, annexam esse gratiam; non solùm sacramẽta con-
ficiendi, peccata remittendi, &c: sed etiam intelligendi & interpretandi Scripturas. Nam &
in priori loco de lectione Scripturarũ præmisit, & in posteriore loco de hac re subiecit, dicens.
*Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris sed virtutis. Noli itaque erubescere testimonium Christi,
sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei*. Hoc autem nihil aliud est, quàm doctrinæ &
prędicationi insistere, secundum virtutem siue potentiam laborandi in verbo, ipsi à Deo cum
δύναμιν. Ordine sacerdotali datam. Hanc etiam gratiam & virtutem expressit Petrus his verbis. *Vnus-
1. Petr. 4. quisque sicut accepit* * *gratiam (siue donum) in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensa-
* χάρισμα, tores mysteriorum Dei. Si quis loquitur quasi sermones Dei. Si quis ministrat tãquam ex virtute quam
administrat vel suppeditat Deus*. Hæc ille. Hæc virtus à Deo suppeditata ad ministerium verbi,
est gratia quam accipiunt dispensatores mysteriorum Dei, vt in his quæ ad salutem necessa-
ria sunt, fideliter & infallibiliter (sensu quem iam diximus,) verbum tractent. Quod rectè in-
telligens magnus ille Basilius, sic scripsit. *Ego verò noui quòd quæ in oraculis Spiritus dicũtur, haud* E
*cuiuis liceat proprio subiicere examini, sed ei qui spiritum habet discretionis, quemadmodum nos Apo-
stolus in diuisionibus Charismatũ docuit*. Hæc ille epist. 75. Apostoli autẽ verba aliàs in hoc ope-
Qui carent potestate docendi, carẽt & gratia. re tractauimus. Quam sanè ob causam, quemadmodum de his qui hanc potestatem à Deo
non acceperunt, dicit Propheta; *Ipsi currebant, ego autem non mittebam eos*, ideóque à Deo de-
Ierem. 14. relicti *spiritum suum tales sequuntur, & nihil vident*, vt ait Ezechiel; quod etiam Apostolus de
Cap. 13. pseudoapostolis quibusdam notans, dixit: *volentes esse legis doctores* (id est, non vocati sed sese in-
1. Timoth. 1. gerentes) *non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*: sic econtrà Apostolus
2. Cor. 3. de se suique similibus dicit: *fecit nos idoneos ministros noui testamẽti, non litera, sed spiritu*. Quod
perinde est ac si diceret. Dedit nobis potestatem non solùm legendi, sed etiam interpretandi
verbum Dei. Nam & ideo statim subiungit. *Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat*, quia
scilicet litera non intellecta est ministratio mortis per occasionem. Intellecta verò, est admini-
Cap. 4. & 5. stratio Spiritus, id est, doctrina spiritualis & vtilis. Hunc enim sensum D. August. in lib. de spi-
ritu & litera. & retract. lib. 1. cap. 14. probat & *congruentẽ* vocat, licet alium illum sensum ma-
gis probet, vt *literæ occidentis* nomine, lex iubens, *Spiritus viuificantis* nomine, gratia adiuuans
intelligatur. Sed de hac potestate quam hîc inquirimus, mox subiunxit Apostol. *Ideo habentes
cap. 4. seq. hanc administrationem non deficimus: Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia,
neque adulterantes verbum Dei: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem* F
conscientiam hominum coram Deo. In quibus verbis docet Apostolus, simplicem & apertam
veritatem sine mendaciorum fuco, propter Administrationis virtutem sibi commissam, se
docere. Eandem administrationem vocat *ministerium reconciliationis in se positum*. Móxque:
cap. 5. seq. *verbum reconciliationis*. Huius enim vi atque virtute idoneum se putat ministrum Christi, vt
non literæ tantùm, sed & spiritus minister sit; sensum literæ spiritualem assecutus, & vt ad Ti-
motheum loquitur, *rectè tractans* siue secans *verbum veritatis*.

* ὀρθοτομοῦν. Sed euidentiùs hæc gratia (quod ad hanc hypothesim attinet) clauis nomine explicatur.
Quum enim potestas Christo promissa Esaiæ 22. & ei iam data Apoc. 3. Ecclesiæ quoq; col-
2. Tim. 2. lata in persona Petri, Clauium nomine & metaphora nuncupetur; intelligendum est, sicut in
Septima ratio. Math. 16. Christo ita & in Ecclesia, partem huius potestatis Clauiũ esse eámque singularem, exponere
Pars potestatis Clauium exponere Scripturas. scripturas. Et de Christo quidem propter hanc Clauem dicitur, *dignus es Domine accipere li-
brum, & aperire signacula eius, quemadmodum occisus es, &c*. Nempe propter meritum glorio-
Apoc 3. sissimæ passionis *exaltatus est. Et factus est caput super omnem Ecclesiam. Omnísque potestas data illi
Philip. 2. est in cælo & in terra*. Et quia huius potestatis pars est, aperire signacula scripturarum; hãc qui-
Ephes. 1. Matth. vlt. dem in tota prædicatione sua exercuit Christus; sed euidentiùs, cum *incipiens à Moyse & om-
Luc. 24. nibus Prophetis, interpretaretur* duobus discipulis *in omnibus scripturis quæ de ipso erant*: postcáq;
Christus clauiũ potestatem exercuit. coram vndecim Apostolis, *aperiẽs illis sensum vt intelligerent scripturas*. Et Christus quidem ape-
ruit, tam exteriùs docẽdo, quàm interiùs inspirando: illud vt homo, hoc vt Deus. Eandẽ verò
potestatem quam vt homo habuit, propter eiusdem passionis meritũ, Ecclesiæ daturus: vnde
dixit

A dixit post passionem: *Sicut misit me pater* vt hominem scilicet, *& ego mitto vos*) postquã potestatus esset, dicens. Matth. vlt. *Omnis mihi potestas data est*, &c. subinfert. *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. Quasi diceret. Potestatem mihi datam vobis communico: ego docui hactenus, vos iam docete. Ego accepi librum, & aperui signacula eius, quia occisus fui. Vos nũc accipite & aperite, quia virtute passionis meæ, mea vobis gratia nõ deerit. *Ecce enim ego vobiscum sum omnibus diebus*, &c. vt homo externum ministeriũ vobis trado, & vices meas committo; vt Deus interiùs cooperando semper adero. Quod & factum fuisse Marcus expressit, dicens: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte & sermonẽ confirmãte sequentibus signis*. Nam etsi postremum hoc de signis, iam cessauit, prius tamẽ illud, *de Domino cooperante* per internã gratiam, nunquam cessat propter verba illa prædicta. Dubitandũ ergo non est, aperientibus scripturas Ecclesię magistris, eas aperire Christum; & illis loquentibus, loqui Christũ: iuxta illud: *dabitur vobis in illa hora, quid loquamini*. Nam (vt rectè colligit August.) *si loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non in eis, qui & tradunt discentibus Christum?* Hæc ille. Istud sanè vt nemini dubiũ esset, Propheta Esaias apertissimè docet fore, vt quibus verbum Messiæ committeretur, spiritus quoque eiusdem inseparabiliter daretur. *Spiritus meus* (inquit) *qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui*, &c. Seminis enim nomine, vt alibi ostendimus, id est, Ecclesiæ magistros intelligit. Quin & Christus quasi interpres horum verborũ, sic patrem suum de Apostolis suis alloquitur. *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt*. Nunc vide & Spiritum adiunctum. *Pater sancte sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum*. Planè sic eos mittit vt non verbum tantum sed & sensum verbi, non prædicationem tantùm postea scripto mandandam magna ex parte, sed etiam scripti verbi interpretationem, sanctificati à Deo circa verbum, tùm tenerent ipsi, tum alios docerent.

[Margin: Ioan. 20. — Christi potestas communicata Ecclesiæ magistris. — Marc. vlt. — Matth. vlt. — Matth. 10. — De doctrin. christ. lib. 4. Cap. 15. — Prædicatores verbi legitimè habent & sensum verbi. — Isaiæ. 59. — Ioan. 17.]

B Hac sanè de causa rectè iudicarunt scholastici, ad clauium potestatem, Ecclesiæ in persona Petri datam, pertinere etiam & istud, *Exponere scripturas*, tùm his scripturis edocti, tùm etiam ex sensu probatissimorum patrũ. Nam de vi clauium Petro data, dixit Epiphan. *Iuxta omnem modum, in Petro firmata est fides, qui accepit clauem cælorum. In hoc enim, omnes de fide subtilitates inquisitæ reperiuntur*: siue omnium difficultatũ solutiones inueniũtur. Hæc ille in Anchoratu iuxta græcam veritatẽ. De hoc officio clauium dixit Hieron. *Apostolos soluere homines sermone Dei, & testimoniis Scripturarum & exhortatione doctrinæ*. In comment. in Esaiæ c. 14. Denique hanc potestatem *Clauem scientiæ* vocat Ambrosius, & eam accepisse Paulum scribit, sicut Petrus accepit *Clauem potentiæ*. Non quòd vterque vtramque clauem non habuerit; sed quòd in hac Petrus, in illa Paulus excelluerint. Est ergo pars potestatis clauium aperire scripturas: vt sanè, cùm priuatus doctor id facit ex priuata scientia, authoritatem illa interpretatio infallibilem, irrefragabilem, & authenticam non habeat. Quum autem Ecclesia id facit, vel per Episcopos suos seorsim ex Cathedra loquentes: vel per Concilia Episcoporum; virtute clauium aperire censenda sit: ideóque authoritatem habeat planè irrefragabilem.

[Margin: Matth. 16. — Pars potestatis clauium exponere Scripturas. — Epiphanius in Anchorato. — πάντα τὰ ζητούμενα λεπτολογήματα τῆς πίστεως εὑρισκόμενα. — Hieronym. — Ambrosius. Serm. 66.]

Et quamuis gratia sacramẽti Ordinis annexa characteri, videatur quibusdã scholasticis ad

C ea tantùm officia exercenda conferri, quæ ad potestatem Ordinis attinẽt, & non ad ea quæ ad iurisdictionẽ spectant [exponere autẽ Scripturas ad potestatẽ iurisdictionis, non solius ordinis refertur] tamen vel illa sententia de iurisdictione exteriori tantùm intelligẽda est, vel certè vera non est. Nam ad remissionem peccatorũ in foro conscientiæ, quæ est pars iurisdictionis interioris, extra controuersiam est, conferri gratiã sacramẽtalem dicẽte Christo: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*. &c. Rursus sicut alia quædam, vt sacramentũ ordinis & Cõfirmationis administrare, non solùm sunt iurisdictionis, sed etiam ordinis; [Nemo enim nisi ordinatus ea exequi potest] sic & exponere scripturas virtute Clauiũ vtriusque erit; & propterea sine gratia non erit. Deinde vt sacerdoti in sacramẽti susceptione confertur gratia remittendi peccata, licet eam exercere sine iurisdictione nequeat; sic & gratia exponẽdi scripturas virtute clauium, in eodem sacramento cõfertur, licet eam vt sic exercere non valeat, nisi accepta iurisdictione & cura animarum. Postremò, absurdum non est in Archiepiscopo & metropolitano, quorum amplior est iurisdictio, ampliorem cõferri gratiam, [vt absurdũ esse aduersæ fautores sententię putãt] quia quemadmodũ in Episcopo est extẽsior & amplior character sacerdotalis, & per cõsequens gratia, sic & in istis: nõ tamen multiplicato charactere vel gratia sacramẽtali ipsius Ordinis, quę vna est, sicut vnũ est sacramentũ. His ergo & argumẽtis & scripturarũ testimoniis euidentissimis, firmiter colligitur habere Ecclesiã in suis præpositis, certã illã & irrefragabilẽ scripturarũ interpretationẽ, cui omnis fidelis acquiescere debet, quicquid aduersarij hodie contra hanc potestatem, quam prætoriam & tyrannicam vocant, in vanum blaterant.

[Margin: Obiectionis Remotio. — Ioan. 20.]

 D

Ecclesiæ praxis circa interpretationem Scripturarum, perpetuò talis fuisse multis exemplis copiosè ostenditur, qualem eam esse debere superiùs est demonstratum.

CAPVT XIIII.

IAM verò, ne vel per rationes à nobis collectas, vel per Scripturas ad hanc rem allatas, nouam quandam atque inusitatam præsentibus Episcopis aut Conciliis Authoritatem, ad reprimandos aduersarios excogitasse videamur, vt illi apud imperitum populum declamitant; ostendemus hanc fuisse semper fidelium sententiam, & antiquam Ecclesiæ Christi praxim, vt ad hanc quam diximus Authoritatem in Controuersia verbi confugeretur: ideóque protestantes hodie, non præsentem tantùm, sed & vniuersam Christi accusare Ecclesiam; quum hanc potestatem redarguunt: planéque omnibus hæreticis hactenus ab Ecclesia damnatis patrocinari, qui ex hac sola authoritate conuicti & repressi fuerunt. Ostendamus ergo succedentium Episcoporum iudicia & Conciliorum defi- E
nitiones, perpetuam esse atque certissimam veræ Scripturarum intelligentiæ custodem. Itaque vt à summa Antiquitate exordiar, Apostolorum proximos successores interpretationis Scripturarum fidelissimos custodes fuisse, suísq; successoribus per manus tradidisse, primùm

Norma & regula Apostolica. 2. ad Tim. 1.

Norma illa & regula Apostoli Timotheo Episcopo à se ordinato tradita demonstrat, vbi sic ad eum scribit. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, in fide & in dilectione. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.* Non verba tantùm sed & formam, ὑποτύπωσιν, sanorum verborum habere iubet. Id est, ad exemplar & imaginem sanæ doctrinæ, quæ est in sana verbi interpretatione posita, ab ipso illi tradita, alios docere; & quod viua voce apud eum deposuit, hoc seruare.

In præscriptionibus. Ca. 26. & seq. *Norma Apostolica.*

Hic enim *Depositi* nomine *viuam vocem doctrinæ ecclesiasticæ Timotheo traditam* intelligit Tertullianus, & egregiè explicat Vincentius Lyrinensis in libello contra prophanas hæresium nouitates. Sed apertiùs adhuc Apost. cap. seq. hanc Normam explicat. *Quæ audisti à me per multos testes*, id est, viua voce in facie Ecclesiæ, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hanc Normam vult Apostolus esse in doctrina verbi; vt à succedentibus perpetua serie Episcopis illa petatur. Ille Apostolus quum esset, commendat Timotheo Episcopo, non verbum tantum sed & explanationem verbi publicè factam. Eandem explanationem, aliis futuris in Ecclesia magistris, vult à Timotheo commendari. Nihil hac

Cap. 2.

Norma Apostolica apertius. Hæc est enim illa *Ecclesiastici & Catholici sensus Norma*, (vt loquitur Lyrinensis) *ad quam propheticæ & Apostolicæ interpretationis lineæ dirigenda est.* Hanc F

Norma Synagogæ veteris. Deut. 31.

Normam Synagoga seruauit, & vel docuit vel præfigurauit. Moyses enim legem quam scripserat, iam ipse ex hac vita decessurus, tradit Sacerdotibus filiis Leui, iubens vt illi legant verba legis vniuerso populo. Móxque in vltimo sermone suo ad populum, Normam quæ & in

Deut. 32.

Synagoga & in Ecclesia valere semper debeat, suis præscribit. *Memento*, inquit, *dierum antiquorum.* Nihil noui introducas. *Cogita generationes singulas.* Recole quid perpetuò in doctrina successerit. Vbi autem hoc quærendum sit, docet subiungens. *Interroga patrem tuum & an-*

cap. 8.

nuntiabit tibi: maiores tuos & dicent tibi. Quod Moysaïcum præceptum repetens Ecclesiasticus dicit. *Non te prætereat Narratio Seniorum.* Et causam subicit. *Ipsi enim didicerunt à patribus*

Gal. 1. Tit. 1. *Cathedra Episcopalis Norma Apostolica custos.* De doctrin. christ. lib. 4. cap. 27.

suis, quoniam ab ipsis disces intellectum. Hoc Paulus Timotheo præscripsit. Hoc Galatis diligenter commendauit, quum diceret. *Si quis euangelizauerit vobis præterquam quod accepistis, anathema sit.* Hoc est quod in Episcopi officio ad Titum describit: *vt obtineat & amplectatur eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Fidelis sermo secundum doctrinam (διδαχὴν) est orthodoxæ prædicationis Norma, quam à suis maioribus ipse accepit, & didicit. Istam Normam seruare & tradere, quia episcoporum est; nec sine hac perpetua vnitate & consensu doctrinæ acceptæ & traditæ, Episcopi locus in Ecclesia Catholica teneri potest, (nam, vt sapienter notauit Augustinus, *locum superiorem sedis Ecclesiasticæ sana doctrina constituit, ideóque ipsa Cathedra cogit malos bona dicere*) ideo Episcopi esse, formam verborum accipere, & tradere aliis in illorum officium successuris, Apostolus ad Timotheum docuit.

Iam

A Iam verò, quod hanc Normam Apostolicam diligentissimè semper fideles obseruarint, exē-
plis pluribus ostendemus. Clemēs Petri discipulus, sic ad omnes fideles hac de re scribit. *Opor-
tet ab eo discere intelligentiam scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam* Epist. 5.
seruauit; vt & ipse possit ea quæ rectè accepit, competenter asserere. Hæc ille. Vides plane eum aliis
verbis idem dicere, quod Apostolum, Moysen, & Ecclesiasticum modo dixisse ostendimus.
Quin & hoc ipsum ex Petri ore dictum fuisse, alibi refert Dionysius Areopagita Pauli discipu- Recognit.
lus, Angelorum Ordines & differentias ex Scripturis indagaturus, *Ad sanctissimarum*, inquit, lib. 10.
Scripturarum intelligentias, prout illas à patribus accepimus, contuendas pro viribus pergamus. Hæc Cœlest. Hie-
ille. Non enim suam aliquam intelligentiam, sed quā ab antecessoribus suis, Apostolis & Epi- rarch. lib. 1.
scopis acceperat; eam tradere voluit. Ad hanc quoque præcedentium Episcoporum intelligē- cap. 1.
tiam, cogit sui temporis hæreticos Irenæus. Nam quum illi scripturæ quoque intelligentiam,
viua voce ab Apostolis edoctam, necessariam esse faterentur; sed suam quandam & à seipsis in-
uentam, pro illa proferrent: propositionem concedit Irenæus, subsumptum negat: & econtrà
eam intelligentiam profert, *quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorū in ecclesiis custo-* *A successione Presbyterorum quærenda Scripturarum expositio.*
ditur. Sed hanc, inquit, *contemnunt illi, dicentes se esse non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis sapiē-
tiores.* Hæc ille. Docet nihilominus constanter, non nisi ab Ecclesiarum magistris, interpreta-
tionem scripturarum petendam. *Vbi*, inquit, *charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veri-* Irenæus lib. 3.
tatem; apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, & id quod est sanum & irreprobabile cap. 2.
sermonis constat. Hi enim fidem nostram custodiunt, & scripturas sine periculo nobis exponunt. Hæc Lib. 4. cap. 45.
B ille. Et iterum. *In Apostolorum doctrina secundum successiones Episcoporum, & secūdum scripturas* Lib. 4. cap. 63.
expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia est. Hic ergo sola est certa & se-
cura interpretatio verbi scripti, doctissimo & antiquissimo, pariterque Sanctissimo Martyri
Irenæo si credimus. Hanc certam & infallibilem interpretandi Scripturas authoritatem, non
nisi in eisdem consistere, docet constanter Tertullianus. *Ordo*, inquit, *rerum desiderat, illud prius* Tertullian.
proponi, à quo & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim in præscript.
*apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionū,
& omnium traditionum.* Hæc ille. Plane iuxta causas anteà allatas, in illis ponit expositionū ve-
ritatem, qui fidei magistri & authores essent. Illustre autem valde, & memorabile huius rei *Illustre exemplū*
exemplum est, S. Basilij & Gregorij Nazanzeni factum; qui adolescentes & relicta iam secula- *Basilij Nazanzeni.*
ri literatura, euoluendis scripturis sic operam dabant, *Vt earum intelligentiam*, (ait Ruffinus) *non* Lib. 2. cap. 9.
*propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & Authoritate haurirent; eorum sanè quos ex Apo-
stolica successione, intelligendi regulam suscepisse constabat.* Hæc ille in historia sua ecclesiastica.
Vbi diligēter obserua, quam illi *intelligendi regulam* & Normam sequuti fuerint: illam sane, quę
non studio & industria comparata, sed à maioribus accepta fuit. Nec à quibuscunque maiori-
bus, sed ab illis qui *intelligendi regulam* siue Normam *ex Apostolica successione*, id est ex conser-
uata & continuata præcedentium episcoporū doctrina acceperunt. Nec dissimiliter de Pam-
philo Martyre scribit Eusebius, quòd *veterum tractatus scriptorum legeret studiosissimè, & in eo-* Pamphil.
rum meditatione iugiter versaretur, vtique ad scripturarum intelligentiam consequendā, vt nar- Martyr.
rat S. Hieron. in Apologia prima aduersus Ruffinum. Eandem sane authoritatem sequutum
C se fuisse, S. Hieron. pluribus in locis, dum Scripturæ arduum locum tractat, ostendit; sicuti vi-
dere apud illum est, in epistola ad Euagrium de Melchisedech. In epistola ad Paulinum de to- Hieronymus.
to genere scripturarum. In cap. 9. Danielis de abominatione desolationis. Quo in loco præ-
sumptionem illam vulgarem damnat, quòd scripturæ sacræ intelligentiam absque Dei gratia,
& doctrina maiorum, sibi imperitissimi venditant. Eadem Authoritate premit & obruit
Iulianum Pelagianum Augustinus, Episcoporum præcedentium sententias non solùm in
Catholicæ fidei testimonium proferens, vt in libro primo, contra Iulianum; sed præter-
eà, (vt initio secundi libri præfatur) ad ipsa Pelagianorum argumenta è Scripturis petita
refellenda. *Quos*, inquit, *Sanctos Episcopos, qui Scripturas Sanctas ingenti gloria tractaue-* Augustinus.
*runt, oportet vt populi Christiani vestris prophanis nouitatibus anteponant; eisque potius eligant
adhærere quàm vobis.* Hæc ille. Móxque ex Ambrosio, Cypriano, Nazanzeno, Chryso-
stomo, Hilario, Hieronymo, plurimis allatis sententiis, qui illud Pauli, *Non quod volo* Lib. 2. versus
bonum hoc facio, & cætera. etiam de seipso & homine iusto intellexerunt, concludit, *Pro-* finem.
posuimus hic Authoritatis molem Sanctorum, qui Episcopi ante nos fuerunt. Et paulò post *Episcoporū præcedētium interpretatio Authoritatem solā obtinet.*
rationem subiungit. *Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod
à patribus acceperunt; hoc filijs tradiderunt.* Hæc ille. Hæc est illa Regula & Norma Au-

thoritatis, quam Paulum Timotheo præscripsisse suprà docuimus. Idem facit Augustinus in D explicatione parabolæ illius Euangelicæ, de homine in latrones incidente & semiuiuo relicto. Quũ enim eius interpretationẽ ad longum tradidisset, subiungit. *Ista interim à maioribus, Ecclesiæ catholicæ tractatoribus, dicta vel exposita sunt. Sed tũc à nobis limes fidei sanæ defenditur, quãdo termini quos posuerunt sancti Patres, non transferuntur à nobis: imò obseruantur & defensantur.* Hæc ille, ostendens diligenter, quorum authoritatẽ in illa sua interpretatione secutus fuisset. Et quidem obseruandum est, sic contra Iulianum Pelagianum præcedentes Patres productos fuisse, tanquam Episcopos Ecclesiarum, & non tantùm tanquam viros doctos; adeo sane vt de S. Hieronymo qui Episcopus non erat, disertam excusationẽ adferat his verbis. *Nec S. Hieronymum quia Presbyter fuit, contemnendum arbitreris* Móxque ex nomine excusat, *quòd omnes vel pene omnes Ecclesiasticos scriptores, hic vir legerat, eorúmque sententiam tenuerat.* Eodem authoritatis pondere premit Eunomium Basilius, & ex eadem Norma Ecclesiasticæ intelligentiæ, ab Episcopis custoditæ, confutat, allatis ex Irenæo, Clemente Romano, Dionysio Alexãdrino, Firmiliano Cappadocum Antistite, Meletio Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo Neocæsariensi Episcopo, multis sententiis. Nec hoc facit, quia docti viri erant, aut qualescunque etiã Episcopi; sed quia iuxta Normam Apostolicam, Ecclesiasticam intelligentiam conseruarunt. Nam idcirco Dionysii quidem Alexandrini hæc verba citat; *His congruenter & nos etiam, formæ regulâque à senioribus qui ante nos vixerunt, accepta*: Eusebii autem Pamphili etiamsi doctissimi viri, atque etiam Episcopi, testimonium cum dubitatione produxit. *Si cui*, inquiens, *idoneus videtur cui fides habeatur*: quia sane & Arriana hæresi inquinatus, & erga Origenem nimiũ E affectus, intelligentiæ normam à maioribus acceptam, non satis constanter tenuit: vt in Apologiis contra Ruffinum notat sæpius S. Hieronymus, atque in epist. ad Pammach. & Oceanũ de erroribus Origenis. Multa & alia in hanc sententiam ex veteris historiæ antiquitate, & SS. Patrum scriptis, adduci in hunc locum non difficulter possent. Sed quia hoc totum obseruationis genus, Mediis illis quibus Ecclesiæ Magistri authoritatem interpretandi quam habent exercent & exequuntur, valdè affine est; ipsaque Norma Apostolica, (videlicet succedentium semper in Ecclesia Pastorum atque Doctorum conformis sensus, Regula eadem, traditio similis, sibi constans & perpetua) ad interpretandi Media vel potissimũ spectat, propterea hoc sane in loco, disputationis huius filum abrumpere; mox verò, quum de Interpretandi Mediis via & ratione disputabitur, idem protrahere, plurãque in hanc sententiam satis copiosè proferre satius duximus. His ergo de interpretandi scripturas authoritate, penes solam Ecclesiam Dei, eiúsque legitimos Magistros residente, hactenus disputatis; ad alia quæ propositæ disputationis ordo postulat, exequenda pergemus.

Hypognost. lib. 3.

Termini Patrũ non transferenda.

Lib. 1. contra Iulianũ. ca. 2.

Lib. de Spiritu Sancto. ca. 29.

Infra lib. 11. cap. 5. & 7.

Controuersia sexta libri decimi finis.

DE PRINCIPIIS FIDEI Doctrinalibus Controuersia sexta, & Liber vndecimus.

DE MEDIIS, VIA, ET RATIONE interpretationis Scripturarum authentica.

Quòd Scriptura Sacra nisi præuia fide Orthodoxa rectè intelligi à nemine potest.

B

CAPVT PRIMVM.

PRINCIPIO præsentis Controuersiæ, duo nobis disputanda proposita sunt. Vnum de Authoritate certa & infallibili interpretandi Scripturas. Alterum de Mediis, quibus vel illi penes quos hæc Authoritas est, vel alii qui absque Authoritate priuato studio id moliuntur, vti possunt ac debét. Et de authoritate quidem hactenus. Nunc de Mediis & viis illis agemus quibus certa & infallibilis, non vulgaris aliqua aut probabilis Scripturarum intelligentia comparari potest. Mediorum autem alia quidem necessaria, non tamen semper efficacia sunt, aut huiusmodi quæ ex se sola sufficiant; alia verò non necessaria tantùm, sed & efficacissima atque certissima. Quæ autem ipsius Ecclesiastici Iudicii in genere Media esse docuimus in tertia Controuersia, ea fere omnia ad hanc hypothesim transferemus; vt huius Controuersiæ ad finiendas de religione lites maximè necessariæ, quàm fieri à nobis potest, luculentissima demonstratio existat.

Quod ergo de Regula fidei, primo loco in alia Controuersia diximus, hic etiam ante omnia circa Scripturarum interpretationem asserimus. Scriptura enim sacra liber est fideliũ Ca- *Scriptura est liber fidelium.*
C tholicorum, nec rectè intelligi potest, nisi præuia fide Catholica & Orthodoxa. Nam vt *in homine carnali, tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi*; (vt ait August.) sic in homine Ethnico, vel cuiuscunque sectæ hæretico, tota Regula intelligendi, est opinionum præsumpta consuetudo. *Serm. 147. de tempore.* Idcirco sane quemadmodum Euangelistæ & Apostoli quæ scripserunt, fidelibus ea non infidelibus scripserunt (vt de Euangeliis postea ostendetur in proxima Controuersia, de Epistolis ipsis per se manifestum est,) sic vt intelligantur, haud dubiè à fidelibus & iam Orthodoxis ea legi debent, non ab infideli aut hæretico. *Lib. 12. cap. 13.* Ab illis enim intelligi nõ difficulter possunt, qui simillimi ipsis sunt quibus hæc Apostoli facile intellectu tis scripserunt, & in quorum gratiam scripserunt. An putamus ænigmata ad Romanos & Corinthios Paulum scripsisse, & huiusmodi quæ ab ipsis (non dico singulis) sed à Magistris & præcipuis ipsorum (nam & ideo in Ecclesiis illas legi voluit, vt in fine Epistolæ ad Philippenses satis declarat, vbi Magister & interpres præsto semper adfuit) non intelligerentur? *Scriptura euangelica & Apostolica non nisi credentibus scripta.* Tu ergo vt Paulum intelligas, Romanis & Corinthiis quã simillimus esse debes. Orthodoxũ & fidelem te esse oportet, vt aut ipse intelligas, aut ab aliis discere paratus sis. Alioqui Aristotelicũ illud Alexãdro responsum, à Paulo te auditurum ne dubites. ἴσθι οὖν αὐτοὺς ἐκδεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους. ξυνετοὶ γάρ εἰσι μόνοις τοῖς ἡμῶν ἀκούσασιν. *Scito ergo hos* (Auscultatorios libros) *editos esse & nõ editos. Intelligi enim ab his solùm possunt qui nos audierũt.* *In epist. ad Alexandrum.* Discipulis meis me á... doctrina imbutis, hæc scripsi. Extraneis & *Lib. de vtilitate credendi cap. 10.*

alienis, qui in mea schola enutriti non sunt, infideli & hæretico ea non scripsi. Quamobrem D
quod de tota religione sacra scripsit Augustinus: *Nisi quis primò credat se ad id quod instituit per-*
uenturum, mentémque supplicem præbeat, & quibusdam magnis necessariísque præceptis obtemperans,
quadam vitæ actione perpurgetur, non eum esse aliter illa quæ purè vera sunt adepturum, idem circa
Scripturarũ intelligentiam necessariò locum haber, quum in scripturis ipsis hæc sacra religio,
quæque de Deo credenda sunt compræhendantur. Esse autem quadam vitæ actione perpur-
gatum, magnísque & necessariis quibusdam præceptis obtemperare, instructionem in fide ne-
cessariò præsupponit; quæ omnium bonarum actionum & præceptorum fundamentum est:
& de qua propterea Petrus dixit, *fide purificans corda eorum*. Itaque quemadmodum (vt in eodẽ
Act.15. cap. 13. libro scribit Augustinus) *Catholicæ disciplinæ maiestate institutum est, vt accedentibus ad religionem,*
fides persuadeatur ante omnia, ita accedentibus ad scripturarum lectionem, (quę non nisi illis cõ-
cedi debet, qui iam religionem veram amplexi sunt,) vt fides ante omnia dogmatum sacrorũ
persuadeatur, rectéque teneatur necesse est; nihil alioqui rectè & Orthodoxè in Scriptura in-
tellecturis.

Ex Scripturis probatur sine fide prævia intelligi Scripturas non posse. Neque vero Ratio sola nos huc ducit, sed & ipsa Scripturarum authoritas eodem nos cõ-
pellit. Lex *enim spiritualis est* (ait S.Hieronymus) *& reuelatione opus habet, vt intelligatur; ac reue-*
lata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostẽditur, quem si de-
Hier. in epist. ad Paulinam. *deris homini scienti literas vt legat, respondebit tibi, Non possum. Signatus est enim. Quanti hodie putãt*
se nosse literas, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Da-
Isaiæ. 7. *uid: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit?* Mox exemplum adfert Eunuchi, in quo
non defuit aut studium, & diligentia, aut ardor & desiderium. *Et tamẽ quum librum teneret, &* E
verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labiis personaret, ignorabat eum quem in libro
nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum qui clausus latebat in litera. Eadem hora credit
Eunuchus, baptisatur & fidelis & sanctus factus est, ac Magister de discipulo. Hæc ille. Quare au-
tem tam repente magister de discipulo factus est, nisi quia fide sana imbutus & instructus, scri-
Esaiæ 7. pturas quæ fidelibus loquuntur, facile intellexit? Iam verò & idem apertissimè nos docet illud
Lib. 1. aduers. Iudæos. Esaiæ Prophetæ, quod de partu virginis futuro prædicens, incredulis suis contribulibus Dei
1 Ioan.6. nomine comminatus est? *Nisi credideritis, non intelligetis.* Quæ sane verba sic semper patres in-
Tract.27. in Ioan. tellexerunt. *Nihil* (ait Cyprianus) *posse intelligere Iudæos de scripturis, nisi prius crediderint in Chri-*
stum, Esaias docet dicens, Nisi credideritis, &c. Similiter Augustinus explicans illa Christi verba.
Sunt quidam in vobis qui non credunt: Non dixit, inquit, *sunt quidam in vobis qui non intelligunt,*
sed causam dixit, quare non intelligunt. Sunt enim quidam in vobis qui non credunt, & ideo non intel-
ligunt quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi credideritis non intelligetis. Per fidem copulamur,
De verbis Domini serm.5. *per intellectum viuificamur. Prius hæreamus per fidem, vt sit quod viuificetur per intellectũ.* Hæc il-
le. Cui similia alibi scribit, causámq; rei adiungit dicens. *Fides debet præcedere intellectum, vt sit*
Fides præcedit intellectum. *intellectus fidei præmium.* Quin & propterea Manichæos ad Scripturarum intelligentiam per-
contra Faust. Manich lib. 4 cap 2. ringere non potuisse, egregie idem celeberrimus Doctor scribit. *Sed vos*, inquit, *ista non intelli-*
gitis: quia sicut Propheta dixit, Nisi credideritis non intelligetis. Non enim estis eruditi in regno cælorũ,
Matth.13. *id est, in Ecclesia Christi vera Catholica. Quòd si essetis, de diuitiis sanctarum scripturarum, non solũ no-*
ua sed etiam vetera proferretis. Ipse quippe Dominus dicit. Omnis scriba doctus in regno cælorum, simi- F
contra Faust. Lib.3.cap.4. *lis est homini patrifamilias, proferenti de thesauro suo noua & vetera.* Hæc ille. Vbi etiam obiter, ex
Pietate Catholica petẽdus sensus Scripturarũ. alia scriptura id quod hic asseruimus, probatur. Scriba enim doctus, nõ quomodocunque sed
in regno cælorum, in Ecclesia fidem edoctus, proferet Scripturas nouas & veteres, vt eas tam
cõtra Parmen. ipse intelligat quàm alios doceat. Quam etiam ob causam monet eosdem Manichæos Augu-
Lib.2.cap.10. stinus, vt *aut ab aliquo Catholico* Scripturarum intelligentiam *audiant; nec quolibet, sed quodam*
diuinarum scripturarum studioso, & quantum posset perito; aut ipsi ab errore correcti, pietate Catholi-
ca peterẽt vt acciperent: quærerent vt inuenirent; pulsarent vt intrarent. Nec aliter Donatistas ad re-
ctam scripturarum intelligenriam vocat. Si, inquit, *turbari in intelligendis scripturis nolunt, ad Ca-*
tholicum refugiant intellectum; quia non inueniunt exitum responsionis, dum irretiũtur crimine schis-
matis. Ergo absque hac pietate & intellectu Catholico, absque fide Orthodoxa præuia, in va-
1. Timoth.6. num circa Scripturarum intelligentiam laboratur. Profecto hoc ipsum Apostolus nos docuit;
qui quum multa ad sanam fidem pertinenria Timotheum suum docuisset; *Hæc*, inquit, *doce*
& exhortare. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi (id est,
verbo Dei:) *& ei quæ secũdum pietatem est doctrinæ* (id est, Regulæ Orthodoxæ fidei) *superbus est,*
nihil sciens, sed languens circa pugnas & quæstiones verborum. Et rursum in alia Epistola. *Ab in-*
2. Tim 3. *fantia*, inquit, *sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*: Sed addit. *Per fidem quæ est in*

Christo

A *Chriſto Ieſu.* Vt medium intelligendi ſit fides præuia; non vt in illis nondum intellectis fides ſit quærenda. Ex hac ſana Apoſtolica doctrina edoctus Auguſtinus, omnem ſcripturarum intelligentiam ex fide pendere, & ad fidei Normam referendam eſſe, his verbis docet. *Ipſum in ænigmate & ex parte nunc in ſcripturis aliquid cernere, quod tamen ſit ſecundum Catholicam fidem, ex illo pignore contingit, quod accepit virgo Eccleſia humili aduentu ſponſi ſui. Dedit enim nobis pignus ſpiritum ſanctum. Et ideo iſta expoſitio,* quæ in hac vita ſcilicet fit, *nihil certum intuetur, niſi vt ſecundum fidem ſit: neque aliis præiudicat qui eam nihilominus ſecundum fidem exponere potuerint.* Hæc ille. Fides ergo præuia, præclarum eſt & certum Medium, ad ſcripturas ſalubriter intelligendas; & ſine illa fide, circa illarum intelligentiam non hallucinamur tantùm, ſed & grauiter periclitamur. Quam ſane ob cauſam Petrus quidem Apoſtolus, *indoctos & inſtabiles deprauare ſcripturas* dixit *ad ipſorum perditionem;* tales videlicet qui vel neſciunt Regulam fidei, vel in ea firmiter fundati non ſunt. Auguſtinus verò, *in Catholica fide bene inſtructũ, & vera pietate munitum, in ſcripturis intelligendis decipi non poſſe*, ſcribere non eſt veritus. Enimuerò Regula fidei præcognita *μέτρον* illud & menſura eſt, qua ſiue in Scripturis intelligendis, ſiue in alio quocunque dogmate inueſtigando, ab Orthodoxis ſane diligenter obſeruata, ab hæreticis verò omnibus neglecta & contempta; illi quidem rectæ doctrinæ callẽ ſequuti, & in via Regia ſine errore ſalui deducti ſunt; hij verò in mille errorum auia abducti, miſerè perierunt. Quam rem deſcribens Chryſoſtomus; & docens quid ſit *habere ſenſus in ſcripturis exercitatos*, vt omnes hæreſes & errores declinentur; *Intuere*, inquit, *quomodo ex immoderatione omnes hæretici ceciderunt:*
B *alij quidem modum ſemper excedentes, alij autem infra modum ſe coarctantes.* Quod quum variis exemplis Marcionis, Sabellij, Photini, Samoſateni, Manichæi, Arrij docuiſſet; ſubiungit ſtatim Medium & Menſuram illam, qua ſeruata, vtrumque extremum cauetur, & dicit. *Propter hoc fidem ſuſcepimus, vt non cogamur innumeris hæreſibus adhærere, negotiúmque cum illis habere; ſed ſi quid addere aut detrahere illi quis molitus fuerit, hoc nothum eſſe iudicemus. Sicut enim qui regulas certas exhibent, non compellunt decem millia metra ſcrutari, ſed illud quod traditum eſt cuſtodire iubent, ſic & in dogmatibus.* Hæc ille: præclarè docens, Fidem eſſe illam vnicam & certam Regulam, qua bene præcognita omnes hæreſes caueri, & conſequenter Scripturæ ipſæ, (ex quibus male intellectis omnes oriuntur hæreſes,) rectè intelligi poſſunt. Nam & propterea ad Scripturarum lectionem mox in ſubſequentibus copioſè adhortatur, Fide ſcilicet præmiſſa, eiúſque Regula ad amuſſim præcognita. Cuius rei illuſtre exemplum vide apud Auguſtinum libro duodecimo, capite 39. contra Fauſtum de Philone Iudæo. *Conatus eſt*, inquit, *aliqua interpretari ex veteri Teſtamento, non ad Chriſtum intelligendum in quem non crediderat, ſed vt inde magis appareret, quantum valeat quod Apoſtolus ait, Cùm tranſieris ad Dominum, auferetur velamen.* 2. Corint. 5. Móxque inſigni exemplo oſtendit, quo modo errauerit & defecerit idem Philo circa interpretationem Arcæ Noë. Dicit quoque pauló ante (cap. 37.) *neminem niſi Paganum vel Iudæum dicere poſſe, quòd ingenio humano fiat, vt quæ rerum ordine per ſua tempora cucurrerunt, ad Chriſti ſignificationes interpretando vertantur.* Nempe quia ex fide in Chriſtum præuia tales interpretationes fiunt; multúmque interſit (vt capite 39. dicit) *inter ſenſus eorum qui Chriſtum ibi intelligunt, & qui quolibet mentis acumine ad alia quælibet præter*
C *Chriſtum ea detorquent.* Sane quantum inter lucem & tenebras, inter erroris nebulas & claram veritatis lucem intereſſe ſolet: Adeò ad rectè intelligendas ſanctas Scripturas fides & fidei ſanæ Regula præcognita, eſt neceſſaria. Hinc ſane Diuus Auguſtinus Laudat Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam & ſapientiam, *quæ* (inquit) *nos inuitat prius credere quod nondum valemus intueri, vt ipſa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: non iam hominibus ſed ipſo deo intrinſecus mentem noſtram firmante atque illuminante.* Hæc ille de toto genere fidei diſputans, quod in Scripturis intelligendis vel maximè locum habere neceſſarium eſt.

In lib. 83. quæſt. q. 59. in fine.

Nulla certa expoſitio Scripturæ niſi ſecundum fidem.

2. Petr. 3.

De agone chriſtiano. cap 4.

Regula fidei eſt Mẽſura intelligentiæ.

Hebr. 5. Homil. 8. in c. 5. ad Hebr.

Illuſtre exemplũ de neceſſitate Regulæ fidei ad intelligẽdas Scripturas.

contra Epiſt. fundamenti. cap 14.

Lutheranæ disputationi contrarium suadenti respondetur, qua aiunt non nisi ex Scripturis petendum Scripturarum sensum.

CAPVT II.

ED hic mihi obmurmurantes & obluctantes Protestantes videre videor,
illámque Magistri sui Lutheri cantilenam occinentes audire, rem plane
econtrà se habere, nec ex fide Scripturas intelligendas, sed ex Scripturis fi-
dem hauriendam esse; proindéque Scripturarũ intelligentiam ex ipso scri-
In præfat. in assert. cōtra Bullã Leonis apud Roffensem. pturarum diligenti vsu & lectione, petẽdam esse. *Scripturæ enim* (ait Luthe-
rus) *intelligẽdæ sunt eo spiritu quo scriptæ sunt. At nusquam ille viuacius aut præ-
sentiùs inueniri potest, quàm in ipsis sacris suis quas scripsit literis. Illis ergo diligentissimè incumbendum
Protestantum Sententia de vi verbi. erat, vt quo maius periculum est, ne quis proprio spiritu eas intelligat, eo magis assidua lectione & studio
hoc periculo superato, vsus ipse nobis certum faceret sensum Scripturæ, qui nisi in scriptura non inueni-
tur.* Hæc Lutherus. Est autem hoc Lutheri argumentum, omnium Protestantum constantis-
Rom. 1. Hebr. 4. sima vox, in ipsis scripturis esse Spiritum Dei, & in illis quærendum esse hunc Spiritum vt in-
telligantur. Quod adeò affirmant, vt ipsis verbis Euangelicis, vel in scriptura lectis, vel pro cō- E
cione auditis, vim viuificam tribuant: non aliam sane aut etiam maiorem, quàm nos sacramẽ-
tis tribuimus: abusi videlicet illo Pauli verbo, *Euangelium virtus est ad salutem omni credenti:* &
iterum. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c.* Hinc enim colli-
gunt *Deum per verbum suum esse efficacem in Ecclesia, & mouere mentes hominum.* Sic enim do-
cet Melanchthon in locis communibus, addens etiam illud ex Apostolo, quòd *nouum Testa-
mentum est ministratio Spiritus.* 2. ad Cor. 3. Volunt nimirum verbo Dei audito vel lecto, inesse
spiritum Dei, vel vt alii moderatius loquuntur, verbum Dei scriptum vel auditum vel lectum
medium seu organum esse per quod spiritus sanctus est efficax, ideóq; vt intelligatur verbum,
qui nisi per spiritum Dei intelligi non potest, verbi lectionem seu auditionem sedulam adhi-
bendam esse. Sed huic eorum cogitationi, & doctrinæ, quæ infinitis hominibus imposuit; se-
citque vt contemptis Patribus atque vniuersa Ecclesia, ex solis Scripturis, scripturarum intel-
ligentiam quærerent; breuiter respondetur. Plus enim fraudis quàm virium habet ista as-
sertio.

Primùm ergo Scriptura ipsa vel prædicatio, id est, verbum Dei quatenus scriptum vel præ-
dicatum, nec Dei nec vllum alium in se spiritum habet, sed res inanimis & mortua est, vt om-
nis alia scriptura vel enunciatio; soló; sensu percipitur, visus & auditus, donec re vera intelle-
cta ad animum vsque penetret. Quod manifestum est, si vel linguam, vel res ipsas non intelli-
Quo sensu Euãgelium est virtus ad salutem. gas, quas vel audis vel legis. Intellecta autem omnis scriptura, mente etiam non solo sensu ca-
pitur. Quia verò scriptura diuina semel intellecta & credita, ad salutem animæ æternam facit,
Rom. 1. nec solùm vana scientia pascit, vt cæteræ humanæ scripturæ; propterea dicitur Euangelium F
Hebr. 4. *virtus esse ad salutem*, & sermo *Dei viuus esse & efficax*. Est enim Euangeliũ talis virtus non per
se, sed (vt adiecit Apostolus,) *omni credenti*. Non ergo quia legitur aut auditur, sed quia creditur
& intelligitur, virtus est ad salutem. Vt credatur autem vel intelligatur, ex fide fit audientis vel
legentis, non ex ipsa scriptura. Fides autem testimonio nititur & authoritate, nō eius quod di-
citur, sed eius qui dicit & loquitur, vt in superioribus satis explicatum est.

Deinde res ipsæ quæ in scriptura cōtinẽtur, spiritu sane Dei scriptæ sunt. Sed ille spiritus Dei
2. *Spiritus Dei nõ in scripto verbo sed in mente scribẽtium fuit.* fuit in mẽte eorum qui scripserunt, non verbis ipsis quæ scripta reliquerunt inhærebat. Imò si
Augustino credimus, neq; ipsi eorum menti qui scripserunt, totus Dei spiritus ad plenam intel-
ligentiam eorum quæ scriberent adfuit. Aliud enim illi intelligere, aliud per illos spiritus san-
ctus dicere & intẽdere potuit. Aliud inquam non quod esset ex opposito cōtrarium, sed quod
esset ex fœcunditate diuersum. De qua re lege August. Confess. lib. 12. ca. 18. & de Gene. ad lit.
Augustinus. lib. 1. c. 19. Quod si ergo spiritus Dei illuminans & intellectum dans, ne ipsorum quidem men-
ti plenè adfuit, qui scripturarum verba texebant, multo minus qui verba illa ab aliis iam con-
texta legunt, ex sola lectione spiritum se haurire posse existimabunt.

3. Præterea ex eadem Scriptura alius fidem, alius hæresim, sicut ex eodem flore apis mel, ara-
nea venenũ haurit, idq; maximo studio & diligentia adhibita, vt infinita doctissimorũ hære-
ticorum

A ticorum exempla demonstrant. Non ergo in scripturis quærendus, sed ad Scripturas afferendus est hic Spiritus Dei.

Rursum in aliis disciplinis quæ ipsæmet studio acquiruntur, verum est quod dicit Lutherus, lectione & assiduitate intelligentiam comparari. Nam (verbi gratia) mens Aristotelis & doctrina, quam sane ipse studio comparauit, ex literis eius diligenter inspectis solo studio & labore eruuntur. At verò Scriptura quæ fidei mysteria complectitur & docet, non solo studio, sed inspiratione diuina penetrantur. Neque enim studio aut industria scriptæ sunt sed inspiratione diuina. Quanquam hoc in loco discrimen quoddam diligenter obserua. Nam sic intelligere Scripturas, vt fidem iam adeptam vel confirmes vel illustres magis, & scientiam Theologicam acquiras, studio & industria humana (sicut faciunt Professores Academici aliique Doctores Theologi) absque nouo & speciali dono possis. At sic intelligere, vt vel fidei dogma inde elicias, vel aliis cum obligatione credendi tradas atque præscribas, quantocunque studio & exercitatione adhibita non potes; nisi in primo quidem inspiratione diuina adiutus, quæ nunquam ordinem à se positum perturbat; in secundo autem præter auxilium speciale, etiam potestate docendi donatus vel ordinaria, vel cum euidenti signo extraordinaria. 4

Discrimen inter sacras literas & humanas disciplinas.

Aliud discrimē inter doctrinam fidei & doctrinā scientiæ Theologicæ.

Iam verò præterea tantum abest, vt in ipsis Scripturis quærendus sit Spiritus Dei illuminans & aperiens Scripturas, vt planè docet Apostolus Scripturam quatenus Scripturam, id est atramento & in tabulis non in cordibus scriptam *literam occidentem*. Nam quod Apostolus dicit, *fecit nos idoneos ministros noui Testamenti, non litera sed spiritu, litera enim occidit, spiritus autem viuificat*, perinde est ac si diceret, dedit nobis Deus Potestatem & donum non solum legendi aut scribendi, sed etiam intelligendi atque interpretandi verbum Dei, tanquam ministris noui Testamenti: scilicet ad gratiam & spiritum non ad legem & literam pertinentibus. Nam litera ipsa sola lecta, aut visa, nec sane intellecta occidit, & *ministratio mortis est*, scilicet per occasionem; sicuti lex docetur fuisse *causa peccati*, ad Romanos septimo, sed spiritus, id est intellectus spiritualis à Christo Ecclesiæ suæ per ora ministrorum datus viuificat, id est facit vt rectissimè intellecta litera ad vitam fidei perducat. *In lectione autem veteris Testamenti* (ait Apostolus) *manet velamen nondum reuelatum quoniam in Christo euacuatur*. Id est, Qui legit vetus Testamentum sine Spiritu Christi, velamen habet super cor suum & non intelligit. *Vitium enim non in litera est sed in lectione, quæ est actus legentis*: vt notauit Chrysostomus ad hunc locum. Similiter virtus intelligendi non in litera, sed in lectione est, quando qui legit, Spiritum Dei habet, nec soli literæ incumbit: vnde Apostolus subiungit. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculamur*, id est, misso Spiritu sancto in corda credentium, intelligimus rectè & spiritualiter, quod Iudæi male & carnaliter intelligebant, vt exponit hæc verba iuxta mentem Sancti Augustini, Sanctus Thomas in commentariis. Nam quamuis in libro de spiritu & litera capite quarto & quinto & Retractationum libro primo capite decimoquarto literæ occidentis nomine, intelligi vult Augustinus legem iubentem, & per spiritum viuificantem, Christi gratiam qua lex impletur; tamen priorem illum nostrum sensum tum alibi frequenter sequitur, vt ipsemet de seipso scribit; tum in vtroque prædicto loco probat, & *congruentem* vocat. Nec id quidem immeritò. Quum enim spiritus gratiæ officium duplex sit, vnum quidem ad legem mandatorum implendam, charitatem Dei in cordibus diffundere; & noua gratia seu virtute voluntatem accendere: alterum ad legem scriptam intelligendam, fidei dono ac lumine corda purificare, & tenebris obscuratum intellectum noua luce perfundere; profectò in vtroque hoc genere, tam litera legis occidens quàm Spiritus viuificans intelligi debet. Hinc sane idem Augustinus alio in loco sic scribit. *Lex tantummodo lecta & non intellecta vel non impleta, vtique occidit. Tunc enim appellatur litera.* Hæc ille ad Simplicianum libri primi quæstione prima. Scriptura ergo vtriusque Testamenti (nam quod de veteri dixit Apostolus, de literis quoque Apostolicis, & Euangelicis non potest non intelligi, quum non minus scripta Moysis fuerint verbum Dei quàm Apostolorum, neque minus hæc quàm illa occidant impiè intellecta) non in se habet spiritum Dei quo intelligatur, sed ab ipso qui legit afferendus est, vt intelligatur. 5

2. Cor. 3.

B

Litera occidens quæ.

Ibidem.

Homil. 7.

Alius sensus Literæ occidentis.

C

Serm. 201. de tempore.

Alioqui non solùm Patrum & Ecclesiæ, sed & priuatus quoque cuiuscúque spiritus excluditur, si in scripturis ipsis hic spiritus Dei ponitur. Sed manifestum est, dum in scripturis hunc quæri spiritum volunt, suum non Dei spiritum obtrudunt; quia scripturas pro suo vnusquisque

sensu, non ex Ecclesiæ & maiorum iudicio interpretabitur, sicuti omnes hæretici hactenus fecerunt, vt suprà ostensum est. D

Postremò, si in scripturis quærendus esset spiritus Dei quo intelligi possint, in eisdem quoque quærendus esset spiritus Dei, qui infallibiliter doceret, esse illas veras & germanas diuini verbi Scripturas. Vtrumque enim diuini spiritus æquè opus est. Ostensum est autem superiùs non posse ex scripturis ipsis probari, has vel illas esse scripturas, omninò, & semper, & infallibiliter; sed spiritum Dei quo istud probatur, aliunde quàm ex ipsis scripturis petendum esse. Similiter ergo, & spiritus Dei à quo scripturarum intelligentia peti & subministrari debet, non est in ipsis scripturis quærendus, sed aliunde habendus, vt eo munitus quis scripturas intelligat.

Obiectio. Epist. 5. Lib. 1. de Trinitate. *Solutio.* *Non est afferendus ad Scripturas sensus priuatus, alienus, aut extraneus.*

Attamen scribit apertè S. Clemens Romanus ille ex Diametro, vt videtur, his quæ diximus, oppositè. Ait enim. *Non sensum quem extrinsecus adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quo modo ipsum Scripturarũ Authoritate cõfirmetis sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.* Hęc ille. Apertius verò S. Hilarius: *Optimus*, inquit, *interpres hic est, qui sensum è Scripturæ potius retulerit, quã attulerit; nec cogat hoc in dictis videri quod ante intelligentiã docere præsumpserit.* Hæc Hilarius; cuius verba magna cõfidentia profert Lutherus, ad priorẽ illã suã sententiã confirmandam. Sed breuiter respõdetur, in vtroque loco de proprio sensu, de priuato spiritu, quem *extraneum & alienum* Clemẽs, *præsumptum* Hilarius vocat, à Patribus illis agi, eúmque meritò excludi, ne ad Scripturas afferatur. Sed de fidei Regula, cuius dictamen publicus est & communis omnium fidelium consensus, non priuatus aut proprius aliquis sensus; nec Clemens nec Hilarius eo in loco loquitur vel intelligit. Illa enim nec extranea sed domestica; nec à quoquam præsumpta, sed à legitima Authoritate sumpta & accepta est: & illã tum ad Scripturas afferre oportet, tum ex illis referre necesse est. Hoc quia hæretici non faciunt, sed proprium suum sensum & præiudicium ad Scripturas afferunt, meritò à Clemente & Hilario repræhenduntur: nec mirum si in grauissimos errores circa Scripturarum intelligentiam incidant, vt fiat illis sacra scriptura, sicuti Iudęis erat & est hodie vsque, *Mensa coram ipsis in laqueũ.* E

Epist. 174. *Illustre exemplũ priuati spiritus erratici in Arrianis & Manichæis.*

Denique *vt ab vnitate Ecclesiæ diuisi, dum fieri nolunt discipuli veritatis, magistri fiant erroris*: vt non minus verè quàm eleganter scripsit D. Fulbertus Episcopus Carnotensis Epist. 1. Illustre huius rei exemplum in Arrianis ostendit August. *Homines*, inquit, *minus intelligentes, quid propter quid dicatur, potentes volunt habere sententias, & scripturis non diligenter scrutatis, cùm arripiũt defensionem cuiusque opinionis, & ab ea vel nunquam vel difficile deflectuntur, dum docti atque sapientes magis putari quàm esse concupiscunt, ea quæ propter formam serui dicta sunt, volunt transferre ad formam Dei. Et rursum quæ dicta sunt vt ad se inuicem personæ referãtur, volunt nomina esse naturæ atque substantiæ. Fides autem nostra est*, &c. Vbi mox præsumptis Arrianorum opinionibus, secundum quas illi scripturas intelligere voluerunt, fidem Catholicã de sancta Trinitate opponit, & secundũ illam fidem præuiam atque præcognitam, Scripturas intelligendas esse docet. Sic sane Manichæi quia præpostere omnia in veteri Testamẽto literaliter & nihil sub tropo dici voluerunt, vt illud tanto liberius accusarent; contra verò in nouo Testamento multa per tropos & figuras dicta commode exponi, (vt commemorat de illis Augu.) ne videlicet veteribus literis similia, & eorum iudicio falsa viderentur; propterea nec vetus nec nouum salubriter intelligere potuerunt. F

Vide August. de fide contra Manichæos. cap. 38. contra Faust. lib. 16. cap. 14.

Cuius etiam rei exemplum in ipso Fausto Manichæo commemorat Aug. Dixit Faustus, *quod omnem Moyseos scripturam scrutatus, nullas ibi de Christo Prophetias inuenit. Cui cito respondeo*, ait Aug. *quia non intelligit. Et si cur non intelligat, quispiam quæsierit, respondebo quia inimico, quia auerso animo legit: quia non ideo scrutatur vt sciat; sed quod nescit, scire se putat. Hæc præsumptio tumidæ arrogantiæ, oculum cordis vel claudit, vt omnino non videat; vel distorquet, vt peruersè videat, & aliud pro alio probet aut improbet.* Hæc August. Sic hodie nostri, sic omnes olim hæretici, quia (sanè fidei Regula abiecta) sua ad scripturas præiudicia attulerunt, veritatem Catholicam quam impugnabant, in scripturis inuenire & videre non potuerunt. Quæ sane causa est, quòd nec hodie Protestantes Sacrificium Missæ, iustitiam inhærentem, honorum operum merita, Ecclesiam denique ipsam eiusque amplissimam Potestatem, euidentissimis & creberrimis scripturis commendatam, videre tamen & in scripturis inuenire non possunt. Quod prudenti Lectori diligentiùs perpendendum relinquentes, nunc ad alia pergamus.

Quòd

A *Quòd Regula fidei est necessarium & germanum Medium ad genuinam Sanctarum Scripturarum intelligentiam consequendam, copiosior adhuc demonstratio.*

CAPVT III.

EMONSTRARE cœpimus, ad Scripturarum intelligentiam consequendam fidem præuiam esse debere, & Regulam fidei præcognitam esse oportere. Addimus nunc plura, vt luce meridiana, clariùs intelligatur, Medium hoc esse ad Scripturas intelligendas longè certissimum, & vt ab errore caueatur sufficientissimum. Quod quidem nolo meis verbis, sed Sanctorum & doctissimorum Patrum, tum verbis tum exemplis & factis, copiosè comprobare. Illi enim & ita faciendum esse in Scripturæ sensu indagando diligenter docuerunt, & quum occasio se offerebat, idem quàm diligentissimè præstiterunt. Augustinus imprimis, quo nullum Latina Ecclesia habet in Scripturis rimandis & indagandis perspicacem magis, quàm plurimis in locis hoc facit. Illustre est quòd librum Genesis explicaturus, cuius initium quantis difficultatibus inuoluatur, nemo
B ignorat, hanc viam & rationem sibi tenendam esse, diligentissimè lectorem monet. *Quoniam,* — In principio
inquit *multi ad suam sententiam, quæ præter fidem est Catholicæ disciplinæ, expositionem scriptura-* — lib. de Genes.
rum diuinarum trahere consueuerunt, ante tractationem huius libri Catholica fides explicanda est. Est — ad lit. imperfecti.
autem hæc. Móxque, non solùm ea quæ in Symbolo ponuntur, sed & alia multa quæ contra Manichæos & Pelagianos recenter Ecclesia definiuerat, in Catholicæ fidei regula complectens, postquam omnia enumerasset, subiungit. *Secundum hanc fidem, quæ possunt in hoc libro quæri & disputari, considerandum est.* Hæc ille. Vides hic quam ille sibi metam & Regulam exponendi Scripturas præscripserit. Explicatius autem & alio loco id facit. *Quum,* inquit, *diuinos*
libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & SANI- — De Genes. ad
TATE CATHOLICÆ FIDEI MVNIVNTVR, *id potissimum eligamus, quod certum apparuerit eum* — lit. lib. 1. ca. 21.
sensisse quem legimus. Si autem hoc latet, id certè quod circumstantia Scripturæ non impedit, ET CVM — In varietate sensuum S. Scripturæ id sequendum quod fides sana præscribit.
SANA FIDE CONCORDAT. *Si autem & Scripturæ circumstantia pertractari & discuti non potest, saltem id solum* QVOD FIDES SANA PRÆSCRIBIT. *Aliud est enim, quid potissimum scriptor senserit non dignoscere; aliud autem à* REGVLA PIETATIS *errare. Si vtrunque videtur, perfectè se habet fructus legentis. Si verò vtrumque vitari non potest, etiam si voluntas scriptoris incerta sit,* SANÆ FIDEI CONGRVAM *non inutile est tenuisse sententiam.* Hæc ille, ex proposito concludens, quo fructu & modo, legendæ & exponendæ Scripturæ sunt. Tutissimam & infallibilem viam esse ostendit, nec à fidei Regula in exponendo discedere, & ad eius Normam in intelligendo diligenter accedere.

C Iam verò, si quod sibi præscribit quàm diligenter obseruet, videre libet; pluribus sane exemplis id tibi ob oculos ponam. Ac primùm in eodem opere de Genesi ad literam.
Quum enim circa illa Scripturæ verba exponenda laboraret, vbi dicitur Deus *spirasse in fa-* — Gen. 2.
ciem hominis spiraculum vitæ, factúmque esse hominem in animam viuentem, eáque sententia varios sensus haberet; primùm illam opinionem quæ per spiraculum vitæ, aliquid de diuina sub- — De Gen. ad literam lib. 7. cap. 2.
stantia intelligit, non tam ratione & argumentis conuincit, quàm quia Regulæ fidei contraria erat, repellit. *Cùm quidam,* inquit, *ex hoc verbo crediderint, aliquid esse animam de ipsa substantia* — Intelligentia fidei contraria nullo modo admittenda.
Dei, &c. *hinc potius admonendi sumus, hanc inimicam fidei Catholicæ reprobare sententiam. Nos enim credimus Dei naturam esse incommutabilem,* &c. Et paulò post. *Credendum itaque est & in-*
telligendum, neque vllo modo dubitandum quod recta fides habet, &c. Deinde eodem modo eorū — Lib. eodē c. 9.
opinionem, qui præexistentem in aliqua materia animam, tunc à Deo inspiratam fuisse autumabant, ex Regula, fidei refellit. *Deinde,* inquit, *cauendum est, ne quædam translatio animæ fieri à pecore in hominem posse credatur, quod veritati fideíque Catholicæ omnino contrarium est, si concesserimus irrationalem animam veluti materiam subiacere, vnde rationalis anima fiat.* Móxque paulò post eam rem concludens, ait. *Sed quoquo modo se habeat, vel non habeat opinio Philosophorum de reuolutionibus animarum, Catholicæ tamen fidei non conuenit, credere animas pecorum in homines, aut hominum in pecora transmigrare.* Vides vt ad amussim Regulæ fidei suā expositionē

D

reuocās, duos hosce falsos illius Scripturæ sensus repulerit. Nec aliter in ambiguitate Scripturæ quæ ex varia verborum vel distinctione vel pronunciatione oriri potest, faciendum esse docet, exemplisque demonstrat. *Cùm*, inquit, *adhibita intentio incertum esse prouiderit, quo modo distinguendum aut quomodo pronunciandum sit, consulat Regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percepit.* Vbi obiter obserua, vnde Regulam fidei petendā esse hic Sāctus Doctor doceat. Non sane ex solis Scripturis, sed præterea ex Ecclesiæ Authoritate. Exemplis verò quod docet, illustrat. *Ista*, inquit, *hæretica distinctio*, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, ET VERBVM ERAT APVD DEVM, ET DEVS ERAT: *vt alius sensus sit*, VERBVM HOC ERAT IN PRINCIPIO APVD DEVM, *non vult verbum Deum confiteri. Sed hæc Regula fidei refellendum est qua nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur, vt dicamus.* ET DEVS ERAT VERBVM: *Deinde subiungamus*: HOC ERAT IN PRINCIPIO APVD DEVM. Hæc ille. Móxque in sequenti capite, de pronunciatione varia & ambigua, vnde sensus ambiguus & varius elici posset, ex Regula fidei iudicandum quoque esse exemplis demonstrat.

De doctrina christ. lib. 3. cap. 2.
In dubia distinctione textus distinguendum iuxta Regulam fidei.
Cap 3.

Denique quum proprium id quodammodo sit sacrarum literarum fœcunditati, vt eadem sententia quàm plures gignat sensus; semper tamen hanc sensuum pluralitatem, intra fidei Regulam & metas cohibendam & restringendam, diligentissimè idem Doctor celeberrimus docet. *Vt volet*, inquit, *vnusquisque legentium accipiat, (quòd terra dicitur inuisibilis & tenebræ fuisse super abyssum.* Genes. 1. *quod ita profundum est, vt ad excitationem legentium, à fidei regula non aberrantes plures possit generare sententias.* Et rursum paulò post. *Et si voluntatem authoris libri huius indagare nequiuimus, à regula tamē fidei non aberrauimus.* Rursum in alio eiusdem operis libro. *Illud quod ad Cain dictum est, Nónne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quia non elucet cur vel vnde sit dictum, multos sensus peperit eius obscuritas; quum diuinarum scripturarum quisque tractator, secundum fidei regulam id conatur exponere.* Sic in opere de Genesi ad literam, *scripta diuina ait posse salua fide qua imbuimur, alia atque alia parere sententias.* Quibus omnibus in locis, diligenter docet, fœcunditatem sanctæ Scripturæ magnam sane interpretandi copiam & libertatem afferre; eam tamē quæ Regula fidei contineri & restringi debeat: ne pro salute perniciem adferat.

Fœcunditas S. Scripturæ ad fidei metas restringenda.
De ciuit. Dei lib. 11. cap. 32.
Cap. 33.
Lib. 15. cap 7.
E
Lib. 1. cap. 18.

Quod sane aliis adhuc in locis, dum ipsemet Scripturas ex proposito tractat & exponit, facit quàm diligētissimè. Sic enim scribit. *Euangelica Sacramenta in Domini nostri Iesu Christi dictis factisque signata, non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter minúsque sobriè interpretando, afferunt plærumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis errorem. Inter quæ est illud quod dicitur, Dominum venisse hora sexta ad puteum Iacob, &c. De qua re id primò tenendum est, quod in omnibus Scripturis summa vigilantia custodiri oportet, vt secundū fidē sit sacramenti expositio.* Hæc ille. Sic sane (vt breuiter multa complectamur) Manichæorum commēta ex Scripturis certis pessimè explicatis collecta, ipse *ex Catholicæ Ecclesiæ recta fide impugnat.* Sic contra Pelagianos quę contraria in Scripturis videntur, circa vocationem & voluntatem Dei, omnia docet esse *ad pietatis regulam dirigenda.* Sic Sacrosanctæ Trinitatis mysteria intelligi quodammodo per mētis nostræ similitudinem posse docet, sed, *regēte* (inquit) *duntaxat Regula fidei.* Sic denique quæ sit illa bestia de qua tam multa in Apocalypsi Ioannes scribit, ex fide recta coniecturam facit, non ex suo cerebro: vt hodie Protestantes in odium Romanæ Ecclesiæ sceleratissimè & ineptissimè faciunt. *Quæ sit ista bestia*, inquit, *quamuis sit diligentius inquirendum, non abhorret tamen a fide recta, vt ipsa impia Ciuitas intelligatur & populus infidelium, contrarius populo fideli & Ciuitati Dei.* Hæc ille.

In lib 83. quæst. q. 64.
Secūdum fidem debet esse Sacramenti expositio.
Tract. 54. in Ioan.
In lib de prædest. & gratia cap. 1.
De trinit. lib. 15. cap 27.
Protestantiū scelerata temeritas
F
De ciuit. Dei lib. 20. cap. 9.

Sed omnium copiosissimè & elegantissimè, explicans difficilem illum locum Ioannis; *Non potest filius à se facere quicquam*, hoc quod dicimus de fidei Regula, necessariò ad Scripturarum intelligentiam consequendam adhibenda, tum docet faciendum, tum facit ipse. Quo vno loco in medium producto, ab Augustino ad alios patres transibimus. Illa enim verba diligenter explicaturus, sic præfatur. *Non aliunde natæ sunt hæreses, & quædā dogmata peruersitatis illaqueātia animas, & in profundum præcipitantia; nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Itaque charissimi, valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus; & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes Regulam sanitatis; vt quod secundum fidem qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquā de cibo gaudeamus: quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non poterimus; dubitationē auferamus, intelligentiā differamus: hoc est, vt etiam si quid nescimus, bonū tamen & verū esse minime dubitemus Et ego, fratres, qui suscepi loqui vobis, cogitādus sum à vobis qui susceperim, & quæ susceperim. Suscepi enim tractāda diuina homo, spiritalia carnalis, & æterna mortalis. Etiā à me charissimi, longè sit vana præsumptio, si volo sanus in Domo Dei conuersari quæ est Ecclesia Dei viui, coluna & fir-*

Ioan. 5.
Tract. 18. in Ioan.
Fons omnium hæresum.
Ex Regula fidei intelligimus quæ capere possumus, credimus quæ nō possumus.
1. Timoth 3.

A *& firmamentum veritatis: pro modulo meo capio quod vobis appono. Vbi aperitur, pascor vobiscum: vbi clauditur, pulso vobiscum.* Hæc ille: Móxque diligenter explicata fide Catholica de Christi cum Deo patre æqualitate, in eo quod Deus erat; & minoritate in eo quod homo erat subiũgit. *Ad hanc Regulam sanam Catholicam, quam precipuè nosse debetis; quam tenete qui nostis; à qua prorsus fides vestra labi non debet; quæ nullis hominum argumentis extorquenda est cordi vestro: dirigamus ea quæ intelligimus; & quæ forte non intelligimus dirigenda ad hanc Regulam, quandoque differamus cùm idonei fuerimus. Nouimus ergo æqualem patri filium Dei,* &c. Hac itaque pręmissa cautela prudentissima, quasíque protestatione Catholica (qua sane multo salubriùs in lectione Scripturarum vti hodie protestantes possent, quàm illa Lutherana protestatione de qua alibi diximus,) ad explicationem textus accedit. Quum enim Arrianus, vt filium minorem patre probaret, literam vrgeret, *Non potest filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; opponit ei August. alium textum. *Christus ambulauit super aquas*, quod pater nunquã fecit, iuxta sensum Arriani. *Sed redi* (inquit) *mecum ad id quod dicebam, ne forte sic intelligendum sit, vt ambo de quæstione exeamus. Nam ego secundum fidem Catholicam video quomodo exeam: sine offensione sine scandalo. Tu autem circunclusus, quæris qua exeas.* Nempe (vt priùs dixerat Aug. eodem in loco) *Catholica fides habet, quòd patris & filij opera inseparabilia sunt.* Quod quidem est verissimum, quanquam in Scriptura nusquam id reperiatur. Ex hac ergo Regula fidei Catholicæ, sic facile vtrumque locum exponit. *Ecce,* inquit, *fides Catholica, quemadmodum exit de ista propositione. Ambulauit filius super mare. Caro ambulabat, diuinitas gubernabat: ideóque pater absens non erat, qui manens in filio facit opera.* (Ioan. 14.) *Ergo illa ambulatio opus erat patris & filij inseparabile.*

Ad regulam catholicam omnis interpretatio dirigenda.

Supra lib. 4. cap. 8. & li. 10. cap. 2.

Tract. 20. in Ioan.

B Et paulò pòst. *Ergo, Non potest filius à se quicquam facere,* &c. *idem est ac si diceret, filius non est à se, sed à patre,* &c. Hæc itaque tot & tanta tanti doctoris tum documenta tum exempla, non nisi ex præcognita Regula fidei Scripturam exponentis, & ad illam Regulam tanquã ad amussim longè certissimam maximéq; necessariam suam expsitionem dirigentis, vel sola sufficere poterant moderatis ingeniis, animísque non refractariis, ad id quod instituimus plane persuadendum.

Ne tamen vnius Augustini vel religio vel superstitio hæc esse videatur, alios etiam longè doctissimos & antiquissimos Sacrarum Scripturarum tractatores, ad eandem sententiam cõfirmandam adhibebimus. Irenæus disputaturus contrà hæreses, ostendit hæreticos omnes ex Scripturis malè contextis, monstrosa dogmata conficere, & opinionum portenta fabricare: ac si quis Regalem statuã ex gemmis confectam dissoluens, vulpes & leones ex eisdem gemmis transpositis & in nouam formam transmutatis conficeret, propterq; materiam eandem, veram Regis statuam & formam illam esse simpliciorib. persuaderet. *Sed,* inquit, *qui Regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per baptismum accepit, ea quæ sunt ex Scripturis nomina, & dictiones, & parabolas cognoscet: blasphemum autem illorum argumentum, ita portentosè conflatum, non cognoscet.* Móxque Regulam fidei ab Apostolis acceptam cõmemorans, ad illam omnes Scripturas quadrat. Idem facit Origenes in libris περὶ ἀρχῶν siue de Principiis, docens ex proposito quæ sit recta ratio intelligendi Scripturas. Dicit enim in ratione exponendi Scripturas, *demonstraturum se illam Regulam & disciplinam, quam à Christo traditam sibi, Apostoli per successionem, posteris quoque suis Sanctam Ecclesiam docentibus, tradiderunt*: quod sane nihil est aliud,

Hæreticorum monstra ex Scripturis malè contextis fabricata.

Lib. 1. cap. 1.

lib. 4. cap. 2.

In compẽdio de Spiritu sancto.

C quàm Regula fidei de qua agimus. Nec aliter doctissimus ille Athanasius diligenter docet, in legendis Scripturis, *dogma fidei & stilum Christianismi, atque phrasin Apostolorum* (his enim verbis vtitur) *à patribus acceptam*, sedulo esse obseruandam. Idem iterum docet contra Arrianos. Eorum enim expositioni opponit, dicens: *Atqui non est talis Christianorum fides.* Ostendit denique Niceni Concilij patres, Arrianam cæterásque hæreses per sanam fidem condemnasse. Quod qualiter factum sit, apertiùs narrat in suo Philotheo Theodoretus, nósque alibi citauimus. Ad hos patres accedit Cyrillus ille Alexandrinus, qui difficilem locum in Euangelio Ioannis exponens, *Age,* inquit, *dogmatibus Ecclesiæ inhærentes, ac rectam fidei Regulam non prætereuntes, speculemur, quantum in nobis situm est.* Rursum postquam explicasset quomodo pater Agricola, Christus vitis esset; quia contra illam expositionem orthodoxam; Nestorij hæresis aliter rem exponens insurgebat; se defendens, suæque expositionis rationem firmissimam afferẽs, ait. *Hæc quidem ille,* (Nestorium dicit) *astutè simul atque impiè. Nos autem patrum & Ecclesiæ fidem sequentes, (quantum in nobis situm fuit) loci huius sensum rimati sumus.* Denique vt cõmemorandi finem faciam, omnium Catholicorum tractatorum verèque piorum hoc studiũ esse debere, vt non aliter Scripturas interpretentur, quã patiatur sana doctrina, & fidei Regula ferat, illustris Author & testis est Vincent. ille Lyrinensis antiquissimus & elegantissimus

Orat. 2. contr. Arrianos.

In epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ.

Lib. 7. cap. 3.

Lib. 11. cap. 25. in Ioan.

Lib. 10. cap. 13. in Ioan.

scriptor. Cùm enim in vno aut altero capite, diligenter & eleganter, nec minus verè demonstrasset, hæreticorum omnium morem illum esse, vt Scripturas semper quidē in ore habeant, ex eisdem autē pessimè explicatis, errorum suorum munimēta petāt, subiungit tanquā Antidoti loco, cōtra tam graue & pestilens malū, hoc consiliū. *Sed dicit aliquis. Si diuinis eloquiis, sententiis, promißionibus, & diabolus & discipuli eius vtuntur, & omnes ex toto heretici; quid facient Catholici homines & matris Ecclesiæ filij? quonam modo in Scripturis sanctis veritatē à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabūt, quod in principio Cōmonitorij huius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus: vt diuinū Canonē, secundū vniuersalis Ecclesiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis Regulas, interpretētur.* Hæc ille. Sic enim in principio eiusdē libelli dixerat: *quia Scripturā sacram pro ipsa sua altitudine, non vno eodēmque sensu vniuersi accipiunt, &c. idcirco multum necesse esse, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundū Ecclesiastici & Catholici sensus Normā, dirigatur.* Hæc ibi ille: quod iterum diligenter repetit & inculcat circa finē libelli. Sic sane S. Aug. perpetuò & constanter fecisse multis exemplis demonstrauimus. Sic Irenęū, sic Origenē, sic Athanasium, sic Cyrillū, omnes diuinæ Scripturæ tractatores celeberrimos, diligenter etiam factitasse ostendimus: vt horum exemplo ac doctrina instructus orthodoxus tractator, quid potissimum in Scripturis exponēdis sequi, quam viam & rationē inire debeat, si piè & sobriè sapere velit, facile intelligat. Atque hic sane postremo loco obseruatione dignū est, ipsos etiā protestātes hoc Mediū, propter euidentem & summā eius tum necessitatē tum vtilitatem, agnoscere: adeò sane vt Flaccus Illyricus, inter remedia intelligendæ S. Scripturæ, post Dei spiritum (de quo nemo dubitat, estq; generale Medium:) primo loco ponat catechisticam aliquam aut etiam vberiorē ipsarum rerum quæ in SS. literis tractantur, cognitionem; quod nihil est aliud, quàm prævia fide instructum esse debere, qui ad Scripturas legendas accedit, vt eas rectè intelligat.

In libello cōtra hæreses.

Interpretandi modus à SS. Patribus traditus. Cap. 2.

Interpretationis linea secundum catholici sensus Normam dirigenda. cap. 41.

Illyricus in claue Scripturæ parag. 2. tract. 1.

Praxis Ecclesiæ vniuersalis, siue Traditio aliqua Generalis, est certa interpres Scripturarum.

CAPVT IIII.

QVIN & illa via ac Ratio, in Scripturis salubriter intelligendis, certa & infallibilis est; si quando in loco difficili & ambiguo, quid Ecclesia generaliter obseruet circa materiam in illius loci verbis comprænensam, diligenter attendatur, eáque loci interpretatio adhibeatur, quam praxis & obseruatio Ecclesiæ generalis approbat aut adiuuat. Dico autem praxim & obseruationem generalē, quia in huiusmodi errare Ecclesia non potest, vt in alia iam Controuersia ostensum est, vtcunque particularis alicuius Ecclesiæ praxis consuetudo, obseruatio, errori affinis interdum esse possit. Praxim quoque hic siue obseruationem, aut etiam Traditionem Ecclesiæ generalem appello, ritum aliquem in vsu religionis receptum, publicè & generaliter, cultum quoque aut ceremoniam vbique in Ecclesia obseruatam, vt sic à dogmate & sana doctrina quam Regula fidei complectitur, id de quo nunc agimus distinguatur. Ex huius ergo praxis obseruatione, multa in scripturis rectissimè intelligi posse dicimus; neque contra hanc praxim, vllum sacræ scripturæ sanum & orthodoxum intellectum assignari posse asserimus. Quod nunc exemplis variis, è summa Antiquitate celeberrimorum sacræ paginæ tractatorum & interpretum petitis, demonstrabitur. Quæ Apostolus de peccato primi hominis tractat ad Romanos quinto, non potuisse aliter quàm de peccato originali, non per imitationem nostro, sed originaliter à nobis contracto, ab episcopis illis Palestinis contra Pelagium in Synodo congregatis exponi docet Sanctus Augustinus, *propter Catholicam fidem, quæ vbique paruulos exorcisando & exsufflando, de potestate eruit tenebrarum.* Nempe propter illam praxim exorcisandi & exufflandi paruulos ante baptismum: quæ vtique ceremonia, nisi paruuli in peccato essent, non fieret; peccatum autem nisi originis habere non potuerunt, necessariò illud Pauli, quòd *in vno homine peccauimus omnes*, de peccato per originem contracto, non de peccato per imitationem cuiusque proprio, intelligi oportuisse docet. Ex eadem praxi alibi sæpe Pelagianos confutat. *Non audent*, inquit, *dicere hæc in Ecclesia mendaciter geri.* Et apertius alio in loco. *Ipsa*, inquit, *Ecclesiæ sacramenta quæ tam priscæ traditionis authoritate concelebrat, vt ea isti non audeant*

Quid hic Praxis nomine, intelligatur.

contra Iulianum. lib. 1.

epist. 105. De pecc. mer. & remiss. lib. 3. cap. 12.

A *audeant aperta improbatione respuere, satu indicant paruulos per gratiam Christi de Diaboli seruitute* De peccato
liberari. Hæc ille. Idem aliis verbis docet lib. 1. cap. 20. de nuptiis & concupiscentia. Sic diuer- origin. lib. 2. Cap 40.
sas illas scripturas apud Apostolum, *Cum eiusmodi nec cibum sumere*, quod de fidelibus dicitur, 1. Cor. 5.
& alibi, *quicquid apponitur manducate*, quod de infidelium conuiuiis dicitur, ex praxi Ecclesiæ 1. Cor. 10.
concordat, dicens. *In hac velut angustia quæstionu, non aliquid nouum aut insolitum dicã, sed quod* Lib. 3. cap. 2.
sanitas obseruat Ecclesiæ Móxque morem Ecclesiæ in publicis peccatoribus interdum toleran- cõtra Parmenianum.
dis, vbi periculum schismatis est; interdum castigandis vbi tale periculum non est; multis ver-
bis exponens; ex tali praxi præcedentes scripturas enarrat, docens eas nihil pro Donatistarum
schismate facere, sed Orthodoxam illam malorum tolerationem, corporalémque societatem
animis nõ cõsentientibus, approbare & adiuuare. Sic etiã illud Apostoli, *Alioqui filij vestri im-* 1. cor. 7.
mundi essent, nunc autem sancti sunt, quod de paruulis in dispari coniugio natis dicitur, de qua De pecca. merit. & remiss.
tandem sanctitate intelligendum sit, ex quadam Ecclesiæ praxi circa catechumenorum san- Lib. 2. cap. 26.
ctificationem quandam tunc in vsu receptam, coniecturam facit. Idem facit S. Hieronymus
lib. 1. contra Iouinianum. Sic illud Apostoli ad Timotheum de *obseruationibus, orationibus, po-* 1. Timoth. 2.
stulationibus & gratiarum Actionibus faciendu pro regibus, &c. quem sensum habeat, & quid
singula illa verba velint, diligenter & egregiè ex celeberrima illa & notissima Ecclesiæ praxi in Epist. 59. ad Paulinũ q. 5.
Sacrosanctæ Missæ officio obseruata, demonstrat: *Multa*, inquit, *hinc dici possent, quæ improban-*
da non sunt, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis per orbem frequentat Ec-
clesia. Móxque omnes illas partes, in officio Missæ distinctum & propriũ suum locum habere
ostendit; idque voluisse tunc dicere Apostolum, & Timotheo suo commendare, sapienter ex- Sermo. 14. de verbis Apost.
B ponit. Nec dissimiliter probat paruulos baptisatos verè esse fideles, etsi actum fidei non ha-
beant, propter Ecclesiæ morem & praxim, quæ eos fidelium loco, non autem catechumeno-
rum habet. Sed illustre valde est, quòd dum contra Pelagianos, & non secus prædestinationis
quàm gratiæ hostes acriter disputat; & non solum gratiam ac prædestinantis Dei misericor-
diam, sed etiam piorum fidelium preces tanquam prædestinationis media, vel ad conuersio-
nem infidelium, vel ad perseuerannam fidelium obtinendam commendat & probat; quòd *Cõtrouersia decisa ex praxi Ecclesiæ.*
inquam post longam de hac re disputationem, variasque scripturas super hac re in mediũ pro-
ductas, tandem pro ipsarum scripturarum quas adduxerat sensu & intelligentia asserenda, ad
Ecclesiæ praxim, tam publicam omnium quàm priuatam singulorum, confugit; ex eáq; re Cõ- De bono perseuerãtiæ lib.
trouersiæ & scripturarum hinc inde allatarum decisionem quærit. Sic enim scribit. *Atque vti-* 2. cap 22. & 23.
nam tardi corde, & infirmi qui non possunt, vel nondum possunt scripturas vel earum expositiones in-
telligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magis intuerentur ora-
tiones suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia, *ab exordiis suis donec finiatur hoc seculum. De hac*
enim re, quam nunc aduersus nouos hæreticos, non commemorare tantùm sed planè tueri & defensare
compellimur, nunquam tacuit in precibus suis; etsi aliquando in sermonibus exercendam, nullo vrgen-
te aduersario putauit. Vbi obiter nota quædã dogmaticè & publicè ab Ecclesia non docen, quia
de illis non controuertitur; in praxi tamen & vsu religionis publico obseruari: vt propterea in
quibusdam, Ecclesiæ praxis argumenti loco sit, vbi fidei regula aut dogma publicum tacet. *Quædã praxis docet, quæ dogma publicũ non docet.*
Sed nunc cum Augustino pergamus. *Quando enim*, inquit, *non oratum est in Ecclesia pro infideli-*
C *bus atque inimicis eius, vt crederent? Quãdo fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit in-*
fidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi vn-
quam non orauit, vt in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum inuocantẽ,
si quando dixit, da illis Domine in te perseuerare vsque in finem, non solùm voce ausus est, sed saltem co-
gitatione reprehendere; ac non potiùs super eius talem benedictionem, & corde credente & ore confiten-
te respondit; Amen? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est, & crescit & creuit Eccle-
sia; qua fide creditur gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret
Ecclesia, &c. quæ multis adhuc verbis prosequitur: diligenter inculcans orationes Ecclesiæ,
vsum & praxim Ecclesiæ, ad dogma contrauersum liquidandum, & ad scripturas quas produ-
xerat rectè intelligendas. Ex eadem quoque praxi Ecclesiastica, publicis inquam Ecclesiæ
precibus, Vitalem Pelagianum prolixa epistola confutat. Iulianum quoque ex eadem praxi
conuincit. Illustre etiam est quod commemorat de Origene Basilius, eum videlicet etsi de
spiritu sancto non satis Orthodoxè sentiret; tamen propter glorificandi modum in Ecclesia Epist. 107.
vsurpatum, vbi simul cum patre & filio glorificatur, etiam rectè & Orthodoxè interdum de li. 4. c. 3. cont. Iulianum In
spiritu sancto scripsisse. *Iam verò*, inquit, *& Origenẽ multis in locis expositionum quos in Psalmos* lib. de Spiritu S. cap. 29.
edidit, deprehendimus cum sancto spiritu gratias agentem Deo: *virum qui non omnino sanas habet in* *Consuetudinis*
omnibus de spiritu sancto opiniones. Nihilominus & hic reueritus consuetudinis robur, pias voces emi- *robur.*

sie de spiritu. Móxque quum eius verba produxisset, iterum repetit. *Ad hunc modum opinor,* D
Traditionis vis sæpe compulit homines, etiam suis ipsis ipsorum dogmatibus contradicere. Hęc ille. Nec
absimile est quod de Arrianis commemorat Theodoretus. Quum enim Arrius filij diuinita-
Hæreti. fabular. lib. 4. tem negaret, ideóque doceret suos cantare, *Gloria patri per filium in spiritu sancto*; tamen Baptis-
mi formam qua baptisantur fideles, in Nomine patris & filii & spiritus sancti, *propter nimis a-
pertam transgressionem* (ait Theodoretus) *mutare non est ausus.* Publicæ videlicet Ecclesiæ praxi
& generali, contradicere non est ausus. Sed vt ad Augustinum redeam, perillustre est illud, nec
vllo modo prætermittendum; quod in grauissima illa & ardua quæstione, de Hæreticorum
Baptismo vel repetendo vel approbando, decidēda & finienda; & in varijs scripturis, quas fal-
sioris sententiæ assertores afferebant, bene intelligendis; potissimum ipsam ecclesiæ consuetu-
dinem & praxim, circa recipiendos eos qui ab hæreticis baptisati essent, tum ipse perurget, tū
ex se solam sufficere potuisse atque debuisse docet. Quanuis enim excuset Cyprianum, in hac
quæstione cum multis suis coëpiscopis deficientem, & *à saluberrima consuetudine quam tenebat*
De baptis. cōt. Donat. li. 2. c. 7 *Ecclesia, in ipsis schismaticis & hæreticis corrigere quod prauum est, non iterare quod datum est*, resi-
lientem; quia videlicet *nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata*; & quia *de remissio-*
Cap 8. *ne peccatorum, & de spirituali hominis regeneratione, difficile ratio reddebatur*; sed (vt paulò post ad-
1. dit) *consuetudo quidem opponebatur, defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferebātur, qui-*
2. *bus illa talis anima moueretur*; tamen nec primum illum resiluisse, sed aliorum exemplo protra-
Ibid. cap. 8. ctum id fecisse, quod facere alioqui nec debuisset, nec ausus fuisset; nec etiam hanc con-
suetudinem rectè ab illo, sed malo exemplo desertam fuisse, diligenter ibidem docet. Ait E
contra vniuersalem consuetudinem pius non audebit ratiocinari. enim.

*Quam tamen consuetudinem, nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam coëpiscopi eius
etiam per Concilij sententias disserere tentauissent; non auderet Cyprianus saltem ratiocinari aduersus
eam: sed in tam obscura quæstione turbatus, & vbique intuens vniuersalem robustámque consuetudi-
nem, coarctaret se potius, & prece & intentione mentis ad Deum, vt verum id esse perspiceret.* Vides
quid Cyprianum facturum fuisse, aut saltem facere debuisse, in tanta Praxis Ecclesiasticæ au-
Ibidem cap. 9. thoritate præcedente, censet Augustinus; nisi prædecessoris sui & Concilij cuiusdam prouin-
contra cresconium lib. 2. Cap. 32. cialis Authoritate, nonnihil abductus fuisset. Qua tamen in re peccasse nihilominus Cypria-
num, idem agnoscit Augustinus: paulo pòst dicēs. *Si Authoritas Cypriani sequenda est, magis eam
sequendam esse in vnitate seruanda* (non enim sic consuetudinem hanc deseruit, vt vel aliter sen-
tientes ipse damnaret, vel ab aliter sentientibus ipse se segregaret:) *quàm in Ecclesiæ consuetudi-*
Ibid. de baptism. vbi suprà. *ne commutanda.* Et iterum alio in loco. *Non accipio quod de baptisandis hæreticis & scismaticis, bea-*
Consuetudinis robur. *tus Cyprianus sensit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* Alioqui an-
tequam de ista quæstione concilium generale aliquid definisset, *Consuetudinis robore* (ait Au-
gustinus) *tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem.* Debet
ergo Controuersia Augustini iudicio, solo consuetudinis robore defendi: donec aliquid in
Concilio generali ad clariorem rerum intelligentiam definiatur. Consequenter quoque, scri-
pturæ circa rei Controuersiæ materiam, iuxta eandem consuetudinem intelligi debent & ex-
poni: sicut facit vbique diligentissimè Augustinus in hac quæstione contra Donatistas pertra- F
ctanda. Maximè lib. 6. & 7. de Baptismo contra Donatistas. Nec aliter Epiphanius contra No
Hæres. 59. uatianos, probat Scripturas sonare secundam pœnitentiam, *propter canonem seu regulam veri-
tatis, qui talem characterem & formam habet*, vt neminem rebaptiset, sed ad pœnitentiam ad-
mittat. Canonis autem nomine intelligit, ritum & ceremoniam Impositionis manuum Epi-
scopalium, per quam Ecclesiæ reconciliabantur: de qua apud veteres frequens satis fit
Vide Consti. Apost. l. 2. c. 45 mentio. His ergo exemplis, paucis quidem sed illustribus, (plura enim animaduertere
Basil. epist. 74. potuerunt qui oculatiùs & diligentiùs in lectione Antiquitatis versati sunt) satis demon-
August. cont. Donat lib. 3. strarum arbitror, ad scripturas rectè & salubriter intelligendas, ipsam aliquando praxim &
cap. 16. & li. 5. consuetudinem aliquam Ecclesiasticam, plurimùm momenti adferre. Sanè Diuus Hie-
cap. 23. concil. Mileuit. ca. 12. ronymus qui Scripturarum tractator erat longè diligentissimus, disertè fatetur, sem-
per se Ecclesiæ praxim & consuetudinem diligenter sequutum fuisse.

In epist ad Ctesiphōtem tom. 2. *Multi*, inquit, *anni sunt, quòd ab adolescentia vsque ad hanc ætatem, diuersa scripsi opuscula: sem-
pérque habui studio, audientibus loqui, quod publicè in Ecclesia didiceram.* Idem faciendum esse
Tract. 29. in Matth. lib. 7. in tractatione Scripturarum, monuit diligenter Origenes, & ante eum Clemens Alexan-
Stromatum. drinus Doctores vterque, grauissimique Scripturarum tractatores & magistri. Quorum
omnium documenta & exempla sectari satius esse, quàm exemplo hæreticorum omnium, sui

cerebri

A cerebri commenta propria in ſcripturarum ſenſu indagando ſequi, nemo certè non ſolùm ſanæ & Orthodoxæ fidei, ſed nec ſani cerebri ac iudicii dubitare poteſt.

Patrum conſentiens interpretatio pro certa tenẽda eſt, etſi non ſemper pro ſola & vnica.

CAPVT V.

QVIN & illuſtris illa Ratio eſt, tritáque admodum maiorum noſtrorum veſtigiis via, circa ſacras Scripturas intelligendas, vt ſanctorum Patrum & celebrium Eccleſiæ ſanctæ doctorum, vel commentarios doctiſſimos cõſulamus, vel alia occaſione relictas interpretationes adhibeamus. Quanquam hac in re, is modus & ea cautio adhibenda eſt, non quidem vt cuiuſcunque doctoris quamcunque interpretationem pro authenrica recipiamus, ſed vt (quemadmodum in tertia Controuerſia, iam à nobis circa iudicii Eccleſiaſtici Media, hac etiam ex parte ſtatuenda, dictum eſt,) conſentientem & receptã, vel omnium, vel plurimorum ſanctorum Patrum atque Doctorum interpretationem; ídque eorum, quos pro doctoribus & Patribus ſuſcipit, & veneratur Catholica Eccleſia, ita vel certam atque authenticam, vel admodum profectò probabilem eſſe non dubitemus, vt aduerſam planéque contrariam illis interpretationem omnem, prorſus adulterinam ac notham indubitatè habeamus; diuerſam verò & aliam, non autem contrariam, non ita. Cuius ſane rei cauſa eſt quod plures ſenſus diuerſos S. ſcripturæ fœcunditas patitur. Et Medium quidẽ iſtud eiſdem rationibus & argumentis in præſenti Hypotheſi confirmatur & ſtabilitur, quibus idẽ olim in theſi & generaliter confirmauimus in prædicta 3. Controuerſia, ad quem locum lectorem remittimus. Illud tamen in præſenti cauſa ſingulare eſt, vt quum in omnibus diſciplinis locum habeat axioma illud nõ politicum ſed naturale, vt vnicuique in ſua arte credatur; nec vlla ſit adeò obſcuri nominis ſcientia, quæ non habeat præter artis ſuæ principia notiſſima, etiam Magiſtros ac profeſſores ad ipſa principia explicanda, & ad varias inde concluſiones ac veritates eliciendas ac deducendas; neceſſarium quoque ſit in ſchola fidei certos habere magiſtros ac præceptores, qui fidei noſtræ librum, quaſique principia, ſacras videlicet ſcripturas, maximè quum ſint obſcuræ & intellectu pérquam difficiles, nobis elucident atque exponant, fideíque dogmata ac ſenſus, in re dubia, ex illis deducant. Hanc ſane rationem ſapienter Auguſtinus Honorato amico ſuo, ſed Manichæo, quíque dicebat de Scripturis, vt hodie noſtri Proteſtantes paſsim dicunt, *Cùm legerem, per me ipſe cognoui*, his verbis inculcauit. *Itáne eſt? Nulla imbutus poëtica diſciplina, Terentianum Maurum ſine magiſtro attingere non auderes, Aſper, Cornutus, Donatus & alij innumerabiles requirũtur, vt quilibet poëta poſſet intelligi. Tu in libros ſanctos diuinarúmque rerum plenos, ſine duce irruis; & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* Móxque conſilium dat, vt Medium quod hic ponimus, adhibeat. *Quæreres*, inquit, *aliquem pium ſimul & doctum, vel qui talis eſſe multis conſentientibus diceretur, cuius & præceptis melior, & doctrina peritior fieres*. Hæc ille. Tales autem pij & docti ſunt, quos multitudinis Catholicæ conſenſus, pro Patribus & SS. literarum interpretibus piis ac doctis, iam multis retrò ſeculis agnouit, hodiéque agnoſcit. In quam ſententiam ſic alibi ſcribit. *Quis mediocriter ſanus non facile intelligat, ſcripturarum expoſitionem ab iis petendam eſſe, qui earum ſe Doctores eſſe profitentur?* Hæc ille. Ne verò, politica hæc & humana ratiocinatio videatur, en tibi ex ſacris ſcripturis, ſolidam eiuſdẽ confirmationem. Nempe quum in corpore Eccleſiæ, tam in ſcripturarum quàm in myſteriorum fidei intelligentia, ſint *Paruuli lacte nutriendi*, & grãdiores *ſolidi cibi capaces*; ſint carnales ſiue *animales non percipientes ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, & *ſpirituales atque perfecti, ſpiritualia ſpiritualibus comparantes*; ſint denique qui *ſobrij ſint*, & *qui mente excedant*, vt Apoſtolus diſtinguit; alii videlicet quos *calix Domini inebriauit* omni ſapientia & intellectu, adeò vt (quod Iacob patriarcha prædixit) ſint *oculi eorum fulgentes à vino*, alii verò eſurientes & ſitientes magis ad fontes aquarum cæleſtis doctrinæ, poſtremò alii paſcẽdi vt oues, & filiifamilias, alii verò Paſtores & *Prudentes patresfamilias, ſcientes dare in tempore tritici menſurã*; profectò iuxta hoc diſcrimen ipſas ſcripturas audituris fidelibus dictauit ſpiritus ſanctus, vt paruuli à grandioribus, animales à ſpiritualibus, ſobrii ab iis qui mente excedunt, ſitientes ab inebriatis vino ſapientiæ, oues denique & filiifamilias à Paſtoribus & doctoribus, à prudentibus patribusfamilias & ſcribis doctis in

Quatenus S. Patrum interpretationes adhibendæ.

cap. 11. 12. & 13. & in fine cap. 15.

Omnis diſciplina ſuos habet magiſtros.

Proteſtantium vox, Manichæa vox.

De vtilitate cred. cap. 7.

In lib. de vera religione. cap. 1.

S. Patrum Authoritas in Scripturis exponẽdis ex Scriptura oſtenditur.

Hebr. 5. 1. Cor. 2. 2. Cor. 5. Pſal. 22. Gen. 49. Lucæ 12.

Diſcrimen Auditorum S. Scriptura

B C

regno cælorum, veram & germanam ſcripturarum intelligentiã haurirent & acciperent. Propterea ſanè Apoſtolus Paulus, quũ de ſacerdotio Melchiſedech diſſerere vellet, *de quo*, inquit, *nobis grandis ſermo & interpretabilis ad dicẽdum*, cauſam ſubiungens: *quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum*: Et iterum, *facti eſtis quibus lacte opus eſt non ſolido cibo*. Vbi per ſolidum cibum intelligit exactam ſcripturarum intelligentiam, & myſteriorũ fidei cognitionem. Quales autem ſint talis cibi capaces, ſubiungens docet. *Perfectorum enim eſt ſolidus cibus, eorum qui pro ipſa conſuetudine, exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Tales perfecti & tales exercitati in ſenſibus ſcripturarum, ſunt iſti Sancti patres & Doctores, quorum hic conſentientem interpretationem circa ſcripturas ſtabilire volumus. Rurſum ſpirituales atque perfecti ab Apoſtolo vocantur, qui ſacrarum ſcripturarum rectam intelligentiam aſſequuntur. *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos*: Móxque exponit eam eſſe *Dei ſapientiam in myſterio*. Deinde ſubiungit, *animalem nõ poſſe intelligere, quia ſpiritualiter examinatur, ſpiritualem autem iudicare omnia.* Spiritualem autem hoc loco exponit Auguſtinus eſſe *bonum intellectorem librorum ſacrorum.* Quin & ſeipſum ſatis exponit Apoſtolus. Quum enim in primordio Eccleſiæ, donum interpretationis ſiue Prophetiæ haberent illi, qui Prophetæ tum vocabantur, (de quibus alio loco diſſeruimus) Apoſtolus prophetam & ſpiritualem pro eodem habet. *Si quis*, inquit, *inter vos videtur Propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis.* Tales autem prophetas, ſeu ſpirituales, ſiue interpretes verborum Dei, non niſi Epiſcopos & Præsbyteros in Eccleſia Catholica eſſe in ſuperiori Controuerſia oſtendimus: vnde iterum ſequitur à Sanctis patribus, qui tales fuerunt, SS. Scripturarum intelligentiam neceſſariò petendam. Deinde qui ſunt illi *Scribæ docti in regno cælorum*, id eſt, (vt exponit Auguſtinus) *in Eccleſia Chriſti vera Catholica, qui proferunt de theſauro ſuo noua & vetera*, id eſt, vtrumque nobis teſtamentum recludunt; qui ſunt illi *Doctores* quos reliquiſſe Chriſtum Eccleſiæ ſuæ Apoſtolus ſcribit; qui ſunt illi *prudentes patresfamilias* quos Chriſtus præpoſuit familiæ ſuæ; qui denique illi quorum *oculi fulgent à vino* ſapiẽtiæ cæleſtis; niſi celeberrimi iſti & maximè toto Chriſtiano orbe illuſtres Sancti patres? Et quis ergo non videt, non ſolùm rationi congruum, ſed etiam diuinæ prouidentiæ in ſcripturis nobis patefactæ conſonum eſſe, vt in S. Scripturis intelligendis, Sanctorum Patrum conſentientibus ſententiis acquieſcamus? quodque Auguſtinus Manichæis conſuluit, *audiamus ſcripturæ ſenſum ab aliquo catholico, nec quolibet, ſed quodam diuinarum ſcripturarum ſtudioſo, & quãtum poſſet perito?*

Hebr. 5.
1. Cor. 2.
De Duabus animabus. cap. 7.
1. cor. 14.
S. Patres ſunt Perfecti, Spirituales, Scribæ docti, Prophetæ & Doctores Eccleſiæ.
Matth. 13.
Lib. 4. cap. 2. contra Fauſt.
Epheſ. 4.
Luc. 12.
Gen. 49.
Lib. 3. cap. 4. contra Fauſt.

Cap. 14.

Iam verò quod faciendum eſſe oſtendimus, de facto ſemper in Eccleſia præſtitum eſſe, ſuprà ad finem præcedentis libri pluribus exemplis commonſtrauimus, quæ vt hic repetere non eſt opus, ita illis adhuc pauca adiicere operæprecium duximus. Quod enim illic ex Clemente Petri diſcipulo, ex Dionyſio Areopagita, ex Irenæo, Tertulliano, Hieronymo, Auguſtino, & Baſilio Magno, dum Apoſtolicæ interpretationis Normam in tota antiquitate obſeruatam demonſtrare voluimus, in medium prolata ſunt, ea huic quoque inſtituto optimè inſeruire, qui eò recurret, facile animaduertet. Accedit verò ad eorum patrum doctrinam, & ſcripturas exponendi morem ſanctus Ambroſius. Quum enim *ſubſtantiæ* verbum aliquoties in ſcripturis vſurpatum, aliter Arriani, aliter Catholici interpretarentur, Catholicorum interpretationem ex authoritate præcedẽtium patrum tuetur Ambroſius, *Non*, inquit, *verbum ſed* [illegible] *verbi fugiunt, quia nolunt eſſe verum Dei filium.* Sed propterea *hoc verbum* (conſubſtantiale [illegible]) *poſuerunt patres in tractatu fidei, quia viderunt aduerſariis id eſſe formidini.* Et paulò pòſt. *Seruemus igitur præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus. Librum* [illegible]*erdotalẽ quis noſtrum reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus & multorum iam martyrio conſ*[illegible]*atum?* Hæc ille. Vocat hæreditaria ſignacula & librum ſacerdotalem, verbi diuini interpretationem in voce *conſubſtantiali* factam, vt poſtea apertiùs enucleabimus. Sane Caſſiodorus & antiquus & eruditus Author, quique nobiliſſimam optimorum Authorum Bibliothecam in gratiam ſtudioſorum, Romæ ante annos mille inſtruxit, vſum & fructum huius laboris ſui lectori demonſtrans, *ad diuinam* (inquit) *ſcripturam aſcendamus per expoſitiones probabiles patrum, velut per quandam ſcalam viſionis Iacob: vt eorum ſenſibus prouecti, ad cognitionem Domini efficaciter peruenire mereamur.* Ne verò, hoc vnius viri docti qualecunque iudicium cuiquam videatur, en tibi totius Synodi eadem de re eandem ſententiam. Patres enim Synodi Trullanæ ſic diligẽter cauerunt. *Si* (inquit) *ad ſcripturam pertinens Controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur Eccleſiæ præſides, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* Nec aliter in Synodo Generali ſexta, Origeniſtæ in epiſtola Synodica Sophronij Patriarchæ, (quæ

Hebr. 1. & 3.
Lib. 3. cap. 7. de fide ad Gratianum.
Præcepta maiorum hæreditaria ſignacula.
Cap. ſeq.
In procemio lib. diuinarũ Inſtitut.
Can. 19.

A etiam in eadem Synodo approbata fuit)ideo damnati sunt, quia *extra Apostolicam atque paternam traditionem*, nouos Scripturæ sensus affinxerunt. Paternæ autem traditionis nomine, sensum intelligit à patribus acceptum & traditum. Quo etiam modo Petrus apud Clementem, *Traditionem clauem esse verbi Dei* asseruit. Qua etiam *Traditione*, ad Scripturarum intelligentiã *opus esse*, contra Apostolicos docuit Epiphanius. Quamobrem quod in Synodo Trullana patres cauerant, id in aliis Conciliis, tum ante illa tempora tum etiam post, diligentissimè obseruatum fuisse non est difficile ostendere. Sane de Concilio Niceno illo primo, apertissimè testatur Athanasius; quòd *Episcopi non sibimet ipsis adinuenientes verba, sed habentes ea à patribus, testimonia conscripserũt*. In Concilio Ephesino generali 3. sic loquuntur patres. *In tali sensu sanctos patres fuisse comperimus, ideóque, &c.* Sed & ipsam fidei definitionem atque conclusionem ex SS. scripturis diligentissimè collectam, aggressura eadem Synodus, sic loquitur. *Sequentes itaq; omnium SS. Patrum confessiones, & intentioni eorum æquis vestigiis insistẽtes, profitemur, &c.* Nec aliter in Synodo Chalcedonensi Act. 4. *Sequentes igitur* (inquiunt) *Sanctos Patres, docemus, &c.* Et iterum acclamatur. *Hæc est fides patrum.* Denique clarè dicitur. *Pia & Catholica fides à S. Synodo secundum Patrum expositionem declaratur.* Porro in Synodo Generali 6. tum in epistola illa eruditissima Agathonis Papæ, cui vniuersa Synodus subscripsit, tum ab ipsa quoque Synodo in variis disputationibus ibi de fide habitis, Sanctorum Patrum testimonia circa veram scripturarum intelligentiam, diligenter & grauiter in medium producuntur. Nec secus in septima Generali Synodo Nicena 2. dicta, in literis Adriani Roman. pont. idem præstatur. Quos Clemens Pontifex in Synodo Viennensi sequutus, *Nos*, inquit, *ad sanctorum Patrum & Doctorum*
B *communem sententiam, Apostolicæ considerationis aciem conuertentes, declaramus: &c.* Nempe hoc medium omnis semper Antiquitas, siue in priuatis contra hæreticos disputationibus, siue in publicis Synodis atque decretis, quàm diligentissimè ad SS. literarum germanos sensus assequendos, adhibuerunt. Postremò, illustre est quod D. Augustinus, vir si quis alius sacrarum scripturarum indagator sagacissimus, ingenuè tamẽ fatetur, se à sensu verborum Pauli in illa querela de humanæ naturæ relicta corruptione ad Rom. 7. quem olim diúque docuerat, tandem recessisse propter authoritatem multorum Patrum, Ambrosij, Hilarii, Gregorii, & aliorum quos in 2. lib. contra Iulianum producit, aliter interpretantium. *Postea* (iquit) *melioribus & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi* (*quod fatendum est*) *veritati.* Et paulò post. *Hinc factum est vt sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notíque Doctores.* Quibus autem & quantis verbis, horum aliorúmque (quorũ testimoniis vtitur) Sanctorum Patrum atque Doctorum authoritatem commendet, alio in loco, hoc in opere, commemorauimus: Hoc sane est *aquas furtiuas & panes absconditos non contingere*; nec lucẽ *quam odit qui male agit* fugiendo, latebras quas veritas respuit quærere; nec à *verbi dei cauponibus* & adulteratoribus, eius gustum sensúmque accipere; sed (quod faciendum præcipit saluator) à *luce mundi* ab illo constituta, & *super montem posita* lumẽ capere; in publico Ecclesiæ epulo recumbere; ab iis quos *familiæ suæ Dominus præposuit*, cibum sumere; denique ab illis quibus dedit *rectè secare verbum veritatis*, sensum veritatis accipere.

Sess. 11. Act. 13. — *Sensus Patrum Paterna traditio.* — Lib. 10. recognit. — *Traditio clauis Scripturæ.* — Hæres. 61. — *Concilia Generalia Patrũ expositiones sequi solita.* — In epistol. ad Afros. — In epist. Alex. Synodi ad Nestorium. — Act. 5. — Act. 6. — Act. 4. — Act. 10. — Vide Act. 2. — Clemen. 1. de Sum. Trinit. — Lib. 6. cap. 1. contra Iulianum. — Lib. 7. cap. 13. — Prou. 9. — Ioan. 3. — 2. Cor. 12. — Matth. 5. — Matth. 13. — 2. Tim. 2.

C

Conciliorum præscripta & decreta Interpretatio est via certissima ad intelligendas Scripturas, paritérque exponendas.

CAPVT VI.

ET quidem præclarum hoc est, valdéque illustre & vsitatum in Ecclesia Dei, ad rectè intelligendas scipturas Medium; quod à Sanctorum Patrum consentiente Interpretatione peti solet. Cæterum certior adhuc, planéq; certissima, omninóque infallibilis via & ratio, quam posteri sequi debent, in exponenda vel intelligenda Sacra scriptura; est Conciliorum præscripta & decreta interpretatio. Dico autem præscriptam & decretam aliquã in Conciliis, vel generalibus vel prouincialibus huiusmodi quæ ab aliquo Generali & Oecumenico approbata fuerint; non autem omnem talem interptetationẽ, quæ

Lib. 8. ca. 14. & 15.

quocunque modo,(vt obiter dicta;vel in probatione, non in conclusione allata;)in Conciliis D
Lib.9. cap.12. traditur;iuxta illam sane distinctionem,quam tum in Controuersia quarta,tum etiam in hac
præsenti,sed libro superiore,tradidimus:& ad quam studiosum lectorẽ remittimus. Hoc au-
Lib.5 cap.6. & 7.& Lib.7. cap.8. tem Medium,eisdem sane fundamentis nititur, & argumentis probatur; quibus in Contro-
uersia tertia Episcoporum & Conciliorum authoritatem in genere stabiliuimus;illa videlicet
Thesi ad hanc hypothesim deducta. Iudicium enim de fide quod ibi in Episcopis,sed in con-
ciliis vel maximè subsistere ostendimus,circa exponendas scripturas potissimum versatur. At-
tamen exemplis ex summa antiquitate petitis, præsentem Hypothesim illustrabimus magis,
paritérque confirmabimus.

Ac primùm [vt rectà rem aggrediar] huius rei ac praxis Ecclesiasticæ exemplum maximè
illustre & memorabile, in Arriana hæresi comprimenda conspicitur. Nam *scripturis illis quæ
Christi diuinitatem docebant, diligenter collectis*, [ait Athanasius in Epistola de Synodis Arimini
& Seleuciæ versus finem] *& liquidiùs explicatis, Filium Patri consubstantialem, Episcopi in Nice-
na Synodo declararunt.* Quin & *superesse* dicit *Acta Patrum, qui Niceæ conuenerunt, de hac scriptu-
rarum diligentissima tractatione*: In eadem epistola, non longè à principio. Est autem animad-
uersione dignissimum, quæ fuerit hæc scripturarum liquida explicatio, & diligens tractatio,
ab Episcopis in Niceno Concilio facta;& quantam illa vim habuerit. Est enim insigne docu-
mentum, pro certa hac & infallibili quam hic quærimus interpretatione. *Congregatis Niceæ
Episcopis*, [ait Athanasius] *volentibúsque voces impietatis ab Arrianis inuentas, è medio tollere, illud
scilicet, quod aiunt ex non entibus; item facturam & creaturam esse filium, & erat quando non erat:
&c.*] *literarum sacrarum voces certas & hac de re apertas scripto complexi sunt. Nimirũ illud, ex Deo
esse filium, quia à patre exiuit; Item Dei virtutem & Dei sapientiam: splendorem quoque & figuram* E
substantiæ Patris. Hic verò Arriani, *assentimur*, inquiunt, *& nos in hanc sententiam vestram. Nam
& nos quoque ex Deo sumus, dicente Apostolo. Ex ipso vos estis in Christo Iesu.* Et iterum. *Mulier de*
In epistol. ad Africanos Episcopos. *viro, vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Episcopi verò, intellecta eorum vafricie, clariùs expresse-
runt hanc sententiam; ex Deo esse: & scripserunt pro illis verbis, ex substantia Dei esse filium.* Creatu-
ras enim dici ex Deo esse, ne viderentur sine authore esse conditæ, sed ex substãtia Dei illas nõ
Ioan.16. 1. Cor. 2. esse. Rursum quia Arriani se quoque imaginem Dei esse dicerent, dicente Apostolo, *vir ima-
go & gloria Dei est*, alia quoque vocari *virtutem magnam & potentiam Dei*; vt erucam atq; locu-
Hebr.1. stam in plagis Ægypti, homines quoq; in Scripturis deos dici: *Episcopi* [ait Athanasius] *intelle-
1.Cor.1. cta eorum fraude, collegerunt in vnum has voces ex sacris literis: splendorem, fontem, & fluuium, &
figuram, cum substantia*: item illud, *In lumine tuo videbimus lumen*, & illud. *Ego & pater vnum
1.Cor.11. Ex Deo id est, ex substantia Dei. sumus: & pro maiori elucidatione scripserũt: Filium Patri esse consubstãtialem. Superiora enim omnia
hunc intellectum afferre.* Hæc de illo Concilio Athanasius: in epist. ad Africanos Episcopos. Il-
1. Cor.11. lud ergo in Niceno Concilio decretum, & in Symbolum fidei redactum, *ex substantia Patris,
Exod.10. genitum non factum, consubstantialem Patri*, fuit variarum Scripturarum interpretatio, contra
Psal.81. Arrianos facta. Hæc interpretatio iam de fide est: nec minus certa & irrefragabilis, quã est ip-
Psal.35. sa scriptura. Contra hanc interpretationẽ, siue contra hoc verbum, *Consubstantiale*, multis an-
Ioan.10. nis summa vi ac potentia, infinitis etiam dolis & machinis, pugnauerũt Arriani. Sed, vt scribit
Athanas. in epist. iam allegata, *quum plus quàm decem Synodos de hac re instituissent* (quas omnes F
Interpretatio Scripturæ de fide non secus quã ipsa Scriptura. alibi in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis, diligẽter commemorat) *in singulis semper
aliquid innouantes, nihil sua vi hactenus dum & scribunt, & delent, profecerunt: Ignari interim, om-
nem plantationem quam non plantauerit Pater cælestis, eradicandam esse. Verbum autem illud Domi-
ni per Oecumenicam Nicenam Synodum, in æternum manere.* Hæc ille. Vbi diligenter obserua, vo-
Interpretatio Scripturæ à Cõcilio tradita, verbũ Domini. care Athanasium interpretationem à Concilio factam, *verbum domini*: mutationes verò & no-
uas expositiones ab hæreticis inductas, *plantationem quã non plantauit Pater cælestis*. Et hic obi-
ter; sed diligenter etiam nota; non Catholicæ Ecclesiæ vel traditiones siue scripto, vel interpre-
tationes non scriptas, esse *plantationes quas non plantauit Pater cælestis* (vt hodie cum maximo
Matth.15. imperitorum applausu clamitant Protestantes, hoc vno saluatoris verbo omnes Ecclesiæ Ca-
tholicæ traditiones traducere & eludere conãtes:) sed esse ipsum Dei vebum, & illud quod in
Protestantiũ impostura magna detegitur. æternum manet: quod tamen pro solo scripto verbo Protestantes & ineptè & impiè accipiũt.
Contrà verò, hæreticorum priuatas interpretationes, contra Ecclesiæ decretum & interpre-
tationem inuectas, esse plantationem illam quam non plantat pater cœlestis; (quod etiã B. Igna-
Io Epistol. ad Tralianos. Sap.4. tius de hæresibus sui temporis notat:) ideóq; eradicari, & tanquam *spuria vitulamina altas radi-
ces non posse habere*; sicuti reuerà, non in Arriana tantùm hæresi (vt hic sapienter docuit Atha-
nasius) sed in omni prorsus hæresi id accidisse vidimus; & in hac hodie nostra suo tempo-
te acci-

A re accidere debere nihil dubitamus. Sed hic operæprecium est aduertere quanta religione Orthodoxi postea, tumultuantibus durissimè Arrianis, huic interpretationi ab Ecclesia factæ adhæserunt. Conati sunt variis modis Arriani illam vocem, *Consubstantialem*, id est, illam interpretationem è medio tollere, & quiduis aliud eius loco substituere. Primùm in Synodo Hierosolymitana sub specie pacis Arrianos depositos restituerunt. Deinde in Synodo Antiochena nouam fidei formulam ediderunt, omisso *illo Consubstantiali*, aliis tamen verbis positis pene æquiualentibus. Paucis pòst mensibus, missis in Gallias legatis, aliam formulam scripserunt; anathematisantes eos qui dicerent filium ex alia subsistentia, & non ex Deo esse. Vbi pro *Substantia subsistentiam* reponunt, & ex Deo esse, sed sicut alias res creatas callidè docent. Triennio pòst in Italiam legatos mittunt cum alia fidei formula multis appendicibus instructa, sed Nicena formula prætermissa. In Sirmio rursum aliam fidem composuerũt; vbi insigni fraude eos anathematisant, qui *ex virgine Maria cœpisse Christum aiunt, & non ante omnia secula fuisse fatentur, aut qui creaturam illum vocant sicut cæteras creaturas.* Nihilominus enim æternum Patri negarunt; factúmque non genitum docuerunt; & creaturam esse, licet præstantissimam, voluerunt. Quin & postea eandem formulam latinè scribentes, mutarunt: prohibentes iam *omnino hypostasim siue subsistentiam dicere de Deo*; quam formam ad Ariminense tandem Concilium miserunt. Hanc enim sane ob causam, quum tandem plurimis Episcopis in Arimino & Seleucia congregatis, qui Arriani erant, voces illas, *Consubstantialem, & substantia similem*, item *genitum non factum*, & illud, *ex substantia patris*, vocem quoque *Hypostasim* tanquam materiam litium & contentionum reiiciendas prorsus esse multis Episcopis

Arrianorum studium ad conuellendam interpretationẽ conc. Niceni.

Athanasius in epist. de Synodo Arimini & Seleucia.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Arrianorũ fraus qualis hodie protestantium: & nominatim Melanchthonis in iudicio de Cœna Domini ad Comitem Palatinum.

B persuasissent, *solásque Scripturarum apertas voces retinendas, quas vtraque pars agnosceret*, hoc fuco & hac impostura, multos etiam orthodoxos in eam sententiam pertraxerunt, vt imprudentes & nescientes, à Nicena fide, modo quodam indirecto, abduci sese paterentur. Sed illa fraude tandem intellecta sicuti semper antea Catholici fecerant, sic hoc in loco maximo numero episcopi ad Niceni Concilij apertam interpretationem, tanquam ad sacram anchoram, & infallibile medium Scripturas illas quæ de Christi persona loquebantur intelligendi, confugerunt: in eáque sibi acquiescendum esse, sine vlla mutatione, apertissimè pronunciarunt. Aiunt enim in Synodo illa maxima Ariminẽsi. *Nos non quia fide indigeremus, huc cõuenimus; sed vt eos qui noua molirentur, confunderemus. Si igitur vos, quasi nunc incipiẽtes credere, ista scripsistis: nondũ clerici haberi potestis. Quod si eo animo quo nos huc venistis, sit omnium concordia: & hæreses anathemate execremur, & quæ patrũ sunt teneamus: ne posthac captatæ Conciliorũ occasiones obuersentur: quum semel illi qui Niceæ conuenerunt, omnia præoccuparint, & nihil non egerint pro Catholica fide.* Hæc ille. Quod & idem disertissimè, in Synodali epist. ad Imperatorẽ missa profitentur. Dicebant enim (vt alio in loco refert Athana.) *sufficere Niceni Concilij dogmata, nec plus, nec minus aut quærendum aut credendũ esse.* Quam Episcoporum prudentiam collaudans ibidem Athanasius rationem hanc grauissimam subiungit. *Quisque enim eorum sibi persuadebat: si solueret aliquid ex decretis maiorum occasionem se daturum posteris, vt quod ipsi egissent, rescinderetur.* Móxque illos reprehendit, qui de Nicenis decretis aliquid rescindere voluerunt. *Quomodo, inquit, eos quibus successere patres suos appellabũt, quorum sententias ipsi culpant? aut quomodo ipsi veraces apud*

Niceni Cõc. interpretatio sacra fidei anchora.

In epist. ad Africanos prope initium.

C *suos discipulos habebuntur, quibus persuadent præceptoribus credendum non esse?* Hæc ille, multáque alia in eam sententiam; Normam illam Apostolicam, de qua superiori libro egimus, pariterq; interpretationem verbi Dei in illo Concilio à patribus factam, diligenter inculcans, vrgens, atque commendans. Nempe (quod notandum est) Acarius quum nouam fidei formulam in Concilio Seleuciæ cudere vellet, hoc se Argumento, & exemplo defendit, quod iam antea in Concilio Antiocheno, à formula fidei Nicenæ discessum fuerat: vt narrat Sozomenus hist. Eccles. lib. 4. cap. 21. & Socrates lib. 2. ca. 32.

Causæ propter quas præualuit interpretatio concilij Niceni.

1.

Præualuit ergo interpretatio ab Ecclesia per Concilij Medium præscripta. Sed causæ quare præualuerit, diligenter sunt obseruandæ. Primùm ideo præualuit, quia illi patres Niceni, primi hanc sententiam in plenaria Synodo collecti tulerunt, alijsque præuenerunt; vt Episcopi Ariminẽses dixerunt. Nam in Controuersa & dubia interpretatione nondum antea definita, quam semel consulta & collecta præscribit Ecclesia, semper à posteris retinenda est. Et hanc ob causam præualere non potuerũt, quæ postea in frequentibus Synodis Arriani decernere voluerunt. Tale ergo præiudicium est Concilij Generalis sententia & decreta interpretatio, non quod examen adhuc posterorum patiatur, (vt scelerate & impiè scribit Caluinus) sed quod toti posteritati iure & merito præscribat. Rursum præualuit, quia illi Niceni patres veri erant Episcopi, & in legitima Authoritate positi. Contrà vero Arriani Episcopi, depositi

Concilij generalis præiudicium quale.

2.

In epist. ad Africanos.

3. & exauthorati erant. Hanc causam disertè notans Athanasius ait. *Qui Niceæ conuenêre, eorum nemo depositus exauthoratúsque fuit, iique simul confessi sunt ex Patris substantia esse filium. Isti cõtrà semel atque iterum, imò iam tertiò depositi in ipso Arimineñsi cõuentu, ea audacia fuère, vt affirmauerint illicitum dictum esse, essentiam aut hypostasim habere Deum.* Hæc ille. Tertiò præualuit, quia iuxta fidei regulam & Normam Apostolicam supradictam, quam à maioribus interpretationem acceperunt, eam præscripserunt. Hanc etiam causam ibidem expressit Athanasius. *Episcopi* (inquit) *non has voces ipsi excogitarunt, sed eas à patribus contestatas acceperunt, & scriptis suis inseruerunt. Siquidem prisci Episopi iam ab hinc annis prope 130. tum qui Romæ, tum qui in nostra ciuitate Pontificatum gessere, accusauerunt eos qui filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum cõsubstantialem Patri.* Hæc Athanasius. Atque hac sane de causa (vt idem alibi notauit sapienter Athanasius) quum in Niceno Concilio duplex tractaretur Controuersia, de celebratione Paschæ, & de Arriana hæresi; *In negotio Paschatis* (ait Athanasius) *dicebant patres, visum est nobis. De fide verò non scripserunt, visum est: sed: Sic credit Catholica Ecclesia; & statim confessio ipsa credendi adiuncta est: vt ostenderent eam non nouam esse sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inuenta, sed Apostolorum documenta.* Hæc ille. Hic ergo merito huius Concilii interpretatio præualuit. Cæterorum autem conciliorum vel conciliabulorum potius, quæ Arriani maximo numero maximóque studio, & brachii humani adiutorio collegerunt, interpretationes seu potius deprauationes, in fumos abierunt. Idcirco huius Concilii traditam interpretationem, *hereditaria signacula nullius ausi temeritate violanda*, vocauit Ambrosius. *In hac fide à patribus Niceæ scripta, fundatum se manere*, scribit Hilarius. *Huic se fidei adhærescere*, scribit Basilius. *Fidem*, inquit, *nos neque recentiorem ab aliis conscriptam acceptamus, neque ipsi mentis nostræ fœtus aliis obtrudere audemus: ne humana putentur verba* (vbi nota quid humanum, quid diuinum iudicet Basilius) *sed quæ à Sanctis Patribus edocti sumus, ea rogantibus annunciamus* (hoc nempe diuinum censet:) *Est itaque Ecclesiæ nostræ à Patribus administratæ conscripta fides, &c.* Vbi mox Symbolo Niceno recitato, *secundum hæc*, inquit, *Ecclesiasticæ fidei adhærescimus.*

Norma Apostolica obseruata in concilio Niceno.

In epist. de Synodo Arimini & Seleuciæ.

Lib. 3. ca. 7. de fide ad Grat.
In lib. contra Constantium
Epist. 60.

Propria & priuata iudicia sunt humana.

Quod verò de Niceno Concilio paulo prolixiùs commemorauimus, idem de plerisque aliis maximis Conciliis demonstrari posset. Quicquid enim in illis, contra hæreticorum nouitates decretum fuit, interpretationes Scripturarum erant, à fidelibus necessariò & infallibiliter credendæ. Sic perfecta Christi humanitas contra Manichæos & Apollinarium, sic personæ & Hypostaseon vocabula contra Sabellium, sic Spiritus Sanctus verus Deus contra Macedonianos & Eunomianos, (hi enim hæretici, eò quòd Sacræ scripturæ interpretatio, non ipsa apertè Scriptura hoc euincebat, spiritum sanctum ξένον καὶ ἄγραφον θεὸν *peregrinum Deum & non scriptum* vocabant:) sic B. virgo deipara contra Nestorium, sic duæ naturæ & voluntates atque operationes in Christo, atque illa Idiomatum cõmunicatio, contra Eutychetas & Monothelitas; sic contra Berengarium Transsubstantiatio, sic contra Græcos *processio Spiritus Sancti à patre filióque*, aliáque permulta cõtra alios hæreticos, ab Ecclesia Dei in Conciliis tanquã certissimæ variarum Scripturarũ interpretationes, declaratæ & definitæ fuerũt, adeóque ipsi Symbolo fidei interdum adiunctæ. Quam sane ob causam in concilio Chalcedonensi, vbi repetuntur omnia quæ in Concilio Niceno, Ephesino Generali, & Constantinopolitano F prouinciali sub S. Flauiano, contra hæreticos de fide definita & tractata sunt; sæpissimè repetitur, & à singulis Episcopis, vel subscribitur vel acclamatur, sub hac forma. *Secundum expositionem Patrum, qui in Nicæa & Ephesi conuenerũt, credidimus & credimus.* Idem in aliis omnibus Conciliis factum fuisse, diligens Lector obseruabit: nósque ex parte paulò antè commemorauimus.

Interpretationes Scripturarũ in aliis conciliis definitæ.

Apud Nazanzenum lib. 5. de Theolog.

Quarundã Scripturarũ textuũ præscriptus sensus.

Sane scripturarum interpretationem sic ad se pertinere, Episcopi ecclesiarũ antiquissimi, maximè in Synodo collecti, semper iudicarunt; vt pro potestate illis diuinitùs data, quorundã textuum quosdam sensus sub pœna Anathematis præscripserint. In Mileuitana Synodo cui interfuit August. Anathema illis episcopi dicunt, qui illud Ioannis, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: sic accipiunt, & intelligũt, vt propter humilitatem ita dicant, non quia verè ita est. Similiter eos qui illud, *Dimitte nobis debita nostra volunt humiliter non veraciter dici, anathemati subiiciunt.* Illud quoque. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, non aliter intelligendum esse quàm de peccato originali, præscribunt. Nec aliter in epistola Synodica Concilii Ephesini definitum est, eas voces quas Saluator in Euangelio protulit, quum de se loqueretur, in duabus subsistẽtiis aut personis non esse partiendas, quod voluit Nestorius: posteáque inter Anathematismos relatum est apud Cyrillum.

Can. 6.
Can. 8.
Can. 2.
Anathematis. 4.

A lum. Et quamuis Theodoretus vir ea ætate doctissimus in Reprehēsionibus quas scripsit cōtra Cyrillum, aliique nonnulli Episcopi Orientales, huic interpretationi diu restiterent; præualuit tamen Synodi Authoritas. Imò coactus est Nestorius (si resipiscere vellet) *iureiurando fateri se ea sentire & docere, quæ* (aiunt Episcopi in Synodo collecti) *nos vniuersi per Orientem seu Occidentem Episcopi, & Magistri præsulésque populorum, credimus & docemus.* His ergo exemplis, paucis quidem, sed Authoritatis longe maximæ, satis explicatum atque confirmatum hoc interpretationis Medium, quod in Conciliis vel potius à Conciliis traditur atque decernitur, videri potest.

In Epist. Synodica Conc. Ephesini.

Omnia Media hactenus præmonstrata, vno illustri veteris cuiusdam Controuersiæ exemplo, simul confirmantur & explicantur magis.

CAPVT VII.

SED vt Authoritatis huius Ecclesiasticæ, per varia Media hactenus traditæ & explicatæ, totus ordo & progressus vno aliquo illustri exemplo manifestetur, adeóque confirmetur magis; (quibus enim viis & Mediis ad veteres hæreses reprimendas, controuersiásque sopiendas, Maiores nostri fœliciter vsi sunt, & nos quoque eisdem insistere posse ac debere nemo Orthodoxus dubitare potest:) age, inspiciamus breuiter maximam illam Cōtrouersiam, de hæreticorum vel schismaticorum Baptismo; quæ multis annis Ecclesiam Dei exercuit, multísque tum sanctissimis viris tum etiam doctissimis, minus rectè intellecta grauis erroris, pertinaciter autem defensa grauissimi schismatis, causam & occasionem dedit. *Huius enim quæstionis obscuritas* (ait Augustinus) *etiam ante schisma Donati, magnos viros & magna charitate præditos, patres, Episcopos, diu inter se compulit salua pace disceptare atque fluctuare.* Africani enim Episcopi primùm sub Agrippino Carthaginensi Archiepiscopo, S. Cypriani prædecessore, tum ipsius Cypriani tempore, in tribus aut 4. hac de re habitis Conciliis, multi quoque in Cappadocia, Galatia, & Iconia, in Concilio etiam collecti Episcopi, vt commemorat Eusebius Pamphili, docuerunt definierúntque hæreticorum Baptismum esse repetendum, & iterandum tanquam nullum. Inter hos etiam erat Dionysius ille Alexandrinus Patriarcha, vir lōgè doctissimus, qui (vt commemorat Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiastic.) *in Cypriani & Africanæ Synodi decreta consentiens, de hæreticis rebaptisandis ad diuersos plurimas misit Epistolas.* Hos autem sequuti Donatistæ, non solum schisma ingens, sed & pestilentem hæresim pepererunt, quæ magnum Ecclesiæ multúmque negotii dedit. Nitebantur autem vanis Scripturis, sed male intellectis. Allegabant scilicet illud Psalmistæ. *Oleum peccatoris non impinget caput meum.* Item illud. *Qui baptisatur à mortuo quid proficit lauatio eius?* Rursum illud. *Ab aqua aliena abstine te.* Necnon & illud. *Deus peccatores non exaudit.* Denique & illud. *Qui non est mecum aduersum me est:* aliáque similia, quæ quomodo vsurparint Donatistæ, vide apud Augustinum contra Parmenianum. Sed in his Scripturis intelligendis, rectéque exponendis; sicuti & in tota Controuersia; propterea turpiter à tam magnis viris atque tam multis erratum est, primùm quia Regulam fidei notissimámque in Ecclesia praxim, traditionem, & consuetudinem deseruerunt. Fuit enim antiquissima Ecclesiæ consuetudo ante illam controuersiam exortam, eos qui ab hæreticis vel schismaticis baptisati fuissent, non quidem denuo baptisare, quum ad Ecclesiæ vnitatem venirent; sed per manuum impositionem recipere. Cuius rei locupletissimi testes sunt, primùm ipse Eusebius Pamphili; qui hoc, traditionem ex Apostolorum temporibus deriuatam, vocat. Tum S. Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos, ac eodem fere tempore Vincentius Lyrinensis, in aureolo illo libello contra prophanas hæreticorum nouitates. Omnium autem maximè & copiosissimè Augustin. qui sæpe quidem hanc consuetudinem vrget & demonstrat, maximè autem contra Donatistas: vbi eam esse Apostolicam non dubitat, quanquam hoc ignorasse Cyprianum arbitretur. Præualuit ergo illa Scripturarum interpretatio, quæ huic Consuetudini, à maioribus per manus Episcoporum & pastorum acceptæ & traditæ consentanea fuerat. Rursum præualuit Stephani Rom. Pontificis rescriptum ad Africanos Episcopos, quo *sanxit*, vt commemorat Vincentius Lyrinēsis,

Marginal notes: B — *Quæstionis de baptismo hæreticorum disputatio* [illegible] *facta.* — De baptism. contr. Donat. lib. 1. cap. 7. — Hist. eccles. lib. 7. cap. 6. — Psal. 140. — eccles. 34. — C — Prouerb. 5. — Ioan 9. — Luc. 11. — Lib. 2. — *Præualuit Regula fidei Ecclesiæ consuetudo & praxis* [illegible] — cap. [illegible] &c. — cap. 9. — Vide de bapt. contra Don. [illegible] c. 8 & 9. [illegible] cap. 6 & [illegible] 2. & 26. — *Præualuit Rom. Pont. decretum.*

cap. 9. De bapt. cont. Don. li. 5. c. 25. De vnico bapt. cap. 14.

& *præcepit*(ait August.)quod in Epistola Cypriani ad Pompeium apud ipsum Ciprianum videre licet, *Nihil innouandum esse, nihil faciendum nisi quod traditum est.* Nec solùm hoc sanxit, & præcepit, verùm etiam *contrarium facientes vel vt fieret decernentes, excommunicandos esse censebat*: vt scribit Augustinus. Narrat quoque apud Eusebium Dyonisius Alexandrinus, quod quum idem Stephanus omnes etiam Ciliciæ, Cappadociæ, & Galatiæ Episcopos, eadem de causa excommunicasset, scripserit ille ad eundem Stephanum, pro his omnibus Episcopis deprecatorias literas, sicuti & postea ad eiusdem successorem Xystum eadem in causa scripsit. Cui sane rescripto, præcepto, & Decreto sedis Romanæ, etsi tum Africani tum Asiatici illi Episcopi, (quorum regiones & loca suprà memorauimus,) statim non obtemperabant, tandē tamen morem gesserunt. *Illi enim ipsi Episcopi* (ait Sanctus Hieronymus) *qui rebaptisandos hæreticos cum Cipriano statuerant, ad antiquam consuetudinem reuoluti, nouum emisere decretum.* Et causam egregiè subiungit. *Quid facimus? Ita & nobis Maiores nostri, & illis sui tradidêre Maiores.* Hæc ille: quasi dicens: Frustra reluctamur. Seruanda est Regula, traditio, & Norma Ecclesiæ, vt sicut Episcopi Ecclesiarum ista acceperunt, sic & nos accipiamus. Eadem quoque de causa à Cipriani & Firmiliani prædecessoris sui sententia, S. Basilius recessisse se, & hæreticorum baptisma suscepisse, in Epistola ad Amphilochium scripsit. Certè Sanctus Augustinus quædam scripturæ loca ad hanc fere controuersiam pertinentia tractans, dicit. *Attendite facta sanctorum, ne forte nostra videatur interpretatio. Quomodo hæc verba intellexerunt sancti, sic vtique intelligenda sunt.* Hæc ille. Postremò, præualuit plenarium illud totius orbis Concilium, quod toties citat hac in re Augustinus in libris de baptismo contra Donatistas, & omnibus Episcoporum aliorúmque Conciliorum prouincialium disputationibus semper opponit. Nisi forte E in variis Conciliis, per totū orbem hoc definitum fuerit. Sic enim interdum loquitur in opere prædicto. Sed siue per vnum Conciliū generale (quod quale tamen fuerit, non satis constat,) siue per plura Concilia, sed toto orbe passim congregata; per Episcopos Ecclesiarum in Synodo collectos, definita res fuit; & eo sensu scripturæ explicatæ, vt hæreticorum baptismus pro vero & non iterando, licet non semper salutari & efficaci censeretur. Ideóque respondens Augustinus Concilio illi Africano, cui Ciprianus interfuit, singulisque Episcoporum sententiis; quum vnus inter cæteros diceret: *Secundum sanctarum Scripturarum Authoritatem decerno, omnes hæreticos baptisandos, & sic in sanctam Ecclesiam admittendos*; respondet Augustinus, *Secundum sanctarum Authoritatem, decreuit Concilium Catholicum orbis terrarum, etiam in hæreticis inuentum Christi baptisma, non esse improbandum.* Hæc ille, interpretationi priuatæ vnius episcopi, opponit Concilij generalis interpretationem. Sed luculentiùs hoc facit, ipsis B. Cipriani verbis respondens. Quum enim vir ille sanctus, in illa sua sententia defendenda, id quidem modestissimè diceret, se nemini præiudicare velle; *Neminem* (inquiens) *iudicantes aut à iure cōmunionis aliquem si diuersum senserit, amouentes*; adderet tamen sententiam generalem satis periculosam, imò & perniciosam, nisi rectè & sanè intelligatur, dicens: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quum habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis suæ arbitrium proprium tanquam iudicari ab alio non possit; quin nec ipse potest alterum iudicare, sed expectemus vniuersi iudicium Domini*: in quibus verbis Ciprianus, ad erroris sui defensionem, errantium verbis vtitur; & hæreticis tam hodie nostris, quàm planè omnibus mirè patrocinari videtur, quasíque tā vnius summi Pontificis, (hic enim Episcopus Episcoporum vocari iam antea solebat, vt ex libro Tertulliani de Pudicitia, quem Authorem tam diligenter legere Ciprianus est solitus, vt eum *Magistrum* vocaret, satis constat,) quàm etiam concilij generalis Authoritatem excludere, plenámque potestatem de fide iudicandi, vnicuique Episcopo seorsim dare: Sanctus Augustinus optimus horum omnium verborum interpres, & totius huius causæ diligentissimus indagator singulis his verbis suum Antidotum præbet. Ac primum illud, quod *de Episcopo Episcoporum* dicit, ad modestiā cipriani refert, quòd ipse quum carthaginensis Metropolita esset, aliis tamen Episcopis, vel prouinciæ suæ vel alterius, præiudicare nollet. Ait enim. *Quid mansuetius, quid humilius?* Illud verò *de libertate Episcoporum in iudicando*, exponit sapienter; in illis quæstionibus & dubiis verum esse, quæ nondum ab Ecclesia in plenario concilio definita sunt. Ad illa enim verba respondens dicit. *Opinor vtique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt. Nouerat enim quantam sacramenti profunditatē, tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat; liberúmque faciebat quærēdi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.* Hæc ille. Eliquatissimam autem perspectionem, ante quam libertas Episcopis conceditur abundandi in sensu suo, plenarii concilii definitionem intelligit: Ait enim paulò antè in eodem

Margin notes (in order):

Euseb. lib. 7. cap. 4.

In dial. aduersus Luciferi.

Traditio & Norma Ecclesiæ

De verbis Dom. Ser. 18.

3. *Præualuit Generale concilium.*

Lib. 6. cap. 7.

lib. 6. cap. 13. de bapt. cōtr. Donat.

Apud August. de bapt. cont. Donat. lib. 3. Cap 3.

Hieronym. in catalogo.

Quomodo Ciprianus episcopum episcoporum se aut suos collegas negaunt esse. Vbi suprà.

Libertas episcoporum quatenus sit licita. ibidem.

Lib. 2. cap. 4.

D

F

A eodem opere. *Nos ipsi non auderemus hoc contra Cyprianum asserere, nisi vniuersæ Ecclesiæ concor-
dißima Authoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet. si iam illo tẽpore quæstionis huius veritas
eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. Hæc ille. Obseruatione ergo dignum
est, quòd libertatem iudicij Episcopalis agnoscit Augustinus in veritatibus nondum eliqua-
tis. Eliquatam autem veritatem ponit, non in quibusuis sed in plenariis Conciliis seu gene- *Eliquata veritas in plenariis Cōciliis.*
ralibus. Nam *in regionali* (vt loquitur) *concilio inchoari tantum rerum eliquationem, terminari*
autem in plenario alibi in eodem opere docuit. Hac sane de causa, non solum Cypriani vt Lib.7.ca.53. Ibidem lib.2.
vnius Episcopi sententiam, consuetudini Ecclesiæ, sed etiam totius Concilij Carthaginen- Cap.9.
sis multorum Episcoporum Decretum, plenario Concilio postponit. *Illud, vnum* (inquit)
isti Donatistæ considerent, quod omnibus patet, id est, quod omnibus Christianis per se manife-
stum est. *Si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm*
in Ecclesiæ consuetudine mutanda. Si autem Concilium eius attenditur, huic est vniuersæ Ecclesiæ
posterius Concilium præponendum. Nam & concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur
& vniuersum partibus iure optimo semper præponitur. Hæc ille. Vbi tamen caue, ne putes Au-
gustini sententiam esse, sic prioribus conciliis præponi posteriora, vt quod semel generaliter
definitum est de fide in Ecclesia, à posteriori aliquo generali postea reuocari possit; simúl-
que de numero eorum, quos Apostolus vocat *semper discentes & nunquam ad scientiam verita-* 2. Timoth.3. Ephes.4.
tis peruenientes; aut sicut *paruuli fluctuantes, vt circunferamur omni vento doctrinæ*; aut denique 1. Cor.3.
sicut stulti *architecti, destruentes semper ea quæ semel ædificauimus*, & mutantes quadrata rotun-
B dis; meliora semper & saniora expectaremus, nihilque in fide certum, stabile, ac solidum ha-
beremus: (quod quidem vt hæreticis omnibus est proprium, ita ab orthodoxa fide est longè
alienissimum: & quod ad Augustinum attinet, esset disertè contrarium illi frequentissimæ
allegationi Concilii plenarii contra Donatistas, quod plusquam centies in hoc opere toties
iam citato facit; verbis quoque illis Ariminensium Episcoporum, ita ab Athanasio collauda- *Quo sensu concilia posteriora prioribus præponuntur.*
tis, clamantium *Nicenum Concilium omnia semel præoccupasse* ex diametro aduersaretur) sed
intelligit Augustinus, vel priora regionalia seu prouincialia posterioribus plenariis in causa fi-
dei postponi (sicuti ipse seipsum hoc loco in posterioribus verbis explicat) vel in quæstione
rerum gerendarum & praxi, ipsa quoque generalia mutatis temporum, locorum, & persona- Lib.2. cap.3.
rum circunstantiis, à sequentibus generalibus emendari: *Quum videlicet experimento rerum,*
aperitur, quod clausum erat; & cognoscitur quod latebat: sicuti idem alibi docet, hoc eodẽ in ope- Lib.3.cap.10.
re. Præterea, etiam quum plura essent hac de re in Africa Concilia, illis omnibus vnum ple-
narium præponit Augustinus. *Dicit sanè* (ait de Cypriano Augustinus) *de hac re non vnum, sed*
duo, vel amplius facta esse Concilia, sed tamen Africana. Quorum omnium Authoritati, vniuersæ De bapt.cōtr. Donat.
Ecclesiæ cum longè pluribus Episcopis toto orbe diffusæ Authoritatem, non dubitamus cum ipsius Cy-
priani pace præponere. Hæc ille. Idem facit pluribus in locis, circa hanc contra Cyprianũ eiúsq;
Concilia, variásque hac de re Epistolas, disputationem; vt lib.1.ca.7. lib.5.ca.17. & ca.22. item
lib.6.cap.7. Vbi iterum illam libertatem Episcopalem in iudicando à Cypriano assertam, ad
illud tempus ab ipso Cypriano referri docet, *in quo quæ ab illis tractabantur, nondum declarata si-*
ne ambagine hauriebantur, sed adhuc clausa magno molimine quærebantur. Denique in fine totius
illius operis de Baptismo contra Donatistas, vbi tota hæc Controuersia, operosissimè ab illo
C tractata & pertractata est, concludit, dicens: *Cyprianum & qui cum eo senserunt, Catholicæ Eccle-* Lib.7.cap.vlt.
siæ quam noluerũt præcidere, non potuisse præscribere. Sic ergo Cyprianus, sic omnes illi Episcopi,
non solùm totius fere Africæ, sed etiam Galatiæ, Cappadociæ, Iconiæ, qui cum Cypriano
senserunt, in hac quæstione versati sunt; vt Ecclesiæ plenario Concilio nullo modo pręscribe- In dial.aduer. Luciferianos.
rent, imò vt ex Sancto Hieronymo iam audiuimus, vt *iidem ipsi Episcopi huic Cōcilio cesserint,*
nouúmque Decretum emiserint. Augustinus verò vult hoc plenarium Concilium præiudicare,
atque pręscribere siue Episcopis, siue etiam Conciliis in parte aliqua Christiani orbis ante-
gressis. Ait enim disertè, *Magnos viros, patres & Episcopos sic in hac quæstione fluctuasse, vt etiam* De bapt.con. Donatist.lib.2. cap.7.
diu Conciliorũ in suis quibusque regionibus diuersa statuta nutauerint, donec plenario totius orbis Cō-
cilio, quòd saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Denique (quod est me-
morabile exemplum ad similes de Scripturę intelligentia Controuersias sopiendas (in fine to-
tius huius disputationis de Baptismo hęreticorum, quemadmodum propter Authoritatem
plenarij Concilii (vt iam ostendimus) hęreticorum baptismum non esse iterandum docuit;
sic baptismum ab aliquo infideli datum, (quia de ea re nihil adhuc in Ecclesia definitum
tùm erat) nec probare nec improbare audet: nobilissimam hanc subiiciens, de toto genere

De bapt. contra Donatist. lib. 7. cap. 51. *Insignis Augustini determinatio de quæstionibus fidei.*

quæstionum circa fidem, Conclusionem *Nobis* (inquit) *tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata* D *sunt. Id autem fit cura securæ vocis asserere, quod in gubernationes Domini Dei nostri, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Hæc ille. Móxque de ea quæstione suam sententiam subiiciens, non aliter eam proponit, quàm (vt ait) *sine præiudicio diligentioris inquisitionis, vel maioris Authoritatis.* Hic sane D. Augustinus, vt Catholicum, doctum ac pium virum decebat, vt Ecclesiæ filium ac sobriè sapientem facere oportebat, vt Episcopo ac doctori seorsim disputanti & per se rem nondum definitam tractanti conueniebat, in rebus quidem nondum ab Ecclesia definitis, suam sententiam præcipitare, aut doctioribus vel superioribus suis præiudicare non vult: in huiusmodi magis semper paratus discere quàm docere: id quod sanctissimo illi patri paritérque doctissimo, nec minus humilitate quàm eruditione profundo, perpetuum & solemne est. Quæ autem in plenariis Conciliis semel eliquata & terminata sunt, omnibus aliorum seu Episcoporum seu Conciliorum particularium sententiis, omnibus humanis ingeniis, argumentis, iudiciis vtcunque Scripturas ipsas prætexentibus & proferentibus, præiudicare, præscribere, & præponderare debere censet & docet. In hanc etiam sententiam de quocunque dogmate per Ecclesiæ iudicium firmato, alio in loco scribit. *Ferendus* (inquit) *est disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ authoritate firmatis. Ibi ferẽdus est error. Non tantum progredi debet, vt etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur.* Hæc ille. Hæc sane Sanctorum patrum, hæc Catholicorum veterum, adeóque in Antiquissimis Ecclesiæ temporibus, fides, Religio & pietas erat. Sic illi in rebus de fide cõtrouersis versari, sic veritatem inquirere, sic inuentam tueri solebant. E

Vide epist. 89. Aug.

De verb. Apo. Serm. 14.

Veterum omnium & nostrorum hodie hæreticorum praxis circa Sripturarum interpretationem prorsus Contraria semper fuisse ostenditur.

CAPVT VII.

Institut lib. 4. cap. 9. par. 8. Par. 9.

IDE nunc contrà, quæ hæreticorum vel olim veterum, vel hodie nostrorum, hac in re sententia, praxis, consuetudo fuerit. Dicit Caluinus nostræ ætatis Catilina, vel Arius potius, *Priscas illas Synodos, vt Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Chalcedonensem, & consimiles quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reueremurque vt sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent quã puram & natiuam Scripturæ interpretationem, quam sancti patres spirituali prudentia, ad frangendos religionis hostes accommodarunt.* Hæc ille. Et hactenus quidem Catholicum piumque Ecclesiæ filium te audire existimes. F Agnoscit enim in illis Conciliis veram traditam fuisse SS. Scripturarum interpretationem. Sed vide parumper, quam ob causam, & quo modo hoc agnoscit. Explicat ipse paragrapho sequenti. *Hos*, inquit, *sic in iudicando sequimur, vt Dei verbũ quod illis præluxit, nobis quoque præluceat* Hęc ille. Non ergo propter Authoritatem & certitudinem infallibilẽ interpretandi Scripturas, finémque dubitationi imponendũ, qua pollebant patres illorum Conciliorũ; sed quia ille verbum intelligit & clarè videt circa controuersias in illis definitas, quemadmodum illi patres intelligebant & videbant, eorum sententię & interpretationi acquiescit. Hoc est: quia Arianus non est, vel Macedonianus, vel Nestorianus, vel deniq; Eutychetes: sed in his sane quęstionibus & dogmatibus orthodoxus. Alioqui iste, qui suum iudicium & suam sibi apparentem lucem sequitur; si aliter affectus esset, nc hili quidem Conciliorũ illa decreta faceret: quod in nouis hodie Arianis, Eutychetis seu Vbiquitariis & Trinitariis ad oculum videmus. Eutychetis enim hæresim Brenno obiicit Caluinus, & *magni stuporis esse dicit spernere idiomatum κοινωνίαν, quæ non frustra olim à Sanctis patribus inuenta est.* Hæc ille. Quin & in proximo paragrapho seipsum satis hic vulpes aperit, coniectutis vt agere non sit opus. *Quanquã*, inquit, *etiã in antiquis illis & purioribus Cõciliis, est quod iure desideres, vel quòd eruditi alioqui & prudẽtes viri qui tũ aderãt (exigua dabit & multa*

Caluinus suum non concilio[rum] iudicium sequitur.

Instit. lib. 4. cap. 17 par. 10. Caluinus reprehẽdit prima Concilia Par. 10.

impropera-

A *improperabit*) *præsentibus negotiis districti, multa alia nõ prospiciebãt, vel quòd grauioribus & magis*
serius occupatos (quasi aliquid ipsa causa fidei quam tractabant magis serium occurrere tum il-
lis potuit) *nonnulla leuioris momenti subterfugiebant: vel quòd simpliciter vt homines imperitia falli* 1.
poterant (& vbi tum erat spiritus S. Ecclesiæ datus, qui ducat eos in omnem veritatem? aut vbi Eccl. 10.
Christus, qui in medio huiusmodi conuentuum se fore promittebat?) *vel quòd nimio affectu* 2.
(hoc iam apertum conuicium & maledictum est) *nonnunquam præcipites ferebantur*. Iam certè 3.
detracta larua est, & quid quantúmue superbus hic hæreticus Conciliis tribuat, satis ipsemet 4.
apertè & clarè indicauit. Nempe (vt eodem in loco tradit) quod ad authoritatem ipsorum cõ-
ciliorum attinet, nihil aliud censet, quàm *vt sint instar præiudicij, quod tamen examen non impe-*
diat: quo sane ipsis, imò cuiuis *liceat ad Scripturæ amussim omnium Conciliorum & Pontificum de-* Par. 8. & 12.
creta examinare. Quod quàm indignum sit, quãtaque cum impietate coniunctum alibi disser-
uimus. Hoc loco istud vnum obseruo, quàm sit hic Caluinus veteribus patribus dissimilis. Soprà lib. 10. Cap. 5.
Veteres enim patres & Episcopi, (vt in præcedenti disputatione ostensum est) tantisper sibi li- *Caluinus veteribus patribus dissimilis.*
berum examen sumpserunt, donec in plenario Concilio aliquid definitum esset. Eo facto, om-
ne examen & disputationem cessare: quæ sane ad veritatem ipsam cõprobandam faceret; non 1.
quæ vel ad veritatem elucidandam; vel ad falsitatem aduersæ sententiæ confutandam iuuaret. 2.
Sic enim post plenarium Concilium disputauit contra Africanorum Episcoporum sentẽtias, 3.
Augustinus. Denique plenarium Concilium omnibus aliis Episcoporum iudiciis præiudica-
re. Quod autem verbis generalibus de Conciliorum etiam vetustissimorum possibili errore
B mussitauit tacitè Caluinus, id alij apertiùs asserunt. Et nominatim Nicenum illud primum &
longè celeberrimum Concilium erroris accusant, quòd videlicet *de militibus statuerit Canonẽ*
Ioan. Baptistæ sententiæ contrarium: tum etiam fecisse de pœnitentia Canones plane superstitiosos. De- In scripto aduersus Synodom Tridentinam an. 65.
inde etiam de Chalcedonensi Concilio longè amplissimo aiunt, *tetro errore monachis & mo-*
nialibus virginibus coniugij vsum interdixisse. Sic enim scripsit Melanch. in locis commun. ann.
23. editis fo. 37. b. & Lutherus in sermone super illud. *Attẽdite vobis à falsis prophetis*; Item in lib.
de Cõciliis & Ecclesia. Sed hæc Caluini & omnium hodie Protestantum incredibilis super-
bia, qua ipsa Antiquissima Concilia taxant, quia scilicet ipsorum placitis aduersantur, & qua
examen sibi relinqui volunt, post Episcoporum & Synodorum, maximè Concilii plenarii in- *Martini Kemnitij superbia singularis.*
terpretationem (vnde prodiit hodie sacri Concilii Tridentini superbissimus & audacissimus
Censor Martinus Kemnitius, qui decretorum eius Concilii examen facere, scribere, & in lucẽ
edere non est veritus, sed mendaciis innumeris, cauillationibus, paralogismis, fraudibus & im-
peritiis pene infinitis vndique scatens atque refertum;) est omniũ veterum hæreticorũ ipsissi-
ma cantilena, & adeò omnium hæresum (quod ad ipsos sane seductores attinet) origo & cau-
sa. Omnes enim contẽpta intelligentia Scripturarũ, quã Ecclesiarum Magistri tradiderunt, sic
hæretici facti sunt, & in hæresi perstiterunt. Sic Arrius & Achilles Præsbyteri, contempto suo
Episcopo Alexandro, illáque Scripturæ interpretatione quam de Christo filio Dei docuit, aliis
suis coëpiscopis conformem, hæresim illam infandam contra Christi diuinitatem in orbem
sparserunt. Qua de re, lege insignem ipsius Alexandri Epistolam apud Theodoretum. *Nemi-*
nem volunt (ait Alexander) *ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illis quibus nos ab ineunte æta-* Hist. Eccles. lib. 1. cap 4.
C *te vsi sumus præceptoribus, se pares existimari sinunt. Imò verò ne vnum quidem collegarum nostrorũ,* *Arianorum superbia, qualis hodie Protestantum.*
vel ad mediocrem sapientiam peruenisse censent; sed se solos sapientes, & sibi solis ea doctrinæ patefacta
esse mysteria, quæ in nullius vnquam sub sole cogitationem ac mentem venerunt, arbitrantur. Hæc il-
le. Idem de sui temporis hæreticis Irenæus. *Dicunt*, inquit, *se non solum Præsbyteris, sed & Apo-*
stolis existentes sapientiores, sinceram adinuenisse veritatem. Nec dissimiliter de Elcesæis comme-
morat Theodoretus, quòd librum quendam composuissent, quem dicerent descendisse de Irenæos lib. 3. cap. 2.
cælo. Hæreticarum fabul. lib. 2. plane vt Lutherus sua dogmata dixit se habere de cælo, ídque
ea de re se certum esse. In lib. contra Regem Angliæ.

Rursum alio in loco Irenæus de sui temporis hæreticis scribit. *Qui relinquunt præconium Ec-* Lib 5.
clesiæ, imperitiam sanctorum Præsbyterorũ arguunt. Idem quoq; de Nestorio cõmemorat histo- Lib. 7. cap. 32.
ria Ecclesiastica. *Veterũ interpretũ scripta* (ait Socrates) *perdiscere dedignatus est. Linguæ enim vo-*
lubilitate & elegantia insolenter se efferens, cũ veteres prope neglexit, tum seipsum omnibus antecellere
existimauit. Tales hodie superbos adolescentes quãplurimos produxit Anglia. Quin & Patres Cap. 42.
quoq; Ephesini hãc Nestorii intolerabilẽ arrogantiã apertè perstrinxerunt, vt videre est apud
Vincentiũ Lyrinẽsem. *Inuecti sumus* (aiũt illi) *in Nestorij sceleratã præsumptionẽ, quòd Sacrã Scri-* Lib. 4. cap. 7.
pturã se solũ & primũ intelligere; & omnes eos ignorasse iactaret, quicunq; ante se Magisterij munere Hist. eccl. lib. 4. cap 27.
præditi diuina eloquia tractauissent: vniuersos scilicet Episcopos. Eadẽ autẽ est Ioãnis Vvigandi Cap. 23.

arrogantia de suis germanis theologis: vt habes suprà. Idem de Seuerianis hæreticis commemorat Eusebius Pamphili. *Sacrarum*, inquit, *Scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitratu interpretantur.* Illustre quoque huius mali exemplum in Origene fuit: qui (ait Vincentius Lyrinensis) *dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula, nouo more interpretatur, meruit vt de se quoq; diceretur; Si surrexerit in medio tui propheta, &c.* Deuter. 13. Denique de Priscillianistis scribit Augustinus, quòd *nihil sanè scripturarum Canonicarum repudiant, sed in suos sensus allegorizando vertunt, quicquid in sanctis libris est, quod eorũ euertat errorem.* Idem planè in nostris hodie hæreticis accidit & vsu venit. De Caluino iam diximus quod satis ad hanc rem est. Matthias Flaccius Illyricus sibi & suis, tam certam scripturarum cognitionem arrogat, Ecclesiæ autem Magistris ita prorsus derogat, vt dicat: *Vetusti quidem scriptores obscurarunt sacras litteras, ob inscitiam tum linguæ, tum etiam rerum ipsarum. Recentiores verò sophistæ ob inscitiam simul & malitiam.* Hæc ille. Lutheri verò superbia quanta in hoc genere fuerit, quantúmque lucem & clarissimam Scripturarum omnium cognitionem sibi vendicáuerit, est à nobis in hoc opere aliquot iam locis obiter ostẽsum. Quare cum veteribus sanè hæreticis nostri hodie hac in parte ad amussim quadrant atque conueniunt; à Sanctorũ autem Patrum veterúmque omnium more & praxi, longè latéque dissident; non secus quàm à luce tenebræ, à cælo terra, ab Orthodoxia denique & sana doctrina, dissidere solet hæresis, & oppositio falsi nominis scientiæ.

D

Ad quoduultdeũ hæres. 70.

Suprà lib. 5. cap. 8.

Flaccij Illyrici Fastus.

In claue Scrip. tom. 2. tract. 1. nu. 2.

Suprà Lib. 5. cap. 8. & libr. 10. cap. 3. & 4.

Alia Media quibus docti viri in exponenda Scriptura vtuntur, nulla esse certa & infallibilia: sed probabilia tantum si vera, sæpe autem dubia, fallacia & noxia interdum. E

CAPVT IX.

ATQVE hæc quidem quæ hactenus commemorauimus Media, illa sunt, quæ sola certa & authentica iudicamus: Hæ viæ & Rationes sunt, quas solas firmas & infallibiles esse arbitramur, sanctas Scripturas rectè intelligendi, pariterque exponendi. Sunt quidem alia Media, quibus docti & pij viri ad sanctarum Scripturarum intelligentiam consequendam, vti solent, rectéque & laudabiliter vtuntur: vt imprimis, lectione frequenti, iugi Meditatione, ac demum Oratione feruenti: quæ tamen omnia disponunt potiùs ac præparant animum generali quadam ratione, quàm certa & propria huius rei Media sunt. Ac de istis in superiori libro, qualiter adhiberi debeant, & quatenus adhibita valeant, diximus. Sed sunt adhuc alia magis (vt videtur) propria, eadémque certa huiusce rei Media. Qualia sunt, antecedentium & consequentium consideratio, fontium inspectio, locorum collatio, obseruatio Phrasium, vsus linguarum & variorum exemplarium, & si qua his sunt similia. Nã in his singulis, maximéque omnibus coniunctis, non solùm præsidij multum poni, sed & viam F certissimam parari, ad rectè, imò optimè intelligendas Scripturas, multorum opinio est. Et quidem ea plurimùm conducere, negari nec potest nec debet. Veruntamen nec ita firma esse & certa; vt illa alia à nobis hactenus posita & demonstrata; nec etiam semper expedire; sed aliquãdo interpretari secundũ ea volentẽ, decipi totóq; cælo errare; breuiter nunc ostẽdemus.

Suprà lib. 10. cap. 10.

Ac primùm illud notandum est, hæc omnia Mediis à nobis positis, putà Regulæ fidei,
1. Praxi Ecclesiæ, sanctorum Patrum consentienti sententiæ, ac demum Conciliorum definitæ interpretationi prorsus subiici; ita vt nec contra illa vnquam valere possint, nec nisi illis adhibitis quicquam valeant. Siue enim ex antecedentibus & consequentibus coniecturam facias, siue alia loca conferas, siue fontes inspicias, siue similes loquendi phrases obserues; quia verum vero contrariũ esse non potest, si prædictis Mediis, quæ semper vera & infallibilia sunt, quodcunque horum aduersetur, profectò vera esse non possunt; sed erratũ fuisse necesse est. Quod ergo exempli causa, *in loco obscuro, quo modo sit distinguendum, quo modo pronunciandum*, (siquidem ex varia vel distinctione vel pronunciatione varios planéque aduersos sensus exoriri interdum dubium non est) *consulendam esse Regulam fidei*, docet Aug. *quæ de Scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ Authoritate percipitur*: quòd etiam *Codicum varietatem ad Regulam veri-*

Aliorum mediorum insufficientia demonstratur

De Doctrin. christ. lib. 3. capite 2. & 3.

tatis

A *tatis congruere* facit; idem de aliis illis omnibus Mediis censendū est: vt nisi Regulæ fidei, aliisq; à nobis demonstratis Mediis congruant atque conueniant; iusta & salutaria interpretandi Media minimè censeantur.

Sermo 15 de verb. Apost.

2. Præterea & illud quoque notandum est, hæc Media cum omnibus hæreticis, imò etiam Iudæis & Paganis, nobis esse communia. Illi enim omnes conferunt loca, considerant antecedentia & consequentia, inspiciunt fontes, obseruant phrases, & similia, à vera tamen intelligē-tia Scripturarum quàm longissimè absunt. Media verò à nobis hactenus demonstrata, solis Catholicis & Orthodoxis sunt propria, nec ab alienis à fide vel prætexi, nisi impudentissimè & mendacissimè possunt.

3. Rursum hæc Media, studio & industria humana comparantur, ideóque mere humana, & probabilia tantùm, vel etiam interdum fallacia sunt. Nostra verò illa, Authoritate diuina, & promissionibus à Deo factis nituntur. Quia enim nec in fide, nec in praxi publica & vniuersali damnabiliter errare Ecclesia potest; quia pro patribus venerari qui non sunt, vel in Conciliis à veritate decernenda latum vnguem discedere non potest; propterea infallibilia & diuina illa media esse dubitandum non est.

Sed satius esset fortasse, exēplis & in particulari, de singulis hoc ostendere; quod huc vsq; in genere, contra horū mediorū sufficientiā & certitudinē diximus. Est sane hoc paulò operosius & factu difficilius; nec de particulari est scientia; sed quum ad singula venitur, subsistere nos do cer differendi ars. Conabor tamen etiam hac in parte, lectori vel infirmiori vel rudiori consulere. Primùm ergo consideratio antecedentium & consequentium, solet sane permagnam B veræ sanctarum literarum intelligentiæ lucem adferre. Quàm tamen sit hæc consideratio incerta, quoties & quàm multis modis seorsim per se sumpta lectorem fallat, vide obsecro. Hæc enim sane consideratio seu obseruatio, in illo demum scripti genere locum habet; & lectorem sine errore iuuat; vbi perpetua & ordinata, continua & sibi cohærens, denique vniformis & sibi semper similis, de eisdem rebus instituitur oratio: qualis sane vel historica narratio est, quæ seriem temporis & rerum gestarum obseruat; vel doctrinalis aliqua demonstratio, quæ ratione & Methodo rem aliquam persequitur. Hic enim propter ordinis obseruationem, rerúmq; inuicem quasi connexarum atque pendentium, seriem & consequentiam, plurimum iuuat antecedentia & consequentia considerare, ad Authoris mentem inuestigandam. At verò, in Sacrarum literarum contextu, aliter se res habet. Primùm enim historicis mystica, & mysteriis historica, vtrisque etiam tropologica, etiam in vno & eodem vnius sæpe periodi contextu permiscentur. *Scientias omnes atque doctrinas* (ait S. Gregorius) *ipso etiam locutionis suæ more sancta scriptura transcendit: quia vno eodémque sermone, dum narrat textum, prodit mysterium: & sic scit præterita dicere, vt eo ipso nouerit futura prædicare: & non immutato dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus, nouit & antefacta describere, & agenda nunciare: sicut hæc beati Iob verba sunt; qui dum sua dicit, nostra prædicit: dúmque lamenta propria per sermonem indicat, Sanctæ Ecclesiæ causas per intellectum sonat. Ait enim. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti, tacebant ad consiliū meum.* Hæc ille. Dum sic ergo historicæ narrationi mystica innectuntur; nec perpetuo verborum cursu eadem, sed modò hæc, modò illa, modò etiam nulla; (neque enim omnia vel huius C Sancti Iob, vel cuiuscunque Authoris sacri verba mysteriū sonant) quæ certitudo mysterij ex antecedentium vel consequentium verborum consideratione, peti potest.

Consideratio Antecedentium & consequentium, Medium interpretādi incertum.

S. Scriptura contextus varius Moralium in Iob.lib.20.c.1.

Imo verò, vt mysterium lateat, nec nisi difficulter & cū sudore extūdatur, idq; nō nisi à perito tractatore, qui sensus habet exercitatos; ipse ordo dicēdi in scripturis sæpissimè est interruptus, aliquando etiam plane præposterus. *Sacræ scripturæ consuetudo est* (ait S. Gregorius) *vt cū aliquid narrat, interposita alterius causæ sententia, ad superiora protinus redeat.* Exēpla ibidē ponit valdè illustria. Dixerat Iob de reprobis: *nullus est qui intelligat, in æternum peribunt:* Deinde subiungit de electis. *Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Statimq; adiungit, quod nō iam electis sed reprobis cōuenit. *Morientur & non in sapientia.* Si autem antecedentium consideratio certa & infallibilis esset ad electos hæc verba sicut proximè præcedētia, non ad reprobos pertinerent: quod tamen nullo modo verum esse potest. Aliud exemplum ex Epistolis Paulinis accipe. Dixit Apostolus Timotheo suo. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.* Móxque ad infirmitatem corporis verba conuertens, ait. *Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino vtere, propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas.* Statimque subiungit, dicens. *Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad Iudicium, quorundam autem & subsequuntur.* Quid verò ad illud pertinet, quòd ab infirmo aquam bibi prohibuit, hoc quod de peccatis quorundam hominum subiunxit? nisi quòd interpo-

Ordo dicendi in Scripturis interruptus. Moralium in Iob.lib.5.c.19. cap.5.

1.Tim.4.

1.Timoth.5.

ſita de eius infirmitate ſententia,& interrupto dicendi ordine, ad hoc in extremo rediit,quod D
Ab vna materia in aliam ſubito tráſit Scriptura. ſuperius dixerat, *Nemini cito manus impoſueris?* Et ſane Apoſtolo Paulo ſolemne eſt, ita ſenſim
ac veluti furtim,ex alia materia in aliam ſerpere; tam frequentia ſunt apud eum hyperbata &
anantapodota;vt difficillimum ſit animaduertere, quæ quibus cohæreant, vel quando aliam
materiam inchoet,vel priorem finiat.Sæpe in eodem membro,paruáque ſententia, fini præ-
1.Cor.1. cedentis materiæ,ſequentis & nouæ materiæ initium ex abrupto annectit. Exempli cauſa. *Nõ
enim miſit me Dominus baptiſare,ſed Euangeliſare.* His verbis præcedentem materiam finiẽtibus,
ſequentium propoſitio etiam necdum finito membro annectitur. *Non in ſapientia verbi, vt nõ
euacuetur crux Christi.Verbum enim crucis,&c.* Sic ad Galat.2.non eſt facile diuinare,quouſque
Homil. 7. in Ezechielem. ſe extendat ſermo Pauli ad Petrum habitus.Quin & Prophetarum quoque eundẽ fuiſſe mo-
Pſal.7. rem,notauit S.Gregorius.*Conſuetudo*,inquit,*prophetiæ eſt,nunc iſta,nunc illa conſpicere,& ab alijs
in aliud,ſubitò verba deriuare.* Exemplum ex Pſalmis Dauid cùm de Domino loqueretur,dixit:
Deus iudex iuſtus,fortis & patiens,&c. vſque ad illud,*ſagittas ſuas ardentibus effecit*:repente ſubiũ-
Ezech.1. git.*Cepit dolorem & peperit iniquitatem,lacum aperuit & effodit eum,& incidit in foueam quam fe-
cit.* Ecce cùm Domini narrat iuſtitiam,quaſi non mutata voce,peccatoris intulit culpam. Sic
Ezechiel Propheta cùm de rotis loqueretur,adiungit: *Et totum corpus plenum oculis in circuitu
ipſorum quatuor.* Qui enim non ipſarum ſed ipſorum dixit, profectò indicat quia repente ſer-
mo eius à rotis ad animalia redit. In hoc ergo tam frequenti & repentino tranſitu ſermonis,
ídque ad res interdum longè diuerſiſſimas,quæ tandem certitudo aut infallibilis regula ab an-
tecedentibus & conſequentibus petita intelligendi textum colligi poteſt? E

In eadẽ ſentẽtia aliqua propriè aliqua impropriè dicuntur. Sed ad has adhuc difficultates accedit,quòd in vna & eadem narratione,aliqua propriè,a-
liqua figuratè dicuntur;imò in eadem ſententia alia & alia loquentis perſona induitur; deniq;
(quod adhuc magis eſt)vnum & idem vocabulum in eodem membro, diuerſam habet ſigni-
I. ficationẽ. Exemplũ primi eſt,quòd dicitur Adã & Euam *vidiſſe oculis fructum ligni,pulchrum
Geneſ.3. viſu,&c.* Móxque poſt comeſtionem,*apertos fuiſſe oculos eorum.* Nam primo loco propriè, ſe-
cundo loco figuratè & per metaphoram oculi accipiuntur. Quòd ſi verò ex antecedentiũ &
conſequentium conſideratione, firma, & certa & infallibilis intelligendi regula accipi poſſet;
cogeremur hoc loco,vel totam illam narrationem de Paradiſo, allegoricè & figuratè dictam
accipere,propter quædam ibi allegoricè dicta, vt fecerunt Origeniſtæ, Manichæi & alii; vel
etiam totum propriè,& nihil allegoricè;propter tot intermixta,quæ non niſi propriè dicta ac-
cipi poſſunt.Sed adeò hæc antecedẽtium & conſequentium cohærẽtia dubia & incerta eſt,
vt dilertè notauerit atque docuerit S.Auguſt.*Non propter vnius verbi tranſlationem, totum figu-
ratè accipiẽdum eſſe.* Exemplum ſecundi,ex iis quæ modo diximus,eſt in Pſalmo illo; *Deus Deus
meus reſpice in me,quare me dereliquiſti? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*: quæ in per-
De Geneſ. ad lit.lib 11. Cap 31. ſona corporis totiúſque Eccleſiæ dicuntur:ſicut alia ibidem multa. Sed quæ ibidẽ ſubſequun-
Pſal. 21. tur,*foderunt manus meas & pedes meos,diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,&c.* quis Chriſtianus ex re-
gula fidei neſcit,de Chriſto Capite dici? Sic iterum in Pſalmo 40.quum multa de membris &
corpore Chriſti dicerentur,vt: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem*:vſque ad illud:*ſana
animam meam, quia peccaui tibi*;mox de ipſo Chriſto & Capite noſtro Propheta ſubiicit. *Ini-
mici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius?* & alia quæ ſequuntur aper- F
tiſſimè,de condemnatione Chriſti per Phariſæos,appræhenſione per eorum miniſtros:prodi-
tione Iudæ,& denique reſurrectione eius prædicta. Quibus ſane in locis & aliis ſimilibus,ſi ab
antecedentibus conſequentium, vel à conſequentibus antecedentium, ſenſus indubitatè ri-
mandus & certò colligendus eſſet;quid niſi certus error ſequeretur,& apertum Iudæis patro-
cinium inſtitueretur,qui non de Chriſto illa poſteriora,ſed de eodẽ de quo præcedentia Pro-
Eadem dictio in eadem ſententia diuerſa ſignificat. pheta dixit,dici quoque volunt? Nec mirum ſane, ſi in eodem contextu, ſententiæ ſententiis
non conſequantur nec cohæreant, quum nec in eadem ſententia verba verbis reſpondeant:
ſed(quod 3.loco diximus)vnum atque idem verbum,in vna atque eadem ſententia,aliud atq;
aliud ſignificet? Cuius rei exemplum in Euangelio Ioannis occurrit:vbi dicit Chriſtus. *Nonne
Ioan.4. vos dicitis,quia adhuc 4.menſes ſunt,vt veniat meſſis? Eleuate oculos veſtros, & videte regiones, quia
albæ ſunt ad meſſem.* Hic enim meſſis primo loco corporalem,ſecundo ſpiritualem meſſem ſi-
gnificat. Sic iterum alio in loco. *Omnis qui bibit ex aqua hac,ſitiet iterum;qui autem biberit ex aqua
quam ego do ei,non ſitiet in æternum.* Hic enim rurſum bibere & ſitire in vna & eadem ſenten-
tia,propriè & figuratè, corporaliter & myſticè accipiuntur. Sed adhuc apertius alio in loco.
Ioan 1. *Mundus per ipſum factus eſt & mundus eum non cognouit.* Mundus enim priori loco vniuerſum
hoc quod cælũ & terrã cõplectitur ſignificat:poſteriori verò amatores mũdi notat. Quare vt
certa,

A certa, perpetua & infallibilis via aut Ratio intelligendi scripturas (qualem hic solam quæri-
mus ad certam, infallibilem & authenticam sanctarũ scripturarum intelligentiam cõsequen-
dam in Controuersia de fide) ab Antecedentium & consequentium consideratione peti nul-
lo modo potest. Probabilem tamen illam esse, & sæpenumero valde vtilem, nullo etiam mo- De doctrin. Christ. lib. 3.
do negamus. Nam ideo sane illam adhibendam esse docet Augustinus, in ambigua aliqua vel cap 2.
distinctione, vel pronunciatione textus, tollenda. Adiungit tamen tanquam certiorem Regu- De Genesi ad
lam fidei: vt suprà dictum est. Et alio in loco. *In diuinis libris intelligendis, si id latet quod Author* lit. lib. 1. cap.
libri senserit, id potissimum eligamus, quod circumstantia sanctæ scripturæ non impedit; & cum sana vltimo.
fide concordat. Si autem & Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solùm
teneatur, quod fides sana præscribit. Hæc ille. Hoc ergo postremum, certũ & necessarium est me-
dium. Illud prius non ita.

Ad aliud medium veniamus, quod est obseruatio phrasis seu styli, qui Sacræ scripturæ pro-
prius esse videatur. Hoc enim ad intelligendas rectè scripturas præclarum esse Medium, ad- *Obseruatio phra-*
eóque certum & minimè fallax, multi hodie sibi persuadent. Et quidem præclarum illud & *sis seu styli san-*
perutile Medium esse, & sæpiusculè non sine fructu adhibendum, nec ego vllo modo nega- *ctæ Scripturæ,*
uerim. Sed illud contendo, dubium nihilominus, ambiguum & fallax esse per se & solitariè *Medium inter-*
sumptum, ad authenticam scripturarum intelligentiam consequendam Medium: non cer- *pretandi incer-*
tum & infallibile, qualia sunt à nobis iam posita & demonstrata media. Ac primùm de phra- *tum.*
sibus sanctæ scripturæ, nihil certum constitui, nulla generalis Regula ferri potest, multis de *Vide iudicium Dyonisij circa Apocalypsim.*
B causis. Sane quia non vnum, sed diuersos Authores Scriptura habet, tam veteris quàm noui Suprà lib. 9. cap. 6.
instrumenti; qui singuli suum habent loquendi modum, ab aliis diuersum. Aliter enim Esaias
in aula Regia enutritus, aliter Amos pastor loquitur. Aliter Paulus, ad Gamalielis pedes enu-
tritus & doctus in lege, aliter Petrus & Iacobus piscatores scribunt. Deinde interpretum vel
etiam originalium varietas, eandem circa phrases & loquendi morem incertitudinem parit. 2.
Est quidem spiritus sanctus totius scripturæ vnus & idem Author, quantum ad res ipsas atti-
net. Sed quia non res verbis, verùm verba rebus subiiciuntur; aliis atque aliis verbis rem ean-
dem, per alios atque alios Amanuenses, loqui spiritus sanctus voluit. Itaque nihil certum aut
stabile, de sermonis vsu constitui potest. Aliquæ sane Regulæ ex frequenti & diligenti obser- 3.
uatione, de more loquendi ac phrasibus scripturæ, tum à sanctis Patribus, tum ab aliis doctis *Regulæ de phra-*
Theologis conscriptæ, & traditæ sunt. Sed illæ vel nõ sunt generales, quin exceptiones aliquas *sibus S. Scriptu-*
patiantur, vel certè quia ab illis iam collectæ sunt, qui prævia fide Orthodoxa imbuti, & Au- *ræ vnde sunt*
thoritate diuina præditi, illas salubriter colligere & tradere potuerunt, certitudo omnis ad *vera & firma.*
sanctarum literarum intelligentiam ab illis Regulis & obseruationibus petita, non tam illis,
quàm earum Authoribus & collectoribus, tribuenda est. Sed absque aut prævia fide Ortho-
doxa, aut Authoritate diuinitùs accepta, qui ex phrasibus à seipso aut ab aliis, studio merè hu-
mano collectis, scripturam interpretatur; vt aliquando sanè veritatis scopum attingere eum
posse non negauerim, ita quàm sæpissimè à scopo eum aberrare, dubitandum non est. Itaque
vt omni periculo careat studium hoc laudabile, adhibeatur Regula fidei, vt sæpius monet Lib. 3. cap. 2.
S. Augustinus in lib. de doct. Christ. hoc ipsum fere argumentum tractans. Adhibeantur & alia & 3. & lib. 3.
C media quum possunt, de quibus iam multa diximus. Huius verò phrasium incertitudinis quã cap. 27.
diximus, exempla mox in sequentibus afferentur.

Collatio locorum in qua gloriantur tantopere hodie Protestantes, fallax est interpretandi Medium, non adhibitis aliis Mediis prædictis.

CAPVT X.



SED vnum est adhuc medium, seu via & ratio scripturas intelligendi, in qua mi- D rum quàm sibi hodie placeant protestantes, eámq; omnibus & sanctorum patrum iudiciis, & Conciliorum decretis, & cuicunque Ecclesiæ vel praxi vel doctrinæ traditæ, indubitanter præponunt. Ea est locorum sanctæ scripturæ diligens & dextera collatio. Hanc enim, *Ingens remedium, & fœlicissimam expositionem sanctæ scripturæ*, vocat Illyricus in claue. At verò & hanc quoque viam non secus ac cæteras, per se & solitariè sumptam, non fallacem, tum etiam perniciosam maximè (quanto sane maiorem probabilitatis speciem secum adfert, nec vnquam minus quàm duo scripturæ loca pestilenter corrumpit, infœliciter adhibita,) iam esse ostendemus. Primum ergo fatemur sane, & cum D. Augustino libéter agnoscimus, ex vno loco alium sæpe illustrari, & quæ alibi obscuriùs dicta sunt, alio in loco clariùs enunciari. Sciendum tamen est, diligentérque obseruandũ, (quod obseruare hæretici nolunt, quia Catholici & boni Ecclesiæ filii esse nolunt) primum in ipsa collatione scripturarum, aliquid similiter vel dissimiliter dictum videri, non tam ex rerum ipsarum similitudine ac dissimilitudine, quã ex affectu & præiudicata sententia ipsorum conferentium. Ideóque nisi præuia fides ad conferendum adferatur, non ex fide, sed ex errore & hæresi quam is qui confert ad collationem adfert, collatio fiet. Cuius rei exempla mox subiiciam. Nempe (vt sapienter scripsit Hilarius) *quamuis omne dictum veri ratione perfectum sit, tamen dum aliis aliud aut videtur aut complacet, patet veritatis sermo aduersantium responsioni, quia contra veritatem aut non intellectam aut offendentem, vel stultæ vel vitiosæ voluntatis error obuititur*. Hęc ille.

Par 2.trac.1.

Collatio locorũ quare Medium sit interpretandi incertum.

1.

De Trinit. Lib.10.

2. Deinde quia nec eadem dictio nec eadẽ phrasis, vbique idem sonat atque significat in scripturis, sed vel diuersa vel etiam interdum contraria, Collationis scripturarum certitudo infallibilis esse nulla potest. Exempla & huius rei mox afferemus. E

3. Tertiò quia multa loca sunt, quæ semel tantum in scripturis dicta, cum aliis similibus conferri non possunt: manifestum est perpetuam interpretandi scripturas viam, collationem locorum esse non posse: quod etiam exemplis, vt mox dicetur, non caret.

4. Quartò & postremò, quia omnes hæretici non huius tantùm sed & omnium ætatum, conferendo scripturas diligentissimè, errauerunt tamẽ in scripturarum sensu turpissimè, in errorẽ quoque miserunt perniciosissimè. Hæc 4. si expendissent hodie Aduersarii, non sic relictis illis propriis Catholicorum mediis quæ iam explicuimus, ad hanc vnam, tanquam ad sacrã quandam Anchoram & certissimum interpretandi medium, confugissent. Sed exemplis video esse illustrandum, quod breuiter astruximus.

1. Collationum exemplum ex affectu conferentium.

Quod ad primum igitur attinet, familiare nostrorum hodie hominum exemplum afferemus. Magna hodie, si qua alia, cõtrouersia extitit de vero & germano illorum verborum sensu, *hoc est corpus meum*. Contulerunt illa hodie singulæ huius ætatis sectæ, sed pro affectu vnaquæque suo. Lutherus & sectatores eius rigidi, quia volunt manere cum substantia panis, verum & reale Christi corpus; contulerunt cum illis verbis Ioannis, *Verbum caro factum est*, vt quemadmodum Deus verbum manẽs verbum assumpsit hominem, sic panis manens in substantia panis assumat corpus Christi, quamuis non in personalem & hypostaticam vnionem, tamen in naturarum coniunctionem. Alii Lutherani significatiui, quorum princeps Carolostadius, contulerunt illa, & similia esse voluerunt illis Apostoli verbis. *Petra erat Christus*. Item F illis. *Hoc est pactum meum*, quod de Circuncisione dictum, signum tantum pacti, non ipsum pactum erat. vt quemadmodum petra Christum & Circũcisio pactum, ita panis corpus Christi significaret, & figuratiuè repræsentaret. At verò energici Lutherani, seu potius Sacramentarii qui virtutem tantum & valorem corporis Christi adesse in hoc sacramento volunt, contulerunt illa Christi verba, cum aliis eiusdem Saluatoris nostri verbis, quibus dixit, *Ego sum vitis vera* Iam verò Zuinglius cum suis comparat & confert eadem verba cum illis apud Ioãnem. *Caro non prodest quicquam*. Quod quia (vt illi accipiunt) de sua carne saluator dixit, propterea necessariò intelligenda illa verba esse non de ipso realiter corpore Christi, sed de spirituali aliqua virtute & efficacia ipsius corporis Christi. Deniq; Petrus Martyr in conuentu Poyssiaco, sic à Zvvinglio edoctus contulit illa verba cum illo Exodi loco, vbi de Agno Paschali dicitur, *Est enim phase, id est transitus Domini*, quum signũ tantum illius transitus ac figura esset. Postremo Caluinus vt suum canalem constitueret, & aliquid singulare præter hos omnes antecessores suos de hoc mysterio doceret, etiam nouo & singulari modo conferri illa verba voluit, similiáque esse illi quod apud euangelistam legimus, *Spiritum S. tanquam Columbam descendisse super Dominum. Corporis*, inquit, *appellatio pani tribuitur, ea ratione qua Spiritum sanctum*

Ioan.1.

1.Cor.10.
Gen.17.

Ioan.15.

Ioan.6.

Exod.12.

Matth. & Luc 3. & Ioan.1.

A *Ioannes columbam vocat.* Hæc caluinus in commentariis in Matthæi capite 26. & in
1.Cor.11. Singuli ergo contulerunt. Sed nunquid ita vt veritatem, quæ vnica est, inuenirent?
nihil minus. Sed quia pro palato vnusquisque suo & affectu priuato, non ex fide publica con-
tulit, ideo proprias singuli hæreses, non publicam & Catholicam fidem ex tali collatione sta- 2.
biliuerunt. Idem aliis hæreticis (vt mox exemplis ostendetur) vsu venit. Quod ad secundã
incertitudinis causam attinet, exempla passim in sanctis literis occurrunt. Siue enim verba *Phrases & verba S. Scripturæ*
siue phrases consideres, non eadem semper vbique vel significant vel docent. Quis nescit *non idem vbiq; significant.*
quã multis modis in euangelio & literis Apostolicis eadem dictio sumatur? vt in verbo carnis,
quæ aliquando totum hominem, vt, *omnis caro corrupit viam suam*, aliquando vitium corru- Gen.6. Gal.5.
pti hominis, vt *caro concupiscit aduersus Spiritum*: aliquando eiusdem vitij regnum & domina- Rom.8.
tionem, *vt vos non estis in carne, sed in Spiritu*, aliquando etiam partem naturæ humanæ, vt, *non* 1.Cor.11. Ioan.6.
omnis caro eadem caro, aliquando denique carnalem sensum & intelligentiam, vt: *Caro non pro-*
dest quicquam; Idem de verbo, mũdi, qui interdum homines mundanos, interdum Ecclesiam
totam, interdum vniuersos homines, interdum hanc visibilem machinam significat: de ver- Luc.13.
bo fidei, legis peccati, iustitiæ, aliisque infinitis exemplis demonstrari posset. Nec solum di- Matth.16.
uersa sed planè contraria, vna & eadem dictio significat, vt de fermento, quod in bonam par- Apocal.5. 1.Petr.5.
tem accepit saluator, quum ei in *tribus mensuris farinæ condito, regnum cælorum comparauit*, in Matth.10.
malam verò quum dixit, *cauete à fermento Pharisæorum*. Sic leo, & Christũ significat, quum vo- 2.Cor.11.
catur *Leo de tribu Iuda*, & diabolum quum vocatur *Leo rugiens*. Ita serpens in bono est. *Estote*
prudentes sicut serpentes. In malo verò, *Serpens Euam seduxit astutia sua.* Et quidem infinita talia
B in scripturis occurrunt, vt sane difficilius sit verbum adferre, cuius quidem frequens sit vsus,
quod non multipliciter & variè in scripturis accipiatur, quàm in exemplis multiplicium
verborum notandis laborare. In hoc ergo tam variò & multiplici verborum sensu, quomodo
tandem certa aliqua & generaliter vera collationis Norma aut Regula institui potest, quæ
non identidem ac sæpe lectorem fallat? maximè quum in eodem etiam membro seu senten-
tia, eadem dictio variè accipiatur, vt suprà ostensum est? Phrasium verò non minor est diuer- Moral.3.c.9.
sitas. *Aliquando enim* (vt notauit Gregorius) *totum pro parte, aliquando pars pro toto ponitur. Tule-* Ioan.20.
runt Dominum meum : est totum pro parte. *Iacob intrauit Aegyptum cum animabus 70.* est pars Genes.46. Genes.2.
pro toto. Rursum aliquando numerus singularis ponitur pro plurali, vt *fons ascendebat de terra:* De Genes. ad
quod tamen de pluribus fontibus intelligendum docet Aug. Aliquando vice versa pluralis lit.lib.5.c.10.
pro singulari effertur, vt illud: *vende mihi primogenita tua*. Aliquando Numeri sic exactè sumẽ- Genes.25.
di sunt, vt etiam grande mysteriũ notent, adeò nihil vel detrahi vel addi debet. Vt *semen tuum* Gen.15.
erit peregrinum an. 400. & Moyses, Elias, ac Christus ieiunarunt 40. diebus. Aliquando ita neglecta Prouer.24.
habetur numeri ratio, vt finitus pro infinito ponatur: quale illud est. *Septies in die cadit iustus*, & matth.18.
esse *ignoscendum fratri septuagies septies.* In hac ergo, non tam diuersa quàm contraria phrasium Ioan.6.
& locutionum varietate, multisque aliis similibus; quid certum aut stabile ex collatione varia-
rum phrasiũ colligi potest? Ad omnẽ enim partem se vertere potest collator, quum in omnẽ
partem exẽplo aut simili phrasi nõ careat. Da mihi aliquem qui in doctrina prędestinationis
tam præposterè sentiret, vt electionem illam Dei æternã per nostrum liberum arbitrium fru-
C strari posse assereret, idque ex Scriptura confirmaret, vbi Christus dicit Apostolis suis. *Nonne*
ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Hic enim si electionem illam temporalem,
qua in Apostolatũ electi sunt, non æternam fuisse respondeas, replicabit tamen ille fretus Col-
lationis Medio, electionem in Euangelio non nisi æternam Dei prædilectionem significare. Matth.22.
Sic enim alibi illam vocem accipit. Vt ibi. *Multi vocati, pauci electi*. Et rursum. *Non vos me ele-* Ioan.15.
gistis, sed ego elegi vos. Huic ergo collationi si pertinaciam ille adiungat, quid eum ab hac in-
terpretatione, nisi sola Ecclesiæ Authoritas aliter interpretantis, remouebit? Sed illustre Psal.33.
magis exemplum adferamus. Dicente Dauide, *Oculi Domini super iustos, &c. Vultus au-*
tem Domini super facientes mala, visum est multis quasi Regulam inde constitui posse, ad alios
etiam textus intelligendos, quòd oculi Domini, misericordiam & clementiam eius, vultus au-
tem Domini, iustitiam & iram eius, in scripturis significet. Nam & aliis in locis vultus eodem Psal.20.
modo accipitur. Vt illud. *Pones eos in clibanũ ignis in tempore vultus tui*. Rursum illud. *Diuisi sunt* Psal.54.
ab ira vultus eius. & apud Prophetam. *Quis est iste pastor qui resistat vultui meo?* Sed & de oculis Ierem.49.
Domini aliæ Scripturæ idem indicant quòd misericordiam significent & gratiam. Vt illud.
Oculi eius in pauperem respiciunt. Item illud *Oculi tui videant æquitatem*. & Psalmo sequenti, Psal.10. Psal.16.
secundum puritatem manuum mearum in cospectu oculorum eius. Denique illud Esaiæ. *Auer-* Esaiæ 1.
tam oculos meos à vobis, quũ extenderitis manus vestras. Sed vtcunq; probabilis hęc facta collatio

videatur, nihil tamen ea incertius & fallacius; si quis ei soli pertinaciter inniti vellet, contem- D
pta Regula fidei, aliísque mediis ante à nobis demonstratis, sicuti hodie hæretici faciunt. Ecce
enim tibi iam alia loca, in quibus hęc duo vocabula sensu plane contrario accipiuntur, Vultus
Dei pro misericordia & gratia, Oculi autem pro iustitia & ira. Illud enim, *de vultu tuo iudiciũ*
Psal. 10. *meum prodeat*, & iterum: *Lætificabis eum in gaudio cum vulto tuo*, & rursum: *Illuminet vultum*
Psal. 20. *suum super nos & misereatur nostri*, nonne apertissimè sic accipiuntur, vt vultus nomine, Dei
Psal. 66. gratia, fauor, & misericordia intelligantur? Rursum in illis locis: *Non permanebunt iniusti ante*
Psal. 5. *oculos tuos*, & iterum: *Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius in gentes respiciunt*. & rur-
Psal. 65. Psal. 90. sus: *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis*, nonne oculorum Dei nomine,
Psal. 20. Dei iustitia & vindicta necessario intelligi debent, nisi falsas de Deo cogitationes & à sana fi-
De Doctrin. de alienas inducere velimus? Quid verò, quod in eodem Psalmo eadem dictio in sensu con-
christ. lib. 3. trario accipitur? Nam illud, *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*; & item illud, *pones eos in
clibanum ignis in tempore vultus tui*, in eodem Psalmo habentur; quum tamen priori lo-
co misericordiam, posteriori iustitiam vultus Dei significet: éstque in fonte Hebraico,
vtrobique eadem dictio פנים. Quare quum in hac obseruatione nihil sit certum, perpetuum,
& stabile, nec (vt prudenter monet Augustinus) *putare debemus esse præscriptum, vt quod in
aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc etiam semper significare credamus*; profe-
ctò certum, perpetuum, & infallibile Medium intelligendi scripturas, ab hoc genere peti non
potest.

Iam verò quod tertio loco diximus, multa esse loca semel dicta, quæ cum aliis conferri
non possunt; id vel ex eo liquet, quòd quidam Sacri Authores quędam habent verba & phra- E
ses proprias, quibus alij nusquam vtuntur: vt hic necessariò in huiusmodi, collationis Medium
3. deficiat. Exempli causa, apud Paulum legimus, *consepeliri Christo, crucifigi cum Christo, cõuiuere,*
Phrases D. Paulo propria. *conregnare, conglorificari, baptisari in eius mortem, crucifigere corpus peccati, resurgere in nouam vi-
tam, veterem hominem corrumpi, eundem exuere, nouum induere, mortificare & viuificare, lex mem-
brorum, lex Spiritus, lex peccati, corpus mortis, & corpus peccati, peccatum regnare, condelectari legi
Dei*, aliáque his similia quamplurima, quæ in aliis literis sacris, siue Propheticis siue Euangeli-
Arriana collatio. cis siue Apostolicis, nisi apud solum Paulum non leguntur. Habent & alij scriptores sua pro-
Ioan. 10. pria vocabula & loquendi schemata, quamuis fortasse non tam multa quàm vnus Paulus, qui
Ioan. 17. plus omnibus laborauit. Quartæ causæ quam attulimus, exempla breuiter subiiciam. Video
enim in longum abire disputationem. Arriani illud Christi, *Pater & ego vnum sumus* (quibus
verbis Orthodoxi sæpissimè Arrianos refellebant) contulerunt cum aliis Christi verbis. *Rogo
pater vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te.* Hac tamen collatione non obstante
(ex qua etiam valde probabiliter, voluntatis tantum non substantiæ vnitas, in prioribus Chri-
Pelagiana collatio. sti verbis consequebatur) vicit & obtinuit illa interpretatio, quam Regula fidei docuit; quam
Apud August. sancti Patres & sacri verbi Dei interpretes amplexi sunt; quam Episcopi Orthodoxi docue-
lib. 6. cap. 12. runt; quam denique Concilii Niceni sententia confirmauit. Similiter Iulianus Pelagianus, vt
contra Iulianum. nos in Adam non originaliter contrahere, sed per imitationem committere peccatum doce-
ret, illud Apostoli de peccato Adæ, *in quo omnes peccauerunt*, exposuit sic, vt illud *in quo*, signi-
Psal. 118. ficaret, *propter quod*. idque ex aliorũ locorũ collatione. Sic enim dixit Psalmista. *In quo corrigit* F
iunior viam suam? id est, propter quod? certè *in custodiendo vias tuas*. id est, quia custodit vias Do-
Act. 7. mini. & de Moyse dicitur. *fugit Moyses in verbo hoc*, id est propter verbum hoc illius Ægyptii.
Sic in Adam, id est propter peccatũ Adæ quod omnes imitantur, omnes peccauerunt. Hæc
Iulianus Pelagianus. Sed hac collatione non obstante, vicit alia interpretatio Catholica & Or-
Conc. Milleuit. can. 2. thodoxa, quam fidei Regula, Patrum expositio, & Conciliorum tandem decreta confirma-
runt. Idem de omnibus fere aliis hæreticis demonstrari posset. Sed hæc duo exempla (quod ad
veteres hæreticos attinet) instar multorum sint.

Quòd collationis Medium ad Scripturæ interpretationem contra Media priùs præscripta, perniciosè afferatur, vno illustri exemplo ostenditur.

CAPVT XI.

A

NVM recentius adiiciam, idemque illustre collationis Chemnitianæ exemplum; in quo contra omnium sanctorum Patrum consentientem interpretationem, contra Regulam fidei, contra perpetuam & euidentem totius Ecclesiæ praxim, denique contra Conciliorum hac de re frequentia decreta, solo hoc collationis Scripturarum medio nixus & fretus Martinus Chemnitius, insignem Apostoli locum pro cælibatus voto non violando peruertit, & ad hæreticum sensum obtorto collo trahit. Nempe dixit Apostolus. *Adolescentiores viduas deuita. Quum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationē quia primam fidem irritam fecerūt.* Hoc in loco per *primam fidem*, propter quam violatam, damnationem incurri Apostolus dicit, viduitatis & cælibatus votum intelligit Ecclesia; interpretati sunt veteres Patres; Analogiæ & Regulæ fidei, (quæ votum cælibatus non approbat tantum, sed & vehementer cōmendat,) & praxi Ecclesiæ (quæ in huius voti violatores semper seuere animaduertit) consentaneum est; in Conciliis etiam quæ (à tali voto & proposito sancto resilientibus Anathema dicunt) pro tali voto exponitur. Et Patrum quidem veterum consentientes sententias in medium breuiter proferemus, móxque & Conciliorum iudicium. Cætera enim per se patent, nec ab vllo hodie vel impudentissimo hæretico negari possunt. 1. Timoth. 5.

Vetustissimus ergo pater Epiphanius contra Montanistas sic nuptias defendens, vt cælibatum tamen in Ecclesia receptum diligenter doceat, & tractans hæc verba, *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, ait. *Quæ enim promiserunt* (vidualem cōtinentiam) *& reprobauerunt, damnationem habent: quæ verò non promiserunt, sed coniunctæ sunt* (in secundis nuptiis) *propter debilitatem, damnationem non habent.* Hæc ille, damnationem apertè tribuens reprobationi factæ promissionis, id est emissi voti violationi, non aliis sceleribus quæ fingit & exaggerat Chemnitius, vt mox videbimus. Sed & hoc patre antiquior Tertullianus in lib. de Monogamia verbis disertissimis Apostoli verba sic exponit dicens. *Habentes iudicium quòd primam fidem resciderunt, illam videlicet, à qua in viduitate inuentæ & professæ eam, non perseuerant.* Apertissimè quoque Augustinus: *Habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo quod primò vouerant, non steterunt.* Sed & alibi apertius, voti vinculum & obligationem voti ex hoc ipso loco astruit & confirmat. *Quæ*, inquit, *rectè vouentur, quum homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt. Quia & hoc dominum præcepisse intelligendum est, vbi legitur. Vouete & reddite. Vnde Apostolus de quibusdam quæ continentiam vouent, & postea nubere volunt, quod eis antequā vouissent, vtique licebat: habentes*, inquit, *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Hæc ille. In eandem sententiam, & ad idem confirmandum, hæc Apostoli verba tractat S. Basilius. Quum enim ostendisset, virgines quæ post professionem & votum emissum *ad coniugij vmbram* (sic enim loquitur) se recipiunt, in impio & scelerato atque abominando adulterio vitam agere, ad id probandum hūc textū adfert, dicens: *Nec sanè incongruè his quæ sunt eiusmodi, illud apostolicū aptari potest. Quoniā quum fornicatæ à Christo fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: non coniugium, sed adulterium male consummantes.* Hæc ille, manifestè docens per primam fidem irritam, viduitatis professionem violatam intelligi. Eodem modo hæc verba exponit, in epistola illa doctissima ad Amphilochium, in qua Canones pœnitentiales descripsit. Nec dissimiliter optimus ille D. Pauli interpres S. Chrysostomus, hæc verba exponens: *Postquam*, inquit, *deuouerint se Christo, nubere volunt. Habentes damnationē, quia primā fidē irritam fecerunt. Fidem autem pactum dicit. Contra veritatem mentitæ sunt: Christum irritauerunt, & pacta inita violauerunt.* Hanc autem tanti patris interpretationem, qui in Paulinis literis exponendis *inhærentem semper literæ sensum studiosissimè sequutus est* (vt grauissimi Authores de eo memoriæ prodiderunt) omnes ferè postea Græci interpretes sequuti sunt; Theodoretus, Oecumenius, Theophilact. vt in singulis eorum commentariis ad hunc Pauli locum videre licet. D. quoque Ambrosius, Græcorum interpretum, maximè Sanctorū Basilij & Nazanzeni, sectator diligens, eodem planè modo hunc Pauli locum exponit: qui per fidem irritam, professionem continentiæ & promissionem violatam intelligit. Accedit ad horum patrum sententiam Sanctus quoque Hieronymus eodem modo Apostolum intelligens libro primo contra Iouinianum & in epist. ad Gerontiam. Itaque ad patrum consentientem sententiam & interpretationem ostendendam, hæc opinor prolata testimonia sufficient. Ex vtraq; enim & Græca & Latina Ecclesia tum antiquissimos tùm celeberrimos patres produximus. Ex Græca quidem, Basilium Magnum, Epiphanium, Chrysostomum, Theodoretum, Occume-

Patrum interpretatio. Hæres. 48.

B

In lib. de sancta virginitate cap. 31.

De adulterinis coniugiis. Lib. 1. cap. 14.

In lib. de vera virginitate.

C

Can. 18.

In commēt. ad 1. Tim. 5. homil. 15.

In commēt. ad Timoth. 5.

nium & Theophilactum: ex Latina verò præcipuas illas columnas, Augustinum, Ambrosiũ, D Hieronymum.

Conciliorum interpretatio.

Nunc Conciliorum hac de re placita & Decreta inspiciamus. Et primo loco, ipsæ Constitutiones Apostolicæ à Clemente conscriptę occurrunt; quæ meritò, quia ab ipsis Apostolis latæ sunt, Concilij robur & pondus obtinent. Itaque Paulinam hanc de viduis vel admittendis vel repellendis constitutionem repetẽtes, hæc Pauli quasi paraphrasticè exponunt.

constitut. Apost. lib. 3. Cap. 1.

Si iuniorem in viduali statu constitueritis & illa non ferens in iuuentute viduitatem, nupserit; dedecorabit gloriam vidualis gradus, & rationem Deo reddet: non quoniam secundas nuptias secuta est, sed quoniam suam professionem non seruauit, luxuriata Christo. Quare oportet non temerè facere professionem, sed cum consilio & consideratione. Præstat enim eam non vouere, quàm vouere & non reddere. Et paulò post. *Bigamia post professionem iniqua habenda est, non propter coniunctionem, sed propter mendacium.*

cap. 2.

Et hanc sanè constitutionem Apostolicam, à diuo etiam Paulo conscriptam, rectè intelligentes patres Carthaginenses, inter quos erat August. sic definitum reliquerunt.

Cõcil. Carth. 4. can. 104.

Si quæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à viro relictæ, se deuouerũt Domino; & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint; postea verò ad nuptias seculares transierũt, secundum Apostolum damnationẽ habebunt: quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt. Hæc illi patres & multa ibi in hanc sententiam plura.

Can. 27. Cap. 4.

Idem de viduis castitatem professam violantibus, pronunciat Conciliũ Arausicanum primum ante annos plus mille. Patres verò Concilij Toletani decimi, propter hoc Apostolicum Decretũ de viduali professione non violanda, decreuerunt; *vt vidua quæ sanctæ religionis obtinere propositum voluerit, scriptu professionem faciat; à se aut signo, aut subscriptione notatam, continentem; se & religionis propositum velle, & hoc perenniter inuiolatè seruare.* E Atque hæc ex Antiquioribus tantùm Conciliis, breuiter collegisse ad rem præsentem satis erit. Accedet postremo loco, etiam Supremi pastoris & primarij potestatis Ecclesiasticæ Subiecti testimonium, seu Decretum potius. Innocentius primus Rom. Pont. in Epistola quam vocat Didascalicam, siue Regularem ad Rothomagensem Episcopum, in hæc verba scribit.

Epist. 2. cap. 13.

Si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quanto magis virgines quæ pactionis suæ fidem minimè seruauerunt? Sic ergo patres, sic Concilia, sic Supremus Ecclesiæ pastor, imò, sic Apostoli ipsi, si Clementi credimus, hæc verba Pauli legerunt, intellexerunt, exposuerunt.

Hac tamen tota Authoritate penitus neglecta atque contempta, horum temporum hæretici, vt hæresim suam contra cælibatus propositum ac votum tueantur; priuatum & à seipsis inuentum atque excogitatum sensum sequuntur. Quorum vnus Martinus Chemnitius, solo (vt dixi) collationis Scripturarũ medio confisus, magna cõfidentia astruit; *primã fidem*, hoc loco, vel primã illam in baptismo fidẽ datã & acceptam: vel fidẽ ipsam iustificantem significare; nullo autem modo cælibatus aut viduitatis votum. *Magnis*, inquit, *contentionibus disputatur quam fidem hoc loco Paulus intelligat. Sed si ipsius Pauli disputationem quærimus, res non est obscura.*

examinis par. 3. cap. 9. diuis. 4. Chemnitij collatio.

Móxque collationem Scripturæ aggreditur, vt hoc certissimo Medio, germanum verborum, sensum eliciat. *Non est opus*, inquit, *ex aliis Scripturæ locis exempla adducere. Sed in eadem illa Epistola priori ad Timotheum extant exempla huius phraseos, aliquoties repetita.* Vt cap. 1. *Non habentes* F *conscientiam, naufragauerunt circa fidem.* Cap. 2. *Si permanserit in fide.* Cap. 4 *Quidam deficient à fide.* Et cap. 5. *Qui domesticorum suorum curam non habet, fidem negauit & infideli deterior est.* Cap. 6. *Quam quidam appetentes* (auaritiam scilicet) *errauerunt à fide.* Et secunda ad Timotheum 2 *Subuerterunt quorundam fidem.* Et cap. tertio. *Reprobari circa fidem. Quæ sententiæ omnes loquuntur, de vera, viua, & iustificante fide. Quam docent excuti, abiici, & amitti, duobus modis. Vel per peccata contra conscientiam, vel admisso errore in fundamento, aut fundamento religionis subuerso. Iam verò in loco illo de viduis, de quo disputatio est, eadem extat phrasis, de abiecta fide; & res etiam congruunt. Officia enim ministerij sui fraudulenter facere, & contra Christum petulanter lasciuire, sicut Paulus viduis illis tribuit, peccata sunt excutientia fidem. Et deserta via Domini, Satanam sectari, subuersio est fundamenti fidei & religionis, sicuti ostensum est.* Nempe paulò ante hoc ostendere conatus est; quum in immensum exaggerans illa verba, *Cùm luxuriatæ*

Chrysostomus. Theodoretus. Ambrosius. Theophilactus.

fuerint in Christo, contra omnium veterum sententiam (qui illud exponunt, de Ecclesiastico subsidio accepto malè ab ipsis & turpiter collato; dum ea occasione, non ministerio & vsibus sanctorum, id est fidelium, deseruiunt: non orationi & pietati incumbunt; sed in summo otio viuunt, & (vt Apostolus statim subiicit) *otiosæ* quum sint *discunt circuire*

domos;

A *domos; non solùm autem otiosæ sed & verbosæ, & curiosæ* (mulierculalarũ vulgarium more) *loquentes quæ non oportet*: affirmet illud *luxuriari*, tantam lasciuiam & petulantiam contra Christum fuisse, vt planè à via Domini recesserint, *conuersæ retro post Satanam* (quæ tamen verba non de hac luxuria, sed de secundis post votum nuptiis interpretantur etiam patres) & omnimodam tandem apostasiam seu defectionem à fide & religione Christi incurrerint, vt vnà cum ministerio viduarum, etiam Christianismi professionem abiecerint, & abnegarint. S. Thomas in Cōment. ad hūc locum.

Hæc Chemnitij interpretatio & Collatio est. Sed videamus nunc quàm illa vana & fallax sit. Sanè non obseruauit Chemnitius, quod ipsemet paulò ante obseruandum esse monuit. *Diligenter*, inquit, *considerandum est, non quid hic vel ille interpretatur, sed quam sententiam fidei analogam verba & circunstantiæ textus præbeant. Non enim vllus certior, quàm Scriptura sui ipsius interpres est.* Verba ergo & circunstantiæ textus consideranda, loca conferenda sunt, sed ad sententiam eruendam fidei analogam, id est, quæ respondeat & consentiat analogiæ, rationi, seu Regulæ fidei, vt suprà diligenter docuimus. Nunc autem Chemnitius, quia sententiam quærit, non fidei analogam, sed à vera fide prorsus alienam; non quæ Regulæ fidei respondeat, sed quæ nouam suam hæresim adiuuet; propterea in tota ista verborum & circunstantiarum consideratione, maximéque in locorum, quæ tot citauit, collatione, toto cælo errauit. Hæretica enim sententia quam hoc loco stabilire vult, & supponit, hæc est. Votum cælibatus non obligare, contra manifestam Scripturam, *vouete & reddite*: contra manifestam B Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, vt tota praxis in contrarium ostendit: contra Conciliorum & Sanctorum Patrum sententiam vnanimem, vt iam explicatum est. Quia ergo huic hæresi analogam sententiam quærit, non autem fidei Catholicæ analogam, idcirco errat. Id autem quo modo factum sit, nunc explicemus. Vult Apostolum per primam fidem à viduis illis volentibus nubere irritã factam, fidẽ iustificantẽ intelligi, hanc ob causam, quia in eadem Epistola tot sententiæ vocabulum fidei, pro tali fide expresserunt. At verò quis nescit, vocabulum fidei in Scripturis multa significare, ideóque, vt quidem sæpissimè pro viua & iustificante fide accipi, ita aliis in locis alios quoque frequenter sensus habere? Exempli gratia. Fides aliquando significat ipsam doctrinam fidei, siue materiam credendorum, quatenus opponitur ipsi infidelitati, seu hæresi seu cuicunque falsæ doctrinæ. Qualia illa sunt. *Fides ex Auditu. Vt sani sint in fide. Enutritus verbu fidei. Infirmum in fide assumite. Vna fides. Secundum rationem seu analogiam fidei.* Et alia multa his similia: imò loca illa omnia à Chemnitio citata, vt mox ostendemus. Quæ tamen ille fidẽ iustificantẽ omnia significare ignoranter affirmat. Rom. 12. Suprà lib. 7. cap. 1. & seq. Psal. 75. Eccl. 5. Ionæ. 2. Fidei significationes variæ.
1. Rom. 10. Tim. 1. 1. Timoth. 4. Rom. 14. Ephes. 4. Rom. 12.

Aliquando simplicem assensum rebus credendis significat, quatenus opponitur infidelitati vel potius incredulitati. Vt ad Rom. 1. *Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.*
2. Rom. 12. Rom. 4. Rom. 9. Philip. 3.

Aliquando effertur pro habitu fidei seu gratia quæ est principium fidei, & quatenus opponitur legi siue naturæ viribus. Vt his in locis. *Deus diuisit mensuram fidei. Ideo ex fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio. Gentes apprehenderunt iustitiam quæ ex fide est. Israel verò in legem iustitiæ non peruenit. Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex Deo est iustitia in fide.*
3. 1 Cor. 14. Iacob. 2. 2. Timoth. 2. Apoc. 2.

Aliquando etiam prout distincta virtus est ab C ipsa charitate, cæterisque virtutibus; quo sensu vera quidẽ est sed nõ viua fides. Vt in locis istis apertè. *Manent hæc tria. Fides, spes, charitas. Fides sine operibus mortua est. Quæ à me audisti in fide & in dilectione Iesu Christi. Noui opera tua, & fidem & charitatem, & ministerium, & patientiam tuam*, &c.
5. Rom. 14.

Aliquando etiam pro Conscientia accipitur, quæ propter ligamen & vinculum dictantis rationis assimilatur fidei. *Qui discernit, si manducauerit, damnatus est quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*,
6. Matth. 17. Marc. 11. Matth. 9. & 8.

Interdum quoque pro fiducia & confidentia ipsa alicuius beneficij accipiendi accipitur quatenus diffidentiæ opponitur. Vt illud. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, &c. Habete fidem Dei.* Denique & illud. *Fiat vobis secundùm fidem vestram.* Et rursum. *Quid timidi estis modicæ fidei?*
7. Matth. 13. Marc. 9. Matth. 8.

Denique de hoc genere fidei manifestissimè, non semel monuit eos Christus apud quos miracula fecit: vt tam sine ea nihil se operari posse, quàm per eam & propter eam quiduis operari velle ostenderet. Nam & in patria sua, *non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum*, & discipulos non valentes Lunaticum sanare, hoc nomine reprehendit, quòd non satis firma fide rem aggressi essent, dicens. *O generatio incredula, quàm diu apud vos ero? quàm diu vos patiar?* & econtra patrem Lunatici ad fidem hortatur, dicens: *Si potes credere, omnia sunt possibilia credenti.* Atque hoc in sensu, aliquando dicitur. *Fides tua te saluam fecit.* Postremò aliquando pro fide iustifi-

Rom. 3. & 5.

D

cante, id est, pro principio & fundamento iustificationis (neque enim aliter fides iustificat,) accipitur. Vt illud. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes. Iustificati ergo ex fide*, &c. Quid ergo? Quum tot modis fides accipiatur, si quis in aliquo vno horũ sensuum, vocabulum fidei interpretari velit, recténe refutabitur, quia aliis in locis aliud significat illa dictio? Et quæ tunc ergo ipsius fidei interpretatio, solida vnquam aut certa erit? Itaque non satis est probare, fidem apud Apostolum pro fide iustificante interdum accipi, vt illorum interpretatio reprobetur, qui aliquando fidei vocabulum aliter exponunt, ne eadem ratione & alij omnes huius vocabuli sensus explodantur. Sed ipsius loci circunstantia, secundum fidei analogiam & Regulam inspicienda & consideranda est, vt quo sensu accipienda sit, intelligatur. Alia quoque media supradicta diligenter consulenda sunt. Vt videlicet, quid Sanctorum patrum consentiens interpretatio doceat; quid vniuersæ Ecclesiæ Generalis aliqua praxis ea in re obseruet; denique quid Sacra Concilia, vel etiam supremus Ecclesiæ pastor aliquando decreuerit; inspiciatur.

Etsi fides in Scripturis alibi pro voto non accipiatur, Authoritati tamen Ecclesiæ sic eam hoc loco interpretantis non esse resistendum.

E

At, inquies, & si tot ac tanta fidei vocabulum in Scripturis significet, præter fidem iustificantem, tamen pro voto nusquam accipitur. Sic enim ait Chemnitius. *Vocabulum fidei pro voto in Scriptura nullibi vsurpatur*. Sit sanè ita, hoc sensu in scriptura fidem nusquam accipi. Quid tamen obstabit hoc nihilominus loco, vtcunque semel id fiat, eo sensu accipi? Multa enim huiusmodi tum vocabula, tum phrases esse suprà ostendimus. Deinde fac me illud ostendere nõ posse, vt qui illud in Scripturis hactenus non obseruauerim: An proptereà tantam Authoritatem Supremi Pastoris mei, Sacrorum Conciliorum, Sanctorum & doctissimorum patrum, aliter illa verba (vt iam ostensum est) interpretantium, propter alium alibi horum verborum sensum, reiiciam? Nonne potius existimare debeo, ipsos Sanctissimos patres, Concilia, & Supremum illud Ecclesiæ Cap. Pom. Pont. hos alios sensus verbi, fidei, minimè ignorasse; grauissimis tamen de causis adductos, hoc vno in loco aliter exposuisse? Certè hoc fidelis officium est, tantæ Authoritati simpliciter acquiescere. ne sane, si non Authoritate sed eruditione & argumentis (seposita Ecclesiæ Authoritate) rem totam explorare & inuenire volumus; vel in Magistros aut fallaces & operarios subdolos, & mendaces, aut imperitos & ignorantes, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes incidamus, qui etiam docti & scioli videmur; vel etiam vniuersum fidelium vulgus qui de doctis & indoctis Magistris, de argumentis firmis vel infirmis, de collatione locorum dextera & sana vel sinistra & praua, iudicare nesciũt; sed sola fide pascuntur, & in religionis tutissima Arce continentur, ab omni Scripturarum aut rerum controuersarium intelligentia penitus excludamus. Sed Authoritas (vt suprà explicatum est) tutos facit in fide infirmos: vt intra Arcem & propugnaculum Authoritatis Ecclesiasticę recepti quum fuerint, ita demum fortissima ratione pro ipsis pugnetur. Ita que etsi ostendi non posset, fidem vllo alio in loco pro voto accipi, tamen nihil hoc tantæ Authoritatis iudicium & interpretationem infirmare debet.

Soprà lib. 10. cap. 12.

Quòd fides in Scripturis votũ significat.

Eccles. 5.

F

Gen. 44.

Act. 17.

πίστιν παρα-σχὼν πᾶσιν.

Rom. 3.

Sed & hac quoque in parte infirmitati paruulorum in fide succursum est. Votum enim nihil aliud est quàm promissio aliqua firma & pactio obligans vouentem ad præstandum promissum. Vnde sic apud Ecclesiastẽ legimus. *Siquid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunque voueris redde. Multóque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Vbi bis in eodem loco, votum promissionis seu pactionis factæ species quędam esse ostenditur. Fides autem in Scripturis etiam talem promissionem seu pactionem non raro significat. Sic in Genesi loquitur ad Ioseph Iudas. *In meam hunc recepi fidem, & spopondi, dicens, &c.* Rursum dicit in Actis Apostolus. *Iudicaturus est orbem in æquitate. in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Vbi per *fidem præstitam omnibus* (sic enim legit interpres Chrysostomi hunc locum) intelligitur certa dei promissio seu Decretum de futura Generali omnium resurrectione & iudicio. Clariùs autem alibi *Nũquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Id est, promissionem semini Abrahæ factam, & pactum initum. Atque hoc sensu, à tali scilicet fide, vocatur Deus in Scripturis fidelis, id est, verax, & eius verba fidelia. vnde statim sequitur apud Apostolum. *Absit. Est enim Deus verax.* Et alibi. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, &c.* &c. *Fidelis Deus qui vocauit vos, qui etiam faciet*: scilicet quod promisit & proposuit. Sic in Apocalypsi vocatur *fidelis & verax. Verba* quoque eius *fidelissima & vera*. In tali omnino & simili sensu dicuntur in hoc loco (de quo nunc est disputatio) viduæ *habere damnationem volentes nubere, quia primam fidem*, id est, primam promissionem & pactionẽ Deo factam, primum propositũ firmum & stabile de non nubendo (de quo genere Apostolus alibi dixit: *Qui stabit in corde suo firmus, non habens necessitatem*,

1. Cor. 10.

1. Thessal. 5.

Apocal. 5. 19. 21. & 22.

1. cor. 7.

A *necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit) irritam fecerunt.* Prima enim seu prior (hunc enim esse Scripturæ loquendi morem etiam ipse Chemnitius obseruauit, sed contra seipsum vt mox ostendemus) fides facta, fuit hoc firmum propositum, in corde vt minimùm factum, seruandi viduitatem suam. Et hoc prius propositum, seu votum firmum & stabile, quia postea violauerunt, volentes scilicet nubere, & habentes contrarium propositum, quo directè & propriè irrita facta est prima fides data, ideo damnationem habuerunt. Et notandum est, quòd non ipsi luxuriationi in Christo, vtcunque illam Chemnitius præter omnem modum & veritatem exaggeret, sed huic peruersæ voluntati, quòd post promissum & votum volunt nubere, tribuit Apostolus damnationis causam. Clara enim & manifesta sunt verba.

Quæ fuit damnationis causa in illis viduis.

Quum (inquit) *luxuriatæ fuerint in Christo. volũt nubere. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* In eo sanè quòd volunt nubere. Præcessit enim hanc voluntatem prauam ipsa luxuriatio. Ait enim. *Quum luxuriatæ fuerint*, id est. Postquam abutentes Ecclesiastico subsidio, otio se dare (quod libidinis est mater & nutrix) cæperunt, paulatim etiam ab ipso proposito status sui exciderunt, volentes nubere, & à proposito viduitatis resilire priorem fidem irritam fecerunt, id est, prorsus abruperunt. Non enim ipsa luxuria votum ipsum & pactum conseruandæ viduitatis, quatenus tale, violat, sed solùm voluntas aliqua praua, huic voto directè contraria, qualis est velle nubere, & statim ipsum atque propositum mutare. Quemadmodũ sanè fidem & obedientiæ vinculum Principi datum aut debitum, non quæ-
B uis legum eius principis transgressio sed sola rebellionis intentio vel actus, violatæ fidei & læsæ Maiestatis reum facit. Rursum loca illa de fidei vocabulo & sensu à Chemnitio ex Apostolo citata, si de fide iustificante (vt asserit Chemnitius) omnia loquantur, profectò non omnem prorsus fidei rationem ac vim sublatam significant. Vult autem Chemnitius, dum illam luxuriationem contra Christum exaggerat, viduas istas *penitus apostatasse, Christianismi professionem abiecisse, & ita fidem abnegasse.* Hæc enim eius sunt verba, etiam antea citata. Quibus etiam addit, *talem hanc tandem defectionem à Christo & affectationem Satanæ fuisse, vt vel Iudaismum, vel Paganismum, vel Pseudoapostolos, id est, hæreticos sectari cæperint.* Quo sanè in loco, vt nouum planè sensum & à nemine veterum interpretum traditum affert vtcunque eum sibi perplacere Caluinus scribat:) sic & sibi ipsi contrarius est. Postea enim explicans hanc primam fidem quænam illa sit, quam istæ viduæ volentes nubere irritam fecerunt; affirmat *non ideo primam dici, quòd ea sit fides, quæ fundamentum est omnium virtutum & totius pietatis principium, quæque in Baptismo suscipitur, sed quòd sit illa viua & iustificans fides qua prius Deo placuerunt & quam luxuriando abiecerunt.* Sic enim vocari posteriora hominis ad vomitum redeũtis *peiora prioribus, τῶν πρώτων*: & in Apocalypsi accusari ministrũ Ecclesiæ Ephesinæ, quòd *primã charitatem reliquerit*, itémque moneri, *vt prima opera faciat*; id est, priora & præcedentia, non simpliciter prima. Hæc autem interpretatio, qua per primam fidem, professionẽ ipsam Christianismi in Baptismo acceptam intelligit, & noua est à nullo veterum tradita, & præterea aduersa est priori illi, qua per primam fidem, fidem iustificãtem, tot allatis Scripturis, intelligi oportere docuit. Neque enim fides illa quæ principium tantùm totius pietatis est (vt Chem-
C nitius loquitur) & fundamentum omnium virtutum, est illa fides viua & iustificans, de qua Chemnitius loquitur, quæ (vt Apostolus ait) per *dilectionem operatur*, quæ ipsas virtutes charitatem maximè, suo ambitu actu complectitur, quæ denique perfectio est iustitiæ nostræ in hac vita: sed est tantùm principium & fundamentum talis viuæ & operãtis fidei. Quanquam enim fides infusa, per se accepta vocatur fides iustificans, vt distinguatur à fide catechumenorum aut alia quacunque ad iustitiam in adultis disponente, non quidem quod sola per se totius iustificationis causa formalis sit, sed quòd ipsius iustificationis nostræ quatenus in nobis à Deo est, principium denotat; (neq; enim alio sensu fides ab Apostolo iustificare dicitur:) tamen à Chemnitio hoc loco à fide iustificante distinguitur, & ea vocatur fides quæ adiuncta sanctificatione hominem Deo gratum reddit. Nihil ergo iuuant illa tot loca per modum collationis tam diligenter producta, si tamen verum esset, quòd propter luxuriationem cõtra Christũ quæ coniunctam Apostasiam habebat, primam fidem viduæ illæ irritam fecerint & damnationem habuerint. Sic enim breuiter cum Chemnitio concludimus. Fides illa prima propter quam irritam factam, viduas illas damnatione habere Apostolus pronunciat, aut primam illam in Baptismo susceptam & professione Christianismi contestatam significat, quæ fundamentum omnium virtutum & principium totius pietatis est; aut non illam absolutè primam, sed priorem illam, qua Deo placuerunt in viduitate sancta viuentes, significat.

Vana Chemnitij exaggeratio & nouus sensus.

Instit. lib 4. cap. 13. par. 18.

Luc. 11.

Apoc. 2.

Chemnitius sibi contrarius.

Gal. 5.

Sic enim vtrasque ipsemet distinguit. Si primam, illam quorsum ergo collatio illa tot sententiarum ex epist. Pauli ad Timotheum producta, quum illæ omnes (te quidem interprete) de fide viua & iustificante loquantur, quæ multò excellentior virtus est quàm fides per se solitariè sumpta; imò quæ sola propriè loquendo, vera virtus est, quia charitate omnium virtutū forma & radice formatur? Si alteram hanc significat, quare ita luxuriationem illam exaggeras, vt ad Apostasiam planè illas viduas recidisse, & ipsam Christianismi professionem abiecisse, non solum à iustificante fide excidisse, tot verbis doceas? Imò quare etiam postea quosdam patres, Athanasium, Hieronymum, Vincentium Lyrinensem citas, qui per primam fidem, fidem quam in baptismo amplexi, & professi sumus, & quam per doctrinas hæreticas D
Lib. 6. de Trinitate. irritam reddimus (quod vos infeliciter fecistis) producis? Nec tamen hoc illi patres docent. Athanasius enim ait quidem hæreticis; *Væ vobis qui primam fidem Baptismi cælitus institutam irritam facitis.* Vbi alludit quidem obiter ad Apostoli phrasim (si tamen hoc facit) non autem vel locum Apostoli citat, vel tractat, vel vllo modo in hunc sensum exponit. Similiter
In præfat. epist. ad Tit. facit Hieronymus, dicens, *non esse eos dignos fide qui primam fidem irritam fecerunt, Marcionem, Basilidem & omnes hæreticos.* Et meritò quidem ad hæc verba in illo sensu alludunt patres.
Hæretici fœdifragi & Apostatæ. Sunt enim & omnes hæretici fœdifragi, & magni illius voti in Baptismo nuncupati, quo inter cætera, professi sunt se credere Ecclesiam Sanctam Catholicam, & Communionem
Tit. 3. Sanctorum, prophani & pestilentes violatores, habentes propterea damnationem grauissimam: imò etiam *proprio iudicio condemnati*, ideóque *post vnam aut alteram correptionem*, tanquam incorrigibiles & traditi in reprobum sensum, *deuitandi.* Quæ te verba Chemnitii, si E
quis in te pietatis sensus est, & plurimum commouere, & ad saniorem mentem reuocare possunt: nisi quòd de numero eorum fortasse es, qui (vt ait Tertullianus de hæreticis) *conuinci*
In præscript. *possunt, persuaderi non possunt.* Sed vide obsecro. Tu qui Patrum tot & tantorum, quorum verba produximus, clara & manifesta testimonia, ex proposito & diligenter hæc Apostoli verba
Chemnitij impudentia. tractantium & exponentium singulari impudentia prorsus contemnis, & ne hili quidem facis; vnius tamen aut alterius patris verba obiter dicta, & tantummodo ad modum loquendi alludentia, (si tamen hoc faciunt) auidè rapis, & studiosè producis. Quo in loco, quàm tuæ causæ miseriam, & nuditatem ipsemet prodideris, satis mecum vides & intelligis. Vides etiam ex his quæ dicta sunt, quàm te parum tua Collatio Phrasium Apostolicarum iuuerit, & quàm inanis prorsus totus ille labor fuerit.

Ex locis à Chemnitio citatis ne vnus quidem illum sensum habet quē affingit. In hoc etiam monendus & docendus es (si tamen doceri te amicè pateris) loca illa ex Apostolo à te collecta, nulla prorsus de fide iustificante esse intelligenda, (vt tu asseris) sed de ipsa fide vt distincta est à Charitate, & professionem seu doctrinam fidei agnitam significat; omnia ad vnum loqui: nec tamen eo sensu illa omnia loca exponenda, vt planè Apostasiam à fide ex præcedentibus peccatis contra conscientiam commissis, (vt tu tuorum more loqueris, quasi alia peccata vel ex ignorantia vincibili, vel ex passione, vel cupiditate commissa, nulla essent lætifera, & fidem iustificantem excutientia) directè factum fuisse doceant. Nam pri- F
1. Timo. 1. mum, in illis verbis quòd *quidam non habentes conscientiam naufragauerunt circa fidem*, intelligitur fides ipsa propriè dicta, vt professionem & agnitionem veræ doctrinæ significat. Sequitur enim apud Apostolum. *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* Naufragium ergo illud circa fidem, erat Apostasia à vera fide ad hæresim & blasphemias, non solùm iustificantis fidei iactura. Et quidem ad talem Apostasiam per modum occasionis induxit, quòd conscientiam non haberent. Non tamen directè & immediatè eius causa fuit: Aut si in illis fortasse erat, non tamen ex se talem Apostasiā semper pro-
1. Tim. 2. ducit. Rursum in proximis à te citatis verbis. *Saluabitur mulier per filiorum generationem, si per-*
1. Tim. 4. *manserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Vides apertè fidem nominari vt distinctam à dilectione virtutem, & à qua propriè fideles nuncupamur, non qua sola iusti & sancti sumus. Quod verò tertio loco sequitur, *discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, &c.* Nónne apertissimè fidem pro Orthodoxa & sana fidei doctrina ponit? Ab illa enim discedit, qui ad hæreses transit, non à iustificante fide tantùm. Nec alia etiam in proximè sequentibus verbis fides intelligitur, quæ tu tamen verba tuæ causæ mirum in modum patro-
1. Tim. 5. cinari (sed falsò) arbitraris. *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.* Fidem enim negauit, non propter nouas aliquas de Deo opiniones,
Quo sensu mali fidem negant. sed propter praua opera. Quæ sanè fidem eatenus negant, quatenus iam de rebus fidei intel-
Tit. 1. lectum & iudicium habet qui talia facit, non practicum, sed speculatiuum tantum: de quo
1. Ioan. 2. genere idem Apostolus dixit. *Confitentur se nosse Deum, factis autē negant.* Et alius Apostolus.

Qui dicit

Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Non quòd quolibet peccato
mortali deſinamus cognoſcere per fidem Deum, ac ſi euerſo domus tecto, conſequatur quo-
que & fundamẽtum neceſſariò eadem opera ſubuerti; ſed quia, non ſic nouit Deum vt opor-
tet, ac debet cognoſci. Nam & in moralibus idem occurrit, vt qui dicat ſe cognoſcere virtu-
tes, & turpiter viuit, mendax ſit: quia verbo confitetur, factis negat: & cognoſcit quidem
ſpeculatiuè, ſed neſcit practicè: quo ſanè modo ſciri eas oportebat. Finis enim earum eſt, non
cognitio ſed actio. Rurſum dicitur *infideli deterior*, non quòd ſtatus vitæ huiuſmodi ἀόργυς ſit Luc. 12.
deterior ipſius infidelis ſtatu, ſed quòd grauius hoc ſit in eo peccatum quàm in infideli. *Qui
enim nouit voluntatem domini & non facit, vapulabit plagis multis.* Nec ergo ſic iſte fidem nega-
uit, vt Apoſtata factus ſit, nec viduæ volentes nubere aut luxuriantes in Chriſto ſic irritam fi-
dem fecerunt, vt propterea apoſtatarint à fide. Hactenus ergo nullus ex his locis de fide iuſti-
ficante loquitur. Sed nec ſequentia vlla hoc faciunt. Quod enim ſequitur, *Quam quidam appe-* 1. Timoth. 6.
tentes (auaritiam ſcilicet) *errauerunt à fide*: Et rurſum. *Quidam promittẽtes falſi nominis ſcientiam
circa fidem exciderunt*, apertiſſimè in poſtremis verbis, de fide quam hæreſis ſuſtulit, in priori-
bus verò de eadem etiam loquitur: quia auaritia inducit per occaſionem ad ipſius fidei abne-
gationem: dum videlicet fidem potius abiurare malunt, quàm tempore perſecutionis fortu-
narum iacturam ſubire. De quo genere hominum & ſuo tempore grauiter conqueritur Cy- In ſerm. 5. de
prianus, & hodie noſtra Anglia quàm plurima ſuppeditat exempla. Proximo verò loco quid lapſis.
apertius? Diſertè loquitur Apoſtolus de hæreticis. *Ex quibus* (inquit) *eſt Hymenæus & Phile-* 2. Timoth. 2.
B *tus: qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorundam* 2. Timoth. 3.
fidem. non ſanè iuſtificantem tantùm illam, ſed & ipſam ſanam doctrinam de fide. Nec po-
ſtremus locus de alia fide loquitur. *Mente corrupti, reprobi circa fidem.* Manifeſtiſſimè enim de
illis loquitur qui in nouiſſimis diebus, inſtantibus temporibus periculoſis, quæ hodie à Lu-
theri prima Apoſtaſia his totis 60. annis, maxima cum religionis Catholicæ & Chriſtianæ ia- *Chemnitij ſin-*
ctura ſenſimus, futuri erãt, *qui reſiſtent veritati, corrupti mente, & reprobi circa fidem*; quos etiam *gularis impudẽ-*
Iamni & Mambre comparat Apoſtolus: quia ſic reſiſtunt iſti Cathedrę Petri, ſicut illi Moyſi. *tia vel inſcitia.*
Quanta ergo Martine Chemniti tua vel impudentia, qui omnes has ſententias de viua & iu-
ſtificante fide loqui affirmas, quum ne vna quidem illarum de illa loquatur, vel craſſa inſcitia,
qui ipſam doctrinam ſanam de fide, vel eius profeſſionem, (quam ipſemet pro fundamento
tantum virtutum & pro principio pietatis accipere te oſtendis,) cum iuſtificante fide confun-
dis? Maior autem illa tua fraus eſt, quòd quum malis per primam fidem hoc loco iuſtifican-
tem fidem intelligi qua prius hæ viduæ Deo placuerunt, quàm fidem in Baptiſmo ſuſceptã
aut profeſſionem fidei, illa tamen loca ad verborum Apoſtolicorum ſenſum explicandum
produxiſti, quæ de ſola illa altera, non de hac loquuntur.

Sed his te tenebris inuoluis, & difficultatum nodis irretitus teneris, quòd in Sacras Scri- De vtilit. cre-
pturas *ſine duce irruis, & de illis ſine præceptore audes ferre ſententiam.* Quod in ſuo Honorato, dendi cap. 7.
de ſecta Manichæorum, grauiter reprehendit Auguſtinus. Nec enim Eccleſiæ patres præce- *Cauſa erroris*
ptores habere dignaris. Magis te tua lux, quam in Scripturis tuo te Marte deprehendere poſſe *Proteſtãtium in*
C valdè arroganter præſumis, in examine & intelligentia SS. Scripturarum inſtituere, iuuare, & *exponendo Scri-*
veritatem latentem aperire poſſe tibi videtur, quàm illi Chriſtianorum Magiſtri & Patres, de *pturas.*
quibus Chriſtus dixit: *Vos eſtis lux mundi.* Quod quàm præpoſterè & temerè à te fiat, ipſemet, Matth. 5.
ſi paululum attendas, facilè perſpicies. Certè hic vnus locus tam à te infeliciter tractatus, & ti-
bi & aliis documento eſſe poteſt, quàm non ſolum imprudenter & temere, ſed perniciosè etiã
& impiè fiat, in exponenda Sacra Scriptura, regulam fidei, praxin Eccleſiæ Catholicæ vni-
uerſalem, Sanctorum Patrum conſentientes ſententias, Conciliorum iudicia, Supremi Pa-
ſtoris ſenſum & doctrinam deſerere, atque pro his omnibus, Collationem locorum Scri-
pturæ proprio ſtudio & Marte ſectari, ex eáque verum & germanum Sacræ Scripturæ ſen-
ſum haurire ſe poſſe ſibi perſuadere. Poſtremò quàm à te falsò temerè, & imprudenter ſit
dictum (quamuis magna confidentia id dixeris) *ex hac tua diſputatione perſpici poſſe, quanto
certiùs, rectiùs. firmiùs, & iucundiùs interpretatio Scripturæ ex ipſis fontibus, quàm ex ciſternis hu-
manarum commentationum petatur.* Nam vt taceam iam planè contrarium perſpectum
fuiſſe, qua fronte tu homo ſuperbus, tot SS. Patrum & Conciliorum, totiúſque Eccleſiæ *Chemnitij pro-*
Catholicæ ſententiam & iudicium, *ciſternas humanarum commentationum* vocas? Itáne *cax arrogantia.*
verò Chemniti, omnia illorum Patrum iudicia, & Eccleſiæ diuino Spiritu animatæ vox,
humana tibi commentatio videtur, nec humana tantum, ſed & putida ciſterna? Sed
vide quæſo Manticæ quod in tergo eſt. Statue teipſum contra faciem tuam. Tu qui es

Quàm superbè & præposterè SS. Patrum interpretationem cisternas humanarum commentationum Protestantes vocẽt.

Nónne etiam homo? Tuæ ergo commentationes, quid nisi humanæ sunt? Vis etiam vt cisternas illas vocemus? Tu Scripturas tractasti, contulisti, expendisti. Tractarunt, contulerunt, expenderunt easdem & illi Patres. Non insipienter dico, plus illi. Tu ne Ecclesiæ quidem membrum es, seclusus per schisma & hæresim à toto eius corpore. Illi Ecclesiæ capita fuerunt. Tu nec ouicula es gregis dominici; Illi ouilis dominici Pastores extiterunt. Tu nec discipulus es docentis Ecclesiæ. Illam enim non audis, sed corrigis superbus Censor, & vniuersæ Ecclesiæ Aristarchus arrogantissimus. Illi Ecclesiæ Doctores fuerunt longè celeberrimi & doctissimi. Tu ne filius quidem es Catholicæ Matris, qui & hanc ipsam nuncupationem, si tuorum more facis, affatim irrides & egregiè subsannas. Illi Sanctissimi Ecclesiæ Patres & sunt, & toto Christiano orbe pro huiusmodi celebrantur. Illi denique sic Spiritum Dei habuerunt, vt amplissima eius dona tum in eorum vita clarissimè præluxerint, tum in doctrina luculentissimè floruerint. Tu verò non solùm sic animalis es homo, vt non sapias ea quæ Spiritus Dei sunt, sed ita præterea animalis es, vt nec Spiritum Dei habeas, quia te segregasti, vt Iudas Apostolus nos docuit de te tuíque similibus pronunciare. Tu postremò ita homo es, & humana tantùm commentatio est quicquid commẽtaris, vt nulla prorsus Authoritate docendi præditus, non vocatus vt Aaron, non missus legitimè ad prædicãdum, non datus Ecclesiæ vt Pastor aut Doctor, sed *apud conuenas tuos temerarios* (vt Cypriani verbis vtar) *sine diuina dispositione* ministerio *præfectus*, fueris. Illi verò Ecclesiarum Episcopi, & præpositi legitimè vocati, missi & instituti, diuina planè Authoritate polluerunt, vt est à nobis in hoc opere antea demonstratum. Et audes tamen homo vel insigniter superbus, vel crassè ignarus, audes inquam, nec ouicula, nec discipulus, nec filius, nec denique membrum Ecclesiæ, nec Spiritus Dei omnino particeps, nec vlla Authoritate donatus; ipsos Ecclesiarum vigilantissimos pastores, celeberrimos Doctores, Sanctissimos patres, præcipua Capita, nobilissima Spiritus Sancti organa, Episcopos & Præpositos in Ecclesia Dei, leuiter præterire, negligere, spernere; superbè taxare, reprehendere, damnare; denique eorum Iudicia, *humanarum commentationum cisternas* proclamare? Sed meminerimus hæreticorum frontem meretriciam esse, vel potius nullam. Itaque hoc in te non miramur, sed seriò dolemus. Lectorem verò Orthodoxũ eius rei diligenter admonitum volui. Quam solam ob causam hoc exemplum Collationis tuæ, ad id quod in genere antea diximus, luculentius demonstrandum, in medium producere operæprecium duxi.

Qui se segregauerunt, animales, Spiritum nõ habentes.

In lib de vnit. eccles.

D

E

Quòd inspectio fontium, textus scilicet Hebraici vel Græci, incertum est & parum sufficiens Medium ad SS. Scripturarum intelligentiam certam consequendam.

F

CAPVT XII.

ADHVC vnum superest ad intelligendas & exponendas Scripturas Medium, quod tantam vim habere Protestantes hodie existimarunt, vt eo solo freti, vniuersæ Scripturæ germanum sensum nullo se negotio rimari & inuenire posse existimauerint; magno supercilio & ex alto despiciẽtes, reliquos doctos omnes qui in hoc exponẽdi Medio versati non sunt. Hæc est inspectio fontium & originis ipsius Hebraicæ vel Græcæ cum Latina aut alia aliqua versione diligens collatio. Equidem eam magnam vim habere ad illustrandum id quod obscurius & minus clarè interpres vertit, non assecutus semper genuinam linguæ Phrasim, idioma, & gustum, facilè cõcedo, & nemo doctus negauerit. Sed is modus tenendus est, vt nec rusticè sacros illos fontes cõculcemus, vel barbarè explodamus, nec etiam id illis tribuamus, quod nullo modo tribuendum recta ratio docet. Itaque primùm aio inspectionis fontium non tantam esse nunc necessitatem quanta olim fuit, quia vna nunc est certa & authentica vtriusque instrumenti versio, non solùm longo vsu recepta, & magna ex parte à doctissimo interprete S. Hieronymo trãslata, sed etiam disertè ab Ecclesia in Concilio Generali approbata. Olim enim *propter diuersitates interpretum* (dicebat Augustinus) *illarum linguarum cognitio fuit necessaria, quum Latinorum interpretum nullus esset numerus.* Quum

Verus vsus inspectionis fontium.

I.

Non est nunc tã necessaria fontium inspectio.

Conc. Trid.

De doctrin. Christ. lib. 2. ap. 11.

A ergo olim ad tantam interpretum varietatem corrigendam ipsius fontis inspectio esset necessaria, illa nunc cessante varietate (neque enim hæreticorum hodie versiones, interpretũ numero censeo habendas, sed interpretes voco qui in Ecclesia, & in fide Ecclesiæ interpretati sunt) cessat quoque & tanta necessitas. Deinde vtcunque esset etiam hodie necessaria, (nam laudabilem & perutilem esse ad illustrandum, vt dixi, obscuriùs versa non abnuo) nihilominus contra regulam fidei, sonare mihi fons aut sapere nec potest nec debet. Sed quod de varia pronunciatione & distinctione textuum docuit Augustinus, vt regulæ fidei illa subseruiant, & iuxta Regulam fidei vel emendentur vel approbentur, idem de Hebraici aut Græci textus origine censendum est. Non quòd verus primæve linguæ textus falsus esse potest; sed quia minus mihi certus est, magisque peruerti & corrumpi potest, quàm regula fidei Christianis omnibus notissima, quæ *irreformabilis & immobilis est*, vt rectè scripsit Tertullianus. Idem quoq; de aliis Mediis certis illis & authenticis à nobis antea cõstitutis censendũ est, nullam quantumcunque diligentem fontium inspectionem contra illa aut illorum aliquod valere posse. Non quòd fontium inspectio sit prorsus inualida aut inutilis, sed quòd certius sit inspectorem ipsum aut falli posse ex imperitia, aut etiam fallere ex astutia, (quorum vtrumque hæreticis accidit, sed posterius hoc magis) quàm Ecclesiæ tantam authoritatem diuino Spiritu infallibiliter instructam vel falli posse vel fallere.

2. *Inspectio fontiũ non debet sonare contra Regulã fidei.*

De doctrin. christ. lib. 3. cap. 2. & 3.

In lib. de velandis virginibus.

Deinde quòd S. Hieron. S. August. aliique patres inspectionem fontium diligenter suadent, consulunt, laudant; tunc quidem sanè eo magis locum habuit, quo origines ipsas magis B tunc integras & certas illos Patres habuisse, certum est. Neque enim vel veteris instrumenti Græcum exemplar quod nunc circumfertur, ipsorum esse 70. interpretum versionem incorruptam multi docti grauissimis rationibus adducti iudicarunt, neque Hebraicum textum (maximè punctis adhibitis quibus nunc legitur,) ab omni vel corruptione vel certè varietate liberum esse, certissimis argumentis deprehensum est. Qua de re legi potest Gul. Lindanus in lib. de optimo genere interpretandi: Melchior Canus lib. 2. cap. 13. locorum Theologicorũ qui de hac re tota doctissimè & copiosissimè disputauit. Necnon & Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ lib. 8. in confutatione hæresis 13. & vltimæ. Nos enim Actum hîc agere nolumus. Tantùm semina argumentorum ponimus.

Fontes olim magis puri quàm nunc.

Rursum, & si nunc vterque textus integer, totúsque fons incorruptus haberetur; nihilominus, pro vario etiam ipsorum doctissimorum interpretum iudicio circa textus intelligentiam, nihil certum, stabile & firmum sine prædicta Authoritate haberi potest. De qua quidem interpretum varietate, qui fontes ipsos diligentissimè inspexisse, & consuluisse meritò existimari debent, pauca nunc exempla subiiciam, vt in reliquis hactenus Mediis feci. Hinc enim sanè liquidum & perspicuum fiet, in quæ nos incerta & deuia viarum cõiicimus, qui relicta certa & approbata diuinæ Scripturæ lectione, eiúsque interpretatione per Ecclesiæ Authoritatem nobis tradita, ad fontes & origines tanquam ad aliquid certius recurrimus. Primum, illud מקדם Genes. 2. quod nostra versio vulgata legit, *à principio*, Hebraicæ linguæ peritiores interpretantur ab Oriente, vel contra Orientem, *plantauit Deus paradisum voluptatis*; quasi locum non tempus plantati paradisi illa dictio notaret. Nihilominus Aquila vertit, ἀπὸ ἀρχῆς. Symmachus verò, ἐκ πρώτης: Theodotio, ἐν πρώτοις. Interpretes 70. vt C Aquila. Quid hîc ergo certi & indubitati, inspectio fontis suppeditabit? Certè homini contentioso, nihil aliud nisi rixæ & reprehensionis materiam dabit. Rursum nostra editio habet Psal. 2. *Apprehendite disciplinam*, iuxta 70. interpretes, qui sic legũt. δράξασθε παιδείας. At Hieronym. vertit. *Adorate purè*. Campensis verò & alij iuxta Hebraicos codices modernos. *Osculamini filium*. Quanuis sanè illa dictio, *Bar*, quam hodie Hebraicus textus tenet, Chaldaica potius vox sit quàm Hebraica; nec vllo modo verisimile sit, imò planè incredibile Dauidem qui tanto ante Captiuitatem Babylonicam, vbi Hebræi Chaldaicè loqui cœperunt, scripsit; voce Chaldaica vsum fuisse. Certè vulgatam editionem apertè confirmat paraphrastes ille Chaldaicus, Ionathas Targhum, maximæ Authoritatis, dum hunc locum sic interpretatur. *Recipite doctrinam*. Rursum psal. 4. quod nostra vulgata editio habet, *vsquequo graui corde*, habent quoque & 70. interpretes. ἕως πότε βαρυκάρδιοι. Hebræi autem codices, vt nunc sunt, ea verba habent, vt sensus sit. *vsquequo gloria mea ad ignominiam*. Qui quàm diuersus ab altero sensus sit, nemo non videt. Verùm enimuerò (vt aliquam huius varietatis seu erroris potius in ipso fonte coniecturam faciamus) si vox illa posterior, לכלמה, in duas diuidatur, vt olim sanè in veteri lectione diuidebatur, & Caph in Beth, כ in ב dennò commutetur (à quâ litera ad alteram facillimus lapsus est) punctorum quoque (quæ non nisi aliquot post Christum

4. *Varia interpretationes eiusdem fontis.*

Exempla locorũ quæ variam habẽt ex fontibus lectionem.

centenariis apposita fuisse, omnibus constat) duabus prioribus syllabis substratorum fiat mu- D
tatio; manifestè demonstrabitur vulgatæ editionis lectio, (quæ etiam, vt diximus, cum 70. conuenit,) vetustissimæ Iudæorum lectioni consentanea esse. Rursum quod Psalm. 67. legimus. *Qui habitare facit vnius moris in domo*: pro *vnius moris*, Symmachus habet, *μοναχοὺς*: id est, *solitarios*: Hebræi moderni, *vnicos*: at 70. conformiter nostro textui, *μονοτρόπους*. Eandem lectionem amplectitur non modo Euthymius, sed antiquissimus etiam Ignatius, epist. 4. ad Tarsenses. In eodem verò psalmo pro voce illa geminata, *Dilecti, dilecti*, id est, dilectissimi, vbi 70. habent simpliciter sine repetione, τοῦ ἀγαπητοῦ; quidam hodie noui interpretes vertunt: *Fugerũt, Fugerũt*: Alij; *Iaculati sunt*: Munsterus verò, *fugiẽtes elabebantur*. Chaldæus, *Migrauerũt*. Sunt & qui in futuro efferunt. Fœlix enim & Campensis vertunt *Fugient*. Hieronymus quoque: *Fœderabuntur*. In hac ergo tanta & tam multiplici varietate, quid certum, firmum, & indubitatum habebit lector, nisi ad illam Authoritatem recurrat quam Christus in terris posuit, à qua discat tam germanæ Scripturæ authenticum textum, quàm ipsam Scripturam? Denique quum in versu illo, *viduam eius benedicens benedicam*, alij pro *viduam*, legant *victum*; alij *Escam* iuxta Hebraicum fontem, interpretes tamen 70. legunt τὴν θήραν αὐτῆς: id est, vena-

Psal. 131.

tionem eius: quibus etiam astipulantur S. Hieronymus & Ionatas Targhum. Et quamuis dictio vidua, hoc loco nihil habet affinitatis cum Hebræo, non est hoc tamen vel interpreti latino vel scribæ cuipiam ascribendum, iuxta frigida & ridicula quorundam protestantum cõmẽta. Non solùm enim Augustinus, Hilarius, aliíque latini scriptores ita ante annos plus mille legerunt, sed etiam Apollinarius, antiquissimus scriptor, eodem modo interpretatus est. Sic E
enim habet in carmine suo huius loci paraphrastico.

Δώματα μὲν πλήσαιμ' ἀγαθῶν ἐπιδευέα χήρας.

Vnde sanè lectionem hanc ante annos 1200. in Ecclesia Antiochena receptã fuisse apparet. Vocum autem græcarum similitudinem huic mutationi occasionem dedisse certum est. θήρα enim venationem, χήρα viduam significat. Iam verò manifestissimus ille est Hebraicorum hodie codicum error, quòd Psal. 21. pro eo quod nostra lectio habet, *foderũt manus meas*

Manifestus hebraicorũ hodie codicum error.

& pedes meos, quod & 70. retinent. ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας μου. quod & Hieronymus sequitur, vertens, *fixerunt manus meas, &c.* Hebræi legunt *Caari*, id est, *quasi Leo*: quum vera lectio sit Caaru; vti etiam habet liber vetustissimus diui Augustini Cantuariensis in Anglia Archiepiscopi & Apostoli gentis nostræ; quem etiam librum in manibus Ioannis Clementis Medici ante aliquot annos vidi, locúmque inspexi. Quòd si hic ergo Hebraico fonti, vt nunc est, mordicus adhærere volumus, clarissima & euidentissima de ipso Passionis Saluatoris nostri modo & forma prophetia, è manibus nostris Iudæorum perfidia eripietur. Atque hæc manifesta est ipsius fontis corruptela & culpa. Redeamus nunc ad alia variæ & incertæ ex fontibus versionis exempla. Genes. 6. legit editio nostra seu potius sancti Hieronymi versio: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*. Ex Hebræo autem sic efferunt. *Non litigabit, &c.* Rabbi Salomon & Lyranus interpretãtur; *Non disceptabit*. Chaldaica expositio F
sic habet. *Non erigetur generatio putrida contendere coram me in æternum*. Rabbi Iuda, Burgensis & Georgius Venetus vertunt. *Non inuaginabitur spiritus meus in homine in æternum.* Dicat ergo hic amâbo Protestantium quilibet, quæ tandem ex tam multis versio fontana erit, & puta pura. Imò probet hos omnes Interpretes ipsum fontem purum & limpidum inspexisse, aut nunc demum purum atque limpidum nobis hunc fontem esse. Certè non malè fortasse coniicimus, si vniuersam hanc varietatem ex vnius literæ radicalis permutatione, ל videlicet in ר sublato prioris vertice, obortam fuisse dicamus. Vnum aut alterũ adhuc ex veteri testamento locum vbi adiecero, ad noui Testamenti pauca etiam exempla proferenda veniam. Legimus nos Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad custodiendas iustificationes tuas in*

Manifesta Protestantum corruptela ex inspectione fontium non recta.

æternum propter retributionem. Hæc postrema verba, quia bonorum operum merita, eáque in bene operando rectè expectanda, manifestè asserunt; protestantes hodie inspecto fonte, aliter verti debere, & alium sensum habere affirmant. Itaque substituunt illi pro retributione, *vsque in finem*, Munsteri versionem sequuti. Sed quia cæcus cæcum duxit, ambo in foueam ceciderunt. Quamuis enim vox illa עקב aliquando quidem calcaneum significet, atque ita metaphoricè finem; tamen cum punctis illis insignita quæ hoc loco habet, nihil aliud quàm retributionem significat, vt Sanctes Pagninus notauit. Quo etiam sensu in Psalm. 18. accipitur. *In custodiendis illis retributio multa* עקב רב. Itaque nostram versionem retinent 70. Interpretes. εἰς τὸν αἰῶνα δι' ἀντάμειψιν. D. quoque Hieronymus sic vertit. *propter æter-*

Sua Authoritate fontes in-

nam retributionem. Vides ergo vt hoc hæresim iuuat, sua aliqua Authoritate fontem inspicere &

A cere & ex eo haurire, non quod Antiquitas Ecclesiæ obseruat, & veteres maximæ authoritatis Interpretes tradiderunt, sed quod ipsis placet & libet, aliqua vocularum ambiguitate fretis. Sed aliud exemplum non minus illustre accipe. Dicit Ecclesiastes. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen non scit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Hæc verba sic vertunt, vel peruertunt potius Protestantes, Munsterum sequuti, vt pro eo quod nos legimus, *Opera eorum in manu Dei*, legant illi, *serui eorum in manu Dei*, admirabili quadam non tam nouitate quàm peruersitate. Dictio enim illa, עבדיהם insignita puncto camets sub ב nullo modo seruos sed opera significat, vt à doctissimo quondam viro Ioanne Mercero præceptore nostro, Hebraicarum literarum Lutetiæ professore regio obseruatum meminimus. Notauit præterea Pagninus ex Rabbi Abraham in commentar. & ex Rabbi Dauid in lib. Radicum, huius dictionis radicem עבד, quoties seruilis illa ב eam sequitur (sicuti hoc loco facit ביד in manu Dei) nunquam *seruire*, sed *operari* semper significare. Itaque non solum 70. eum sensum sequuti sunt vertentes, ἐργασίαι, verùm etiam Hieronymus, Symmachus, Pagninus, eodem modo verterunt. Placet tamen magis Protestantibus Munsteri versio, vt sit illis verbum Dei, quod ipsis magis placet; & vt sapiat illis fons, prout illorum palato videbitur. Rursum in posteriori parte sententiæ, quia illa directè contra Protestantum nouum & inauditum antea in Ecclesia Dei paradoxum, de speciali fide & certitudine gratiæ, pugnat; adhuc impudentius versati sunt, freti scilicet primæua fontis puritate. Legunt enim, *Nemo nouit vel amorem vel odium rei quam habet coram se.* Sed hæc versio ab Hebraica, Græca, La-

B tina differt. Legit enim ex Hebraico ad verbum Hieron. *Et quidem charitatem & quidem odium non est cognoscens homo: omnia in facie eorum.* Hæc etiam est Symmachi interpretatio, authore Hieron. Sic & 70. legunt. καὶ γε ἀγάπην, καὶ γε μῖσος, οὐκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος εἰδὼς τὰ πάντα πρὸ προσώπου αὐτῶν. Quæ sanè lectio in sensu, etsi non in verbis cum versione nostra satis concordat. Sic enim Hieronymus ipse locum hunc exponit. *Hic*, inquit, *sensus Est. Etiam in hoc dedi cor meum & scire volui, quos Deus diligeret quos Deus odisset; & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse. & tamen vtrum amentur à Deo an non, nunc eos scire non posse.* Hæc ille. Regulam scilicet fidei bene edoctus, & in sensu Ecclesiæ (quæ sola sanam habet doctrinam) rectè instructus, verum & plenum sensum facilè elicuit, vtcunque minus plenè textus Hebraicus illum traderet.

Sed profectò non alia de causa ad fontes recurrendū esse, indéq; certitudinē veræ intelligētiæ hauriendam Protestantes docent, sempérq; clamitant, quàm vt in tanta vel interpretū, vel etiam textuum Hebraici & Græci varietate, habeant laxa perfugia, & licenter vagari queāt minimè astricti vel textui Canonico, vt Authentico Latino vulgato, vel etiam interpretantis Ecclesiæ iudicio salubertimo. Itaque aliquando deserta Latina & Græca lectione, Hebraicam mordicus tenent; vt in locis ferè omnibus iam citatis faciunt. Aliquando neglecta ipsa Hebraici fontis puritate, à vocis Græcæ ambiguitate, innouandi & peruertendi occasionem rapiunt. Cuius nunc illustre exemplum subiiciam. Habet vulgata lectio Prouerb. 9. *Immolauit victimas suas, miscuit vinum suum*: pro quibus postremis verbis in Hebræo legitur מסכה יינה: Græco verò habetur ἐκέρασεν εἰς κρατῆρα τὸν ἑαυτῆς οἶνον. Hoc ergo in loco

C quia in Hebræo nulla fuit ambiguitas dictionis, quæ nouam versionem iuuaret, vulgata verò & Latina lectio displiceret, quia ad mixturam aquæ cum vino in mysterio Cœnæ Dominicæ hæc Prophetia à Catholicis scriptoribus applicatur; contempta de more vulgata, & relicta præter morem Hebraica, ambiguitatem vocis Græcæ (ἐκέρασεν) rapuerunt. Quum enim aoristus ille vel miscere, vel etiam effundere significare possit, vertunt illi (freti hac ambiguitate) *effudit vinum suum.* Similiter quod Act. 13. legimus, *ministrantibus autem illis Domino ieiunantibus, &c.* vertit Erasmus vocis Græcæ proprietatem secutus, *Sacrificantibus autem illis*: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν. Legunt tamen hoc loco Protestantes, vt habet vulgata lectio, non vt Erasmus emendauit, quia scilicet illorum hæresibus Sacrificium Ecclesiasticum repudiantibus, magis vulgatæ lectionis vetustas, quàm emendatæ versionis nouitas fauebat. Nec aliter verba illa ad Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd filij Dei sumus*, Legunt iuxta vulgatam versionem Protestantes, vt certitudinem gratiæ & persuasionem fidei Caluinianæ confirment. Græcam verò lectionem deserunt, quæ habet. Αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν. *Ipse Spiritus contestatur spiritui nostro.* Qua lectione recepta, illa certitudo Caluiniana prorsus euertitur. Non enim potest esse absoluta & perfecta certitudo quæ partim ex spiritu nostro, & testimonio conscientiæ nostræ, proficiscitur; quæ semper est incertitudine infirmitate aliqua affecta. Videt his exemplis lector, non alia de causa ad fontes

spicere, hæreses tonat.

Eccl. 9.

Alia manifesta Protestantiū corruptio.

Protestantiū dolus malus circa inspectionē fontium.

tanquam ad Medium interpretantis Ecclesiæ Authoritate certius, Protestantes hodie recurrere: quam vt quoties illis displicet, & illorum hæresibus nouisque dogmatibus parum commoda est Latina versio vulgata, varietatem aliquam aut ambiguitatem vocularum captent in Hebraico textu; vel si non respondet illorum votis Hebraica lectio, idem captent & sectentur in Græco, si opportunitas datur relicto Hebraico: Si verò placet vulgata versio, & displicent cæteri fontes, retineatur vulgata. Quæ tota in re, quid isti pestilẽtes orbis seductores aliud faciunt, quàm seipsos homines nouos, nulla diuina Authoritate ad tractandas Scripturas vocatos, electos, vnctos, tum totius Ecclesiæ, tum etiam ipsorum fontium quos vocant, Iudices constituunt? Itaque non iam ex fontibus veritatem sincerè quærunt, sed fontium nomen ad falsitatis perfugium simulatè rapiũt. Nec in fontibus ipsis, sed in suo cerebro (quod Spiritum Dei blasphemè vocant) hoc Medium tam illustre & certum collocant. D

Protestãtes rursũ de fontibus sua Authoritate iudicant.

Quia ergo nec in ipsis fontibus est tam certa & explorata veritas, quin magnam secum tum in exponẽdo varietatem tum in intelligendo ambiguitatem trahant; illis quidem vt aliis Mediis moderatè vtetur Christianus & eruditus lector, ipsorum tamen hanc varietatem & ambiguitatem Ecclesiæ Catholicæ iudicio (vt cætera fidei) expendendam & decidendam relinquet, cum interea sensum sequutus quem Ecclesia Catholica docet, qui regulæ fidei respondet, quem Praxis Ecclesiæ generalis confirmat, qui à Patribus consentientibus animis & sententiis traditur, quem Concilia generalia fortè decreuerunt, aut ipsi postremò Romani Pontifices decernendo posteris reliquerunt, vtcunque nouum aliquid, diuersum ac dissonum sonare illi aut sonare & significare posse Hebraica vel Græca lectio videatur. Quod totum vt paulò adhuc euidentius confirmetur, pauca iam ex nouo Testamento, sicuti hactenus ex veteri fecimus, huius varietatis & ambiguitatis exempla proferemus. Pro eo quod nos legimus Matth. 5. versu 47. Si salutaueritis fratres vestros, vt quædam etiam Græca exemplaria legunt (ἀδελφοὺς) pleraq; tamẽ legunt *φίλους: amicos.* Vnde nouæ versiones variãdi occasionem acceperunt: quum tamen etiam nostræ vulgatæ editioni suffragetur codex Syriacus. Sic eodem versu, *Nónne & Ethnici hoc faciunt?* quod nobiscum legunt tres Græci codices: Reliqui tamen omnes passim dicuntur habere *τελῶναι*: id, *publicani.* quod amplectuntur Protestantes vt in quàm plurimis vulgatam correxisse videantur. Matthæi sextum caput sic incipit. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Eodem modo legunt hodie codices Hebraici & Syriaci. At Græci pro voce, *iustitiam*, *τὴν ἐλεημοσύνην* substituunt, quod multo est restrictius. Nihilominus tamẽ Vaticanus codex & alius quidam Italicus manuscriptus, Græci pro nobis faciunt. Sed illustrius est, quod apud Apostolũ legit sanè vulgata lectio. *Secundus homo de cælo cælestis*: sicuti etiam legunt Hieronymus & Ambrosius. At omnes hodie Græci codices aliter habent, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Secundus homo Dominus de cælo. Hunc locum à Marcione hæretico sic corruptum esse tradit antiquissimus author Tertullianus: quamuis eodem modo legant Chrysostomus & Theophilactus, retenta illa corruptela.

Ecclesiæ authoritas ambiguitatem ex fontibus natã tollit.

Exempla variæ lectionis & interpretationis ex nouo testamẽto. E

1. cor. 15. vers. 47.

Lib. 5. aduers. Marcionem.

Quam ob causam hoc loco Erasmus omnibus Græcis codicibus (præter morem suum) fidem derogat, & cum Ecclesia Latina legendum censet. Sanè quia Regulæ fidei magis hæc vulgata lectio concordat. Eodem quoq; in loco legimus nos, *Portemus & imaginem cælestis.* Et sic legẽdum esse, præceptiuè videlicet de portando imaginẽ Christi imitando in hac vita, non promissiuè quasi in altera tantùm vita (vt Protestantes volunt) hæc imago portetur, confirmat contra Marcionem Tertullianus: paritérque ostendit sic eum hunc locum corrupisse, vt pro φορέσωμεν, portemus; substituerit φορέσομεν: portabimus. Quam tamen corruptionem pleraque etiam hodie Græci codices sequuntur, vt non sit illorum fides tam certa habenda, quam isti hodie Nouatores volunt, & contra Ecclesiam Latinam atque Catholicam inuidiosè clamitant. Nec dissimilis est corruptela, quam omnes hodie græci codices conformiter sequuntur, quam in priori ad Corinthios legimus. πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*, pro eo quod vulgata Latina lectio habet. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Hoc enim sanè mysterium est gentibus antea absconditum, factis autem Christianis iam reuelatum, generalem fore omnium mortuorum resurrectionem, etsi immutatio illa in melius & glorificatio non omnium, sed electorum tantùm futura est. Altera verò illa lectio etiam generalem resurrectionem, quam in Symbolo profitemur, infirmare videtur. Multa de hoc loco disputauit ex proposito sanctus Hieronymus, asserens suo tempore vtramque lectionem in quibusdam Græcis reperiri. F

Vbi suprà.

1. Cor. 15. vers. 51.

Quantum

A Quantum tamen ex Origene, Didymo & Acacio Cæsareæ Episcopo (quos ibi profert Hieronymus) colligere licet; in plurimis codicibus etiam Græcis nostra lectio recepta fuit: quam & illi Græci patres defendunt, & eos sequitur Hieronymus. Hodie tamen nihilominus omnes Græci reclamant & alteram lectionem corruptiorem retinent. Adeò non est illis tam certa & indubitata fides habenda, vt illorum inspectio pro certo aliquo & infallibili medio explorandæ veræ SS. Scripturarum intelligentiæ habeatur, idque contra Ecclesiæ vel interpretantis vel textum veterem approbantis Authoritatem atque iudicium, aut etiam contra illustria illa, certa & indubitata Media ante explicata, quibus Ecclesia Dei hactenus fœliciter est vsa. Atq; hæc hactenus pro institutæ breuitatis ratione, tam de hoc postremo, quàm de aliis omnibus interpretandi Mediis, in quibus temerè præsumunt & stolidè confidunt Protestantes, à nobis dicta sunto. Nunc ad septimam & postremam totius huius disputationis Controuersiam, aliundè exordio sumpto, veniamus.

In epist. ad Minerium & Alexandrum tom. 3.

Controuersia sexta libri vndecimi finis.

 D

DE PRINCIPIIS FIDEI Doctrinalibus Controuerſia ſeptima, & Liber duodecimus.

DE AVTHORITATE ECCLESIÆ circa dogmata non ſcripta: ſeu de ipſarum SS. ſcripturarum ad omnem de fide doctrinam comprobandam inſufficientia. E

PROOEMIVM.

AXIMA hodie Controuerſia eſt, imò omnium ferè hodie Controuerſiarum de religione,& irreconciliabilis huius diſſenſionis fons & caput eſt; an aliquid in Scriptura non expreſſum,ſed ex ſola Eccleſiæ Authoritate traditum, pro verbo Dei habendum & neceſſariò credendum ſit. Huius enim quæſtionis negantem partem,ſummis viribus hodie omnes ad vnū proteſtantes tuentur,fortiſſimè aſſerentes,totius noſtræ fidei ſolam eſſe Normam,Regulam & Canonem, Sacram Scripturam: ita quòd nihil in fidem recipiendum ſit,aut in vſu religionis neceſſariò admittendum, quod Scripturæ teſtimoniis probari & demonſtrari non poſſit. Contrà, Catholici omnes affirmantem partem tuentur:ſic Scripturas venerantes, vt tamen non omnia in illis ad ſalutem & fidem neceſſaria contineri iudicent. F Huius autem quæſtionis grauiſſimæ explicatio,ad inſtitutum à nobis totius orthodoxæ fidei propugnaculum conſtruendum,& ad eiuſdem principia doctrinalia demonſtranda, eſt imprimis neceſſaria. *Præſentis diſputationis neceſſitas.* Etſi enim ea omnia pro certis & firmis concedantur,quæ hactenus de Eccleſiæ poteſtate & Authoritate in iudicio fidei diſſeruimus: habere ſcilicet Eccleſiam in ſuis magiſtris ac principibus (vt in ſecunda controuerſia explicatum eſt)iudicium fidei,idémque neceſſarium, certum atque diuinum, vt in quarta Controuerſia demonſtratum eſt, ídque tum in Scripturis ipſis conſignandis,tum in earum ſenſu & expoſitione tradenda: (vt in quinta & ſexta Controuerſiis probatum eſt) tamen quia non pauca ſunt, etiam hodie controuerſa,quæ abſque euidenti aliquo & expreſſo Scripturæ teſtimonio, Eccleſiaſtica ſola traditione & Authoritate in fidem recepta ſunt: niſi hoc ipſum nobis conſtet,certáque ratione oſtendatur, poſſe ſanè Eccle-

ſiam

A ſiam ſua Authoritate, abſque Scripturæ euidenti teſtimonio, huiuſmodi tradere & docere, quæ neceſſariò à fideli populo credenda ſunt: profectò controuerſiarum adhuc finis non erit, nec omnium fidei principiorum doctrinalium plena erit demonſtratio, nec denique plenè conſtructum erit totius orthodoxæ fidei propugnaculum. Vt ex hac ergo etiam parte Eccleſiæ Catholicæ poteſtatem tueamur, & orthodoxiæ vires ſtabiliamus; hanc controuerſiam diligenter tractabimus, quaſique Colophonis vice cæteris adiiciemus.

Verùm illud priùs pium ac attentum Lectorem moneo, diligenter vt obſeruet, & veteres olim hæreticos & hodie noſtros, hanc ſolius ſcripturæ ſufficientiam, non propter ipſius ſcripturæ reuerentiam (vt videri volunt, primáque facie viris parum naſutis videntur) ſed propter nouarũ doctrinarum licentiam tantopere prædicare, extollere, atque perurgere. Vt videlicet aut veritatem quancunque non ſcriptam, quamuis ab Eccleſia traditam religioſeque retentam, tutò & liberè quum volent contemnant & reſpuant: ſicuti Arriani filium Homouſion ſeu Conſubſtantialem patri, Sabelliani innaſcibilem patrem, Eunomiani Deum Spiritum ſanctum, Neſtoriani B. virginem deiparam, Eutichiani duas in Chriſto poſt vnionem perſonæ naturas, aliique hæretici alia fidei dogmata non ſcripta, ab Eccleſia tamen tanquàm de fide definita, hoc ſolo nomine negarunt, contempſerunt, reiecerunt: aut ipſimet nouas quas velint hæreſes, quas ſcriptura expreſsè non condemnat, licenter introducant: quia ſanè iuxta illos, contra fidem non eſt, quod vel contra ſcripturam non eſt, vel ex ſcripturis apertè euinci & confutari non poteſt. Hæc duo peſtilentiſſima falſorum dogmatum ſeminaria, ab vno hoc capite ſuo paradoxo producunt illi, & germinare quum volunt, faciũt. Nam quòd pietatem illi hac in re prætexunt, & dicunt, tutos nos non eſſe & ſecuros de veritate, niſi Deus ipſe in verbo ſcripto & iam conſignato nobis loquatur: ſed ſi extra illud veritatem quærimus, iam omnibus humanis commentis & ſomniis feneſtram aperiri, vt pro verbo Dei obtrudatur, quicquid homines aliqua Authoritate præditi comminiſcuntur: denique ponere aliquam extra ſcripturas Traditionem, quæ neceſſariò credenda ſit, fraudem eſſe Satanicã quæ à ſcripturarum lectione & exiſtimatione homines auellat; reſpondebis nihil in hac re tota huiuſmodi periculi eſſe, neque fidem hic aut veritatem, C aut deniq; ipſius verbi ſcripti Maieſtatẽ vllo modo periclitari. Nam quemadmodum de ipſo verbo ſcripto ſecuri non ſumus niſi per Eccleſiam (vt in alia Controuerſia iam oſtenſum eſt) ſic & de verbo Dei non ſcripto, per eandem Eccleſiam prorſus ſecuri & tuti reddimur. Nos enim non ſic extra ſcripturas veritatem interdum quærimus, vel vt ſcripturas ipſas propterea negligamus, aut ab eius lectione tanquam minus vtili vel parum neceſſaria fideles auertamus (qua impietate nihil eſſet magis impium) ſed primum ſemper ordinem & locum ſacratiſſimis ſcripturis tribuentes, traditionem tamen non ſcriptam pariter amplectimur: tanquam alterum orthodoxæ fidei præſidium longè etiam certiſſimum & neceſſarium: vel vt cuiuſcunque hominis doctrinam aut quamcunque traditionem extra ſcripturas ad fidem pertinere dicamus: ſed illam ſolam doctrinam & Traditionem quam Eccleſia Catholica vel ab Apoſtolis accepit, & communi cõſenſu pro huiuſmodi obſer-

Quare protestantes hanc solius Scripturæ sufficientiam tam diligenter doceãt.

Protestantiũ prætextus circa solas Scripturas audiendas, quã vanus & fallax

Suprà lib. 9.
Quo sensu Catholici traditiones extra Scripturas ponunt & agnoscunt.

uauit & approbauit, vel in patribus suis, Episcopis, Conciliis, certo & legitimo Iudicio suo, Spiritus sancti perpetua & infallibili assistentia subnixo, pro veritate Catholica definiuit; aut in Religionis vsum publicè & vniuersaliter assumpsit: eo sane iudicio & modo, quo Ecclesiam de rebus fidei iudicare atque discernere, in secunda & tertia Controuersiis particulatim à nobis explicatum est. Traditio ergo illa vel dogma non scriptum, quod sic ab Ecclesiæ solius Authoritate accipimus, non minus nobis certò cõstat ipsum esse Dei verbum, & ab omni humano commento aut figmẽto alienum, quàm ipsamet Scriptura: nec plus est in illo quàm in hoc veritatis genere suscipiẽdo, ac in fidem admittendo, periculi. Quibus ita præstitutis, rem ipsam nunc rectà aggrediemur. D

Adhibebimus autem in hac Controuersia explicanda, solitam aut etiam maiorem, si fieri potest, breuitatem. Sane quia in multo maiorem molem hæc disputatio excreuit, quàm initio putabamus, aut etiam fortasse quàm lectores æquanimiter ferant. Est autem hoc argumenti genus, quantum ad Traditiones ipsas, & dogmata non scripta diligenter recensenda, & ex tota Antiquitate colligenda, à quamplurimis hodie doctissimis viris diligenter antea pertractatum, vt à Melchiore Cano, locor. Theolog. lib. 3. cap. 3. à Iudoco Tiletano contra Martinum Kemnitium in Apologia contra Censuras eius in Concilium Tridentinum, denique omnium copiosissimè à Martino Peresio in libro eius de Traditionibus Apostolicis: Sed istud nostri nunc instituti non est. Tantum illud rationibus theologicis diligenter inuestigabimus, sitne vel ipsa scriptura ad omnia fidei dogmata sola & sufficiens Regula; vel Ecclesiæ potestas talis, vt extra scripturam aliquid docere valeat, quod ad fidem necessariò pertineat. Itaque ex illis omnibus prænominatis, ipsisque antiquiss. patribus quos legere & videre de hac re potuimus, nos hoc loco quasi in fasciculum & compendium adeóque in Methodum pręcipua omnia colligemus, quibus vel Catholica hac in parte sententia liquidò constare & valide propugnari; vel aduersariorum fundamenta & rationes omnes seu fraudes potius & imposturæ, quibus aduersum dogma stabilire conantur, penitus euerti & clare conuelli possint. E

Catholi- F

A *Catholicorum primum fundamentum proponitur, quo demonstratur latius patere fidem & verbum Dei, quàm Scripturam Sacram.*

CAPVT PRIMVM.

T ergo primo loco Catholicæ sententiæ fundamenta in Medium afferamus, illud primum erit, quòd verbum Dei seu quod idem est, materia credendorum, (quicquid enim credimus, tanquam à Deo reuelatum & dictum, ideóque vt verbum Dei credimus) latius pateat quàm Scriptura, sicque à scripto verbo distinctum. Hoc enim si ita est, absque manifesta fidei iniuria dici non potest, omnia quæ sunt fidei in scriptura contineri. Hoc autem propterea primo loco ponimus, vt ex hoc vnóque & altero fundamento, Scripturæ sufficientia quæ prætenditur, confutata; postea ex aliis fundamentis, authoritatem Ecclesiæ quæ fidei ex hac parte succurreret, datam esse demonstremus. Ostenditur autem hoc primum fundamentum quod iam dixi, variis modis.

B

1.

Primùm fides ipsa seu materia credendorum, siue verbum Dei, antiquius est & tẽpore prius omni Scriptura. Nam ante vllã Scripturam vel veteris vel noui Testamenti, erant fideles verique Dei cultores, vt toto illo Patriarcharum tempore, bis mille plus minus annis, ab Adam vsque ad Moysen. Sane vt non sine fide recta, sic non sine verbo Dei, quod fidei semen est, in corde conceptum, siue immediatè à Deo infusum reuelatione de cælo data; siue per Angelorum aut hominum ministerium seminatum; siue denique in scripto codice exaratum & lectum.

Verbũ Dei ante omnem Scripturam.

Semẽ fidei verbum Dei.

2.

Secundò creuit per varias ætates Scripturarum volumen, non solùm ex parte cognitionis aut acceptationis nostræ, sed etiam secundum substantiam suam. Nempe omnino scripta non erant ab initio omnia, vel simul & pariter omnia. At verò fides ipsa eiúsque substantia, nunquã creuit ab Abele vsque ad hodiernum diem. Sed completa, vera & perfecta erat fides eius, omniúmque Patriarcharum vsq; ad Moysem, & à Moyse vsque ad nos (sicuti & iustitia ipsorum) non secus quàm nostra nunc completa est. Vnde de veteribus ait Apostolus, *Habentes eundem Spiritum fidei.* Quia videlicet *eos saluos non fecit nisi fides Mediatoris*, vt contra Pelagianos docet Augustinus; qui sic distribuebant tempora, vt ante legem per Naturam, deinde per legem, postremò per Christum salui homines fierent. Vna enim perpetuò in substantia fides erat, licet aliis atque aliis sacramentis annunciata, tanquam vna & eadem res aliis atque aliis verbis prolata, (vt contra Manichæos qui hoc videre noluerunt, docet Augustinus.) licet etiam clarior &

C explicatior progressu temporum facta fuerit, vt egregiè ex scripturis ostendit S. Thomas in 2. 2. q. 174. art. 6. Nam & in vno atque eodem fideli homine maior & explicatior esse fides vno tempore potest quàm alio, tam ratione obiecti materialis, plura explicite credendo; quàm ratione subiecti; videlicet vel certiùs & firmiùs ex parte intellectus, vel promptiùs & confidentiùs ex parte voluntatis credendo. Vna tamen est omnium fides: quia qui fidem habet, ipsósq; articulos fidei tanquam principia & semina omnium credendorum tenet, is sanè in sua fide omnia implicitè contenta habet. Sic enim in fide Patriarcharum omnia continebantur quæcunque posteriores crediderunt, nósque hodie credimus. At vero scripturarum volumen non solùm creuit in sua substantia, vt multæ partes nunquam antea in scripto existentes, non solũ laterent homines, sed ne essent quidem omnino, verum etiam quæ primò scripta sunt, sic diuersa erant ab iis quæ posterius scripta sunt, vt nullo modo posteriora volumina in prioribus continerentur: sed haberent vtraque distinctas suas reuelationes & narrationes. Imò quia in hoc genere perfectiora erant Prophetica Scripta quàm legalia, & Euangelica quàm vtraque, (nempe quæ & plura & clariùs de rebus diuinis complecterentur,) deberent potius hæc posteriora in se continere priora illa, tanquam perfecta quædam ea quæ sunt in eo genere imperfectiora, quàm à prioribus hæc posteriora Scripta contineri; sicuti in fide Maiorum & Patriarcharum, omnis posteriorum fidelium fides continebatur. Hoc ergo alterum est euidénsque discrimen, inter verbum Dei seu fidem, & inter verbum Scriptum seu Scripturas, vt non pro eodem accipi possint & conuerti, (sicuti volunt hodie Protestantes) sed alterum ab altero verè distinguatur.

Scriptura secundum substantiã suam creuit, non sic fides.

2. cor. 4.
Lib. 1. cap. 21. contr. 2. epist. Pelag. & lib. 2. cap. 26. & 28. de pecc. orig.

Vna omnium fides in substantia sua, licet maior ratione subiecti & explicatior ratione obiecti esse possit.

Lib. 19. cap 16. contr. Faustũ.
2. 2. q. 5. ar. 4.
2. 2. q. 1. ar. 7.

Prima Scriptura non sunt semina posteriorũ sicuti Patriarcharum fides.

Apostolica prædicatio absque Scriptura.

Tertiò, Multi Apostoli prædicauerunt Euangelium absque Scriptura noui Testamenti; D quia neque ipsi scripserunt, neque aliorum scriptis vsi sunt; vel quia antequam aliquid aut totum scriberetur prædicauerunt: vel quia scripta ad eorum manus non peruenerunt. Fuit tamen talis Apostolica prædicatio non secus verbum Dei, Euangelium, & ipsissima veritas, quā ea quæ postea Euangelistæ & Apostoli literis mādarunt. Imò Petrus, qui perpauca scripsit, postquam dixisset, *verbum Domini permanet in æternum*, subiungit. *Hoc est autem verbum quod Euāgelisatum est in vobis.* Vbi suam sociorúmque prædicationem non scriptam, pro ipso verbo Domini in æternum permanente, commendare non dubitat.

1. Petr. 1.

Fides multarum gentium absque Scriptura.

Lib 3. cap. 4.

Quartò, etiam post Euangelia & literas Apostolicas iam scriptas, multæ gentes absque illis Scripturis visis vel lectis, & Christo crediderunt, & fidem conseruarunt. Cuius rei illustris testis, & omni exceptione maior est Irenæus. Ostendens enim ex proposito, etiam sine Scripturarum monumentis, saluam & integram fidem Christianorum posse consistere, ait. *Quid si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? Nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Hæc ille, quibus nihil ad rem præsentem accommodatius, nihil verius dici potuit. Etenim ex hac Irenæi tam manifesta attestatione liquidò constat, (quod aliàs conijcere facile esset) quamuis Euangelia & literæ Apostolicæ non longè post initium prædicationis Euangelicæ scripta fuerint, non tamen euestigiò ad omnium manus huiusmodi scripta peruenisse; nec etiam si peruenerunt, E Canonicæ Authoritatis pondus mox ab initio apud omnes Christianos obtinuisse; quum sanè pleraque non nisi procedente tempore & paulatim pro Canonica Scriptura recepta fuerint, vt in alia Controuersia de quibusdam nominatim ex Diuo Hieronymo ostendimus. Huius etiam rei argumentum est, quòd non statim ex Græco sermone in Latinum vtriusque Testamenti libri versi sunt, sed paulatim & per partes modo hi, modo illi; vt vix ante Diui Hieronymi tempora aliqua totius sacri voluminis vnita translatio in Latina Ecclesia haberetur. Quin & sic ab initio versæ sunt sacræ Scripturæ, vt nulla esset authentica versio, aut certa. Quia videlicet (vt notauit August.) *in ipsis primis fidei temporibus, vt cuique in manus venit codex Græcus & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*

Controuers. 5. lib. 10. cap. 5. *Scripturæ non fuerunt fidelibus communes, facta nisi longo post scriptionem tempore.*

De doctrina Christia. lib. 2. cap 11.

1. Quum ergo in primis illis fidei temporibus nec omnes scripturæ partes in Latinam linguam
2. versæ fuerint; nec si versæ, vlla tamen fuerit certa & authentica interpretatio; nec rursum ad
3. omnium manus talis interpretatio peruenerit; (vnde aliquot post Christum seculis tam rara fuit sacrorum librorum maximè in Latina Ecclesia copia, vt hac de causa qui sacros codices persecutionis tempore hostibus fidei tradidisset, non secus audiret quàm si fidem abnegasset;
4. cuius rei testis est, immanis illa Donatistarum contra Cæcilianum Carthaginensem Episcopum quasi sacrorum librorum traditorem accusatio:) nec denique statim fidelibus omnibus passim innotuerit, qui libri pro sacris & certò canonicis, qui pro dubiis, qui pro noxiis & adulterinis haberentur; liquidò constat etiam post Euangelia & literas Apostolicas scriptas, tamen sine Scripturarum vsu multas gentes (vt Irenæus attestatur) in Christum credidisse: fidémque integrè per solam traditionem Ecclesiasticam, conseruasse. Tales etiam mul- F tos suo tempore fuisse, qui sine Scripturis sanctissimè viuerent, Augustinus his verbis commemorat. *Homo fide, spe & charitate subnixus eáque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt.* Hæc ille.

De doctrina Christiana lib. 1. cap. 39.

Ex Scripturis fides non addiscitur.

Lib. 11. cap. 2.

Quintò, Ne hodie quidem post scripturarum interpretationem authenticam, canonem certum, propagationem amplissimam, tamen ex scripturis ipsis, aut earum lectione fides addiscitur. Sed maxima ex parte homines iam ex prædicatione Ecclesiæ Christiani facti, sic demum scripturas legunt & eis credunt atque obtemperant: nec lecturi sane, nec credituri, aut obtemperaturi, nisi Christiani iam essent. Scripturæ enim fidem præsupponunt; siue vt illis credatur, siue vt creditæ rectè intelligantur. Non ipsæ gignunt fidem apud quemcunque legentem. Quod quia per se clarum est, & in alia iam Controuersia declaratum est, nihil hic repeto. Si verò hoc vnū rectè hodie Protestantes obseruassent, non sic in solis Scripturis vniuersam fidem collocarent, aut ex sola scripturarum lectione omnia fidei argumenta peti posse ac debere, asseuerarent. Atque hæ sanè primi fundamenti pro sententia Catholica probationes sufficientes esse possunt; vt ostendatur latius patere fidem & verbum Dei quàm scripturas:

alterúmque

A alterúmque ab altero tum distinctum esse in rei natura, tum in ipso vsu religionis seiungi posse atque de facto seiunctum diu fuisse, ideóque ad omnem fidei doctrinam, solas Scripturas ex natura rei non sufficere.

Secundum & tertium Catholicorum fundamenta à comparatione prædicantis Ecclesiæ & scripti verbi desumpta, explicantur.

CAPVT II.



SECVNDVM Catholicæ sententiæ fundamentum contra solius Scripturæ prætensam sufficientiam, inde peti potest, quòd quum omnis Scriptura 1.
per Ecclesiam, id est per homines in Ecclesia Spiritu sancto inspiratos cō- 2.
scripta fuerit, postéaque per Ecclesiam semper approbata; eadémque Ec- 3.
clesia, siue homines in Ecclesia, eodem Spiritu inspirati, viua voce prædicauerint absque scripto, siue eadem quæ vel illi vel alij scripserunt, siue ea quæ nemo scriptis commendauit, nulla ratio est, cur illud prius genus pro verbo Dei amplectentes, istud posterius repudiemus; aut pro non verbo Dei, loco inferiore aut nullo ponamus.

Quod Ecclesia prædicat nō minus ad fidē pertinet, quā quod Scriptura complectitur.

B Vtrumque enim ab eodem Spiritu sancto Authore, & ab eisdem in Ecclesia ministris ac testibus veritatis proficiscitur. Quæ ratio tam euidens & clara D. Basilio visa est, vt quum dixisset, *Vtraque, tam ex doctrina scripto prodita, quàm ex Apostolorum traditione in occulto tradita accepta, parem vim ad pietatem habere;* subiunxerit statim: *Nec his quisquam contradicit: quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica.* Nempe quia non ambigitur, æquè illa à Deo proficisci quæ Ecclesia colit atque obseruat, quàm quæ Sacris Scripturis continentur. Quod etiam supra satis ostensum, est quum Ecclesiæ vocem & Authoritatem diuinam esse ostendimus.

In lib. de Spiritu Sancto, cap. 27.
Suprà lib. 8. cap. 16. & seq.

Additur autem huic fundamento maior vis, quòd prædicandi & officium & præceptum à Christo Apostoli eorúmque successores manifestum acceperūt: vt illud, *Euntes in mundū vniuersum, prædicate Euangelium.* Scribendi autem nec officium vllum perpetuò duraturum, nec præceptum aliquod temporarium, vel Apostolis vel eorum successoribus datum, legimus aut accepimus. Quanquam sanè quòd postea Apostoli aliíque Apostolici viri scripserint, à Spiritu sancto profectum non negemus: sed Euangelium quod prius prædicauerunt Apostoli, postea *per Dei voluntatem* (vt dicit Irenæus) *in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.* Non tamen vel solùm fundamentum & solam columnam, scripturas vocat Irenæus; (in quem sensum hæc verba rapiunt Protestantes) ne sanè Apostolo cōtradiceret, vocanti *Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis;* vel de alia scriptura quā euangelica ibi loquitur Irenæus, quod non est tota & vniuersa Scriptura. Quin & magis vrgebit hæc ratio, si meminerimus prædicationem viuæ vocis, non solum ex officio & ordinariam, sed etiam ex

Marc. vlt.
Prædicandi officium & præceptum, scribendi nullum.
Lib. 3. cap. 1.
Quo sensu Scriptura vocatur ab Irenæo columna fidei.
1. Tim. 3.

C vnctione esse; vnde Petrus, *per eos*, inquit, *qui euangelizauerunt vobis, Spiritu S. misso de cælo.* Ideóque Christus prius dixit, *accipietis virtutem Spiritus Sancti superuenietis in vos,* deinde adiecit, *& eritis mihi testes:* &c. Act. 1. Deinde sic ex vnctione esse, vt non sine certo Sacramēto suscipi possit, vt iam alio in loco ex Scripturis ostēdimus. Rursum scripsisse multos multa de rebus sacris sine vnctione, ideóque multorum scripta in Canonē non recepta, nec pro diuinis habita fuisse, Ecclesiæ prædicantis iudicio. Qui autē ex vnctione scripserunt, dono extraordinario id fecisse. Et quamuis eadem fortasse in se & in re ipsa, facultas ac vis sit doni extraordinarij quæ est ordinarij, tamen ordinarii doni maior est quoad nos, certitudo & firmitas.

1. Petr. 1.
Prædicatio viuæ vocis est ex vnctione Spiritus Sancti.

Tertium fundamentum esse potest, quòd spiritus sanctus qui est reuelator verbi & author fidei, datus à Christo Ecclesiæ; sic datus est, vt sedem suam haberet non in scriptis libris, sed in cordibus hominum: iuxta prophetiam Ieremiæ de nouo testamento, nō iam amplius in tabulis lapideis scribendo, non in sono literæ quærendo, non in volumine legis scripto compræhēdendo, sed in cordibus fidelium exarando. Vnde & fideles ipsos, templum spiritus sancti Apostolus vocat. Scriptura verò quatenus res scripta, spiritus sancti templum aut tabernaculū dici nullo modo potest. Neque enim Deus in charta & atramento habitat, magis quàm in templis manufactis. Vtcunque quasi per aliquod Mediū, in illis cognosci, in his coli soleat; sed multis aliis in vtroque circumstantiis adhibitis; vt verè Deus vel in scripto libro cognoscatur,

Tertium fundamentum.
Sedes Spiritus S. est in corde Ecclesiæ, non in Scriptura.

vel in templo colatur. Fides ergo & verbum Dei non minus, imò veriùs & magis propriè erit, quod in corde Ecclesiæ residet & conseruatur, quàm quod in scriptis libris vt talibus, id est, vt scriptis, nec dum ab Ecclesia approbatis, & explanatis vel alioqui Orthodoxè intellectis, legitur. Non dicimus naturam fidei non pati, vt in scripturis contineatur (quod nos dicere mentitur suo more Chemnitius) sed proprium fidei esse atque verbi Dei, vt in corde credentiũ scribatur, non in tabulis: & hoc legis ac veteris Testamenti esse, id est ad pædagogiam & elementarem quasi adhuc rudium in fide instructionem pertinere; illud gratiæ ac noui Testamenti esse, id est, ad statum reuelatæ passim veritatis Euangelicæ, in quo nunc sumus, proprie spectare. Quo sanè in sensu ante annos 1200. illam Ieremiæ prophetiam de veteris ac nouæ legis discrimine intellexit atque explicuit Optatus lib. 7. cont. Parmen. Donatistam de librorum traditione tanquã de legis Christianæ traditione inaniter conquerentem. Huc etiam nos ducit Apostolica illa distinctio, qua dicit fideles corinthios *Epistolam Christi esse, ministratã ab ipso, & scriptam nõ atramento sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapidris sed in tabulis cordis carnalibus.* Hoc est, non audiuisse tantùm illos aut legisse Euangelicam doctrinam, sed & corde credidisse, & hac ratione ipsos potius Epistolam Christi esse, sedémque fidei ac verbi Dei, quàm est litera legis scripta, vel Epistola apostolica ad eos conscripta. Propterea quoq; & paulò post *ministrũ* se esse dicit *noui Testamenti, non literæ sed spiritus*; hoc est, non esse literalem magistrum sed spiritualem; intelligentem sanè & in corde retinentem, quam sonat litera, doctrinam. Hoc ipsum verò corde retinere, intelligere, credere esse noui Testamenti, esse excellentius & eminentius donum. Etenim sanè sic ad primam humani generis excellẽtiam & sublimitatem quasi postliminio redimus, quum non in literis veritatem quærimus, sed intus in corde Spiritu sancto per Ecclesiam nunc, vt olim per Angelos, reuelãte, eam retinemus. Ante enim legem Scriptã, sanctis illis Patriarchis, *Noë, Abrahæ, eiúsque posteris, Iob & Moysi* (ait Chrysostomus) *non per literas, sed per semetipsum loquutus est Deus*: (Angelorum sanè ministerio:) *quia scilicet munda eorũ corda repererat. Apostolis quoque nihil scriptum tradidit Christus, sed pro literis Sancti spiritus gratiã repromisit. Et vt scias hoc esse excellentius, per prophetam dicit. Disponam vobis Testamentum nouum. Dabo leges meas in mente eorum, &c. Paulus quoque hanc eminentiam designans, dicebat se accepisse legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quia verò progrediente tempore, alij propter dogmata, alij propter vitam & mores grauiter impegerunt, literali rursum admonitione opus fuit.* Hæc Chrysostomus. Adeo ergo verbum Dei literis inclusum non est, aut in sola scripta litera quærendum, vt non nisi in subsidium aliquod atq; remedium (quamuis nec vnicum nec sufficientissimum) infirmitatis ac corruptionis humanæ, tradita fuerit Scriptura; prior autem & maior fœlicitas, nouóque Testamento propria fuerit, absq; literis in corde scriptum Dei verbum habere. Ex quibus sanè sequitur, quòd etsi & nunc in hoc statu noui Testamenti, Scripturas habemus & legimus & veneramur, tamen hoc fieri propter infirmos ipsos, veterísque adhuc Testamenti filios, etiam in hoc statu agentes: ipsos autem perfectos & verè spirituales viros, vt in ratione morum sub lege non sunt, quia *iusto lex non est posita sed ipsemet sibi lex est*, idéoque *non sub lege sed cum lege est & sub gratia*; sic in ratione fidei sub litera non viuũt, sed sub Spiritu, habentes in cordibus scriptam vniuersam fidem, per ministerium Spiritus à Deo constitutum, quod est ministerium Ecclesiæ, vt Paulus suprà ostendit. Et hoc sanè sensu, sapienter dixit Vvaldensis; *fidem vniuersalis Ecclesiæ non habere proprios libros quibus inscribitur, sed tantùm in cordibus Christianorum fidelium, vel in sanctorum codicibus particulis* (id est quoad partes aliquas) *exaratum*. Ex hoc ergo discrimine, quòd Spiritus sanctus promissus & datus Ecclesiæ, cordibus fidelium (non literis) inscribendus, datus & promissus est, manifestè sequitur tantùm abesse, vt sola scriptura sit verbum Dei aut sedes eius, multo vt magis in corde Ecclesiæ (non huius aut illius hominis, sed) in vnam fidem vniuersaliter consentientis, verbum Dei resideat: & cum illo conuersatur, sitque ab illo inseparabile. Et hæc est causa quòd cõtra hæreticos, nõ ex sola scriptura, sed etiam ex Ecclesiæ consuetudine & more passim & cõmuniter sancti Patres disputant. Exempli causa, Augustinus quum Cypriani Authoritatem pro Baptismo paruulorum adduxisset, quia vnius patris testimonium non satis apud hæreticum aduersariũ efficax esse videbat, addit. *Sed contra Cypriani opinionem sentiat quisque quodlibet. Tantũ contra Apostolicam manifestissimam fidem nemo sentiat* (verba Pauli intelligit ad Rom. 5.) Deinde adiungit. *Contra Ecclesiæ fundatissimum morem nemo sentiat, quæ scilicet paruulos baptizat.* Hæc ille Episto. 28. non contentus scripturæ Authoritate dogma confirmasse, nisi etiam & Ecclesiæ authoritatem adiunxisset.

Cauillationis remotio.

Fides cordibus nõ literis inscripta, est propria gratia noui Testamenti.

2. cor 3.

Minister noui testamenti non est literalis magister.

Homil. 1. in Matth.

Ierem. 31.

2. cor 3.

Literalis admonitio rudibus propria.

Simile.

1 Timoth. 1.

Rom. 6.

Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 21.

D E F

Quartum

A *Quartum Catholicorum fundamentum à fine ipso cur data sint Scripturæ.*

CAPUT III.

EST verò illud illustre, planéque firmissimum catholicæ sententiæ fundamentum, quòd nō ob talem finem datæ sunt scripturæ, vt essent totius fidei sufficientissima Regula; vel vt omnem veritatem complecterentur, aut expressam aut ex proximis & propriis principiis deducendam, quod tamen constitutissimum habent hodie Protestātes & pro ipsissima ac indubitata prorsus veritate. Ostendi autem potest quod dixi multis argumentis, breuiter tamen vt iam præstituimus.

Primùm quia hoc ipsum quòd totius fidei omniumq; credendorum vnica & sufficientissima Regula ac Norma sit sola sacra scriptura, in vniuersa Scriptura à principio Genesis ad finē vsque Apocalypsis nusquam legitur. Si enim omne verum ad fidem necessarium in Scripturis comprehenditur, certè hæc ipsa Regula & Norma credendi, (qua nihil est ad fidem magis necessarium,) vtique & in scripturis comprehendi debebat. 1.

Secundò, si totius fidei sufficientissima Regula sola scriptura est; vel debuisset vno momento tota scriptura simul scribi, vel defuisset in Ecclesia aliquādo aliquid fidei & ad salutem necessarium; eo scilicet tempore quo necdum omnia scripta essent. Data autem fuit scriptura per partes, vt dictum est, fide semper manente integra. 2.

B

Tertiò, non apparet vel ex mandato aliquo christi, vel ex consilio aliquo communi inter apostolos inito, ad talem finem scripturas scriptas fuisse. Imò disertè notat eusebius apostolos *scribendi minimam habuisse rationem, nec tam edendis libris quàm erudiendis populis operam dedisse.* Idem quoque manifestè obseruat chrysostomus, rationem reddens quare Acta Apostolorum à Luca conscripta, nec omnium apostolorum sed Pauli præcipuè cuius discipulus erat, res gestas comprehendebant; nec ipsius pauli facta omnia ad finem vsque complectebantur. Respondet enim *Euangelistas semper incubuisse in ea quæ magis vrgebant; nec curæ illis fuisse historias conscribere. Siquidem non parum multa & absque scripto tradiderunt.* Hæc ille. Non ergo finis aut intentio scribentium sacra volumina ea erat, vt omnia ad fidem & salutem necessaria complecterentur. 3. Hist. Eccles. lib. 5. cap. 18. & 24. Homil. 1. in Acta.

Quartò, prorsus contrarium apparet. Nempe ex occasione varia, (non ex tali aliqua aut singulari intentione) tum Euangelia tum literas Apostolicas conscriptas fuisse. Matthæus enim postquam aliquot annis viua voce prædicasset, *quia à Iudæis ad alias gētes abiturus esset, scripsit in eorum gratiam Euangelium:* vt notat Eusebius. Marcus in gratiam Romanorum fideliū, nihil sciens de Matthæi Euangelio, suum scripsit Euangelium vt idem commemorat eusebius. Lucas ex occasione aliorum qui multa non rectè de Christo scripserunt, suum texuit Euangeliū, vt ipsemet præfando ostendit. Adiecit postremò Ioannes suum multis post Christum passum annis, & conspectis aliis Euangeliis; vt quædam adderet ab illis prætermissa, maximè quæ pro Christi diuinitate demonstranda facerent contra Cerinthum eam impugnantē, vt idem narrat Eusebius in historia. Epistolarum apostolicarum occasiones ob quas scriptæ sunt, singularum argumenta legentibus demonstrant. 4. *Ex occasione scripta sunt Euāgelia & Literæ Apostolicæ, non ex intentione certa omnia dicendi.* Vbi supra. Lib. 2. cap. 14. Lib. 3. cap. 18. & 24.

C

At dices, quacunque tandem ex occasione aut etiam intentione Euangelistæ & Apostoli scripserint, Deum tamen sic eorum mentes & calamos direxisse, vt etsi non historias rerū omnium gestarum, tamen omnia ad fidem & salutem necessaria scripto mandauerint. Ne hoc quidem. Nam Ioannes ipse qui postremus scripsit, disertè testatur se omnia non scripsisse, nec solū ex factis & miraculis Christi (vt quidā illa Ioānis verba exponūt, quāquam & Christi facta ad nostrā doctrinā pertinere nemo Christianus inficiari potest) sed ne quidē ex doctrina, eáque ad fidē cognitu necessaria. Hinc enim sanè merito obseruauit Chrisost. apostolos *quum tā multa de Christo dissererent, tamē de diuina eius natura* (quā tamē ex proposito descripsit Ioannes) *pauca dixisse.* Huc etiā pertinet, quòd de doctrina fidei tā parū scripserit Ioānes, vt ne quidē vocabulū fidei vel semel in eius Euāgelio legatur. Paulus verò qui inter cæteros, plurimas Epistolas scripsit, disertè tamē testatur, se omnia nō scribere: sed quædā olim tradidisse, vt illud *Sicut disposui tibi:* & ad Thessalonicēses. *Tenete traditiones quas accepistis:* quædā etiā traditurū præsentē, ideóq; nō scribere: quale illud est. *Cætera quū venero disponā.* Et iterū. *Desidero videre vos vt* *Obiectio remota.* Cap. vlt. Homil. 1. in Acta. 1. Tit. 1. 2. Thess. 2.

1.Cor.11. *aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis.* Et rursum. *Vt suppleam ea quæ desunt fidei vestræ*:apertè D
Rom.1. ostendens non solum de regimine aut cerimoniis & ritibus religionis, (vt propria loca sonare
1.Thess.3. quibusdam videntur)sed etiam de ipsa fide aliquid se viua voce eos docturum, quod illis de-
2. esset:vt etiam rectissimè super hæc verba notat S. Augustinus. Quum enim lactati essent ele-
Tract.98.in Ioan. mentis fidei & catechisati, adhuc illis deerat vt quod in Symbolo de Christo homine crede-
Act.2. bant,idem quoque de Deo Christo credendum esse intelligerent. Christi enim humanitas in
Symbolo expressa,lac erat. Christi diuinitas postea docenda,solidus cibus erat. Hanc præsens
docere,quàm de illa absens scribere Apostolus maluit. Nam & hac spirituali prudentia, tum
Petrus visus est in prima ad Iudæos concione, quum de Christo tanquam *de viro approbato à
Deo*, non tanquam de ipso vero Deo concionatur;tum qui primi Euangelium scripserunt,
Matthæus, Marcus & Lucas visi sunt, qui Christi potius humanitatem descripserunt quàm
diuinitatem quæ erat solidus, cibus, à sancto Ioanne Euangelista post confirmatas iam
aliquantum Ecclesias, postremo loco tradendus. Quæ etiam causa est, quod de Christi aut
etiã Spiritus sancti diuinitate,nihil in Symbolo,quod omnibus indifferenter fidelibus in prin-
cipio credendum proponebatur,clarum & expressum habetur:licet verba Symboli sic côce-
pta fuerint,vt fideli & intelligenti facile illud etiam ex Symbolo,constare queat. Adeo omnia
de Christo credenda,nec in scriptura nec in Symbolo, primi Magistri Ecclesiarum & statim
Euangelica & Apostolica literæ cõmonitoria tantum prædicationum factæ fuerunt. ab initio exprimere voluerunt.

Iam verò euidens est, scripta Euangelica atque Apostolica commonitoria tantùm breuia
fuisse prædicationis prius factæ,non totius doctrinæ Christianæ expressam aliquam formam
aut institutionem. Sic de Euangelio Marci scribit Eusebius, ideo scriptum illud fuisse, vt *mo-* E
Lib.2. cap 14. *nimentum esset prædicationis à Petro apud Romanos factæ*, apud ipsos Romanos deponẽdum ro-
Homil.1. 10. Matth. gantibus illis (vel vt Chrysostomus arbitratur rogantibus Ægyptiis fratribus) atque à Marco
Euangeliũ Marci, commẽtarium prædicationis D. Petri. illud efflagitantibus,vt sanè hoc nomine à [1] Tertulliano, [2] Irenæo,S.[3] Hieronymo & aliis patri-
bus, *Interpres Petri*, id est prædicationis per Petrum factæ enarrator seu commentarius Mar-
cus vocetur. Idem de omnibus Euangelíis pronũciat Chrysostomus,nempe *admonitionis cau-*
[1] cõtra Marcionẽ lib.4. *sa* scripta illa fuisse. S. quoque Hieronymus idem notat,asserens ea scripta fuisse *in memoriam*
posterorum. Sanè D. Lucas de suo Euangelio,apertè dicit:*Vt cognoscas eorum verborum de quibus*
[2] Lib 3.c.11. [3] in catalogo virorum ill. *eruditus es,veritatem.* In procemio,*id est*,ait Chrysostomus, vt sæpe commonitus *certus sis*, *ac in*
Homil. 1. in Matth. in cõment. *certudine permaneas.* Hæc ille hom.1.in Matth. Apostolus verò Paulus euidentissimè hoc ipse-
met ostendit,remittens subinde lectorem suum ad prædicationem viua voce factam, tanquã
2. Cor.3. pleniorem & latius patentem.

Huius rei exempla nõnulla subiiciam. Ad Romanos scribens,monénsque vt à falsis docto-
Rom.16. ribus cauerent,nõ ipsam orthodoxam doctrinam speciatim designat, sed ad eam iam olim vi-
1.Cor. 7. ua voce acceptam eos referẽs,dicit.*Præter doctrinam quam vos didicistis.* Idem verò Corinthiis
1.Cor.11. 1. Cor.14. quàm sæpissimè facit. *Sicut*,inquit,*in Ecclesiis omnibus doceo*. Et iterum:*Sicut tradidi vobis.* Et
1.Cor.15. rursum:*sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* Tale & istud est.*Sic prædicauimus & sic credidistis.* Imò ve-
rò tantùm abest,vt literis suis Apostolus maiorem à fidelibus aut excellentiorem aliquam fidẽ
2. Cor. 1. & authoritatem dari vellet, quàm prædicationi suæ collegarúmq; eius viua voce factæ, vt di-
Paulus ad acceptam à se doctrinam suos refert, non omnem doctrinam scripto tradit. sertè hoc ab eorum mentibus & ex proposito amoueat, dicens. *Non alia scribimus vobis,quàm*
quæ cognouistis. Quasi diceret: Iam fidelibus & doctis scribimus. Non fidem ipsam aut doctri- F
nam fidei rudes docemus. Hoc enim si fieret,nihil sanè ad fidem necessarium prætermittendũ
fuit. Contrà,vbi doctis non rudibus scribit, vt videlicet recognoscant,non discant; nec omnia
opus est scribere,sed quædam è re nata;nec apertè & disertè singula explicare, sed breuiter &
Gal 1. obiter(vt apud Auditorem sapientem fieri solet) pauca perstringere necesse fuit. Quid verò?
An in singulis Epistolis idem non facit? Sanè ad Galatas scribens,*Si quis*,inquit,*vobis Euange-*
Philip.4. *lisauerit præterquam quod accepistis*:nõ dicit, præter hæc & illa Capita doctrinæ,quasi in illa epi-
stola volens fidem eos vniuersam docere. Ad Philippenses eodem prorsus modo scribit. *Quæ*
& didicistis & accepistis,& audistis & vidistis in me,hæc agite. Vides quàm manifestè ad accep-
coloss 2. tam iam doctrinam eos refert, quantúmque absit, vt Normam fidei suas literas esse voluerit,
1.Thess. 4. solam dico,vnicam atque plenissimam,vt semper aduersarij clamitant. Quin & ad Colossen-
2.Thessal.2. ses ad eundem plane modum.*Sicut*,inquit,*accepistis sicut didicistis.* Nec aliter ad Thessalonicẽ-
2.Tim 1. ses. *Scitis*,inquit,*quæ præcepta dederim vobis.* Et rursum in altera Epistola. *Tenete traditiones quas*
2 ad Ti.1. *didicistis,siue per sermonem siue per Epistolam.* Denique & ad Timotheũ suum,non semel ad eũ-
dem modũ scribit. *Quæ à me audisti.* Et rursum. *Quæ à me audisti per multos testes*, (non dicit quæ
tibi scripsi aut ea solũ quæ scripsi)*hæc cõmenda fidelibus.* Ex his omnibus liquidum fit, Epistolas
Paulinas,

A Paulinas, ſicuti, & Euangelia, commonitoria tantùm fuiſſe traditæ prius doctrinæ, & exhortationes ad eam retinendam, non formam aliquam aut Regulam totius doctrinæ; ideoq; ex fine ipſo propter quem datæ ſunt Scripturæ, hanc ſufficientiam quam in ea imaginātur Proteſtantes, colligi non poſſe, ſed potius contrarium. Quo etiam in loco valet illa plurimum D. Auguſtini Annotatio de Actis Apoſtolicis, Lucam *in eo quòd dixit, Baptiſauit Eunuchum Philippus, intelligi voluiſſe impleta omnia, quæ licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen ſerie Traditionis ſcimus eſſe implenda.* Notat enim breuitatis cauſa multa tacere Scripturam, quæ tamen docet Traditio. Quæ contrà Proteſtantes afferunt, vt ex fine ipſo ſolius ſcripturæ Sufficientiam demonſtrent, poſtea ſuo loco refellentur.

Augu. lib. 1. de fide & operibus cap. 9. Infra cap. 12.

Quintum fundamentum Catholicæ ſententiæ, quòd Eccleſia non eſt alligata ad Scripturas.

CAPVT IIII.

LIVD Catholicæ ſententiæ hac in parte fundamentum eſſe poteſt, quòd Eccleſia non eſt alligata ad Scripturam ipſam vel in docendo, vel in regimine externo: vt videlicet propterea nihil docere vel præſcribere poſſet
B niſi quod ſcriptum ſit. Alligata ſane eſt ad verbum Dei, quod illi perpetuò dictat Spiritus Sanctus; Sed ſiue id verbum in ſcripto porrigat, ſiue extra ſcriptum. Nam vtrunque facere Spiritum ſanctum, ipſúmque Dei verbum latius patere quàm Scripturam, ſuprà oſtenſum eſt: vnde etiam hoc quod nunc ſtatuimus fundamentum ſatis confirmatum eſſe videri poteſt. Sed ne vel idē repetere, vel principium petere videamur, ex aliis Mediis oſtendemus non eſſe alligatam ad Scripturas Eccleſiam, quod pro re compertiſſima ſumunt Proteſtantes, indéque oſtendere conantur eſſe totius fidei ſufficientiſſimam Regulam ſolam Scripturam. Et ſane ſi alligata ad Scripturas eſſet Eccleſia, conſequeretur neceſſariò quod inferunt. Nos ergo ex contrarario medio contrarium rectè inferimus, & pro altero fundamento hoc Medium rectè ponimus. Non eſſe igitur ad Scripturas alligatam Eccleſiam euidenti ratione oſtenditur. Primùm quia Eccleſia ſine præuia Scriptura tanquam demonſtrationis medio, ſed ſolo inſtinctu Spiritus ſancti edocta, ipſaſmet Scripturas, modo has modo illas, taxauit, conſignauit, ſuáque authoritate approbauit; vt eſt antea oſtenſum: atque ita rem ad fidem maximè neceſſariam ſine Scriptura concludit. Deinde ſine alia ſcriptura, ipſas Scripturas ſæpenumero interpretatur; ipſúmque ſenſum quem expreſſit, neceſſariò credendum tradit; ſolo etiam Spiritu Dei ad illud infallibiliter concludendum inſtructa, quod & antea demonſtratum eſt. Præterea plurima docuit Eccleſiam Spiritus ſanctus, etiam poſt datas Scripturas, abſque ſcriptura: id eſt abſque expreſſo in Scripturis mandato: plurima inquam, tum ad cultum & religionem, tum ad fidem ipſam pertinentia. Huius rei exempla pauca de multis breuiter perſtringam.

1. *Eccleſia multa de fide concludit ſine Scriptura.*

2. Suprà lib. 10. cap. 11. & ſeq.

3. *Spiritus S. multa docet Eccleſiā ſine Scriptura.*

C Docuit nempe Spiritus ſanctus Iudæos, ex certa religione neruum non comedere. Docuit Moyſem ex conſilio Iethro cognati ſui, inſtituere ſeniores ſuper populum: & confringere tabulas illi à Deo datas. Docuit Eliam facere altare de duodecim lapidibus & immolare ibidem. Docuit Rechabitas ex voto non bibere vinum. Docuit Ezechiam Regem confringere & demoliri æneum ſerpentem, Dei tamen mandato in Scripturas relato erectum: docuit etiam Paſcha celebrāre tempore non ſuo. Hæc & alia permulta, in veteri populo docuit fideles Spiritus ſanctus, abſque vllo Dei mandato in ſcripturis expreſſo, quibus & Deum rite colerent, & religionis actu Deo placerent. Quin & Chriſto veniente, docuit idem Spiritus ſanctus abſque vllo in ſcripturis mandato, tres Magos offerre dona Chriſto; Magdalenam nardo vnguenti optimi Chriſti caput inungere; Nicodemum aromatibus condire corpus Chriſti, Iudæos ferre ramos palmarum ante Chriſtum; multáque ſimilia priuata pietatis opera quæ in Euangelio narrantur. Idem quoque Spiritus ſanctus etiam in publica doctrina & regimine publico. Docuit Apoſtolos inſtituere Diaconos, conuocare Concilium, & ibidem præcipere fidelibus abſtinere à ſanguine & ſuffocato. Docuit Paulum præſcribere fœminis velamen capitis, facere collectas, ordinare viduas in miniſterium Eccleſiæ, decernere de comedendis immolatitiis, approbare diſpar coniugium fidelis & infidelis, de virginibus conſilium dare (de qua re diſertè dicit, *Dico ego non Dominus.*) Circundictionem ſororum mulierū

Gen. 32. Exod. 18. Exod. 32. 3. Reg. 18. Ierem. 35. 4. Reg. 18. 2. Paralip. 30. Matth. 2. Luc. 7. Ioan. 19. Marc. 11. Act. 6. & 15. 1 cor. 11. 1 cor. 16. 1. Timoth. 5. 1 cor. 8. 1. cor. 7.

A & susceptum verum esse sacramentum, & non repetendum ex sola Ecclesiæ traditione firmiter se tenere scribit Augustinus, non dubitans illam consuetudinem ex Apostolica traditione venisse, ideóque nullo modo spernendam. Sic enim hac de re scribit multis in locis. Et quidem contra Petilianum Donatistam hoc vehementer vrgens, *Hoc*, inquit, *facimus, hoc à maioribus traditum accepimus, hoc in Catholica Ecclesia quæ per totum orbem diffunditur, cōtra omnes falsitatis nebulas custodimus.* Móxq; hanc Ecclesiæ traditionem vocat, *Verissimam & inuiolabilem veritatis regulam*: quum tamen in scripturis hoc nusquam habeatur, sed solius Ecclesiæ primum traditione obseruatum, deinde in Concilio plenario deffinitione decretum fuerit.

De bapt. cōt. Don li. 2. c. 4. & 7. lib. 4. c. 6. lib. 5. cap. 23. In lib. de vnico baptism. cap. 9.

Infantes quoque Baptisatos in numero credentium haberi, ex Ecclesiæ doctrina nō scripta, idem doctissimus pater probat. Eisdem quoque fidem susceptorum prodesse ad salutem piè ait, *rectéque credi propter Ecclesiæ saluberrimam Authoritatem quæ hoc commendat.* In lib. 3. cap. 23. de lib. arbit. Cyprianus habet mixtum calicem pro verbo Dei, de quo tamen nihil habet scriptura. Beatæ virginis perpetua virginitas, quam contra Heluidium defendit Hieronymus & contra Antidicomarianitas Epiphanius ex Scripturis (vt hodie scripturas intelligunt Protestantes) probari non potest, sicuti etiam nec Sabbati in diem Dominicum facta commotatio. Aduentus Enoch & Heliæ ante extremum Iudicium, ex nulla scriptura habe-
B tur; sed ex fide Ecclesiæ: vt notauit Augustinus. Quid verò, quòd nec ipsa Sacramentorum doctrina, res ad fidem maximè necessaria, clarè & expressè in Scripturis habetur? Quæ enim scriptura dicit Baptismum vel Eucharistiam, esse Sacramenta? Quæ tamen duo pro Sacramentis à Christo institutis omnes adhuc Protestantes nobiscum fatentur. Deinde forma & administrandi modus vtriusque huius Sacramenti in scripturis prorsus tacetur. Nihil enim de Catechismo, nihil de exorcismo, nihil de illo solemni voto & Abrenunciatione quæ omnia baptismum præcedunt scriptum est. *Sed hæc omnia, licet taceantur in Scripturis breuitatis gratia* (ait Aug.) *tamen serie traditionis scimus implenda.* Rursum de forma administrandæ Cœnæ Dominicæ quum pauca quædam scripsisset Apostolus, 1. Cor. 11. *Cætera*, inquit, *quum venero disponam.* Quia sane *multum erat* (ait Aug.) *vt in Epistola totum illum agendi Ordinem insinuaret, quē vniuersa per orbem seruat Ecclesia.* Hæc ille epist. 119. cap. 6. Et tamen quis negabit hæc esse cognitu necessaria, quum scribat Apostolus, *Omnia secundum Ordinem fiant*? 1. Cor. 14. agens tamen de ordine tantum prophetandi; qui vt extraordinarius tantum fuit, non perpetuus (quod alibi in hoc Opere demonstrauimus) ita Ordine administrandi tanti Sacramenti multo erat inferior. Iam verò in qua Scriptura ipsum Sacramenti vocabulum legis, eo sensu vt nouæ legis sacramentum significet, nisi fortè tantum de matrimonio apud Paulum, quod tamen Protestantes nōn agnoscunt? Peccatum originale in vniuersa Scriptura ne nominatur quidem. Sed quid sit Sacramentum, aut peccatum originale, quæ natura & definitio vtriusque, quibus ex rebus vel in rebus vtrumque consistat, nihil expressè Scriptura nos
C docet.

Serm. 14. de verb. Apost. & de pec. mer. & rem. lib. 3. c. 2. lib. 2. epist. 3. De Ciuit. Dei Lib. 20. ca. 29. *Sacramentorum doctrina nō habetur clarè in Scripturis.* De fide & oper. cap. 9.

Sed quid moramur in illis recensendis quæ sine Scriptura creduntur, súntque ad credendum maximè necessaria? Has esse Scripturas quas vocamus Canonicas, nonne mera est traditio Ecclesiastica? Alioqui quæ Scriptura illas nobis omnes & singulas commendat? Et quid tamen est inter omnia alia quæ creduntur, magis ad credendum, & indubitatè ac firmissimè tenēdum necessarium, quàm certum & exploratum habere, qui tandem libri pro Canonica Scriptura censendi sunt, qui non?

Iam verò, tot & tanta contra tot hæreticos, in sacris Conciliis de fide decreta & tradita, & ad salutem imprimis necessaria, quid aliud sunt quàm dogmata Ecclesiæ non scripta, sed vel ipsarum Scripturarum interpretationes, vel absque Scripturæ auxilio traditæ fidei definitiones? Vbi enim vel in qua Scriptura legimus patrem ingenitum, quod omnis tamen Ecclesia profitetur? Credere filium patri consubstantialem, in Concilio Niceno definitum (*quod verbum Domini permanens in æternum* vocat Athanasius) Credere spiritum S. esse verum (quē Eunomiani vocabant ξένον καὶ ἄγραφον θεὸν peregrinum & non scriptum Deum, vt commemorat Gregorius Nazanzenus) Credere Christum habere duas naturas, operationes quoq; & voluntates duas in vna persona, etsi propter idiomatum κοινωνίας multa attribuãtur in Scripturis vni naturæ quæ alteri conueniunt, esse item tres personas siue subsistentias in diuinis, spiritum S. à patre filióque procedere, in scripturis expressa non habentur, sed interpretationes scripturarum sunt, de fide tamen credendæ: nisi velimus quia singula in scripturis clarè non exprimuntur, ad Arrianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Nestorianorum,

Multa in Conciliis cōtra hæreticos de fide definita quæ in Scripturis expressa non habentur. In epistol. ad Africanos. Li. 5. de Theologia.

A *rioribus & magis spiritualibus præcepta fuerant, illa iis tantum quos capaces esse eorum intellexerant sine scripto tradiderunt: quæ vero infirmioribus & vulgo fidelium conuenire existimabant, eorum quædam quidem in scripto reliquerunt, quædam verò per sanctiones & ritus non scriptos obseruanda tradiderunt.* Hæc Eusebius. Vbi vides Apostolos, & magis sublimia fidei mysteria sine scripto fere omnia tradidisse, & ipsa vulgatia, non omnia, sed quædam scripsisse. Idem accuratè docet Origenes lib. 2. contra Celsum, à quo hanc suam sententiam, vt alia multa, sumpsisse videtur Eusebius. Verba Origenis huc pertinentia infrà preferentur commodiùs. Idem clarè attestatur Basilius ille magnus, causámque reddit, quare studio & industria id Apostoli fecerint. Dogmata, inquit, *quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Qualia quum nonnulla commemorasset, Hæc,* inquit, *ex qua Scriptura habemus? Nonne ex priuata hac & arcana traditione? Nonne ex doctrina quam patres nostri in silentio quod curiosos & otiosus submouet seruarunt? Pulchrè quidem illi: nimirum docti arcanorum venerationem silentio conseruari. nam quæ nec intueri fas est non initiatis, horum doctrinam quo modo par erat in literis velut in triumpho ostentare?* Hæc ille. Comparatione deinde facta cum Sãctuario veteri, eiúsque arcanis mysteriis, à quorum conspectu non populus tantum, sed & leuitæ ipsi ac sacerdotes, vel semper vel ad certa tempora arcebantur; *Ad eundem,* inquit, *modum, etiam ij qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt, Apostoli & patres, in occulto ac silentio mysteriis Authoritatem conseruarunt. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures affertur. Hæc est ratio, cur quædam*

Infrà cap. 9.

De Spiritu S. cap. 27.

Causa consilij Apostolici de traditione non scripta.

B *citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptũ. Aliud autem est dogma, aliud edictum. Nam dogmata silentur; edicta verò publicantur. Est autem silentij species etiam obscuritas qua vtitur Scriptura, mentem ad contemplationem dogmatum inhabilem exercens, idque ad vtilitatem in Scripturis versantium.* Hæc Basilius disertè, copiosè & grauiter. Tantum sane abest, vt omnia Apostoli scripserint, pleraq; vt eáque diuinissima grauissimis de causis in silentio & in occulto tradere voluerint ac debuerint. Annon verò Apostolus Paulus qui inter cæteros quàm plurima scripsit, multa tamen etiam studio prætermisit? Sane disertè scribit Thessalonicensibus, vt *traditiones tenerent quas acceperant, siue per sermonem siue per epistolam.* Vnde pronunciat Basilius. *Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere.* Sed aliorum nunc Patrum hac de re testimonia conquiramus. S. Augustinus variis in locis hunc Apostolorum morem diligenter obseruauit. *Multa,* inquit, *non inueniũtur in literis Apostolorum, neque in conciliis posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis tradita & comendata creduntur.* Hæc ille. Idem aliis verbis repetit lib. 5. cap. 23. eiusdem operis, & de Genesi ad literam lib. 10. cap. 23. In eam sententiam scribit Chrysostomus. *Apostolos non parum multa etiam absque scripto tradidisse.* Idem notat in commentariis ad 2. ad Thess. cap. 2. & Homil. 26. in 1. ad Cor. 11. Ad Chrysostomum accedit Epiphanius qui etiam disertè scribit. *Non omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt;* idque mox ex Pauli verbis euidenter probat supra citatis. Eandem sane ob causam idem doctissimus pater fundamenta fidei Christia-

2. Thessal. 2.

Lib. de Spiritu S. cap. 29.

De bapt. cõt. Donat. lib. 2. cap. 7.

Homil. 2. in Acta.

Hær. 61. contra Apost.

Fundamenta fidei sunt scriptura & traditionis.

C næ commemorans, scripturis adiungit traditiones, *Termini,* inquit, *nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scriptura sancta, & successiones doctrinæ; & vndequaque veritas Dei munita est.* Hæc ille. Quod totidem verbis ante eum scripsit potẽtissimus ille Arrianorum Antagonista Athanasius. *Proponamus,* inquit, *diuini placiti voluntatem, & verissimæ œconomiæ consummationem, & absolutissimi beneficij gratiam, vicissim percunctantes istorum intellectus, an Propheticis annunciationibus coastipulentur, an Apostolicas doctrinas sequantur, an in Patrum mandatis incedant, an irrefutabiles Domini voces non reiiciant, vt ex Propheticis iudiciis, & Apostolicis doctrinis, & ab operibus à Domino designatis, concilietur veritatis confessio & erroris explicatio.* Hæc ille in libello de Incarnatione Christi, manifestè Scripturis adnumerans Patrum mandata, vt ex illis quoque controuersia de fide diiudicetur. Ac satis sane luculenti testes ij tot ac tanti Patres esse possunt, Apostolos re vera non omnia ad fidem & salutem necessaria scripsisse, sed satis multa eáque præcipua & diuinissima certo consilio & ratione per manus absque scripto tradidisse.

Hær. 55. contra Melchisedecianos.

Quanta verò huiusmodi sine scripto traditis dogmatibus Authoritas tribuenda sit, iidem patres manifestè iuxta Apostolum docent. Sane eandem prorsus quam Scripturis ipsis, tribuendam docent. Basilius enim quum vtrumque genus dogmatum, scriptum & non scriptum in Ecclesia esse ostenderet, *quorum,* inquit, *vtraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquã cõtradicit quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nã si cõsuetudines*

Par Authoritas Traditionũ & Scripturæ.

De Spiritu S. cap. 27.

quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reiicere, imprudentes & ea damnabimus quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Hæc ille. In quibus sanè postremis verbis illud maximum inconueniens notat, quod sub finem superioris capitis ex hoc Protestantum paradoxo consequi diximus. Soli enim scripto verbo omnem fidem tribuere, est omnem fidei prædicationem, è medio tollere; & ad nudum nomen contrahere; quia hac ratione non prædicandi, docendi, tractandi, explicandi & applicandi potestatem habebit Ecclesia: sed solum scriptum verbum à quocunque lectum & inspectum omnem fidem docebit, neglecto Ecclesiæ docentis & interpretantis ministerio, & prædicatione illi à Christo Saluatore concredita. Conformiter Basilio scribit Chrysostomus. Quum enim dixisset multa sine literis Apostolos tradidisse, subiungit. *Eadem verò fide digna sunt tam illa quàm ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est. Nihil quæras amplius.* Hæc ille. Neque verò de hac re dubium esse amplius potest & debet, quum Apostolus verbis clarissimis vtrunque genus dogmatum, *siue per sermonem* viuæ prædicationis, *siue per epistolam* scripto consignatam & traditam, iubeat Thessalonicenses suos *tenere*, hoc est, custodire & seruare. D

Homil. 4. in 2. ad Thess. 2.

2. Thessal. 2.

Cauillationes Protestantum contra locum Apostoli 2. Thessal. 2. diluuntur.

Nam quod Protestantes ad hæc clarissima Apostoli verba respondent, modo eandem fuisse doctrinam quam per sermonem & quam per epistolam tradiderat, modo propterea sic tunc scripsisse Apostolum, quia nondum omnia scripta fuerant, mera est cauillatio, & hominum ad manifestam lucem oculos claudentium pertinax tergiuersatio. Etenim si primum verum esset, frustra & ridiculè Apostolus vtrúmque genus doctrinæ commendasset: & prætereà quàm est absurdum, in epistolis illis duabus ad Thessalonicenses scriptis, vniuersam doctrinam comprehendi dicere, quam Paulus viua voce prædicauerat, sine illis siue aliis? Quod ad secundum attinet, ostendere non possunt Protestantes, Paulum etsi post has epistolas alia scripserit, in eo tamen scripto omnia comprehendisse, aut comprehendere voluisse, quæ ad fidem & salutem essent necessaria. Denique disertè patres modò citati, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, hæc eadem Pauli verba, non ad illud tantùm tempus quo Paulus ea scripsit referunt; sed etiam ad omnem Christianæ Ecclesiæ posteriorem ætatem; manifestè asserentes & Paulum & Apostolos alios *multa sine literis tradidisse*; quæ etiam disertè commemorant ad suam vsque ætatem ex sola non scripta traditione obseruata fuisse, sicut & hodie vsque eadem in Catholica Ecclesia obseruantur. Manet ergo firmum multa Apostolos sine literis tradidisse, eadémque in Ecclesia non secus quàm Scriptas earum literas, piè & religiosè custodiri. E

Octauum fundamentum quòd Protestantum hac in re sententia, est veterum omnium hæreticorum vox & sententia, ab eisdem tamen ipsis minimè obseruata. F

CAPVT VII.

AM verò Orthodoxæ sententiæ etiam alia demonstratio & fundamentum esse potest, quòd nostrorum hodie pestilentissima hæc vox, in solis Scripturis doctrinam fidei quærendam esse, perpetua fuit veterum hæreticorum cantilena, & flagitatio; ab ipsis tamen sicut & à nostris hodie, omnium minimè obseruata. Clamabant enim sanè omnes, solas Scripturas, vt Ecclesiæ vocem excluderent: & ad illas solas admissi, iam sua afferebant præter Scripturas. Non secus sanè ac si versipellis hostis quispiam ad certamen prouocans, aduersario persuaderet arma deponere, ac ipse eum postea benè armatus aggrederetur. Sic sanè Arrius & Arriani consubstantialem patri filium, quia illa vox in Scripturis non legeretur, itémque in vniuersam substantiæ ac subsistentiæ vocabula, tanquam non scripta, remouenda esse prorsus clamitabant. Sic enim de illis commemorat Athanasius. *Atqui*, inquiunt, *ista in Scripturis non reperiuntur: ac proinde voces alienas à sacris literis*

Arriani voces non scriptas reiiciebant, & vocibus tamen non scriptis permultis vtebantur.

In Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ.

A literis reiicimus. Quibus eorum verbis respondens Athanasius, ostendit eos quàm plurima extra scripturam asserere. *Si enim, inquit, eiicienda putant verba in sacris literis non obuia, cur Ario tantum aceruum dictionum quas nusquam in scripturis reperias accumulante, quales sunt, ex non entibus, & non erat filius priusquam gigneretur, & erat quando non erat, & conuertibilis est, & ineffabilis est, & inuisibilis pater filio suo, & filius non nouit ne suam quidem substãtiam, & quæcunq; istiusmodi ab illo euomuntur, non contradicunt; sed potius pro iis pugnant, & ob ea cum patribus suis belligerantur? Aut vbi denique in ipsis sacris literis, repererunt vocem ingenitum, aut ὑσίας nomen, & illud tres esse hypostases, & non est verus Deus Christus, & vnus est ex centum ouibus, & sapientia illa Dei ingenita est & inoriginata, & multæ sunt conditæ potestates, quarum vna est Christus? Aut qua tandẽ ratione in Enceniis, verbis à Scriptura non receptis Acacius & Eusebius vsi dixerunt substantiæ, potẽtiæ, concilij, gloriæ nulla dissimilitudine variante imaginem, primogenitum creaturæ esse, & obmurmurant patribus, quòd vocabulorum quæ in vsu sacrarum literarum non sunt, mentionem faciant, & substantiæ meminerint? Oportuit eos aut sibi ipsis obmurmurare, aut nihil patres incusare.* Hæc hactenus Athanasius, quæ quidem ex illo paulò prolixiùs transcripsi, quòd hæc Arrianorum reprehensio iustissima, nostris quoque hodie Protestantibus ad amussim conueniat. Quemadmodum enim Arriani solas scripturas crepabant, & idcirco decretas à patribus voces, & in Symbolum relatas damnauerunt; quum tamen ipsimet tot ac tanta & vocum & sentẽtiarum portenta, extra scripturas afferrent ac defenderent; sic planè nostri hodie Protestantes faciunt. Nihil enim absque scriptura recipi volunt, ideóq; & transubstantiationis, & Missæ, & sacerdotũ
B ac sacrificij vocabula, quia in noui testamenti literis (vt illi aiunt) non legũtur, prorsus reiicienda statuũt, & præterea multa dogmata de quibus (vt illi existimant) parum aut nihil in eisdẽ scripturis expressum reperitur, vt inuocationem Sanctorum, orationem pro defunctis, propitiationem quotidiani sacrificij, merita operum, satisfactiones & supererogationes, aliáque cõsimilia eodem nomine penitus reiiciunt. Quid vero? Idem illi nihil nisi scriptum adferunt? Et in qua obsecro scriptura legitur Imputatiua Iustitia, sola fides, specialis fiducia & apprehensio meritorum Christi, & his similia? Vbi legitur canalis Caluini circa existentiam Corporis Christi in Eucharistia, vbi energia Zuinglii, vbi metonymia Melanchthonis, vbi signum & figura Carolostadii, vbi pignus & Arrhabo Oecolampadii: vbi Vbiquitas Brentii, vbi illud Lutheranorum, in pane, vel cum pane vel sub pane esse corpus Christi. Quæ scriptura dicit Ecclesiã ex solis prædestinatis vel bonis constare semper in mundo tam intra Ecclesiam quã extra maiorem partem veritati resistere, & Satanam potentem esse; imo ipsum Antichristum in suprema Ecclesiæ cathedra multis seculis sessurũ? Quæ scriptura dicit fidem efficere, vt quæ re vera quàm longissimè absunt, sint tamen præsentia, liberum arbitrium esse titulum sine re, mandatorum obseruationem esse impossibilem, docere Apostolum ne quidem à perfectioribus hominibus impleri legem, discrimen legis & Euangelii esse quòd illa iustitiam operum, hæc iustitiam fidei sine bonis operibus requirit, sola peccata contra conscientiam esse mortalia, omnia etiam huiusmodi peccata fidem excutere, in omni bono opere peccare iustum, vel (vt alii commodius se loqui arbitrantur) nullum esse hominis opus iustum, nihilominus certitu-
C dine fidei certos nos esse quòd sumus in gratia: Baptismum in omne vitæ tẽpus valere, & peccata post Baptismum abolere, multáque iis affinia. Hæc vocabula, has sententias, has propositiones, quas illi pro verbo Dei obtrudunt, pro quibus illi contra Ecclesiam belligerantur, quæ Scriptura habet, aut vbi in sacro Canone scriptas ostendunt? Nusquam sanè ostendere possunt. Et tamen flagitant illi à nobis cum veteribus Arrianis, nihil nisi quod scriptura habet, in fidei dogmate proferri. Contra Sabellium, impassibilem, innascibilem, & ingenitum patrẽ esse; contra Photinum, Deum esse ex Deo & lumen de lumine Christum Dominũ; contra Eunomium, similem non dissimilem patri esse Ecclesia pronunciauit. Sed hęc Arrianorum (vt egregiè disputat Athanasius) & hodie Protestantum præscriptio omnes has voces & definitiones Ecclesiæ, quia in scriptura nõ continentur, penitus profligabit, singulósq; hæreticos pręclarè iuuabit. Maximini Arriani apud Augustinũ, eadem hac de re vox & idẽ est argumentũ, cuius hodie Protestantũ in ore vsus est perpetuus. *Si quid,* inquit, *de diuinis scripturis protuleris, quod cõmune est cum omnibus, necesse est vt audiamus. Hæ verò voces quæ extra scripturã sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. Cùm Dominus moneat ac dicat. Sine causa me colunt, docentes mãdata & præcepta hominum.* Hæc ibi Arrianus ille. Putes te Protestantem audire. Neq; enim ouum ouo similius quàm iste Arrianus Protestantibus nostris. Eodem modo & Pascentius Comes Arrianus contra Homousion quia scriptum nõ esset excepit, apud Augustinum; cui statim Augustinus

Quàm ęgre has voces non scriptas Arriani abiurare coacti fuerint ab Imperatore Constantio vide Theodoretum hist. Eccles. lib. 2. cap. 27.

Protestãtes multa Catholicæ Ecclesiæ dogmata reiiciũt quia non scripta, quum plura tamen ipsi doceãt etiã non scripta.

In disputatione coram Probo iudice.

Veterũ hæreticorum mos non scriptas voces ab Ecclesia receptas reiicere.

Lib. 1. contra Maximinum in principio.

August. epist. 174.

de voce Ingeniti replicauit, quia nec illud ſcriptum eſt. Quam altercationem vide apud Auguſtinum, indéque Proteſtantibus hodie veterum Arrianorum more diſputantibus, quid reſpondendum ſit, perſpicies. Eadem vox Eunomianorum apud Gregorium Nazianzenum. *Vnde*, inquiunt, *nobis peregrinum hunc Deum & Scripturæ verbis nuſquam expreſſum introducis?* Quibus paulò pòſt reſpondet, *literæ ſtudium impietatis ipſis pallium eſſe.* Eadem Acacij vox erat in Synodo Seleuciana; porrecta formula fidei quæ tam Nicæni quàm Antiocheni Concilii fidem correxit: abolito videtur tum conſubſtantialis tum Similis ſubſtantiæ vocabulo, quia in Scripturis illæ voces non legerentur: vt videre eſt apud Socratem hiſto. eccleſ. libro 2. capite 32. & apud Sozomenum libro quarto, capite 21. Eadem Eutychetis in Concilio Conſtantinopolitano ſub Flauiano vox erat. *In qua*, inquit, *Scriptura iacent duæ naturæ?* Cui reſpondit Mamas Preſbyter, *& quæ ſcriptura dicit Homouſion?* Neque potuit Euthyches ab hac vna voce deduci, quin ſemper repeteret, *ſe ſolas ſcripturas ſectari; tanquam firmiores ſanctorum patrum expoſitionibus.* Et iterum. *Quia à ſanctis ſcripturis non didici de duabus naturis, nec ego id dico;* replicantibus itidem Catholicis neque in ſanctis ſcripturis legi Homouſion, ſed à ſanctis patribus traditum firmiter credi. Quin Pelagianorum apud Auguſtinum eadem vox eſt. *Credamus*, inquiunt, *quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus aſtruere: quòd de cunctis etiam dicere ſufficiat.* Quibus mox reſpondet Auguſtinus. *Contra ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud quod Apoſtolus ait, omnia probate quæ bona ſunt tenete* (nam & ideo quid legendum pro ſacra ſcriptura eſſet, Eccleſia probando tenuit) *& aſtruere etiam aliquid quod non legimus, nefas non eſſe.* Sed ne multis lectorem morer, eadem planè fuit, Albigenſium apud Diuum Bernardum, Iconomachorum in Concilio Niceno 2. & omnium ad vnum hæreticorum veterum vox. Recentior quoque Vvicleph, cuius vomitum reſumpſit Lutherus, ſic apud Vvaldenſem noſtrum loquitur. *Nulli fratres vel prælati quicquam debent in materia fidei definire, niſi ad hoc habuerint ſcripturæ authoritatem vel reuelationem à ſpiritu ſancto ſpecialem.* Cui mox reſpondet ſapienter Vvaldenſis. *Quomodo tibi definienti ſub prætenſa ſcripturarum Authoritate fidem venditas, & priſtinis hæreticis fidem negas?* Illi ſiquidem ad vnum omnes, ſcripturas pro ſuo dogmate proferebant: vt diligenter ibi de Arrianis Sabellianis, Manichæis commemorat Vvaldenſis. Replicante autem Vviclepho ac dicente, aliorum hæreticorum ſcripturas fuiſſe extortas; reſpondet Vvaldenſis: *Sed qualiter hoc probabis, aut quomodo fidelem induces, vt tibi credat potius ſic dicenti quàm alteri deneganti?* Omnes quippe hæretici, aliorũ præter ſe hæreticorum omnium ſcripturas extortas aſſerunt. Poſtremò verò, quum (quod maius eſt) etiam Catholici omnes maximéque magiſtri Eccleſiarum, ſingulorum hæreticorum ſcripturas quas proferunt, à vero ſenſu longiſſimè aberrare pronunciant; iterum fortiſſimè cõtra Vvicleph um colligit Vvaldenſis. *Cur tu definis errorem circa fidem* (ex ſcripturis videlicet erranter intellectis) *& prælatis denegas authoritatem definiendi pro fide?* Nulla videlicet iniquior conditio dari poteſt, quàm vt hæreticus ſibi ſoli aut paucis ſectatoribus ſuis recenter exortis, circa ſcripturarum expoſitionem, aut etiam circa reuelationes non ſcriptas, credi à fidelibus poſtulet; ipſi autem Eccleſiæ Dei, id eſt, fidelis populi conſtitutis Magiſtris, ordinéque perpetuo in Eccleſiæ regimine ſuccedentibus, vel ſcripturas exponentibus, vel præter ſcripturæ textum acceptas ab Apoſtolis traditiones (non ſua vlla inuenta) commendantibus, minimè credatur, & tamen talis eſt in hac cauſa Proteſtantium hodie à nobis poſtulatio: & his legibus ad ſolos ſcripti verbi limites, doctrinam fidei aſtringunt.

D

Lib. 5. de Theologia.
Chalced. conc. Act. 1.
Act. 3.
Conſtant. ſub. Act. 6.
De Natura & gratia cap. 39.

E

Homil. 66. in Cant. Anathematiſmo 7.
Valdenſ. de Doctrinal. fidei lib. 2. ca. 9.
Iniquiſſima conditio quam Proteſtantes ab Eccleſia Catholica obſeruari volũt.

F

Primi generis Scripturæ, quibus Proteſtantes hodie contrarium ſuadere contendunt, proponuntur & expenduntur.

CAPVT VIII.

Nunc

A
VNC aduerſariorum argumenta,quibus hoc ſuum cum veteribus hæreticis Paradoxum ſtabilire conantur,excutere & ſubuertere oportet;ne ſola veritate demonſtrata,falſitatis autem nebulis minimè depulſis; aut imperito lectori fucum illa faciant, aut parum ſtabilem in alteram partem vel ambiguum trahant vel perplexum teneant. Ea ſanè vel ex Scripturarũ verbis,vel ex SS. Patrum certis teſtimoniis ab illis deprimuntur,vel etiam ex origine,vſu,& dignitate ipſarum ſcripturarum petuntur. Singula verò
ordine preſtituto proferemus:paritérque Deo dante refellemus. 1.
Et quidem quod ad Scripturas attinet, ad tres argumentorum ordines referri omnia poſſe 2.
videntur;quæ triplici vel fraude vel ignorantia proferunt. Primo loco ea omnia ſcripturarum 3.
loca producunt,quæcunque in commendationem vel totius Scripturæ, vel ſingularum partium dicuntur,vt inde ſolius Scripturæ ſufficientiam concludant. Quale illud eſt. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata,vtilis eſt ad docendum,ad arguendum,ad corripiendum,ad erudiendum in iuſtitia,vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Item illud Saluatoris. *Scrutamini ſcripturas,quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Item illud. *Cælum & terra tranſibunt,verba autem mea non tranſibunt.* Denique illud. *Habent Moyſen & Prophetas. Si Moyſi & Prophetis non crediderint,neque ſi quis è mortuis reſurrexerit, credent.* Poſtremò, quòd ipſe Chriſtus voluit doctrinæ ſuæ teſtimonia è Scriptura petere,idémque poſtea Apoſtoli diligentiſſimè præſtiterunt. Sed hæc omnia, Scripturæ quidem maieſtatem & dignitatem commendant; vt tum aduerſus eam nihil,tum ex ea quoad eius fieri poteſt, omnia doceantur.

Ex iis quæ commendant Scripturam ſufficientiam ſolius Scripturæ concludũt Proteſtantes. 2. ad Timot. 3. Ioan. 5. Marc. 13. Luc. 16.

Reſponſio.

B Non autem ex his omnibus inferri poteſt,omnia ad fidem & ſalutem neceſſaria in Scripturis haberi, vel ex illis ſolis illa petenda eſſe. Paulus ſanè in verbis ad Timotheum non de tota ſed de omni Scriptura:id eſt,de omni parte ſcripturæ loquitur,quòd ſit vtilis ad docendum,ad arguendum,& cætera. Quòd ſi verò exinde ſequitur, etiam ad omnia illam ſufficere;ſequetur quoque quamlibet Scripturæ partem ad quælibet ſufficere.

Rurſum vtilem eſſe omnem Scripturam dicit Apoſtolus; non autem ſolam ſufficere dicit ad omnia. Hæc autem duo quam ſint diuerſa,facile cordatus quiuis intelligit. Eadem quoq; ratione illa alia Saluatoris dicta, quæ vel de veteris tantùm inſtrumenti ſcriptura dicta ſunt, vt primus ac tertius locus; vel de ſua tantum prædicatione viua voce hic in terris facta, vt ſecundus locus; ſi ad omnia ſufficere oſtenduntur, profectò aut nouum Teſtamentum totum excludent tanquam ſuperfluum, aut certè literas Apoſtolicas omnes,quæ poſt illa Saluatoris verba ſcriptæ & canoni Scripturarum adiectæ ſunt. Sed aliud eſt ſcripturas ſcrutari oportere, quod Saluator dicit;nóſque quàm ſtudioſiſſimè amplectimur,& pro virili præſtamus. Aliud, ſolas illas perſcrutandas eſſe,quod nulla Scriptura dicit, ſed hæretici de ſuo cerebro comminiſcuntur. Aliud verba Domini non tranſire; aliud ſcriptum verbum non præterire, aut non exire:aliud,denique Moyſen & Prophetas audire;aliud,illos ſolos audite; ne hac ratione Apoſtolorum verba tam ſcripta quàm non ſcripta,ex hac Proteſtantum doctrina penitus negligere,& reſpuere diſcamus. Quanquam ſanè & ſcripturas ipſas ſequimur, quoties Eccleſiæ doctrinam etiam non ſcriptam ſequimur,iuxta illam Auguſtini conſequentiam ſanè validiſſimã,

Aliud Scripturas ſcrutari, aliud ſolas.

Lib. 1. cap. 33. cõtra Creſconium.

C qua dicit. *Quamuis huius rei de ſcripturis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam hac in re à nobis tenetur veritas;cùm hoc facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat Authoritas. Vt quoniam Sancta ſcriptura fallere non poteſt,quiſquis falli metuit in hac obſcuritate quæſtionis,eandem Eccleſiam de illa conſulat,quam ſine vlla ambiguitate Sancta ſcriptura demonſtrat.* Hæc Auguſtinus.

Secundum argumenti ſeu potius impoſturæ genus,ex verbis ſcripturarum hauſtum refellitur.

CAPVT IX.

Aliud verbum Dei, aliud scriptum. 1. Petr. 1. Matth. 15. Luc. 10. Matth. 17. Coloss. 2. Rom. 10. 1. Petr. 4. Ezech. 3. Ierem. 23. Instit. lib. 4. cap. 8. par. 8. Caluini blasphemia in Spiritum Sanctum.

LIVD argumentorum seu potius Imposturæ genus est, vt quicquid de verbo Dei, de Euangelio, de veritate in scripturis legitur aut dicitur, ea omnia ad scriptum verbum trahāt, & de scripto verbo exponāt. Tale est illud. *Verbum Domini permanet in æternum.* Et illud. *Omnis plantatio quam non plātauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Et iterum. *Vnus est Magister vester Christus:* Et rursum. *Qui vos audit, me audit,* vt non nisi Christi verbum audiatur: iuxta illud, *Ipsum audite,* quia in illo solo *omnes scientiæ & sapientiæ thesauri absconditus est.* Vnde & Apostolus, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et illud Petri. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* Ac postremò illud Prophetæ. *Audies ex ore meo verbum, & annuntiabis illis ex me;* & rursum, *Qui habet verbum meum, loquatur verbum meum verè.* Quæ omnia loca adeo vrget Caluinus, vt scribat *nihil aliud permissum fuisse Apostolis, quàm vt scripturam veterem exponerent, vt olim Prophetæ, nec id ipsum aliter facerent, quàm ve ex Christi ore acceperant. Quin & ipsi spiritui sancto easdem partes assignatas fuisse, vt suggereret tantum quæcunque Christus antea ore docuerat, & hanc restrictionem attente esse notandam.* Hæc ille. Sed blasphemus hæreticus tam in Apostolos quàm in spiritum sanctum, vbicunque audit verbum Dei, scriptum verbum necessariò intelligendum putat; quum tamen, vt iam ostensum est, multo latius verbum Dei pateat quàm Scriptura; in locis quoque citatis de scripto verbo, nec Christus nec Apostoli quicquam locuti fuerint. Præterea non omnia Christus viua voce & ore docuit, sed Spiritui sancto multa docenda reliquit, apertissimè dicens paulo ante passionem suam, quum iam finem prædicandi faceret, *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis* (venit autem post Christi Ascensionem, quum ex ore Christi iam amplius non audirent Apostoli verbum) *docebit vos omnem veritatem.* Nihil potuit apertius dici. Dicit enim *adhuc,* id est præter & vltra ea quæ iam his aliquot annis viua voce prædicaui, & ore vos docui; *Multa,* non pauca aliqua. Deniq; huiusmodi, *quæ non potestis portare modo:* id est, excellentissima & perfectissima fidei mysteria, quæ non poterant tunc portare Apostoli, id est, nondum accepto spiritu S. penetrare & intelligere non poterant, quia nondum perfecti & spirituales erant, de quibus Apostolus dicit. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* & iterum paulò post. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo, &c.* Tales adhuc Apostoli erant, qui ad verbum crucis scandalisabantur, qui quomodo Christus esset in patre & pater in illo nondum credebant, qui in ipsa Cœna illa mystica sic carnales erant vt *fieret contentio inter eos quis eorum videretur esse maior,* qui etiam sic paruuli erant, vt diceret illis christus; *non potestis me sequi modo,* qui omnes à Christo capto diffugerunt, quorum etiam Princeps Christum abiurauit. Itaque etsi portare, id est æquo animo ferre omnia Apostoli fortasse potuissent, (quanquam & ad crucis mentionem sic offensus est Petrus, vt audiret à Christo, *Vade à me Satana, non sapis ea quæ Dei sunt;* & in ipsa apprehensione Christi, gladium educens ita restitit, vt diceret ei Christus, *Calicē quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ipséque cum Iacobo & Ioanne ipsa illa nocte ita somno grauati ac tardi erant, vt nequicquam monente Christo, vt vigilarent & orarent, dormirent tamen:) etsi inquam fortasse excellentissima & sublimissima mysteria æquo animo ferre tunc potuissent, (vt putat Augustinus hunc locum exponens) tamen sic portare, vt capere, ac intelligere suauiterque memoria recondere possent; certè tunc non potuerunt, iuxta Christi verbum manifestissimum, tum hic tum antea vbi dixit, *nisi ego abiero, paracletus nō veniet ad vos,* id est, *non potestis capere Spiritum,* & spiritualiter intelligere Christum, *quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum,* vt idem exponit Augustinus tract. 94. in Ioan. Talia autem fuerunt quæ postea Apostolos spiritus sanctus docuit, ipsique Apostoli Ecclesiam, absque scripto, vt disertè notauerunt Dionysius Areopagita, Eusebius Pamphili, & Sanctus Basilius in locis suprà citatis. *Imo,* ait Caluinus, *etsi rudes ac prope indociles discipuli erant, quum ista à domino audirent; tamen postea à spiritu S. in omnem veritatem ducti, quid obstet quo minus perfectam Euangelicæ doctrinæ cognitionem in scriptis suis complexi sint?* Cui respondemus, iam quidem ostensum esse quòd non omnia in scriptis suis complexi fuerint Apostoli, sed multa sine literis tradiderint. Verum siue id ab illis factum sit siue non, ex his Christi verbis euidens est, non omnia Christum ore docuisse, quæ Apostoli & sciebant & alios docebant; sed illos per Spiritum Sanctum edoctos, *Multa adhuc, quæ prius portare non poterant,* excellentissima videlicet & maximè sublimia fidei mysteria tum didicisse, tum alios docuisse; vt & multò magis spiritus sanctus ipse multa alia docuerit quàm Christus prædicauerat. Vt propterea restrictio illa quam tam attentè notari Caluinus vult, sit in spiritum S. blasphema, & de Apostolis

Ioan. 16. Christus Spiritui S. multa docenda reliquit. D

Apostoli præsente adhuc Christo infirmi & carnales. 1. Cor. 2. 1 Cor. 3. Matth. 16. Ioan 14. Luc. 22. Ioan. 13. Matth. 16. Ioan. 18. E

Tract. 96. in Ioan. Ioan. 16. F

Caluini replica sed nihil ad propositum.

Caluini blasphemia contra Spiritum Sanctum.

A Apostolis falsissima. Sanè Spiritui S. id officium assignauit Christus, non solum vt suggereret ea quæ Christus dixerat, (quod solum vrget Caluinus) sed etiam vt doceret omnia. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*, ait Saluator. Et iterum postea. *Docebit vos omnem veritatē.* Ioan. 14. Ioan. 16. Docendi ergo partes etiam spiritui sancto assignantur, non secus quàm christo, nō solùm suggerendi. Alioqui spiritum sanctum doctorem Ecclesiæ esse negare, præterquam in suggerendo huiusmodi quæ Christus viua voce docuerat; cúmque ad hoc munus ita astringere, vt alia ipsemet à Christo prætermissa dicere ac docere nō valeat aut nō debeat; nihil certè est aliud, quàm cum Eunomianis & Macedonianis, dicere ac docere Spiritum S. ministrum esse & discipulum ac seruum tum Dei Patris, tum Christi: quod illi ex illis verbis hoc eadem loco dictis, collegerunt. *Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.* Et paulò pòst. *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Sic enim ex his verbis illos collegisse commemorat Ambrosius, pariterque docet *Propter vnitatem substantiæ & proprietatem scientiæ Spiritum Sanctum de filio accipere, & non ex se loqui, quia non sine Patris & Filij communione loquitur, tamen quicquid pater aut filius vel loquitur vel scit, ipsum Spiritum S. & loqui & scire.* Hanc etiam ob causam disertis verbis dixit Chrysost. *Ideo Spiritui seruata est maior doctrinæ portio, ne putarent illum minorem.* Hæc ille, adeo docens Spiritum S. docendi partem relictam esse, vt etiam maiorem doctrinæ portionem ab eo ecclesiæ datam esse, affirmare non dubitet: idque ex certa Dei prouidentia, vt æqualis patri ac filio crederetur.

Spiritus S. Ecclesiæ Doctor non secus quā christus. Ioan. 16. Lib. 2. cap. 12. de Spiritu S. Chrysost. hom. 1. in acta.

B Non sine blasphemia ergo manifesta in Spiritum S. dici potest, ad ea restringi doctrinam eius quæ Christus ore docuerat, quum manifestè Christus asserat se non omnia dixisse, sed *adhuc multa habere quæ diceret, quæ non poterant Apostoli portare modo*; futurum autem vt illo abeunte Spiritus S. eos *omnem veritatem doceret. Qui omnem dicit*, ait Ambrosius, *nihil præterit, non diem, non horam, non præterita, non futura.* Ergo & præterita, id est olim dicta vel facta suggesturus, & futura quę antea nō fuissent gesta vel dicta docturus erat Spiritus S. Ecclesiam. Nam & ideo apertè Christus ibidem dixit, *Quæ ventura sunt annunciabit vobis.* Et in eodem capite, ex parte ea commemorat. *Ille*, inquit, *cùm venerit, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Quæro à Caluino redargutionem istam, tam variam & amplam vbi viua voce docuit Christus, vt eam non nisi ex ore eius Spiritus S. postmodū in mundo faceret. Rursùm vbi docuit Christus Apostolos suos à literali lege ad spiritualem ascendere, & legalium obseruationem abiicere? Certè hoc Petrus non nisi post Ascensionem christi per visionem submissam didicerat, vt in Actis Apostolicis habemus, & notat Origenes. Vbi multa quæ Apostoli tunc capere & ferre non poterant, christum studio prætermisisse, posteáque misso demum spiritu S. eos docuisse idem recenset.

Ioan. 16. Vbi suprà. *Spiritus S. doctrina quā lati pateat.* Ioan. 10. Act. 10. lib. 2. contra Celsum.

Sed quid contra vnius hominis manifestam & pestilentem blasphemiā plura disputo? Apostolos sane instinctu spiritus sancti multa docuisse & ordinasse, quæ christus viua voce non mandauit, nec in Euangelio ab illo ordinata fuisse leguntur, compertissimum est. Dicit disertè Apostolus *Dominum ordinasse iis qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.* C Hæc ordinatio in Euangelio non habetur. Citat dictum Domini, *Beatius est dare quàm accipere*: quod in nullo quatuor Euangelistarum legitur. Dicit *Dominum præcipere, vt vxor à viro discedens, aut maneat innupta, aut viro suo recōcilietur.* Hoc alternatiuum præceptum non legitur in Euangelio. Et in qua parte Euangelij legitur vel de prædestinatione illa æterna; vel de Iustitia fidei, vel de legalium cessatione, vel denique de lege carnis atq; membrorum, de liberante gratia, de peccato originali, aliáque permulta quæ diuinissimè & copiosè Paulus ad Romanos & ad Galatas scribit? Sanè ipse Paulus apertissimè docens non solum non scriptas Domini ordinationes, ab Apostolis tamen traditas prædicari & doceri; verumetiam ea interdum doceri, quæ nec scripta nec mandata à Domino essent: eodem in loco suum aliquid, à spiritu tamen sancto profectum in medium afferens, ait. *Ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, &c.* Vbi coniugium illud dispar fidelium & infidelium authoritate Apostolica ratum facit. Móxque viduitatem consulens, & dicens, *Beatior erit* (vidua) *si sic permanserit, secundum meum consilium*, subiungit statim. *Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.* Vbi disertè contra Caluinum spiritum Dei Authorem affirmat consilij cuiusdam fuisse est, non ex Christi ore edocti, sed quod illi à spiritu sancto suggestum erat. Et at nunc Caluinus, & tam spiritum sanctum quàm Apostolum ore blasphemo incuset, quòd fines mandati egressi fuerint, aliud docentes quàm quod Christus viua voce ante docuerat. *Hanc enim restrictionem attentè notandam* docet, & addit procacissimus rabula. *Nempe si Apostoli sunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit: sed mandata eius à quo missi sunt, bona fide perferant.* Sanè eò superbissimum hæreticum hæresis

Apostoli multa ordinarunt & docuerunt sine expresso christi mandato. 1. Cor. 9. Act. 10. 1. Cor. 7. 1. Cor. 7. *Scelerata Caluini in Apostolos vox.*

prouexit, vt postquam Patres, Concilia, & vniuersæ Ecclesiæ consensum contemnere sine ru- D
Institut. lib. 4. cap. 8. par. 4. bore ausus fuerit, etiam ipsos Apostolos ac denique spiritum S. in ordinem redigere, scelera-
tus rabula non pertimescat; doctrinámque Apostolicam quæ in Euangelio scripta, vel Christi
viua voce mandata non sit, *garritus ad libitum* vocare non exhorrescat. Quanto sanctiùs & sa-
Luc. 10. pientiùs S. Augustinus, hanc Apostolorum Potestatem etiam ea docendi quæ Dominus vi-
Hypognost. lib. 3. ua voce non mandauerat, ad supererogationem illam à stabulario in parabola Euangelica fa-
ctam refert? Ait enim, parabolam illam prolixè & studiosè enarrans, ad illa verba: *Quodcunque*
Supererogatio euangelica qualis. *supererogaueris, dum rediero reddam tibi.* Hunc esse sensum. *Si quid super Euãgelium meum, tanquã*
misericordiam meam consecutus, ut esses fidelis, ad eius vtilitatem sapueris, dũ rediero iudicaturus mun-
dum, &c. reddam tibi. Quid est autem quod super legem & Euãgelium plus Paulus erogauit? Illud pu-
to quod ipse ad Corinthios ait. De virginibus præceptum Domini non habeo. Consilium autem do. &c.
Hæc ille. Idem etiam repetit in quæstionibus super Euangelia. Idem etiam ex eadem parabo-
la docet eleganter ante Augustinum Optatus lib. 6. contr. Parmenianum Donatistam.

Lib. 2. cap. 19. Postremò, in qua parte Euangelij, illud Apostolorum non iam cõsilium sed præceptum est,
Act. 15. *De non comedendis immolatis sacrificiorũ, suffocatis, & sanguine?* Nonne disertè docent à spiritu
sancto nõ ex Christi viua voce, hoc se accepisse? *Visum est*, inquiunt, *spiritui sancto, & nobis, &c.*
Deinde quarum cælestium rerum vmbris & signis constaret cultus Iudaicus, quorum bono-
rum futurorum vmbras contineret lex de cibis & potibus, de festis, nouiluniis, Sabbatis, quæ
denique vera lex, quod verum sacerdotium esset veteri successurum, in Euangelio parum aut
nihil Apostolos Christus docuit, *quia difficile esse videbat* (ait Origenes) *ex animis reuellere pene*
connata & vsque ad grandem ætatem coalita dogmata, adeóque pro diuinis habita, vt amouere illa vi-
deretur impium. Sed hoc totum aliáque eius generis multa per spiritum sanctum Apostolos & E
Ecclesiam postea Christus docuit, vt eodem in loco (lib. 2. contra Celsum) docet Origenes.
Epist. 119. cap. 6. Postremò docet apertè Augustinus *quo Ordine sumeretur diuina Eucharistia, nihil Christum præ-*
cipisse, vt Apostolis per quos dispositurus erat Ecclesiam, seruaret hunc locum. Multa huius generis
exempla ex literis Apostolicis adferri possent. Sed hæc pauca cordatis sanè & piis suffecerint.
Refractariis & impiis nulla satis esse possunt.

Itaque vt huic rei finem imponam, quod ad scripturas cõmemoratas attinet, verissima qui-
Verbum Spiritus S. vere Ecclesiæ est verbum Dei. dem sunt quæ de verbo Dei ibi dicuntur, sed verbo spiritus sancti in ore Apostolorum & suc-
cessorum ipsorum est verbum Dei, non secus ac verbum Christi: multaque Christus docuit
quæ non sunt scripta: & deniq; de verbo Dei, non de verbo scripto, vel verbo Christi, illæ scri-
Verbum Domini est verbum euangelizatum. pturæ loquuntur. Nam vt singula loca breuiter percurram, *Verbum Domini quod permanet in*
æternum, est, vt Petrus mox addit, séque ipsum exponit *Verbum quod Euãgelisatum est in vobis.*
Videlicet verbum viua voce ab Ecclesia, primum in Apostolis, postea in eorum successoribus,
perpetuò prædicatum non tantummodo scriptum Dei verbum. Sic Athanasius (quod est me-
In epistol. ad Africanos. morabile) *definitionem Patrum* in Concilio Niceno, *de filio Patri consubstantiali* (quod quidem
Verbum Domini vbi audiatur. in scriptura scriptum non est) vocat *verbum Domini permanens in æternum*: frequentia autem
Arrianorum in contrarium decreta, *plantationem quam non plantauit Pater cælestis.* Quia videli-
Matth. 23. cet in Episcopis non in hæreticis, in Concilio legitimo non in conuenticulis, in Ecclesia non
extra eam, loquitur spiritus sanctus, verbum Domini & patris cælestis. Et *vnus quidem est Ma-* F
Ephes. 4. *gister*, hoc est, primus & princeps Magister καθηγητής. Multi tamen sunt Doctores & Magistri
Luc. 10. Rom. 10. διδάσκαλοι, ab hoc primo Magistro missi & ordinati. Christus auditur & verbum eius, quãdo
Ecclesiæ Magistri loquuntur quos ille misit, iuxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Denique *fides*
est ex Auditu vtique Ecclesiæ. Neque enim Christum nunc viua voce loquentem audimus.
Hierem. 23. Hierem. 13. Ezech. 13. Et Ecclesia accepit verbum Dei, & *loquitur verbum Dei verè*, non suum, à spiritu Dei infallibi-
liter edocta & perpetuò instructa, vt iam antea copiosè est demonstratum. Non sic hæretici
qui nemine mittente currunt, à semetipsis loquuntur, & *sequuntur spiritum suum.* Sed *de scripto*
Nulla Scriptura solum scriptũ Dei verbum cõmendat. *verbo* nullum planè hic verbum sonat. Non vnum scripturæ locum proferre protestãtes pos-
sunt, qui *Scriptum Dei verbum solum & vnicum*, nobis commendet aut præscribat. Hoc profe-
rant & præscriptioni quã libentissimè locum dabimus. Sed verò multa scripturæ loca & in su-
perioribus ostẽdimus, Ecclesiæ vocem nobis commendant atq; audiendam præscribunt, nul-
la facta mẽtione de scripto verbo cui eã loquentẽ alligare Deus voluerit. Rursum in Symbolo
Ecclesiã nos credere profitemur) tanquã Normã scilicet & Regulã cæterorum quæ credũtur.
Scripturas nos credere non profitemur, quia Regula & Norma fidei nec sola aut sufficiẽs est,
nec nisi per accidens est, quatenus scilicet à Spiritu S. per Ecclesiam pro verbo Dei approba-
ta, &

A ta, & in sensu verbi Dei explicata est. Est ergo mera fraus & impostura qua simplicioribus *Insignis Protestantium fraus.*
imponunt Protestantes, quasique fascino eos quodam illudunt, quum multa de verbo Dei
ex scripturis accumulant vt quum verbum Dei homines audiunt, statim non nisi scriptum
verbum animo concipiant: & quidem in Euangelio scriptum vel lege, vt vult Caluinus; qui
Prophetas & Apostolos nihil nisi Interpretes verbi scripti in lege & Euangelio fuisse docet:
quod sane longiore disputatione esset refutandũ, nisi quòd hæc quæ iã tã multa diximus suffi- Infrà cap.13.
cere posse arbitramur: & in hac postrema parte, vt diximus, breuitati studemus, quasique ad
exitum longi certaminis iam lassi properamus. Quanquam postea etiam hac de re dabitur
iterum dicendi locus.

Tertium fraudis genus, etiam ex Scripturis depromptum, excutitur.

CAPVT X.

TERTIVM fraudis ac imposturæ genus est, eas afferre scripturas quæ cõ-
tra earum corruptores dicuntur, indéque inferre nihil præter scriptura m
esse recipiendum; perinde ac si extra scripturas aliquid docere, esset scri- *Aliud est corrũpere Scripturã aliud præter Scripturas aliquid docere.*
B pturas corrumpere, nihilq; interesset aliud ne & amplius aliquid eo quod
scriptum est doceat Ecclesia, quàm si aduersa & contraria scripturæ do-
ceret. Tales scripturæ huiusmodi sunt. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito* Deut.12.
Domino, nec addas quicquam nec minuas. Et rursum. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec* Deut.4.
auferetis ex eo. Cui simile est quod in Apocalypsi legitur. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus* Apoc. vlt. Gal.1.
super illum plagas: Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de li- 1.
bro vitæ. His etiam addunt quod ad Galatas Apostolus scribit. *Si quis Euangelisauerit præter-*
quam quod accepistis, anathema sit. Sed his locis omnibus breuiter & solidè respondetur; in prio-
ribus illis verbis, id solum prohiberi ne aliquid proferatur tanquam lex Moysis aut tanquam 2.
Ioanni reuelatum, quod in Deuteronomio & Apocalypsi scriptum non sit. Hoc est enim il-
lis libris & Prophetiæ aliquid addere. Rursum vt nihil illis contrariũ doceatur, aut de verbis
ipsis dolo aliquo resecetur. Hoc est enim illa diminuere. Alioqui si nihil sic addendum erat,
vt nihil præterea doceri aut præscribi oporteret, quæcunque post Deuteronomium scripta
atque præscripta sunt, malè & contra hoc Dei mandatum scripta & præscripta fuerunt. Sed
non solùm in scripto multa postea à Prophetis, & aliis sacrorum voluminum scriptoribus,
addita & superaddita sunt; verumetiam absque scripto multa à fideli populo piè ac religiosè
suscepta & præstita sunt, vt supra pluribus exemplis ostendimus. Quibus etiam addi potest, Ioan.10.
quòd festum Encæniorum ad Dei cultum à Machabæis institutũ, non à Moyse in lege præ-
scriptum Christus ipse sua præsentia honorauerit, nunquam sane id facturus, si is esset verbo- *Paulus non alia sed aliena & contraria excludit.*
rum Deuteronomij sensus, quem protestantes illis affingunt. Paulus quoque in verbis illis ad
C Galatas, non omnino alia ab iis quæ docuerat; sed aliena & contraria excludit. Nec etiam de Gal.1.
scripta doctrina, sed de tradita illis doctrina agit, siue illa scripta siue viua voce prædicata fue-
rat. Ait enim, *præterquam quod accepistis*, non ait præterquam quod scripsi, aut præterquã quod
in scriptis vel meis vel aliorum Apostolorum aut Euangelistarum legistis. Sane accipere, 1.Cor.11.
est potius ex traditione habere, quàm in scripto legere. *Ego*, inquit Paulus, *quod accepi à Domi-* 1. cor.15.
no, hoc tradidi vobis. accepit autem ex reuelatione, vt cætera omnia, non ab homine neque per
hominem. & iterum. *Notum vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in* *Protestantiũ impudentia.*
quo & statis, &c. Vbi manifestè acceptum illud esse ostendit, quod viua voce prædicauerat.
Qua fronte igitur pro solius Scripturæ sufficientia affertur, quod de Scriptura prorsus dictũ
non est, aut saltem æquè de non scripta doctrina intelligi potest ac de scripta? Sed siue scriptã
siue non scriptam doctrinam, sed à se traditam, ibi Apostolus intellexerit, solam illam & vni-
cam non eo loco præscribit, sed diuersam, alienam, contrariam meritò excludit. Quam rem
egregiè suis verbis explicantem August. audiamus. *Admonitio*, inquit, *Beatissimi Pauli de ve-* Tract. 98. in Ioan.
stris cordibus non recedat. Si quis vobis Euangelisauerit præterquam quod accepistis, anathema sit.
Nõ ait, plusquam accepistis, sed præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi præiudicaret; qui
cupiebat venire ad Thessalonicenses vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod

minus erat addit;non quod inerat, tollit. Qui autem praetergreditur Regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Quod itaque ait Dominus, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, adiciendo illa fuerant quae nesciebant, non quae didicerant euertenda. Haec ille. Ille ergo iudicio Augustini Euangelisat praeter id quod accepimus, qui regulam fidei praetergreditur; id est, euertit, contraria fidei docendo: non ille qui seruata fidei regula, adhuc alia docet, vel magis explicatè illustrando quae obscura fuerant, vel etiam addendo quod prius ignoratū erat: Quanquam Ecclesia docens quaedam absque scripto verbo, nihil nouum praeter Regulam fidei inducit; sed alia interdum praeter scripta monimenta, ad Regulam fidei pertinere ostenditnec traditam fidem euertens, nec etiam traditae fidei quicquam quo ad substantiam eius (quae semper vna & eadem est, vt supra explicuimus) superaddens; sed scriptae doctrinae etiā non scriptam adiungens: quia non omnia vel Euangelistae vel Apostoli scripserunt, sed *multa sine literis tradiderunt*; vt ait Chrysostomus. Calumnia graecorum erat, addidisse Symbolo Romanam Ecclesiam, voculam illam, ex filioque. Sed hanc vocem non additionem aliquam, verum expositionem tantum magis dilucidam ipsius Symboli fuisse doctissimè demonstrat Andreas Colassensis Episcopus contra graecos praesentes in Concilio Florentino sess. 6. adhuc Ferrariae habita. Alioqui omnia SS. Conciliorum decreta, additiones ad sacras literas videri debent & hoc nomine propter Scripturas allatas penitus explodi. Sed vt ad Apostolum redeamus, euangelisat praeterquam quod accepimus, *qui in aliud Euangelium nos transfert*, vt eodem in loco seipsum exponit Apostolus; & vt contra Manichaeos hunc locum accommodat Augustinus; docens hoc haereticis proprium esse, de quo nos ibi cauere prouidentissimè Apostolus monet, vt idem docet Augustinus tum alibi saepe, tum in Psalm. 103. conc. 2. Tractans enim illud Psalm. *Inter medium montium pertransibunt aquae*, id est, inter medium Apostolorum, siue in communi Apostolorum doctrina, pertransibunt praedicatores verbi, vt sit pacifica praedicatio & communis, non turbulenta, non priuata; subiungit postea. *Vide*, inquit, *quemadmodum Apostolus noluerit de monte praesumi, ne forte mons discedat ab aquis per medium currentibus, & aliquid proprium velit influere.* Licet *si nos*, inquit: *Et quantus mons dixit hoc? Quàm vberrimae aquae fluebant de conualle eius? Tamen volebat vt medius inter montes curreret, & ibi esset fides recta populorum, quod inter se medium atque commune Apostoli retinebant. Sed audi quod sequitur. Licet si nos aut Angelus de caelo annunciauerit vobis, praeterquàm quod accepistis, anathema sit. Si veniat mons aliud euangelizans, anathematisetur. Si veniat Angelus aliud euangelizans, anathematisetur. Vnde hoc? Quia de priuato vult fluere, non de medio.* Haec ille. Damnat ergo in illis verbis Apostolus priuatos spiritus & nouos magistros, aliud & diuersum à doctrina semel tradita afferentes. Non damnat Ecclesiam alia & plura quàm quę scripta sunt, praedicantem, & ex traditione publica docentem. *Non enim ait, plus quàm accepistis* (vt idem alibi docet Augustinus) *sed praeter quàm quod accepistis.* Quod quale sit, suprà explicuimus.

Ecclesia docens absque Scriptura praeter Regulam fidei nō docet.

contra Faustū lib.32.cap.17.

Fides recta de medio Ecclesiae fluit.

Tract.98.in Ioan.

Quae ex Patribus pro solius Scripturae sufficientia atque vnica Norma multiplici fraude Protestantes proferre solent, singula excutiuntur & refelluntur.

CAPVT XI.

IAM verò ex Patrum monimentis proferunt hodie nonnulla Protestātes, ad istam quam imaginantur solius scripturae sufficientiam demonstrandam. Ea verò omnia ad 4. genera referri posse videntur. Primum genus ea loca complectitur, in quibus patres sibi & suis scriptis aliter fidem dari nolunt, nisi quatenus è scripturis sua probauerint. Qualia multa in Augustino occurrunt in epist. ad Hieronymum & ad Fortunatianum. Ait enim, *alios omnes libros praeter scripturas sic se legere, vt non ideo verum putet, quia ita eorum Authores senserunt; sed quia illi vel per libros canonicos, vel probabili ratione persuadere potuerunt.* Sed haec & similia loca quē sensum habeant, quia in alia cōtrouersia plenius

Epist. 19. & 111.

A plenius diximus, nihil hic repetimus. Et certè non solius scripturæ sufficientiam, cui etiã pro- Contro.1.lib.
babilem vel certam rationem adiungit semper Augustinus, sed eius eminentissimã Autho- 7.ca.15.& 16.
ritate m illa loca commendant, de qua re aliàs diximus.

Alterum genus huiusmodi patrum sententias complectitur, in quibus videntur patres
manifestè docere, omnia in scripturis contineri: vt quando asserunt ex multis ea scripta & se-
lecta fuisse, vel quæ ad salutem sufficere Euangelistis & Apostolis videbantur; vel quæ legere
nos Christus voluit; vel certè quæ ad fidem & mores pertinent, inueniri illic omnia adeó- 1.
que apertè contineri. Nam pro primo ex his tribus, luculentissimas vt ipsis videtur, adferunt 2.
Irenæi, Cyrilli, & D. Augustini sententias. Irenæi verba sunt, *Apostolos Euangelium primùm* 3.
quidem præconiauisse, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradidisse, fundamentum & Lib.3. cap.1.
columnam fidei nostræ futurum. Augustini verba sunt. *Euangelista testatur multa Dominũ Chri-* Tract.49. in
stum & dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt: electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti creden- Ioan.
tium sufficere videbantur. Denique Cyrilli verba non absimilia sunt. Ait enim. *Non omnia quæ*
Dominus fecit conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores quàm ad dogmata putarunt sufficere.
Hæc tria loca inuicta putat Martinus Chemnitius ad hanc solius scripturæ sufficiẽtiam euin- Lib.12.cap.
cendam. Sed factionis Lutheranæ præiudicio excæcatus, manifestam rei veritatem videre nõ vlt.in Ioan.
vult. Irenæus enim *Euangelium quod Apostoli prædicauerunt*, id est, quæ in publica prædicatio-
ne & doctrina docuerunt, in scripturas relata affirmat. de iis autem quæ non publicè, sed seor- 1.
sim sapiẽtioribus, de grauioribus fidei mysteriis & de ipso religionis vsu ac ritibus tradiderũt *Quo sensu Apo-*
B (qualia multa absque scripto eos tradidisse, grauissimi Authores Dionysius Areopagita, Ori- *stoli prædicatio-*
genes, Eusebius Pamphili, & S. Basilius attestati sunt in locis superiùs allegatis) nihil ibi Ire- *nem suam in Scripturas retu-*
næus loquitur. Qua in re dispiciat Lector an tantæ Antiquitatis & Authoritatis virorum te- *lerunt.* Suprà cap.6.
stimonia Protestantum hodie vanissimis in contrarium, asseuerationibus præponderare non 2.
debeant. Deinde non dicit Irenæus, Omne Euangelium quod prædicauerunt scriptum ab
Apostolis fuisse, sed indefinitè loquitur quod æque in parte, præsertim maiori, ac in toto ve- 3.
rum est. Postremò, quod dicit fundamentum & columnam fidei nostræ esse scripturam, li-
bentissimè agnoscimus. Sed nec solum & vnicum esse fundamentum dicit; nec dicere sic
Irenæus potuit, dicente Apostolo de Ecclesia, quòd & illa quoque *Columna & firmamentum* 1.Tim.3.
veritatis est. Hæc breuiter notata si diligenter perpendantur, facilè ostendunt Irenæi verbis *Ex factis christi*
Protestantum paradoxum nihil prorsus iuuari. Augustinus autem & Cyrillus euidenter de *scripta sunt quæ sufficere vide-*
factis & miraculis Christi, non de tota doctrina eius, Apostolis eius seorsim à turbis tradita, *bantur non ex*
loquuntur. Nã de huiusmodi Christi factis, Euangelista (cuius illi verba ibi exponunt) loqu- *doctrina christi.*
tus est. Aiunt ergo ex multis Christi factis mirabilibus pauca scripta esse, quæ sufficere vide- 1.
bantur; non de tota Christi doctrina loquuntur, quam sine miraculis tradidit. Rursum nõ ab- 2.
solutè dicunt; *quæ saluti sufficiebant*, sed *quæ sufficere videbantur & quæ putarunt sufficere*, scili- *Scopus Euange-*
cet ad eum finem propter quem Euangelistæ, maximè Ioannes, Euangelia sua conscripse- *listarum.*
runt. Qui sane finis non is erat, vt omnem omnino doctrinam fidei scripto continerent,
sed vt ex varia occasione Christi veram humanitatem, œconomiam, diuinitatem in gratiam 3. Ioan.16.
C fidelium qui tunc erant complecterentur, vt est supra in singulis ostensum. Præterea quum
præter ea quæ Christus docuit & fecit, *multa adhuc* docuit Spiritus S. quæ Apostoli prius *por-*
tare non potuerunt, etsi ex iis quæ Christus fecit, omnia ad salutem necessaria scripta in Euan-
geliis fuissent; non tamen sequitur, omnem omnino fidei doctrinam scripto propterea com-
præhensam fuisse. Non enim inde demonstratur, omnẽ etiam spiritus S. doctrinã post Christi
Ascensionem Apostolis inspiratam & reuelatam scripto commissam esse. Huc accedit quod
testatur Lucas, Christum Dominum *per 40. dies conuersatum cum Apostolis post resurrectionẽ,* Act.1.
multa de regno Dei docuisse. Horum omnium ne verbum quidẽ Euangelistæ scripserunt. Quis
tamen nisi impudentissimus negabit ad fidei doctrinam illa pertinuisse quæ Christus Domi-
nus per tot dies docuit? *Quæ illa fuerint ex Apostolorum scriptis* (ait Chemnitius) *certò colligere* *chemnitij cauil-*
possumus. At verò hanc certam collectionem quæ illum scriptura, quæ ratio, quæ Authoritas *latio diluitur.*
docuit? dicit tantum Audacter. Probat nihil.

Iam verò, quod pro secundo affertur, August. scribere, *quicquid Christus de suis factis &* De consensu
dictis nos legere voluit, hoc scribendum discipulis tanquam suis manibus imperasse, nihil pro hac so- euangelist.
lius scripturæ sufficientia facit. Loquitur enim Augustinus de legendo Christi facta & dicta, lib.1.cap.35.
non de credendo aut cognoscendo. Multa autem & credimus ex auditu fidei, & cognosci- *Aliud legere,*
mus ex lumine fidei, quæ nunquam legimus. Itaque quæcunque nos in consignatis libris le- *aliud credere.*
gere de suis dictis & factis Christus voluit (non quæcunque nos credere aut scire voluit) ea

cap 12. De doctrin. christ.lib.2. Cap.9. Homil.3. in 2.ad Thess.2.

non nisi discipulorum suorum manibus scribi voluit. Cuius rei causam ex iis quæ superius in D
quinta controuersia obiter diximus, facile intelligere licet.

Postremo, quod pro tertio puncto ex Augustino affertur, cuius hæc sunt verba, *In iis quæ apertè in scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque viuendi, spem scilicet atque charitatem*: cui similia scribit Chrysostomus, dicens: *quæcunque necessaria sunt, manifesta esse ex diuinis Scripturis*, nihil pro solius scripturæ ad omnem fidei doctrinam sufficientia faciunt. Aiunt enim aperta quidem esse illa quæ sunt necessaria, quia non semper obscurè dicuntur, sicut multa alia quæ ad fidem & mores non adeo necessariò pertinent. At verò non dicunt omnia ad salutem necessaria, vel apertè vel obscurè in solis scripturis contineri. Differt enim multum ista propositio: Omnia quæ sunt ad fidem necessaria quoties habentur, apertè habentur in scripturis: ab hac altera propositione: Omnia ad fidem necessaria omnino in scripturis habentur, idque apertè semper, obscurè nunquam. Et hunc esse horum patrum sensum, alia ipsorum verba manifestissima ostendunt, in quibus disertè docent, *multa sine literis Apostolos tradidisse* (quæ verba sunt Chrysostomi) & *Scripturarum veritatem etiam in iis teneri quæ sine scripturæ exemplo tradit Ecclesia, quia ipsam Ecclesiam commendat Scriptura*, quæ verba sunt August. vt suprà citatum est. Rursum omnia ad salutem necessaria, in genere scilicet & implicitè, non omnia & singula in particulari explicitè & expressè manifesta in scripturis habentur.

Protestantum sophistica ratiocinatio aperitur. Homil. 1. in Acta. Contra Cresconium lib. 2. Cap. 33.

In triplici sensu ad Scripturas attendere monent Patres.

In tertio genere illa Patrum loca poni possunt, in quibus vrgent vehementer vt scripturas sacras attendamus: indéque probationum documenta sumamus. Sed illa omnia ad triplicem sensum reduci possunt. Primùm quòd in claris & manifestis sacræ scripturæ aliqua de re E
1. testimoniis, non est opus alia quærere documenta. Hac enim de causa, in quæstione de vera Ecclesia inuenienda de qua apertissima & creberrima sunt scripturę testimonia, sępius monet August. vt ad stateram dominicã & ad scripturæ voces eius quæstionis examen exigatur, quod & nos in prima Cõtrouersia studiosè egimus. Sic in libro de vnitate Ecclesiæ quàm sępissimè loquitur. Vbi tandem de scripturis dicit. *Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.* Similia verba habet in lib. de bono viduitatis, quia de re etiam in scripturis clarissima disserebat.

Cap. 6. 10. & 16. cap. 1.

2. Alius sensus est in illa scripturarum commendatione, quòd nihil recipiẽdum docent cõtra scripturarum manifestam assertionem & veritatem. Huc pertinet locus ille Augustini, quem toties Protestantes proferunt: *Si Angelus de cælo vobis annunciauerit præterquam quod in Sripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit.* Non enim dicit Aug. plus quàm in scripturis accepimus, quo sensu similia Apostoli verba eum ipsum explicantẽ modò audiuimus. Alioqui sibi præiudicaret, qui multa sine scripturis, ex sola Ecclesiæ Authoritate contra hostes fidei hæreticos sui temporis strenuè defendit, vt suprà ex eo citauimus. Huc etiam pertinet alius eiusdem locus, vbi dicit, *contra insidiosos errores Deum voluisse ponere firmamentum in Scripturis.* Subdit enim. *Contra quas nullus audet loqui.* Ad hunc sensum multa similia loca reduci possunt.

Contra Petilianum lib. 3. cap. 6. Tractat. 2. in epist. Ioan.

Tertius sensus est, quòd omnibus aliis documentis, siue quæ ab Authoritate, siue quæ à ratione petuntur, Scripturarum testimonia præferenda sunt. Ad quem sensum referenda sunt, quæ suprà ex Augustini epist. 19. ad Hieronymum & libr. 11. cap. 5. contra Faustum F
protulimus, vbi solis Canonicis Scripturis supremam & infallibilem Authoritatem tribuendam docet: facta scilicet comparatione (quod aduerte diligenter) cum quotumcunque hominum etiam Episcoporum atque doctorum priuatis & propriis tractatibus, sententiis, expositionibus (vt etiam suprà explicatum est) non autem facta comparatione scripturarum cum Ecclesia, vt Ecclesiæ personam interdum Episcopi gerunt, de qua comparatione mox plura. Præterea in hac sublimissima scripturarum Authoritate diligenter caue, vt scripturæ sacræ interpretationem sanam adiungas, de qua in alia controuersia satis multa diximus.

contro. 3. li. 7. Cap. 16. Ibidem. Infrà cap. 15. & seq.

In quarto & postremo ordine, illa patrum loca collocari possunt, in quibus videntur patres ea prorsus reiicienda censere quæ scripturarum carent testimonio. Quale illud Hieronymi est, & in ore Protestantum frequens, *Quod sine Scripturarum testimonio adsertur, eadem facilitate contemnitur, qua adducitur.* Similia habet in Aggæum. *Sermo*, inquit, *Dei percutit ea quæ absque authoritate & testimoniis Scripturarum adducuntur.* Nec absimile est quod scribit Augustinus. *Non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Cui etiam affinia scribit Chrysost.

comment. in Matth. cap. 23. comment. in Cap. 1. De peccat. mer. & rem. lib. 2. cap 36. Homil. 13. in

Quomodo,

A *Quomodo*, inquit, *absurdum non est propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare & supputare,* comment. in
pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter? præsertim quum habeamus omniũ 2. ad Cor.
exactissimam trutinam, & gnomonem, ac regulam, diuinarum legum assertionem. Et paulò post,
Itaque de Scripturis hæc omnia inquirite. Hæc ille. Ad horum etiam patrum sententiam aduo- Io lib. de vera
cari potest Basilius, dicens: *fidelis ministri hoc esse proprium, vt quæ à Domino in conseruos suos di-* ac pia fide.
stribuẽda accepit, hæc ipsis integra & nullius rei alterius admistione adulterata custodiat; vbi *videtur*
ea omnia reiicere quæ præter scripturas proferuntur? Quod etiam apertiùs repetit in Moralibus. Reg. 80. c. 22.
Ait enim *fidelis proprium esse, nihil eorũ quæ scripta sunt reiicere, aut nouum statuere audere. Etenim*
si omne quod ex fide non est, peccatum est, vt ait Apostolus; fides autem ex auditu; auditus autem per
verbum Dei; sine dubio quum quicquid extra diuinam scripturam est, ex fide non sit, id peccatum est. *Quo sensu Pátres reiiciant ea*
Hæc Basilius, aliique patres egregiè, vt videtur, Protestantum causam agentes. Sed ad hæc *quæ Scripturarũ*
omnia loca & si qua his similia sunt, solida & firma responsio est; ea omnia tunc locum habe- *testimonio carẽt.*
re & vera esse, vel quando ex priuato spiritu & iudicio aliquid in Ecclesiam afferimus, desti- 1.
tuti omni Antiquitatis & traditionis Ecclesiasticæ testimonio; vel quando de re obscura agi- 2.
tur, de qua nihil vel tradidit vel definiuit Ecclesia. In primo genere manifestè intelligenda
sunt Hieronymi, August. & Chrysostomi verba, id quod in August. verbis per se clarum est.
Absque enim scriptura quod humana præsumptio adfert, quod priuatim aliquis docet vel as-
B serit, meritò in causa fidei contemnitur. Non item quod Ecclesia spiritu S. instructa, etiã ex-
tra scripturas docet. Damnauit enim sanè Apostolus *prophanas vocum nouitates*, sed non om- 2. Timoth. 2.
nem prorsus vocum nouitatem, vel in scripturis non comprahensam: quod egregiè his verbis Tract. 97. in
idem describit Aug. *Non ait Apostolus, deuitãs verborum nouitates, sed addit prophanas. Sunt enim* Ioan.
& doctrinæ religionis congruẽtes verborũ nouitates. Móxq; exẽpla adfert de vocabulis & nomi-
nibus Christianorũ Xenodochiorũ, monasteriorũ & ipsius deniq; homousion. *Sed prophanæ,*
inquit, *sunt verborũ nouitates, vbi dicit mulier insipiens & audax. Panes occultos libenter attingite,* prouerb. 9.
& aquæ furtinæ dulciores. Tales autem sunt hæreticorum prophanæ voces, non solùm extra
Scripturam, sed etiam extra omnem Ecclesiasticam traditionem & Authoritatem, priuato *Hæreticorũ vo-*
iudicio prolatæ. Nam Ecclesiasticas voces etiam extra scripturas, iidem illi sancti patres stu- *ces sunt propha-*
diosissimè receperunt, maximè Basilius (cuius tamen verba maximè Protestantibus patroci- *næ nouitates.*
nari videntur) tum in locis suprà ex ipso allegatis, tum etiam eodem in loco quo prius citata In lib. de vera
verba habentur. Ait enim ibidem eiusmodi *verbis se aduersus hæreticos vti sæpenumero, quæ li-* ac pia fide.
cet in sacrosancta scriptura nusquam reperirentur, à pio tamen & sanctis literis cõsentaneo sensu neu-
tiquam abhorrent. Ergo extra scripturam quod adfertur priuato sensu & iudicio, vel in causa
seu quæstione nondum ab Ecclesia in fidem recepta ideóque prophanum, id merito *ea-*
dem facilitate contemnitur qua adducitur, id *verbo Dei percutitur,* id *ex humana præsumptione profi-*
ciscitur, id denique *ex fide non est.* Sed quæ Ecclesia ab Apostolorum vsque temporibus firma 1.
& certa traditione accepit, vel contra hæreses in causa fidei maturo iudicio definiuit, vel pro 2.
C loco & tempore in moribus definiendum censuit; etiamsi nullo scripturarum aut euidenti 3.
aut probabili testimonio confirmetur, solidum tamen, firmum & indubitatum cuiuis fideli
& vero Ecclesiæ filio esse debet. Nec addo hanc conditionem, modo scripturis consentanea controu. 5. lib. 2.
vel non aduersantia doceat Ecclesia; quia (vt in superioribus demonstratum est) prorsus infal-
libile est Ecclesiæ iudicium, quod falli aut fallere non potest; propter causas grauissimas supe-
riùs memoratas: & quia etiam nostrum non est, hoc est, nullius priuati hominis, ac neque om-
nium pariter priuatorum multitudinis, de Ecclesiæ iudicio & sententia iudicare, consentiát- controu. 2. lib. 5.
ne scripturarum doctrina an non. Quæ omnia in superioribus demonstrata sunt.

Quæ ex origine, & fine scripturarum, ad earum sufficientiam demonstrandam, disputat Martinus Chemnitius, refelluntur.

CAPVT XII.

TQVE hic sanè huic disputationi, adeóque toti operi vltimam manum imponere visum erat, nisi quòd quum huc vsque progressi essemus, in mẽtem mihi venit Martini Chemnitii examen (vt vocat homo superbus) Decretorum Concilij Tridẽtini; in cuius statim initio, prolixam & accuratam pro sanctæ Scripturæ sufficientia disputationem instituit, quam propterea dissimulare aut intactam prætetire non volui. Eius igitur argumenta, huiusmodi exceptis quibus iam antea responsum & satisfactum est, prætermissis quoque cauillationibus & verbis otiosis (quibus abundat) diligenter proponam; eisdemque donante Deo solidè respondebo. Primùm conatur ostendere propter incertam custodiam verbi Dei, & frequentes eius corruptelas, sub prima Adami Posteritate, & ætate tota sequenti, sub Noë, sub Abraham, eiúsque posteris vsque ad Moysem, Deum tandem per ipsum Moysem verbum suum literis scriptis mandasse, vt cessantibus traditionis à Patriarchis acceptę, & nouarum reuelationum Medijs, in sola Scriptura Deus loqueretur: & hanc Scripturæ sacræ originem esse, vt contra traditionum corruptelas remedium esset. Huiusmodi autem corruptelas verbi Dei nondum scripti colligit, ex corruptione illa humani generis, de qua legimus quòd *omnis caro corruperat viam suam*: propter quam corruptionem dixisse Deum; *Nõ disceptabit, vel* (vt nos legimus) *non permanebit spiritus meus in homine in æternum*. Causam enim addidit, *quia caro sunt, & figmentum cordis humani malũ est*. Rursum quòd Thare pater Abraham, & Nachor, admixto fermento idololatriæ, corruperunt puritatem doctrinæ; sicut historia Laban postea ostendit. Postremò, easdem corruptelas in filiis Iacob vsque ad exitum eorum ex Ægypto fuisse, notat ex verbis Ezechielis, vbi Deus inquit. *Dixi ad eos. Vnusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat: & irritauerunt me. Vnusquisque offensiones oculorum suorum non proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt, &c.* Ex his ergo corruptelis ostendere vult, quàm incerta fuerit custodia verbi Dei nondum scripti, per solas traditiones: ideóque Deum tandem, & scripsisse ipsum primò & ante omnia suo digito Decalogi tabulas, & reliquum verbi sui per Moysem scribi voluisse; ne amplius in Controuersiis de veteri Patriarcharum doctrina, nouas reuelationes quærerent. Sed hæc collectio ab origine Scripturæ petita, nihil horum probat, quæ Chemnitius inde insigniter probari adeóque demonstrari existimat. Primum enim corruptela humani generis Gen. 6. commemorata, vitæ morum corruptela fuit non doctrinæ, vt apertè Scriptura explicat. Dicit enim *multam malitiam hominum in terra fuisse, & repletam esse terram iniquitate à facie eorum:* & in particulari hãc iniquitatem describit; quòd filii Dei, id est illa posteritas Seth qui fideles erant, commiscuerunt se filiabus Cain, quas filias hominum vocat Scriptura, contra mandatum patris eorum Seth. Nec in ipsa domo Thare patris Abraham (*in qua vna domo*, ait Augustinus, *per vniuersum mũdum custodita est plantatio ciuitatis Dei;*) erat fermentum idololatriæ, sed inter Chaldæos quibus cohabitabat, illud fermentum vigebat. Nec etiam tale ac tantum hoc fermentum fuit, quin & inter ipsos idololatras permulti essent etiam illo tum tempore, qui verum Deum colerent. Quod his verbis agnoscit Augustinus. *Ab initio generis humani aliàs occultius, aliàs euidentius, sicut congruere temporibus diuinitus visum est, nec Prophetare destitit, nec qui in eũ crederet defuerunt: & ab Adã vsque ad Moysem, & in ipso populo Israel, & in aliis gentibus. Cùm enim nonnulli commemorentur, in sanctis Hebraicis libris iam ex tempore Abrahæ nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec aduentitia societate in populo Israel, qui tamen crediderunt; cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus, alios atque alios fuisse, quamuis eos commemoratos in eisdem Authoritatibus non legamus?* Hæc ille de prædest sanctorum lib. primo cap. 9.

Origo Scripturæ ex sententia Protestantium

Gen. 6.

cap. 20.

Genes. 6.

De ciuit. Dei Lib. 16. cap. 12.

Deinde etsi hæ omnes corruptelæ puræ doctrinæ, illa tum ætate ante Scripturam datam vbique gentium viguissent, non propterea istud Traditioni non scriptæ tribuendum est. Nã & post verbum scriptum, post legem per Moysem datam, post vniuersa illa Dei præcepta, ceremonias, iudicia, in scripto comprehensa, nonne etiam tunc populus Dei puram Dei doctrinam pessimo fermento suo corrupit? Nonne idololatriæ tam frequentes post legem erãt, quàm ante legem? Nonne hanc ipsam ob causam frequentes Prophetas extra ordinem misit, qui populum illum idola sequentem, ad puram doctrinam reuocarent? Quid quòd Ezechiel ipse à Chemnitio citatus, quemadmodum populi offensiones dum adhuc in Ægypto essent, ante legem scriptam, commemorat; similiter etiam eiusdem populi, etiam post legem datam, easdem aut grauiores etiam corruptelas enarrat? Ait enim de lege scripta, *Eieci ergo eos de terra Aegypti; & eduxi eos in desertũ. Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostẽdi eis, quæ faciẽs homo*

Corruptela puræ Doctrinæ nõ minor post Scripturam datam quàm ante.

cap. 20. Idololatria in deserto.

A *homo viuet in eis: Insuper & sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.* Ecce legem illis, & scriptum iam Dei verbum per Moysen datum vt Leuit. 18. Exodi 30. & 31. ac Deuteron. 5. patet. Sed quid? Absque corruptelis & fermento falsæ doctrinæ propterea perdurarunt? Audiamus quid Ezechiel porrò dicat. *Et irritauerunt me domus Israel in deserto: in præceptis meis non ambulauerunt: & sabbata mea violauerunt vehementer: post idola enim cor eorum gradiebatur.* Vbi multis verbis corruptelas quas in deserto ipso, quamquam data lege, patrauerant, describit. Móxque easdem etiam quum in terram promissionis venissent, quantumcunque iam in scripto consignatum haberent Dei verbum, declarat. *Hæc dicit Dominus Deus Adhuc & in hoc blasphemauerunt me patres vestri, quum spreuissent me contēnentes, & induxissem eos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eis. Viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas.* Multísque aliis verbis copiosè enumerat, & vehementer exaggerat Propheta, frequentissimas corruptelas illius populi, etiam post scripturas datas. Vt quid ergo hoc fuco, stolidus Chemnitius imperito lectori nebulas offundit, de nescio quibus corruptelis ex sola Traditione inuectis; vt inde vel Traditionibus non scriptis, quasi Medio cuidam noxio & pestilenti detrahere, vel Scripturæ confictum eius mali remedium tribuere, possit; quod non secus post scripturas datas quā ante, grassatum & dominatum est? Nonne enim tota historia veteris instrumenti plena est huiusmodi corruptelis diuinorum mandatorum, quas ille populus Iudaicus statim post Moysi decessum, & reliquis perpetuò ætatibus, non obstante scripti verbi remedio perpetrauit? Nonne statim post obitum Iosue, qui Moysi successit, populum illum frequentissimè à Dei verbo de-

Idololatria frequentes in terra promissionis.

B cessisse liber Iudicum commemorat? Nonne propterea Rex Mesopotamiæ 8. annis illis dominatus est? Quúmque per Othonielem liberati, annis vix 40. quieuissent; nonne iterum Eglon Rex Moab totis 18. annis eos oppressit? Nonne quum iterum 80. post annis ad idola relapsi essent, Iabin Rex Chanaan eos an. 20. occupauit? Nonne rursum post annos 4. denuo peccantes Madianitæ vastabant? Nonne deniq; à Philistæis & filiis Ammon, propter easdem corruptelas multis annis afflicti sunt? Ac postremò, nonne & à Chaldæis & ab Assyriis in longam captiuitatem, propter easdem frequentissimas corruptelas abductus ille populus est? Sed quid? Nonne post legem, Psalmos, & Prophetas datos; post ipsas quoque Euangelicas & Apostolicas literas conscriptas; infinitæ tamen hæreses & corruptelæ verbi Dei Ecclesiam Dei vexarunt, quēadmodum idola (quibus istæ successerunt,) veterem olim populum perdiderunt? Postremò nonne hodie omnium manibus S. Scripturam versantibus atque terentibus, omnium linguis illam loquentibus atque legentibus, omni ætate ac sexu illam personante, peneq; innumerato habente, plurimarum tamen & pestilentissimarum hæresum infausta seges exorta est, passimque cōspicitur? Vt quid ergo in tanta historiæ luce, tenebras nobis offundere conatur Chemnitius, quasi corruptelarum quæ in populo veteri extiterunt, Traditiones non scriptæ in causa essent; aut quasi contra huiusmodi corruptelas, tanquam solum & sufficientissimum remediū Scripturæ datæ essent? Sed alia est causa traditæ nobis diuinæ scripturæ, & aliæ fuerunt corruptelarum verbi Dei occasiones. Harum enim non Traditiones siue scripto, sed tum in veteri tum in Christiano populo, ipsorum hominū malitia causa fuit; qui à Dei verbo, à puritate do-

Iud. cap. 3.
cap. 4.
cap. 6.
cap. 13.

Post propheticas Apostolicas & Euāgelicas Scripturas datas, frequentes corruptela.

Vera causa corruptelarum pura doctrina.

Simile.
Rom. 7.

C ctrinæ cælestis, à diuinæ voluntatis regula, non secus data Scriptura quàm absque scriptura, ex propria quadam peruersitate per omnes ætates recesserunt. Et quemadmodum *data lege ad cognitionem peccati*, tamen *peccatum* humanæ iam corruptæ voluntatis, vt *appareret peccatū, per bonum operatum est mortem, vt accepta occasione per mandatum, fieret supra modum peccans peccatum per mandatum*, vt docuit nos Apostolus; ita data scriptura ad verbi & voluntatis diuinæ notitiā magis expressam, tamē excæcati & deprauati humani intellectus vitiū, vt appareret quā profunda cęcitate laboraret, per bonū operatū est mortem; vt accepta occasione per ipsas scripturas malè intellectas, & in proprium suorum sensum iam corruptū deprauatas, fieret suprà modum errans error per scripturam. Non quòd sacratissima scriptura sit in culpa, (nec enim *Mādatum quod bonum & sanctum est*, in culpa etiam fuit, quāuis eo iam dato maior esset præuaricatio) sed quòd altitudine & profunditate diuinæ scripturę superbi homines ad perniciem suā vtantur. Quamquam sanè ob alias causas sic Deus profundam & mysticā tradidit, *ad edomandam videlicet labore superbiam, & intellectū à fastidio reuocandū, cui facile inuestigata plærumq; vilescūt*: (vt docuit August.) & ad ordinē præterea in Ecclesia seruandū, ne vnusquisque seipsum pasceret, aut suo iudicio verbū veritatis tractaret; sed à Pastoribus, doctoribus & patribus familias, quos Dominus constituerat, cibum salutis acciperent. Qua de re non minus grauis, quàm vera est Tertulliani sententia. *Non periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei volun-*

De doctrina Christia. lib. 2. cap. 6

Cur obscura & profunda Scriptura.

In lib. de præscript. hæret.

Q

tate dispositas, vt hæreticis materiam subministrarent, quum legam, oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent. Hæc ille. Nec dissimiliter Augustinus, *Multa*, inquit, *de Christo inueniuntur in scripturis ita dicta vt impias hæreticorum mentes prius volentes docere quàm nosse in errorem miserint.* Hæc ille in lib. de fide & Symbol. cap. 9. Quas sanè ob causas, altitudinis videlicet profunditatis & difficultatis scripturarũ, necessaria etiam fuit Traditio Ecclesiastica non scripta, & ipsa fidei Regula cordibus fidelium sine literis inscripta, quæ vel ipsam scripturam interpretaretur (vt in præcedentibus duobus libris ostendimus) vel in scripturis non expressa doceret. D

Neque hoc quicquam, vt iam diximus, sacrę scripturæ Maiestati, sanctitati, aut veritati derogat; sed eam illustrat magis, verisque fidelibus longè vtiliorem & iucundiorem facit. Quemadmodum enim *lex non destruitur per fidem, sed statuitur*, vt ait Apostolus, quia videlicet (vt doctè explicat Augustinus) *fidei impetrat gratiam, qua lex impleatur*; quemadmodum etiam *liberum arbitrium*, vt ibidem Augustinus docet, *non euacuatur per gratiam, sed statuitur; quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur*: sic sacra scriptura non euacuatur per Traditionem, sed statuitur; quia Traditio subministrat sensum, iuxta quem scriptura intelligatur: docet etiam ea quæ in scriptura non exprimuntur. Superstitiosi quidem Iudæi, quos Apostolus in Epistol. ad Rom. confutat, existimabant legem destrui per fidem; nec bonum & sanctum Mandatum illud esse potuisse, quod esset peccati occasio, & præuaricationem augeret. Stulti quoque Pelagiani putabant, nullum esse hominis liberum arbitrium, si suis solius viribus secundum virtutem operari non posset; aut sine gratia necessariò peccaret: itaque dicebant, vt commemorat Augustinus, & ante eum S. Hieronymus, *non esse liberum arbitrium, si indiget Dei auxilio.* Non absimili modo, Protestantes hodie superstitiosè pariter & ineptè non esse sacram Scripturam hoc nomine dignam, aut rem satis diuinam clamitant, si Traditione Ecclesiastica vel interprete egeat, vel superaddita gaudeat: solam enim illam per se satis claram, solam totius Sacræ doctrinæ Normam sufficientissimam illam habẽdam esse. Sed spiritus sanctus sic legem mandatorum proposuit, vt non nisi per fidem Mediatoris impleretur: sic homini corrupto arbitrii libertatem reliquit, vt non sine speciali diuinæ gratię auxilio, aliquid secundum Deum vel intellectu capere, vel voluntate persequi, posset: sic denique diuinas scripturas dedit, vt tamen in Ecclesia sua, & spiritualem gratiam eas rectè intelligendi, & præterea multa sine scripto solis cordibus inscripta, & viua voce de manu in manum tradita, relinqueret. E

Rom. 3. De spiritu & lit. cap. 30.

Traditio nõ derogat Scripturæ.

Epist. 106. in epist. ad Ctesiphontem.

Itaque scripturæ veteris post tot secula datæ primam originem, si quis non ex propria coniectura, (vt facit Chemnitius) sed ex verbo Dei & Ecclesiæ sensu quærere & inuestigare velit; inueniet non Traditionum vitium hoc fuisse; sed primùm quidem, quod ad ipsum Decalogũ & præcepta vitæ agendæ attinet, extinctam quodammodo & obliteratam iam in mentibus hominum naturæ legem (vt disertè docet S. Augustinus) in causa fuisse, quòd per legis scriptæ promulgationem restauraretur. Quod & Apostolus satis clarè docuit, dicens quòd per *legem cognitio peccati* esset: & *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Deinde quod ad iudicia & ceremonias attinet, per Moysem primum scripto cõsignata, in causa id fuisse, quòd populus Dei tum multus esse cœpisset, verámque externæ Ecclesiæ formam in conspectu & notitia hominum habere inciperet; ideóq; Sacramentis, sacrificiis, iudiciis, legibus, ceremoniis ac ritibus variis; erudiendus, formandus, retinendus, ac in cælesti quadam religione religandus esset. Rursum œconomia venturi ab initio mundi ipsius Mundi Mediatoris hoc habebat, vt tota Dei Ciuitas siue Ecclesia, non secus quàm vnus homo, certis quasi gradibus ac ætatibus cresceret; paritérque primò rudiùs & imperfectiùs, postea pleniùs & exactiùs ad Dei cognitionem manu duceretur; donec tandem eò perueniat, vt non iam amplius in ænigmate, sed facie ad faciem contempletur. Sic placuit (vt ait Apostolus) *multipharie multísque modis Deum loqui*, primum *patribus olim*, vel per se vel angelorum ministerio, deinde *in Prophetis* quorum primus Moyses, *nouissimè autem in filio.* Deniq; disertè Chrysostomus meliori (vt arbitror) iudicio quã Chemnitius hanc datæ scripturæ occasionem refert, *Quia*, inquit, *progrediente iam tempore, alij quidem propter dogmata, alij verò propter vitam & mores grauiter impegerunt, ea rursus quæ constat literis, admonitione opus fuit.* Hæc ille homil. 1. in Matthæum. Ac de origine quidem scripturarum hactenus sic dictum est, vt non ex ea consequi posse ostenderimus, sic datam illam fuisse, vt omnem amplius sine scripto Traditionem excluderet; quod sibi finxit Chemnitius. Nunc de vsu quæ adfert consideremus, vbi sanè & idem adhuc magis elucescet. F

Scripturæ Datæ origo & causa.

1\. Quæst. in vet. testam. q. 4.

Rom. 7.

2\.

3\.

Hebr. 1.

4\.

Quæ de

A

Quæ de vsu, dignitate, & Authoritate, Scripturarum Chemnitius adfert, vt earum inde Sufficientiam concludat, refelluntur.

CAPVT XIII.

MOSAYCA Scriptura primum argumentum ducit. Ait enim in primo
libro, Geneſeos videlicet, complexum eſſe Moyſem capita doctrinæ & fi-
dei Patriarcharum, quam ab initio mundi ad ſua ferme tempora ex Dei
reuelatione traditam acceperant; & profeſſi fuerant. Deinde & ſimili con- Deut. 31.
ſilio cætera ſcripſiſſe. Vſum autem eorum fuiſſe, vt *legātur coram toto Iſrael*
tam viris quàm mulieribus, paruulis & aduenis, vt audientes diſcant, &c. Rur-
ſum vt eſſet illis hæc ſcriptura *contra eos teſtimonium*, ſi quādo declinaſſent
à mandatis Dei. Denique ideo iuſſiſſe Moyſem *deſcribi exemplar legis*, vt eſſet Canon, Norma
& Regula, *ne declinaretur vel in dexteram vel in ſiniſtram partem.* Poſtremò triumphabundus
concludit, reliquam quidem poſteritatem Noë per vniuerſas terras diſperſam, quæ hac ſcrip-
tura careret, ſine dubio ex relatione maiorum per ſucceſſionem multa ex traditionibus patrū Deuter. 17.
licet fermentata retinuiſſe; cauſam tamen eorum per nos pontificios egregiè defendi poſſe, ſi *Vanus Chemnitij triumphus.*
B diceremus Patriarchas, & ante & poſt diluuium, intra bis mille & trecentos annos, vſque ad
mortem Ioſeph, multo plura verba feciſſe de doctrina diuinitus reuelata, quàm quæ paucis il-
lis & anguſtis primi libri Moyſis paginis compræhenſa ſunt, ideóque ad Traditionem patriar-
chalem non ſcriptam fermenta illa poſteritatis Noë referri poſſe. Hæc ille. Sed breuiter & ſo-
lidè huic ſycophantæ reſpondetur. Catholici enim, non quidem vt reliquarum gentium ſu-
perſtitiones, ad diuini cultus ac religionis imitationem Satanæ arte inuentas, defendant; ſed vt
doloſum hoc & pernicioſum hæreticorum omnium dogma, quo ſolam ſcripturarum ſuffi-
cientiam, fraude etiam Satanica (vt ante eſt oſtenſum) perſuadere conantur, euertant; verè & *Liber Geneſeos*
quod res eſt reſpondent, librum illum Geneſeos capita quidem doctrinæ & fidei patriarcharū *omnem Patriar-*
complecti, ſed nō omnia & vniuerſa: quod tam certum ſibi perſuadet Chemnitius, vt nec nos *charum fidē non*
etiam id negaturos arbitrari ſe dicat. Quæro enim à Chemnitio, an doctrina de peccati origi- *complectitur.*
nalis per vnum hominem in vniuerſum mundum propagatione, & de huius peccati remedio
ſeu regenerationis Sacramento, ad capita fidei & doctrinæ cæleſtis etiam neceſſariò non per-
tineat? Non arbitror eum hoc negaturum, quum hæc ſanè capita S. Auguſtinus *Catholicæ fidei*
munimenta, ipſóſq; neruos religionis Chriſtianæ, veræque pietatis eſſe meritò affirmet. Quæro iterū Lib. 6. cap. vlt.
in qua pagina totius Geneſeos ante Abraham de his vlla prorſus mentio aut expreſſa aut etiā contr. Iul.
tacita fiat? An putat fortaſſe originalis maculæ propagationem, primis illis patribus & Patriar-
chis ante Abraham fuiſſe incognitam, aut nullum eis regenerationis Sacramentum diuini-
tus reuelatum fuiſſe? Sanè S. Auguſtinus, quem ſibi præferri Chemnitius indignari non debet, Lib. 5. cap. 9.
C longè aliter cenſet. Sic enim ſcribit. *Non eſt credendum, & ante datam Circuncisionem, famulos* cōtra Iulian.
Dei (quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento eius opitulatos fuiſ-
ſe paruulis ſuis; quamuis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria, Scriptura latere voluerit. Hæc ille. Deinde
quæ Scriptura vel Geneſeos vel totius pentateuchi Moſaicæ, relationem illam ſacrificiorum
veterum ad venturi Meſſiæ paſſionem, & ſupremum ſacrificium, mente intentum, & animo
ſacrificantium conceptum, vſquam exprimit aut docet? ſine qua tamen relatione & fideli in-
tentione, nullū illa ſacrificia fructum adferre poterāt. Denique quid putat Chemnitius? Quæ
poſtea prophetæ tam multa & varia ſcripſerunt, quæ etiam Euangelicis & Apoſtolicis literis
poſtremò acceſſerūt, nihil ad Capita fidei & doctrinæ à patriarchis & primis illis patribus cre-
ditæ pertinere, aut eorū nihil patriarchas credidiſſe aut didiciſſe? Certè quāuis neque tam ex-
plicitè de ipſa deitate inſtructi fuerunt quàm poſtea fuit Moyſes (nā *nomen ſuum Adonai Deus*
non indicauerat illis) neque tam clarè incarnationem Chriſti reuelatam habebāt, quàm Moyſi Exod. 5.
reuelata fuerat; qui tot ſacrificiis, Sacramentis, & ceremoniis à Deo ſibi traditis, futuram Chri- *Patriarcharum*
ſti mortem totámque fere œconomiam præfigurauit; tamē de rebus agendis, déque doctrina *inſtitia perfecta.*
ad vitæ mores neceſſaria pleniſſimè inſtructi erāt, non ſecus quàm per Moyſem & prophetas
eorū poſteri poſtea fuerant: vt ſapienter docet S. Thomas: ideóque *eorum iuſtitiam nec intem-* 22. q. 174.
perantem, vt abſtinere non poſſent ab iis à quibus abſtinēdum eſſe didicerant; *nec etiam imperitā* Ar. 6.

Lib.19.cap.20 & seq.contr. Faustum.

rerum ad suum officium pertinentium fuisse; docet contra Manichæos Augustinus ostendens D etiam ea quæ Christus in Euangelio, tanquam imperfectæ veterum patrum legi & doctrinæ adiecisse videtur, primos illos & antiquos iustos nequaquam ignorasse; vt cùque earum rerum nihil in toto illo primo Moysis libro, in quo omnis fidei & doctrinæ capita cótineri vult Chémnitius, exprimatur.

Lex scripta est Norma veritatis sed non vnica.

Iam verò quod ad vsum attinet legis scriptæ, quem dicit fuisse vt legeretur toti populo, vt esset contra illos testimonium, vt esset illis Canon, Norma, & Regula, ne declinarent à lege Dei, hoc totum sanè quàm libentissimè fatemur (quamquam Canonis, Normæ aut Regulæ voces in Scriptura illa non legantur) sed ex hoc toto non sequitur, nec ipsemet concludit, (cócludere tamen intendit si ad propositum loquitur) quòd sit sola Norma & sufficientissima regula: quasi nihil extra aut præter scriptam illam in lege doctrinam, ad fidem & Dei cultum pertineret. Quare nihil hæc pars ad probandum quod instituerat, facit. Sed notandú est, quod ad nostri instituti confirmationem maiorem attinet, in ipsa hac Mosaica lege datos esse sacerdotes, qui non solùm hanc scriptam legem populo legerent atque exponerent; sed qui præterea, si quid ambiguum aut difficile oriretur, quod ex lege scripta satis diiudicari non posset, iudicium ipsi ac sententiam ferrent. *Si difficile & ambiguum* (ait Scriptura) *apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & Iudicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerit te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morietur homo ex Decreto Iudicis.* En tibi Chemnitij præter E scriptæ legis Canonem & Normam, etiam Sacerdotis Iudicium pro altero Canone & altera Regula, non quidem legi aduersa (absit) sed iuxta legem Domini & conformiter illi; quæ alia tamen quàm quæ expressè in lege habentur, & in remedium insufficientiæ scriptæ legis, quædam non scripta doceat, iudicet, determinet. Alioqui vanum fuisset, in re difficili sacerdotes consulere, si vel de eorum sententia iterum disputandum, vel ad legem denuo recurrédum esset. Nam propter difficultates quas lex ipsa soluere non potuit, ad sacerdotale Iudicium, idque supremum & postremum, sunt missi.

Deut 17. *Propter legem scriptam Sacerdotis iudicium pro Norma erat.*

Veniamus nunc ad alias Scripturæ partes. Dicit Chemnitius Prophetarum scripta, & alia illa quæ post Moysem scripta sunt, non fuisse diuersa aut contraria iis quæ in libris Moysis cósignata erant, sed interpretationes fuisse illustriores. Illos quoq; ea solum scripsisse, quæ Deus posteritati necessaria fore iudicabat. Sed dicit hæc tantùm, non probat: quod est arrogantissimum hodie scribendi genus. Contraria sanè nulla ab iis scripta fuisse, neminem arbitror tam dementem vt neget. Sed alia & diuersa valdè illa fuisse, quæ Prophetæ scripserunt, longéque aliud quàm interpretationes, neminem quoque arbitror nisi contentiosum & proteruum hæreticum negaturum. Quæro enim à Chemnitio, quem Mosaicæ Scripturæ locum vel Psalmi Dauidici plærique vel cæteri Prophetæ interpretantur? Nam quamuis quædam in Psalmis, ac item Prophetis quædam, à Moyse conscripta quasi repetendo illustrent, tamen nec interpretandi causa illa scripta sunt, nec de toto genere propterea Propheticæ scripturæ dici potest, quòd meræ interpretationes sint Mosaicæ doctrinæ. Quid enim? Nonne de incarnatione F Messiæ, de partu virginis, de mysterio Trinitatis, de Sacramentis nouæ legis futuris, vt de Baptismo, & pane Eucharistico, multa prædicunt Psalmi & Prophetæ de quibus nihil prædixit Moyses? Quod quidem Esaias tam clarè & dilucidè fecit, vt Euágelista potius quàm Propheta à sanctis Patribus Augustino & Hieronymo nuncupetur. Et quare obsecro non pari etiam ratione, literæ Euangelicæ & Apostolicæ, Mosaicæ quoque Scripturæ Interpretationes tantùm habendæ erunt, vt ne in filio quidem amplius dixerit Deus, quàm in Moyse olim dixerat? Sed vt Moysi plus reuelatum est quàm Abrahæ, (vt suprà ostensum est) ita Dauidi & aliis Prophetis plusquam Moysi, prout propius ad noui Testamenti lucem accesserunt. Multa sanè de ministris, cantu, & ceremoniis templi, Dauid Propheta cum Gad vidente & Nathan Propheta constituerunt; quæ in lege & Scriptura Mosaica non sunt expressa, nec constituta: vt apparet ex Paralip. libro secundo, capite 29. & alibi.

Prophetarum scripta non erãt solæ interpretationes legis Scriptæ.

Lib.18 cap.19. De Ciuit. Dei in prologo com.in Esa.

Quod verò addit ea solùm Prophetas scripsisse, quæ Deus posteritati necessaria fore præuidit; dicit quidem confidenter: & quia probare non potest, nos hoc ipsum negare nec posse audere, callidè affirmat; vt sic ei probatione alia non sit opus. Nos verò istud non negamus tantum, sed & exemplis nonnullis superiùs contrarium ostendimus. Nunquam enim

A Spiritus sanctus sic se scriptæ literæ alligauerit, quin multa interim ad salutem & conducibilia *Propheta non*
& interdum necessaria suis sine scripto patefacere, tum potuerit tum etiam voluerit. Subiicit *scripserunt om-*
quædam exempla Chemnitius, quibus ostendat in Controuersiis & corruptelis apud veterẽ *nia posteritati*
populum exortis, ex amussi & Norma verbi scripti, diiudicatas & correctas illas fuisse. Sed nõ *necessaria.*
ostendit ex solo scripto verbo, hanc amussim & Regulam petitam fuisse, aut peti oportuisse,
quod est τὸ κρινόμενον. Sanè Ezechias serpentem æneum à Moyse ex præcepto Domini ere-
ctum, quum corruptelam circa illum animaduertisset, absque vllo scripturæ testimonio, con-
fregit & aboleuit. Idem quoque Rex, voluntarias oblationes ad celebrationem paschæ, præ- 4. Reg. 18.
ter vllum legis mandatum, aut scripturæ testimoninm, exegit. Imò contra mandatum legis 2. Paralip. cap. 30.
expressum, fecit vt Leuitæ sacerdotes iuuarent ad detrahendas pelles holocaustorum, quod Leuit. 1.
iuxta legem solis sacerdotibus proprium erat. Sed hæc omnia, quamuis præter scripturæ ali-
quod testimonium, tamen ex diuini spiritus instinctu fecisse censendus est, quum hoc nomi-
ne in sacra pagina laudetur. Non ergo semper vel in corruptelis corrigendis, vel in dubiis circa
religionis cultum componendis, ex solo scripturæ testimonio, Norma & Regula peti est soli-
ta, vel necessariò peti debet.

Ac de veteris scripturæ origine & vsu, hæc omnia sunt quæ Chemnitius disputat. Vult au-
tem & noui Testamẽti scriptores à veteribus rationem hanc accepisse, vt doctrina cælestis li-
teris commendetur; ideóque propter easdem causas, & in eundem vsum, ea ratione vsos fuis-
se. Quod sanè totum facilè concedi à nobis potest; quum iam ostẽsum sit, etiam ex veteris in-
strumenti origine & vsu, hanc solam & sufficientissimam Normam, quam improbo consilio
B ponere in scripturis Protestantes volunt, minimè consequi. Veruntamen, & longè alia est no- *Alia noui &*
ui quàm veteris instrumenti hac in parte ratio; quum nec vllum hic scribendi mandatum ex- *veteris instru-* *menti ratio.*
titerit, quod de aliquibus veteris instrumenti partibus constat, nec ita veteri populo sicut Ec- 1.
clesiæ Christianæ, promissus sit spiritus sanctus qui eam in æternum veritatem doceret; nec 2.
illa Synagoga veritatis columna & firmamentum, vt Ecclesia, sit dicta; nec denique ob eum fi- 3.
nem constet veteri populo datas esse scripturas, ob quem populo Christiano data est noui in- 4.
strumenti scriptura; Quæ omnia quia in superioribus cõfirmata sunt, nihil hic repeto. Ad alia
nunc quædam in Chemnitio veniamus.

Scelerata Chemnitij doctrina, de Similitudine & affinitate Traditionum Pontificiarum cum Pharisaicis & Talmudicis, respondetur.

CAPVT XIIII.

SVBIVNGIT hoc loco Chemnitius, vt inuisas & suspectas reddat Tradi-
tiones omnes Ecclesiasticas, homo S. Ecclesiæ consortio hoc nomine pa-
C tum dignus, sed iuxta Saluatoris sententiam, *quia Ecclesiam* non solum
non audit, sed etiam sceleratè traducit; *pro Ethnico & Publicano habendus*;
Similitudinem vt vocat, & affinitatem Traditionum Pontificiarum, cum
Traditionibus Talmudicis & pharisaicis. Ea qualis sit videamus. *Pharisæi* Matth. 18.
(inquit) *verba Scripturæ inflectebant ad Traditiones, eásque secundo & quarto præcepto opponebant.*
Exẽpla extant Matth 5. 15. & 23. Habebant etiã multas traditiones, extra & præter scripturã, quarũ *Disputatio*
obseruationem fingebant ita necessariam, vt eam vel præferrent, vel certè æquarent mandatis Dei scri- *Chemnitij cõtra*
ptis. Mar. 7. Luc. 11. & 18. Matth. 23. Móxque interiecta disputatione de causa harum Traditio- *traditiones ec-* *clesiasticas.*
num, cui statim etiam occurretur, ad rem redit & dicit. *Christus abiectis & refutatis traditioni-* Lib. 4. cap. 25.
bus Pharisæorum, ad ipsam scripturam Ecclesiam deducit. Irenæus quoque dicit, *extitisse suo tempo-*
re (quamquam non extitisse, sed *vocatam adhuc* suo tempore fuisse dicat,) *legem Pharisaicam de*
Traditionibus, vbi de scripta Dei lege quædam auferant, quædam addant, quædam vt volunt interpre-
tentur. *Hæc descriptio*, inquit, *ostendit imaginem & similitudinem Traditionum quas* Pontificij *Ec-*
clesiæ obtrudunt. Sed ad hæc omnia respondet mox ipsemet nostro nomine, *non tolerandam hãc*
esse contumeliam. Has enim traditiones à Pharisæis & sequentibus Rabbinis confictas esse, nostras ve- *Responsio Ca-*
rò Traditiones ab ipsis Apostolis acceptas, certa & continua Episcoporum successione conseruatas, & *tholica.*
per manus traditas esse, ad nostra vsque tempora. Hæc ille. Est sanè hæc nostra responsio; & facit

hæc responsio, vt longè maximum sit discrimen inter nostras & illas traditiones; quantum sanè, inter Apostolos & Pharisæos, inter legitimam sanctorum Episcoporum successionem & Rabbinorum Talmudicorum confusam seriem, denique quantum inter lucem & tenebras. D Quamquam & in hac responsione aliquid desideramus. Non enim sic has nostras etiam verè Apostolicas traditiones amplectimur, vt vel scripturæ sacræ illas opponere, vel ad illarum sensum scripturas obtorto collo trahere (quod vtrumque Pharisæi & Talmudistæ fecerunt) velimus: Itaque ea ex parte verè est *intolerabilis hæc tua* (vt tute eam Chemniti vocas) *cōtumelia.* Æquare tamen illas quæ verè Apostolicæ sunt, scriptæ doctrinæ, cum sanctis Patribus & propter causas supradictas, non dubitamus. Sed quid ad hanc responsionem Catholicam & Orthodoxam replicat Chemnitius, vt manere nihilominus similitudinem & affinitatem vtrarúque quam fingit ostendat? *Sed*, inquit, *Iudæi nullo modo concedent, se suas traditiones sine certa authoritate ex figmētis hominum habere.* Cui insulsæ Replicæ respōdeo. Nec illi sanè iidem Iudæi, vllo modo concedent, interpretationes falsissimas quas Scripturæ affingunt, contra Prophetias clarissimas de Christo Mediatore, esse falsas & vanas. An verò propterea (ô bone Chemniti) interpretationes Psalmorū & prophetarum de Christo, quas tum Apostoli tum sancti patres magno studio fecerunt, similes erunt interpretationibus Pharisaicis & Talmudicis? Sed quam ob causam hoc non concedent? *Texūt enim*, inquis, *longam & sine interruptione continuā successionis seriem, qua traditiones ab ipso Deo traditæ, à Moyse acceptæ, ad posteritatem bona fide propagatæ, & per manus traditæ narrantur.* Móxque transscribis ex Petro Galatino, seriem ipsam Talmudicam, à Moyse vsque ad Gamalielem; ac deinde concludis. *Hæc profectò longè alia species successionis est, quàm quæ à Papistis iactatur, de serie & numero Rom. Pontificum.* Itáne verò E Martine Chemniti ex Christiano Iudæus es factus, vt certam & perpetuam verissimámq; iuxta omnium historiarum fidem, Rom. pontificum successionem, inferiorem illa serie Talmudica existimes, in qua omnia conficta, nihil veri subsistit? Quid? An tu sic odio Romanæ, id est Catholicæ Ecclesiæ excæcatus es, vt putes veram esse successionem illam quæ dicit (vt tu ipse commemorasti) quòd Moyses Heli sacerdoti tradidit illa mysteria, quum inter Moysen & Heli illum sacerdotem, toti trecenti anni intercesserint? Aut putas verum esse, quòd Samuel Dauidi Regi eadem mysteria tradiderit, quum viuente adhuc Samuele, nec Rex nec propheta Dauid fuerit; sed quamuis vnctus in futurū Regem, adhuc tamen in exilio egerit, demúmque post mortem Samuelis ad regnum accesserit, & prophetiæ Spiritum acceperit? Equidem non dubito te prorsus pro mero commento habere totam illam Talmudicam fabulā. Et audes tamen homo impudentissimus, confictam hanc fabulam verissimæ Sacerdotum Christi successioni nō solum comparare, sed etiam præponere? Sed esto, ponamus successionem quidem personarum veram fuisse, idque sacerdotum sibi legitimè & ordine succedētium, (cuius tamen nec apparens est veritas; miscentur enim Reges, prophetæ extraordinarij, & sacerdotes qui in Cathedra Moysis ordine successerunt, vt nihil sit hac fabula fabulosius:) verùm (vt dixi) ponamus veram fuisse successionem, & in hac successione has falsas & vanas traditiones vel irrepsisse, vel quòd irrepserint, confictum à nebulonibus fuisse. An propterea ex hac similitudine, etiam vtrarumque similem fuisse vanitatem, rectè te concludere posse existimas? Age ergo. Finxerunt Ethnici & Elysios campos, & loca tartarea. An propterea fabulam esse dices F quæ de cæli gaudiis, & gehennæ pœnis, vel Scriptura expresit, vel Ecclesia tradidit? Ethnici & dæmones habent sua templa, suos sacerdotes, sua sacrificia, sua miracula, suas vestales, suos etiā Decios ac Scæuolas qui pro Reip. suæ salute & religionis tutela, non secus ac nostri Martyres extrema passi sunt, vt nobis historiæ prodiderunt. An propterea omnia Christianorum templa, sacerdotia, sacrificia subuertes? & sicut virgines sacras, sic etiam Martyres Christianorum, ad superstitionem Ethnicam pertinere docebis?

Replica Chemnitij.
Responsio.
Confirmatio.
Replicæ.
Solutio.
Successionis Talmudicæ luculenta mendacia.
1.
2.
Comparationis chemnitianæ execranda impietas.
In superstitione Ethnicorū multa religioni christianæ similia.

Sed quia tu Chemniti non in hac materia tātùm, verùm & in multis aliis religionis Catholicæ capitibus, vt in purgatorio, in Sanctorum cultu & inuocatione, in ieiuniis, in reliquiis & feriis, noxias superstitiones omnia esse existimas, quorum similia vana gentilitas effectauit, ideóque magna industria de his singulis, veterum superstitionum historias stultissimè texis, vt religionem catholicam cuius simia superstitio est, hac arte apud imperitos traducas, ostēdam tibi non mois sed doctissimorum patrum verbis, quàm vana planeq; Ethnica hæc tua tuorúmque collectio, ratiocinatio, totáque industria fuerit, & quàm nihil nostræ religioni præiudicet, quicquid extra Ecclesiam Dei, vel vana gentilitas, vel superba hæresis, simile affectauit. Ac primum, tibi Augustinum Doctorem minimè superstitiosum profero, qui tuam in doctrina

Chemnitij fraudulentus dolus.
Quòd nihil religioni catholicæ præiudicēt ritus & cultus gentilismo similes.

Christiana

A Christiana magnam inscitiam, his tibi verbis digito demonstrat. *Qui Christianas* (inquit) *literas vtriusque testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quod hæc idolu & dæmonibus exibent.* Et paulò ante. *Cùm hæc exhibentur Deo secundum eius inspirationem atque doctrinam, vera religio est; quum autem dæmonibus secundum eorum impiam superbiā noxia superstitio.* Hæc ille. Planè codē modo Chemniti, si Christianas literas rectè & orthodoxè didicisti, clarè intelligis, Traditiones extra vel præter Scripturam, quum vel à Pharisæis & Rabbinis, vel ab hæreticis (habuerunt enim & illi suas secretas & Apocryphas traditiones, vt narrat Irenæus) inducuntur; similiter Purgatorium, Diuorum cultum, Reliquiarum venerationem, ieiuniorum & feriarum obseruationem, quum à gentilibus dæmonibus exhibenda assumuntur, *Noxias superstitiones*; quum autem hæc omnia ab Apostolis accepta, vel per Ecclesiæ Christi successionē (cui sanè ipsius verbi scripti custodiam commisit Deus) deriuata & tradita sunt; *Veram religionem esse*, vt loquitur Augustinus. Nempe veritatis simia semper est falsitas, suáque sæpe affinitate & similitudine fucum plærisque facit. Quam rem copiosè & eleganter te docet, Chemniti, celeberrimus Ecclesiæ doctor S. Hieronymus. Postquam enim commemorasset multas pietatis laruas & species, quæ gentilium ritibus inhærerent; vt quid de aureo seculo Dicæarchus, quid de Persis Xenophon in Cyri Pædagogia, quid de Lacedæmoniis idem & Theophrastus, quid de Ægyptiis sacerdotibus Cheræmon Stoicus, quid de Essenis Iosephus, quid de Orientalibus Euāthes Cyziccnus, quid de Indis, Gymnosophistis, ac Brachmannis Bardesanes Ba-
B bylonius, quid de Iouis Prophetis Eurypides, quid de Triptolemi legibus Xenocrates Philosophus, quid Orpheus, quid Pytagoras & cæteri, de ciborum abstinentia, de cælibatu, aliísq; virtutum operibus scripsissent; hunc in modum concludit. *Sicut ergo virginitati veræ non præiudicat imitatio virginum diabolicarum*; (Vestalium scilicet,) *nec veris ieiuniis Cossorum Isidis & Cybeles; & sicut signa quæ faciebat Moyses imitabantur signa Aegyptiorum, sed non erant in veritate; ita per omnia quæ in æmulationem Dei facit diabolus, non religionis nostræ superstitio* (vt tu Chēniti sapienter te colligere existimas) *sed nostra arguitur negligentia: id facere nolentium, quod bonum esse etiam seculi homines non ignorant.* Hæc ille. Quæ huius doctissimi Patris collectio, ne tibi Chemniti vana & superstitiosa videatur, (non ignoramus enim quantuli hunc excellentem Doctorem facere, imò quantis eum conuitiis & maledictis proscindere vestri homines solent, Caluinus maximè) en tibi Saluatoris nostri in Euangelio sapientiam, qui non dissimiliter à quibusdam secularium hominum rectè factis, nostram ignauiam redarguit. Quale illud erat de seueri iudicis remissa seueritate, ad importunitatem petentis fœminæ: item illud. *Si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis,* &c. Rursum illud. *Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt?* Denique & parabola illa vbi laudatur villicus iniquitatis, móxque concluditur, *prudentiores esse filios huius seculi in generatione sua quàm filios lucis.* At verò si Chemnitij sapientiam audire volumus; nec purgatorium credere, quia simile Plato confinxit; nec sanctos colere, quia & suos deos falsos gentes coluerunt; nec ieiuniorum & festorum statos dies habere, quia & similia tota gentilitas obseruauit; nec denique Traditiones vllas agnoscere, quia suas Talmudici habent; nec postremò pietatis & virtutum vlla opera sectari, quia sic gentes fecerunt; debemus. An non le-
C gisti Chemniti apud Tertullianum in libro de præscriptionibus, libro sanè tibi tuísque pernecessario, quid ille de hac gentilitia imitatione, etiam circa diuinissima fidei nostræ mysteria scribit? *Diabolus*, inquit, *res sacramentorum in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam vtique credentes & fideles suos. Signat in frontibus milites suos. Celebrat panis oblationem. Habet & virgines, habet & continentes. Denique in Romanis illu sacerdotalibus officiis, insignibus, & priuilegiu, morositatem illam Iudææ imitatus est.* Hæc ille. An verò propterea Chemniti; vel Iudæorū sacra superstitionis Sathanicæ argues, vel etiā nunc baptismi vsum & panem Eucharisticū ab Ecclesia Christianorū exturbabis? Nonne vides te tuis argumētationibus ad impietatis abruptū præcipitē ferri; & ad vniuersæ religionis Christianæ contēptum, te fenestrā aperire? Nos verò cum S. Aug. & S. Hieron. vt superius annotauimus, & postremò cum Tertulliano totiùs & solidiùs argumentabimur, cuius hæc sunt alibi verba. *Quantū Deo sanctitas placet, cùm illā inimicus* (Diabolus scilicet) *adfectet? Nō vtique vt alicuius boni adfinis, sed vt Dei Domini placita cum cōtumelia adfectans.* Hæc ille. Et rursum cū Damasceno, dicemus. *Non oportet propter absurdum gentium morem, pium Ecclesiæ institutum auferre.* Nēpe perpetua est hæc Sathanæ ars, vt fucis verisimilibus ipsā veritatē eludat, quod in hæreticis (Chēniti) maximè est perspicuū. Est quoque hæc eius ingenita superbia, vt quæ Deo sunt propria, ipse imitetur, sibiq; auui-

Epist. 49.
Lib. 3. cap. 2.
Veritatis simia falsitas.
Lib. 2. contra Iouinianum.
Diabolus habet suos cultores.
In minores prophetas passum.
Luc. 18.
Matth. 7.
Matth. 5.
Luc. 16.
Tertullianus in Præscript.
Diabolus habet sua sacramenta.
Orat. 2. de Imaginibus.
Lib. 1. ad vxorē.
Diaboli astutia & affectatio.

De Ciuit. Dei lib. 10 cap. 19. *Diabolus simulus Dei.* ssimè arroget. *Nõ ob aliud* (inquit Aug.) *fallaces illi dæmones sacrificiũ sibi superbè exigunt, nisi quia vero Deo deberi hæc sciunt. Non enim cadauerinis nidoribus sed diuinis honoribus gaudent.* Hæc ille. D
Quod & aliis verbis repetit atque inculcat contra Faustũ lib. 20. c. 21. & 22. Vide Chẽniti quã tuum à S. Augustino differt ingenium. Ille ex eo sacrificium esse proprium Dei cultum, ideóque & in nouo Testamento externo sacrificio Deum perpetuo colendum probat; quia dæmonum cultores sacrificia fecerunt. Tu contrà, quicquid dæmonum cultores aliquando in vsum religionis admiserunt, vt ieiunia, ferias, cultum diuorum, sacrificia, & similia, ab omni Christiana religione prorsus eliminanda censes; & hoc ipso nomine satis confutata arbitraris. Sed lege præter ea quæ diximus; Tertullianum in Apologetico cap. 47. & quæ narrat Iustinus Martyr in Apologia 2. in quibus & quantis Dei simium malus dæmon ante Christi aduentum se gesserit, ea callidè & superbè imitatus, quæ vero Deo in scripturis Mosaycis propria esse intellexerat. Post Christi autem aduentum & Euangelij propagationem, per hæreses (quæ idolis successerunt) idem præstitit, quod olim per idola. Diabolus enim per hæreticos (Chemniti) quos *Ministros Sathanæ* apposite Apostolus vocat, adeo Deum imitari voluit, vt etiam ipsius Ecclesiæ (non solùm Sacramentorum & reliquæ pietatis, sicuti iam ostendimus) titulum ac formam superbè sibi venditaret. Vnde de vetustissimo hæretico Marcione sic eleganter scripsit Tertullianus. *Habet Marcionis Euangelium Ecclesias, sed suas, tàm posteras quàm adulteras. Faciunt fauos & Vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.* Hæc ille lib. 4. aduersus Marcionem. Hanc sanè ob causam, quæ veræ Sapientiæ in vera Ecclesia vox est, *Si quis est paruulus, veniat ad me;* eandem superba illa meretrix vestra (Chemniti) vsurpat. *Quis est paruulus? declinet ad me.* Vide vtrúque Prouerb. 9. An verò propterea negabis Chemniti vllam esse E
veram Ecclesiam, quam iuxta Apostolum ad Ephes. 4. *paruuli* audire debent, *ne circumferantur omni vento doctrinæ?* Nihil ergo (vt ad rem propositam redeamus) Talmudicarum traditionũ similitudo (si qua esset) à nostris & verè Ecclesiasticis Traditionibus, animos verè pios & secundum Deum sapiẽtes deterrebit. Nam (vt in quo demum tanquàm in tutissimo portu, inter tot simulatarum religionum scopulos acquiescere animus & fides hominis Christiani debeat, lectorem moneam) quicquid extra Ecclesiam Dei, quæ vna est, Catholica, & Apostolica, emulatur diabolus vt Deo similis videatur, nostra tamen interea in tuto est fides; quæ sic Christum caput agnoscit, vt à corpore suo quod est Ecclesia, nec latum vnguem discedat: sed quemadmodum Christum veritatem ipsam esse credimus omnia nobis reuelantem, non Mahometem, non Apollonium Tyaneum, non veteres vates, philosophos, sapientes, aut quoscunque tandem prophanæ doctrinæ magistros; sic *veritatis* ab eo reuelatæ *columnam & firmamentum Ecclesiam* Christi indubitanter credimus, non vllam vllorum hominum, extra hanc societatem & vnitatem, doctrinam: & *hæc est victoria quæ vincit mũdum*, id est, omnem mundanam falsi nominis sapientiam, *Fides nostra.* Quia (vt sapienter scripsit Augustinus) *neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum, neque in confusione paganorum quærenda est Religio, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel orthodoxi nominantur.* Itaque quicquid in illis omnibus ad veritatis æmulationem, siue in Religionis vsu, siue in doctrina, aut agitur aut docetur, pro fraude Sathanica cauendum est; non F
ipsi veritati propterea inde præiudicandum. Postremò, quod de hæreticis dicit Augustinus, *non quicquid hæretici peruersè fuerint imitati, propterea faciendum à Catholicis non est, quia illi similiter faciunt*, idem de Iudæis Talmudicis eorumque traditionibus peruersis dicendum est, non ideo à Catholicis veras traditiones non esse retinendas, quia illi similiter suas retinent.

Christiani hominis fides in quo acquiescere debeat.

1. Timo. 3.
1. Ioan. 5.

In lib. de vera religione c. 5.

De baptism. cont. Donat. Lib. 5 cap. 11.

Consequentia Chemnitiana absurdas.

1. Alioqui Chemniti, si quia in his omnibus Sathanas se transfigurat in Angelum lucis, nec vero Angelo luci diuinitus misso credendum est; consequetur quoque quod tu vis: vt quia suas Traditiones instinctu dæmonis Pharisæi Talmudici, & hęretici habent; idcirco nec veris Ecclesiæ Traditionibus credatur.
2. Simili quoque consequentia valebit, vt quia Alcoranus à Mahumete conscriptus, diuinitus illi & ad cælũ rapto ipsius Dei manibus datus atque consignatus fuisse fingitur, propterea & tabulas Moysi datas, confictas arbitremur.
3. Aut denique quia multi sub Apostolorum & prophetarum nomine (vt alibi in hoc opere ostendimus) apocrypha quædam de rebus factis, de Christi & Apostolorum rebus gestis orbi obtruserunt, ideo nec veris prophetarum & Apostolorum libris credendum erit.

Anathemate digna Chemnitij comparatio. At verò, si execrandæ & anathemate dignæ huiusmodi omnes sunt consequentiæ; non minus est execranda & Anathemate digna hæc Chemnitii comparatio. Nam vt germanos S. Scripturæ libros à confictis & apocryphis, sic & falsas vanásque traditiones à veris & Apostolicis, Ecclesia spiritu S. edocta semper discreuit. Huc accedit quòd Traditiones Ecclesiasticæ non ex sola Rom. Pont. successione

A cessione petuntur(vt imperito lectori fucum facit Chemnitius)sed ex totius Antiquitatis te- *Traditiones ecclesiasticæ non ex sola Rom. Pont. successione petūtur.*
stimonio,& aliorum per orbem Christianum Episcoporum, patrum atque doctorum con-
sensu corroborantur,vt nos antea satis copiosè ostendimus. Quare & hic magna dissimilitu-
do & luculentum discrimen est,inter Talmudicas & Apostolicas,inter Pharisaicas & Eccle-
siasticas Traditiones. Deinde Ecclesia Christi longè aliam & certiorem habet fidei & eorum
quæ sunt ad fidem infallibilitatem,quam habuit Synagoga: maximè illa quæ Synagogæ ca-
sum proximè antecessit;& multo magis quàm illa quæ sequuta est, & nomen tantum syna-
gogæ retinuit. Quod sanè perinde est,ac si Turcarum & Mahometanæ sectæ successionem,
veræ etiam Christi Ecclesię continuationi & consensui quis opponeret. Quod quidem Pro-
testantes crassiores interdum etiam facere non ignoramus,propter axioma illud, vel idolum
potius Lutherani cerebri,*quòd tam intra Ecclesiam quàm extra,magna semper sit multitudo pra-* *Lutherani cerebri idolum.*
uis opinionibus fascinata,& maior pars superstitionibus dedita,& quòd diabolus in ea regnet non se-
cus quàm extra. Sed hoc impium cōmentum,& aliam illam similitudinem (vnde hanc suam Lib.2.cap.10. & 15. & lib.5. cap.16.
Chemnitius traxisse videtur)videlicet quòd nihil sit similius,quàm Sadducæis & Pharisaicę
turbæ Pont. Rom. sacerdotum,& monachorum agmina; in hoc opere dilucidè,& solidè (ni
fallor)confutauimus.

Quare hoc in loco quæstioni illi Chemnitij,quam Iudæorum nomine(quorum hic cau-
B sam egregiè agit,& patrocinium suscepit)proponit;& cui quid nos respondere possimus, mi-
ratur valde;facile profecto nunc respondebitur. Facit enim hypotyposin quandam,quam vo-
cat argumentum Pighij,sed est profecto ipsius Augustini magna ex parte,in libris cōtra Fau- Lib.11. cap.7. vsque ad c.15.
stum,vbi sibi catechisandum gentilem proponit. Fingit nempe Chemnitius,Iudæum adhuc
Talmudicis traditionibus inhærentem, cum alio Iudæo, qui illis relictis solis scripturis tan-
quàm vnico Dei verbo inhærere vult,hunc in modum expostulare. *Vnde*, inquit, *certus es li-* *Chemnitij hypotyposis quæ ipsi videtur inuicta.*
bros illos. S. scripturæ non esse suppositities?&c. Certè non aliunde hoc constabit,quàm ex testificatione
illorum quorum suprà facta est mentio, qui continua successionis serie illos libros conseruarunt. Qua
fronte ergo reliquas traditiones,quæ per illos ipsos certa successionis serie propagatæ ferūtur, repudiabis?
Aut si de his dubitas,de illis quoque alius quidni dubitabis? Hæc obiectio(ait Chemnitius) *si vana est,*
agnoscant etiam Papistæ vanum esse illud eorum argumentum. Si libros sacros ex traditione Ecclesiæ
recipimus,eodem modo etiam reliquas traditiones omnes debemus recipere. Sed facile tibi responde- *Responsio facilis & firma.*
mus Chemnit,Catholicorum argumentum ideo esse firmum quia re vera(quod nec tu ne-
gas)suo testimonio Ecclesia sacros libros commendauit & hactenus fideliter conseruauit; vt Lib.9.
nos autem dicimus & in controuersia quinta superius demonstrauimus,sua authoritate & te-
stificatione nos de illis certos reddidit: ideóque quas eadem Ecclesia pro veris, & salutaribus,
& Apostolicis traditionibus agnoscit,suáque authoritate confirmat,nos quoque pari fide su- Cont. epist. fund. cap.5.
scipere debemus: ne forte(vt disputat Augustinus) *infirmata Catholicorum & maximè Ecclesiæ* *Talmudicæ*
Authoritate,iam nec Euāgelio credere potero,quia per eos illi crediderant. At verò Talmudici illius *collectionis vitia.*
C Iudæi collectio propterea non est vera,nec nostræ similis,quia bis falsum supponit. Primum
quòd libri S. scripturæ nō ex testificatione illius successionis emētitę & cōmentitię,sed ex ve- 1.
ra sacerdotum successione perpetua,in Cathedra Moysis vsque ad Apostolorum tempora, 2.
conseruati & commendati sunt. Deinde quòd post Apostolos,non iam amplius Iudęorum
reliquię vel Talmudica successio illis libris testimonium cum Authoritate coniunctum per-
hibēt; sed quamuis *baiuli & portitores etiam adhuc illorū librorum sint, seu capsarij nostri*,vt Au- Enarrat. in Psal. 40. & 56.
gustinus loquitur;tamen nunc quis liber veteris instrumenti sit Canonicus,quis apocryphus, Io præfat. in
non Iudæorum aut Rabbinorum consensus,sed Ecclesiæ,Canon iudicat & præscribit; vt de lib. Machabæorum.
libris Machabeorum qui in Canone Iudæorum non est, sed in Ecclesiæ expressè notauit S.
Hieronymus. Tertiò,falsò supponit traditiones quas prætexunt,à Moyse ad ipsos vsque fuisse 3.
propagatas: ne quidem in illa ementita successione. Qua in re carent antiquitatis & aliorum
in synagoga sua illustrium virorum testimonio, quale nos in S. Patribus nostris, aliorúmque Lib.9.
per orbem Ecclesiarum Episcopis,non in sola Petri Cathedra,testimonium habemus,vt sup. 4.
ostēsum est. Quartò,etiam si verum esset tales traditiones irrepsisse in synagogam veterem,
etiam ante Christum aliquot seculis,(quod tamen demonstrari non potest) nihil hoc Eccle-
siæ Christi præiudicaret; cuius promissiones & ampliores & certiores sunt: vt in hoc opere
sępius est explicatum. Quintò,magnum discrimen in nostra collectione est ab illa Talmudi- 5.
ca, quòd non solum synagoga Spiritu Sācto caruit, qui eam etiam extra verbum scriptum in
æternum doceret,qui Ecclesiæ promissus est;sed etiam ipsę literę Euangelicę & Apostolicę, Ioan. 16. & vlt.
traditiones aliquas præter scripta Apostolica, & ipsa Christi verba viua voce ad Apostolos

1. Thessal. 2. dicta, posteáque conscripta, nobis relinquendas, & etiam obseruandas esse, diligenter meminerunt: vt est ante à nobis ostensum. Sed hoc totum (dicit Chemnitius) nunquam concedet Iudæus ille Talmudicus, nec vnquam ei persuadebitur, vt minus suæ Talmudicæ successioni tribuat quàm nos Apostolicæ Sedis, seu Rom. Pontificum successioni; totiúsque reliquæ Ecclesiæ Christi consensui & antiquitati tribuimus. Facile sane crediderim, Chemniti, obstinato & pertinaci Iudæo nunquam hoc persuasum iri. Sed nunquid propterea verum non erit? Tam de Iudæis pertinacibus, quàm de hæreticis verum est illud Tertulliani. *Conuinci possunt, persuaderi non possunt.* Nã profectò vt falsitati nescit cedere inuicta veritas, sic nec veritati vnquã volet cedere inuicta pertinacia. Mahomenistæ quoque pertinaci persuaderi aliter non potest, quin paris sit imò maioris authoritatis Alcoranus suus, quem Gabriel Angelus (vt fingitur) suo Mahometi dictauit; quàm sit nobis scriptura nostra diuina vtriusque Testamenti. An verò propterea Chemniti, parem vtriusque veritatem audebis dicere? Nonne vides quò tuę te argumentationes præcipitem agunt? D

Replica Chemnitij. *Responsio.* *In præscript.*

Iam verò quòd Sathanæ quendam prætextum speciosum Chemnitius esse dicat, fingere præter scripturas necessarias esse Traditiones sine scripto, vt sic quia scripturam abolere non potest, ab ea tamen hoc prætextu homines auellat, quàm putida sit calumnia & mendacium speciosum; videat diligens lector, tum eo loco vbi quo prætextu solas scripturas hodie hæretici flagitent explicuimus, tum etiam quàm Sathanica fraude & olim veteres hæretici nihil extra scripturam, admittere quoque voluerint, aliquot exemplis suprà ostendimus. Nunc enim vela tandem contrahere & huic disputationi finem imponere, vel ipsa prolixitas, cui modus adhibendus est, me monet. Cauillationibus autem Chemnitij quæ aliquam saltem probabilitatem habent, quantum ad rem præsentem necessarium fuit, plenè satisfactum arbitror. Nunc ergo ad totius huius disputationis appendicem veniamus: & quum de Ecclesia atque scripturis, multum diúque hactenus disseruerimus, vtrasque iam inter se diligenter comparemus; vt vtra alteri & quo sensu præferenda sit, intelligatur. Nam & hoc quoque ad fidei Normam, & principia firmiùs tenenda, multum conducere nemo, opinor, dubitabit. E

Supra in Præfatione libri præsentis, & cap. 7.

Comparatio Sanctæ Scripturæ & Ecclesiæ (per modum appendicis) vtrius Authoritas sit maior & excellentior, instituitur: & primum quot modis illa Comparatio institui potest, ostenditur.

CAPVT XV.

Circa Comparationem S. Scripturę cum Ecclesia, odiosam sanè illam & hæreticorum hodie occasione inuectam, & à quibusdam Catholicis scriptoribus non satis dexterè tractatam, proponi quæstio & fieri comparatio potest tribus modis. Primùm an latiùs pateat Ecclesiæ Authoritas quàm scripturæ, vt etiam Ecclesiæ dicenti credendum sit, licet scriptura taceat. Quæ sanè quæstio ad amplitudinem potius quàm ad maioritatem (vt sic loquamur) aut præeminentiam Authoritatis Ecclesiasticæ pertinet. Eam in septima hac & postrema controuersia tractauimus. Alia quæstio est, an quum idẽ aliquid & scriptura & Ecclesia doceat, puta Christum esse filium Dei patri æqualem, certius tamen aut firmius hoc dogma ab Ecclesia accipiamus an à scriptura: id est, certiùs ne Ecclesiæ voci quàm scripturæ verbis circa hunc articulum acquiescamus: vel (quod eodem redit) an Ecclesiæ aliquod Decretum aut iudicium de fide, in seipso consideratum, id est, ab Ecclesia sola profectum (siue scriptum sit, siue non) maiorem Authoritatem apud animos fidelium habeat, aut habere debeat quàm sententia aliqua S. Scripturæ in seipsa quoque considerata, id est, non adiuncta Ecclesiæ voce eam scripturam vel approbantis vel exponentis. In quem fere modum hæretici hodie hanc quæstionem proponunt. Illi enim sic scripturas præponũt Ecclesiæ, vt absque eius testimonio, solas per se suáque vi & commendatione subsistere, atq; ad omnia dogmata probanda sufficere asseuerent. Tertia quæstio & comparatio est, de Ecclesia F

Tribus modis comparatur Scriptura cum Ecclesia.
1.
2.
Quo sensu heretici præponunt Scripturas Ecclesiæ.
3.

A cleſia & ſcriptura inter ſe inuicem collaris & collateraliter diuiſis, ſine reſpectu ad illa quę vel Eccleſia docet, vel ſcriptura; vtra illarum alteram præcellat: Quia ſanè & Eccleſia ſcripturas taxat, ſuáque Authoritate commendat, & viciſſim per ſcripturas Eccleſia commendatur. Hanc quæſtionem in prima controuerſia obiter tractauimus, exactiorem rei definitionẽ huic loco reſeruantes. Nam hunc ſanè in modum Catholici qui SS. ſcripturis Eccleſiam pręponendam eſſe non audent dicere, quæſtionem intelligunt: Sicuti alij Catholici qui nimiũ audacter de Eccleſiæ præcellentia ſcribunt, comparationem primo modo factam accipiunt. Neq; enim ſic ſcripturæ Eccleſia ſubiicitur, vt præter & extra illam nihil docere valeat: quod cauſam dedit Alberto Pighio dicendi, *Scripturas fidei noſtræ non præeſſe ſed ſubeſſe.* Quæ eius verba inuidioſè ab hæreticis hodie paſſim agitata, ſi de comparatione primo modo facta intelligantur, à vero abſona non ſunt. Verũ enimuerò, ita planè ſubiicitur S. Scripturæ ipſa Eccleſia, vt nihil prorſus contra aliquam S. Scripturę veritatẽ, docere, tradere, aut definire poſſit, ſed *vt omnis fidelis & pius intellectus ſcripturæ ſenſibus ſeruire debeat*, vt veriſſimè ſcripſit Aug. Quæ rurſum conſideratio alios Catholicos (quorum mox argumenta & rationes expendemus) ita permouit, vt ſcripturis Eccleſiam prorſus ſubiicerent. Nos ergo circa duas has poſteriores comparationes primũ contra hæreticos hodie certò & de fide tenemus parem eſſe S. ſcripturæ & Eccleſiæ Authoritatem, ſiue ipſas in ſe, ſiue ea quæ ab ipſis docentur, reſpicimus: quia ſanè vtraque ex Deo eſt, & ex Deo loquitur quæcunque loquitur, vt de Eccleſia in 4. Controuerſia à nobis oſtenſum eſt.

Lib. 1. cap. vlt.

Hierarch. lib. 1. cap. 2.

contra Fauſt. lib. 11. cap. 5.

Quid vtraque ſit paris authoritatis de fide tenendum.

B Deinde tam contra hæreticos quàm contrà quoſdam aliter ſentientes Catholicos; ſed ſuã ſententiam minimè pertinaciter defendentes, ideóque Catholicos, certò quoque etſi non de fide aſſerimus, in vtraque iam dicta comparatione maiorem eſſe Eccleſiæ quàm Scripturæ Authoritatem, ſiue videlicet res ſpectes quæ ab vtraque docentur, ſiue ipſas per ſe, non habito ad alia reſpectu, conſideres, ſiue etiam alteram cum altera ſeorſim conferas, ſiue earũ vim & Authoritatem quo ad nos expendas. Quod quidem vt euidenter demonſtretur, ante omnia termini factæ comparationis bene intelligendi ſunt. Duplici enim vel errore fallũtur, vel fraude fallunt hodie hęretici, in hac Scripturę & Eccleſiæ comparatione. Nam quum ſcriptura & Eccleſia complexum quid & compoſitum vtraque ſignificet, (*Scriptura* enim ſignificat *Verbum Dei ſcriptum*, Eccleſia verò, *homines à Deo ad docendum inſtitutos*, vt hoc in loco Eccleſiæ vox accipitur) illi dum quæſtionem hanc proponunt, vt ſimplicia illa non vt complexa conſiderant, idque inſigni etiam fraude & impoſtura. Nam Scripturam ſemper conſiderant vt verbum Dei, Eccleſiam verò vt homines. Itaque quum Scriptura dignitatem ſuam habeat ex ſubiecto, quia verbum Dei eſt; accidens autẽm ei ſit quòd ſit ſcriptum Dei verbũ; & quidem accidens re ſubiecta inferius & ignobilius; contrà verò Eccleſia dignitatem ſuam habeat non ex re ſubiecta, vt homines ſunt, ſed ex adiuncto miniſterio, vt miniſtri Dei ſunt, & teſtes veritatis à Deo conſtituti; hæretici hodie vt ſcripturã Eccleſiæ omnibus modis præponant; Scripturam in eo quod dignius & excellentius in ea eſt, Eccleſiam in eo quod vilius & inferius ipſius eſt, conſiderant. Quæ prima vel fraus vel ignorantia eſt. Altera fraus & iniquitas eſt, quòd quum in omni diſputatione, ac multo ſanè magis in comparatione rerum diuerſarum, termini propriè & vt ſimpliciter atque abſolutè ſignificant, non vt ſecundum quid ſignificare poſſunt, accipiendi ſint; illi contrà in præſenti collatione, vtrumque terminum ſeu comparationis membrum impropriè, & ſecundum quid accipiunt. Abſolutè enim & ſimpliciter nec ſcriptura, vt ſcriptura, verbum Dei, ſed verbum Dei ſcriptum ſonat, atque ſignificat: nec Eccleſia vt Eccleſia, homines obſolutè acceptos, ſed homines Dei & diuina Authoritate diuinitus præditos, denotat. Hac ergo larua primum amota, & terminis ipſis rite intellectis & propriè acceptis, nunc demum rectè Comparatio inſtituetur.

Duplex Proteſtantum fraus circa Scripturæ & Eccleſiæ comparationem.

Scriptura & Eccleſia quid ſimpliciter ſignificent.

Iuxta Comparationem prædictam, maiorem eſſe quo ad nos Eccleſiæ quàm Scripturæ Authoritatem oſtenditur.

CAPVT XVI.



ACRA Scriptura & Ecclesia, eo sensu quo iam dictum est acceptæ, in se D quidem vel in iis quæ ab vtraque docentur, consideratæ, nullum planè discrimen habent, sed paris & eiusdem sunt Authoritatis. Quia sanè verbū Dei & vox Dei, siue ea quæ vel in verbo scribuntur, vel à voce proferuntur, differre non possunt. Est enim Deus non solùm verax vera dicendo, sed etiam verus verè semper & non simulatè loquendo. Est autem Scriptura verbum Dei scriptum, & Ecclesia vox loquentis Dei. Par ergo erit Ecclesiæ & scripturæ siue inuicem collatarum, siue respectu eorum quæ docent, in seipsis authoritas. At verò quoad nos facta comparatione, maior est certitudo, authoritas, & infallibilitas Sanctæ Ecclesiæ quàm Sacræ Scripturæ. Istud sanè hæc vna ratio euidenter conuincit, quia scriptura quoad nos omnem suam certitudinem & infallibilitatem ab Ecclesia accipit, vt in quinta Controuersia ostensum est. Nam etsi quod de altero iudicium fert, non quidem ipso de quo iudicat, absolutè semper excellentius aut superius est, (ideóque Ecclesia non est ipso verbo Dei superior) tamen Iudicis authoritas quatenus iudicis, maior sit necesse est re iudicata, quatenus iudicata, manifestata & approbata: ideóque scriptum verbum quatenus scriptum, quatenus Canonicum, quatenus pro diuino acceptatum, inferioris authoritatis est quàm Ecclesiæ vox quæ illud ratificat. Rursum respectu eorum qui iudicio acquiescere debent, iudex re iudicata excellentior sit oportet. Exempli causa, Salomon per iudicium *reddens infantem matri suæ*, excellentiùs concurrebat per Iudicium illud regale quàm mater, non quidem ad esse filij, sed ad tale esse: id est, ad publicam, & certam notitiam matris & filij. Sic Ecclesia pronuncians scripturam esse fœtum germanum Spiritus sancti, & hoc suo Iudicio fideles omnes obligans E vt hāc Scripturā pro verbo Dei acceptent venerentúrque, excellentiùs cōcurrit ad hoc verbum Dei scriptum, quàm ipsa primæua scriptio, non quidem vt sit diuinum, sed vt pro diuino habeatur hoc quod scriptum est, respectu nostri. Præterea scriptura est vnum quid ex reuelatis à Deo per Ecclesiam, quemadmodum omnia quæ credimus. Sicuti ergo alia credibilia reuelata subiicimus testimonio Ecclesiæ, quoad acceptationem nostram, sine ipsorum iniuria; id est, per Ecclesiæ authoritatem vt eminentiorem & certiorem in fidem admittimus; sic & Scripturam ipsam eidem testimonio sine iniuria verbi Dei subiicimus. Non enim verbum Dei, sed scriptum verbum; sicuti non Christum incarnatum, sed prædicationē de Christo incarnato, ab Ecclesia accipimus, & Ecclesiæ testimonio subiicimus. Pluribus autem cōsimilibus vel illustrari vel confirmari hæc facta comparatio posset.

Comparatione facta quoad nos maior est certitudo & Authoritas Ecclesiæ quā Scriptura.

Simile. 3. Reg. 3.

Scriptura vt res reuelata à Deo per Ecclesiā testimonio Ecclesiæ subiicitur.

Sed quia has allatas rationes aliter sentiētes vellicant, & alias pro cōtraria sententia adferunt, eas primū expendemus. Scribit vir doctissimus Petrus à Soto, *Scripturā S. à S. Sancto scriptā fuisse, ideóque Ecclesiā illi subiectā esse, sicuti Paulus suæ prædicationi, quia à S. Sancto reuelatæ, subditū se fuisse scribit. Licet nos aut Angelus de cælo euāgelis et vobis, præterquā quod euāgelisauimus vobis, anathema sit.* Cui respondemus, verissimū quidē hoc totum esse; sed non minus verum de quouis articulo fidei, cui etiam Ecclesia ita subdita est, vt ab illo vel latum vnguem recedere non possit. Cæterùm Ecclesia, vt est Corpus totum ipsorum fidelium, singulósque complectitur, subdita est scripturis & cuiuis articulo fidei: tum eo modo quo dictum est, tum omnimodo atque simpliciter. Ipsi verò Ecclesiarum Magistri, quatenus Magistri, (non quatenus F personæ credētes) non subiiciuntur vel scripturis vel aliis credendis, simpliciter & omni modo: (eo nempe tantū quo dictum est:) sed aliquo modo præsunt ipsi fidei, non quidē simpliciter & in se quoad fidem ipsam, sed docendæ atque administrandæ quoad alios. Doctores videlicet sunt & Pastores, non discipuli, non oues: quatenus inquā tali officio fungūtur, in quo sensu semper hic de Ecclesia loquimur. Quatenus autē Magistri & Pastores, docēt fidem nō discunt, iudicantes quæ sit scriptura, & quid sit de fide credendum, Spiritui Sancto hoc in officio prorsus subiecti: ex cuius suggestione, non ex spiritu suo loquuntur. Ipsis autē fidei articulis aut scripturis non aliter subiiciuntur, quàm in aliis disciplinis omnibus, ipsius artis principiis & axiomatibus vtcunque à seipsis vel positis vel demonstratis, Doctores & Magistri omnes subiiciuntur: vt videlicet illis contraria docere non possint: qui non est talis subiectionis modus, vt in ratione discendi plus ipsis principiis aut axiomatibus quàm Magistris credatur: aut discipulus bonus censendus sit, qui relictis & contemptis Magistris, ipsa per se disciplinarum monimenta legere & intelligere se posse præsumat. Quanquam etiam in doctrina fidei, quæ non ratione sed Authoritate nititur, multo sit maior hæc discendi & Magistros audiendi necessitas: vt ex iis quæ libro Octauo diffusè diximus facile constare potest.

In defensione cathol cōfes. tract. 2. ca. 47. Gal. 1.

Ecclesia subiicitur aliquo modo fidei, & aliquo modo non subiicitur.

Cap. 16. & 17.

Iam

A Iam verò quòd venerab. vir Petrus à Soto addit, *Spiritum sanctum dedisse scripturas, ideóque non posse non illis subditam esse Ecclesiam*, præterquàm quòd in dicto sensu manendum est, etiam illud adiicio; similiter *Christum dedisse Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, &c.* Ideóque non posse non omnes fideles illis esse subiectos, in iis quæ sunt fidei; quorum vnum est, credere scripturis. Vt nihil hic dicam excellētiori quodam modo, à Spiritu Sancto Pastores & Doctores, aliósque Ecclesiarum Magistros datos fuisse, quàm scripturas ipsas; quod superiùs à nobis in hac postrema Controuersia explicatum est.

Ephes. 4.
Fideles subiiciūtur Ecclesiarum Magistris excellentiori modo quā Scripturis.
Suprà cap. 2.

Sed variis rationibus contra hanc nostram sententiam, nobilissimus Author Thomas Vualdensis noster pugnat. Arguit enim, *ideo scripturis subiiciendam Ecclesiam, quia ordinata est ad testificandum de scripturis, sicut finis est præstantior mediis & opus actione: maximè dicente Augustino. Quicquid propter aliud est, vilius sit necesse est quàm id propter quod est.* Quin & nostram sententiam, *talem esse* dicit, *ac si quis asserat Philippum aut mulierem Samaritanam fuisse maiorem Christo, quando ille quidem Nathaëlem, hæc verò suos Samaritanos ad credendum Christo induxit: aut denique parentes nostros carnales vel pædagogos esse eminentiores Christo, quia eorum authoritate ab infantia didicimus, quid sit de Christo credendum.* Hæc ille: vt sanè vnde nos Ecclesiæ præcellentiam demonstrare voluimus, inde Vualdensis eiusdem subiectionem conetur ostendere. Postremò sic Argumentatus est hodie quidam Anglocaluinista non indoctus. Verba cuncta Scripturæ sunt verba veritatis nec vnquam
B vel fallit, vel fallitur Scriptura. Verba quædam Ecclesiæ sunt verba erroris, quia in quibusdam potest errare, salua fidei substantia. At maior est Authoritas veracis perpetuò quàm mendacis aliquando. Ergo Scripturæ quàm Ecclesiæ maior Authoritas est.

Thomæ valdēsis argumenta.
lib. 2. cap. 21.
Doctrin fidei lib. 1. cap. 8.
de magistro.

At verò respondetur breuiter, regulam illam Augustini, in fine vltimo seu gratia cuius, veram quidem esse, non autem in finibus Mediis. Alioqui Angeli essent inferiores hominibus, *missi in ministerium propter eos*: Pastores quoque ouibus, dicente Paulo. *Siue Paulus siue Apollo, &c. omnia vestra sunt*: Denique & ipse Spiritus Dei nobis, quia *manifestatio Spiritus datur ad vtilitatem*, vtique nostram. Testificatio autem Scripturarum non est vltimus Ecclesiæ finis, sed cultus & honor Dei. Quod autem de Nathanaële, & de patribus ac pædagogis adducitur, aut etiam de Muliere Samaritana, nihil simile habet cum proposito. Illa enim media erant ad finem inducentia planè accidentaria, & probabilia tantùm, meréque humana: non autem necessaria, non infallibilia, non diuina: quale Medium esse Ecclesiæ vocem in Controuersia 4. docuimus. Sed vrget adhuc Vualdensis, quòd *quemadmodum propter verbum Ecclesiæ credimus Christo, & postea, authoritatem qua inducti sumus authoritati eius postponimus cui credimus; sic & in scripturis se rem habere. Imò & hoc ab Ecclesia decretum esse, vt omnes omnium hominum & Ecclesiarum sententiæ scripturis subiiciātur, dicente Augustino, Scripturas in sede quadam sublimiter constitutas esse, quibus seruiat omnis pius & fidelis intellectus.* Verùm ad hæc respondendo dicimus, aliud esse credere Christo propter vocem Ecclesiæ, aliud credere scripturis propter eandem. Nam Christo sic credimus ex auditu Ecclesiæ, vt pariter quoque (si verè credimus) Spiritu
C Christi cor illuminante, non tam propter vocem Ecclesiæ, quàm propter loquelam internam Spiritus eius in nobis loquentis, credamus Christo: Ipsomet videlicet per Spiritum gratiæ loquente nobis, & non per solam Samaritanam illam sponsam suam. Scripturæ verò quatenus scripturæ sunt, id est, verbum scriptum, nunquam sic internè loquuntur nobis, vt potius propter Scripturam quàm propter Ecclesiam credamus. Sed semper opus est testimonio Ecclesiæ vel aliqua reuelatione immediata extra scripturas, vt scripturis quatenus verbo scripto credamus. Quatenus enim scriptum est, ab Ecclesia prædicatur & annunciatur vel fortè diuinitus alicui reuelatur, sicuti cætera obiecta fidei materialia. Itaque etsi non sequitur in Christo, vt illo sit excellentior Ecclesia, licet per vocē Ecclesiæ Christo credidimus, (nisi fortè materialiter, siue pro obiecto fidei materiali Christum accipiendo) tamen bene hoc sequitur in scripturis, quia illæ in hac comparatione non possunt nisi materialiter accipi: nempe pro scripto verbo à nobis credendo propter testimonium Ecclesiæ, Ad id quod subinfert Vualdensis ex Augustino, *omnium Ecclesiarum & hominū libros ac sensus seruire debere Scripturæ*, respondeo vt antea, verum hoc esse primùm, ne quid Scripturę aduersum tota definiat Ecclesia; quia sanè sibi aduersari, aut ea quæ ædificauit destruere non potest: Secundò de singulis Ecclesiis (quanquam Ecclesiarum Augustinus eo loco mentionem non fecit:) &

Responsio.
Hebr. 1.
1. cor. 3.
1. Cor. 12.
Vox Ecclesiæ longè excellētior quàm mulieris Samaritanæ.
Lib. 8. per totum.
Lib. 11. cap. 5. contra Faust.
Aliter credimus Christo per Ecclesiā aliter Scripturis.
Scripturæ quatenus creduntur non possunt nisi materialiter accipi.
1.
2.

hominibus hoc verum esse, & sic Augustinum loquutum esse. Non autem hoc verum D
esse de voce & authoritate, aut de fide totius Ecclesiæ, aut Principum Ecclesiæ quate-
3. nus talium, vt modo dictum est. Tertiò, ipsas quoque Scripturas eatenus seruire fidei
torius Ecclesiæ, vt illi aduersari non debeant. Quod adeò verum est, vt & ipse Scripturarum Canon, eiúsque interpretatio certa & firma, ex Regula fidei iudicetur, & Regulæ fidei conformis esse necesseriò cogatur, vt antea est demonstratum in Controuersia quinta & sexta. Quæ sanè ratio diligenter perpensa, euidenter iterum ostendit, vel Ecclesiæ Authoritatem Scripturis esse maiorem, iuxta comparationem tertio modo factam; vel certè parem hoc nomine vtriusque authoritatem esse, quum non secus hæ illi quàm illa his seruiat.

Scripturis seruit fides Ecclesiæ. Lib. 9. & 10.

Ad postremum Anglocaluinistæ argumentum breuiter respondeo, nulla verba Ecclesiæ esse verba erroribus, id est, ab Ecclesia in suis Episcopis & Pastoribus vnanimiter docentibus; in conciliorum maximè generalium decretis in S. Patrum consentiente doctrina; in suo capite Apostolico aliquid publicè definiente & tradente; ac postremò in Regula fidei quam vniuersa tenet, nihil vnquam erroneum vel definiri, vel doceri, vel approbari: vtrumque vel aliqui seorsim Episcopi, priuatim in docendo errare, vel vnus aliquis aut etiam plures ex S. Patribus aliquid minus verum scribere, aut aliquo errore teneri; vel in ipsis Conciliis extra decretum ipsum aliquid minus commodè dici aut disputari; vel denique Petri successor priuatim in aliquo cæcutire possit. Quòd certè non ipsi Ecclesiæ, sed hominum infirmitati tribuendum est. De quibus singulis E
latiùs in hoc opere disputauimus; planúmque fecimus Ecclesiæ doctrinam, in sensu explicato, prorsus esse infallibilem, non secus quàm est Scriptura. Ad quæ loca studiosum lectorem remittimus.

Lib. 3. cap. 6. Lib. 5. cap. 5. Lib. 6. cap. 1. Lib. 7. cap 2. & seq. item cap. 8. & seq. item cap. 12. Lib. 8. cap. 12. 14. & 11.

Similibus nonnullis factæ comparationis veritas ostenditur.

CAPVT. XVII.

1. Ed vt facta comparatio clariùs intelligatur, nostræque sententiæ ratio illustretur magis, similibus nonnullis rem explicabimus. Primùm ergo, sic se habet Ecclesia ad Scripturas, sicut testis ad suum testimonium. Testis autem ad testificandum legitimè vocatus, & necessariò ad fidem faciendam concurrens, est ea re quam testatur excellentior, quatenus sub testimonium cadit, aut in notitiam venit; sicut causa agens est suo effectu potior quatenus tali. Neque verò obstat, quòd Eccle- F
sia ministerialis tantùm quasique instrumentalis (non formalis) causa est huius effectus, credendi scilicet scripturis, quod antea contra quosdam aliter sentientes, etiam nos astruimus. Non enim tale est instrumentum, quod agat ex forma propria, licet motum ab artifice, sicuti artificialia instrumēta; quæ propterea viliora sunt effectibus suis: sed est instrumentum agens ex forma principalis agentis Dei, ideóque testis est diuina & infallibilis, non humana; aut vel probabilis vel coniecturalis tantùm. Præterea sic testificatur Ecclesia de Scriptura, vt habeat ad hoc munus inhabitantem in se Spiritum Dei; quo sanè non solùm mouetur instantaneè ad huiusmodi actum, sicuti alia instrumenta & ipsa sacramenta; sed etiam formaliter imbuitur Spiritu Dei, vt sic imbuta & Spiritu veritatis edocta, testificetur de Scripturis: sicut de quouis alio obiecto fidei. Obiecta autem fidei materialiter sumpta, non habent in se Spiritum Dei inhabitantem & agentem, ne Scriptura quidem ipsa, quod contra Protestantes alibi demōstrauimus. Ecclesia ergo cum Scriptura inuicem collata, in hoc est illa excellentior; quòd hæc testis est, illa testimonium. Similiter ea quæ Ecclesia docet absque Scriptura, certiora sunt iis quæ scriptura docet absque Ecclesia; quia hic testimonium quidem auditur, sed forrasse ab impostore aliquo prolatum (vt dæmone vel hæretico) aut ab ignorante verborum sonum malè explicatum. Ibi verò testis ipse loquitur, qui à Spiritu veritatis in omnem veritatem inductus, nec falli potest nec fallere; qui etiam viua voce docens, mentem suam clariùs explicat, & certiùs.

Ecclesia est testis, Scriptura testimonium.

Lib. 8. cap. 10. & seq.

Ecclesia est instrumentū agēs ex virtute principalis agentis excellentius quā sacramenta.

Lib. 11. cap. 2.

Certior est vox testificantis Ecclesiæ quàm testimony quod est Scriptura.

Rursum

A Rursum Ecclesia se habet ad Scripturam, vt legislator ad legem. Scriptura enim quasi lex quædam, relicta est nobis per modum Regulæ & Mensuræ, (licet non vnicæ aut sufficientissimæ, vt modò ostensum est) eorum quæ credenda & facienda sunt. Regula autem seu mensura non aliter obligat aut imponitur, quam ex eo quod applicatur his quæ regulantur & mensurantur. Applicatur verò, quum per promulgationem legitimam in certam notitiam deducitur. Hanc promulgationem Ecclesia facit, quoad nos, vt in quinta Controuersia ostensum est. Quanuis ergo Ecclesia non sit propriè author Scripturæ, sed ipse Spiritus Dei author est, & Ecclesia testis; tamen, quia promulgat ipsas Scripturas, quasique applicat nobis hanc regulam, propterea sicut Moyses legislator dicitur, licet promulgator tantùm fuerit non Author, sic & Ecclesia Christi præco nouæ legis est, *eiusque præconium* (vt ipsemet Thomas Vvaldensis scripsit) *legislatio est Scripturæ Canonicæ*. Legislatoris enim est, non solùm leges ferre, sed etiam à senatu vel populo latas edicere & promulgare. Est autem legislator sua lege excellentior, & quatenus fertur (licet nō semper quatenus in se est) & respectu eorum quibus fertur.

2. *Ecclesia se habet ad Scripturam vt legislator ad legem.*

Lib.2.cap.21. Doctun.fidei

Deinde Ecclesia se habet ad Scripturas, sicut artifex ad Regulam quam & ipse ex arte sua fecit, & iam factam in omnibus sequitur. Et quemadmodum non est propterea inferior sua regula artifex, quia iuxta regulam in singulis operatur, eò quòd & ipsam Regulam ipse efformauerit, ita non est propterea ipsis scriptis inferior Ecclesia, quia iuxta Scripturas in singulis docet; eò quòd & ipsas scripturas Ecclesia tum scripserit, B tum scriptas approbauerit. Neque enim in hac comparatione obstat, quòd artifex sua propria vi & arte Regulam formarit, Ecclesia autem nō suo vel ingenio vel arbitrio, sed ductu Spiritus Sancti ipsas Scripturas vel scripserit vel approbauerit; quia Ecclesia cōsiderata vt sic, non homines simpliciter, sed homines diuina & authoritate præditos, & assistentia fultos significat. vt propterea quemadmodum in scripturis, vt in Regula efformata, sic in Ecclesia vt in artifice efformante, idem Spiritus loquatur. Est autē agens artifex excellentior suo opere, vt exemplar exemplo, & architectus ædificio, & pictor sua tabula, quatenus sanè hæc singula opera cum suis Authoribus comparantur.

3. *Ecclesia se habet ad Scripturas sicut artifex ad Regulam.*

Obiectionis Remotio.

Postremo Scriptura est sanctuarium ipsum & Arca diuinæ veritatis: Ecclesia est huius sanctuarij conseruatrix, & arcæ custos atque dispensatrix fidelissima. Scriptura ergo quum sit regula quidem verorū, testimonium veritatis, lex ipsa lata, illustris diuinarum rerum tabula, arca & penuarium diues rerum sacrarum; Ecclesia verò sit huius regulæ & aliorum omnium verorum artifex & dispensatrix, huius testimonij testis, huius legis promulgatrix, huius tabulæ pictor & delineatrix, huius arcæ & penuarij custos & conseruatrix; quicquid sanè alterutra de fide docet, diuinum erit & paris authoritatis. Ipsæ tamen inter se collatæ, eam differentiam præ se ferunt, vt tam in se quàm maximè quoad nos & acceptationem nostram, Ecclesia Dei Spiritu Sancto formaliter imbuta & animata, sit ipsis Scripturis quatenus verbum scriptum connotant, excellentior, maiorisque & certioris Authoritatis.

Scriptura est sanctuariū, & arca: Ecclesia est custos & dispensatrix.

Hac sanè de causa, monemur quidem *scrutari* Scripturas, sed iubemur *audire Ecclesiam*. Et dicit Christus Scripturas veteres *testimonium perhibere de ipso*, sed multo frequentius, clarius, & euidentius, posuit Ecclesiam *testes veritatis per omnem terram*. Et de verbo quidem Dei magnificè multa legimus, sed verbum illud non quatenus scriptum, sed quatenus euangelizatum à Christo, & prædicatum ab Apostolis fuit, tantopere commendabatur. Sed Ecclesiæ Pastores sic commendauit Christus, vt *tanquam seipsum audiendos moneat*, vt *Spiritum Sanctum in illis perpetuò residentem promittat*, vt se cum illis *omnibus diebus futurum* affirmet. Rursum de Scripturis in Symbolo fidei nulla fit mentio. Sed Ecclesiam Sanctam Catholicam disertè in illo profitemur. Denique *fides ex auditu per verbum Christi prædicatū*, ab Apostolo esse asseritur. Per lectionem Scripturarū nusquam esse affirmatur. Ecclesia, *Corpus & plenitudo Christi*, quia quicquid Christi est, & nobis communicabile in Ecclesia plenissimè continetur. Hoc Scripturis nusquam tribuitur. Non quòd aliud sit Scriptura quàm totius veritatis arca plenissima & Sanctuarium sacratissimum; sed quòd nobis viua docentis Ecclesiæ vox, & literam Scriptam interpretantis magisterium, quanto magis res est necessaria, tantò clarius & manifestiùs commendatur; vt illam potius quæ nec falli potest nec fallere, respiciamus & diligēter consulamus & diligenter consulamus, quàm Scripturam, per quam nos fallunt hæretici, omnésq; hactenus falsi & seducti fuerūt. Hac sanè de causa *in Ecclesia nos fundari* scripsit

C Ioan.5. Matth.18. Ioan.5. Act.1. Gal.1. 1.Petr.2. Luc.10. Ioan.17. Matth.28. Rom.10. Ephes.1. 1.Timot.3.

In lib. ad Serapionem de Spiritu S.
Epist. 28. & 89.
Serm. 14. de verb. Apost.
Epist. 56.
Epist. 105.

D

Athanasius. Ecclesiæ *morem fundatissimum, & fidem fundatissimam* denique & *Consuetudinem fundatissimam*, postremò *authoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ* vocat Augustinus. Rursum de Pelagianis sic scribit. *Hoc solum de paruulis dicam, quod ipsi quoque Authoritate Euangelica territi, vel potius Christianorum populorum concordissima fidei cõspiratione perfracti, sine vlla excusatione concedunt, quòd nullus paruulus, nisi renatus ex aqua & Spiritu Sancto, intrat in regnum cælorum.* Hæc ille. In cuius verbis illud sanè animaduerto, hæreticos scriptura quidem Euangelica territos, sed praxi & Traditione Ecclesiastica perfractos, idque potius & magis, Augustini iudicio, fuisse. Ita enim sanè se res habet, vt quia immediatè Ecclesiam ipsam audire nos voluit Deus; quia per Ecclesiæ ministerium Christi nomen accipere fidem addiscere, sacramenta percipere ordinauit; quia viua vox & iudicis loquentis Authoritas magis afficit, mouet, perurget, quàm quicquid illud est per quod loquitur, docet, discernit; eapropter Ecclesiæ Authoritate & Matris voce, filij Ecclesiæ magis moueantur, quàm vel Scripturarum ipsarum testimoniis, vel Traditionum veterum præscriptis, vel conciliorum decretis, vel quocunque tandem medio & testimonio, quo ipsa Ecclesia inter docendum vtitur. Quare nec absurdum nec diuinis Scripturis contumeliosum videri debet, si propter causas prædictas, maioris sanè Authoritatis quoad nos & acceptationem nostram Ecclesiæ loquentis, docentis & attestantis vox sit, quàm est ipsum verbum, doctrina, & testimonium scriptum. Quibus ita constitutis & confirmatis huic Controuersiæ adeóque toti huic operi vltimam nunc tandem manum imponemus, si pauca prius Lectorem Christianum admonere, & de huiusce disputationis vsu fructúque quædam suggere potuero. E

Principiorum fidei doctrinalium Controuersia septima, & Libri duodecimi finis.

Conclusio

CONCLVSIO TOTIVS *OPERIS ET ADMONITIO AD Lectorem, de vſu, fructúque eiuſdem ampliſſimo atque vberrimo.*

ACTENVS (Chriſtiane Lector) quanta potui breuitate propoſitam diſputationem confeci; & inſtitutam de Principiis fidei doctrinalibus demonſtrationem methodicam, qua potui via & ratione digeſsi,
B atque ad vmbilicum tandem fauente Deo perduxi. Nunc autem quia inter diſceptandum multa animo occurrebant, de huius diſputationis vſu ampliſsimo fructúque vberrimo, de quibus admoneri Lector potuit, prætermitti tamen propter docendi atque dictandi inſtitutam breuitatem neceſſariò oportebant, ea hoc loco quantum recolere valeo, breuiter colligam, tuóque lector Chriſtiane, iudicio ſeriò & diligenter expendenda relinquam. Equidem neminem arbitror hodie Chriſtianũ eſſe, qui aliqua ſaltem vel honoris diuini, vel ſalutis ſuæ cura tangatur, qui tot iſtis & tam variis, tantis & tam grauibus de Religione Controuerſiis, finem tandem aliquem imponi, ſuámque Eccleſiæ Dei pacem ac ſerenitatem reſtitui, qua ante has turbas exortas, chriſtianus orbis gaudebat, toto animo non exoptet. Aut ſi illud certè obtineri non poteſt propter incredibilem planéque inuictam animorum iam quàm maximè exulceratorum pertinaciam, propter veræ Eccleſiæ odium obſtinatiſsimum propter noua opinionum placita altiſsimè animis impreſſa: tamen, vt habeat
C ſaltem vnuſquiſque fidelis, qui ſe tutum ab hæreſi in hac tanta tempeſtate conſeruare expetit, quo ſeipſum ab hæreticorum hodie nequitia & aſtutia, quibus circumueniunt in errorem, facili aliquo & breui cõpendio aſſerat atque defendat, quo etiam Orthodoxæ ſuæ fidei quam tenet, firmum aliquod & ſolidum munimentum quaſique propugnaculum occupet atque poſsideat, vnde illum nulla aduerſarij fraus, vis nulla exturbare queat. Quod etiam huiuſmodi ſit, vt non contra vnam aliquam aut alteram controuerſiam, ſed contra omnes planè hodie quotquot ſunt controuerſias & altercationes de fide eum ſufficienter muniat, fortiſsimè armet, ſtrenuéque defendat. Tale ſanè hoc Opus, talem hunc laborem noſtrum eſſe voluimus: hunc ipſum eius vſum & fructum eſſe deſiderauimus, animóque ab initio propoſuimus.

Etenim ſanè (quod ad prius attinet) vt finis tandem controuertendi

& altercandi de religione inueniatur, id opinor nobis necessariò faciendum est, quod in omnibus aliis litibus & controuersiis componendis vsus ipse & rerum necessitas nos docuit. Nempe vbi magna vtrinque argumenta, probabiles coniecturæ ab vtraque partium afferũtur, ídque tanta probabilitate, vt difficillimum sit collatis hinc inde rationibus, aut librato argumentorum pondere, vel ipsam veritatem dilucidè inuenire, vel certè ea inuenta, partes tamen litigantes ad consensum & concordiam pertrahere, docet nos ipsa ratio & vsus rerum necesse esse, vt Norma aliqua & regula certa exquiratur, iuxta quam lis ipsa formetur, & formata componatur: & cui Normæ atque regulæ vtraque pars stare & acquiescere cogatur. Ea enim semel inuenta, profectò quam litis partem hæc Norma & regula confirmabit, illa haud dubiè præualebit; cadet autem causa quæ huic Normæ & regulæ contraria est. Et in humanis quidem litibus componendis, sunt leges scriptæ seu ciuiles seu municipales, sunt locorum & regionum consuetudines, priuilegia, pacta, sunt testimonia & iuramenta: sunt deniq; illis deficientibus, etiam Arbitrij voluntarij ab vtraq; partiũ electi, vt omnes ferè Controuersię altero tandẽ horũ tanquã Norma & regula seu ordinaria, seu extraordinaria componãtur. Quid verò? An putamus in sola causa Religionis & fidei nullam esse Normam, nullam certam regulam, ad quam omnis de fide Controuersia collata componatur? An in Ecclesia Christi, in Ciuitate Dei, non aliter se rem habere existimamus, quàm in scholis Philosophorum, in Ciuitate Babylonica olim se res habuit? Philosophorum quidem certè & omnium gentium sapientum sectę, opiniones, dissensiones toto orbe notissimæ extiterunt, nec vnquam ad vnam aliquam doctrinæ formam reduci potuerunt: sed illis tandem vnâ cũ idolis penitus toto orbe vastatis atque destructis, sola Christi religio vnitatem tenuit, & ad vnum Deum per vnam fidem atque doctrinam simplicem perduxit. Itaque S. August. quum varias Philosophorum sectas, & opiniones commemorasset, confusionem sententiarum quæ inter eos componi nunquam potuit, his verbis commemorat. *Has, inquit, & alias penè innumerabiles dissensiones Philosophorum, quis vnquam populus, quis Senatus, quæ potestas vel dignitas publica impiæ Ciuitatis diiudicandas, & alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiãdásque curauit? ac non passim sine vllo iudicio confuséque habuit in gremio suo tot Controuersias hominum dissidentium, non de agris & domibus vel quacunque pecuniaria ratione, sed de his rebus, quibus aut miserè viuitur aut beatè? Vbi etsi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falsa prorsus, vt non frustra talis Ciuitas, mysticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon interpretatur, Confusio. Nec interest Diaboli regis eius, quàm contrariis inter se rixentur erroribus, quos meritò multæ variæque impietatis pariter possidet. At verò gens illa, ille populus, illa Ciuitas, illa Respublica, illi Israëlitæ quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt: sed concordes inter se atque in nullo dissentientes, sacrarum literarum veraces ab eis agnoscebantur & tenebantur Authores.* Hæc ille, luculentum hoc discrimen Ciuitatis Dei in veteri populo olim constitutæ, & Ciuitatis Diaboli egregiè describens, quòd isthic quidem nulla obseruata Norma, nulla

Ad lites componendas Norma aliqua quærenda.

Mundana sapientia nullam habet certam doctrinæ Normam.

De ciuit. Dei. Lib. 18. cap. 41.

D

E

F

A nulla diiudicandi Regula, tam falsa quàm vera licenter assererentur, docerentur, defenderentur: illic verò contrà sola sana doctrina & vera obtineret. In Ecclesia verò noui populi adhuc perfectiùs hæc vnitas veræ doctrinæ conseruata est: vt in libro de vera Religione accuratè docet Augustinus. *Hæreses*, inquit, *innumerabiles à Regula Christianitatis auersæ testes sunt, non admitti ad communicanda sacramenta eos qui de Patre Deo, & sapientia eius: & Munere diuino aliter sentiunt quàm veritas postulat. Sic enim creditur, & docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse Philosophiam & aliam religionem, cùm ij quorum doctrinam non approbamus, nec sacramenta nobiscum communicant.* Hæc ille. Non ergo illa in religione christiana, qualis in gẽtium sapientia, opinionum & sententiarum confusio tolerari aut persistere posse, vllo modo existimari debet. Vnde sequitur vt vel maximè in causa Religionis quæ vna esse debet, vna etiam aliqua certa Norma & Regula necessariò teneatur, per quam dissidia cõtrouersiarum componi, & vnitas fidei retineri, firmissimè valeat. Hanc Normam & Regulam nos in hoc

In Ecclesia Dei est certa Regula veritatis. cap. 5.

B opere omnibus modis tradere, explicare, confirmare ac denique demonstrare conati sumus. Protestantes enim sanè ad vnum omnes hanc vnicam solam & sufficientissimam Normam & Regulam volunt esse Sacras Scripturas: vt omnis Controuersia & quæstio secundum eius manifestam doctrinam componatur: Quæ autem assertio vel doctrina ex Scripturis manifestari non potest, prorsus reiiciatur, tanquam palea scilicet, tanquam mandata & commenta hominum, tanquam plantatio quam non plantauit Pater cælestis, imò si Lutherum audimus more suo debachantem, tanquam quæ ex Diabolo sit. *Quicquid enim* (inquit) *ex Scripturis Authoritatem non habet, manifestissimum est ex Diabolo esse.* Quo ille egregio enthymemate, mox cõcludit Papam Antichristum esse, hunc in modum. Quicquid per Scripturas Authoritatem non habet, ex Diabolo est, Papa per Scripturas Authoritatem non habet, ex Diabolo ergo est, non ex Deo. Quòd si non ex Deo, Antichristus est. At verò hæ & similes consequentiæ quàm sint ipsæ diabolicæ, vanę & ridiculæ, in duo-

Protestantium Norma.

In lib. de Abroganda missa.

C decimo huius operis libro satis demonstratum dedimus. Aut si parum id Protestantibus demonstratum videatur, euertant quæ nos construximus Orthodoxæ sententiæ fundamenta, suáque restaurent denuò quæ nos euertimus. Alioqui certè hæc conficta vnica & sola Norma, quæ sub prætextu & fuco laudatæ Scripturæ Sanctæ, derogat Ecclesiæ quę est *plenitudo Christi*, coarguit Apostolos Missos à Christo, blasphemat Spiritum sanctum datum à Christo, (vt ante explicuimus) vana esse & falsa manifestissimè deprehendetur.

Ephes. 1.

Lib. 12. cap. 9.

Sed intelligendum prętereà est, ipsos Protestantes vtcunque hanc vnicam Normam verbi scripti prętendant, tamen quoties vel contra nos disputant, vel inter se concertant, pręter scriptum verbum ad Normæ quoque & Regulę partes accedere velle suorum recentia scripta, tractatus & commentarios: Alij enim ad Normam veritatis hodie Controuersæ pertinere volunt Lutheri opera omnia, eáque sola (vt Saxonici Lutherani) alij nec omnia Lutheri, nisi de quibus certò constat eius

Fraus Protestantium in Norma constituenda.

esse, miniméque corrupta, nec sola, sed præterea Melanchthonis corpus doctrinæ adiungi volunt: vt Electorales Lutherani: Qua de re nuper maximis animis concertatum fuit in Altemburgẽsi colloquio inter hæc duo Ministrorum genera. Alij denique reiectis his omnibus, Ioannis Caluini Institutiones huc referri volunt: quas propterea in linguam Anglicam versas, Pseudoepiscopi Caluinistæ in omnibus omnium parochiarum Ecclesiis affixas & alligatas ad manum præsto esse curarunt; & Ministris omnibus vt singuli eas habeant diligentérque lectitent, mandarunt. Non ergo solùm magna impietas & nequitia fuit, sub prætextu verbi scripti Spiritum Sanctum Ecclesiam vniuersam, traditionésque Apostolicas à Norma veritatis excludere, sed maior etiam fraus & astutia fuit, exclusa voce Ecclesiæ, veteribus Conciliis & Patribus reiectis, suas pestilẽtes scriptiones, & venenata innunerísque mẽdaciis, blasphemiis, paralogismis, hæresibus referta Opuscula, orbi Christiano supponere & obtrudere. Ostensum est igitur in hoc opere nec solas quidem Scripturas vnicam & sufficientissimam totius veritatis Orthodoxæ Normam esse, nec tamen quorumcunque hominum priuata scripta aut propria aliqua iudicia ad hanc Normam pertinere; sed Normam quoque & Regulam veritatis esse, Ecclesiæ Catholicæ Spiritu Sancto ad hunc finem imbutæ, edoctæ, animatæ vocem, testimonium, iudicium; in suis videlicet Præpositis, Pastoribus & Doctoribus Authoritate diuina vocatis, & ad hoc opus ministerij constitutis in suis Conciliis, in patribus, in Petro denique suo Capitéque Apostolico. E

Norma & Regula veritatis plena quæ sit.

Quid ergo aliud restat, nisi vt in singulis Controuersiis hanc Normam consulamus, hanc Regulam rei quæsitæ applicemus, hanc vocem, hoc iudicium audiamus? Quid per multa imus, quid ambages quærimus, quid *in tantas ingeniorum contentiones in hac causa quam populus tenet nostram disputationem committimus?* Scio propriis argumentis vnamquanque Controuersiam & expendendã esse, & expendi non difficulter posse. Non abnuo *rem cum re, causam cum causa, rationem cũ ratione conferre*, vt August. rectè postulat. Sed hæc ipsa collatio causarum, rationum, argumentorum, hæc disputatio ex propriis, nec proprio iudicio, nec propriis argumẽtis aut coniecturis fieri debet. Collatio debet Catholica esse & disputatio Orthodoxa, denique ad aliquam certam disputandi & conferendi Normam reduci. Argumenta debent ex Scripturis peti, vel certè ex doctrina non scripta, sed Ecclesiastica tamen Authoritate, certa & infallibili, tradita. Quod si vel hanc reiicias, vel illam non rectè tractes & exponas, vides tuam collationem idcircò cadere, quòd conferendi Normam non tenuisti. Accedat ergo ad conferendi modum ac medium, tum ipsa doctrina non scripta, tum ipsius Scripturæ legitima, certa, & genuina interpretatio. Hæc vnde sit petenda, in hoc Opere duobus libris ostendimus. Rursum ne in ipsa doctrina tradita non scripta, vagetur collatio, aut erret disputatio, ipsius Normæ fines ac limites egressa; diligenter explicatum habes, quatenus & quomodo Patrum consentientes sententias, adhibere fideliter debeas ac tutò possis: quæ etiam sint reliqua Ecclesiasticæ doctrinæ Media, quousq; denique F

De vnitat. Eccles. cap. 5.

De vtili. cred cap. 1.

Norma fines ac limites.

Lib 7. cap. 13. & lib. 8. ca. 15.

D

A denique infallibilis & quomodo Ecclesiæ docenti vox & testimonium diuinum fit. Cum hac ergo Moderatione, adhibita diligenter Norma, nec in hæresum laqueos, ab illa penitus aberrando: nec in superstitionum voragines, illam incautè amplexando: aliquando incides.

Vaga autem illa & laxa, imò confusa & Babylonica Protestátum hodie collatio ac disputatio, quàm sit verè Satanica & omnium hæresum peregregium seminarium, paulisper aduerte. Primùm solas Scripturas tractare se dicunt, & ad rem controuersam explorandam adhibere. Sed vide quid prius fiat. Accedunt ad scripturarum tractationem cum altissimo quodam & maximo totius ecclesiasticæ interpretationis contemptu atque despectu. Accedunt cum arrogantissimo priuati sui Spiritus præiudicio. Accedunt (etiam qui inter eos doctiores & primi sunt) humanis tantùm accincti armis, & ornati præsidiis: cum linguarum videlicet & humanarum literarum, atque eloquentiæ vel opinione vel laude, vel præsumpta vel vera cognitione. Accedunt denique nouis imbuti hæresibus

Vaga & laxa Protestantium disputatio & Norma.

Quomodo instructi ad Scripturas accedũt protestantes.

B & opinionibus. Accedunt postremò odio quodam flagrantissimo & plus quàm Vatiniano erga vniuersæ religionis Catholicæ doctrinam, ritus, ceremonias, maximéque contra ipsos Ecclesiæ Pastores, accensi quasique æstro quodam & furore perciti.

Sic accessit ad hoc negotium primò Lutherus. *Omnes*, inquit, *Christiani ius habent & officium docendi, vt rumpatur Behemoth cum omnibus squamis suis.* Sic videlicet homo pia charitate plenus & in simplicitate cordis Christum quærens, de Supremo Ecclesiæ Pastore, aliísque Episcopis & præsbyteris loquitur. De quibus iterum in eodem libro dicit: (illud enim Argumentum de abroganda Missa, homo ille Dei, singulari quadam pietate & in Spiritu humilitatis tractauit) *Episcopi moderni sunt laruæ oleatæ, nullo iure diuino instituti.* Ac rursùm in lib. de captiuit. Babylonica. *Præstat publicum lenonem aut latronem esse quàm sacerdotem Papisticum.* Ita hic homo (vt rectissimè notauit Erasmus in purgatione quam scripsit aduersus Epistolam Lutheri) *nihil crepat nisi Satanas, Diabolos, laruas, lamias, megaras,*

In libro de abrog. Missa.

Lutheri pietas.

C *aliásque voces plusquam tragicas.* Denique ne multa referam, insigniter gloriatur nouus hic nostræ ætatis (vt sui eum vocant) Elias aut Moyses qui ex captiuitate Ægyptiaca fratres suos liberaret, *homo mitissimus omnium super terram* (vt Scriptura de Moyse testatur) gloriatur inquam non de mansuetudine sua, sed quòd *Spiritum nactus esset insignem contemptorem tam fraudis quàm furoris.* Hæc enim eius verba sunt in principio libri contra Henricum 8. Angliæ Regem. Denique in eodem libro dicit, *magna se pœnitentia duci, quod Imperatori Carolo in Comitiis Wormatiensibus tantopere se submiserit; quòd mortalem aliquem de sua doctrina iudicare permiserit: aut denique audire passus fuerit, si quis eum erroris conuincere potuerit. Stultam enim illam omnem humilitatem fuisse, quum certò certiùs haberet, se sua dogmata accepisse de cælo.* Hæc ille. Sic videlicet Episcoporum omnium & Conciliorum doctrina, etiam à quouis examinanda est: vnius Lutheri doctrinam nemini mortalium examinare licet. Sic ad has Controuersias tractandas, sic ad Scripturas accessit Lutherus: sic post

Lutherus alter Moyses, sed non mansuetudine.

A ſtruximus huius vnius ſupremi Capitis. Reſpondeant, ſed meliùs quàm hactenus,(nam cauillationibus iam factis replicatum & ſatisfactum eſt) illuſtribus illis dictis & factis Christi Domini noſtri, quibus Petri primatum per tot gradus, tam diſtinctè, tam luculenter, in Euangelio promiſſo nouo Nomine prædixit, impoſito nouo Nomine ſignificauit, explicata vi nominis repromiſit, ſtabilimento dato roborauit, de facto tandem conſtituit, contulit, confirmauit.

• Poſtremò vt de Norma fidei & veritatis Regula infallibili, nullus amplius relinqueretur ambigendi locus, longa & accurata diſputatione, quæ, & qualis, vbi & penes quos hodie ſit vera Dei Eccleſia, oſtendimus. Et quidem in hac recenti, vaga, confuſa, turbulenta & ſeditioſa Proteſtantum turba, nullo modo, eam eſſe poſſe multis argumentis demonſtrauimus. Vnde ſequitur hæreticos illos vel ſchiſmaticos, ſeductores vel ſeductos, erraticas oues vel hœdos potiùs, quaſique *Ethnicos & Publicanos* eſſe, quotquot hodie Proteſtantum conuenticulis ſeſe iunxerunt, doctrinam

Lib.4.cap.7. vſque ad 17.
Vera Proteſtantium deſcriptio & conditio.
Match. 18.

B amplexi ſunt, nomen retinent. Hinc etiam conſequens fit, vt quia ad gregem Dominicum, ad Ouile Christi, ad domum Dei, ad corpus Christi non pertinent, quia *non ciues & domeſtici ſed hoſpites & aduenæ*, non filij ſed adulteri, non amici ſponſi ſed hoſtes ſunt, quia denique *ſuo iudicio condemnati, ſeipſos ſegregauerunt, Spiritum Dei non habentes*, propterea quemadmodum ſacramenta Catholicæ Matris participandi ius totum, & communionis Catholicæ vnitatem amiſerunt, ita nec Scripturas tractandi, nec ex Scripturis de dogmate vllo diſputandi, multò minùs de cauſa religionis ac fidei vllo modo definiendi ius, Poteſtatem, Authoritatem, donum, gratiam, facultatem vllam eos amplius retinere, ſed ab hoc toto genere, non ſecus quàm manifeſtè Iudæos, Turcas, Paganos, iure optimo repellendos eſſe, & de facto à Spiritu ſancto, qui non niſi in Corpore Christi, in Eccleſia operatur, ſuáque munera ſubminiſtrat, repelli. Denique ex hoc etiam conſequitur, quòd quia Spiritu ſancto prorſus carent, & ſubminiſtratione Spiritus, (quæ non fit niſi *à Capite Christo in totum Corpus com-*

Ephes.3.
Tit.3.
Iudæ cap. vnico.
Proteſtantes per Spiritum S. à Scripturarum tractatione repelluntur.
Ephes.4.
Rom.4.

C *pactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis,*) planè vacui ſunt, ideóque Christiani non ſunt (vtcunque hoc nomen, vt cum maiori aſtutia circumueniant in errorem, retinent) *qui enim Spiritum Christi non habet, hic non eſt eius*, conſequitur inquam non ſolùm in doctrina tota eos nihil de Christo ſcire, quemadmodum ſcire oportet, ſed *lãguere circa pugnas verborum, & habere oppoſitionem falſi nominis ſcientiæ, ſemper quidem diſcentes, nunquam autem ad ſcientiam veritatis peruenientes*, verùm etiam in tota reliqua vita, quicquid zelo quocunque vel docent vel faciunt, quicquid verbo vel opere laborant, quicquid vel in veteris hominis mortificatione vel in externa operum ſanctificatione, vt Deo placeant, contendunt, vana eſſe omnia & inania, ſteriléſque virtutes, ſi tamen virtutes, quales olim Philoſophorum aut quorumcunque Ethnicorum opera laudabilia fuerunt, quæ quidem gloriam & commendationem apud homines fortaſſe habeant, laudem & gloriam apud Deum non habent, ſed *formam quidem pietatis retineant, virtutem autem eius abnegent*, quia fide deſtituta, quæ non

Proteſtantium ſcientia de Christo nulla.
1.Tim.6.
2.Timoth.3.
Proteſtantium virtutes nulla niſi ſteriles.
2.Tim.3.
Hebr.5.

nisi in Ecclesia vna & vera addiscitur, fouetur, conseruatur, perficitur, D *Deo placere non possunt*: vtcunque speciali sua fide & fiducia, per meritorũ & promissionum Christi appræhensionem, salutem sibi ipsis, etiam certitudine fidei promittant atque persuadeant. Hæc enim eorum sanè vera conditio est, qui hodie soli, sibi solis singuli, Spiritum Dei venditant, Spiritum Christi inhabitantem sibi ipsis præsumunt, quo freti de toto mundo, vt loquuntur, de Papa, de Ecclesia, de Scripturis, de quocunq; dogmate infallibiliter diiudicant. De istis enim vel maximè verùm est, quod de omnibus hæreticis scripsit Augustinus. *Extra Ecclesiæ vnitatem quicquid operantur, quamuis magna solertia & diligentia fieri videatur tamen illis nihil prodest aduersus iram Dei.* Hæc ille, contra Parmenianum lib. 1. cap. 3. Et quod rursum alio loco scribit. Qui membra Christi toto orbe diffusa in Euangelio non agnoscunt cum membris Christi in iudicio non computantur. Hæc ille lib. 2. cap. 55. contr. Petilianum. Quòd si verò hæc tot & tanta consequentia, tam tristia, tam horrenda, falsa illis esse videntur, & vana terriculamenta, refellant & euertant ea argumenta quibus eos extra Ec- E clesiam esse demonstrauimus. Respondeant illis omnibus scripturis, patrũ consentientibus sententiis, rationibus Theologicis, talem nobis Ecclesiam describentibus, ad qualem sanè (si illa vera sunt) isti pertinere nullo modo possunt.

Lib. 4 cap. 18. vsque ad finé libri.

Iam verò & in eadem disputatione non minus copiosè & accuratè ostẽdimus, solam Romanam & Catholicam vulgò dictam Ecclesiam, veram esse & vnicam in terris militantem Christi Ecclesiam: qualem sanè futuram Lex, Psalmi, Prophetæ prædixerunt, qualem Christus in Euangelio descripsit, qualis post Christum in orbe terrarum hactenus fuit. Istud verò quantum arbitraris ad Normæ & Regulæ totiúsque veritatis inueniendæ compendium, momenti & ponderis afferre? Si enim Ecclesia *sponsa Christi* est arctissimo illi fœdere coniuncta, si *Corpus Christi*, si *plenitudo Christi*, si *domus Dei*, si *columna & firmamentum veritatis*, si hanc suis omnibus bonis dotauit, si *in huius membra Spiritum suum assiduè subministrat*, si in hac plenissimè F contulit, *quæcunque audiuit à Patre*, si in hac inhabitat, coli, credi, amari vult: si hanc illam esse vult per cuius ministerium *consummentur sancti, ædificentur paruuli*, si hanc sic audiendam esse docet, *vt qui eam audit, Christum audiat, qui non audit, pro Ethnico & Publicano habendus sit*, si hanc denique *sanguine suo in lauacro aquæ verbo vitæ mundauit*, imò vt cum Chrysostomo loquar, *si propter Ecclesiam extensum est cælum, diffusum est mare, extensus aër, terra fundata est, Paradisus plantatus est, mirabilia multa facta sunt, si propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli propter Ecclesiam vnigenitus Dei filius homo factus est, &c.* Denique si hæc illa sola est, (vt Pulchrè describit S. Pacianus Barcilon. Episc. ante ann. 1200.) *Virgo sancta castissimis sensibus, sponsa Christi ex ossibus eius, integra Euangeliorum iura conseruans, Regina in veste deaurata & circumamicta in varietatibus, fœcũda vitis in lateribus domus Domini, Mater adulescentularum quarum non est numerus, vna speciosa columba matris suæ atque perfecta, denique omnium fidelium mater ædificata in fundamẽtis Prophetarum & Apostolorum, domus magna vasorũ omniũ diuersitate locuples, populus acquisitionis, &c.*

Ecclesia encomia. Ephes. 5. & 1. 1. Timoth. 3. Ephes. 4. Ioan. 15. Ephes. 4. Luc. 10. Math. 18. Ephes. 5. In sermon. de Pentecost. tom 3. Epist. 1. ad Sympronianum. Ephes. 5. Psal. 44. Psal. 127. Cant. 6. Ephes. 2.

si hæc

A si hæc inquam omnia, multáque alia diuini amoris testimonia, veritatis priuilegia, sanctitatis encomia veræ Ecclesię Dei, eíque soli tribuuntur, vides Christiane Lector, quantum tuæ salutis intersit, quãtum ad fidem rectam tenendam referat, quàm illustris Norma & inuicta Regula ad omnes de Religione controuersias componendas finiẽdásque sit, compertum semel, cognitum, & exploratum habere, ad veram Ecclesiam te pertinere, *non ad insolentem aliquam portiunculam, tubérque collectum, & à reliquo corpore separatum*, quales omnes hæreticorum greges sunt, vt verè de Nouatianis scripsit S. Pacianus. Hoc ergo quatuor libris quãta potuimus diligentia & breuitate, explicatum tibi hoc in Opere dedimus. Epist. 1. ad Sympron.

Quibus ita constitutis & explicatis, vides nunc in quacunque Controuersia proposita, diligenter aduertendum esse, quibus argumentis & testimoniis vtatur, qui de fide disputat, scriptis ne ex S. Bibliorum volumine, an non scriptis. Si scriptis, quo modo illa scripta testimonia & loca interpretatur, & quis ille sit, qui illa sibi interpretanda præsumit. Si enim vel *Vsus præsentis Operis.*
B Authoritate legitima præditus non sit, vel Mediis legitimis & firmis non vtatur, vel cauendus vel fugiendus est, quisquis ille est. Quòd si verò vel vocatione talis vel eruditione tantus es, ipse vt hoc præstare atque aggredi legitimè possis, habes explicatum quibus Mediis indubitanter, confidenter & absolutè vti possis, quę etiam alia Media vel cauenda vel moderatè adhibenda sint. Ipsam quoque scripturã si fortè vel Canonicam respuat, vel Apocrypham proferat, habes quo iudicio, qua Authoritate, impostoris fraudem detegas, repellas, euertas. Quòd si ex doctrina in sacro Bibliorum volumine non comprænhensa, vel alius tibi persuadet, vel alij ipse persuadere de rebus fidei contendit, habes demonstratum quibus finibus hæc doctrina non scripta contineatur, ne alius tibi imponat, quàm latè etiam pateat, ne tibi iusta disputandi materia desit. Hac certè Norma semel obseruata, nec facilè nos seductor capiet, nec ipsi à veritate aberrare poterimus. Lib. 11. per totum. Lib. 9. per totum. Lib. 7. cap. 12.

Hac etiam horum omnium (quæ iam diximus) demonstratione facta cessabunt illa aduersum nos Protestantum improperia, ludibria, cõuicia: Vanam esse in nobis iactantiam de vera apud nos Ecclesia, frustra nos & *Protestãtium ludibria & conuicia abstersa.* 1.
C inaniter clamare, Ecclesiam, Ecclesiam, vt olim contra veros Prophetas impij sacerdotes clamabant, Templum Domini, Templum Domini. 2.
Cessabunt illæ voces, prætoriam esse exceptionem & Authoritatem, quã 3.
præpositis, Episcopis & pastoribus Ecclesiarum iudicandi de fide tribuimus. Non amplius locum habebit, quod in ore semper habent, quoties ex cõsensu orbis Christiani vel Regula fidei, ex patribus, ex Cõciliis aliísque Mediis Ecclesiasticis argumentum ducimus: mandãta hominum, & 4.
humana commenta esse quæ afferimus. Deniq; non erit amplius frigida 5.
responsio, Ecclesiam errare non posse, Ecclesiæ vocẽ esse infallibilem Regulam, necessarium Medium, vocem diuinam, ac postremò matrem sacrosanctam omnium fidelium. Nec videri amplius potest superba præsumptio, quòd Scripturã suo testimonio cõmendat, taxat, obsignat Ecclesia. Illa verò vanissima longéque arrogantissima Protestantũ præsum- 6.

7. ptio penitus euanescit, cuiuis Lectori iã manifestata & patefacta, qua Spiritum Dei vnusquisque sibi vẽdicat, quo scripturas interpretetur: nec amplius pro oraculo habebitur, donum piorum esse, interpretationem scripturarum. Postremò nõ erit amplius Pharisaicum Traditiones non scriptas ventilare, sed erit Apostolicum, erit Orthodoxũ. Hæc enim omnia & singula in hoc Opere, distinctis Cõtrouersiis & libris, via & ratione qua potuimus commodissima, ex scripturis ipsis, & ex vniuersæ Antiquitatis testimonio ac praxi, explicata & cõfirmata dedimus. Aut si minus commodè explicata, minúsue solidè & verè confirmata cuiquam Protestanti videbuntur, euertat si potest ea omnia quæ construximus, totius huius veritatis firmamenta. Hæc enim nostra certè demonstratio si vera est, nihil illi veræ religionis habent, à fundamentis & principiis ipsis totius orthodoxiæ exciderunt, & Christianitatis nudum tantùm atque inane nomen retinent. Contrà verò nostra Religio principiis istis iam demonstratis robustissimis nititur, fundamenta hæc suæ causæ habet firmissima. Huiusmodi sanè, vt ista sola demonstrata, cognita, retenta, nec vllum errorem admittant: & omnes errorum nebulas, imposturas, ac fraudes omnes nullo negotio excutianr, repellant, prosternant. D E

Catholicorum fundamẽta validissima.

Vos autem ô Protestantum confusa turba & turbulenta confusio, (vos enim tantisper non nisi propter salutem vestram, si qua in re mederi possum, mihi hoc loco conueniendi estis) quæ obsecro causę vestræ fundamenta, quæ firmamenta sunt? Scripturas, inquiunt, & ipsum Dei verbum audimus, veneramur, sequimur. Sed has scripturas, hoc Dei verbum vnde, à quo, vel quibus, qua Authoritate, qua certitudine, qua plerophoria accepistis? Arcanum (aiunt) Spiritus testimonium, eas nobis consignauit, & indubitatam fidẽ animis nostris ingenerauit. Sed de hoc arcano testimonio vnde vobis constat? An ex reuelatione aliqua de cælo? Et quis vobis credet, singulos vestrũ reuelationes de cælo accepisse? Nonne hoc in Anabaptistis hodie dãnatis ipsi vel maximè? Videte ergo & memineritis, nulla Authoritate nisi priuata quadam persuasione ductos (quam arcanum testimonium vocatis) Scripturas ipsas vos admittere. Nisi fortè (quod & quidam vestrûm respondent) dicere velitis ideo scripturas vos recipere, F quia iam totus orbis Christianus eas recepit. Tunc enim interrogo, an Christianũ orbẽ qui nũc est, an eũ, qui olim sempérq; à Christo nato fuerit, intelligaris. Vtrúlibet respõdetis, nõ nisi Ecclesiæ Catholicæ cõsensum dicitis. *Vos enim tam pauci, tam noui, tam turbulenti nihil ad hanc rem Authoritate dignũ profertis.* Hoc fundamentũ si agnoscitis, nobiscũ & rectè facitis. Sed tunc iterum quærimus, quare ex eodem fundamento & ex eadẽ Ecclesia earundem Scripturarũ sensum, & interpretationem, dogmata etiã nõ scripta, cæteráq; omnia eius Ecclesiæ consensu & Authoritate recepta atque approbata dogmata, pari veneratione non suscipitis, creditis, tenetis? An verò in scripturis veris recipiendis errare non potuit Ecclesia, in cæteris dogmatibus omnibus errauit? Et quomodo tam multipliciter errantis, & mẽtientis Ecclesię Authoritas vlla in re apud me fidem habebit, maximè verò in Sacrarum Scripturarum Canone fideliter conseruando? Aut quæ tandem

Protestantiũ fundamẽta qua & qualia.

1. *Scripturas recipiunt quas placeat.*

Fundamentum Protestantum privata persuasio.

Augustin. de vtilitate cred. cap. 9.

Vt Scriptura sic cætera omnia fidei dogmata ab Ecclesia.

A tandem causa esse potest, vt Scripturas quoque ipsas non vel aboleuerit vel corruperit, quibus abolitis vel corruptis & deprauatis, suas illas omnes (quarum eam coarguitis) superstitiones & errores validissimè stabilire & cōfirmare potuisset, ęquè ac cętera omnia dogmata (si vos vera dicitis) peruerterit, corruperit, extinxerit? Ac postremò quomodo fieri potest vt *vt spiritus sanctus qui ei promissus est, vt omnem veritatem doceret*, vel hāc vnā solam veritatem doceret, pręterea nullam, vel ex parte ei adesset, ex aliis multis partibus diabolum ei dominari & Antichristum pręualere sineret? An eodem in subiecto simul & semel & secundum idem, in eodem eiusdem Ecclesię intellectu & mente Spiritus sanctus & diabolus, Christus & Antichristus, lux & tenebrę habitare sedémque tot seculis habere fixam & manentem potuerunt? O hominum genus longè absurdissimū & obstinatissimum, quos nullę quantęcunque absurditates à concepta semel sententia dimouere possunt? Aut si prior placet responsio (quam in hoc Opere confurauimus) vel eam à facta confutatione asserire & defendite, vel agnoscite (quod res est) priuata pręsumptione, persuasione, & af-

B fectione ductos, Scripturas vos admittere.

Ioan. 14.

Absurda grauissima Protestantium doctrinam consequentia.

Lib. 9. cap. 1.

Pergamus porrò. Scripturas ipsas interpretari quis vos docuit, quis permisit, quis facultatem, quis Authoritatem tribuit? Respondetis. Spiritum Dei habemus, ille nos interpretari & intelligere omnem scripturam docet. Sed vnde hoc vobis constat Spiritum Dei vos habere? Christiani sumus, dicitis: *& qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Itáne uerò omnis qui spiritum Christi habet, omnia quoque dona eiusdem spiritus cōsequutus est? *Nonne diuisiones gratiarum sunt?* Nunquid quia omnes Christiani spiritum Christi habent, idcirco *omnes Christiani, Prophetæ sunt, omnes Doctores, omnes Apostoli, omnes Euangelistæ?* Nonne datur spiritus ęquè ad credendum, & vt docilis quis sit auditor verbi: atque ad docendum & vt peritus sit Magister verbi? Itaque iterum interrogo, vnde vobis constat ad intelligendas & exponendas scripturas vos spiritum Dei accepisse? Ecce unusquisque hoc sibi vendicat. Lutheranus, Caluinista, Puritanus, Anabaptista, vnusquisque hęreticus pari pertinacia, pari fiducia, pari etiam veritate asserit se ad hoc spiritum Dei habere. Imò & nos quoque Catholici

C (quos Papistas vocatis) Christiani sumus, & Spiritum Dei accepimus: interpretamur quoque & nos. Nobis quoque si insanire vobiscum libeat, pariter vobiscum spiritum interpretandi nobis vendirabimus. Sed quis tunc rixandi, altercandi, & contendendi finis, quis modus, quis exitus erit? At, diciris, meditamur studiosè, oramus assiduè, legimus attentè, consideramus antecedentia & consequentia, locum loco, textum textui, phrasem phrasi cōferimus, fontes inspicimus. Esto. Tantundem & vnusquisque hęreticus se præstitisse affirmat. Affirmamus idem & nos, Vos nobis affirmantibus non creditis. Et qua quæso ratione vobis idem affirmantibus nos credamus? Nonne ergo iterum claré aduertitis, priuatam vniuscuiusque de se & suo spiritu pręsumptionem, persuasionem, opinionem, totius huius rei Regulam & Normam esse?

Scripturas interpretātur Protestantes prout ipsis libet & placet.

Rom. 4.

1. cor. 12.

Priuata præsumptio regula Protestantium.

Concilia, Patres, Traditiones, Ecclesiam reiiciunt Protestantes ex priuata præsumptione.

Sed pergamus vlterius. Concilia, Patres, Regulam fidei notissimá, Traditiones Apostolicas, pro huiusmodi per totum orbem Christianum cõmuni consensu agnitas & approbatas, quare non admittitis, quare aspernamini, contemnitis, reiicitis? Respondetis errasse Concilia, Patres, orbem Christianum vniuersum. Sed quo Iudice, qua Authoritate hanc tantam & talem sententiam pronunciatis? Deprehendimus (dicitis) eos errasse ex verbo Dei. Ergo eodem recidimus. Ex verbo Dei quomodo hæc depræhendistis, nisi quòd verbum Dei vestro modo pro vestro affectu & cerebro legitis, intelligitis, exponitis? Sed ô incredibilem arrogantiam! Errarunt quotquot hactenus tot seculis de fide scripserunt, tractarunt, decreuerunt: *Vos solos liberanda veritas expectabat?* Vos soli absque vllo errore fidem & veritatem omnem tenetis? Et quales homines? In quibus superbia, maledicentia, libido, auaritia dominantur. Qui sacrilegiis, incestu, rapinis nobiles estis. Qui odio Ecclesiæ excæcati, & maiores vestros omnes superbissimè contemnentes, sub libertatis Christianæ titulo, solutis Ecclesiasticæ disciplinę repagulis, & viam sceleribus latissimam aperuistis, & sceleribus ipsi diffluitis. De plærisque & præcipuis vestrûm, maximè de ipso Luthero, Caluino, Beza, & Anglis Caluinistis loquor: quorum pseudoepiscoporum & Ministrorum sceleratissima vita toti nunc populo patet, sordet, ac fœtet. Vos ergo solos hodie in religione sapere? Ecce negamus illa Concilia & Patres errasse: Asserimus vero vos errare, & in errorem nefariè ducere. Et hoc ipsum ex verbo Dei nos depræhendimus, in quo manifestissimè didicimus Ecclesiam errare non posse, in suis scilicet Magistris: vt in 2. & 4. huius operis Controuersia à nobis est luculenter ostẽsum. Quis ergo altercationis huius finis erit? Nonne certè iterum perspicitis vos ipsos à vobis ipsis Iudices in hac causa constitutos esse, vestróque proprio iudicio, priuata præsumptione, persuasione & affectione ductos, de re tanta iudicasse, & vniuersam Ecclesiam condemnasse?

Sic de Marcionitis Tertul. in lib. de Præscrip. E

Lib. 5. & 8.

Nam (vt in vna re exempli gratia vos moneam) Patres nullo scrupulo, nulla conscientia, nulla religione tacti, si vestris dogmatibus contradicũt, repellitis tanquam homines, qui & errare facile potuerint, & vestro iudicio errauerint, imò qui etiam seipsos suáque scripta Lectoris iudicio submittunt. In quo vos mirum quàm confidẽter, statim virgula arrepta censoria, de cuiuscunque Patris quocunque dogmate, imò de omnium Patrum consentiente sententia, iudicatis. Sed non aduertitis, homines superbia excæcati, vel (vt Apostoli magis verbis vtar,) homines *volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquimini neque de quibus affirmatis*, nec tales suorum operũ Lectores quales vos estis, Patres intellexisse, nec simpliciter etiam fidelis & pij Lectoris iudicio sua submisisse, sed ita vt tum vera sit Lectoris & integra fides, tũ omnis absit priuata præsumptio, corrupta affectio, præiudicata opinio, temeraria assetio: quæ omnia hæreticis inseparabiliter adsunt. De qua re legite quæso & perpendite hæc S. & doctissimi Patris August. verba: quo vno patre nemo magis frequẽtiùs, humiliùs, sua scripta Lectoris arbitrio submittit. Sic enim scribit. *In omnibus literis* F

1. Timoth. 1.

A *literis meis non solum pium Lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero. Veruntamen sicut Lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius quàm Catholicam fidem: Iste se non amet amplius quàm Catholicam veritatem. Sicut illi dico: Noli meis literis quasi Scripturis Canonicis inseruire, sed in illis & quod non credebas, quum inueneris incunctanter crede, in istis autẽ quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere, ita isti dico: Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex diuina lectione vel inconcussa ratione corrigere.* Hæc ille. Vtramque ergo sententiæ partem Protestantes aduertite, & si liberi Lectores esse vultis, ne sitis tamen contentiosi & priuati (hoc enim est, *ex tua opinione*,) correctores. Si Augustino dediti esse nõ vultis, nec vobis ipsis dediti sitis. Catholicam fidem & veritatem, plusquã illum, plusquam vos ipsos amate. Nos verò Augustino iam dediti sumus, & illum amamus, non magis quàm Catholicam fidem, sed propter ipsam Catholicam fidem: quia non vt vnum hominem doctum aut doctorem, In proœmio lib. 3. de Trin.

B sed vt ab Ecclesia Catholica pro Catholico tractatore agnitum & approbatum, vt communiter cum aliis patribus docentem & sentientem, denique vt Ecclesiæ Pastorem ex Regula fidei loquentẽ, amamus, veneramur, fide dignum ducimus: ideóque iam, non solùm correctores tanti patris esse nolumus, sed nec etiã liberi prorsus lectores: idque propter causas in hoc opere explicatas. Lib. 7. cap. 15.

Ergo, vt ad vos redeam, in singulis istis controuersiis, fundamentum aliud non habetis, nisi vestrum ipsorum iudicium, vestram priuatã vniuscuiusque electam & præsumptam persuasionem: *Videtis denique* (vt cum Aug. verbis concludam) *id vos agere, vt omnis Scripturarum*, Interpretationis earundem, Conciliorum, Patrum, Ecclesiæ vniuersæ, *de medio auferatur authoritas, & suus cuique animus Author sit, quid in quaque scriptura*, in Interpretatione & sensu eiusdem, in Conciliorum decretis, in Patrum doctrina, in Ecclesiæ vniuersæ consensu *probet, quid improbet: id est, vt non Authoritate scripturarum* sensus eiusdem, Conciliorum, Patrum, Ecclesiæ Dei, *subiiciatur ad* contra Faust. lib. 32. cap. 19. *Apud Protestãtes suus cuique animus Author est cuiuscunque doctrinæ.*

C *fidem, sed sibi scripturas ipse*, reliquáque omnia prædicta, *subiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur*, auditũ creditur, definitum docetur approbatum recipitur, *sed ideò rectè scriptum*, auditum, definitum, approbatum *videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis?* Hæc ille. Quibus adiicimus. Nulla te vel connata tibi rerum diuinarum ignorantia, vel quæ accessit postea superbia, nulla tot errantium vbique hæreticorum exempla nulla tam clarè in Scripturis commendata Authoritas Ecclesiastica, vel tuæ te infirmitatis admonere, vel fragilitatis commonefacere, vel cautiorem & prudentiorem reddere, vel denique officij te tui memorem efficere possunt, ne *tuæ scilicet innitaris prudẽtiæ*, ne de teipso præsumas, ne aliorum exemplo in horrendas hæreses abducaris, ne denique grauissimi sceleris apud Deũ reus tenearis non audita tantum, sed & contẽpta, irrisa proculcata Ecclesia, totaque eius Authoritate planè diuina? Itáne verò tua tibi lux placet: vt te omnia videre, alios nihil cernere, tibi persuadeas, An ab alio istud quàm à Satanico & Luciferi Matth. 18. Luc. 10. Hebr. 13.

Protestantium caecitas in Scripturis.

spiritu proficisci potest? Sed ostendam tibi, si liber attendere, tuam in scri- D pturis imperitiam, ignorantiam, cæcitatem. Quid enim tandē in scripturis vides, qui Ecclesiam ibi non vides? Ecclesiam inquam, tam clarè, tam copiosè, tam euidenter, tam frequenter, in Lege, in Psalmis, in Prophetis prædictam, in Euangelio descriptam, in orbe terrarum exhibitam? Nōne pari cum Iudæis, Mahometistis, paganis cæcitate laboratis? Illi Christum, vos Corpus Christi in Scripturis non videtis. Et tamen *obscurius de Christo quàm de Ecclesia loquuti sunt Prophetæ*, ait August. Imò testimonia de Ecclesia tam crebra sunt, tam manifesta, tam illustria, de Ecclesia (inquā) toto terrarum orbe visibiliter diffundenda, & ad finem vsque seculi duratura, *vt illa nullo prorsus egeant interprete*, ait idem, subindéque inculcat August. Et tamē palpatis miseri in media luce, & in occultis electis, in reliquijs & fragmentis, in deserto Ecclesiam quæritis. Vos ne igitur in Scripturis aliquid videre existimabimus, qui Ecclesiam in illis non videtis, qua nihil clarius, manifestius, illustrius nihil, in Scripturis describitur? verè de vobis dici potest ac debet, quod de Donatistis eadē cæcitate laborātibus verissimè scriptum reliquit August. *Nonne illi palpant in meridie quasi in media nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam in luce omnium gētium cōstitutam videre non possunt.* Hæc ille contra Parmenianum lib. 2. cap. 3. Rursum. Authoritatem & Potestatem Ecclesiæ datam, atq; in literis Euāgelicis & Apostolicis, verbis manifestissimis sæpissime repetitam, non videtis, non cernitis, inuenire miseri nō potestis. Vnius Petri prærogatiuas tot & tantas, tot verbis, tot factis Christi illustribus expressas, cōmendatas, illustratas, qui omnia in scripturis videtis, videre tamen hactenus non potuistis. Sacrificium noui Testamenti tot figuris præsignatum, tot Prophetiis prædictum, tam diligenter ab omnibus Euangelistis commemoratū, vos homines in scripturis oculatissimi non videtis. Omitto alia. Et vbi ille spiritus vester, qui omnia vos docet, & omnem vobis scripturam aperit, exponit, manifestat? An in his solis, ad fidē tamen cognitu vel maximè necessarijs, dormitat, cæcutit, palpitat? Agnoscite, agnoscite non in vobis, nō in nobis, vt homines vterq; priuati sumus, vel si fortè de numero Pastorum sumus, nec in nobis, vt à cæteris collegis seorsim seiuncti sumus: sed in Ecclesia Dei & magistris eius, eo sensu quē in lib. 5. & 10. explicuimus, hanc lucem, hunc spiritum Dei esse, qui scripturas intelligit & omnia in scripturis videt. *Nunquid enim à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit?* Nonne *à Sion exiuit lex, & verbum Dei de Hierusalem?* Nonne *per omnes gentes prædicatum est, incipientibus à Hierusalem?* idq; ita vt per vniuersum orbem prædicatum hoc verbū quum fuerit, *tunc demum veniat consummatio?* Quid ergo nunc in ipsa demum consummatione seculi, à vobis primum Euangelij lucē in orbem adferri, & verbi veritatem à vobis solis nūc primum teneri cœpisse, mortalium omnium impudentissimi, imò portenta hominum in vltimas terras deportanda, asserere audetis? Sed frons meretricis facta est vobis. Nihil non tentandum, nihil non audēdum vobis est, vt susceptam vestram omnibus modis per fas nefásque, quóue iure quáue iniuria defendatis. Fundamētum religionis vestræ suus cuique animus est, qui

Enarrat. in Psal. 30. cōc. 2.

De vnitate Eccles. cap. 16.

E

Lib 5. cap. 5. & seq.
Lib. 10. cap 6
1. Cor. 14.
Esaiæ 2.
Lucæ 24.
Matth. 24.

F

A est, qui vinci non potest. Æquè enim inuicta est obstinati animi pertinacia, ac est inuicta optimę causæ veritas. *Admonitio Protestātium necessaria.*

Sed hanc semel pertinaciam deponere, & animo humili, tremente sermones Dei, (super huiusmodi enim *requiescit verus spiritus Domini, & humilibus dat gratiam, humilibus consentientes & sobriè sapientes* suo spiritu adiuuat) animo inquam pauido, & potius audire quàm docere parato, ab has Controuersias accedere si velletis, illúdque vestrum fundamentum planè cariosum, & minus quàm ficulneum, imò execrandum planéque Luciferianum deserere, abiicere, conculcare semel, in animum inducere si possetis: econtrà verò fundamenta Apostolorum & Prophetarū tenere, quę traditam doctrinam *siue per sermonem siue per Epistolam* complectuntur, *Ecclesiæ columnam & firmamentū* amplecti & recognoscere, denique. *Præpositis obedire, Pastores & Doctores quos Christus Ecclesiæ dedit, & Prædicatores legitimè missos audire* si velletis, mutata statim hæc tota rerum facies & conditio esset: quæque nunc absurda, superstitiosa, incredibilia vobis videntur, facti semel filij Ecclesiæ & dociles discipuli veritatis, vera esse, religiosa, & fidei Orthodoxæ maximè consentanea perspiceretis, agnosceretis, crederetis. Cuius etiam rei exemplum illustre in ipso Sancto August. ex Manicheo Catholico facto in hoc opere descriptū habetis. Hanc vobis mentem saniorem ex huius Operis lectione exopto, & si quidem attentè legeritis, futuram confido: & vt Sanctissimi Patris Augustini verbis te cōpellem, vel potius vt te ac meipsum, omnésque fratres nostros Catholicos tanti Patris sermone admoneam. *Vos sancta germina vnicæ Matris Catholicæ, quātalibet doctrinæ ac famæ luce præfulgeat, lapidémque se iactet esse preciosum, quisquis vos trahere voluerit post seipsum,* (sic autē omnes Protestātes faciūt, quibus suus cuique animus Author est: quid in quaque re credāt, neminem Authorem & Ducē, sed spiritum suum tantummodo sequētes) *Mementote quòd illa mulier fortis, & vna vni amabilis viro suo, quam in vltimo Prouerbiorum Scriptura describit, preciosior est lapidibus preciosis. Nemo dicat, Illum sequar aut illum:* Lutherum, Caluinū, aut alium quemcunque semetipsum venditantem & prædicantem, aliis contemptis omnibus. *Nullus prædicans nomen Christi, & gestans ac ministrans sacramentū Christi, sequendus est contra vnitatem Christi.* Hæc ille. At verò contrà vnitatem Christi, id est contra Ecclesiam Christi, in qua sola est vnitas Christi, sequuntur hodie omnes Protestantes, vnusquisque ducem suum, alius Lutherum, alius Caluinū, alius alium, eo sanè prætextu quia prædicant nomen Christi, & baptisati gestant sacramentum Christi. Quod absit à veris Catholicis & Matris Ecclesiæ filiis: Illa enim non vnum hominem aliquem singulariter sapiētem, sed communionem, vnitatem, societatem omnium fidelium vnanimiter sapientium & sentientium significat. Potissimum verò, quum de Authoritate & Iudicio huius Matris agitur, cui acquiescere & quàm sequi fideles debent, præpositos, Pastores, Doctores datos Ecclesiæ corporisignificat, communiter etiam & vnanimiter sentientes, sapientes, docentes. Hæc vnitas Christi audienda omnibus est, non superba cuiuscunque singularitas. In hac enim vnitate est fides, non specialis aliqua temerè

Margin: Esaiæ 66. Iacob. 4. Rom. 12. — 2. Thess. 2. 1. Tim. 3. Hebr. 13. Ephes. 4. Rom. 10. — B Lib. 10. cap. 4. — Contra Petician. lib. 3. c. 5. — C

in singulis præsumpta, sed Catholica & vniuersaliter nota. Hæc autem D
fides Catholica, est contra omnes hæreses plerophoria nostra, firmissima
& indubitata persuasio nostra: non cuiuscunque hominis qualiscunque
affirmatio, persuasio, Authoritas. De hac fide Catholica dixit Chrysostomus. *Vbi fides est, nulla quæstionis necessitas est. Vbi nihil oportet curiosius perquirere, quid opus est quæstione? Quæstio nempe fidem tollit. Qui enim quærit, nondum inuenit. Sed inquies: Quomodo igitur Christus? Quærite & inuenietis. Scrutamini Scripturas, &c. Nempe illic quod ait, Quærite; postulationes intelligi vult vehemẽnsque desiderium. Porrò quod ait. Scrutamini Scripturas, non quærendi labores inferre voluit, sed potius arcere. Ait enim. Scrutamini, vt illarum per omnia diligentiam exactissimam discerent. Scrutari nanque iussit, non vt semper quæramus: sed vt inquirere desinamus.* Et paulò post. *In gentilium disciplina neque discipulus neque Magister est. Verùm omnes quæstionibus certant, siue discipulus ille, siue Magister sit. A quo igitur isti discere possunt? Nempe enim qui addiscere cupit, obtemperare debet non corrixari: credere, non ratiocinari. Per fidem enim veteres omnes Deo placuerunt. Absque illa cuncta soluuntur in nihilum. Hanc igitur arripiamus omnes. Huic studeamus. Ita enim omnia perniciosa dogmata ex anima nostra procul eliminabimus.* Hęc ille. Hęc E
igitur fides Catholica, vniuersaliter obligans & vniuersis necessaria, ab vna Ecclesia Matre accepta & hausta, non specialis aliqua seorsim sapientis fides, non priuatus aliquis spiritus, Regula & Norma eorum quæ in fide controuertuntur, fidelibus esse debet longè certissima & omni exceptione maior. Atque hæc hactenus obiter contra illud Protestãtum imò hęreticorum omnium execrabile fundamentum (quod est SVVS CVIQVE ANIMVS) admonete te, & meipsum, amice Lector volui.

Homil. 1. in 1. ad Tim.

Nunc vt ad Operis Conclusionẽ reuertamur, de Norma quidẽ & Regula totius Orthodoxę veritatis, qua semel admissa, finis controuersiis omnibus imponatur, qua non admissa nullus controuertendi finis expectatur, ex hoc Opere & disputatione præsenti tibi demonstrata, tradita, & explicata satis dictum est. Vt verò eadem facta demonstratio, facilis tibi & breuis compendij loco sit, quasique propugnaculi cuiusdam inuicti instar, quo tibi ipsi saltem (quicquid de vniuersa hac contentione, ipsorũque Protestantum ad meliorem mentem reuocatione fiat) contra omnes F
has de religione altercationes prospicias, firmúmque pręsidium nactus, tutus ab omni non solum hæresi, sed & hęreticorum fraude atque imposturis agas, id nũc tibi breuiter exponam: vt huius operæ ac laboris nostri quàm vberrimus ad te fructus accedat. Enimuerò controuersię hodie omnes quæ de religione tractantur, vel de doctrina fidei, vel de religionis vsu & praxi aliqua, cultúque externo, vel certè de mixto quodam dogmatum genere (quales potissimum Controuersię de Sacramẽtis sunt) tractant, disputant, atque contendunt. Rursum de doctrina fidei Controuersię, vel generales & communes ipsius doctrinæ locos occupant, quales hę sunt Cõtrouersiæ quas in hoc Opere tractauimus, excussimus, absoluimus, vel argumenta tractant particularia, vt de peccato originali eiúsque effectibus, de Concupiscentia in renatis, de gratia & libero arbitrio, de lege & Euangelio, de iustitia fidei, de merito operum, de obseruatione

Controuersiarũ huius temporis partitio.

A tione mandatorum, de certitudine gratiæ, aliisque similibus. Quę circa vsum religionis & externum cultum versantur, multas etiam controuersias complectūtur, quarum aliquę etiā generales sunt, an videlicet cultus aliquos pręscribere, leges obseruationum & præcepta ferre, ceremonias instituere Ecclesia possit: aliæ verò particulares, vt certis temporibus certa etiam lege ieiunare, festa celebrare, templa construere, altaria erigere, consecrare, eáque alia quę ad altarium ornamenta spectāt instituere, sanctos publico cultu inuocare, pro defunctis officio etiam publico orare, multáque his affinia, quę ferè omnia ad superstitiones gētilitias pertinere, aut superuacaneos cultus esse, aut denique neminem obligare Protestantum sententia est. Mixtæ verò Controuersię circa Sacramenta, vt dixi, potissimū, ipsúmque Sacrificium externū, quod Missę vocabulo nuncupamus, consistunt. Nam quot sunt nouę legis Sacramenta, quæ vniuscuiusque certa materia, & pręscripta forma, quis legitimus Minister, quis effectus, item sitne aliquod nouę legis Sacrificium externum, sitne idem

B propitiatorium pro viuis & defunctis, ad doctrinæ Controuersias pertinet. Quis verò sit administrandi vel suscipiendi Sacramenta, modus, quæ forma legitima, qui ritus, quæ ceremoniæ, quis debitus vsus singulorū, quæ item ad sacrificij Christianorum cultum & executionem pertinent, Controuersiæ sunt ad religionis praxim & vsum referendæ. Dico ergo ad has omnes hodie Controuersias, aliásque quascunque, quas hoc loco recolere non potui, facili quodam & breui compendio componendas, & Orthodoxam in singulis sententiam inuictè retinendam, atque ab omnibus hæreticorum imposturis defendendam, hanc huius Operis disputationem, hanc Principiorum fidei Doctrinalium quam construximus, demonstrationem: plurimum momēti ac ponderis adferre: esséque Normæ & Regulæ sufficientissimæ loco, ad quam ille vniuersæ & si quæ aliæ componantur. Etenim Controuersiæ illæ quæ ad doctrinam pertinent, hoc nomine statim componuntur & finiuntur, quòd quid de singulis illis vera Ecclesia, Romana scilicet cum aliis sibi adhærentibus sentiat, quid Episcopi Ecclesiarum, Pastores & Doctores iudicent, nemini iam est ob-

C scurum, maximè post celebratū & conclusum nostra ætate circa præsentes Controuersias, Oecumenicum & Generale Concilium Tridētinum, in quo singularum ferè de doctrina Controuersiarū Capita definita sunt, & Anathema hæreticis, hoc est, ex Protestantum sententia docentibus & sentientibus, dictum. Notissima quoque est circa easdem Controuersias Regula fidei, cōsensus scilicet & recepta sententia populi Christiani. Quare hoc solum sufficit dicere & respondere ad omnia, Ecclesia Catholica aliter sentit ac docet, quam in Symbolo profitemur, cuius membra & filij nos sumus, cuius fidem tenemus. Sic nos ad omnia respondere, ídque circa Capita fidei non minus necessaria & excellentia quàm de quibus hodie controuertitur, multi antiqui Patres & veteres Ecclesiarum Magistri docuerunt, vt in huius Operis lib.7. multis exemplis & Patrum testimoniis ostendimus. Hanc responsionem euertere aut contemnere Protestātes si volunt, ostendant prius se veram esse Christi Ecclesiam. Ostendant

Sufficiens Catholici Responsio ad omnes hodie Controuersias.

Lib.7.cap.2.

non esse Magistrorum Ecclesiæ iudicare de fide. Ostendant Regulam fidei notissimam non debere præscribere, & nihil in hoc genere virium habere. Denique ostendant vocem Ecclesiæ non esse & necessariam & infallibilem & diuinam. Postremò euertant omnia quæ in 8. libris huius operis studiosè comprobauimus. Id ni prius fecerint, nihil apud te eorum vel superba irrisio, vel maledicæ contumeliæ, vel blasphemus Dei Spiritus per Ecclesiam loquentis contemptus, prorsus valere debent: Sed ea omnia alto & securo animo contemnere licet, idque propter causas grauissimas in hoc Opere explicatas. Sed & præterea nõ solum præsentis Ecclesiæ clara & manifesta de singulis sententia est, (quæ tamen sola sufficiebat ad hanc contentionem dirimendam, nam de præsenti Ecclesia loquitur Christus quũ eam *audiri iubet* Matth. 18. & de pręsentibus Pastoribus ac Doctoribus loquitur Paulus, quum eos *datos esse* scribit *consummationem sanctorum*, &c. ad Ephes. 4. denique præsentes præpositos idẽ Apostolus intelligit, quum eis *obedire & subiacere* iubet ad Hebr. 13.) verũetiam totius Ecclesiæ Catholicæ ab Apostolorum ærate ad nostra vsque tempora, eadem de re clara est & manifesta sententia. Nec id solùm quia ita se rem habere, ex manifestissimis totius Antiquitatis testimonis, & nominatim ex permultis veteribus hæresibus hodie renouatis, Catholici scriptores in singulis hodie Controuersiis ostenderunt: sed præterea quia idem ipsimet Protestantes agnoscunt & fatentur. Hac enim de causa statim post Apostolorum ętatem irrepsisse in Ecclesiam errores de doctrina affirmanr. Errores enim dicunt, quæ nunc Orthodoxæ sententiæ dogmata sunt. Hac de causa omnium ætatum Patres arbitros in hac causa repudiant, errorum coarguunt, Authoritate spoliant, à testimonio veritati ferendo repellunt. Hac denique de causa nullis Conciliorũ ne quidem antiquissimorum decretis stare simpliciter volunt, sed contra omnia excipiunt, in omnibus multa desiderãt, denique omnia suo ipsorum examini superbissimi homines subiiciunt. Clarum est ergo & liquidum, etiam veterem omnem Ecclesiam, Patres, Concilia, Episcopos totius orbis ex quibus illa Concilia conflata fuerant, Orthodoxã quam hodie tenemus in singulis de doctrina controuersiis, nobiscum tenuisse, & amplexos fuisse sententiam. Quare hæc sola responsio, Ecclesiam Dei de originali peccato, de gratiæ & liberi arbitrij concurrentia, de meritis operum, de tota hominis iustificatione, aliisque dogmatibus cõmemoratis contra Protestantes & nobiscum sensisse, per se sufficientissima est, & haberi debet.

Præsentis Ecclesiæ vox sufficit.

Omnium ætatũ Ecclesia præsentes hæreses condemnauit. Vide huius operis lib. 3. cap. 3.

D

E

F

Nec dissimiliter de altero genere Controuersiarum, quod circa vsum & praxim religionis versatur, sentiendum est. Clara est enim in singulis illis, in Sacramentorum ritu, vsu, & forma, in Sacrificij Christianorũ celeberrimo cultu, in templis, in altaribus, in aliis rebus omnibus eo pertinentibus in Sanctorum inuocatione, in oratione pro defunctis, in purgatorij loco, in ieiuniorum & festorum obseruatione, Ecclesiæ Catholicæ tam veteris quàm præsentis, propter causas supradictas, praxis, sententia, consuetudo. Hanc solam omnibus hæreticorũ argumẽtis (qui cõpendio

rem

A rem expedire vult) opponere debebit. Nec habebit aduersarius vnde hanc responsionem excutiat, aut euadat, nisi prius confutatis (vt dixi) quę in totis octo huius Operis libris, de Ecclesia, eiúsque potestate disputauimus. Obiter quoque monendus aduersarius est, hanc Oppositionẽ Apostolũ Paulum Catholicos docuisse, quum diceret. *Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Redarguet ergo Apostolũ cui hæc compendiosa, sed validissima respondendi ratio displicet. 1. Cor. 11.

Quòd si verò etiam de rebus hodie Controuersis, quędam teneantur vel in doctrina vel in religionis vsu & praxi quarum nec testimoninum nec exemplum aliquod in Scripto Dei verbo facile ostẽdi potest, aut forte ne ostẽdi quidẽ: qualia esse quæ de inuocatione Sãctorum, de Purgatorij loco, de oratione pro defunctis, de templorũ & altarium consecratione, de festorum & ieiuniorum stata obseruatione, aliáque nonnulla, Ecclesia docet & facit, Protestãtes volunt: habes nihilominus quod validissimè respõdeas, habere Ecclesiã Dei traditiones Apostolicas non scriptas, quas etiã disertè seruari Apostolus iubet: nec ad fidei firmitatẽ multum interesse, scriptum ne sit vel non scriptum quod Ecclesia docet, tradit, commendat: modo constet ab Ecclesia vel dogma vel cultum quem aduersarius reprehendit, commendari: ídque propter Ecclesię amplissimam potestatem, quæ tum ipsas scripturas sua Authoritate taxat atque consignat, tum easdem interpretãdi infallibilem potestatem sola habet, sola rationem & viam tenet, tum denique dogmata etiam non scripta, fidelibus tradere & consignare potest. Quæ responsio si frigida, si inualida, si falsa Protestantibus videatur, euertere illos & confutare oportet, quę in quatuor postremis huius Operis libris studiosè confirmata dedimus. Nisi prius id fecerint, quicquid in cõtrarium vel mussitant vel garriunt, nihil te prorsus commouere, vel ab hac immobili Petra, ab hac Columna & firmamento veritatis diuellere, aut vel latum etiam vnguẽ dimouere debet.

B (margin) 2. Thess. 2. — *Ecclesiæ amplissima Potestas.*

C Pręterea quæ responsionis Orthodoxę, vel etiam confutationis Catholicę arma consueta, media fortissima, probationes paratissimę sunt, & adhiberi solent; scilicet non ex solis Scripturis quomodocunque intellectis, sed ex Scripturis sic intellectis, quomodo eas hactenus Ecclesia intellexit; quomodo eas Catholicarum Ecclesiarum Episcopi, Pastores, Doctores, hodie intelligunt; quomodo ipsa Ecclesiæ praxis, consuetudo, traditio eas esse intelligendas ostendit, docet, manifestat: quomodo Regulæ fidei iam receptæ & fidelibus notissimæ, earum intelligentia conuenit: denique quomodo Patres, eas hactenus interpretati sunt: quomodo Concilia earum sensum decernendo per occasionem tradiderunt: quomodo supremus Ecclesiæ Pastor & caput, suis etiam decretis eas fortè exposuerit, vel nũc consultus exponat: porro ex viis & mediis non scriptis: puta ex Traditionibus Ecclesiasticis, ex praxi manifesta & Generali ipsius Ecclesiæ, ex antiquitatis vnanimi consensu & testimoniis: vel Orthodoxã quam tenes sententiã contra aduersarium tueri, explicare, confirmare: vel aduersarij obiecta, argumẽta, fundamẽta repellere, confutare;

A

SVCCESSIONIS ECCLESIASTICÆ DEFENSIO AMPLIOR, ET FVGITIVÆ AC LATENTIS PROTESTANTVM ECCLESIÆ CONFVTATIO copioſior. *Contra Guilielmi Fulconis Angli inanes cauillationes aduerſus huius operis libri 4. cap. 10. & 11. æditas. Liber 13.*

PRÆFATIO.

PERcommodè accidit, Guilielme ffulco, vt quo fere
B tempore ad manus meas libellus tuus, ex Anglia perlatus eſt, iamque à me perlectus & non indiligenter expenſus, eodem tempore ad me ſcriberet Lutetia Michael Sonnius, typographus & vir optimus, ſignificans ſe alteram Operis noſtri de Principiis fidei doctrinalibus editionem, diſtractis nunc propemodum prioris editionis exemplaribus, medirari proindéque me rogare, vt meum ad illum exemplar tranſmitteтem, ſi fortè vel in eo aliquid correxiſſem & immutaſſem (vt ſolẽt eſſe δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι) vel etiam illi quippiã addidiſſem & locupletaſſẽ. Hac enim occaſione factum eſt, vt non prius ei meum exemplar denuo excudendum tranſmittere vellem, quàm tuo libello ſatisfactum à me eſſet, quod ille non grauatè ſeſe expectaturum reſpondit. Ego ſanè alioqui libellum hunc tuum G. ffulgo inanibus cauillationibus refertum, maledictis & cõtumeliis quæ in me iratus effudiſti, vndique reſperſum, contra duo tantùm Capita vnius ex duocecim illius Operis libris effuſum; in quo denique tuo magis
C vel honori vel ſtomacho, (quia tuas quaſdam in Succeſſionis Eccleſiaſticæ argumento reſponſiones illa duo capita confutabãt) indulgere, quàm cauſæ ipſi & veritati inquirendę ſubſeruire videbaris, ſilentio planè inuoluiſſem; nec hac noſtra reſponſione & labore qui in quotidiana hac profeſſione mea (vt magiſtratum taceam quem nunc extra ordinem gero perpetuis ferè interpellationibus moleſtiſſimum, charus mihi & precioſus eſſe debet, tantillam ſcriptiũculam tuam dignam profectò exiſtimaſſem. Sed accepta honeſtiſsima typographi Sonnij pręter omnem ſpem meam petitione, diuinirus mihi ad hos nouos labores, etiam in medijs negotiorum turbis, vocari videbar. Aggreſſus ſum igitur ante duos menſes plus minus (tanti enim temporis inducias à typograpgo petieram) reſpõſionem hanc noſtram, eamque fauenre Chriſto ſine magno aliorum ſtudiorum vel negotiorum publicorũ detrimẽto confeci. Nec me iam laboris pœniret. Non ſanè, quòd tibi ac tuo libello ſatisfactum iam ſit. De te enim vix aliquid ſperare audeo (dolẽs dico

A (quarum explicationem & institutionem profiteor,) ita huic potißimum de vera Christi Ecclesia, eiusque Authoritate amplißima argumento, me, studia, ac labores meos, ac quicquid præterea habeo, aut sum, iubēs deuoueo & deuouebo. Tu videris G. ff. an latitantem & fugitiuam tuam pari studio prosequi semper & tueri velis. Meliorem tibi & saniorem mētem ex animo exopto. Ne tamen aliis multum noceas, si quicquid posthac amplius seu vernaculo nostro seu latino sermone grauiter & refutatione dignū scripseris, ego videro. Habes interea hanc primam nostram aduersum te responsionem. Si resipueris, vt fratrem suauisimè complectar. Si malam causam malè tueri perrexeris, alias responsiones, sicuti Deus dabit, à nobis expecta. Contra petil. lib. 3. cap. 1.

Quas in tua præfatione suspiciones vanißimas de me aliisque Catholicis Angliæ exulātibus colligis, nos videlicet ad hanc pro fide Catholica & de rebus controuersis scribendi prouinciam vernaculo primùm ac postea latino sermone, ex sola ambitione & spe honorum, itemque ex assentandi studio, vt mecænatibus scilicet nostris domi gratificaremur, adductos fuisse, prudens & sciens prætermitto; quum pluribus verbis & argumentis clarißimis B illas omnes diluere, & manifestæ falsitatis singulas conuincere nullo negotio possem. Illud vnum quod ad me attinet scire te velim, G. ff. me iam à pluribus annis eo hic loco fuisse, non solum propter professionem hanc Regiam ad quam ante decem iam ferè annos euectus sum, sed etiam propter Canonicatum & præbendam satis luculentem ab annis iam septem mihi donatam, non à Pontifice Rom. sed ab ordinario locis collabre, vt nec ex Pontificia largitate, nec ex Domestica aliqua beneficentia (quemadmodum tu ineptè fingis) aliquid vel percipere vel expectare aut necesse habeam aut velim. Quin & de hoc exulto in domino, quod hactenus quæcunque pro veritate Euangelica scripsi, gratis scripsi, ne teruncio quidem mercedis accepto; damnis autem rei familiaris non mediocribus acceptis. Cætera taceo, ne si omnia dicerem, non tam tuis iniquissimis suspicionibus occurrere, quàm nostras laudes ore proprio buccinare videar. Quare cum Sanctissimo & doctissimo patre Augustino, *mea defensione neglecta, rem ipsam tenebo, de qua intentionem meam nullus criminator excutiet: domum Dei mei, cuius decorem dilexi*, cuius causam ago, *præconio fermentis vocis extollam: me verò hu-* C *miliabo & abijciam. Elegi enim abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis hæreticorum.* Hæc ille, & ego post illum. Duacj. 10. Cal. Iulij. anno Salutis, 1580.

Succeſsio Eccleſiaſtica locorum & perſonarum eſſe debet, mundo conſpicua. D

CAPVT I.

T ad Eccleſię Catholicæ corpus quod conſpicuum & illuſtre, non obſcurum & latens eſt, Proteſtantes nullo modo pertinere oſtendãtur, ſucceſſio imprimis paſtorum & populorum perpetua, quæ in Proteſtantum ſocietate deſideratur, argumento eſt reſpondebat olim aduerſarius iſte; *fidei certæ & doctrinæ, non autem perſonarum & locorum ſucceſsionem veræ Eccleſiæ notam eſſe neceſſariam.* Aduerſus hãc reſponſionem, breuem iſtam ratiocinationem protuli. Fidei & Doctrinæ perpetuitas in Scripturis promittitur Matth. 13. 16. & 28. At fides & pura doctrina ſine perpetuis prædicatoribus verbi eiſdemque legitimè miſſis perdurare non potuit. Roma. 1. Hebr. 5. Epheſ. 4. Eſt ergo vtriuſque par & æqua neceſſitas, ſi ſubſiſtere Eccleſiam volumus. Ad hanc ille ratiocinationem hoc tantum reſpondet, *me actum agere & quod in controuerſiam vocatum non eſt, pluribus argumentis inaniter probare.* Nec videt quod ille diſertè negauerat, nẽpe fidei non perſonarũ ſucceſſionẽ eſſe neceſſariã, diſertè à me & neceſſaria collectione cõcludi. Porrò quũ adhuc ſubintuliſſem; non niſi in certis locis in certis ac definitis paræciis hos verbi prædicatores legitimè miſſos agere, ideóq; non ſecus perſonarum & locorum, quàm fidei & doctrinæ certam eſſe & perpetuam ſucceſſionem; replicat inſulſo cauillo; *meam collectionem id agere vt oſtendat in huiuſmodi locis vbi ſemel paſtores ſederint, & huiuſmodi perſonarum perpetuam eſſe debere ſucceſſionem, qualem Romanæ ſedis ſucceſsionem eſſe gloriamur.* Sed facilè intelligit cordatus lector non corundem locorum, puta Carthaginis & Hipponis in Africa, Mediolani, & Ramennæ in Italia, Lutetiæ & Lugduni in Gallia, ſed certorum locorum ſucceſſionem certam & manifeſtam (ſiquidem niſi in certis locis paſtores legitimi reſident) à nobis concludi. Hanc cæterum perſonarum in certis locis, paræciis & diœceſibus ſucceſſionem perpetuam exigimus à Proteſtantibus, ſi ſuæ fidei & doctrinæ perpetuitatem oſtendere volunt. B

Succeſsio eccleſiaſtica non requirit eadem ſemper ſuccedentium loca.

Hanc ſucceſſionem in Eccleſia Catholica Catholici oſtendere parati ſunt, quando eam apud Proteſtantes valere intellexerint. Non autem in eiſdem ſemper locis perpetuam & non interruptam perſonarum ſucceſsionem aut concludimus aut aſſerimus. Soli fortaſſe (quod tamen non temere dixerim) Romanæ vrbi in qua duo glorioſiſsimi Apoſtoli Petrus & Paulus fidem Chriſti ſanguine ſuo obſignarunt, hoc priuilegium ſeruatum eſt. Nam Petri certè ſucceſſorem perpetuum in Eccleſia futurum, ſiue Romæ ſiue alibi (vt multis annis Auinione in Gallia) nihil planè dubitamus; Chriſti promiſsione nixi, qui huius ſedis fidem non defecturam in Petri perſona promiſit. Sed ęquum eſt, vt qui nulla certa ratione argumẽti vim perrumpere potuit, inani cauillatione eludat. De hac autem locorum & perſonarum ſucceſsione poſtea plura & pleniùs. F

Luc. 22.

Infrà cap. 4.

Subiunxeram contra id quod ſecundo loco reſponderat, *ſe non dubitare quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi miniſtros, vtcumque mundo incogniti fuerint*, me iam alio in libro oſtendiſſe quàm hoc futile perfugium ſit: Et aſcripſeram locum in margine, *Suprà lib. 3. cap. 7. 8. & 9.* Ad hunc ille locum & ad argumenta ibi allata vir cautus & prudens nihil reſpondet. Ægerrimè tamen fert hanc eius reſponſionem futile perfugium à me vocari: & reſpondet pro ſua modeſtia Euangelica. *Vide craſſam ſtolidiſsimi hominis inſcitiam, quaſi non multò certius hoc ineuitabili ratione confirmari quàm vlla hiſtoriæ narratione perſuaderi poſsit.*

Itane verò vir ſapientiſsime? Succeſsio locorum & perſonarum, id eſt, quis, cui, quãdo & vbi ſucceſſerit paſtor in Eccleſia dei Catholica, quæ res facti eſt, certa ratione cõfirmari, & non potius hyſtorica cognitione explorari debet? Sed audiamus Doctoris ſubtilis ineuitabilem rationem; qua meam id eſt ſtolidiſsimi hominis craſſam inſcitiam euidenter coarguit. Ait. *Cum enim eandem fidei morumque doctrinam profiteamur, idque Sacrarum Scripturarum teſtimonio, omni exceptione maiore, demonſtrare ſemper parati ſumus, quam Chri-*

ſtus per

A *stus per omnem mundi æternitatem duraturam promisit, quid est quòd dubitemus, quin per omnes ætates excitauerit Deus fideles verbi sui dispensatores, quorum ministerio ad electorum salutem procurandam vsus fuerit, etiam si non semper eisdem in locis, nec ingrato ac Euangelij sinceritatem aspernanti mundo omnibus temporum momentis conspicuos?* Hæc est eius ineuitabilis ratio, qua absque vlla historica deductione clarè probat, non defuisse per omnes ętates, fideles verbi pręcones; etsi non semper conspicuos. Sed vide mi G. quàm facilè hęc ineuitabilis ratio tua non enitatur modo, sed planè euertitur. Ponis eandem te fidem profiteri quam Christus in Ecclesia sua perpetuam esse voluit. Hoc ais te demonstrare posse ex Scriptura. Concludis igitur perpetuos Deum excitasse verbi sui dispensatores fideles, etsi nec eisdem semper in locis, nec semper ingrato mundo conspicuos. Vide autem quàm non tecum malignè agam. Do tibi & primum & secundum quod asseris: Non quia sunt vera (sunt enim falsissima) sed quia conclusionem quam facis nihil iuuant. Non enim inde sequitur fuisse perpetuos verbi Dei pręcones absque certa successione & mundo incognitos; quod tu probare volebas. Sed planè contrarium sequitur. Nempe quia veram fidem & puram doctrinam Christus in mundo perpetuam esse voluit (quod hoc te loco confiteri gaudeo) voluit sanè quoque perpetuos esse doctores & verbi sui pręcones; vt tu rectè infers. Sed voluit pręterea (quod tu malè prętermittis) eosdem, vt Apostolus docet, legitimè vocatos & missos esse: id est, suis antecessoribus ordine & forma

Perpetuitas doctrinæ non est sine perpetuitate Doctorum.

Rom. 10.
Hebr. 5.

B quam perpetuò pręscripsit, per impositionem manuum presbyterij, succedentes. Voluit denique eosdem præcones sic ad ministerium segregatos, orbi esse cognitos atque conspicuos. Quod sanè tum propter varias & grauissimas causas, quas hoc eodem in opere explicauimus, tum propter innumeras Scripturas quæ Ecclesiam Christi illustrem & conspicuam promittunt & describunt, conspicua autē esse non potest, vbi ipsa capita magistri & propositi cōspicui, non sunt, non temere aut ex coniectura opinamur, sed certò & ex fide cognoscimus.

Lib. 2. cap. 6. & 7.

Iam quod adieceram, quibuslibet hęreticis per inde facile esse idem iactare, fuisse scilicet per omnes ętates suę sectæ homines, etsi eos demonstrare non valeant, duplici cauillo eludere conatur. Primùm, *quia nec difficile est diptycorum tabulas successionum testes confingere* Cui respondeo. At prorsus difficile est omnes historias Ecclesiasticas mentiri; omnia Ecclesiarum registra in quibus episcoporum series describitur conficta dicere; denique ipsa templa totius Christiani orbis vbi episcopi tot seculis sederunt è conspectu hominum tollere; & ad nescio quas ideas inuisibilis Ecclesiæ veluti ad somnia & chimęras fidelium cogitationes abducere, quasique in media luce vigilãtes ac videntes homines ita tamen fascinare, vt & dormire & nihil se nisi fortè per insomnium videre sibi persuadeant. Hoc arbitror. G. F. perdifficile esse. Quanquam non ex solis diptychorum tabulis, sed ex multis aliis argumentis, successionis ecclesiasticæ testimonia luculentissima petuntur: Qualia in hoc eodem opere paulò post collegimus. Quæ tu omnia sanè prudenter dissimulas.

Omnibus hæreticis facile est Ecclesiam incognitā prætexere

Lib. 4. ca. 10.

Alterum cauillum tuum huiusmodi est: *Nec facile nec omnino fieri potest, vt sua dogmata cū*
C *Christi & Apostolorum doctrina conspirare ostendant hæretici.* Cui respondeo & facillimè fit, & sepissime factum est, vt cuiuscunque sectę hæretici suis auditoribus hoc totum persuaserint, & ad hoc persuadendum argumentis in speciem maximis ex ipsa Scriptura petitis vsi fuerint. Hoc teipsum nec ignorare nec diffiteri arbitror. Non es nescius omnes hęreticos hoc sibi & suis certissimè persuadere, sua dogmata cum Christi & Apostolorum doctrina ad amussim quadrare. Imò & multò facilius esse ex ipsis Scripturis veræ doctrinę fucum facere, quàm vel publicas Ecclesiarum tabulas confingere, vel successiones Episcoporum ementitas producere, vel tute ipse, si te parum collegeris, facilè aduertes. Habes innumerabiles hęreses, quarum singulæ priùs illud prestiterunt. Nō habes vel vnum hęreticum qui posterius istud artentare sit ausus. Quare audacter hęreticos in hanc successionis Ecclesiasticæ arenam prouocarunt antiqui patres, Tertullianus, Irenęus, Optatus, Augustinus, Epiphanius, & alij, quorū hac de re verba in hoc opere produximus.

Lib. 4. cap. 5.

Vt latētes verbi ministros quales sibi fingūt Protestātes inane esse cōmētū & futile perfugiū magis adhuc ostēderē, duplex argumētū subieci. Pri⁹ his verbis. Si mūdo īcogniti huiusmodi ministri erāt, profectò prorsus mūdo inutiles erāt. Posteri⁹ hoc modo. Nihil etiā simile cū illa Ecclesia quā Christ⁹ in mūdo plātatur⁹ venit, illi belli ministri habebāt.

Duplex argumentum contra latentes verbi ministros.

Ioan.17. Christus enim otauit pro suæ Ecclesiæ pastoribus vt vnum essent, vt mundus (inquit D parri suo) cognoscat quia tu me misisti. Ipsis quoque in persona dixit vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi super montem posita. Hæc ibi. Ad hoc duplex argumentum, alterum à fine alterum à natura veræ Ecclesiæ desumptum, sic iste tenuiter respondet, vt prioris quidem vim declinare non valens, nihil aliud quàm alterum quasi inconueniens opponat, in posteriori verò aliud nihil agat, quàm vt verbi vnius ambiguitatem nactus, & ex eo fumos & caliginem excitans, per illas quasi tenebras hosti obiectas fugitiuus euadat. Ad prius enim argumentum respondet. *Me hic scrupulus stimulat ac pungit. Fuitne prorsus mundo inutilis Saluator Christus, quum, vt testatur Ioãnes, in mundo fuerit, & mundus eum non cognorit?* Móxque vult vt ego respondeam: *minimè quidem quia alio sensu mundum dixit Ioannes, quàm ego posui.* Esto istud mi G. Acceperit hic Ioannes mundi vocabulum alio sensu quàm ego posui; quid infers? Ais. *Et te non pudet, homo omnium qui sunt, quique fuerunt, vanissime, tam aperto fallendi studio, amphibologias aucupari, etiam eas quæ ex altera parte nullam nisi ab omnibus explosam sententiam habere possunt?* Itane feroculus es mi G? At comprime te paulisper, & vide ne eadem petulantia D. Ioannem ferias, qua me hîc petis. Quid enim? verbo ambiguo non licet vti? Aut quod alio sensu accipi potest, in vero & germano sensu accipi non debet? Ecce vox mundi in Scripturis plura significat; primo visibilem hunc qui cælum & terram complectitur: secundò homines mundanos seu amatores mundi: tertiò Ecclesiam ipsam & societatem sanctorum. Et Ioannes ipse in eodem contextu sermonis, ambiguam hanc vocem duplici sensu accipit. Quum E enim diceret, *Mundus per ipsum factus est*, visibilem hunc intelligit. Quum adderet, *& mundus eum non cognouit*, amatores mundi, non cælum & terram intelligit: vt etiam clarè exponit Sanctus Augustinus. I nunc G. F. & D. Ioannem dicito *aperto fallendi studio amphibologiã aucupari.* Sed ad scrupulum tuum respondeo. Christus Dominus illi mundo, de quo dixit Ioannes & mundus eum non cognouit, non solùm inutilis erat sed etiam noxius: non sua aliqua culpa sed hominum vitio, qui *dilexerunt tenebras magis quã lucem.* Noxius autem, quia *offenderunt in lapidem offensionis, & positus est in ruinam multorum. Sed idem Christus Dominus non fuit inutilis illi mundo*, de quo idem Ioannes dixit. *Non venit filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Sic Deus dilexit mundum vt vnigenitum suum daret, & cætera* & Apostolus. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; qui vtique non reconciliat sibi nisi Ecclesiam*, ait Augustinus. De hoc autem mundo potissimum loquitur argumentum nostrum. Si mundo, id est, Ecclesiæ Christianæ fideles verbi ministri quos fingis, incogniti erant; profectò huic mundo, id est, Ecclesiæ Christianæ prorsus inutiles erant. Hoc autem repugnat fini propter quem Christus dedit Ecclesiæ suæ fideles verbi ministros, pastores, doctores, & cætera. Dedit enim eos *ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Cessant autem hæc omnia, vbi incogniti illi sunt per quos hæc præclara munera obiri debent, vt alibi in hoc opere explicuimus. Vides ergo G. F. vt huic argumento per hunc tuum scrupulum nihil penitus responderis.

Ioan.1. | Mundi significatio triplex in Scripturis. | Ioan.1. | Tract. 3. in Ioan. | Ioan. 3. | Rom.9. | Luc. 2. | Ioan. 3. | 2 Cor.5. | Contra Donat. post Collat. ca. 6. | Ephes. 4. | lib 3 cap. 6.

Subiungis, vt alteri argumento respondeas, *Christum quum diceret, vt cognoscat mundus* F *quia tu me misisti, non mundum quocunque sensu intellexisse, non illum pro quo eodem loco negat se orare, & quem suos odio habere asserit qui non cognouit per sapientiam Deum, qui denique totus in maligno positus est, de quo mundo non est mirum si aliquandiu prorsus incogniti illi essent fideles verbi præcones; qui tamen lux mundi erant, & ciuitas super montem posita vtrumque cæcis ac caligantibus impiorum oculis minimè conspicua: Sed mundi nomine Ecclesiam intellexisse.* Et hic iterum meam ignauiam homo acerrimus reprehendis dicens. *Ne verò in mundi significatione falli potuisses, ignauissime sophista, coniunxit Ioannes cum mundo Antichristi Ecclesiam, cui fieri potuisse dixit, vt non semper conspicui essent piorum cætuum pastores & ministri.* Hæc sunt omnia quæ alteri argumento respondes, vt me in illis construendis & hominem vanissimum, & sophistam ignauissimum esse conuincas. Sed vide parum quàm vana tua est sine viribus ira. Esto intellexerit Christus veram tantummodo Ecclesiam in illis verbis: *vt cognoscat mundus.*

Ioan.17. | 1.Cor. 1. | 1.Ioan.5.

Saltem igitur hoc ostende, fideles verbi præcones quos iactitas, hinc veræ Ecclesiæ cognitos fuisse. Sed veram Ecclesiam quomodo tu nobis demonstrabis aliquando, cui cogniti fuerint hi verbi præcones, quum ipsos præcones, ipsos Pastores,

A ſtores, Doctores, Epiſcopos, præpoſitos & magiſtros Eccleſiarum oſtendere nul-
los potes, per quos vera Eccleſia colligitur, adminiſtratur, paſcitur, docetur ac
denique cognoſcitur? Ait quidem impiorum oculis & mundo malorum incogni-
tos illos eſſe potuiſſe & fuiſſe, piorum tamen oculis ſatis conſpicuos, adeoque lu-
cem mundi extitiſſe. Sed hos pios hunc mundum cui illi illuxerint, nuſquam profers,
nuſquam oſtendis. Cæterum & illud intelligere debes, mundi nomine etiam ipſos in-
credulos & impios intelligi poſſe, cùm dicit Chriſtus *vt cognoſcat mundus quia tu me miſi-* *Mundo etiam*
ſti: Nam de hoc mũdo generaliter accepto loquutus eſt Saluator eodem in loco, cùm *impiorum cogni-*
diceret. *Sicut tu miſiſti me in mundum ita & ego miſi eos in mundum*. Et hunc mundum intel- *ta eſt eccleſia.*
lexit iterum Saluator cum diceret. *Ego lux in mundum veni*: ac deinde de perpetuis vica-
riis ſuis: *Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ*. Et rurſum: *euntes in mundum vniuerſum prædicate*
Euangelium. Apoſtoli enim & cæteri præcones verbi Euãgelici mittuntur in mundum
impiorum, vt ex eo faciant mundum piorum, quem Chiſtus reconciliat ſibi. Sunt lux
mundi, partim illuminans impios & *poſita in lucem gentium vt apertis oculis eorum conuertã-*
tur à tenebris ad lucem. partim lucens illis qui iam in domo ſunt vt Saluator ipſe exponit. Act. 13. 47. & 26. 18.
Et propter hanc duplicem functionem prædicationis Euangelicę, duplici de cauſa cõ-
ſpicui eſſe debent prædicatores verbi: non ſolum ipſis fidelibus vt eos in officio pieta- Matth. 5.
tis contineant, ſed etiam ipſis infidelibus vt eos ad ſtudium pietatis conuertant. vnde
etiam ad gloriam & propagationem nominis Chriſti pertinet, ipſius Eccleſiam & præ-
cones verbi ſui in ea conſpicuos eſſe mundo, non ſolum vt Eccleſiã ſignificat, ſed etiã
B vt impios & infideles notat: idque in hunc finem, vt cognita Eccleſiæ Chriſtianæ fama
celeberrima, ab infidelitate conuertantur. Hunc finem & hanc cauſam viſibilis Eccle-
ſiæ latius in hoc opere proſequuti ſumus. Manet ergo firmum planéque inuictum al- Lib. 2. cap 6. & 7.
terum argumentum contra confictos iſtos verbi præcones latentes & incognitos:
quia nihil cum Chriſti Eccleſia commune, nihil ſimile habent. Illa enim tum his tum
aliis nominibus, & cauſis grauiſſimis, conſpicua & illuſtris ſemper eſſe debet.

Sed vide iam paucis G. F. dum me ignauiſſimum ſophiſtam iratus appellitare volui-
ſti, quàm tuam & ignauiam & inſcitiam, ne dicam malitiam prodideris. *Ais illo in loco*
Ioannem cum mundo Antichriſti Eccleſiam coniunxiſſe: Deinde eum dicere fieri potuiſſe vt illi non „
ſemper eſſent conſpicui piorum cætuum paſtores. At vtrumque falſum eſt. Neque enim vel illo, „
vel vllo alio in loco de Antichriſti Eccleſia loquitur Ioannes. Nulla enim talis eſt. Vni-
ca in terris eſt Chriſti Saluatoris Eccleſia. Hæreticorum & ſchiſmaticorum ſectę & „ *Nulla eſt Anti-*
conuenticula ſunt; Eccleſiæ nullæ ſunt. Antichriſtus verò neque nomen aut titulum *chriſti eccleſia.*
Eccleſiæ vnquam præſeferet; ſed Chriſti nomen atque Eccleſiam manifeſtè & abſque
vlla ſimulatione aut fuco Chriſtianiſmi oppugnabit. Scio, ſtultiſſimum veſtrum para-
doxum de Antichriſto Eccleſias occupaturo, ex obſcuro illo Apoſtoli loco 2. ad Theſ-
ſalonicenſes 2. etiam contra cõmunem patrum ſenſum à vobis intellecto. Sed vt Chri-
ſti nomen aperto vultu, ita multò magis Eccleſiam Chriſti apertè & palam oppugna-
C bit & ſubuertere conabitur Antichriſtus: non pallians ſe Eccleſiæ nomine ſed Eccle-
ſiam hoſtiliter perſequens; nec Chriſtianiſmi titulo hæreticorum more ſeſe occultãs,
ſed Chriſtum ipſum disertè pernegans. Quare Antichriſti Eccleſia, idolum & chi-
mera eſt veſtra G. F. ſubſiſtens aliquid aut quod aliquando ſubſiſtet eo nomine non
eſt. Ioannes autem de mundo impiorum, de incredulis ſanè eo in loco loquitur, ſed
ſenſu & modo quem dixi. Quod autem addidiſti, *dicere Ioannem potuiſſe fieri, vt huic mun-*
do impiorum non ſemper eſſet conſpicua Eccleſia piorum, *vanius* adhuc eſt. Nihil enim pror- „
ſus huiuſmodi habet Ioannes. Profer verba, & me mendacij, ſi potes, coargue. Et vero
voluit Chriſtus Eccleſiam ſuam ſic ſemper eſſe à prima ſua propagatione per omnes „
ætates conſpicuam, vt ſemper eſſet lux mundi, etiam impiorum, quoties impios à te- „
nebris ad lucem, opera & miniſterio huius Eccleſiæ conuertere voluit. Quibus Salua- Matth. 5.
toris verbis ad poſterioris argumenti noſtri confirmationem productis tu G. F. nihil
planè hoc loco reſpondiſti. Quo conſilio, tu videris.

A clesia. Quare etiã tuo iudicio hęretici erunt. Subiũgis tamẽ vt quod temere asseruisti, saltẽ tenuisse probes, & dicis. *Nã quãuis nõgenti amplius anni sunt ex quo Bonifacius Antichristianam tyrannidem apertè inuasit, non tamen vno momento diabolus omnem Ecclesiam in loca solitaria detrudere valuit. Vix enim quingentis postea annis, veram salutis doctrinam ex Ecclesiis Europeis exterminare potuit, vtcunque per multas corruptelas id maximè iam olim cœtum cuperet.* Tuus ergo calculus à nongentis quidem annis cœpisse, sed à quadringentis tantũ prorsus præualuisse Antichristum, verámque Ecclesiam in latebras protrusisse, ponit. Quid igitur? totis saltem quadringentis annis latitasse in deserto Ecclesiam veram, hocce tibi aliquantisper tantùm, aut breue illud tempus videtur, quale locus ille Apocalypseos describit? An non vel istud solum perpetuitatem Ecclesiæ in luce & splendore subuertit? Quomodo enim perpetuò illa substitit iuxta propheticas & euãgelicas promissiones, quæ secundum vestrum mendacium totis saltem quadringentis annis vbi substiterit, nemini perspectum est? Quanquam & tuus iste calculus G.F. vtcunque iuxta fox. tui & Pantaleonis rationes initus, longissimè tamen à vera ratione aberrat, si magnos illos magistros tuos, Vviclepsum, Caluinum, Lutherum, Melanchthonem, Magdeburgenses, Centuriastas audire vis: quorum sanè calculus longè ante Bonifacium orditur: vt alij à Zosimo, alij à Siluestro, alij à Victore, alij denique ab ipsis proximis Apostolorum successoribus hanc corruptæ doctrinæ, & latitantis Ecclesiæ lineam du- Lib. 3. cap. 4. cant. Quod ex ipsorum verbis in hoc opere explicatum dedimus. Sed profectò & tuus & illorum calculus pari veritate subsistit; vterque mendax & Blasphemus est, si verax & Ioan. 17.
B sanctus Christus est, qui suæ Ecclesiæ promisit, *vt Spiritus veritatis eam doceret omnem veritatem*, non aliquas veritates multis næuis & stipulis falsæ doctrinæ Contaminatas: idque *in æternum*, non aliquot sæculis tantum, postea Eclipses nescio quas patiendo: ac Matth. 5. præterea vt esset *Ciuitas quæ abscondi non posset*, id est, quæ latitare in deserto quod tũ blasphemè ponis, nunquam debuerit. Apage ergo tu cum tuis mendaciis. Nos Christo Ioan. 14. credimus qui *via nostra, veritas, & vita est.*

Locus Apoc. 12. de muliere in desertum fugiente.

Ad Apocalypsis locum tandem explicandum venis, & ostendere vis loci circunstantiam contra sensum vestrum nihil facere, quod ego luculenter reclamare dixeram: hac sanè de causa, quòd fuga illa in desertum ad mille ducentos ac sexaginta dies tantum, id est, ad tres annos cum dimidio, non amplius extenditur: vestra autem fugitiua multis iam sæculis latitauerit. Respondes *fatere quidem his numeris ac nominibus tempus breue ad consolationem piorum designari, dimidium scilicet septimanæ mysticæ & propheticæ sed quibus dierum, annorum, aut mensium curriculis finiendum, nobis qui temporum articulos, quos pater in sua potestate posuit, curiosius inuestigare prohibemur, penitus incognitis.* Si tempus breue fateris, qua tu fronte ad tot sæcula hanc fugam extendis? Si horum temporum & dierum cirriculi tibi sunt incogniti, quare definis à Bonifacio hanc fugã cœpisse, & quingentis post annis in deserto totam Ecclesiam receptam fuisse? Si ad cõsolationem piorum tempus breue designatum est, profectò in tot sæculorum fuga & latebris non cõ- Matth. 24. solatio sed deceptio piorum erit hæc prophetia. Deinde Christus promittit fore *vt dies*
C *abbreuientur propter electos* Vos autem illos extendistis immaniter propter vestros reprobos & hæreticos, quos vultis Ecclesiam latitantem esse. Sed tibi semper negamus ad Ecclesiæ lapsum & interitum, vel etiam latebras & fugam aliquam nisi fortè in fine sæculi sub Antichristi aduentu, hanc prophetiam spectare: idque propter manifestissimas Christi promissiones in contrarium, Tui Bulligeri, Cjithrei, Marlorati commentarios quos profers, nihil moramur. Te cæci cæcum ducunt, & omnes in foueam cæcidistis. Profer mihi sanctos patres, veræ Ecclesiæ lumina, pastores, & Doctores? Hos audiam.

Sed malè te habet, quòd hanc mulieris in desertum fugam in finem sæculi reiiciã, & ais. *crassum hoc esse delirium* (ita semper modestus es) *in mundi finem relegare, quod statim à partu mulieri euenturum Spiritus Sanctus præmonuit.* Si statim à partu hæc fuga mulieri, id est, Ecclesiæ euentura prædicitur, quare tu illam ad tempus Bonifacij, imo ad quingentos post annos, id est, ad annos mille post partum eius modo reiecisti? Vides vir acutissimè, si crassum hoc delirium est, non me solum delirare. Addis: *in tantas temporum angustias, quantas nos fingimus, sub finem sæculi regnante Antichristo, nulla ratione compelli posse, quæ Scriptura commemorat: nempè post fugatam mulierem aquam ex ore serpentis profluentem à terra absorptam, bellumque à Dracone gestum cùm reliquiis seminis eius qui custodiunt mandata Dei.* Hoc quidem asseris, sed assertionis tuæ nullam causam adfers; quasi tu is esses, quo asse-

Math.24. rente ſatis ſit dicere: αὐτὸς ἔφα. Ego verò nõ video cur de perſequutione Antichriſti hoc
" totum intelligi nequeat. Vtcunque enim breuis, grauiſſima tamen illa erit ſanctorum D
" perſequutio, calamitas & deſolatio: *qualis non fuit ab initio mũdi vſque modo neque fiet.* Sub-
" iungis poſtea vt validius adhuc reſponſionem hanc noſtram confutes, & ais. *Quod ſi vel*
" *ſub finem ſæculi ad implendam hanc prophetiam de Eccleſia negare non audet, quin in deſertum ab*
" *Antichriſto pellenda ſit: quomodo Chriſtus tam apertis verbis vetuit, ne vnquam in deſerto Eccleſiã*
" *quæreremus, quam ipſe ſuo Ioanni in deſerto per aliquod tempus alendam prædixerit:* Hæc tu: móx-
" que quaſi læthali plaga hoſte confecto triumphum canis, & ſolitæ tuæ modeſtiæ colo-
In deſertum pelli Eccleſia poteſt, & tamẽ in deſerto Eccleſia quærenda non eſt. phonem annectis, dicens. *Vides inſulſiſſime oſtentator, quo futiliſſime ineptiæ tuæ recidant.* Ego
verò reſpondeo vir manſuetiſſime, & Antichriſti tempore in deſertum pelli Eccleſiam
poſſe, & tamen in deſerto illo quod Chriſtus dicit Eccleſiam quærẽdam non eſſe. Pelli
ſanè in deſertum poterit Eccleſia regnante Antichriſto, & illo momento temporis in
deſerto, id eſt, in locis abditis, in latibulis in ſpeluncis quò ſancti ſe recipient, non incõ-
modè quæretur Eccleſia. Cæterum illa deſerta non erunt hic & illic, ſed erunt vbique
per omnes gentes, per quas Chriſti nomen propagatum eſt. & in quibus Chriſti nomẽ
profligabit quantum poterit Antichriſtus: Talis enim eſt *dilecta ciuitas*, & talia ſunt *caſtra*
Apocal.20. *ſanctorum, quæ ſoluto diabolo cingentur à Goget magogi*, id eſt, *Eccleſia Chriſti toto terrarum orbe*
diffuſa ab omnibus inimicis ſuis (quia & ipſi in omnibus gentibus cum illa erunt) perſequutionis illius
immanitate cingetur: vt alium Apocalypſis locum cap.20. exponit Auguſtinus de Ciuita-
te Dei lib.20. cap.11. Chriſtus autem docet non eſſe in deſerto illo quærendam Eccle-
ſiam, de quo dicetur, *ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic*, id eſt, ſic hic & illic vt non vbique, non in E
communione omnium gentium, non in Catholica multitudine per orbem vniuerſum
diſperſa; ſed in hæretica paucitate, hic & illic per partes & ſciſſuras diuiſa atque diſiun-
cta. Nẽpe disertè Chriſtus de Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis loquitur, qui eo tem-
Math.24. pore ſurgent & dicent: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic.* Vna hæreſis hic altera illic. Vna ſecta
Geneuæ; altera ſecta Vuittenbergæ, Lipſiæ & in reliqua Saxonia ſuperiori. Imò in vno
& eodem loco variæ ſectæ ſeorſim auocabunt & abducent poſt ſe diſcipulos. Hodie in
In Anglia Chriſtus hic & illic. Anglia præter Caluiniſtas, ſeorſim ſuos ducunt Puritani, & aiunt: ecce hic eſt Chriſtus,
hic eſt Euangelium; hic eſt pura puta adminiſtratio verbi & ſacramentorum. Seorſim
ſuos ducit familia amoris & dicit: Ecce hic eſt Chriſtus: hic eſt. H. N. hic homines dij
fiunt & Deus ipſe in homines transformatur. Seorſim ſuos ducunt ſuperilluminati, no-
ui Iudæi, Anabaptiſtæ, noui Ariani & quidem deteriores in eadem Anglia. Nec enim
defuit Matthæus quidam qui Chriſtum prorſus non ſolum deum ſed & aliquo modo
redemptorem eſſe negauit, ideoque Nordonici in Anglia menſis Maij 20. an 79. flam-
mis abſumptus eſt, non modica etiam poſt ſe impietatis ſuæ ſecta relicta. Si Antichri-
ſtus noſtro tempore regnaret, omnes iſtæ ſectæ (niſi fortè ad Antichriſti caſtra tranſi-
rent), vnà cum Catholica multitudine deſerta loca peterent, & in deſerto latitarẽt ad
tempus, tam vera Eccleſia quàm vnaquęque hæreſis. Sed latum & maximum diſcri-
men hoc eſſet, quòd de Catholica non diceretur, ecce hic, vel ecce illic eſt Chriſtus;
ſed ecce & hic & illic, & per alias gentes quaſcunque, vbi Chriſti nomen auditur, eſt F
Chriſtus, eſt Eccleſia. Ab vnaquaque autem ſecta diceretur, ecce hic eſt Chriſtus &
non illic. vnaquęque ſuas partes oſtenderet, ſua ſacramenta proferret, ſua fragmenta
indicaret. Et hoc ſenſu ac modo in deſerto quærẽdam Eccleſiam prohibuit Chriſtus.
In deſerto autem quoad loca ad breue momentum latitare Eccleſiam docere potuit
Ioannes in ſenſu ac modo quem diximus, nec quicquam tamen Chriſti verbis contra-
rium docere, quæ de deſerto quoad ſectas & partes potiſsimum loquuntur.

Manifeſta Chriſti verba deſerẽda non ſunt propter obſcuras prophetias. Sed quum Chriſti Saluatoris verba hic manifeſtiſsima ſint, tam de Eccleſia in de-
ſerto non quærenda, quàm de Eccleſia in perpetua luce & veritate conſeruanda; Ioan-
nis autem verba vehementer ſint obſcura, nec certò conſtet de Eccleſia ipſà loquatur
necne; etſi de Eccleſia loquitur, de quo tempore ac ſtatu loquatur adhuc magis in-
certum eſt; profectò dementiſsimum eſt à Chriſti verbis quę ſunt manifeſtiſsima rece-
Præfa. in pſal. 140. dere, & obſcuræ prophetiæ in ſpeciem repugnanti adhæreſcere. Ego verò ab Auguſti-
no didici, *apertis Scripturarum locis paſci, obſcuris exerceri*: vos contra appetitu præpoſtero &
De vnitat. eccleſ. cap.19. malè ſano, aperta loca faſtiditis, obſcura temere deuoratis. Et vt Donatiſtis Auguſti-
nus acutiſsimè dicit. *libenter in opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini.* Apertiſsimas
prædictiones propheticas & promiſsiones Euangelicas, de Eccleſia Chriſti per omnes
gentes

A gentes diffundenda, perpetuò & in perpetua luce atque splendore duratura (quas in hoc opere studiosè produximus) surdis auribus præteritis. Obscuram prophetiam de mulieris fuga in desertum vnicè amplectimini & perpetuò vrgetis. Quare tu sanè disertè profiteris, *te Christum quidem in cælo tantum quærere; at corpus eius id est in terris peregrinantẽ Ecclesiam* (quasi caput à corpore diuelli queat, aut quasi ipsum caput suo corpori non dixisset, *Ego vobiscum sum omnibus diebus &c.*) *nõnunquam* (id est, secundum te, multis sæculis) *etiam in angulis, in carceribus, in fodinis, in speluncis ac specubus subterraneis te agnoscere, non quidem totam in vnius loci angustias conclusam, sed per vniuersum orbem variis in locis dispersam.* Matth. vlt. Hæc sanè quam describis, non Ecclesiæ in toto cursu & progressu, sed persecutionum & crucis, quas in exordio suæ propagationis perpessa est, & in fine passura est, forma & facies est. Nos autem Ecclesiam quærimus iuxta eam formam & faciem quam in toto cursu & progressu suo maximè his totis mille & ampliùs annis (quod tẽpus errori deputatis) in terris obtinuit. Hanc illustrem & conspicuam per pastorum & populorũ certas successiones, & in communione omnium gentiũ iuxta Scripturas ponimus. Quare si fuit in deserto Ecclesia in toto cursu & progressu suo, aut aliquot sæculis profectò ex vniuerso mundo perierit: tum quia talis non extiterit, qualem eam fore Scripturæ descripserunt; tum etiam quia nusquam apparuerit; vtcunque tu nescio quibus electis in spirituali gloria illustrem illam fuisse vanissimè mussites. Quod & postea ostendemus. Ecclesia in toto suo cursu conspicua est.

Addis postremo, ne vnius obscuræ prophetiæ prætextu ad obscuram in desertò
B Ecclesiam quærendam abductus videare, & dicis. *An non prædictam ab Apostolo, à Christo ad Antichristum apostasiam totius ferè orbis in memoriam vobis reuocamus?* 2. Thess. 2. Quasi verò ille Apostoli locus, de discessione primùm, ac deinde reuelatione hominis peccati, non sit obscurissimus: non quidem quoad personam Antichristi (*de qua ibi loqui Apostolum & de die Iudicij, nulli dubium esse* affirmat August.) sed quoad speciem illam discessionis; De ciuit. Dei. Lib. 20. cap. 19. quam quatuor diuersis modis exponunt vetustissimi interpretes: deinde quoad illa verba, *ita vt in templo Dei sedeat*, quod etiam variis modis exponunt veteres, & ipse Augustinus multum in eo exponendo desudat; ac denique quoad illa verba, *Nunc quid detineat scitis: & teneat qui tenet, donec de medio fiat*: ad quorum *verborum intelligentiam se non potuisse peruenire* scribit Augustinus. Vbi suprà. Quin etiam ad illa verba. *Iam mysterium iniquitatis operatur*: Ego (inquit Augustinus) *me prorsus quid dixerit Apostolus, fateor ignorare.* Et tamen iste tibi locus. G. F. nihil planè obscurum habere videtur. Adeo quicquid tuam heresim iuuat, apertum tibi est, vtcunque veteribus & doctissimis patribus obscurum sit visum. An verò iste locus Apostoli, apostasiam totius orbis doceat, maximè qualem tui fingunt, lege Nicolaum Sauderũ toto lib. 8. visibilis Ecclesiæ Monarchiæ copiosè & accuratè disputantem. Subiungis. *Quid illa prophetia etiam obscura est Apocalyp. 13. de bestia quã omnes gentes, tribus, populi, & linguæ adorarunt? Quid autem altera cap. 18. de magna meretrice non in deserto sed in luce & conspectu omnium septem collibus insidente ciuitate inquam quæ habet imperium in reges terræ, de furioso eius fornicationis vino omnes gentes biberunt?* Quasi vero quicquã
C in Apocalypsi sit non obscurum, de qua grauiter & verè scripsit Hieronymus. *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta quot verba.* Sanè illam bestiam de qua Ioannes c. 13. & c. 20. agit, quam tu cum tuis sine vlla dubitatione asseueras, Romanam esse vel ciuitatem vel Ecclesiam, longè aliter exponit, doctissimus Augustinus, idque magis suspendendo quàm præcipitando sententiam. In epist. ad Paulinum. De ciuit. Dei. Lib. 20. cap. 9. *Quæ sit,* (inquit) *ista bestia, quamuis sit diligentius inquirendum, tamen non abhorret à fide recta, vt ipsa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli* &c. Imaginem porrò bestiæ vult *zizania quæ sunt in Ecclesia significare, quia non veraci effigie sed fallaci imagine sunt Christiani.* Vobis autem nihil est obscurum, quia facit vos vel securos ipsa ignorantia, vel præcipites arrogantia. Porrò altera prophetia Apocal. 18. quam profers quàm nihil ad Romanam Ecclesiam pertineat, satis accuratè Lib. 8. cap. 47. demonstrauit Nicolaus Sauderus in visibili Ecclesiæ monarchia. Tu tamen quasi nihil in his omnibus prophetiis esset obscurum (quibus tamen omnibus indiuiduus comes & proprium quodammodo inseparabile solet esse obscuritas) ita subiungis. *Hæ si tibi obscuræ prophetiæ videntur, quæ in multos probabiles sensus à multis trahi possunt (quod tamẽ nemo nisi nobilis huius scorti meretricio amore captus penitus atque obcæcatus dixerit) saltem spiritus manifestè*

ac diserte loquitur, futuros qui à fide deficerent attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum esse quorum hæ sunt notæ, matrimonium, ciboſque a Deo ad percipiendum cum gratiarum actione creatos prohibere. Itane verò G.F.? Nemo nisi meretricis Babyloniæ amore captus & obcæcatus superiores illas prophetias obscuras dixerit? I. ergo & Augustinum atque Hieronymum huius scorti amasios atque mancipia pronuncia. Sed & Theodoreto, Chrisostomo, Ambrosio, Sedulio, Theophilacto eandem turpitudinis notam homo audacissime inurito. Desudant enim hi omnes in suis commentariis ad illum Apostoli locum 2. Thess. 2. & coniectura magis quàm certa asseueratione sensum Apostoli eruūt. Quod autem nunc ex Apostolo adfers, *de futuris qui à fide deficiam* &c. est illud quidem satis manifestè dictum, sed futuros in Ecclesia per varias ætates & loca hæreticos, non totius Ecclesiæ aut orbis apostasiam Apostolus ibi prædicit, vt tu ex hoc loco cum Donatistis concludis. Illorum enim vox erat *orbem terrarum apostatasse.* Fingis tamen me aliud dicere, & ais *Sed & hanc prophetiam Stapletonus in solis Manichæis locum habere constanter asserit.* Et deinde multis verbis ostendere conaris ad solos Manichęos hæc verba pertinere non posse. Sed vbi vir sagacissime vel legisti, vel audiuisti, vel animaduertisti me asserere, idque constanter, in solis Manichæis hanc prophetiam locū habere? Cur adeo impudenter mentiris vir bone, nisi quia *posuisti mendacium spem tuam, & mendacio protectus es?* Ego verò id nusquam dixi, scripsi, aut sensi: Solis inquam Manichæis hanc prophetiam peculiarem esse. Sed in Manichæis potissimum hanc prophetiam locum habere, & Stapletonus & Augustinus constanter asserunt; Imo ex Augustino vt alia multa, sic istud etiam Stapletonus didicit. *Christianos non hæreticos sed Catholicos edomandi corporis causa, non quod immunda illa esse credant, non solùm à carnibus sed etiā à quibusdam terræ fructibus abstinere.* Rursum *Ecclesiam quæ verè Christi Ecclesia est, sic bonum esse nuptias dicere, vt tamē meliorem dicat virginitatem: ideóque illum prohibere nuptias qui hoc malum esse dicit, vt* Manichęi; *non qui huic bono aliud melius anteponunt,* vt Catholici: Hæc ex Augustino didicit libenter Stapletonus, vt ad Manichæos potissimum, non ad Ecclesiam Christi omnino propter ieiunia sancta & cælibatus proposita, hanc prophetiam pertine indicaret. Tu tamen furore cæco adhuc Ecclesiæ hoc crimen impingis, quo illā ab annis iā mille ducentis tātus Doctor tam perspicuè liberauit. Addis quoque rabie hæretica percitus, *eadem impietatis & hypocriseos signa & manifestiora & diutius perdurantia in Romana Ecclesia omnibus oculis conspici,* Sic tu quidem muliebriter conuiciaris & impotenter debaccharis, sed conuitij tui nullam planè probationem adfers; ad maledicēdum promptus, ad probandum quod dicis planè mutus. Concludis tamen qua te de bene gesta. *Non igitur vnius obscuræ prophetiæ prætextu à Romanensium cœtu disiungimur, quem tam multu tamque perspicuis sanctæ Scripturæ oraculis Antichristianam esse tyrannidem edocti sumus.* Imo planè propter obscuras quasdem prophetias (vt iam ostendimus) lucutentissimas, & creberrimas promissiones in lege, in psalmis, in prophetis, in Euangelio, Ecclesiam Christi per omnes gentes visibiliter diffusam, & perpetuo durantem describentes deseritis. Istæ promissiones, prædictiones, descriptiones Ecclesiæ Christianæ creberrimæ, apertissimæ & manifestissimæ sunt, adeo sanè *vt nullo egeant interprete,* ait sæpeque repetit Augustinus. Prophetiæ allatæ obscuræ sunt, paucæ sunt, cordato & perito interprete egent. Illę promissiones statum Ecclesię Christianę in toto suo cursu & progressu describunt. Prophetię à te allatę *de Antichristo & die Iudicij,* (ait Augustinus de loco 2. Thess. 2.) certè de postrema Ecclesię persecutione & tribulatione, omnium ferè veterum iudicio loquuntur. Has tu promissiones legales, propheticas, Euangelicas Ecclesiæ amplitudinē, perpetuitatē, lucē atque splendorē verbis clarissimis, iterū atque iterū inculcantes (quas diligēter lib. 2. & 3. huius operis produximus) tu cum veteribus Donatistis surda aure prætergrederis. Et quod illi de illo obscuro loco, *vbi cubas vbi pascis in meridie,* egerunt, hoc tu de istis obscuris prophetiis agis, vt propter obscura pauca *quibus exercemur ad edomandam labore superbiam & intellectum a fastidio reuocandum* (ait Augustinus) deseramus manifesta quam plurima; quibus pascimur & erudimur. Sed non feremus vt tua lupina rabies à pascuis saluberrimis nos auertat. Oues sumus, postoris vocem audiuimus, & eam sequi volumus. Dicam cum Augustino. *Habeo manifestissimam vocem pastoris mei commendantis mihi & sine vllu ambagibus exprimentis Ecclesiam mihi imputabo si ab eius*

Marginalia: D; Augustin. de vnit. Eccles. cap. 12.; Isaiæ. 28.; contra Faust. Manich. lib. 30. cap. 5. & 6.; E; De vnit. eccl. cap. 9. 10. & 16.; De Ciuit. dei. Lib. 20. ca. 19.; F; De vnit. Eccl. cap. 14.; De doctrina Christiana Lib. 1. cap. 6.; De vnit. eccl. cap. 10.

grege

A *grege aberrare voluero.* Et paulò post. *Istæ diuinæ voces de vniuersa Ecclesia ita manifestæ sunt, vt contra eas nisi hæretici animosa peruersitate & cæco furore latrare non possint.* Sed (vt Donatistis dixit Augustinus, ita & vos) *libenter in opertis immoramini ne fateri aperta cogamini. Ecce Ecclesia. Rogo quid patimini? Ecce Ecclesia tot manifestissimis sanctarum Scripturarum testimoniis commendata & expressa, prædicta & demonstrata. Sicut audiuimus ita & vidimus. Noli ergo putare* (vt eiusdem Augustini verbis adhuc magis vtar) *veras oues Christi, quibus dictum est, Nolite credere, vsque adeo cor non habere, vt lupum audiant dicentem, Ecce hic est Christus, ecce in deserto, & pastorem non audiant dicentem, per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.*

Ibidem ca. 19.
Contra Petil. Lib. 2. cap. 6.

Defensio latitantis in deserto Protestantum Ecclesiæ, refutata.

CAPVT III.

DONATISTARVM crimen, qui in sola Africa Ecclesiam ponebant, & secundum exordium reparatæ Ecclesiæ posuerunt, tibi à me rectissimè obiectum, qui in deserto Ecclesiam ponis, & secunda etiam exordia illucescentis hodie Euangelij demonstras, hoc fuco ac nomine à
B te repellis, quòd *desertum illud tuum, in quod profugisse Ecclesiam sacrā Prophetiam testari* dicis, *tam latè patet quàm orbis terrarum. Fuit igitur Ecclesia toto orbe diffusa etiam tum cum in solitudinem pulsa draconis sæuitia ad tempus à Deo definitum ipsius patrocinio tuta lateret.* Ista quidem à te perfricta fronte asseruntur; sed ista à te nulla ratione ostenduntur. Ostendere autem debes non tantum dicere, Desertum hoc tuum tam latè patere quàm orbem terrarum, id est Ecclesiam vestram sic in deserto latuisse, vt tamen totum orbem terrarum latens occupauerit atque repleuerit.

Desertum Protestantium toto orbe non patuit.

Hoc tu G. F. ostendere diligentissimè debebas, si tibi in re tanta, ab aliis quam ab amicis & sodalibus tuis, credi volebas. Si enim hæc latitans in deserto Ecclesia, tibi tamen tanquam electo & spirituali viro conspicua fuit, idque adeo toto orbe terrarum, ostendere eam, & manifestare aliis debebas, qui non tam lyncei sunt vt has latebras inueniant vel tenebras videant. Sed repeto quod superius dixi. Profer quando voles latitantes toto orbe electos tuos: non alios proferes quàm etiam tuo ipsius iudicio hęreticos.

Protestātes Donatistis impudentiores.
In brauiculo collat. diei 1.

Sed vide quàm tu hoc loco Donatistis impudentior es. Illi in Africa quidem sola, & in paucis Montensibus Romę, suam quam vocabant Ecclesiam ponebant. Sed id quod res erat, dicebant. Habebant enim in Africa ducentos septuaginta sectæ suæ episcopos, vt ex collatione Carthaginensi cōstat apud Augustinum. Habebant quoque quandam successionem in speluncis circa Romam Montenses Donatistæ, quam commemorat
C Optatus lib. 1. & 2. Tu autem G. F. qui toto orbe terrarum latitasse tuos maiores dicis, nullam tamen antè Lutherum sectæ tuæ successionem proferre potes.

Iam verò, vt retorsione criminum tuam probes innocētiam quam recta ratione probare non posses, ais. *Sed vos, vos inquam Papistæ in eadem causa estis cum Donatistis, qui de cæteris quidem gentibus Ecclesiam Christi iam multis abhinc sæculis in sola Europæ parte, vt illi in Africa demonstratis cæteros omnes ab ea resecando qui Romanæ Ecclesiæ non parent.* Quod autem obiicis multipliciter falsum est. Primùm enim non à multis sæculis Græcorum schisma seu Orientalium Ecclesiarum ab Occidentalibus diuisio penitus inualuit (quam rem perstringere videris dum Ecclesiam Romanam in sola Europæ parte à nobis poni asseueras, sed quum antè annos circiter septingentos cœpisset quidem illud schisma, Photio Patriarcha Constantinopolitano intruso, hæresim illam contra processionem Spiritus Sancti publicè defendente, (quam tamen etiam postea retractauit) cuius hęresis defensio præcipua schismatis illius causa erat, vt in Concilio Florentino sess. 2. ipsi Græci affirmarunt, tamen & 60. annis post vsque ad Christophorum Papam cum Romana Ecclesia Gręci conuenerunt, vt Nilus author Græcus affirmat, & trecentis annis post in Concilio Lateranensi sub Innocentio. 3. Gręci Patriarchæ, Hierosolymita-

De schismate Græcorum.

nis & Constantinopolitanus, cùm aliis Episcopis græcis & cum legato Græci Imperatoris contra errores Abbatis Ioachim, ipsamque Berengarij hæresim vnanimiter cum latina Ecclesia conuenerunt; & præterea septuaginta post annis iterum Lugduni sub Gregorio 10. cum Græcis latini conuenerũt, & in multis articulis consenserunt, vt tuus Pantaleon in Chronologia sua ex Sabellico notauit; certius autem referunt Nicephorus, Gregoras & Pachymeres Græci: & denique in Concilio Florentino, sub Eugenio 4. ante annos 140. prorsus & per omnia cum Latinis Græci conuenerunt, ipso Imperatore Græco Ioanne Paleologo, & Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, multisque aliis Græcis Episcopis præsentibus; consensũque vnanimi vnionem fecerunt, solo Marco Ephesio excepto, qui domum rediens renouandi tam fœdi schismatis author fuit; in cuius vindictam Deus vniuersam Græciam in manus Turcæ Mahometani paucis post annis dedit. Non igitur propter Orientalium schisma ante annos tam paucos confirmatum, & per tredecim vniones (vt notauit Trithemius,) subinde ac identidem reparatum, à multis sæculis, vt tu falsò affirmas, in sola Europæ parte ecclesiam ponimus.

3. Hist lib. 5. 4. In Chronico Monast. Hirsang.

5\. His accedit quod & in eodem Concilio Florentino, antè annos tam paucos Armeni & Indi (qui vtique extra Europam sunt, per legatos suos vnionem cum Romana Ecclesia redintegrarunt; quam etiam nouissimè in Concilio Tridentino Abdiisu Patriarcha Assyrius professione fidei suæ ad Concilium missa, publicè suorum omnium nomine professus & constanter retinere pollicitus est. Deinde quam latè extra europæ fines, in latissimis non solùm totius Americæ seu noui orbis, sed etiam totius Orientalis Indiæ amplissimis gentibus, etiam vsque ad latissimos & remotissimos Sinorum populos, atque adeo in insulis Iapanicis adhuc magis dissitis & remotis, Romanæ ecclesiæ communio & primatus etiam hodie se extendat, alibi in hoc opere commemorauimus. Vnde iterum alia ex parte falsa deprehenditur hæc tua cauillatio. Quam autem ipsemet vocas europæ partem, quot regna populos ac gentes vel illa sola complectatur, in hoc etiam opere recensuimus; vt propterea etiam hoc nomine nihil simile cum Donatistis nostra causa haberet, si in illa sola (vt tu dicis) ecclesiam poneremus. Gentes enim ac nationes multò plures & ampliores hæc sola europæ pars complectitur, quàm dispersio illa Donatistarum, siue in Africa siue extra eam, complexa est.

Surius an. 62. Lib. 5. cap. 5. & Lib. 4. cap. 7. Ibidem.

Sed (quod caput totius rei est) nos Catholici nec in europa, nec in Africa, sed in omnibus gentibus & in communione totius orbis terrarum, ecclesiam Christi ponimus: eo quòd non huius tantum temporis ac ætatis, sed omnium temporum atque ætatum ecclesiam à primo suo exordio quo cœpit ex Hierusalem, tenemus. Nam ideo fit vt omnium gentium communionẽ, quas vel olim occupauit vel hodie occupat ecclesia Christi; nostra ecclesia complectatur. Et propterea etsi verum esset nunc & hodie in sola europæ parte ecclesiam diffundi cuius communionem tenemus, quia reliquas gentes vel paganismus vel hæresis obtineret, tamen quia omnium gentium per quas olim ecclesia Christi diffusa erat communione iungimur, nostra ecclesia & nostra communio non in sola europæ parte sed in omnibus gentibus rectè constituta dicitur. Et hanc causam ecclesiæ Catholicæ adeoque Romanæ per omnes gẽtes diffusæ alibi quoque in hoc opere explicuimus.

Catholica ecclesia communio etiam hodie est totius orbis communio. Lib. 2. cap. 5. Lib. 4 cap. 19.

Quæ tamen omnia G.F. ac si nusquam vel à me vel ab alio Catholico scriptore scripta essent, in vniuersum dissimulas. Scilicet nihil ad te pertinere arbitrabare, quæ in toto hoc opere de vera Ecclesia & eius amplissima Authoritate disputaui, nisi hæc duo capita lib. 4. in quibus tuas cauillationes dilueram. Ita quod tuam personam perstringit, id demum ad te pertinet. Quod autem communi causæ deseruit, te nihil tangit. Bene se habet, quod hac in parte manifestum nobis feceris te magis tuo stomacho indulgere & honori consulere, quàm causæ fidei & religionis orthodoxæ in hac tua scriptione subseruire voluisse.

Addis porro vt tuum schisma magis purges, alteram criminis retorsionem, qua tamẽ » (vt natura dictat) innocentia non probatur. *Quod nos* (inquis) *à Vvittenberga Saxoniæ quasi » Donatistas à Carthagine, non ab Hierusalem initium sumpsisse impudentissimè asseueras, tam falsum » est quàm vos ad Romam ipsius Antichristi omnium veterum consensu sedem vestræ impietatis origi- » nem referre verum est. Vbi contra Christum non Episcopum sed apostatam Antichristum in solio loca- » uistis.* In his paucis verbis vide obsecro quàm multa absurda & vana dixeris: Si ego

1\. impudenter asseuero vestram Ecclesiam ab Vvittenberga initium cœpisse, age, ostende

aliud

A aliud initium;& ab illo initio perpetua ſerie & temporum ſucceſſione decurrẽdo,veſtrę
Eccleſiæ paſtores & epiſcopos (ſine quibus nulla ſubſiſtit eccleſia) demonſtra. Vide an 2.
non hoc multò impudentius à te ſit factum,rem tantam,tam claram & manifeſtam tibi
obiectam negare , & nullam negationis tuæ cauſam proferre. A Luthero qui Vvitten-
bergæ ſua dogmata primò promulgauit,veſtram ſectam & ſocietatem cæpiſſe , ipſimet Sleidanus Carion. Henric.
veſtri hiſtorici & ſodales ſcripſerunt:eſtque res toti orbi notiſſima. Simili planè impu- Pantaleon.
dentia,omnium veterum conſenſu Romam Antichriſti ſedem eſſe,ſcripſiſti;nec tamen 3.
vnum veterem qui hoc dixerit protuliſti. Quid? An tibi vt Euangeliſtæ dicenti tantum
credi poſtulas?Illud verò etiam blaſphemè, non impudenter tantum , abs te adiectum 4.
eſt,nos Romæ apoſtatam Antichriſtum in ſolio locauiſſe. Chriſtus Dominus Petro Matth.16.
claues regni cælorum dedit, & Petro dixit,*Paſce oues meas* : ac denique eundem Petrum Ioan.21.
ne alibi quàm in vrbe Roma morte ſua Chriſtum glorificaret (quam etiam mortem il- Ibidem.
li Chriſtus prædixit) Romæ abeuntem retinuit , vt authores grauiſſimi memoriæ pro- Egeſyppus
diderunt.Hunc ergo Petrum Chriſtus Dominus principem paſtorum fecit , & in ſolio Lib.3. cap.2.
locauit,adeoque Romæ.

Huic Petro perpetua & nunquam interrupta ſerie,ad præſentem vſque Pontificem, Optimum & Maximum,Gregorium 13.alij epiſcopi Romani ſucceſſerunt.Si quis à maiorum ſuorum fide ita apoſtatauit vt Antichriſtus euaſerit,hoc tibi G.F.demonſtrandũ diligenter,non aſſerendum impudenter eſt.Illud vnum inter tot mendacia verum dixi-
B ſti,nos Romam originem noſtram referre , quia ſanè ad Petrum qui Romæ ſedit illã referimus,& à Petro ad Chriſtum.Vos talem originem demonſtrate.

Quod Proteſtantes Eccleſiam aliquot ſeculis interijſſe docent, & cum Donatiſtis ſecundum Eccleſiæ exordium ponunt.

CAPVT IIII.

MALE te habet,quòd *fugiente in deſertum Eccleſia,iuxta* figmentum tuum,*ceſſare fingo neceſſaria ad eam regendam Epiſcoporum & paſtorum munera*:& iſtud ais *mẽdacium eſſe à me excogitatum magno impudentiſſimorum mendaciorum artifice.* Tuum igitur erat vir ſolertiſſimè,epiſcopos & paſtores eccleſiæ tuæ fugitiuæ & latentis in deſerto nobis proferre;loca & tempora quibus ſinguli ſederunt , & munera paſtoralia exercuerunt,deſignare;ordinem epiſcoporum tuorum euoluere;ori-
C gines eccleſiarum veſtrarum edere;vt ita me mendacij conuinceres:Nunc, vt antea dixi,dicendúmque eſt ſæpius,ad maledicendum promptus es:ad probandum quod dicis elinguis es.

Simile figmentum & mendacium eſſe dicis,quòd *defecerit illa ab Apoſtolis cœpta & propagata Eccleſia,ipſa in deſertum his aliquot ſæculis fugiente, vt noua reparatione opus ſit à Vvittenberga,Bohæmia,Geneua.* Quare ad id quod hanc nouam reparationem nobis legi ex Scripturis poſtulo,reſpondes de more modeſtiſſimè. *Quid tibi legeremus (inepte) quod nunquam ne per ſomnium quiſquam noſtrum dixerit,defeciſſe Eccleſiam quæ in deſerto latuit;ab alio initio cœleſtis doctrinæ propagationem quam ab Hieruſalem cæpiſſe,quum illud idem Euangelium quod ſumpto ab Hieroſolymis exordio,in totum terrarum orbem Apoſtolorum laboribus diſſeminatum ſit,& non aliud amplectamur,credamus , doceamus?* Itane verò Guliel.Ful.nemo veſtrum defeciſſe Eccleſiam aliquando dixit quæ in deſerto latuit? Nemo veſtrum nouam & ſecundam reparationem euangelij docuit?Quis igitur ille eſt, qui in hac ipſa diſputatione paulò antè dixit , *iam à nongentis amplius annis Bonifacium Papam Antichriſtianam tyrannidem apertè inuaſiſſe,quamuis non vno momento omnem Eccleſiam in loca ſolitaria detrudere valuerit:quingentis tamen poſtea annis aut circiter veram ſalutis doctrinam ex Eccleſiis Europæis exterminaſſe?* Non- Quod Proteſtãtes docẽt periiſſe Eccleſiam.
ne hæc tua ipſius verba ſunt?

V ij

Et quid aliud est Antichristianam tyrannidem sub Romano Pontifice cui cęterę om- D
nes Ecclesię communicabant, Ecclesiam inuasisse, quàm Ecclesiam defecisse? Quid
aliud est ecclesiam deficere, quàm veram salutis doctrinam ex ecclesia exterminari?
Nam quod europeas ecclesias dixisti, iuxta tuam opinionem perinde est ac si omnes
simpliciter ecclesias dixisses. Dicebas enim modo, nos qui Romanę ecclesię commu-
nionem tenemus, *in sola Europæ parte Ecclesiam ponere*, quia videlicet visibilem & floren-
tem ecclesiam his postremis seculis in sola europa Romano Pontifici parentem imagi-
naris. Si ergo totam visibilem ecclesiam Antichristus à nongentis annis occupare cæ-
pit, à quingentis autem post plenè occupauit, nonne tu ipse disertè doces defecisse ec-
clesiam?

At tibi non defecisse aut periisse videtur, quia in deserto latuit. Sed iterum quæso
Matth. 5. aduerte. Ecclesia Christi est, *Ciuitas supra montem posita quæ abscondi non potest*. Quæ ergo la-
tuit in deserto, quæ abscondita fuit, quæ oculis hominum conspicua non erat, cuius
Ecclesia latitans non est ecclesia. politia, cuius pastores & capita, cuius sedes & loca ostendi non possunt, illa ecclesia
Christi non erat. Idem est igitur dicere in deserto ecclesiam latuisse, quod est dicere,
ecclesiam defecisse. Sed vt magis hoc aduertas, repetam hoc loco, quòd semel antea in
hoc opere posui; Sancti Augustini argumentum; vt si meum te minus moueat, tanti
Doctoris etiam commoueat. Sic argumentatur Augustinus contra Petilianum Dona-
tistam, qui obscuram quoque & latentem paucorum ecclesiam posuit, sicut tu ponis.
Lib. 2. ca. 104. *Ecclesia est Ciuitas supra montem posita, quæ certum signum hoc habet quòd abscōdi non potest. Nota
est ergo omnibus gentibus. Pars autem Donati ignota est pluribus gentibus. Non est ergo ipsa vera Ec-* E
clesia. Hæc ille. Subsinuo & ego. Pars autē Lutheri, Caluini, aut cuiuscunq; alterius sectæ
Protestantū, ignota est pluribus gētibus etiam hodie. Ante Lutherū autē Vvittēbergæ
docentē, id est, ante annos plus minus sexagina, ignota erat omnibus gentibus & latuit
in deserto. Ergo nō est Protestantū vlla societas Christi ecclesia hodie. Multò autē minus
antè Lutherū natū, erat Christi ecclesia, quæ prorsus tūc latuit; saltē à quadringētis an-
nis iuxta calculū tuū, quū tamē quingētis antea annis, latere cæperit sub Bonifacio. Imò
vt postea exactiùs supputas, à quinque aut sex centurijs. Quod si ergo vestra ecclesia to-
to illo tempore nulla erat, & quæ mundo visibilis erat, Romana ecclesia cum cæteris illi
adiunctis, vestro iudicio ecclesia Christi non erat, nonne euidenter sequitur, ecclesiam
" Christi defecisse? Deinde te rogo Gul. Ful. Qui docet *apostasiam totius fere orbis à Christo ad*
" *Antichristum per Apostolum 2. Thessa. 2. & per Ioann Apocaly. 13. & 18. prædictam fuisse, illam-*
" *que apostasiam ad finem sæculi reijciendam non esse, sed potius statim, à partu mulieris euenturam il-*
" *lam Spiritum Sanctum docere*, An non idem docet ecclesiam Christi & quidem celeriter
" defecisse? Tu autem illis ipsis verbis à me positis in hac disputatione hoc totum docuisti.
" Tu *apostasiam totius fere orbis à fide Christi & quidem statim à partu mulieris*, statim à prima ec-
Donatistarum sententia & Protestantum eadem. clesiæ propagatione cum veteribus Donatistis docuisti. Donatistæ *de apostasia totius orbis
dictum esse dicebant, quod dixit Dominus; filius hominis veniens, putat inueniet fidem in terra?* vt cō-
memorat Augustinus in lib. de vnit. ecclesiæ. Tu ex Prophetijs pręallegatis eandem or-
cap. 13. bis apostasiam prædictā esse docuisti: Augustinus eodē statim libro contra hāc Donati-
starum insaniam, *prouocat illos ad certum aliquem & manifestum S. Scripturæ locum quo demon-* F
cap. 14. *strent Ecclesiam de toto orbe periisse & in sola Africa remansisse, tanquam ab alio initio non ab Hie-
rusalem, sed à Carthagine.* An ego igitur tibi vel ineptus vel mendax videri poteto, si eadem
te cum donatistis asserentem, eodem cum Augustino argumento premam? An verò ali-
ter fieri debuit, quàm vt quorum facta imitaris & insaniam sequeris, eorum exitus per-
horrescas & reprehensionem subeas.

Repetam igitur adhuc semel, quia hæc te absurditas ita premit, vt eam excutere ma-
gis à tuis humeris quàm tueri ac defendere, totis viribus coneris. Ais in hoc libello tuo,
" *apostasiam totius ferè orbis à Christo ad Antichristum ab Apostolo prædictam* esse 2. Thess. 2. Item
" à Ioan. Apocalyp. 13. & 18. Et mihi vehementer succenses, qui has prophetias obscuras
Protestantes nō ab Hierusalem suam Ecclesiam ordiuntur. dico, vel in fine demum sæculi locum habituras existimo: & vis *vt statim à partu mulieris
euenerint.* Esto igitur, Iuxta te totus ferè orbis à Christo ad Antichristum apostatauerit,
idque statim à partu mulieris. Doces ergo periisse de toto ferè orbe Ecclesiam Christi,
Luc. 24. Act. 1. & in solis vobis Protestātibus hodie remansisse, tanquā ab alio initio illucescente nobis
Matth. 13. Euangelio; *nō incipiendo à Hierusalē, per totam Iudæam, ac deinde Samariā, posteaq; per omnes gētes*

vsque ad

A *vsque ad vltimum terræ, ita vt bonum semen seminatim in agro dominico* per seminatores, id Rom.10.
est prędicatores verbi legitimè missos(*quomodo enim prædicabunt nisi mittantur*) *crescat vsque* Ephes.4.
ad messem, id est vsque ad finem sæculi, vt ipse Saluator suam parabolam exposuit: quia *dedit* Matt.24.
pastores & doctores Ecclesiæ suæ ad consummationem sanctorum, & cætera.*donec occurramus om-* Matth.vlt.
nes in vnitatem fidei;id est,*donec intret plenitudo gẽtium,vt tunc demum veniat consummatio*,quia
vsque ad consummationem sæculi omnibus diebus,sine vlla interruptione,sine vllis eclypsibus, Matth.16.
cum Ecclesia sua pastor pastorum est,*ne contra eam portæ inferi aliquando præualeant*, aut *fi-* Luc.22.
des Petri sui super quem ædificauit Ecclesiam suam,*aliquando deficiat*, sed potius *confirma-* Ioan.21.
ret cæteros omnes, accepta potestate *pascendi & agnos & oues suas* suprà cæteros, sicuti dile-
xit plusquam cæteri.

Tale Ecclesiæ principium,talem progressum,talem firmitatem,in Sanctis Scripturis nobis descriptam tu Guliel.F.negas,docendo *apostasiam totius fere orbis statim à partu mulieris euenire debere.* Sequitur ergo vt iuxta te postquam ex toto ferè orbe apostatauerit, ab alio demum initio reuiuiscat.Minimè (inquis) sed in deserto latuit.Sit ita. Et omitto nunc quòd talis Ecclesia latitans in deserto, Christi Ecclesia esse non potuit, *cuius* contra Petil.
certum signum hoc est (ait iuxta Scripturas Augustinus) *quod abscondi non potest.* At hoc abs lib.2.cap.104.
te quæro;hodie ne Christi Ecclesia lateat in deserto aliquo,hominum conspectum fugiens an non? Minimè, inquies, floret iam enim illustris & conspicua est nostra Ecclesia in magna Germaniæ parte, in Anglia tota & Scotia, in quibusdam Heluctiæ pagis, in Gallia quoque non obscura est.Imò vt paulò post gloriosè narras, præualuit nunc
B contra papisticam & cæteras.Iam rursum quæro quando aut quo tempore ita florere, ita illustris & conspicua esse vestra cœpit Ecclesia,vt populos ac ciuitates totas occuparet?An hîc aliud respondere potes, quàm in Bohemia quidem per Vviclephi discipulos,in Germania per Lutherum, in Heluetia per Zuinglium, Geneuæ per Caluinum, *Quod protestantes nouam reparationem euangelij cum Donatistis ponunt.*
in Anglia & Scotia per horum discipulos,hanc Ecclesiæ vestræ faciem, hunc splendorem,ortum & initium suum habuisse?Hoc est ergo secundum initium, hæc est noua & altera Ecclesiæ reparatio, quam vos ponere dicimus.

At inquies,antea tamen substitit vera Ecclesia etsi occulta, & quidem per totum orbem,*quia tam latè patet desertum nostrum quàm totus orbis.* Sed huic absurdissimę defensioni tuæ vide quam multipliciter respondeam.Primùm hanc latitantem & fugitiuam in de-
serto Ecclesiam,affirmas tu quidem sępe,probas,demonstras,ostendis nunquam. Ita- 1.
que dico non esse tibi in re tanta, asseueranti tantum, & nihil probanti,credendum.
Deinde respondeo si latuit, non erat vera Christi Ecclesia quæ abscondi non potest. 2.
Rursum aio, si Antichristus contra eam ita prędualuit, vt in desertum tot seculis eam 3.
compulerit,non erat vera Christi Ecclesia *contra quam portæ inferi non præualebunt.*Iterum
quoque cum Augustino respondeo. *Quicunque dicit, fortè sunt aliquæ oues Dei, nescio vbi,* Matth.16.
quas curat Deus, & ego illas non noui; absurdus est nimis humano sensui qui ista cogitat. Hæc ille. 4. In lib. de
Tua igitur assertio absurda nimis est humano sensui,quæ ponit oues Ecclesiæ latitantes Ouib.cap.14.
toto orbe terrarum, nescis vbi.demonstrare enim nullas potes.Denique hanc tuam 5.
C absurditatem validè confutant quæ in huius operis, libro tertio, capite nono, disputa- 6.
uimus.Postremò aduersaris cęterorum Protestantum sententię,negando defectionem Ecclesiæ, & latitantem illam tuam atque fugitiuam chimęram comminiscendo.Brentius enim in prolegomenis, Musculus in locis communibus,capite de ministris Ecclesiæ, Caluinus Institutio.libro quarto,vocationem suam extraordinariam sine vlla missione Ecclesiastica & impositione manuum presbyterij factam,hoc nomine ac prętextu tuentur ac defendunt, quod *in erigendis Ecclesiis vbi nullæ antea fuerant*, vt loquitur Caluinus,ordinaria successio non est necessaria:non magis quàm Apostolis immediate à Christo missis opus erat. Ponunt igitur illi nullas Ecclesias amplius extitisse, quum docere inciperent, à quibus ordinarie mitti & per manuum impositionem ad verbi ministerium constitui possent.Tu autem extitisse vis, *etiam toto orbe*, tuę religio- "
nis Ecclesias *: latentes quidem, & mundo impiorum absconditas, piis tamen & spiritualibus vi-* "
sis satis cognitas atque conspicuas. Sic enim in hoc libello superius scripsisti. Quęro igitur "
abs te Gulielm. Fulco hoc loco.Lutherus, Brentius, Caluinus, Musculus, nonne pij *Ante Lutherum nullam latitasse Protestantum Ecclesiam.*
& spirituales viri tibi visi sunt?

Quare igitur ab illa latitante in deserto Ecclesia non sunt ad verbi ministerium

Instit.lib.4. cap.3. sect.4.

ordinati? Quare à pastoribus & Episcopis illius latitantis tuæ Ecclesiæ impositionem D manuum non acceperunt? Quare Caluinus se & sui similes, Apostolos vel saltem Euangelistas esse vult, à Deo hoc tempore excitatos & extra ordinem ad prædicationis munus vocatos? Quare Lutherus se in Epistola ad Argentinenses Euangelistã scribit, aliosque ibidem prædicantes Euangelistas vocat? Quare Musculus Brentius, Beza in conuẽtu Poissiaco, & alij suam extraordinariam missionem & vocationem defendunt, ac non potius à latitantis tuæ Ecclesiæ episcopis ordinari potuerunt? Quare in Comitiis Imperialibus Vuormatiæ habitis principes Protestantes apud Imperij Ordines egerunt, vt ab Episcopis Misnensi & Numbingensi ipsorum ministri ordinarẽtur? Quid? An etiam ante ipsos nobilissimos Protestantes, sic fugit in desertum longè tua Ecclesia, vt nec illi eam inuenire potuerint, nec ea illis apparere voluerit? Vidésne quot absurda tuam latitantem & fugitiuam chimæram consequantur? Sanè de hac tua suscepta & latitante Ecclesia, nunquam isti admirabiles viri vel per somnium cogitarunt.

Nec extra Europam subsistit latitans Protestãtium Ecclesia.

Gal.2.

Quod si extra Europam aliquas esse Ecclesias existimarunt, qui factum est vt ab illis vel ordinationem & missionem legitimam non acceperunt, vel saltem toto hoc tempore ad cõfirmationem ministerij suscepti Euangelium cum illis non contulerunt, *ne forte in vanum curreret vel cucurrissent?* Quare cum Græcis, cum Armenis, cum Moscouitis, cum Bohemis, & aliis gentibus quas extra Romanæ Ecclesiæ communionem & intra vestram communionem esse existimatis, tanto tempore nullum commercium, fœdus E nullum reparati in hac orbis parte Euangelij iniistis? Quare dexteras societatis non dedistis & accepistis? An quia nec Græci, nec Armeni nec Moscouitæ nec ipsi Bohemi vobis per omnia placent, vtpote qui & quamplurima negent nobiscum quæ vos nouiter introduxistis, & quædam etiam eorum quidam tenent, quæ pariter nobiscum & vos exhorretis? Restat igitur, vt nullas planè illi in toto orbe Ecclesias suis dogmatibus conuenientes superesse sibi prorsus persuaserint. Tu tamen magnis illis Protestantibus prudẽtior, ne defectionem Ecclesiæ (quàm tanta absurda sequuntur) cum illis ponas, latitantem Ecclesiam, quę non minus absurda est, contra illos affirmas.

Angli Protestãtes secũdum interitum Ecclesiæ aperte affirmarunt.

Fol.C.1.b. & 7.b.

Quid? tu homo Anglus, Ecclesiæ tuæ Anglicanæ apologiam ante annos iam penè viginti latinè & Anglicè conscriptam non legisti, in qua disertè vocatur hoc tempus beatissimum *lux Euangelij in herba*, in qua Anabaptistæ, Libertini, Memnonitę, & Zerenckfeldiani *statim ad exortum Euangelij* emersisse dicuntur? in qua denique disertè scribitur: *Lutherum & Zuinglium ad Euangelij cognitionem & prædicationem primos accessisse*? Aut libellum illum Anglicè conscriptum non vidisti, in quo collationes quędam & literæ familiares inter Latimerum & Ridleium continentur, in quarum prefatione *Latimerus Angliæ Apostolus* vocatur? Ille inquam Latimerus qui sub Henrico.8. Rege primus ferè omnium vestras hęreses è suggestu docuit, posteáque O-

O:at.vlt.circa finem.

xoniij sub Maria pientissima Regina, iustas impietatis suæ pœnas, flammis absumptus, luit. Aut postremo de illo libello anglico olim apud vos celeberrimo & nominatissimo, cui titulus erat, *The Harbouroŭgh*, quasi portus & refugium piorum, nũquam audiuisti, in quo sic ad suos loquitur per Prosopopeiam Anglia? *Ego sum patria illa tua, Anglia,* F *quæ beatũ illum vibegum Ioannẽ Vviclephũ genuit, qui genuit Hus, qui genuit* Lutherũ, *qui genuit veritatem*. Et ad marginem eiusdem loci ascribitur, ne oscitãti lectori fortè excidat tam nobilis sententia. *Secundus Christi partus*. Sanè & hoc ipsum de seipso Lutherus in Episto. ad Argentinenses anno 1525. scripsit. *Christum* (inquit) *à nobis primo vulgatum audemus gloriari; at huius negatione iam traducit nos Zuinglius*. Hęc igitur omnia G. F. hæc *lux Euangelij*

Matth.13.

Luc.14.

» *iam primum in herba* (adeo non est ex illo semine quod semel seminatum per Apostolos
» *crescit vsque ad messem*) hic *exortus Euangelij* (adeo non *incipit à Hierusalem*) hęc *prima Euangelij notitia* (adeo nusquam prius ne latenter quidem extitit) hic *nouus Angliæ Apostolus* (adeo ante istum nesciuit planè Christum vniuersa Anglia) *Hæc secunda natiuitas Christi*, & altera genealogia pręter illam D. Matthei, quid aliud docent, leguntur, clamant, quam Anglis tuis confratribus in Sathana, id est, in hęresi & schismate, persuasissimum & altissimè animis impressum hoc fuisse, vsque ad hęc nostra tempora defecisse Ecclesiam Christi, nec vllam omnino vsquam terrarum latitãtem (qualem tu fingis extitisse?

Vide nunc iterum & expende diligentius G. F. an nemo vestrum ne per somnium quidem dixerit Ecclesiam defecisse. Sed & plura ad hanc rem habes in hoc opere lib.5.

A libro tertio capite quarto ad quem locum, si fortè hæc tibi satis multa non videntur,
remitto.
Ais quidem, *id Euangelium amplecti te & docere quod sumpto ab Hierosolymis exordio, in to-* *Quod Protestã-tum Euãgelium*
tum terrarum orbem Apostolorum laboribus disseminatum est. Sed vide quã breuiter te menda- *ab Hierosolymis*
cij conuinco. Euangelium quod à Hierosolymis incœptum per Apostolos toto orbe *non in capit.* Rom.10.
disseminarum est, per eorundem Apostolorum successores perpetuos *legitimè missos*, (& Matth.5.
ita conspicuè missos, vt semper *lux mundi* essent & *Ciuitas super montem posita quæ abscondi* Matth.13.
non potest) creuit & *crescet vsque ad messem, id est finem sæculi.* Euangelium autem quod tu cũ
tuis tenes & doces; fides, doctrina, relegio quã tu amplecteris & profiteris, ita his mul-
tis sæculis totum orbem latuit, vt non creuerit per successores Apostolorum, per
pastores & Episcopos in luce mundi positos, sed post Euangelium illud per Apostolos
disseminatum & *per apostasiam totius ferè orbis prædictam*, iuxta te in desertum multis sæcu-
lis detrusam, Euangelij lux nunc demum in herba est, nunc demum exoritur, nunc de-
mum per nouos Apostolos & Euangelistas hoc tempore datos (vt tuus Caluinus diser-
te scribit reparatur. Non est ergo Euangelium quod tu tenes, Apostolicum illud toto
orbe disseminatum. Rursum hanc etiam ob causam verum est te nouam, reparationem
ponere, non à Hierusalem sed à Vuirtenberga, Bohemia, Geneua. Quare rursum te pre-
B mo. Hanc secundam reparationem futuram lege nobis ex Scripturis, sicuti nostræ re-
ligionis & fidei principium, cursum atque progressum ex Scripturis tibi legimus. Nẽ-
pe, *quod incipiendo à Hierusalem prædicabitur per omnes gentes, & crescet vsque ad messem*; & ita Luc. 24.
crescet vt operarij missi in messem futuri sunt *lux mũdi & Ciuitas*, seu politica & ordina- Matth. 13.
ta societas, *quæ abscondi non potest, quia super montem posita est*, id est Christum prædicat, & Matth.5.
super Christum fundata est, ad cuius gloriam pertinet, *vt sciat mundus quia pater eam misit,* Ioan.17.
& vt sciant omnes quia ille est dominus, &c. denique *vt omnis lingua confiteatur, quia Iesus est in* Philip.3.
dextera patris &c. quæ latius alibi in hoc opere produximus. Lib.1.cap.7.

Latitantis Protestantum Ecclesiæ aliis cauillationibus defensæ refutationes aliæ.

CAPVT V.

C IAM verò ne secundam reparationem fateri cogaris, & vt latentem
tuam fugitiuam semel à te susceptam omnino defendas, iterum in
hunc modum argumentaris. *An non Ecclesiam sanctam Catholicam cre-*
dimus, quia non cadit in aspectum? Est enim fides eorum quæ non cernuntur
demonstratio. Quamuis igitur non semper oculis cõspicua sit externa Ecclesiæ in
pace florentis politia, nunquam tamen perisse vel periturã esse certo cõfidimus.
Huic tuo absoleto & trito argumento iam superius in hoc opere res- Lib.2. cap.19.
pondimus. Sed tu illud totum homo cautus dissimulas. Quare plura hoc loco adijciã,
ne semper dissimules. Vide igitur quot modis à veritate aberras. Si ideo credimus Ec- 2.
clesiam Catholicam, quia non cadit in aspectum, ergo nunquam cadet in aspectum, sed *Non credimus*
erit semper inaspectabilis, Semper enim illum Symboli articulum credere debemus. *Ecclesiam quia*
At ipsemet hoc loco dixisti, *non quidem semper esse oculis conspicuam eius externam politiã*, ma- *in aspectabilis est.*
nifestè significans aliquando eam esse conspicuam. Deinde rogo abs te, quam credis
tu Ecclesiam Catholicam? Illamne tantùm quæ iam à multis sæculis detrusa in deser-
tum, latuit: an illam quæ primis illis sæculis in conspectu orbis floruit, antequam ad An- 2.
tichristum orbis apostatasset? An vtramque? Si priorem illam tantummodo, alienus es
igitur à corpore primæ & Apostolicæ Ecclesiæ quæ totis sexcentis annis ante Bonifa-
cium floruit in conspectu hominum. Si posteriorem hãc credis, visibilem & aspectabi-
lem Ecclesiam credis. Talis enim illa fuit. Non ergo propterea credis Catholicam Ec-
clesiam quia non cadit in aspectũ, ne ita nullam credas quæ cadit in aspectũ. Si vtram- 3.
que credis, vides igitur aliunde sensum quærendum esse cur credimus Ecclesiam Ca-
tholicam quam hunc quem tu ponis; quia sub aspectum non cadit. Alioqui nullam nisi

latentem & inuisibilẽ Ecclesiã crederemus. Quod quidem multi ex tuis dixerunt. Sed
4. alij plures illud postea negauerunt, vt in hoc opere alibi ostẽdimus. Rursum quęro abs D
te, Ecclesiam hodie Anglicanã, Scoticam; Geneuensem, Saxonicam, Heluetica credis esse Ecclesiam Catholicam, an non? Si credis, profectò visibilem & aspectabilẽ Ecclesiam credis. Si non credis, quomodo membrum illarum te esse profitebere? Postremò ne te multis fatigem, si ideo credimus Ecclesiam Catholicam quia non cadit in aspectum, doce nos vel quomodo inuisibilem Ecclesiam audire, consulere, adire possi-
5. mus; vel an aliam audire & consulere debeamus, quàm quæ in Symbolo credenda proponitur. Responde etiam & succurre variis illis necessitatibus, quibus absque Ecclesia aspectabili & probè cognita circa causas fidei inuoluimur, quas explicatas habes in hoc opere lib.3.ca.6.& circa finem ca.7.

Male te habet, quòd vos hodie vt olim Donatistas Augustinus, conuenio & rogo, post Apostolicum semen per omnes gentes disseminatum, quid nobis adfertis noui? *Respondes libere, vos planè nihil noui adferre, sed illud ipsissimum bonum semen ab Apostolis disseminatum docere, quod omnibus sæculis à piis doctoribus, veris Apostolorum successoribus, quanquam non in omnibus, in aliquibus tamen per vniuersum orbem locis, iam inde ab Apostolorum temporibus remansit & ad finem vsque sæculi remansurũ est.* Si ita se res habet, age; ostẽde nobis hos pios Doctores; veros Apostolorũ successores; ostẽde nobis saltem aliqua illa loca in quibus disseminatum ab Apostolis verbum perpetuò conseruauerint. Et ne longè abeamus, in tua Anglia, & in proxima Gallia, aut etiam si vis in Germania, hos pios doctores, hos Apostolorum succcessores, qui perpetuò seminauerint & per quos perpetuò creuerit E Euangelij semen ostende. Ecce nos tibi in Anglia ostendimus à primo Augustino gentis nostræ Apostolo ante annos iam ferè mille Cantuariensi Archiepiscopo & gentis nostræ Metropolitano, ad nostram vsque ætatẽ perpetuos Episcopos & Pastores. Habes in Polydori Virgilij historia Anglicana per omnes Angliæ Episcopatus omnium Episcoporũ seriem & ordinẽ descriptũ. Præstitit hoc suæ Galliæ imò toti ferè Ecclesiæ Christianæ vir doctissimus Antonius Demochares in opere de sacrificio Missæ, ex omnium ferè Ecclesiarũ gentis suæ registris, & ex aliis historicis & Ecclesiasticis scriptoribus variis, Episcopos & Pastores describẽs, qui à prima Euangelij propagatione semẽ Euãgelij in Galliis adeóq; toto ferè orbe terrarũ disseminauerint. Profer tu aliquid simile vel in tua Anglia, aut vbicũque locorum vis. Dico & iterũ Dico. Alios proferre nõ potes quã etiam tuo iudicio hæreticos. Neminẽ proferre potes qui dogmata sectæ vestræ, & vobis Anglorum Caluinistis & Laicocephalis propria, omnia & sola docuerit atque crediderit. Et tamen sola secta vestra, si vobis credimus, vera Christi Ecclesia est. Puritanorum, Anabaptistarum, Lutheranorum, Familiæ amoris sectæ, etiam vestro iudicio veræ Ecclesiæ non sunt. Sed me miserum. Quàm vos fœdè, vos inquam in Anglia, Christi Domini tunicam inconsutilem dilaccrastis? Quid tunicam dico? In quot membra & partes corpus eius mysticum, Ecclesiam Anglicanam quæ vno olim & sanctissimo cõsensu Christum coluit, dissecastis? hæc sunt quæ attulistis noua: hæ sunt prophanæ non vocum tantum sed & rerum nouitates: hæ sunt peregrinæ & variæ doctrinę quibus miseros Anglos abduxistis. F

Protestantium Doctrina non potest esse semen Dominicum.

Lib.2.cap 6. & seq.

Ad te redeo, qui subiungis hoc loco, Augustinum non vobis sed nobis anathema dixisse, qui aliud Euangelisamus præterquam id quod accepimus. *Cuius enim* (inquis) *Apostoli literis constat (vt cætera omnia prætercam) solam Romanam esse Catholicam, & Pontificẽ Romanum caput esse vniuersæ Ecclesiæ, Papam & Ecclesiam Romanam non posse errare?* Respondeo, ex Scripturis antea citatis constare, illam solam esse Catholicam Ecclesiam, quæ incipiens à Hierusalem creuit per orbem terrarum vsque ad messem. Talis autem est sola Romana, id est, sola illa Christianorum societas quæ Romanæ Ecclesiæ communionem tenet. Rursum Pontificem Romanum Petri successorem esse caput Ecclesiæ ipsemet Christus docuit Matth.16. & Ioan.21. Postremò illam Petri sedem errare non posse idem Christus promisit Luc.22. Hæc tria nos in hoc opere accuratè vt potuimus, demonstrauimus, & quidem ex ipsis Scripturis, quòd ad duo posteriora attinet: ex historia Ecclesiæ quod ad prius spectat, quia res facti est. Sed tu quasi nihil in libro meo aliud vidisses, quàm hæc duo capita quarti libri ita cætera illa omnia altissimè dissimulas. Atque vel nunc saltem eò recurre vt videas. Videbis enim nos in tribus istis quæ proposuisti, nihil aliud Euangelisare quàm quod à Christo & Apostolis accepimus.

Subiun-

A Subiungis vir modestissimus & mitissimus hominum super terram. *Tibi etiam homini vanissimo, qui tam magnum & impudens mendacium de Ecclesia quæ in desertum fugit deperdita, toties ac tam putide inculcas, anathema dicit Augustinus, quod ex teista dicas non ex diuinis libris. Fugisse in desertum Ecclesiam, etiamsi rumparis medius, prodidit Spiritus Sanctus. At idcirco periisse, quòd Antichristi tyrannidem fugiendo declinauerit, id Stapletonus totus ex fraude & mendacio compositus impudentissimè confinxit.* Respondeo Latitantem in deserto per multa sæcula & ætates Ecclesiam, nullam esse Christi Ecclesiam; ideóque eo casu periisse Ecclesiam, non ego confingo, sed Christus docuit, dicens suæ Ecclesiæ. *Vos estis lux mundi, Non potest abscondi Ciuitas super montem posita.* Et vt semper ita futurum ostēderet, iterum dixit. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cōsummationem sæculi.* Rursum donec tu ostenderis huius latitantis Ecclesiæ pios Doctores, Pastores & Episcopos, non ego sed tu latitantem Ecclesiam quæ nulla est, ideóque periit, confinxisti. Præterea non ego confinxi, sed sodales & conuenæ, vel potius Magistri tui, Caluinus, Musculus, Brentius, & alij superius producti, ipsi denique Apologiæ vestræ architecti non latitasse vt tu, sed potius periisse, defecisse & extinctam fuisse veram Christi Ecclesiam à multis sęculis, vsque ad hæc nostra tempora, constanter docuerunt, vt supra ostendimus. Quare si mendacium hoc est, non Stapletonum, sed illos omnes pronuncia vanissimos esse, magnum & impudēs B mendacium protulisse, ac denique totos ex fraude & mendacio compositos esse. Mihi verò G. F. etiam periucundum est propter Christum & verbum eius, propter Ecclesiam & corpus eius, istas contumelias à te pati.

1. Matth. 5. Matth. 28. 2. 3.

Quòd illa sola est vera Ecclesia quæ suos Pastores perpetua successione demonstrare potest, luculenta demonstratio.

CAPVT VI.

NVNC argumentum quod in fine huius disputationis pro Catholica Ecclesia attexueram magno impetu aggrederis. Argumentum huiusmodi est. Quia semen veræ doctrinæ crescit vsque ad messem, nec crescere potest nisi per operarios missos in C messem, sequitur Catholicam vulgò dictam Ecclesiam solam esse veram. Christi Ecclesiam, solam esse verè agrum dominicum; quæ videlicet operarios suos, ministros verbi & Ecclesiarū pastores, perpetua per omnes ætates successione demonstrare potest. Hic respondes. *Hoc tuo argumento quid fingi potest leuius, quid eneruatius? Nec enim propositione constat vera, nec assumptione probabili, nec complexione cum antecedente vlla necessitate cohærente.* Vitiosum sanè magis argumentum nullum esse potest, quàm istud nostrum, si his tribus quæ illi impingis, vitiis laborat. Age igitur. Audiamus te in singulis. Propositionem non esse veram his verbis probas. *Nam quis hoc fateatur solam esse veram Ecclesiam quæ suos pastores perpetua successione demonstrare potest? Petit enim ac mendicat impudenter hæc propositio quod hactenus in controuersia positum fuit.* At in principio huius capitis quod nunc impugnas, istud probaueram. Et vide nunc quàm breuiter eandem propositionem iterum probem, ne me semper petere principium, aut mendiciter tecum agere dicas. Illa solà est vera Christi Ecclesia, in qua tanquam agro dominico semen Euangelij per Apostolos seminatum, perpetuò crescit vsque ad messem. Sed illud semen perpetuò non crescit, nisi perpetuò ager colatur in quo crescit; nec coli potest ager nisi per operarios missos in messem (*quomodo enim prædicabunt nisi mittantur*) ideóque operarios perpetuos, perpetuò sibi succedentes, habere ille ager debet. Ergo illa sola est vera Christi Ecclesia quæ suos Pastores

Lib. 4. cap. 10. *Vera Ecclesia perpetuam pastorum successionem potest ostendere.*

Ephes. 4.
Matth. 24.

perpetua succeſsione demonſtrare poteſt. Rurſus. Chriſtus *dedit Eccleſiæ ſuæ paſtores & Doctores, donec occurramus omnes in vnitatem fidei*, id eſt, *donec impleantur tempora gentium, vt tunc veniat conſummatio*: id eſt, dedit Eccleſiæ ſuæ Paſtores vſque ad conſummationem ſæculi duraturos. Sed durare hic ordo paſtorum & Doctorum non poteſt, ſine durabili & perpetua eorundem propagatione & generatione ſpirituali, id eſt ſine legitima ordinatione & miſſione: Nec ordinari & mitti poſſunt niſi ab anteceſſoribus & maioribus ſuis, quibus hac ratione in officio Paſtorali ſuccedunt. Ergo Chriſti Eccleſia illa ſola eſt, quæ ſuos Paſtores & Epiſcopos perpetua ſucceſſione poteſt oſtendere. Habes igitur primam noſtram propoſitionem ſatis luculenter duplici argumento ex Scripturis petito confirmatam. Illam tamen vt enerues & infirmes, ſubiungis. *Neque enim vera Eccleſia ordinariam in eiſdem ſemper locis ſucceſſionem demonſtrare poteſt.* Hanc in eiſdem ſemper locis ſucceſsionem nunquam à me affirmari legiſti. Itaque illi tuæ euaſioni ſeu cauillationi potius ſuperius reſpondi.

Succeſsionis ordo & perpetuitas quamuis non in eiſdem locis.

Addam tamen hoc loco quædam. Conſeruatur ſucceſsio Apoſtolica ratione officij Paſtoralis, quod in Eccleſia vera nunquam abrumpitur, licet ratione eorundem locorum ſæpius abrumpatur; ſiue aliò tranſlata ſede epiſcopali (vt à Roma Auinionem in Gallia ab ipſis Petri ſucceſſoribus factum eſt) ſiue ipſa religione Chriſtiana certis in locis penitus ſublata, & in alia loca diuina prouidentia

Orat. 1.

tranſplantata, quod aliquoties factum in Orationibus noſtris quodlibeticis nuper in lucem editis annotauimus. Aliud igitur & longè aliud eſt ſucceſsio eorundem E locorum vel in eiſdem locis, aliud vero ſucceſsio perpetua officij Paſtoralis certis in locis. Exempli cauſa in Anglia noſtra non longè poſt aſcenſionem Chriſti per Fugatium & Damianum ab Eleutherio Romano Pontifice miſſos, illa inſula

Libr. 1. hiſtor. Angl.

(tunc Britannia dicta) ad fidem conuerſa eſt, habuitque Epiſcopos & Paſtores magno numero, vt narrat Polydorus. Poſtea occupantibus illam inſulam Anglo-ſaxonibus, & indigenis Britānis in illas anguſtias adductis quas adhuc hodie Vualli

Beda lib. 1. hiſtor. gentis Anglorum.

ſub ſceptro Anglicano occupant, poſtquā 150. annis in paganiſmo manſiſſent. Gregorio Magno authore ab Auguſtino Monacho eiuſque ſociis ad fidem Chriſti illa gens noſtra primùm conuerſa eſt. Qua quidem conuerſione facta, ſucceſsio officij Paſtoralis in fide & religione Chriſti, quæ per annos 150. in maxima Britanniæ parte, penitus abrupta & extincta fuerat, reſtituta fuit; non tamen quaſi noua reparatione & nouo initio facto, vt Auguſtinus ille à nulla Eccleſia miſſus, à nullo anteceſſore ordinatus, Paſtorale officium ibi exercuerit, ſicuti tui Magiſtri hodie à nemine miſsi nec ordinati, Cathedras Eccleſiaſticas inuaſerunt, ſed à ſucceſſore Petri Romano Pontifice miſſus, & ab Epiſcopis Galliæ ordinatus per

Beda lib. 1. Cap. 27.

impoſitionem manuum præsbyterij, in Paſtorali officio Apoſtolo Petro ſucceſsit, quia ad Apoſtolum Petrum tam per Gregorium à quo miſſus eſt, quàm per Epi-

Apoſtolorū ſucceſſores, qui.

ſcopos Galliæ à quibus ordinatus eſt, qui Gregorij communionem tenuerunt, originem ſuam refert. Apoſtolorum enim ſucceſſores ſunt, non ſolùm qui ſedes ipſas Apoſtolicas occupant, (quo ſenſu ſolus hodie Romanus Pontifex Apoſtoli alicuius ſucceſſor eſt, Petri ſcilicet,) ſed etiam qui ad aliquem Apoſtolum vel F

Lib. 4. cap. 5.

Apoſtolicum virum qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, originem ſuam referre poſſunt, vt docuit Tertullianus in præſcript. cuius verba ad hanc rem pertinentia alibi in hoc in hoc opere produximus. Et hoc ſenſu epiſcopos atque ſa-

In epiſt. ad Heliodorum.
Lib 4. cap. 9.
Lib. 4. cap. 43.

cerdotes omnes *Apoſtolorum ſucceſſores* vocat Hieronymus. Nec alio ſenſu *præpoſitos Eccleſiæ omnes vicaria ordinatione Apoſtolis ſuccedere* ſcripſit Cyprianus. Eodem quoque ſenſu ſcripſit Irenæus, *illis præsbyteris obaudiendum eſſe qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis.* Non quòd eiſdem locis docuerint & ſederint in quibus Apoſtoli, ſed quia ſucceſsionis ſuæ lineam ab aliquo Apoſtolo deducere, & originem ſuam ad aliquem Apoſtolum referre poſſunt. Hac ergo ratione Anglicana Eccleſia à prima ſua ad fidem vocatione, vſque ad hoc ſchiſma veſtrum, in quod ſecundò iam relapſi eſtis, ad voluntatem noui principis, vera fuit Chriſti Eccleſia: quia toto illo tempore eius Catholicæ Eccleſiæ pars & membrum fuit, in qua perpetua paſtorum ſucceſsio ab aliquo Apoſtolo continua ſerie decurrens oſtendi poteſt. Nam quia in ipſa Anglia perpetua fuerit iuxta eadem ſemper loca Paſtorum ſucceſsio.

Nam

A Nam & aliquot annis paganiſmus in ea obtinuit, quum vicinæ gentes & Gallia & Scotia fidem Christi profiterentur, vt propterea primi eius pastores & Episcopi, nec Anglis vllis ſucceſſerint, nec tamen à ſeipſis orti fuerint (ſicuti tuæ ſectæ magiſtri) ſed ab Apoſtolorum ſucceſſoribus miſſi & ordinati, Apoſtolorum quoque ſucceſſores ipſimet facti fuerint, & eorum Eccleſia Apoſtolica, iuxta Tertulliani Doctrinam ſuperius in hoc opere explicatam; & prætereà multæ ſedes Episcopales in ipſa Anglia vel tranſlatæ & mutatæ in alia loca, vel quibuſdam extinctis nouæ erectæ ſunt. Cuius rei demonſtrationem, quia facilè ex hiſtoria venerabilis Bedæ & aliis annalibus gentis noſtræ peti poteſt; eſtque omnibus ferè prouinciis res illa communis, hoc loco prętermitto. Non itaque (vt dixi) propter eorundem locorum perpetuam occupationem, ſed propter eiuſdem vocationis, miſſionis, & ordinationis perpetuam connexionem, propter ſucceſſionis lineam ab aliquo Apoſtolo decurrentem, noſtra Anglia (exempli cauſa perpetuam Paſtorum ſuorum ſucceſſionem demonſtrare poteſt. Ideo enim perpetua Paſtorum ſucceſsio eſt veræ Eccleſiæ nota & argumentum, quia cum perpetua ſit Chriſti Eccleſia nunquam deficiens aut defectura vſque ad finem ſæculi (quod tu ipſe G. F. diligenter in hoc libello tuo aſſeris) perpetua autem eſſe ſine perpetuis Paſtoribus non poteſt, (*fides enim ex auditu, & quomodo audient ſine prædicante?*) iſti Paſtores non aliter poſſunt eſſe perpetui, niſi perpetua ſit quædam miſsio, ordinatio, quaſique ſpiritualis generatio & propagatio Paſtorum.

I.

Quare perpetua ſucceſſio eſt vera Eccleſia nota.

Rom. 10.

B *Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur?* Ad hanc autem miſsionem & propagationem ſpiritualium magiſtrorum. Ordinis ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt, vt facta impoſitione manuum præsbyterij, ſegregarentur perpetuò quidam ad verbi & doctrinæ miniſterium, ſicuti Paulus & Barnabas ſegregati ſunt: vt in ea loca mitterentur, ad quæ aliorum Apoſtolorum ſonus nondum peruenerat. Hinc ergo fit, vt vbicunque talis perpetua Paſtorum ſucceſsio, non in eiſdem locis, ſed in eadem legitima & ſucceſsiua vocatione, miſsione & ordinatione oſtendi poteſt, ibi ſit vera Chriſti Eccleſia Catholica; id eſt Eccleſiæ Catholicæ pars & membrum. Vides nunc igitur, ſatis opinor luculentè, G. F. quando perpetuam Paſtorum ſucceſsionem docemus & vrgemus, longè aliud & amplius nos quàm ſolam eorundem locorum ſucceſsionem (qua inani cauillatione ſucceſsionis Eccleſiaſticæ potentiſsimum argumentum declinare, excutere, euadere te poſſe ſperaſti) cogitare & docere.

Act. 14.

Aliam tamen adhuc qua euadas rimam aucuparis & dicis. *Nec quæ per omnes » ætates perpetuam Epiſcoporum ſeriem ad hæc vſque tempora continuare valeat, veram eſſe Ec- » cleſiam vel tute Stapletone conceſſeris.* Quînam iſtud obſecro? *Non enim neſcis* (inquis) » *orientales græcorum Eccleſias quas vos pro hæreticis ac ſchiſmaticis habetis, ab ipſis Apoſto- » lorum fundamentis, perſonarum ſucceſsionem continuam è ſuis diptychis demonſtrare paratos » eſſe.* Breuiter reſpondeo, Gręcorum Eccleſias nec perſonalem ipſam ſucceſsio- »

C nem perpetuam poſſe demonſtrare, quia multis in locis Mahometiſmus illam penitus abrupit (vt à multis iam annis Antiochię in Syria anno 768. Hieroſolymis anno 636.) quam tamen annis 500. poſt recuperata terra ſancta repararunt vtrobique latini, donec annis 140. poſt vtrobique iterum diſrupta eſt) Alexandrię in AEgypto anno 650. vt diligenter chronographi & hiſtorici annotarunt) nec vbi adhuc perdurat talis perſonalis ſucceſsio, Catholicę tamen ſucceſsioni quicquam habere affine aut ſimile; quia propter hęreſes quas tenent, & ſchiſma quòd faciunt, legitima illa ſucceſsio non eſt. Quam ſanè ob cauſam quum ſucceſsiones Apoſtolicę lineam diligenter vrgeret Tertullianus, prouidenter tamen non ignarus *habere & fauos ſuos veſpas, habere Eccleſias & Marcionitas*, & quoſuis hęreticos, adiecit. *Confingant tale aliquid hæretici*: (origines Eccleſiarum & ordines Epiſcoporum dicit) *Sed etſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronunciabit neque Apoſtoli alicuius authoris eſſe nec Apoſtolici viri: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis ædidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis deſciuerunt & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet*

Græcorum ſucceſſio vera Eccleſiaſtica ſucceſſio non eſt.

Lib. 4. aduerſ. Marcionem.

Lib. 4. contra Marcionem.

nullum ex Apostolis vel Apostolicis authorem suum proferant, vt multo Posteriores, quæ denique quotidie instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes non minus Apostolicæ deputabuntur pro Consanguinitate Doctrinæ. Hæc ille. Eodem quoque modo Irenæus, quum dixisset, *obaudire oportere illis in Ecclesia præsbyteris qui successionem habent ab Apostolis,* sapienter adiecit, *qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt.* Successio igitur personalis nulla est, vbi successio doctrinæ coniuncta non est. Quorsum igitur (inquies) personalem illam successionem tantopere vrges? Respondeo personalem successionem à Catholicis non vrgeri sine coniunctione Doctrinæ. Quam etiam ob causam in hoc opere vbi successionis argumentum tracto, personalem illam verbis paucissimis, Doctrinæ autem perpetuam successionem multis argumentis in Romana Ecclesia esse demonstrato. D

Lib. 4. cap. 43.

Successio personalis sine coniunctione doctrinæ nulla est.

Lib 4. cap 20.

Doctrinæ successio & coniunctio vnde petenda.

At inquies, hanc doctrinæ coniunctionem & consanguinitatem (vt loquitur Tertullianus,) nos cum Apostolis habere, ex Scripturis Apostolicis demonstramus. Quare personalem illam successionem nihil moramur, modo Scripturis ipsis Doctrinam nostram consentaneam esse, ostendere valeamus. Scripturas igitur expendamus, & Controuersiæ omnis finem ex illis petamus. Sed hic respondeo; & quod respondeo vt attentè & sine affectu expendas, rogo. Doctrinæ de fide consanguinitas (vt sic dicam) Apostolica ex Scripturis profectò Apostolicis deprehendi semper potest, nisi fortè eius generis Doctrina sit, quæ sola traditione sine literis Apostolicis ad nos peruenit. Qualia multa sanæ Doctrinæ capita ab Ecclesia Catholica teneri & credi in hoc etiam opere demonstrauimus. Sed agamus de illis nunc dogmatibus quæ in Scriptura ipsa comprehenduntur. Dico; hæc ipsa dogmata vtcunque ex Scripturis probari possunt, tamen quia Scripturæ ipsæ in varios sensus trahi possunt, per Scripturæ interpretes legitimos exponi, doceri & tradi debent. Addo etiam Doctrinam Apostolicam non solum scriptis literis consignatam, sed etiam viuæ vocis prædicatione traditam Ecclesiæ Dei fuisse. Non hic disputo, vtra horum, seu scriptio seu prædicatio sanæ Doctrinæ certior & infallibilior sit veritatis norma ac regula; aut clarius & euidentius à Christo Domino in Authoritate posita. Saltem vtrumque, & Scriptum verbum & prædicationem verbi, Doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ propagandæ atque ad notitiam hominum perducendæ media esse nemo fidelis, nemo literis Christianis imbutus abnuerit. Certè *fidem ex auditu esse* disertè Apostolus scripsit; & *quomodo* (inquit) *credent quem non audierunt, aut quomodo audient sine prædicante?* Alio etiam in loco dicit *Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores in ædificationem corporis Christi, in opus ministerij,* vtique verbi. His igitur ita positis. Dico Doctrinæ Apostolicæ consanguinitatem non solum ex Scripturis, sed etiam ex prædicatione Ecclesiæ, id est ex Pastoribus & Doctoribus quos Christus dedit Ecclesiæ suæ esse petendam. Hi autem Pastores & Doctores Ecclesiarum non nisi legitimè missi & ordinati, sibi mutuò & perpetuò succedunt: *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* Et vt semen crescat vsque ad messem, mittuntur operatij semper in messem. Quare ex ipsa Pastorum successione perpetua cognoscitur vera Doctrina; & non solum ex Scripturis. E F

Lib. 12.

Rom. 10.

Ephes. 4.

Successio doctrinæ ex Pastorali successione ostenditur.

Rom. 10.

Sed Pastores (inquies) deserere veram Doctrinam possunt; & ita successionis linea corrumpi poterit. Fateor & posse hoc fieri & sępius factum esse. Sic enim Paulus Samosatenus Antiochenæ successionis, Macedonius, Nestorius, Paulus, Sergius, Constantinopolitanę; Dioscorus, Petrus Moggus & alij Alexandrinę successionis lineam corruperunt. Quomodo igitur (inquies) certa aliqua veritatis norma vel Ecclesię nota aliqua erit ista successio pastorum? Erit sanè nihilominus, si ad hanc non solum personalem sed etiam Doctrinę successionem firmiter amplectendam, & rectissimè cognoscendam, diligenter aduertamus duo. Primum quę & quorum Pastorum Doctrina antiquior & prior fuerit, quę autem posterior & recentior. Deinde quę vnitatis Ecclesiasticę communionem tenet, quæ vetò tanquam pars & scissura à reliquo corpore vel sese segregat vel præciditur. Nam quia vera Doctrina & perpetua & vna atque vniformis est, sicuti

Duplex nota successionis personalis cum doctrina coniuncta.

A ſicuti ipſa Eccleſia eſt perpetua & vna, profectò quicquid maiorum & anteceſſorum in Eccleſia fidei atque doctrinæ aduerſum eſt, illud adulterum & hæreticum; quicquid conſentaneum eſt, illud ſanum & orthodoxum indubiè erit. Rurſum qui maiorum fidei à perpetua ſua propagatione antea nunquam immutatæ adhæret Catholicus; qui ab illa deſciuerit, prophanus & alienus erit. Sic Tertullianus quãdo conſanguinitatem hanc doctrinæ vrget, dicit illos demum Apoſtolis contraria dicere, qui *ab Apoſtolis deſciuerunt & aliter prædicauerunt.* Duo dicit: & ab Apoſtolis tales deſciuiſſe ſeorſim colligendo, veteremque vnitatem & ſucceſſionem deſerendo; & præterea aliter prædicaſſe, noua dogmata introducendo. In lib. de Præſcr.

Contra prius vitij & erroris genus dicit. *Hinc igitur dirigimus præſcriptionem. Si Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores quàm quos Chriſtus inſtituit. Quid autem prædicauerint & hic præſcribam, non aliter probari debere niſi per eaſdem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando tam viua voce quàm per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam: Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio prædiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum.* Et paulò pòſt. *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis quod nulla doctrina aduerſa facit. Hoc eſt teſtimonium veritatis.* Hæc ille. Non eſt igitur illarum Eccleſiarum vera ſucceſſio, quæ ab antiquioribus & Apoſtolicis Eccleſiis abrupta, non communicat cum illis, ſed (quod neceſſariò ſequitur, ſeorſim colligit. De hoc etiam ſucceſſionis vitio Irenæus. *Reliquos (inquit) qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere oportet, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes,* Hæc ille. Nec aliter Cyprianus propter hanc Eccleſiaſticæ ſucceſſionis vnitatem, ab iſta ſeceſſione & ruptura alienum & prophanum demonſtrat: *Si grex, inquit, vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt, aut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui (manente vero Paſtore & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente) nemini ſuccedens & à ſeipſo incipiens, alienus fit & prophanus, dominicæ pacis ac diuinæ vnitatis inimicus?* Hæc ille. Si quos igitur videmus in aliqua ſub Chriſti nomine Eccleſia, paſtorum quidem nomen & officium occupare, ſucceſſionem quoque ſatis annoſam & numeroſam habere (qualis erat Nouatianorum ſecta per totum ferè Orientem, de quorum principe hoc loco egit Cyprianus; & qualis erat Donatiſtarum ampliſſima ſecta non ſolùm in ſingulis propemodum Africæ ciuitatibus Auguſtini tempore, ſed etiam per alia loca poſtea, & in ipſa Italia vſque ad tempora Gregorij Magni vt ex eius regiſtro patet, qualis qualis deniq; multo maxima Arianorũ fuit, quæ à Theodoto Apoſtolorum temporibus vicino cæpta, ab Aſclepiodoto, Hermophilo, Artemone, Paulo Samoſateno continuata, ab Ario autem ita propagata, vt vniuerſum penè Chriſtianum orbem ſub Conſtantio & Valente Imperatoribus occupauerit; multis autem poſtea ſeculis, in Italia per Longobardos, in Hiſpaniis per Gothos, in Africa per Vandalos continuata fuerit, tamen ſi totius huius ſucceſſionis ortus & origo non fuit cum Apoſtolis vel Apoſtolicis viris coniuncta, ſed ſciſſura aliqua & ſeceſſio ab illis, & à reliquo Eccleſiæ, corpore in ſua vnitate manente, certum eſt & infallibile iudicium, talem ſucceſſionem veræ Eccleſiæ notam non eſſe. Nec tamen ſequitur perpetuam & continuatam ſucceſſionem, veram & infallibilem notam non eſſe.

Seorſim colligere falſæ Succeſſionis nota eſt.

B Lib. 4. cap. 43.

Lib. 1. epiſt. 6. ſiue epiſt. 76.

C

Talis enim ſucceſſio in ſola vera & Catholica Eccleſia reperitur, quæ omnia & loca & tempora à prima ſua per Apoſtolos propagatione complectitur. Hæc autem hæreticorum ſucceſſio, aliqua quidem eſt, ſed non perpetua non continuata, non à prima Eccleſiæ Origine filo perpetuo deducta; verum talis cuius principium erat à veteri ſucceſſione diſceſſio & ſegregatio; exitus quoque & finis orbi Chriſtiano manifeſtus, vincente ſemper Eccleſia. Sic in Nouatiano factum fuiſſe dicta iam Epiſtola oſtendit Cyprianus, qui à Romana Eccleſia ordinato illic Fabiano diſceſſit, & ſuam ſectam ſeorſim collegit atque inſtituit quæ vtcunque dilatata euanuit tandem. Talis erat in Africa Donatus, qui ordinato Carthagini Cæciliano ſeorſim collegit & ſuam quoque ſectam per quamplurimas

Africæ ciuitates diffudit, quæ tamen & suo tempore extincta est. Talis erat Theodotus à Victore Rom. Episcopo excommunicatus, Samosatenus à Synodo Episcoporum exauthoratus, Arius denique ipse & à suo Episcopo eiectus, & à Conc. Generali Nicæno I. damnatus deleta quoque tandem & eius secta vtcumque amplissima. Quare propter huiusmodi hæreticorum successiones monuit nos sapienter Optatus libro primo. *Videndum* (inquit) *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis Cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerat, & quis altare contra altare erexerit.* Hæc igitur de priore falsæ & ementitæ successionis vitio, quòd tamen facillimè deprehenditur. D

Antiquitas vera successionis nota.

Alterum vitium est, vt notauit Tertullianus, *si aliter prædicauerunt quàm Apostoli.* Noua enim & recens doctrina in Pastoris voce, vel in qualibet Pastorum successione (qua videlicet antiquior vox in Ecclesiastica successione auditur) falsæ, & ementitæ successionis alterum argumentum est.

Hoc in eodem de Præscriptionibus libro tractans Tertullianus, ait. *In omnibus veritas imaginem antecedit: postremo similitudo succedit.* Móxque in doctrina fidei sic se rem habere ex parabola Euangelica docet, qua *bonum semen in agro dominico prius seminatum dicitur; postea autem inimicus homo superseminat zizania. Ita ex ipso* (inquit) *ordine manifestatur id esse dominicum & verum quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum quod sit posterius immissum.* Et paulò pòst. *Si quæ tamen hæreses audent se interserere ætati Apostolicæ, edant origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordines Episcoporum, &c.* In his igitur hæresibus & sectis quæ se Apostolicas, id est, ætati Apostolorum coætaneas dicunt, consanguinitatem doctrinæ flagitat. E

Matth. 13.

In aliis autem hæresibus pòst Apostolorum tempora exortis, hoc vnum ad illas reuincendas sufficere docet, quia postea & recentius accesserunt: *His* (inquit) *Definitionibus prouocatæ à nobis & reuictæ omnes hæreses, siue quà posteræ siue quà coætaneæ Apostolorum dummodo diuersæ.* Et infrà. *Posterior nostra res non est, imò omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis vbique principatum occupantis.* Hæc ille ibi de hæresi in genere. Rursum in particulari contra Marcionem disputans, *Ego* (inquit) *meum Euangelium dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod posterius reuincetur? In quantum enim falsum est corruptio veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsam.* Hæc ille.

Contra Marcionem lib. 4.

At dices hoc totum à Tertulliano de Doctrinæ ipsius antiquitate aut prioritate (vt sic loquamur) non autem de Pastoralis successionis antiquitate, scriptum fuisse. Vtrumque dicit Tertullianus, & doctrinam ipsam & personas docentes, posteriores fuisse vera doctrina & veris Doctoribus. Quam ob causam præscribit alibi contra Marcionem, quòd sub Antonino non sub Tiberio, idcóque non cum Apostolis sub Christo docuerit. *Præiudicant* (inquit) *tempora quod sub Antonino primum processit* (Marcionis Deum dicit) *sub Tiberio non processisse,* id est, *Deum Antonini Imperij Tiberiani non fuisse. atque ita non à Christo reuelatum, quem constat à Marcione primò prædicatum.* Vides vt antiquitatem Prædicatorum & Pastorum siue docentium personarum, ad veræ successionis & consanguinitatis Apostolicæ demonstrationem necessariam docet. Sic & Irenæus primum notat apud Valentinianos Apostolorum tempore, *neque congregationem fuisse, neque doctrinam institutam. Ante Valentinum enim non fuerunt qui sunt à Valentino, neque ante Marcionem qui sunt à Marcione. Valentinus autem venit Romam sub Higinio, increuit sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Cerdon autem qui ante Marcionem & hic sub Higinio, qui fuit Octauus Episcopus*: scilicet à Petro. *Marcion autem illi succedens inualuit sub Aniceto decimum locum Episcopatus accipiente. Reliqui verò qui vocantur gnostici à Menandro Simonis discipulo, accipientes initia vnusquisque eorum cuius participatus est sententiæ, eius & pater & antistes fuit. Omnes autem hi multò posterius mediantibus iam Ecclesiæ temporibus insurrexerunt in suam Apostasiam.* Hæc ille, copiosè & diligenter commemorans, quo modo posterius surrexerunt hæretici, F

Personarum nō doctrinæ tantum antiquitas, est vera successionis nota.

Lib. 3. cap. 4.

A ci, vtcumque per ſucceſſionem quandam, & quidem Apoſtolis vicinam, tamen poſteriorem, ideoque falſam & adulteram.

Erat enim vnuſquiſque eius quam tenebat ſententiam pater & Antiſtes: id eſt, quam à nemine accepit, ſed *à ſemetipſo adinuenit*, doctrinam docuit; & vt paulo antè dixerat, *veritatis regulam deprauans vnuſquiſque eorum ſemetipſum prædicare non erubeſcebat.* Eodem modo Victorem primum Donatiſtarum Epiſcopum apud Montenſes Donatiſtas Romæ, vocat Optatus *filium ſine patre, tyronem ſine principe, diſcipulum ſine magiſtro, ſequentem ſine antecedente, inquilinum ſine domo, hoſpitem ſine hoſpitio, paſtorem ſine grege, Epiſcopum ſine populo*; quia videlicet ante hunc Victorem nemo ibi ſederat, *nec Cathedram aliquam niſi peſtilentiæ* (cui ſuccederet) *oſtendere potuit.*

Ibidem, cap. 5.

Lib. 1. contra Parmen.

Cæterùm ſi nec Tertullianus, nec Irænꝰus, nec Optatus, nec alius quiſquam Patrum, iſtam Paſtorum & Prædicatorum ſeu ipſius ſucceſſionis Paſtoralis, ſed doctrinæ tantum & veritatis Euangelicæ antiquitatem & prioritatem contra falſam hæreticorum ſucceſſionem protuliſſet, tamen poſito quod doctrinæ Antiquitas in ſucceſſione Eccleſiarum debet præſcribere, neceſſario ſequitur vt Paſtoralis ſucceſſionis & perſonarum antiquitas in eadem ſucceſſione præſcribat. Nam Doctrina ſana, Veritas Euangelica, Fides Orthodoxa, ad nos non peruenit niſi miniſterio hominum, miniſterio Paſtorum & Do-
B ctorum quos Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ, *in opus miniſterij.* Atque idcircò vbicunque eſt doctrinæ antiquitas, ibi quoque eſt Paſtoralis ſucceſſionis antiquitas. Nec antiquitatem Doctrinæ ſanæ venditare ſibi vlla ſocietas Chriſtianorum poteſt, quæ Doctrinæ ſuæ antiquiſſimos Prædicatores, Paſtores, Doctores oſtendere nequeat. Contrà vbicunque poſterius & recentius prolata doctrina ſonat, vtcunque annoſam habeat ſucceſſionem; tamen quæuis alia quæ illa ſit in eodem genere antiquior demonſtrata, illam alteram falſitatis & deprauationis coarguit.

Antiquitas ſucceſſionis perſonalis ex Scriptura colligitur.

Ephes. 4

Nunc igitur iſtis ita explicatis, ad exemplum quod tu profers, breuiter reſpondeo. Orientales Græcorum Eccleſiæ quas nos pro hæreticis ac ſchiſmaticis habemus, pro hæreticis potiſſimum ſanè quia proceſſionem Spiritus Sancti à Patre Filióque impiè negant (quo nomine ni fallor etiam à te G. F. pro hæreticis habentur) pro ſchiſmaticis autem tum quia Patriarcham ſuum Conſtantinopolitanum vniuerſalem Epiſcopum nouo & inſolenti nomine aliquot ſeculis, totis quadringentis annis à tempore Gregorij Magni appellare non deſtiterunt, vt commemorat Leo nonus in Epiſtola aduerſus aſſertionem & ſymbolo noſtro adiectionem à Romana Eccleſia factam (quanquam non tam adiectio vel additio quàm præſumptiones Michaëlis & Leonis Archiepiſcoporum capite nono Concil. tomo tertio, tum etiam quia propter prædicti articuli, (filióque) expoſitio Symboli eſt illa particula(vt doctè diſputat in
C Concilio Florentino Andreas Colaſſenſis Epiſcopus) ſeſe Græci à Latina Eccleſia potiſſimum ſegregauerunt, ciúſque communionem reiecerunt, vt ipſemet Marcus Epheſius in dicto Concilio apertè docet; Hæ, inquam, Eccleſiæ ab ipſis ſanè Apoſtolorum fundamentis perſonarum ſucceſſionem (vt tu ſcribis) demonſtrare poſſunt.

De ſucceſſione Orientalium Eccleſiarum.

Seſſ. 6. Ferrariæ.

Seſſ. 1. ibidem.

Sed vtcunque illa perſonalis ſucceſſio ab Apoſtolorum temporibus cœpit, ideóque (vt loquitur Tertullianus) *ætati Apoſtolicæ audent ſe interſerere*, tamen quia *conſanguinitatem doctrinæ non retinuerunt*, quia *in radice cum toto orbe non remanſerunt*, ſed foras exierunt, (non enim ab illis Latina Eccleſia defecit ſed illi ab Eccleſia totius orbis Chriſtiani receſſerunt) atque ita *ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus deſciuerunt*, quia *aliter prædicauerunt* (illi enim hæreſim contra proceſſionem Spiritus Sancti aduerſus communem veterum græcorum Patrum Anteceſſorum ſuorum, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſere, protulerunt, vt copioſè & accuratè in Concilio Florentino oſtenditur, adeò vt græci tunc

omnes, vno Marco Ephesio excepto, Latinis illic consenserint:) quia denique *superseminarunt semini dominico falsæ doctrinæ zizania*; propterea ab eo sui schismatis & defensæ hæresis initio, ad successionem Pastoralem & Ecclesiasticam, illarum Ecclesiarum personalis successio amplius non pertinebat. D

Habuerunt quoque & Ariani suas Ecclesias, suasque personales in toto ferè orbe Oriente successiones; & in magna postmodum Occidentis parte: sed ex hoc duplici vitio quod iam prosecuti sumus, falsæ & ementitæ successionis fucum tantum & speciem, non veri nominis Ecclesiasticam successionem, habuisse deprehenduntur. Idem de omnibus aliis hæreticorum successionibus abruptis & ementitis iudica.

Neque tamen eneruat hoc successionis Ecclesiasticæ notam & argumentum ad veram Ecclesiam inueniendam. Hoc enim duplex vitium falsæ & ementitæ successionis deprehendere facile & expeditum est. Multo sanè facilius & expeditius quàm ex solis Scripturis, quas æquè hæreticus profert atque orthodoxus, singula doctrinæ capita expendere probare astruere. Interpretationem enim verbi falsam pro vera obtrudere atque prætexere, quàm facile sit, omnes hæreticorum disputationes ostendunt.

Ementita successio facilius deprehenditur quàm falsa Scripturæ interpretatio.

Veram quoque interpretationem à falsa discernere quàm laboriosum & operosum sit, controuersiarum hodie de religione quasi implacabilis concertatio demonstrat.

At vero successionis Ecclesiasticæ in doctrinæ antiquitate & vnitate perpetua series, adeò facilè & expeditè omnes controuersias terminat, veritatem patefacit atque confirmat, vt hanc prætexere hodie hæretici non audeant, nec vnquam ausi fuerint; conuellere autem & infirmare non valeant. E

Habes G. F. primæ nostræ propositionis, huius videlicet, *Illa sola est vera Christi Ecclesia quæ suos Pastores perpetua successione demonstrare potest*, in qua me dicis impudenter mendicare quod in controuersia positum est, confirmationem iam & probationem (vti spero) luculentam; pariterque ad ea quæ obiecisti responsionem nostram.

Defensio alterius propositionis quòd sola Catholica vulgo dicta Ecclesia suos in perpetua successione Pastores ostendere potest.

CAPVT VII.

F

VENIO NVNC AD argumenti nostri subsumptum, quod ne probabile quidem esse affirmas. Illud huiusmodi est. At sola Catholica vulgo dicta Ecclesia operarios suos missos in messem, ministros verbi, & Ecclesiarum Pastores perpetua per omnes ætates successione demonstrare potest. Contra hanc assumptionem, seu minorem argumenti propositionem sic scribis. *Quod verò assumis, Ecclesiam Papisticam*
" *ministros verbi & Pastores Ecclesiarum perpetua per omnes æta-*
" *tes successione demonstrare posse; finge purum putum esse verbum Dei quod docetis, cum*
" *tamen infinitis mendaciis ac blasphemiis scateat vestra doctrina* (quod tam facilè à me negatur, quàm à te sine vlla vel minima confirmatione asseritur) *ac demonstra*

si potes

A *si potes perpetuam his aliquot seculis verbi ministrorum successionem, cum plerique omnes Episcopi & Pastores canes muti essent: Romanis verò pontificibus quorum de successione maximè superbitis, nihil insolentius esset, quam verbi ministerio intentos esse, quam populum docere, quam semen verbi Dei serere. Si ad fraterculos & paucissimos quosdam ex seculari sacerdotio doctorculos confugis, quando tandem aut vbi terrarum perpetuam successionem verbi ministrorum toties tantóque fastidio ac supercilio iactatam contexes?* Hæc tu ibi: Gaudeo vehementer eam esse causæ Catholicæ firmitatem, & successionis Ecclesiasticæ in vna Catholica indubitatam, veritatem, vt eam refutaturus, veris rationibus & argumentis destitutus, ad inania conuitia, contumelias, & maledicta te conuerteris. Iubes enim me demonstrare si possum perpetuam his aliquot seculis verbi ministrorum successionem; & quia facillimè illud à me demonstrari posse facilè præuidebas, ne ea demonstratione facta quicquam obtinerem, excipis statim, nec adhuc productis testibus: & tanquam nouus tot seculorum Aristarchus, censor, & iudex, prouincias ac virgula tua censoria singulos ordines notas ac perstringis. *primùm sanè Episcopos & Pastores plerosque omnes canes mutos fuisse*, ais. Fuerunt igitur Episcopi & Pastores in Ecclesia Catholica, quam tu Papisticam vocas, sed canes muti erant. Vt quid ergo me demonstrare iubes si possum, quos tu ipse nunc fuisse affirmas? fuisse, inquis, non nego, sed officium Episcopale & Pastorale non fecisse aio: fuerunt enim canes muti. Sed vide ne tolerabilius sit, fuisse in Ecclesia Catholica, canes mutos non valentes latrare, & habuisse illam Pastores aliquos dormientes circa agrum dominicum,
B quàm esse nunc hodie tot canes circumlatrantes Ecclesiam Dei, & tot inimicos habere superseminantes zizania. Cæterùm tibi vir doctiss. & in tot seculorum Episcopis atque Pastoribus cognoscendis oculatissimè, quis hoc retulit? quem Authorem, quem testem huius tuæ assertionis profers? Túne Ioãnes ille de temporibus es, quem trecentis totis annis vixisse, his postremis iam seculis annales gallici commemorant? *Fuerunt* (1.Timoth.5.) *inquis, plerique omnes canes muti his aliquot seculis Episcopi & Pastores*. Si Apostolus prohibet aduersus presbyterũ accusationem recipere nisi sub duobus aut tribus testibus, tu cõtra Apostolicum præceptum quàm sceleratè facis, qui non vnum presbyterum sed aliquot seculorum Episcopos & Pastores plerosque omnes grauissimi criminis accusas? Pudeat te arrepti huius è triuio conuitij, in re grauissima, & qua vna ad salutem animæ nulla magis pertinet. Pudeat te quoque Donatistarum vel ineptiam vel insaniam & furorem (In breuic. collat. diei 1.) cæcum ita sæpe & identidem imitari. *Petiuerunt enim Donatistæ* in collatione illa celeberrima Carthaginensi, *vt probarent Catholici sibi communicare omnes gentes*: quemadmodum sanè tu hîc petis vt demonstrem si possum perpetuam his aliquot seculis ministrorum verbi successionem. *Sed cum hoc Catholici gratissimè acciperent & peterent vt hoc probare permitterentur*, sicuti & nos ministrorum verbi perpetuam successionem ostendere parati sumus, imò paulò superius quoad Angliam nostram & vicinam Galliam vbi nullo nego- (Donatistarum tergiuersatio qualis hodie protestantum.)
C tio inueniri queat illa successio, ostendimus digito demonstrauimus, *rursus Donatistæ alia proponebant, & inter cætera de petitoris persona* (quis videlicet in illa collatione actoris personam gereret) *vt constaret instabant; non ob aliud* (ait Augustinus) *nisi vt liceret eis personarum discussione longissimas temporum & dilationum moras inserere, quoniam vehementer volebant vt nõ perueniretur ad causam in qua nihil se habere quod dicerent sciebant*. Eodem planè modo tu de personis ministrorum verbi & pastorum Ecclesiæ Catholicæ percontatus, statim ab illis ad crimina seu vera seu falsa diuertis, vt dum illa vel tecum temerè agnoscimus, vel an sint vera inquirimus, de re ipsa & causa primaria successionis Ecclesiasticæ nihil agamus.

Similis etiam Fortunij Donatistarum Episcopi tergiuersatio fuit, vt apud Augusti- (epist. 163.) num videre est. Imò *omnium hæreticorum hoc proprium esse* notauit diligenter Augustinus, (epist. 137.) *vt non habendo quod in causa suæ diuisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectent, & ea ipsa plura falsissimè iactent: vt quia ipsam diuinæ Scripturæ veritatem, qua vbique diffusa Christi Ecclesia commendatur* (addam ego, qua semen sanæ doctrinæ vsque ad messem in agro dominico crescere docetur, quòd tamen nisi per operarios missos in messem, nisi per prædicatores legitimè missos crescere non potest) *criminari & obscurare non possunt; homines per quos prædicatur, adduent in odium: de quibus & fingere quicquid in mentem venerit possunt*. Quare tibi G.F. qui non Donatistis tantùm, sed & omnibus hæreticis hac in parte simillimus es, illud vnum hoc loco respondebo quod vestræ sectæ homines

In lib. de vnit. eccles. cap. 2. ex Augustini verbis malè intellectis à nobis flagitare solent. *Quæstio certè inter nos versatur vbi sit Ecclesia*, vbi sit perpetua pastorum & episcoporum (sine quibus nulla est Ecclesia) successio, *vtrum apud nos an apud vos. Quid ergo facturi sumus, in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? puto quod in illius potius verbis eam quærere debemus quia veritas est, & optimè nouit corpus suum.* Iuxta hæc, vt dixi, Augustini verba sæpius nos compellare & ad solas Scripturas prouocare soletis; quas etiam in hac quæstione de Ecclesia (de qua quæstione hoc sæpe scripsit Augustinus vt ex solis Scripturis ea terminaretur) nos quoque penè solas, certè præcipuè, & ni fallor satis copiosè, hoc ipso in opere produximus. Sed Augustini verba aut non intelligitis (vt dixi) aut certè secus ipsimet facitis. Vide enim quid Augustinus subiiciat, & te doceat G.F. *Quæ sint autem verba nostra*, inquit, *in quibus eam quæri non oportet aduertite. Quicquid nobis inuicem obiicimus, de traditione codicum diuinorum, de thurificatione, de persecutionibus, verba nostra sunt. Et in talibus quidem nos hunc modum tenemus, vt vel vtraque vera esse deputent, siue quæ à nobis* (aut negando aut retorquendo crimina) *siue quæ ab ipsis* (obiiciendo) *dicuntur, vel vtraque falsa* (& eorum crimina & nostra) *vel nostra vera & sua falsa, vel nostra falsa & sua vera. Et in his omnibus nullum crimen esse orbis Christiani, cui nos communicamus, ostendimus.* Hæc Augustinus. Quare igitur tu G.F. contra quàm à nobis tam sæpe tui flagitant, tua hic verba, id est, crimina contra Ecclesiam seu verè seu falsò obiecta, & non sola Christi verba in quæstione de Ecclesia protulisti? Respondemus propterea, tam ad hoc crimen, quod hic *plærisque omnibus aliquot iam seculorū pastoribus & Episcopis obiectas, eos canes mutos fuisse*, quàm ad illud quod de Romanis Pontificibus subiicis, *Nihil apud eos insolentius fuisse quàm verbi ministerio intentos esse, quàm populum docere, &c.* siue verè siue falsò hæc à te obiiciantur, nullum crimen esse orbis Christiani cui nos communicamus. Aliquorum enim, non totius orbis Christiani, ista à te obiecta in pastorali officio negligentia & oscitantia, crimen fuerit. vel, si Augustini verbis me loqui mauis, dico. *Ad quosdam illa crimina pertinere possunt, non ad vniuersum orbem Christianum*: quem si contagione sociorum periisse arbitraris, Donatista es. Si omnes & singulos eodem crimine irretiri audes dicere, etiam Donatistis deterior es. (Vbi suprà.)

Quare, iterum Augustini verbis & exemplo, te hac in parte Donatistam, iterum rogo. *Sequestrata hac dubia quæstione* (de criminibus à te obiectis seu veris seu falsis) *quæro quo modo vos iustè separastis ab innocentia cæterorum Christianorum, qui per orbem terrarum successionis ordinem custodientes, in antiquissimis Ecclesiis constituti, penitus ignorarent qui fuerint in Africa traditores* (vel vt tu hic obiectas, qui fuerint illi canes muti, qui verbi ministerium neglexerint) *qui certè non possent communicare nisi eis quos sedere in sedibus Episcopalibus audiebant.* (Aug. epist. 163.) Hæc ille. Ad hāc non meam sed Augustini quæstionem responde si potes. G.F. Nostri maiores vel non habentes tales canes mutos in Ecclesiis suis quales tu dicis, vel certè eos nescientes, quomodo se ab illis separare iustè & rectè potuerunt? Successionis ordinem per orbem terrarum custodiebant. In antiquissimis Ecclesiis, quæ vtique ad Apostolos suam originem referebant, constituti erant. Cæterorū crimina à te obiecta ignorabant. Ignoramus & nos hodie. Nec te probare vnquam ea posse arbitramur. Nec illi ergo maiores nostri, nec nos hodie, aliis communicare possumus, quàm eis quos sedere in sedibus Episcopalibus videmus & audimus. Latitātem tuam & fugitiuam ecclesiam, nec Augustinus tunc, nec postea maiores nostri, nec hodie nos, aliquando cogitare potuimus. Desine igitur cùm Donatistis contra Ecclesiam eiúsque successionem pastoralem hominum crimina proferre; & nos tibi Ecclesiæ nostræ Pastores perpetuos facilè ostendemus. Habemus enim (exempli causa) omnium Episcoporum quos annis penè mille Anglia habuit paratum catalogum & ordinem à Polydoro Virgilio descriptum. Idem vt dixi, in Gallia imò de omnibus ferè Christiani orbis prouinciis collegit Antonius Demochares. (In hist. Angl. De sacrificio Missæ lib. 2.) Historiæ maiorum nostrorum, Ecclesiarum registra & tabulæ publicæ, imò ipsamet Templa & Collegiorum ecclesiasticorum monumenta vetustissima, quæ nunquam Episcopis & Pastoribus carebant, successionis perpetuæ in Ecclesia nostra luculenta & irrefragabilia sunt documenta. Denique ne domi nos rantùm hærere, vel in sola Europæ parte Ecclesiæ nostræ Pastores perpetuos proferre nos posse existimes; proferam tibi quando voles etiam totius Europæ, seu Patriarchatus Romani, adeóque Occidentalis Ecclesiæ totius Episcopatus, quorum catalogum quendam vetustissimum manuscriptum ex Bibliotheca Monasterij Aquicinctensis, antè aliquot annos

A nos transcripsi, quem etiam nunc alicubi typis æditum fuisse audio. Atque hæc ad subsumptum argumenti nostri (quod ne probabile quidem esse affirmabas) hactenus diximus.

Addidisti tertio, nec ipsam complexionem argumenti mei cum suo antecedente vlla necessitate cohærere. Sed hoc tertium argumenti mei vitium (quod certè maximum fuisset; quia etiam in forma peccaret) tu semel asseruisse contentus, ne vno quidem verbo confirmas. Quare vt conuitium & maledictum à te temerè sed de more prolatum penitus prætereo.

Cauillationes quædam circa vocem, Catholicam, itémque semen & agrum Dominicum absterſa.

CAPVT VIII.

B ARRODIS postremo loco voculam illam. *Catholicam dictam Ecclesiam,* quia hanc appellationem *de Romana & papistica,* vt loqueris, *intellectā vulgus Papistarum tantùm non autem Christianorum, id est, Protestātum vsurpat, vtpotè qui hæreticam illam & Antichristianam dicunt: quibus etiam elogiis ab orientalibus iamdudum græcorum Ecclesia ornata est. Quæ ergo,* inquis, *est ista futilitas, vulgò Catholicam dictam, pro verè Catholica venditare, quæ nulli nisi suorum vulgò sic appellata sit?* Nisi religionem quam tenes mendacissimam esse certò cognoscerem, ad tot & tanta mendacia tua, in tam minutulo libello toties prolata, prorsus obstupescerem. Sed fieri alirer non potest. Causa mala non nisi pessimè sustineri, & mendax religio non nisi mendaciis defendi potest.

Primùm enim non vulgus tantum Papistarum, qui huius Catholicæ membra sunt, sed ipsi etiam hæretici, alieni & prophani, communionem illam orbis terrarum quam Papistæ tenent, vulgò Catholicam vocant, & nisi sic vocarent, quam Ecclesiam dicerent intelligi non possent: sicuti iam in hoc opere ex Augustino & aliàs ostendimus. 1
Sed video illa ad te omnia nihil pertinere. Addam igitur hoc loco pauca. Quæro abs te, Ioannes Iuellus nuper Sarisberiensis in Anglia pseudoepiscopus, de vulgò Papistarum erat an Christianorum, id est, Protestantum, vt tu exponis? Nobilem planè Protestantem eum fuisse nunquam negabis. At ille in titulo & fronte libri quem vt replicam emisit contra responsiones Thomæ Hardingi viri doctiss. ait, *ex illo opere suo facilè perspici posse, quàm infirmu fundamentu nitatur, Romana religio, nuper vulgò Catholica dicta, aut habita.* Catholicam dicere quam Romanam dixerat, non est ausus. Catholicam tamen eam vulgò haberi necessariò adiecit; vt quam intelligeret religionem certiùs exprimeret, Lib. 4. cap. 2. 2.
C quę non tam frequenter aut communiter Romana quàm Catholica vocari solet. Hanc etiam ob causam Vincentius Lyrenensis in persona Hæreticorum sui temporis sic loquitur. *Venite ò insipientes & miseri, qui vulgò Catholici vocitamini.* I nunc G.F. & tam Iuellū tuum, quàm Vincentium hunc nostrum verbis tuis castiga & flagella, quòd ausi fuerint scribere de vera Catholica, *vulgò Catholicam dictam.* At, inquis, *Christiani quos vocas Protestantes, eam vocant Antichristianam.* Quæro abs te G.F. quare istud addis, *quos vocas Protestantes?* An vos ipsos ipsimet passim ita non vocatis & scribitis? Planè de hoc nomine hactenus non erubuistis. Si nunc erubescitis, gaudeo. Deinde quando hoc addidisti, nónne reuera Christianos vos non esse, aut saltem non haberi aliquo modo prodidisti? Neque enim hoc addere opus erat, si vos solos & sectam vestram, quæ Protestantum dicitur, Christianos esse intelligi potuisset. Sed quia latinis auribus scripsisti, hoc tuum interpretamentum addere necesse habuisti. Latina enim Ecclesia Christianos simpliciter dictos, non Protestantes aut aliquam eorum sectam atque particulam, sed solos Catholicos intelligit. 3. Cap. 26.

Quale autem mendacium est quòd dicis *Papistarum Ecclesiam etiam à vulgo Protestantium hæreticam dici?* Equidem multorum Protestantum multa scripta ab annis iam viginti & amplius legi atque perlegi: Tu tamen primus Protestantum es apud quem vnquam

legerim Papiſtas hæreticos vocari. Et certè in ipſa Anglia (vt audio) hoc eos nomine nemo vocat: ſed Catholicos pleri que etiam veſtrûm eos appellant, addendo tamen ſubinde, ſic habitos aut ſic communiter dictos; ne ſanè ſi ita eos ſimpliciter appellarent, ſe ipſos, qui illorum fidei aduerſantur, planè hæreticos eſſe inſinuarent. D

Vvaldēſ. tom. 2. de Sacram. doctr. 7.

Iam verò & proiectæ audaciæ illud mendacium eſt, Eccleſiam Romanam à Græcorum Eccleſiis Antichriſtianam vocari. Hoc vobis Occidentalibus ſeu Septentrionalibus potius hæreticis proprium eſt, qui omnium primum ab Vvicleпho ſic edocti Antichriſtum in Scripturis prædictum Romanum eſſe Pontificem docuiſtis. Vnicam enim Catholicam Eccleſiam variis nominibus varij hęretici nuncuparunt. [1] Ariani enim homouſianos, [2] Donatiſtæ traditores, [3] Montaniſtæ pſychicos, [4] Pelagiani & [5] Iouinianiſtæ Manichæos, [6] Apollinariſtæ Anthropolatras, Græci [7] Azymitas, ſoli autem hodie poſt Vviclephum Proteſtantes Papiſticam & Antichriſtianam Eccleſiam vocarunt Catholicos. Vides quot mendacia in verbis pauciſſimis effutiſti.

[1] Opus imperf. in Math. hom 49. [2] Auguſt. paſſim. [3] Tertull. cōtra pſychias. [4] Auguſt cōtra 2. epiſt pelag. lib 3 ca. 9. [5] Ibidē. li. 1. cap. 2. [6] Nazanzen. epiſt 1 ad Cledonium. [7] Anſelmus ad Vvalerandum Nuneburgenſem epiſcopum.

In fide huius ſectionis etiam illud reprehendis, *quod bonum ſemen in agro dominico ſatum, pro veræ doctrinæ ſemine interpretor, quod Chriſtus ipſe filios regni diſertè interpretatur.* Matth. 13. verſ. 38. Sed falleris mi. G. Etſi enim filij regni ſunt ſemen bonum, tamen quia non niſi per rectam fidem & veram doctrinam fiunt filij regni, (vnde ab effectu ipſum ſemen exponit Chriſtus eſſe filios regni;) propriè & formaliter ſemen ipſum quod ſeminatur, eſt ſemen doctrinæ veræ quod prædicatur, vt alibi ipſe Chriſtus expoſuit in alia parabola ſeminatoris & ſeminis Luc. 8. Quam ob cauſam poſt Auguſtinum, cuius verba hic citaueram, ſemen hoc loco pro vera doctrina rectè expoſui. E

Taxas poſtremo, *quod agrum dominicum, quem Chriſtus mundum expoſuit, ego ſolam Catholicam Eccleſiam expono.* Sed hic iterum mi G. neſcius & imprudens Donatiſtarum partes agis. *Illi enim* (vt ſcribit Auguſt.) *diu fruſtra contenderunt, quod non in Eccleſia prædicta ſint futura zizania, quia dixit Dominus, Ager eſt hic mundus nec dixit, ager eſt Eccleſia. Nos autem mundum pro Eccleſiæ ſignificatione poſitum dicebamus, ſicut etiam Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura præfigurabatur Eccleſia. Vnde illi dicebant mūdum ſemper in malam ſignificationem poſitum. Si quis dilexerit mundum, &c. Nos verò non ſolùm in malam ſed etiam in bonam ſignificationem mundum in Scripturis poſitum reſpondebamus; & commemorabamus illud, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, qui vtique non ſibi reconciliat niſi Eccleſiam.* Hæc ille. Satisfaciat ergo pro me Auguſtinus contra te, qui olim contra Donatiſtas, in eiuſdem verbi hoc eodem loco explicatione ſatisfecit.

Donatiſtarum partes aguat Proteſtantes. Contra Donatiſtas poſt Collationem. cap 6. 1. Ioan 2. 2. Cor. 5.

Succeſsionis perſonalis pro Eccleſia Proteſtantum ab aduerſario prolatæ confutatio copioſior.

CAPVT IX.

ROGATVS de Eccleſiæ tuæ inſignibus perſonis qui Apoſtolorū, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum ac Doctorum in ea muneribus functi, in illo ſuo regimine ac miniſterio per tot ætates Eccleſię Chriſti floruerint; ais, *te olim reſpondiſſe non omnes has functiones in Eccleſia Dei eſſe perpetuas. Apoſtolorum enim Euangeliſtarum ac Prophetarum officia iam olim ceſſaſſe: paſtorum autem & Doctorum tantùm ordinaria munera perdураſſe.* Rectè hoc tu quidem. Sed vide vt cum Caluino conuenias, qui priora illa officia ſic iam olim ceſſaſſe negat, vt etiam *hodie ad erigendu Eccleſiu vbi nullæ antea fuerant, ſub Antichriſto ſcilicet vaſtatæ, Apoſtolu vel ſaltem Euangeliſtu opus fuerit.* Vide etiam vt cum tuis Anglocaluiniſtis vel ſaltem puritanis conuenias, qui etiam Prophetarum officia in Eccleſia benè reformata locum hodie habere volunt; ideóque prophetandi morem in ſuis conuenticulis adhuc frequenter obſeruant: quem neque Metropolitanus veſter à Reg. Maieſt. iuſſus prohibere & interdicere voluerit. Vide deniq; vt, Paſtores ac Doctores, quorum ordinaria id eſt perpetua eſſe munera agnoſcis, perpetuos & ordinarios in Eccleſia tua fuiſſe nobis demonſtres. Ais, *Habuiſſe tamen ex omni genere Eccleſiam veſtram ſuis temporibus, ſi non numero at pietate magis inſignes perſonas. Apoſtol. Euangeliſt. prophet. paſtor. Doctores, quorum aliquos etiam nominibus deſignare poſſetis, petrum* F

A *Paulum, Matthæum, Ioannem, Marcum, Lucam, Timotheum, Epaphram, Iustinum, Irenæum, Cyprianum, Athanasium, Hilariũ, Ambrosium, Augustinũ, Gildam, Bernardum Andegauensem, Vviclephum, Ioann. Hus. Hieronymum Pragensem*, Hos quando commemoras, si Ecclesiæ tuæ successionem personalem non ostendis, ad quæstionem propositam non respõdes. Si ostendis, quare scribis *meam esse inuerecundi hominis atque mendacis calumniam*, quod hãc enumerationem à te factam, successionem à te prætensam voco? Ais te, *Apostolos & Euangelistas recensendo, personarum successionem continuam ostendere aut proferre noluisse.* Quare igitur dum personalis successionis demonstrationem instituis, Apostolos & Euangelistas pariter recenses atque commemoras? An vt numerum faceres, & eius rei quam verè exhibere non posses, saltem speciem proferres? Responderam præterea omnes Christianorum sectas hos authores proferre, quodque illos amplectuntur & venerantur, affirmare. Replicas, *omnes quoque adulteros qui latere volunt castitatem simulare & laudare.* Respondeo, propterea hanc tuam affirmationem simplicem, quod Petrum, Paulum & cæteros pro tuæ Ecclesiæ Apostolis, &c. habes, nihil te vel tuam causam iuuare. Esse enim huiusmodi affirmationes & asseuerationes quibusuis hæreticis communes. Nihil autem esse communi argumento vitiosius quod æquè aduersario ac tibi conueniat, nec ipsemet ignoras. Addis, *tamen ad examen doctrinæ morũmque omnes reuocari debere.* Rectissimè dicis. Sed hoc examen doctrinæ dicimus, non esse in mutis libris, sed penes docentem Ecclesiam. Christus enim *dedit Ecclesiæ suæ Doctores.* Iussit eos *ire & docere omnes* B *gentes.* Et ne in doctrina errarent, promisit fore *vt eos omnem veritatem Spiritus S. doceret.* Ad examen ergo doctrinæ quam vox Ecclesiæ sonat, reuocari debent omnes qui de fide & religione christiana dogmatizant. Sed vt ab Ecclesia docente nos abducas, subiungis. *Sacra Scriptura diuinitus inspirata, ad omnes omnium hæreticorum errores redarguendos institutionem plenissimam continet.* 2. Timoth. 3. Quàm hæc propositio sit falsa, & sub prætextu pietatis perniciosa, toto ferè libro 12. huius operis ostendimus loco etiam ex Timotheo citato in eodem libro capite octauo respondimus: plura etiam postea responsuri.

Ephes. 4.
Matth. 28.
Ioan. 17.

Iam quum in hac proposita quæstione, non Scripturarum authores sed Ecclesiam, quæ has Scripturas nobis & commendaret & exponeret, quæri à nobis dicerem, ad prius horum respondes. *Cur non igitur ad Orientalem Ecclesiam conceditis? Nam à Græcis ad Romanos omnis noui testamenti Scriptura peruenit.* Rectius nos sub hac responsionis forma ad Iudæos remitteres. Non enim Græci, sed Iudæi erant in vnum omnes (solo excepto Luca Antiocheno) qui Scripturas noui testamenti nobis reliquerunt. Nec ab Apostolis ac primis Magistris nostris ad Græcos atque ab illis ad Romanos vel Scriptura vel fides Christiana peruenit (vt olim Ariani Iulio Rom. Pontifici obiectabant, quorum tu hic voces & vestigia imitaris) sed ad Romanos æquè atque ad Græcos per immediatam & proximam Apostolorum prædicationem illa omnia peruenerunt.

Ad Ecclesiam Græcorum quare non recurrimus.

Apud Sozomenum histor. Eccles. lib. 3. cap. 7.

C Nam & princeps ipse Apostolorum Petrus Romæ suam sedem fixit, ac Cathedram posuit; & Ecclesia Romana omnium semper Ecclesiarum antiquissima iudicata est: Nec ab Oriente Euangelium Roma aut Occidentalis Ecclesia accepisse facilè apud antiquos legitur, nisi vbi Orientis nomine ipsa Hierusalem intelligitur vt apud Augustinum Epistol. 170. & alibi. Deinde ad Orientalem Græcorum Ecclesiam recenti schismate antiquiorem libenter concedimus. Præsentis Ecclesiæ Græcorum authoritatem, tam propter fœdam hæresim contra Spiritum Sanctum, à qua & vos abhorretis, quam propter alios errores, non magis vestræ sectæ moramur.

Ad posterius, de Ecclesia Scripturam nobis exponente, respondes. *Si eam quæritis Ecclesiam quæ veterum expositionem in præcipuis fidei articulis de quibus inter nos controuertitur suscipit atque tuetur, ad nostram transite.* Scilicet: vestra Ecclesia veterum ex positionem suscipit atque tuetur. Quærendum igitur abs te hoc loco, quam Ecclesiam vestram dicis. Si in qua Caluinus Geneuæ tot annis Magistri munus exercuit, falsa narras. Ille enim veterum expositionem in Doctrina Sacramentorum, in Doctrina liberi arbitrij, in Doctrina iustitiæ fidei, in Doctrina de Ecclesia eiúsque potestate, quæ arbitror præcipuos esse articulos de quibus hodie controuertitur, adeò nihili facit vt Augustini Doctrinam argutias & sophisticam,

Veterum Patrũ expositiones an Protestantes recipiant.

Institut. lib. 2. cap. 4. §. 3. l. 3. c. 11. §. 14. l. 4. c. 15. §. 7. c. 19. §. 37. de prędest. & prouid. cap. Comment. in Ioan. cap. 6. Instit lib. 4. cap 16. §. 25. Instit. lib. 4. cap. 18. sect. 12. In tract. de scandalis.

Hieronymi etiam impiã, pessimè & perniciosè Gregorium docere, falli Chrysostomũ, D circa Scripturarũ sensum scribit, imò omnes omnium Patrũ interpretationes circa illa verba. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* (sensum illorum verborum non literalem sed allegoricum esse affirmans) & agnoscit & cõtemnit. Et in Cœnæ quidem Dominicæ actione, scribit *veteres patres imitatos propius fuisse Iudaicũ sacrificandi morem quàm aut ordinauerat Christus aut Euangelij ratio ferebat*: In causa autem liberi arbitrij, *frigidam & deformatam theologiam ex lacunis philosophorum deprompt am* patres tradidisse affirmat. In quæstione de iustitia fidei, perpetuam Augustini doctrinam, qua exponit Paulum operibus simpliciter vel operibus legis, item iustitiæ quæ ex lege est tam sæpe detrahere, & iustitiam fidei quæ ex Deo est opponere, quia opera & iustitiam intelligit quatenus ex solis naturæ viribus audita doctrina legis absque gratia mediatoris quam fides impetrat, non autem quatenus sunt opera gratiæ & vera legis iustitia; hãc inquam Augustini doctrinam perpetuam constantem & manifestam Caluinus tuus tacito Augustini nomine *sophistis imputat, qui sibi ex Scripturæ deprauatione & manibus cauillis ludos & delicias faciũt*. Quin & ipsum

Instit. lib. 3. cap. 11. sect. 14.

Augustinum nominatim taxat in sequenti sect. 15. Hoccine est mi G. veterum expositionem suscipere & tueri? Scilicet: ad populum phaleras. Nam si seriò hoc diceres, & sentires, nullo planè negotio omnes inter nos de religione controuersiæ sopiri possent. Meministi quàm infœliciter Ioan. Iuellus vester, hunc veterum Patrum consensum in variis fidei articulis hodie controuersis penitus à se stare, publicè proclamauerit; & illorum vel vnico testimonio se paratum esse cedere atque subscribere, solenni pollicitatione stipulatus fuerit. Sed nescio an memineris aut vnquam legeris, quid de hac E Iuelli & nunc tua vanissima ostentatione senserit Iacobus Acontius in suo de Satanæ

Lib. 6.

stratagematibus libro, quem etiam Reginæ Elizabethæ dicauit. *Restituerat* (inquit) *Lutherus, aliique priores Euangelicæ veritatis vindices pulcherrimam illam maximéque necessariam ex solo Dei verbo testimonia petendi consuetudinem. Sed quidam alij pulcherrimè se facturos arbitrati, si hostes eorum ipsorum confoderent telis, eò redierunt vt Patrum authoritatibus omnia denuò replerent. Quod vtinam tum secundo fecissent successu, quàm bona spe aggressi sunt.* Et paulò pòst. *Equidem perniciosissimam omninóque fugiendam hanc esse arbitror consuetudinem: aurésque assuefaciendas vt nihil cui adhibeatur fides, præter sola Dei oracula sacris libris comprehensa agnoscant.*

Hæc ille expresè disputans de expositoribus Scripturæ, quos nullos audiri vult. Tu autem vt cum istis consentias vide. Imò vt cum tuis domi consentias, iterum atque iterum vide. Nam vt Puritanorum scripta vernacula omittam, in quibus patrum expositiones tanquam paleam reiiciunt, nuper in thesibus latinè editis quidam Reinoldus Oxoniensis auditor thesi 5. pag. 106. quartam causam quare Romana Ecclesia nec est

Protestantiũ Anglorum manifesta contradictio.

Ecclesia Catholica nec sanum eius membrum, hanc adfert, *quod in expositione Scripturæ eum solum sensum approbat quem Ecclesia tenet Romana, aut patrum vnanimis tradit consensus*. Hæc ille. Quæ est igitur illa vestra Ecclesia quæ patrum expositiones suscipit ac tuetur? Quid? Alia Cantabrigiæ Ecclesia est quam tu tenes, & alia Oxonij quam Reinoldus tenet? F Aut si vna est vtriusque Academiæ Ecclesia, necdum exploratum habetis patrum expositiones adhibendæ sint nécne? Aut magis esse contrarium aliquid potest, quàm te quidem asserente, *Patrum expositiones vos suscipere ac tueri*, altero autem sodali tuo asserente, *falsæ Ecclesiæ hoc ipsum notam & argumentum esse, quia in expositione Scripturæ patrum consensus vnanimis admittitur?*

Profers etiam exempli causa Tertulliani, Augustini, Ambrosij verba, ex quibus *iubes nos discere, scripturam hanc, Hoc est Corpus meum, pro figura, signo, typo Corporis Christi exponere.* Scilicet, hoc facis in Patrum dictis, quod in Scripturæ documentis te facere superius ostendi. Libenter opertis immoraris, ne aperta fateri cogaris. Difficiliora quæque & obscuriora sectaris; ne de manifestis & claris conuincaris. Denique quod semel aut iterum ab aliquo patrum obscurius aut obiter dictum est, arripis studiosè: quod autem creberrimè inculcatum & sæpissime repetitum & ex proposito disputatum ab illis vides, prætergrederis fastidiosè. Semel & obscurius contra Marcionem figuræ vocabulo Tertullianus, contra Adimantum signi vocula Augustinus vsus est hoc nos iubes aduertere. Sæpissimè autem veram & realem Corp. & Sang. existentiam quòd doceant, tu minimè aduertis.

Quanquam

A Quanquam neque ibi sic figuræ aut signi vocabulo vsi sunt, vt veritatem Corp. & Sang. Christi in hoc sacramento negarent. Quod vt intelligas, suadeo amicè vt doctissimi & grauissimi viri Gulielmi Alani de Eucharistiæ Sacramento opus eruditissimum legas.

Lib.1. cap.32.

Iam, quia Ecclesiam nos quęrere dixi, quæ omnem aliam doctrinam siue ex scripturis collectam, siue extra eas traditam ad nos per manus tradiderit, respondes iratus. *Si vobis non sufficit doctrina quæ ex Scripturis diuinitus inspiratis collecta, vtilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad instituendum in iustitia vt perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus atque informatus, discedite in malam rem ad cœnum humanarum traditionum, atque in illud vos in verticem immergite, vsque daturi aliquando pœnas contemptæ legis diuinæ quasi imperfectæ atque mutilatæ, ore blasphemo negantes quod Spiritus S. apertis verbis asserit, ex sacræ scripturæ doctrina perfectum fieri diuinum hominem atque ad omne opus bonum absque illis extra eam traditionibus, satis formatum atque instructum.* Itane verò G. F. in malam rem eos omnes abire iubes, ad cœnum humanarum traditionum, daturos quoque pœnas comminaris, & blasphemare pronuncias, qui extra Scripturas traditam doctrinam aliquam docent aut attendunt? Et vbi est illa tua religio, qua veterum patrum expositiones te suscipere atque tueri asserebas? Quid? An tam cito in alium virum mutatus es? Aut quos Scripturæ sacræ interpretes non vereris admittere, eorum de doctrina non scripta iudicium & sententiam reformidas? Veteres enim (mi G.) patres sunt qui traditam extra Scripturas

De doctrina non scripta.

B doctrinam amplectuntur & venerantur, Tertullianus, Augustinus à te citati, Basilius, Chrysostomus, Irenæus, Dyonisius Areopagita, Epiphanius, Athanasius, Eusebius Pamphili, quorum omnium verba in huius Operis lib.12. produximus. Hos etiam iube G.F. pro tua pietate & modestia in malam rem abire, &c. si lubet. Me autem eodem cum illis loco reponi, etiam laudi duxero. Sed quod ais, *ad cœnum humanum traditionum eos transire qui solis Scripturis contenti non sunt*, vel putida calumnia (si sensum Catholicum tenes) vel fœdus error est, si non tenes. Non enim humanas sed Apostolicas atque Ecclesiasticas traditiones nos Catholici astruimus & tenemus. Vox autem Apostolorum atque Ecclesiæ non humana sed diuina est, vt etiam in hoc opere demonstrauimus.

Lib 8. cap 16.

Verba autem Apostoli de Scriptura diuinitus inspirata, quàm vestrum prætextum de sola Scriptura nihil iuuent, in hoc quoque opere ostendimus: quæ tu omnia prudenter dissimulas. Quanquam & hic addo in verbis illis Apostolicis, vtilitatem non sufficientiam Scripturæ (quam vos fingitis) doceri. *Omnis* (inquit Apostolus) *Scriptura vtilis est, ad docendum, &c.* & *quidem vt homo sit perfectus, ad omne opus bonum instructus.* Ad hoc totum vtilis, imò vtilissima est Sacra Scriptura. Sed vel sufficientem esse Scripturam, vel illam solam ad docendum, &c. vtilem esse, Apostolus non dicit, ne sanè sibi ipsi contradicat, qui iussit suos Thessalonicenses, *tenere traditiones* (id est traditam doctrinam) *quas acceperant, siue per sermonem siue per Epistolam.* Quòd autem tenere eos iussit, vtile illis esse pro-

Lib.12. cap.8.

2.Tim.4.

2.Thess.2.

C culdubio iudicauit. Non ergo sola Scriptura, sed etiam traditio non scripta vtilis est ad docendum, &c. Deinde *pietas ad omnia vtilis* dicitur, non tamen sola, quia *corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.* Quin vt homo perfectus sit, vacare bonis operibus vtile esse idem Apostolus dixit. *Curent* (inquit) *bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus.* An ergo hæc singula quia vtilia sunt, etiam sola sufficere tuo iudicio videbuntur? Hic ineptiam aut futilitatem tibi non obiicio. Sed ignorantiam & errorem tuum deploro.

1.Timoth.4.

Tit.3.

Antiquos patres nihil vos iuuare dixeram (quos tu quasi maiores tuos & in successionis speciem produxisti) quia in multis doctrinæ articulis eos deseritis. *Hic* respondes *eadem ratione nec nos iuuare, quia in omnibus eis non adhæremus.* Sed quum ego articulos ipsos recitassem in quibus à S. Patribus dissentitis, idémque vestrorum hominum testimonio & confessione confirmassem, tu nec capita doctrinæ nominas in quibus à Patribus recedimus, nec vel vnum verbum probationis adfers.

Ita tibi semper dicenti tantùm credi postulas. Nos verò Sanctis Patribus in omnibus adhæremus, in quibus eos vnanimiter consentire deprehendimus, iuxta ea quæ in hoc opere de Parrum authoritate quatenus & quomodo sit admittẽda, disputauimus. Iam verò ad confirmationem quam attuli, qua à patribus vos dissentire ostenderem,

A *Quòd Romana Ecclesia contra latentem Protestantum (si qua talis erat) penitus præualuit: vbi & discrimina persecutionū quæ legibus & suppliciis fiunt, & quæ per hæreses excitata sunt, itemque primæ Ecclesiæ sub cruce positæ & potestantum (quæ fingitur) à Romana his aliquot seculis oppressæ, clara differentia latè explicantur.*

CAPVT X.

RIMA quęstio erat, quibus & quādo hęc occulta Ecclesia sacramēta administrauerit. Quam etiam disciplinā exercuit? Ad hanc quęstionem quum respondisses, *vtrūque id factum fuisse, quoties per Antichristi* " *Papæ tyrannidem id facere licuit*; replicaui ego, ex hac confessione præ- " ualuisse Romanam ecclesiam, idque multis iam seculis, aduersus illam tuam in deserto positam, Ideoque Christi ecclesiam hanc fugi-
B tiuam esse non posse: quia contra Christi Ecclesiam nulla falsa eccle sia seu papistica seu alia quęuis potuerit vnquā pręualere, De qua dictum est, *Et portæ in-* Matth.16. *feri non præualebunt aduersus eam.* Hic exclamas. *O admirabile controuersiarum professoru acumē.* " *Hoccine præualere vocas Stapletone? Quid igitur legibus & suppliciis ex toto Romanorum orbe pro-* " *pelli? Diocletianus. Ionius & Maximianus Herculeus, deletam à se penitus Christi superstitionem &* " *nomen Christianum penitus sublatum (quod etiam marmora hodie testantur) superbè non minus quā* " *impiè gloriabantur. Præualuerunt ne igitur aduersus Ecclesiam Christi?* Prorsus dico contra illam " tuam fugitiuam pręualuisse Romanam ecclesiā quę à Romana ecclesia tot seculis, mille sanè & amplius annis tuorum penè omnium confessione, non solum impedita fuerit vt tu hic loqueris & vrges, quasi prætermissus sacramentorū vsus aut neglecta disciplina grauius (quod ego scripsi) sonet, quam impeditus vsus, aut impedita disciplina, (quod te scripsisse dicis) vt tu hic multis verbis inaniter declamitas, sed sic impedita, vt planè fuerit sublata: id est vt nullos valeat dispensatores mysteriorum Dei, nullos Pastores & Doctores, nullos episcopos & presbyteros proferre, qui vel sacramenta administrauerint, vel disciplinam ecclesiasticam exercuerint. Donec enim tales protulerit, nullos te proferre posse rectissimè inculcabo. Nec sine huiusmodi personis, rerum huiusmodi vsus, administratio, exercitium vllo modo in ecclesia Christi quæ acies ordinata est, haberi potest.

Quod autem hic rogas, an propterea *contra Ecclesiam Christi Ethnici persecutores præualue-* "
C *rint, quia suo tempore Christianum nomen sustulerunt, vt marmora etiam hodie testantur*, Respō- " deo varium & multiplex discrimen esse inter Ethnicas persecutiones & hæreses, item inter statum Ecclesiæ Christianæ sub huiusmodi persecutionum cruce, & statu hæresis seu schismatis, qualem tu fingis Romanæ Ecclesiæ statum fuisse. Quod quidem discrimen tu si intellexisses, nunquam (vti arbitror) tam insolenter aduersus confutationē nostram declamitasses. Primùm enim illæ ethnicorum persecutiones breues & momētaneæ erant, lucida & longa interualla, frequentes & prolixas inducias habebant. Quum *Primum discrimē inter primas ethnicorum persecutiones & statum Rom. Ecclesiæ qualē fingunt Protestantes.* enim totis ferè trecentis annis legibus & suppliciis contra ecclesiam Christi sæuitū fuisset, tamen totius illius temporis duodecim tantum persecutiones recensentur: & quæ omnium grauissima, atque vt scribit Orosius, *Maxime diuturna*, fuit, Diocletiani & Maximiani à te hic producta, Decennalis tantum vt suum fuit. At Ecclesia Romana contra vestras hęreses (quam latitantem in deserto ecclesiam vocatis) iam ab annis nongentis & amplius pręualere cœpit, quingentis autem totis aut sexcentis penitus præualuit; iuxta calculum tuum: sed vt alij exactius supputant, non solum totis iam mille Lib.7.cap.26. annis & amplius, sed etiam Zozymi tempore (quod & Augustini fuit) sedit Romæ Antichristus, in cuius communione totus reliquus orbis Christianus mansit; ideóque

si extitit tunc hæc adulteram vestrã, profectò in desertum iam vt habitaret, profugerat, D & contra eam Antichristus præualuerat. Ex hac ergo parte vt vides, vnum & magnum discrimen est.

Alterum discrimen.

Sed plura tibi & maiora discrimina proferam. Externi gladij persecutio quæ legibus & suppliciis persequitur Ecclesiam, (qualem tu profers) adeo non opprimit aut extin-
" guit Ecclesiam, vel (vt tu falsò asseris) *ex toto Romanorum orbe propellit*, vt planè illustret eã,
" propagandi ac dilatandi fines eius causam præbeat. Notarunt hoc diligenter sancti Patres. Gregorius Magnus in hæc verba. *Pensandum est quod Arcturus semper versatur & nunquam mergitur, quia & Sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen vsque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Sæpe namque eam reprobi: quia vsque ad internecionem persecuti sunt, quasi hanc se funditus extinxisse crediderunt. Sed eo multiplicius ad statum sui profectus rediit, quo magis inter manus persequentium moriendo laborauit. Arcturus ergo dum versatur erigitur, quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur quum ardentius pro veritate fatigatur*, Hæc ille. Sanè iuxta illud Tertulliani: *Sanguis Martyrum semen est Christianorum*. Vel potiùs iuxta illud Saluatoris. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quod de sua benedicta persona propriè dictum, etiam in corporis sui id est Ecclesiæ persona verum est. Vnde elegãter Ambrosius Ecclesiam alloquens; *Salue*, inquit, *vinea tanto digna custode. Te in perpetuum multorũ nobis Martyrum plantauit interitus. Te crux Apostolorum, æmula Dominicæ passionis vsque in orbis totius terminos propagauit.* Hæc ille, ostendens quo modo tam de Apostolis & martyribus E verum est, quàm de Christo, quòd granum mortuum facit fructum multum. Quare & eodem loco addit: *vt vinea dum ligatur, erigitur, & recisa non minuitur, sed augetur, ita sancta plebs, dum ligatur, erigitur: dum humiliatur, attollitur; Dum reciditur coronatur.* Hæc ille. Quam sanè ob causam huius generis persecutionem quæ legibus & suppliciis exercetur, incrementum potius Ecclesiæ dedisse, quàm detrimentum attulisse, scripsit Apostolorum temporibus vicinus, & sub ipsa persecutionum rabie viuens Clemens Alexandrinus, nõ sine egregia & singulari quadam fidei ac religionis virtute ac laude. *Græcam*, inquit, *Philosophiam si quiuis magistratus prohibuerit, ea statim perit; nostram autem Doctrinam à prima vsque prædicatione perhibent simul Reges & Tyranni, & singuli Duces & Magistratus cum vniuersis satellitibus, & innumerabilibus etiã hominibus, in nos belligerantes & nos pro viribus excindere conantes. Illa autem magis etiam floret.* Rationemque huius rei proriam subiungit. *Non enim emoritur vt Doctrina humana neque flaccescit vt donum imbecillum. Nullum enim Dei donum est imbecillum: manet autem huiusmodi vt prohiberi nequeat.* Hęc est nimirum vis veritatis cælestis, eius professoribus Diuinitus concessa, nulla vt humana vi, nullis legibus, suppliciis nullis opprimi queat. Sed omnium elegantissimè vt solet, & copiosissimè, hanc Ecclesiæ & cælestis Doctrinę, vim explicat Chrysostomus. *Vbi Christus dixit, ædificabo Ecclesiam meam multa accelaratione facta est, etiam contra eam tyrannis se armantibus, & militibus arma mouentibus, & populis plus valido igne insanientibus, & obluctante consuetudine etiam oratoribus & sophistis, & diuitibus & principibus insurgẽtibus, sermo Dei velut ignis validus adueniẽs spinas cõsumpsit, agros repurgauit, verbũ prædicationis. Et licet si qui crediderũt, in carceribus seruarentur seminauit despectui essent, amitterent substantias, occiderentur, traderẽtur igni, submergerentur aqua; & omne tor-* F *mentorum genus sustinerent cum summa ignominia, & persecutionem paterentur vt hostes publici, plures tamen semper accrescebant.* Et paulò post: *Etiam Ecclesiam in toto orbe vbique extruxerunt, licet ligarentur, persecutionem ferrent, fugarentur, perscriberentur eorum bona, flagellis cæderentur, occiderentur, comburerentur submergerentur vna cum Discipulis.* Hæc ille & multò illic plura. Et ne testimonium eius qui tempore persecutionum non viuebat, minus fide dignum videatur, Tertullianus inter medias persecutiones agens, & contra persequentium furorem Apologeticum scribens, quàm parum tamen verum esset quod tu dicis, *legibus & suppliciis toto Romano orbe propulsos fuisse fideles*, luculenter ostendit, dicens. *Externi sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa.*

Moralium lib. 9. cap. 7.

Persecutio gladij illustrat potius Ecclesiam quàm deprimit.

In lib. ad Scapulam & in Apologetico.

Ioan. 12.

Lib. 9. cap. 10. in Lucam.

Lib. 6. Stromatũ in fine.

In demonstratione quod Christus est Deus.

In Apolog. cap. 17.

Lib. 2. cap. 18.

Hæc ille & adhuc plura; quæ quia aliàs in hoc opere produximus, hic non repetimus. Nec dissimiliter Origenes qui patre Martyre natus, plurimosque ad Martyriũ hortatus fuerat quũ obiiceret Celsus, Christianorum dogma obscurum & ignobile esse, respondet *vniuerso terrarum orbi quod prædicant Christiani longè esse notius, quàm Philosophorum placita.*

Lib. 1. contra Celsum.

A *placita*. Ex his ergo omnibus ſatis manifeſtum euadit, legibus & ſuppliciis, nec toto orbe propulſam fuiſſe Eccleſiam, nec Chriſtianorum nomen funditus ſublatum, nec deniq; contra Eccleſiam præualitum fuiſſe.

At vero hæreſes in Eccleſia exortæ maximas & propemodũ inſanabiles Eccleſiæ ſtrages dederunt. Nam etſi non ita cõtra Eccleſiam vlla vnquam præualuit hæreſis aut præualebit, nec etiam omnes ſimul coniunctæ præualere poterunt, vt aut vniuerſum orbem Chriſtianum occupent deleta funditus Catholica & orthodoxa Eccleſia, aut ad finem vſque ſeculi perdurent, ſicuti ſola perdurat Catholica; ſed vnaquæque hæreſis ſuum exitum & interitum hactenus paſſa fuerit (ſola ſupereminente quaſique in media tempeſtate ex fluctibus emergente Catholica) patientur ſimiliter & hodiernæ, ſiue aliæ quæcunque (quo ſanè ſenſu etiam de hæreſibus rectè intelligitur, eſſe illas portas inferi quę non præualebunt contra Eccleſiam, ſuntq; illa Patrum dicta intelligenda quæ ex Theodoreto, Hilario, Auguſtino alibi in hoc opere produximus, quòd in perſona Eccleſiæ etiam contra hæreticos dicitur. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerũt mihi*) tamen hoc habet proprium & ſingulare hæreſis, atque à legibus & ſuppliciis diuerſum, vt quandiu viget & vbi viget, veram Eccleſiam tanquam proprius & maximè infenſus aduerſarius vehementiſsimè oppugnet, peſtilentiſsimè corrumpat, ac denique excedat quaſi atque exterminet: vt certè hæreſium quæ diu inualuerunt, exitus & cataſtrophe ſit, vel paganiſmus vel Atheiſmus.

Hæreſum ſtrages in Eccleſia

Huius rei & argumenta & exempla non deſunt. Argumento eſt quod hæreſis fuco ſe
B & prætextu religionis contra Eccleſiã armat: nomine & armis Chriſtianis vtitur. Occultus hoſtis eſt, qui ideo caueri niſi difficillimè poteſt. Ciuile bellum agit, quod ſine ſociorum ſanguine nunquam terminatur. Denique fidem ipſam, non ſub nomine perfidiæ, vt idololatria, vt Mahometiſmus, vt paganiſmus, ſed ſub fidei ſacratiſsimo vocabulo oppugnat. *Per verba legis, legem impugnant*, ait Ambroſius. *Scripturas ſine ſenſu loquuntur, & fidem ſine fide prætendant*, ait Hilarius. Amicum ſe oſtendit, & hoſtis eſt. Socium ſe dicit & capitale bellum gerit. Deinde vt magis fallat, à paruis incipit, *vt cancer ſerpit, per dulces benedictiones ſeducit, transfigurant ſe in Angelum lucis, venit in veſtitum omnium*, Scripturas obtendit, vt Sathan, vt Iudæi olim contra Chriſtum ipſum, Sponſæ voces vſurpat & meretrix eſt, Chriſtum loquitur, Euangelium ſonat, verbum Domini crepat. Poſtremò omnes eius machinæ aſtutia & dolus ſunt. *Fur eſt & latro*, non iuſtus hoſtis. *Nequitia & aſtutia circumuenit in errorem*, veris & apertis armis non aggreditur. Vnde factum eſt, vt infiniti hodie Chriſtiani in hęreticorum laqueos inciderunt, qui ad Mahometiſmum ſimiliter tentati, quæuis potius diſcrimina ſubituri, quàm ab auita fide ſe abduci paſſuri fuiſſent. Rurſum hæreſis ſeducit intellectum, mutat affectum, animum penetrat, voluntatem trahit, cor poſsidet. Leges & ſupplicia externa vocem fortaſſe extorquent, manum ſubſcribere cogunt, ad corporalem præſentiam impellunt. Sed quia nihil violentum diuturnũ, vbi vel pax datur, vel ſæuire ceſſatum eſt, nihil legibus nihil terroribus actum eſt. Quod animo altius impreſſum erat, immotum manet. Contra verò quem hæreſis ſemel oc-
C cupauit, raro aut nunquam reſipiſcit. Præterea id agit propriè hæreſis, vt violata ſemel fidei pudicitia & integritate, ad quæuis ſeſe opinionum portenta proſtituat, conculcata ſemel Authoritate qua fides nititur, cuiuſuis magiſtri imperium & iugum ſubeat. Denique dum fidem ſemel atque iterum mutare docuit, eo demum propellit, vt omnem fidem & religionẽ prorſus excutat. Vnde de ſuo tempore Hilarius. *Dum plures fides fiunt, ad id cœperunt eſſe ne illa ſit*. Et ſanè hodie eo redacta res eſt, vt in vnaquaque ſecta & hęreſi, retento tantum fundamento, (quod quale ſit, nondum conſtitutum habent;) ſaluari ſe poſſe, qui ab Eccleſia Catholica hodie receſſerunt, ſibi planè perſuaſerint. Hęc ſanè argumento ſunt proprias fidei & religionis orthodoxæ ſtrages adferre hæreſes non leges & ſupplicia externa. Quam ſanè ob cauſam ſapienter de Cornelio Romano Pontifice ſcripſit Cyprianus, quòd *multò patiẽtius & tolerabilius audiret leuari aduerſum ſe æmulum principem, quàm conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem*. Quare hunc quidem vt declinaret, & Romæ concilium coegit, & ad vniuerſos per orbem Epiſcopos accurate ſcripſit; vt principis minas caueret, nec digitum mouit: ſed, vt ſcribit Cyprianus. *Sedit intrepidus Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore quo tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, expectans corporis ſui carnifices & tyranni ferocientis vltores.*

Hæreſis propria Eccleſiæ peſtis.

In cõment. ad Tit. 3.
In lib. ad Cõſtantinum.
2. Tim. 2.
Rom. 16.
1. Cor. 11.
Matth. 7.
Ioan. 10.
Epheſ. 4.
In lib. ad Cõſtantium.
Lib. 4. epiſt. 2.

Multæ prouinciæ ab hæresi ad Paganismũ vel Mahometismum prolapsæ.

Paulus diaconus lib. 18.

Exemplo autem sunt amplissimæ & Oriẽtis & Africæ Prouinciæ, quæ in hæreses primum dilapsæ, Arianam potissimum & Nestorianam in paganismo tandem & Mahometismo (qui eas vsque hodie occupat) desierunt. Vix enim alibi obtinuit Mahometismus nisi vbi prius sedem suam habuit aliqua hæresis eademq; inueterata. Quum Antiochiã & Syriam occuparet Homar Mahometis successor, Iacobitarum hæresis quæ Eutychianæ sectæ pars erat sub Anastasio Iacobita eum latissimum tractum occupauerat. Quum in Africa Mauri Mahometem primò susciperent, Ariani non Catholici erant quos in suam blasphemiam traxerunt. Quum Alexandriam & vniuersam Ægyptum primo occuparent Sarraceni, statim à morte Mahometis qui illorum Dux fuerat Monothelytæ erant sub Cyro pseudopatriarcha, non Catholici illius gentis Christiani.

Paulus diaconus lib. 18.

Et memorabile est quod quum eodem ferè tempore totam ferè Persidem & Assyriam reliquã Sarraceni sectæ Mahometanæ occuparent, soli Armeni, Iberi & Alani, in religione Christiana integri & sinceri, fortissime illis restiterunt, sesque & religionem Christianam ab illorum tyrannide soli ex adiacentibus illic populis vindicarunt. Idem quoque præstiterunt Cantabri & Astures (quæ nunc Gallitia vocatur) qui soli ex Hispaniarum populis, vt à Gothorum Arianismo (quorum imperata nunquam fecerat, quum reliquis omnibus Hispanis Gothi iura darent) ita à Sarracenorum seu Maurorum iugo qui Mahometismum Arianismo in Hispaniis substituerunt, semper liberi & immunes perstiterũt. Sed vt ad Christianismi per hæreses vastationem redeam, quemadmodum quum primo in Europam descenderent Sarraceni, occasionem & animum illis præbuit Oriẽtalis & Occidentalis Ecclesię diuisio (propter Monothelitas & Iacobitas Patriarchales Orientalis Ecclesiæ sedes tunc occupantes) sic Turcæ Sarracenorum Domini facti, ipsam Græciam gliscẽte magis illo dissidio & in apertũ schisma erumpente Gręcia, & inuaserunt, & magnam eius partem ab annis iam ducentis occuparunt, quam & hodie tenent. Atque in omnibus his prouinciis erecto Mahometismo, longa iam annorum serie Christiana religio tota propemodũ extincta est: vt illud facilè obtinuerit hęresis, quod nullis suppliciis & legibus externa persecutio obtinere potuit. Non tamen hæreses istæ propterea contra EcclesiãChristi præualuerũt, quia & ipsæ in se penè omnes iam interierunt & à Mahometismo penitus oppressæ atq; extinctæ in obliuionem apud illos populos vbi olim inualuerant, abierunt; & præterea quod in illis gentibus ac populis à fide Apostatãtibus Ecclesię decesit, hoc per alias gentes ac populos eodem ferè tempore ad Christi fidem adductos, ex alia parte Ecclesię accesit. Quo enim tempore per hęreticos antedictos & Sarracenos in Oriẽte & Meridie Mahometismus obtinuit, quinto videlicet & sexto seculis, eodem tẽpore permultæ Occidẽtis, & Septentrionis nationes atque insulæ fidem Christianam recenter amplexæ sunt: videlicet Lazi, Seruli Hunni sub Iustiniano Imperatore: Angli per Gregorium magnum Hollandia, Phrisia, Vbesthphalia & magna pars Germaniæ per Anglos VVillibrordum, Sinbertum, Leumium, Marcellum, VVinfridium (aliàs Bonifacium) & Osso. fflandria per Eligium, Bauaria per Rupertum, Saxones sub Carolo magno, aliæque per alios prouincias.

Ann. 640. Sabell. Ænead. 8. lib. 8.

Quare hæresis vtcunque aliquas gentes perdidit, tamen cõtra Ecclesiã non præualuit.

Paulus diac. Lib. 15 & 16. Beda histor. lib. 2.

His ergo ita explicatis, vides Gulielm. Fulc. aliud illustre discrimen inter persecutionem illam quæ legibus ac suppliciis fit, & illam quæ per hæreses excitatur. Ex quo discrimine illud infero. Si Ecclesia Romana his tot seculis Antichristianismus esset, vel secta aliqua hæretica, (vt tu eam vocas) prorsus omnem in tota hac Latina & Occidentali Ecclesia, veram fidem & religionem penitus extinxisset; quod & Magistri tui ingenuè profitentur. Aiunt enim veram *Ecclesiam huius Romanæ & nequitia seductam & potentia oppressam fuisse*, quæ Musculi verba sunt: Aiunt *Romanã istam alias Ecclesias sacrilega impietate profanasse, Immani dominatione afflixisse, malis & exitialibus Doctrinis corrupisse, & propemodũ euertisse*: quæ verba sunt Caluini. Rationem quoque addit Musculus. *Huic Romanæ Ecclesias omnes esse subiectas, vsum omnium sacrorum in eius esse manibus, omnes denique coniuratos esse Antichristo, & tales vt luporum rabie imbuantur.* Dico igitur, si secta hæretica Romana Ecclesia tot sæculis fuisset, profectò contra veram Ecclesiam præualuisset, hæresis enim vbi viget, vbi dominatur, vbi obtinet veram fidem extinguit. F

In loc. com.

Instit. lib. 4. cap. 6. sect. 11.

Quam vim leges & supplicia externa non habent: Addo etiam quanto fuit hæc Romana potentior & diuturnior, tanto facilius si hæresis fuisset, omnem veram Ecclesiam exterminasset; adeoque in paganismum vel atheismum desiisset.

Denique

A Denique & hoc adiicio. Si Antichristianismus fuisset, quum nihil magis Christo aduersetur quàm Antichristus, profectò multò violentius quàm vlla hæresis Christi nomen ac fidem extinxisset. Sed vt in hoc opere ostendimus, hęc sola Ecclesia illa est quæ contra omnes hæreses non vestras tantum G. F. quas hodie vel de nouo pertulistis vel veteres resuscitastis, sed & alias quascunque perpetuò pręualuit. *Lib. 4. cap. 22.*

Sed aliud nunc discrimẽ accipe. Persecutiones quæ legibus & suppliciis fiebant, quod contra Christi Ecclesiam non præualuerunt, luculentissimo argumento est, quòd totius eius temporis quo vel maximè sub cruce ęrat Ecclesia, monimenta & testimonia illustris & conspicuæ ecclesiæ habemus amplissima. Ostendimus enim non secus illius temporis quàm subsequentis ętatis successionem ecclesiasticam omnibus pręcipuis ecclesię Christianæ sedibus: in Romana, Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana, Ephesina Laodicena, Corinthiaca, & aliis. Harum enim sedum episcopos diligẽter historia huius temporis Ecclesiastica memoriæ prodidit. Ostendimus & proferimus huius temporis scriptores Ecclesiasticos, tam qui fidem Christianam cõtra paganos ipsos Apologeticis editis liberrimè propugnarint, vt Tertullianum, Iustinũ Martyrem, Athenagoram, Clementem Stromateum, Aristidem, Tatianum Assyrium, Appollinarium, Syriæ, Quadratũ Athenarum, Apollinarem, Hieropolis episcopos, Origenem, Appolloniũ Senatorem, Theophilum Antiochenum, Cyprianum: quàm qui religionẽ orthodoxã contra emergentes tunc hęreticos strenuè defenderint: vt eundem Tertullianũ, Theophilũ, & Apollonium, ac prætereа Irenæum, Agrippam, Proculum, Milciadem, Dyonisiũ Alexandrinum, Archelam Mesopotamię episcopum, Methodiũ Cyri, Victorinũ, Maximum, & alios non paucos quorum nomina libris simul inscripta non reperiuntur, vt meminit Eusebius: quàm denique qui scriptis Commentariis & tractatibus Scripturam & fidẽ orthodoxã illustrarint, vt Dyonisium Areopagitam, Clementem, Origenem, Dyonisium Alexandrinũ, Symmachum Samaritem, Rhodo Asianum, Hippolitum Episcopũ, victorium Pictauiensem, Theodorum Episcopũ, Lucianum presbyterum & Martyrẽ, & alios non paucos quorum vel Eusebius in historia, vel S. Ieronymus in catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis memoriã nobis reliquit. Sanè scriptorum Ecclesiasticorum omnis generis tãta tũc copia erat, vt in mediis crucibus, Bibliothecas Christiani instiruerint Romę, Antiochię, Alexãdriæ, S. Ierosolymis & aliis in locis; quorũ Romana illa sub Cõmodo Imperatore capitolio fulmine icta cõflagrauit, vt meminit in Chronico Honorius. *Successio in Ecclesia prima sub cruce posita.* *Scriptores Ecclesiastici primæ Ecclesia, contra Paganos.* *Contra hæreticos.* *Histor. eccl. lib. 5. ca. 26.* B *Scripturarum interpretes.* *Bibliotheca primorũ Christianorum.* *Genebrardus in Chronol.*

Ostendimus præterea & proferimus eiusdem temporis frequentes episcoporũ Synodos cõtra hęreticos & schismaticos habitas. Cęsariẽsem, in Palena anno 200. à Theophilo & aliis Episcopis de die Paschatis: Romanã quoq;, Ponticam, Achaicam, Gallicanam eadẽ de causa. Carthaginensem in Africa anno 240. De baptismo paruulorũ. Philadelphiæ in Arabia contra Berillum an. 250. Romę & Antiochiæ, Arelati, & Carthagine cõtra Nouatianum, in Asia diuersas contra Montanistas, Gangræ contra Eustachium, Antiochiæ duas contra Samosatenum an. 270. Denique sub Diocletiano Sinuesse 300. episcoporum, in Campania episco. 180. & Aucyrę. *Synodi primæ Ecclesiæ.* *Euseb. lib. 5. cap. 22.* *Tripart. lib. 6. cap. 20.* *Euseb. lib. 6. cap. vlt. & lib. 7. cap. 24.*

C Vides ergo G. F. illustrem & conspicuã faciẽ illius primę Ecclesiæ, cõtra quã legibus, & suppliciis sęuitum quidem est, sed non pręualitum. Si tu Ecclesiam tuam, sęuiente vt dicere soletis Antichristo Romano, his iam aliquot seculis, ostendere & proferre vis, vt probes cõtra eam, nõ præualuisse Romanam, id est illam vestrã nihilominus toto orbe latitasse; age profer tu sicut de veteri illa sub cruce posita proferimus, episcopos & Pastores Ecclesiarum verarũ: profer tu scriptores ecclesiasticos, contra gentes, cõtra hæreses scripturæ interpretes, aliosque tractatores: profer denique & ostende vel vnicã Synodũ Ecclesiæ vestræ quæ vel contra Romanam hanc, quã dicitis meretricem vel contra aliã quancunq; hæresim, his totis mille annis exortã, collecta fuerit. Vides nunc ergo discrimen aliud luculẽtissimũ illius temporis, sine illius ecclesiæ primæ sub cruce positæ, à vestra latitante & fugitiua: quam illi ita per omnia similem esse vis: vt sicuti contra illã primam leges & supplicia principũ ethnicorũ nõ præualuerunt, ita nec contra hanc tuam Romana vnquã Ecclesia præualuerit: Cernis enim nunc, nisi planè tibi mẽtis oculos hæresis eripuit, rectissimè dici cõtra illã præualitã nõ fuisse, quia ostẽdere illa potest monimenta & testimonia clarissima quòd substiterit; de vestra autẽ nisi impudentissimè hoc dici non posse, quia talia monimenta & testimonia nulla planè proferre potest. Aut si potest tu me mendacij conuincito. *Monimenta latitantis Protestantiũ Ecclesiæ necessariò proferenda.* *Quid cõtra fugitiuam Protestantium Romana Ecclesia verè præualuit.*

Denique vt hunc locum absoluam, vides iam non sanè admirabili aliquo acumine, D sed profectò vero & solido iudicio, professorem controuersiarum quem rides, firmam hanc collectionem fecisse. Ecclesia vestra fugitiua ab Ecclesia Romana impedita nõ interdum fuit, vt tu dicis, sed longo iam multorum seculorum tractu, quo minus vel Dei verbum prędicare, vel sacramenta administrare, vel disciplinam ecclesiasticam exercere potuerit. præualuit igitur contra illã his multis seculis Romana ecclesia; vnde consequitur veram Ecclesiam illam vestram esse non posse. Contra veram enim ecclesiam sic vt nusquam appareat, nec Romana potentia, nec ipsæ inferorum portæ vnquam præualebunt.

Quòd Protestantum Ecclesia non sic hodie floreat, vt contra Catholicam, Romanam adhuc præualuerit, luculenta demonstratio.

CAPVT II.

SED nunc à præteritis latebris latitantis & profugæ tuæ celerrimè te recipiens, ad pręsentem lucem & splendorem te conuertis: planéque triumphabundus, quasi capta Roma, procedis: & ais. *Imò si non cerebrum* E *tibi omne meretrix illa babylonica suo veneficio infecisset, non præualuisse vestrã Romanam aduersus hanc profugã & occultam in deserto Ecclesiam fatereris: quia licet omnibus machinis, iam olim & nunc etiam à Pontificibus eorumque ministris, inquisitoribus, rabulis, mendicantibus, eam oppugnauerit Antichristus, Deus tamen frustra frendente Sathana atque rumpentibus Papistis, eã huc vsque ab infinitis periculis conseruatã, hodie in apertam lucem restituit, & Romana Synagoga (quanquam non externa pompa auri, argenti) at omni tamẽ spirituali gloria illustriorem, à tot regibus ac populis, quibus sordet prorsus atque odio est Babylonica meretrix, palam agnosci voluit* Hic est ille triũphus quem agis, præualẽtis iam & florentis nũc tandem in orbe terrarũ Ecclesiæ vestræ, quæ hactenus misella & fugitiua in deserto latuit. Sed vide quàm multis vanitatem tuam ostendam.

A quibus regibus & populis Protestantum Ecclesia agnoscitur.

Primum quęro, qui sunt illi Reges ac populi qui vestram fugitiuam, omni nunc spirituali gloria illustrem, palam agnoscunt? An Regẽ aliquem pręter vnum aut alterum Angliæ ac Daniæ proferre potes, qui vestras hęreses amplectitur. Scotiæ quidem regnũ vestras blasphemias profitetur. Sed tam Regina innocẽtissima, quã Rex puer à vestris hæresibus alienissimi sunt. In potentissimo Franciæ regno cõfratres habetis. Sed Rex Christianissimus cane peius & angue vestras nouitates odit: In multis Germaniæ ciuitatibus & dominiis sectæ vestræ admittuntur. Sed quem illic Regẽ nominare potestis? Imò quã Ciuitatem celebriorem, quam Rempub. etiã in Germaniæ latissimo tractu designare potes, vbi pariter cũ sectis vestris suas etiã ecclesias nõ habent Catholici? Augustæ Vindelicorũ, Vlmis, Spiræ, Vbormatiæ, id oculis nostris iã antè trienniũ perspeximus. An nõ F verò & in ipsa Germania totus Bauariæ Ducatus, totus Tirolensis comitat⁹, tota Carinthia, Austria, Suetia, tot præpterea illustres ciuitates, Treueris, Moguntia, Colonia, Cõstantia, Salitzburga cum adiacentibus & subiectis oppidis ac pagis vestras hæreses omnes execrantur? Certè nulla harum prouinciarũ illas palã agnoscit. In Belgio quidẽ isto grassantur sicarij sectæ vestræ. Sed nunquid Rex Catholicus Hispaniarum princeps vestras abominationes recipit? Deniq; in Bohemia inueteratum est, hoc malum vestrum. Sed an Regem Bohemiæ qui idem est Imperator à partibus vestris stare, potestis dicere. Certè & in Polonia sparguntur pestilentiæ vestræ semina, quæ & creuerunt iam ab aliquot annis. Sed potentissimum illic Regem hostem habetis acerrimũ. Quid quòd Rex Suediæ qui iam pridem vestris toxicis correptus fuerat, liberatus nunc ad Catholicæ ecclesiæ gremium se recepit? vt quid ergo Reges ac populos crepas, qui tam paucos proferre potes Ecclesiæ tuę amicos, tam multos vides hæresum vestrarum hostes infensissimos?

Deinde quæro abs te, quam tuam ecclesiam dicis, *spirituali gloria illustrem à Regibus ac populis nunc palam agnosci? Anglia* quidem & Scotia, Geneua & Heluetiorum pagi aliquot,

aliqua

A aliqua etiam Germaniæ portiũcula vt comitatus nunc Palatinus Rheni,si tamen & ille, propter Seniorem fratrem nunc Lutheranum, vestrum nunc Caluinismum & hæreses profitentur. Reliqui verò Germanorum populi, principes ac ciuitates qui à Catholica defecerunt, vos Caluinistas abominantur, & Lutheri placita sequuntur: quanquam non eodem modo, sed in varias quoque sectas dissecti vt alibi in hoc opere ostẽdimus. Hic in belgio schisma magnum factum est. Sed in Flandria, Hollandia, Zelãdia, Anabaptistarum maximus numerus est, vt Gandaui, Aldenardi & in pagis adiacentibus penè soli obtinent. Nobilissimæ autem Burgũdiæ, Luxemburgi. Hannoniæ, Artesiæ, Valencenarum, & Tripolis nostræ prouinciæ vestrorum hîc hominum non secus fœdas hæreses, quàm sceleratam & perfidam rebellionem toto pectore execrantur, & armis victricibus egregiè persequuntur, Deo ac Regi Catholico fidelissimæ. Quorũ m etiam sancto fœderi & Flandriæ & Brabantiæ Ciuitates aliquæ coniunctæ manent. Habent quoque in Germania & in Polonia suas Ecclesias Trinitarij, Osiandrini, Vbiquitarij seu Brentiani sectę planè à vobis Caluinistis & vulgaribus Lutheranis multum diuersę. Quam ergo tuam Ecclesiam dicis nisi Caluiniciam, quam multi populi detestantur etiam ex illis qui à Romana discesserunt.

Caluinismum apud multos Ecclesʃ. Rom. hostes reiicitur.

Lib. 4. cap. 9.

Rursum vestra Anglocaluinistarum Ecclesia nusquam nisi in Anglia floret. Vos B enim soli Laicocephali estis. Vos soli principi Laico supremum in causis Ecclesiasticis iudicium defertis. Vos soli præter Episcopos, etiam Archiepiscopos, Archidiaconos, Decanos, aliaque Ecclesiasticæ dignitatis officia retinetis, multaque alia in cultu & politia externa obseruatis, à quibus reliquę extra Angliam reformatę Ecclesiæ penitus abhorrent: nisi fortè papatum Saxonicum vestræ berthæ similem esse vultis dicere. Quanquam si in politia externa similis est, in Doctrina maximè dissimilis, Lutherani enim illi sunt, Caluinistę vos.

Quid quod nec in ipsa Anglia secta illa vestra ita spirituali gloria illustris est, vt palam ab omnibus agnoscatur? Quomodo enim illam agnoscunt Puritani, quomodo familia amoris, quo modo denique tot Reconciliati Catholici, qui turpitudine scorti vestri conspecta & agnita ad verum Christi sponsum Ecclesiam Catholicam his Postremis annis maximo numero redierunt, vt illos taceam qui coram baal vestro nunquam genua flectere voluerunt: sed à vestris Pseudopontificibus eorumque ministris, tortoribus, rabulis, (vt tuis verbis vtar) & rapinam bonorum & multorum annorum carceres ac squalores & denique nõnulli (quos ad hoc certamen vocare voluistis) atrocissimam mortem pro fide Catholica perpessi sunt. Non est ergo quod de scorti tui dilatatis fimbriis iactanter glorieris, cuius tam angusti sunt fines, vt ne quidẽ insulã ipsam in qua sola dominatur, teneat adhuc pacifica.

C Postremò vtcunque vera essent quæ narras, *de tot Regibus ac populis à quibus Ecclesia tua omni spirituali gloria illustris palam agnoscitur*, tamen nihil aliud hoc totum esset, quàm quale olim in Arianis, Donatistis, Nouatianis, aliisque veterum hæreticorum sectis Ecclesia Catholica olim pertulit. Ariani enim sub variis imperatoribus suæ sectæ deditis, Constantio valente, Zenone totius ferè Orientis Ecclesias occuparunt: nec nisi post 180. annos in Oriente deleri potuerunt. In Occidente postea per Lõgobardos in Italia, (adeo vt sub Rothari Regis anno 640. in omnibus ferè Italiæ vrbibus duæ Ecclesię & duo Antistites Catholicus & Arianus constituerentur) per Gotthos in Hispania, per Vaudalos in Africa, aliquot etiam sęculis inualuerunt. Donatistæ in Africa Ducentos & septuaginta Episcopatus habuerunt tempore Augustini, & vsque ad Gregorij magni tempora ferè trecentis annis suas Ecclesias retinuerunt. Nouatiani (si Socrati Nouatiano credimus) etiam in vrbe Roma Ecclesias perpetuò habuerũt vsque ad Cælestinum & Theodosij Iunioris imperium annis 200. In Oriente verò maximè Constantinopoli adhuc multo diutius in quadam successione præduraruut. Nihil tamen simile vel illæ sectæ amplissimæ olim habuerunt, vel hæc hodie vestra haber, (quæ vtcunque ampla, multis tamen partibus illis angustior est,) cum Ecclesiæ Catholicæ amplitudine, conspicuitate, & durationeidque propter causas superius explicatas, vbi veræ ac falsæ successionis discrimina tradidimus. Multò etiam minus contra Romanam, id est Catholicã Ecclesiam vestra secta Anglocaluinistica, aut etiam omnes vestræ sectæ quæ sub Protestantũ nomine grassantur, hodie præualent, quã olim cõtra illorum temporũ Catholicam Ecclesiam prædictæ sectæ præualuerunt. Non ignoras enim Romanæ Ecclesiæ

Sabell. lib. 6. Ænead. 8.

In breuic. collat. Carth.

Regist. lib. 3. epist. 32. lib. 5. epist. 36. & 63.

Socrat. hist. Eccles. lib. 7. cap. 11.

communionem,& obedientiam, vtcunque circúlatrantibus vobis,tanquã immobilẽ petram in multis & amplissimis orbis Christiani prouinciis, firmam adhuc & validam subsistere,non solum ad quas pestilentum vestrorum Dogmatum clamor adhuc non peruenit sed etiam circa quas his totis sexaginta annis & amplius ad rauim vsque vociferati & sollicitè negotiati estis:studiosissimè scriptitando, Declamando, Mentiendo, calumniando,seditiones & bella non solum aduersus externos concitando (vt vestris malis artibus in Scotia,in Gallia,& nunc in hoc belgio)sed etiam nefaria rebellione in Principes & Potestates sublimiores,fœda proditione in fratres & conciues eadem accendendo:vt ipsi inter se Heluetii primum,deinde Germani, post Galli, ac nunc belgæ qui mutuis penè vúlneribus & cladibus ad scorti vestri fimbrias dilatandas conciderunt,vel sese potius confecerunt. Nam in istis ipsis prouinciis quæ hæresum vestrarum vel rugitu attonitæ vt in Hispania, Italia, & Lusitania, vel labe aspersæ vt in Gallia & hoc belgio,vel aliqua etiam rubigine tactæ vt in Germania Anglia,Scotia, tantum abest vestrã meretricem præualere, vt scribis,aut deuicto hoste triumphum iam securam agere, vt planè in præcipuis harum gentium ne hiscere quidem aut mutire audeat; in aliis ad silentium compulsa taceat,in illis denique vbi maximè procax & garrula est,nõ solum contradictionem manifestam sustineat, & in armis cum hoste confligere cogatur,sed etiam vtcunque legibus ac suppliciis alicubi agat (vt apud vos Anglos & Scotos potissimum vel potius solos) abiecta tamen & despecta tam à doctis plærisque quã ab Indoctis vestris iaceat,nec nisi vi legum & suppliciorum, fidem & authoritatẽ apud vos obtineat. Argumento huius rei sunt tot non solum è clero sed etiam ex laica nobilitate apud vos à multis iam annis in vincula coniecti,in custodia etiam hodie detenti, bonis & fortunis exuti. Argumento sunt frequentes vestræ, etiam adhuc post viginti annorum schisma legibus confirmatum, visitationes regiæ, quas cõmissiones vocatis, quibus ad sacra vestra sacrilega vel inuitus populus adigatur. Argumento sunt multæ apud vos pecuniariæ singulis festis ac dominicis diebus illis impositæ qui ad vestra conuenticula(quæ volens vix vnus è cẽtum Anglis ingreditur)non accedunt. Argumento denique est maximus illorum numerus qui quotidie à vobis non ex populo tantum sed etiam ex honesto loco natis, adeóque è prima nobilitate, vtriusque sexus & omnis ætatis atque ordinis,deficiunt & ad Romanæ Ecclesię vnitatem & cõmunionem Reconciliati(quæ vox adeo apud vos hodie, Capitalis est)redeunt. Quæ cum ita sint,tua se vanitas ipsam prodit,& digito palpandam pręḃet, quum hunc modum subiungis,*Præualuit igitur & iam præualet,Ecclesia Christi* (vestra.s.fugitiua) *contra omnes hæreses & omnium maximam Apostasiam Romanensium ab Ecclesia Christi.* Hoc(vti dixi)quanta vanitate à te dictum sit,ex iis quæ iam disputata sunt, liquidò constat. Addo tamen hoc vnum verbum vt tua vel alia quæuis secta contra Romanam Ecclesiam præualeat necesse est vt omnes Christi Ecclesias quas ab aliquot iam sæculis saltem in hac Europæ parte vobis confitentibus)Romana Ecclesia occupauit, illa tua vel alia quæuis secta similiter occupet,eamque cogat in desertum fugere & latitare,vel potius penitus tollat atque extrudat. Hoc enim demum est fortiter & efficaciter præualere contra Ecclesiã Christi:hoc autem à vobis si nondum præstitum denegare audes, mendacij & impudentiæ palmam feres. E

> *Protestantium Ecclesia nõ præualet vsquam.*

> *Protestantes in Anglia quam parum præualeant.*

Addis postea vt cæptum triumphum prosequaris. *Papistarum insipientia iam omnibus etiã mulieribus & pueris manifesta est:eorumque perditio(vt Petrus docet)non dormitat. Cõsumptus est iam maxima ex parte spiritu oris Christi hoc est verbo veritatis, Antichristus, & glorioso eius aduentu propediem penitus abolendus atque exterminandus: &c.* Valde sanè & pompaticè & propheticè: Sed collige te paulisper vir bone:& quod ad Papistarum insipientiam attinet, omnibus, vt ais manifestam, circunspice diligenter Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ causam,religionem,fidem,vestra hodie *callida inquietudine* vt Augustini verbis vtar) *exagitatam, & considerari diligentius & intelligi clarius, & instantius prædicari.* Pone tibi ante oculos tot & tantas doctissimorum hodie Catholicorum contra hæreses disputationes, tractatus,libros. Cogita singulas horum temporum Controuersias contra prauitatem vestram acriter defensas,accuratè explicatas,solidè demonstratas. Memineris denique in Concilio generali Tridentino,in frequentissimo Patrum consessu vnanimi Pastorum & propositorum Ecclesiæ Dei consensu, vestras omnes hæreses anathemate percussas esse: vbi & causa vestra finita est,vtinam & error finiatur. Ex quibus sanè omnibus

> De ciuit Dei. Lib.16.cap.2. *Catholica fides quomodo adhuc vbique inclarescat.*

A bus causę Catholicę firmitas egregiè roborata, veritas eruditè confirmata, innocentia fortiter defensa est. Vestra autem insipientia G. F. & in Germania vbi rari sunt Lutherani, primi Euangelij vestri præcones, & in Geneua aliisque confederatis Heluetiorum pagis, vbi penitus sordet & exulat Lutherus; & in Anglia vbi post Lutheranismũ, Caluinismũ amplexi, in Puritanos transformari cœpistis; ita omnibus manifesta extitit, vt non solum de secta ad sectam quasi equites desultorij è sella ad sellam vos ipsi transilieritis; verum etiam quàm plurimi à vobis etiam magni nominis & excellentis eruditionis viri ad Catholicam migrauerint, vestras non tam insipientias & ineptias quàm impietatem & blasphæmias pertæsi atque exosi. Huiusmodi sanè sunt, (vt paucos è multis nominem, eósque solos qui etiam scriptis monimentis suam à nefaria secta vestra discessionem orbi testatam reliquerunt) Georgius Vicellius, Fridericus Staphylus, Franciscus Balduinus, Stauis Laus Orichonius, Valẽtinus Parcæus, Gaspar frauct, Ioãnes Albertus, & Laurentius Albertus, Fabianus Quadrantinus, Matthæus Grillus Salernitanus, Ioannes Brunæus gallus, & nuperrimè duo ministri galli, Matthæus launoy & Hẽrycus pennetier, qui etiam vestras insipientias & improbitates, sibi ex aliquot annorum consuetudine notissimas, scriptis Gallico idiomate libellis genti suæ propalarunt. Nec ignorare potes G. F. quantus numerus (non solum studiosorum & clericorum, & quidẽ in dignitatibus Ecclesiasticis constitutorum, sed etiam Laicorum atque nobilium virorum, his totis viginti annis, vt vestras hæreses longissimè fugerent, Angliã deseruerint, & exilium voluntarium subierint. Aut si ignorantiam prætexis, legere potes Nicolaum Sauderum nostrum in visibili Ecclesiæ Monarchia lib. 7. Nam quomodo quotidie etiam domi vos deserant Reconciliati Catholici, ídque adeo ex ministrorum vestrorum ordine, ignorare non potes. His opinor omnibus insipientia vestra manifesta fuit. Porro quia nostra opuscula G. F. libenter legis, percurre *Speculum prauitatis hæreticæ*, nuperrimè à nobis editum & per orationes sex delineatum. Videbis in illo insipientiã tuam & tuorum variam atque multiplicem ad oculum, ni fallor, demonstratam. vos videlicet non esse Ecclesiæ reformatores, sed transformatores nouos, fœdos atque deformes. Vestram cœnam nihil minus esse quàm dominicam, & cum Christiana atque Ecclesiastica liturgia parum aut nihil habere commune. vestram nequitiam atque astutiam vtramque sanè egregiam esse, maiorem tamen nequitiam. Vestras hæreses proximas esse Antichristo, & viam ad eum paratissimam sternere. In vestra doctrina nihil esse constans, certum & stabile. Postremò nullam in vobis prorsus Religionem esse, diuini numinis cultum & curam nullam. His opinor sex punctis veraciter ostensis, insipientia vestra bona saltem ex parte omnibus manifesta facta est.

Protestantes defecti à suis.

B

Quam vero subtexis *de breui abolendo Antichristo* prophetiam, id est iuxta sensum tuum de breui excindenda Ecclesia Catholica Romana, quum te prophetico spiritu præditum vel ex admirabili vitæ pietate, vel ex signis diuinitus datis intellexerimus, formidare nonnihil incipiemus. Nunc mulierculis ista & pueris tuis dicito; nec tales ineptias futilissimas atque vanissimas, scriptis libellis, amplius obtrudito. Nam quod præmittis. *Maxima ex parte consumptum esse Antichristum* id est Ecclesiam Romanam in sensu tuo, quam non solum futile & vanum sed impudens præterea & perfrictæ frontis mendacium sit, ex iis quæ modo & Paulo superius diximus, imò ex re ipsa & præsenti Ecclesiæ Catholicæ facie, omnibus qui tuam insulam egressi sunt, illustri atque conspicua, luce meridiana clarius constare potest.

C

Monimenta occulta & latentis hactenus Protestantum Ecclesiæ ab Aduersario studiosè conquisita, & prolata quàm ridicula & vana sint, ostenditur.

CAPVT XII.



NVNC demum peracto triumpho, quem tibi somnians finxisti, ad me & ad rem redis. Ais & confiteris mecum, *propter veræ Ecclesiæ persecutionem, externam eius formam & politiam nunquam sublatam esse, ac ne impeditam quidem in his quæ ad salutem necessaria sunt.* hoc ex te audire vehementer gaudeo. Age igitur. Ostende in tua latitante tot seculis & fugitiua Ecclesia, Sacramentorum administrationem & disciplinæ Ecclesiasticæ conseruationem, verbi quoque prædicationem in vsu fuisse. Hæc opinor ad salutem necessaria esse, negare non audebis. hoc demum sanè loco istud ostendere conaris. Ais enim. *Quemadmodum de primis illis centuriis Ecclesiæ Christianæ grauissimas persecutiones sub impiis Cæsaribus perpessæ extant clarissima Religionis orthodoxæ monimenta & scripta de doctrina pietatis nobilissima; ita supersunt de quinque aut sex illis centuriis, quibus oppressa fuit per Antichristi tyrannidem sinceræ fidei & doctrinæ in Ecclesia Christi veritas, non minus illustria testimonia & scripta clarissima, quæ non interiisse sed oppugnatam fuisse veram Ecclesiam arguere valeant.* Hoc si ostendere potes G. F. virum te profectò præstiteris. Arrigamus ergo aures, & ad latentis tuæ & fugitiuæ Ecclesiæ monimenta proferenda attẽdamus. Ais. *Nondũ interierunt Bertrãni, Valdi, Ioãnis à Gandauo, Vviclephi, Hussi plena pietatis ac Christianæ Doctrinæ monimenta.* Parturiũt mõtes, nascetur ridiculus mus. Ex quinque aut sex centuriis, quinque nobis authores profers, vt ostendas habuisse latitantem tuam tanto tempore Ecclesiam, *non minus illustria testimonia & scripta clarissima* (sic enim loqueris) quam primæ illæ centuriæ Ecclesiæ Christianæ habuerunt. At primæ illę tres tantum centuriæ quanto & numero plures, & pietate atque eruditione præstantiores scriptores habuerunt, nos superius ex bona parte ostendimus. Deinde horum quinque scriptorum quos profers, ne vnus quidem totus vester est G F. ne vnus quidem ex illis Caluinista est. Nemo illorũ vestra dogmata aut omnia aut plæraque tenuit. Vnusquisque illorum à vestra doctrina in quam plurimis dissensit. Bertramus præsbyter in solo circa venerabilẽ Eucharistiã errore vobiscũ sensit: si tamen etiam in illo. Nam & in illo suo errore ex Lutheri ne an ex Caluini opinione scripserit dubium est; & præterea adeo sententiam Catholicam in suo libello sæpenumero & clarè docet maximè in priore parte disputationis suæ, vt Centuriastæ Magdeburgenses diffiteri non potuerint, *semina transsubstantiationis in Bertrami libello iacta esse.* Sic enim de eo censent Cẽturia 9. cap. 4. §. de Cœna. & ca. 10. In reliqua autem tota sua doctrina & vitę actione, Catholicum se & Rom. Ecclesiæ filium gerebat. Monachus enim erat Corbeiensis cænobij, sub Carolo Caluo, & Ecclesiæ Gallicanæ membrum quæ Romanæ Ecclesiæ communionem tenebat. Denique Bertramus iste latitantis tuæ Ecclesiæ infrà has quinque aut sex centurias scriptor esse non potuit; qui ante annos septingentos & amplius scripsit. Floruit enim anno 870. sub Carolo Caluo Imperatore, ad cuius petitionem libellum illum scripsit. Quare non satis commodè diuisa sunt temporibus tibi Daue hæc. Valdi scripta quæ sint aut quæ fuerint, nec te arbitror scire. Vbi tamen ea quo loco & tempore excusa fuerint prodideris, an tuæ Ecclesiæ membrum fuerit videbimus. Vvaldensium qui dicuntur pater & author si fuerit, profectò etiam tuo iudicio hæreticus fuit, vt in hoc opere supra ostendimus. Idem iudicium de Ioanne de Gandauo quem tertio loco profers, esto. Vviclephus sanè & Hus multis in dogmatibus vobiscum conspirarunt; sed in aliis multis, eisdemque grauissimis ita à vobis discreparunt, vt etiã tuo iudicio pro hæreticis necessariò habendi sint: id quod etiam Pantaleon vester in sua chronographia, diligenter notauit; affirmans *quosdam horum articulos diligenter reiiciendos à piis.* Eos ex parte commemorat Æneas Siluius in historia Bohemica: istos videlicet. *Sacerdotes pauperes esse debere, sola cõtentos eleemosyna: Liberã cuique verbi Dei prædicationẽ patere: Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari neque Ecclesiastica dignitate amplius potiri, neque parendũ ei esse. Deniq; inter sacerdotes nullũ esse discrimẽ.* Ab istis omnibus nõ secus vos abhorrere quã nos, Doctrina & forma Ecclesiæ vestrę Anglicanæ manifestè ostendit. Iam verò isti ipsi in tota Doctrina de missæ sacrificio & ven. Sacramento, nobiscum contra vos sentiebant, nisi quod ceręmonias Ecclesię vobiscum contemnerent. Et hæc omnia, vt cętera nefanda sua dogmata, Ioannes Hus ex libris Vviclephi, quibus de realibus vniuersalibus titulum dedit, hausit, vt idem Æneas commemorat. Isti sunt latitantis tuæ & fugitiuę Ecclesię scriptores totis his 500. aut 600. annis. Hęc sint illa tua *clarissima religionis orthodoxæ monimenta & scripta de Doctrina pietatis nobilissima.* Ex quinque scriptoribus quos

Scriptores Ecclesiæ Protestantium.

Supra cap. 10.

Bertramus de Protestantium Ecclesia nõ erat.

Lib. 5. cap. 8.

Vviclephus & Hus, Protestãtes non erant.

Cap. 35.

D E F

agnom

A magno studio protulisti, vnus nihil ad vos pertinet; & extra imò antè desertū fuit. Duo quid scripserint ignoratur. Alij duo etiam tuo iudicio dogmata hęretica tenuerunt. videamus an in aliis monimentis fęlicius tibi res succedat.

De Pastorali successione Ecclesiæ Protestantium.

De perpetua (inquis) *Episcoporum & Pastorum serie, nec tam sollicitos fuisse credo, vt magni facerent cum de fidei certitudine constaret ex verbo Dei antecessorum nomina & titulos membranis inclusos ostentare; nec tamen neglexisse penitus historiam Ecclesiæ suæ miserè ab Antichristo afflictæ, quum extent alicubi si operæprecium esset cognoscere, apud tot gentes Galliæ, Germaniæ Sarmatiæ, Linoniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bohemiæ, in quibus dispersa fuerit piorum in Europa Ecclesia, commentarij difficilium illorum temporum rerumque in Ecclesia gestarum à fidissimis Pastoribus ac fortissimis Christi Martyribus.* Post scripta monimenta, de Episcopis & Pastoribus latentis tuę Ecclesię quęritur, ne si nullos ostendas, penitus illam periisse, non solum latuisse probetur? Sine Episcopis enim *quos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei*; sine Pastoribus & Doctoribus *quos dedit Christus Ecclesiæ suæ in opus ministerij* &c. sine *operariis missis in messem*, nullum est Ecclesiæ regimen, disciplina nulla: nullum verbi ministerium nulla sacramentorum administratio est: Denique non *crescit semen veræ Doctrinæ in agro Dominico.* Hos ergo cū ostendere vis, ais Ecclesiam illam tuam pro sua haud dubiè prudentia & grauitate, nequaquam sollicitam fuisse vt illorum seriem obseruaret aut magni faceret. Scilicet magnanimè contempsit quod assequi non potuit, vt vuas vulpes. Sed dic mihi sodes mi G. prima illa Ecclesia Christianorum sub cruce etiam & persecutione posita, qui factū est, vt Episcoporum suorum & Pastorum seriem diligentissimè conseruarent, ordinem

Act. 20. Ephes. 4. Luc. 10. Matth. 13.

Protestantium occulta Ecclesia neglexit Successionis lineam.

B membranis inclusum, vnde euoluerent quum opus esset (quare hęreticos Tertullianus compellat, vt *ordines Episcoporum suorum euoluant*) sedulò custodirent? Denique successionem Episcoporum continuam posteris suis studiosissimè traderent? adeo sanè vt pace Ecclesiis reddita, singularum Ecclesiarum Episcopos potuerit Eusebius Pamphili historiæ suæ Ecclesiasticæ inserere; (quod etiam maximè sibi propositum fuisse statim initio Operis sui demonstrat) possint quoque plæreque Christianorum hodie Ecclesiæ in suis quæque locis à prima fidei prædicatione tantundem præstare? Nempe hoc illi primi Christiani cæterique Maiores nostri pro sua simplicitate fecerunt. Vestra autem in deserto Ecclesia pro sua singulari sapientia minimè faciendum putauit. Ita sanè homo homini quantum interest, stulto intelligens? bene ergo habet. Fugitiua tua Episcopos & Pastores suos ostendere nullos vult, quia nullos potest. Lib. 1. cap. 1.

Tu tamen bono animo es nec diffidis quin extēt alicubi rerum ab illa gestarū apud tot gentes in quibus latuit, commentarij: si tamen operęprecium esset illa cognoscere. Laudo confidētiam tuam, quòd hastam adhuc non abieceris, nec tanta plaga accepta, vt in desertum compulsa fugerit Ecclesia tua, tamen quasi post Cannensem cladem, de Repub. bene sperare desieris, vt ille olim Terentius Varro Consul. Sed Heus tu. Res gestas Ecclesiæ vestræ fugitiuæ cognoscere operæprecium non est? Sic opinor. Quicquid à vobis probari non potest, frustra & inaniter probandum quæritur. Historia Ecclesiæ quæ nusquam erat, profectò cognosci non potest, ideóque frustra inquiritur. Mira sanè

C & singulari sagacitate hunc locum tractasti: Sed vnus adhuc scrupulus mouet ac pūgit. Qui fit quòd, inter tot gentes à te enumeratas, in quibus dispersam ais Ecclesiam tuam fuisse, Angliam, Scotiam & Hiberniam non nominas? Quid? Nulla in his locis dispersa membra habuit fugitiua vestra? Aut si habuit, an ideo hæc loca prætermittis, ne saltem domi commentarios hos tuos proferre iubeare, qui apud exteras gentes si forte aut interierint aut commodè inueniri non possunt, vtcunque te excusatum reddāt; domi verò quo minus proferas, si qui talem fuerunt, excusationi locus non est? Prudenter sanè & istud.

In his tamen omnibus fidem in te, Religionem, & pietatem homine Christiano dignam desidero. Tu enim homo Christianus aliquam Ecclesiam Christi cogitare potes, aut tibi fingere audes, cuius Episcopos & Pastores nullos, proferre potes? (sine quibus, vt sine vicario capite, Ecclesiæ corpus nec esse nec subsistere potest) cuius historiā nullam, rē gestā nullā ostēdere vales? dicente Christo de suæ Ecclesiæ præpositis, ac locis (*vnde* quod futuri essent *lux mūdi non ponēda sub modio, sed in cādelabro*, id est in certis sedibus *septem Ecclesias Asiæ, septē candelabra* vocat Ioānes in Apocalypsi) *vt luceat omnibus qui in domo sunt*: imò quod futuri essent *Ciuitas super montem*, qui Christus est, *posita, quæ abscondi non potest*? Si enim lux est & abscondi non potest, profectò lucebunt opera eius

Nulla fingenda Ecclesia, cuius Pastores proferri non possunt.

Matth. 5.

Cap. 1.

Matth. 10. bona, illuſtres erunt res geſtæ eius, & *prædicabitur ſuper tectum* Doctrina eius, non in ab- D
Ioan. 3. ſcondito latitabit, veritas enim non quærit latebras, & *qui malè agit odit lucem*. Hæc igitur
Prouerb. 7. veſtra fugitiua ſicubi terrarum extitit, meretrix haud dubiè & adultera fuit, *iuxta angu-
los inſidians, vecordes iuuenes decipiens*; vera Chriſti ſponſa & dilecta coniunx non erat, quæ
Prou. 1. *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis pro-*
Prou. 9. *fert verba ſua*. Denique *aquæ furtiuæ & panis abſconditus* huius fugitiuæ Doctrina & res ge-
Ibidem. ſtæ erant, quæ nuſquam oſtendi poſſunt. Vera ſapientia non erat, quæ *miſit ancillas ſuas
vt vocarēt ad arcē & ad mænia ciuitatis. Si quis eſt paruulus veniat ad me.* Proprerea vera Eclce-
ſia Chiſti, in qua *Sapientia ædificauit ſibi domum*, profert ſpeculatores, Epiſcopos & Paſto-
res ſuos, qui per omnes ætates certis & conſpicuis in locis, paruulis quidem ſuis & filiis
Luc. 12. *miſcuerunt vinum, propoſuerunt menſam, dans illis cibum in tempore*: alienis autem adhuc à fide
& *inſipientibus locuta eſt. Venite comedite panem meum*, &c. Quæ ad hoc publicum epulum
ſuos non inuitat, ſed panes abſconditos porrigit, ad domum Sapientiæ non pertinet,
Eccleſiam Chriſti non conſtituit.

Pergis tamen ex tenebricoſa illa tua & latitante fugitiua, aliquam ſi fieri poteſt, lu-
cis ſcintillam eruere, quaſique è pumice aquam haurire; & è commentariis illis tuis ali-
quid tandem nobis repetis ſubiungens. *Scribunt ad Caluinum ſeniores vnitatis fratrum qui*
" *vulgo Valdeſſenſes vocantur ex Carmelo in Bohemia anno Domini* 1560. *ſumque vnitatem quam*
" *ſemper in Domino retinuerūt conſtanter ſe tueri velle pronunciant. Suam etiam Apologiam & fidei*
" *confeſſionem quam à multis ſæculis poſſeſſi ſunt, conſtat eos emiſiſſe. Vnde non leuis eſt coniectura,*
" *habere ipſos in ſuis Eccleſiis hiſtorias rerū ſuarum abſolutas.* Coniecturis ergo rem tantam agis E
" G.F.? Manifeſtiſſima & celeberrima in lege, in Pſalmis, in Prophetis, in Euangelio Scri-
" pturarum teſtimonia, quæ conſpicuam nobis & illuſtrem per omnes ætates Eccleſiam
" deſcribunt (conſpicua autem eſſe non poteſt cuius res geſtæ conſpicuæ non ſunt) tu de-
Proteſtantum Eccleſia coniecturis exploratur. ſerere audes, & occultam atque latentem neſcio quam Eccleſiam cōiecturis exploras?
Quid eſt hoc aliud, niſi ad mediam lucem oculos claudere, ac dein quaſi in mediis te-
nebris manibus palpare? Quàm rectè illud de Donatiſtis olim ab Auguſtino dictum,
Contra Parm. Lib. 2. cap. 3. ad te nunc G.F. & propriè pertinet? *Nonne iſti palpant in meridie quaſi in media nocte? Quod
quidem omnium hæreticorum eſt qui rem manifeſtiſſimam in lucem omnium gentium conſtitutam
videre non poſſunt*. Tu enim ſanè palpas in meridie, quaſi in media nocte; qui conſpicuam
ſemper Eccleſiam Chriſti, exploras coniecturis, quaſi latentem in tenebris. Tu rem ma-
nifeſtiſſimam, *poſitā in lucem gentium*, id eſt, Eccleſię Paſtores & Magiſtros de quibus hoc
Act. 13. dictum à Spiritu Sancto fuiſſe, *poſui te in lucem gentium*, Paulus in Actis expoſuit, videre
non potes. Quare cum B. Ambroſio in cauſa non diſſimili tibi reſpondeo. *Quod vos ſu-*
Lib. 5. epiſt. 31. *ſpicionibus quæritis, nos ex ipſa ſapientia Dei & veritate compertum habemus*. Quod tu ex conie-
ctura, vt ais, non leui quæris miſerè, vt in fugitiua tua ac latente adultera hiſtorias rerū
ſuarum inuenias, hoc nos in vera Chriſti ſponſa & Eccleſia manifeſtiſſimum tenemus,
ſic ab ipſa ſapientia Dei prædictum, ſic in rei veritate exhibitū): *quia ſicut audiuimus ita &
vidimus*, Sed *in Ciuitate Dei noſtri. Extra illam qui eſt* (ait Auguſtinus) *nec audit, nec videt. In illa*
Pſal. 47. Enarrat. Ibidem. *qui eſt, nec ſurdus, nec cæcus eſt*. Hæc ille. Tu quia extra Eccleſiam Catholicam es, quæris
in deſerto, in latebris, in ſpeluncis, quod inuenire non potes, niſi fortè ex conie-
ctura.

Sed hæc tua coniectura qualis tandem ſit, nunc videamus. Ais, *ſeniores vnitatis fratrū* F
" *qui vulgo Valdeſſenſes vocantur ſcripſiſſe ad Caluinum*, &c. Hic libenter ex te quærerem, qui
" quod à me ſcriptum eſt, *Catholicam vulgo dictam Eccleſiam*, tam acriter reprehēdiſti, quod
vulgus intelligis, & à quo vulgo Valdeſſenſes illos vocari ſcribis? An illi tui Valdeſſen-
ſes ſic vulgo Chriſtianorum noti ſunt, ac Eccleſia vulgo Catholica dicta, toto terrarum
orbe nota eſt? Deinde iſti Valdeſſenſes de monte Carmelo in Bohemia, an alij ſunt quā
Huſsitarum reliquiæ, vt illi de monte Thabor & alij de monte Oreb; in eadem Bohe-
mia confictis ex Scriptura nominibus, Thaboritæ & Orebitæ dicti? At iſti ſanè fratres,
tui fratres G.F. (ſi tu Caluini dogma de Cœna tenes) eſſe non poſſunt. A quo ſanè pe-
ſtilenti dogmate iſti fratres cum reliquis Huſsitis omnibus, vnanimiter abhorrent: &
hanc opinor vnitatem intelligunt, quam ſe contra Caluinum conſtanter tueri velle
pronuntiant. Addis hos fratres *apologiam ſuam emiſiſſe*, ſed non addis cōtra quos ne for-
tè contra vos Caluiniſtas aut Lutheranos, qui Huſsitarum erroribus, multas nefandas
hæreſes addidiſtis, illā emiſſam fuiſſe fateri cogereris. Deinde quia dicis de huius Apo-
logiæ

A logiæ emiſſione conſtare, rem gratam lectori feciſſes, ſi vbi locorum extaret, vbi vel excuſa venalis eſſet vel non excuſa reperiri poſſet, aut in textu aut in margine ſignificaſſes. Sed maluiſti vt te in tenebris palpantem, palpando quoque lector ſequeretur: ne ſi apertè ageres tua fraus & turpitudo palam ſe proderet. Nam quod addis, *illa Apologia fidei confeſſionem quam à multis ſeculis profeſſi ſunt contineri*, luculẽtum & ſplendidũ mendaciũ eſſe non dubito. Non enim adhuc ducenti completi ſunt anni, ex quo Ioã. Hus Vviclephi hæreſim, in Bohemia ſpargere cępit: cuius Hus propago infelix erant iſti tui Valdeſſenſes.

Audiamus nũc reliqua fugitiuæ tuæ monimenta & res geſtas. *Quin & repreſſam fuiſſe ac funditus deletam ab his in Bohemia Adamitarum pernicioſam ſectã, vel Romanenſium Hiſtoriæ teſtantur*. A quibus his G. F. Ab iſtis Valdeſſenſibus? fuerunt ergo ijdem cum Thaboritis. Ziſcha enim Thaboritarum Dux hoc præclarũ facinus confecit. *Tantum enim ſcelus, quãuis ſceleratus exhorri* ait Æneas Syluius, & vnico prælio omnes deleuit, expugnata inſula quam occuparunt. Non eſt hoc in illa ſecta vel actionis Eccleſiaſticæ, vllum argumentũ, vel magna admodum commendatio. Gladio enim non verbo illam ſectam deleuit. Et habet hoc natura hominum, vt aliena magis quam ſua quiſque vitia perhorreſcat. Denique ſumma mala diu inulta non manent. Ac poſtremo per impios homines impietatem à Deo puniri nouum non eſt. Qua in re inſtrumenta illi ſunt diuinæ iuſtitiæ, *virga furoris eius, ſecuris ac flagellum Domini*; ſed non magis inde laudandi quàm Diabolus ipſe, quo ad iudicia ſua iuſta exequenda, ſimiliter Deus vtitur. Pergamus ad alia.

Hiſtor. Bohem. cap. 41.

B Addis poſtremo. *Quæ in Merindolo, Coſta, Cabriera, Muſsio, aliiſque prouinciæ & Pedemõtanæ regionis oppidis iam diu perdurarunt Eccleſiæ, an ſine vlla diſciplinæ executione, tot ſeculis permanſiſſe quiſquam ſanæ mentis crediderit?* Næ tu magnus antiquarius es G. F. qui tam præclara Eccleſiæ tuæ fugitiuæ monumenta, cum tineis & blattis cum feris & ſerpentibus hactenus in deſerto conflictata, & orbi cognito prorſus incognita, ſic in lucem profers, & in priſtinũ ſplendorem reuocas. Multum tibi tua fugitiua debet, quam ſic è poſtliminio ad ſua redeũtem illuſtras, & conſpicuam reddis, vt priores illas tenebras iam oblita, & ſqualore depoſito, omnibus manifeſta & glorioſa cõpareat, deſignatis locis illuſtribus & digito demonſtratis, vbi hactenus tanquam in Pathino cæleſti colloquio & Angelorum conſortio (nam hominũ carebat) freta fuit. Sed ne tibi ſit graue vir Doctiſſime, nos reconditæ huius antiquitatis tuæ imperitos amicè docere, quo Authore didiceris celeberrimis illis in locis à te commemoratis fugitiuã veſtrã latuiſſe. Quid? Aut ſine Authore iſta cõfingis; Aut author quem ſequeris tam putidus tibi obſcurus & fide indignus eſt viſus, vt eũ proferre nõ ſis auſus; Aut fortè expectas vt dicenti tibi ſine teſte, ſine Authore credatur? Elige quod velis: & vbi elegeris, vide an non maximę & abſurditatis & impudentiæ quicquid eligas cõuincàris. Quid? Ex tot ampliſſimarum gentium tot illuſtribus ciuitatibus & oppidis, hos tantũ quatuor pagos obſcuriſſimos qui nec in hiſtoria vlla leguntur, nec in Mappis regionum illarum conſpiciuntur, elegit tua fugitiua, in quibus tot ſeculis reſideret? Quod ſi verò prouinciæ in Gallia & Pedemõtanæ regionis (vt dicis) hæc

Sedes illuſtres Eccleſiæ Proteſtantum.

C loca ſunt, quomodo in illis tot ſeculis latuit, in quibus ſola Romana & Catholica fides atque Religio hactenus obtinuit; donec Prouinciæ oppida veſtræ hæreſes noſtra iã ętate afflixiſſent, pariterque in fœdam rebellionẽ contra Regem Chriſtianiſſimum conieciſſent? Nã Pedemõtana regio cum tota Sabaudia ſub optimo ſuo principe Philiberto tota adhuc Catholica perſiſtit, nec veſtras hæreſes nouit; niſi quod Genenenſis lacus à legitimo ſuo principe, vt à Deo & vera religione, diuulſus, impietatis veſtræ antrũ & ſpelũca his aliquot annis extitit; ex quo ſacrilegus Caluinus (vt turpiora taceã) illic ex Gallia profugit, & Atheiſmi vexillum ibidẽ erexit. Sed age, ſi Eccleſiæ in illis pagis perdurarunt ſectæ veſtræ, Magiſtros & paſtores, ſuperinten dentes, & miniſtros illarum Eccleſiarum profer. Audeo dicere, non niſi etiã tuo iudicio hæreticos proferre te poſſe. Verũ id memineris, vt teſtem & Authorem opponas. Mihi enim iam religio eſt tibi toties mentito temere credere. Atque hæc omnia ſunt quæ ad tuæ fugitiuæ & latentis Eccleſiæ illuſtrum (vt dicis) teſtimonia oſtendenda protuliſti. In quibus quid aliud quàm tuam ipſe nuditatem & cauſæ quam tueris turpitudinem palam prodidiſti? Si tacuiſſes, ſapiens eſſes. Hanc ſanè Camerinã de veſtrę latitantis fugitiuę monumentis & rebus geſtis, quanto moues magis, tanto fœtere facis odorem tuum magis.

 D

An Protestantum Ecclesia aliquas hæreses vnquam represserit.

CAPVT XIII.

LIA pars primæ quæstionis erat, quas hæreses repressit, vel quomodo hæreses redarguebat, illa vestra latitans, & fugitiua Ecclesia. Huic quæstioni cùm respondisses *per verbum Dei, & tyrannidem nostram patienter ferendo hoc factum à vobis fuisse*, replicaui ego ridiculum hoc esse, hæreses à vobis repressas esse, persecutionem illatam tolerando. De verbo Dei quod dicebas, quia vulgare est, & omnibus hæreticis commune, nihil volui dicere. Hic tu rursum me aggrederis & dicis. *Annon legisti victum à fidelibus Satanã per sanguinem Agni, verbumque testimonij ipsorum qui non dilexerunt animas suas vsque ad mortẽ? Apocal. 12.* Omnino legi. Sed ad hæreses repressas vel reprimendas per patientiam Sanctorum hæc verba pertinere nunquam intellexi. Vincunt per patientiam vsque ad mortem Satanam fideles, tam contra hæreticos quàm contra Ethnicos persequentes, Satanæ in hac parte ministros, in eo quod à fide Christi & professione nominis eius nulla persecutionum vi, sese quo ad personas suas abduci patiuntur. Et hoc sanè est, in se ipsis, hæresibus non cedere. Sed hoc non est hæreses in Ecclesia reprimere; hoc nõ est hęreses redarguere atque conuincere. Denique hoc non est alios ab hæresi conseruare, *lupum venientẽ abigere, ouile Christi consummare & instruere ne circunferantur omni vento Doctrinæ*: quod vnam esse officij pastoralis partem Apostolus expressè docuit. Et de ipsis pastoribus atq; Episcopis Ecclesiæ tuæ quærebatur, quo modo hæreses redarguebant qui nusquam in terris apparebant. Tolerantia autem & patientia Sanctorum, omnium fidelium est, & ad victoriam personalem pertinet; pastorum officiũ adhuc amplius est, & ad victoriã quandam Doctrinalem spectat: non solùm ferendo & patiendo, sed etiam agendo, docendo, prędicando, excõmunicãdo, contra hæreticos & hæreses reprimẽdas contendere. Quare nihil ad quæstionẽ propositam, aut ad responsionẽ tuam ille Apocalypsis locus facit. E

Quomodo per patientiam vincunt Satanam fideles.

Ioan. 10. Ephes. 4.

Victoria personalis & doctrinalis respectu hæresum.

Subiungis. *Quamquam scripsisse me sola persecutionum tolerantia repressas à nobis hæreses fuisse, omni verecundia remota, mentiris (vt ferè semper) apertissimè.* At relege iterum etiã in libello tuo verba mea, & vide an de sola persecutionum tolerãtia, quasi à te asserta, aliquid dixerim. Et vbi inueneris, me illud (sola) non posuisse, memineris mutato nomine de te fabulam narrari quam narrasti. Sed illud sanè dixi, ad quod tu ne verbum quidem respondisti, *sanctissimos Episcopos primorum illorum seculorum sententiis contra hæreses latis, scriptis libris, coitione Synodali hæreses repressisse*: Et aliquot mox exempla subieci. Nunc autem in hoc scripto plura recensuimus Paulo superius. Ad illa tria reprimendi & redarguendi hęreses genera, nihil prorsus hoc loco respondisti. Sed confictã calũnia rixando & conuiciando causam obtinere te posse mulierculatum more sperasti. Quare & iterum Paulo post subiunxisti. *Ita cùm desit quod sub leui aliqua veritatis specie & vmbra reprehendere valeant, nõ pudet perfrictæ ad omnem impietatem frõtis hominem, ea quibus nullus omnino color induci possit audaciter & sine rubore comminisci.* Non desunt tibi G. F. ad rixandum & conuiciãdum verba. Sed desunt tibi ad redarguendum valida argumenta. Ad maledicendum promptus es: ad ea confirmanda quæ dicis mutus es. Canina facundia polles. Vtinam in vera Theologia perinde valeres. Quid enim? Ne leui quidem aliqua veritatis specie & vmbra reprehendere te potui? Qui fit igitur quod ad tria illa reprimendi hęreses media, in primis illis cẽturiis sub cruce positis adhibita; in tua autem fugitiua nusquam apparentia, quæ disertè commemoraueram, nihil respondes? Quid? Commemoratio illa ne leuem quidem vmbram aut speciem veritatis habuit? Quare igitur vno saltem verbo illa tria, vel vt nihil ad rem pertinentia non confutasti, vel in tua fugitiua etiam reperiri non secus quàm in prima Ecclesia non ostendisti? Perfrica hic frontem, si quam habes homo audacissime. Nam *frontem hæreticorum nullam esse* rectè annotauit Augustinus. Sed me magnopere delectat eam causæ nostræ firmitatem esse, vt nihil viro dignum respondere valens, ad muliebria conuicia te cõuertere sis coactus. Quare repeto argumẽtum istud, quod nũc magis amo, quum videam te nisi rixando respondere quicquam potuisse. Ecclesiæ Christi partes sunt hæreses redarguere, conuincere, reprimere. F

Cap. 10.

Singularis adversarij impudẽtia.

Cõtra Iulian. lib. 4 cap. 3.

Fecit hoc

A Fecit hoc Prima ecclesia, etiam sub cruce posita, & iugo ethnicorum perpetuo subdita, latis contra hæreticos sententiis, correptionis, excommunicationis & degradationis censuris. Scriptis quoque libris doctissimis, frequentibus denique episcoporum Synodis. Leguntur enim hæc omnia in Historia Ecclesiastica temporis illius ab Eusebio Pamphili descripta, & in aliis illorum temporum scriptis monimentis. Exempla in vnoquoque genere partim in hac disputatione paulo superius, partim in hoc quem aduersarius confutat loco, produximus. At fugitiua & latitans Protestãtium ecclesia nullum exemplum proferre potest, quo vel latis sententiis, & censuris ecclesiasticis, vel scriptis libris, vel collecta aliqua Synodo hęreses & errores illorum temporum lõgè sanè fœdissimos, Græcorum, Albigensium, Vvaldẽsium, Flagellantium, Hussitarum, vel aliorum quorũcunque represserit, aut reprimere conata fuerit. Proculdubio igitur vel commentitia & conficta chimęra est quæ nusquam extitit, vel ad vnam aliquam ex hæresibus illis, quæ his postremis sæculis clanculum & certis in locis pullularunt, pertinet. Nisi fortè (quod vero propius est) omnium illorum hæreseon, his aliquot seculis pullulantium, compendium quoddam atque complementum est: superadditis tamen portẽtosis aliis quibusdam dogmatibus, quæ nulla hactenus vel ætas audiuit vel hæresis excogitauit. cap. 10.

An verbi prædicatio aut Sacramentorum administratio aut vlla denique disciplina in Protestantum Ecclesia his multis seculis apparuerit?

B

CAPVT XIIII.

LIA quæstio erat, quibus & vbi verbum Dei prædicauit occulta tot seculis, latitans, & fugitiua Protestantium Ecclesia, si fortè vel ex gentibus aliquis Baptismum vel Christianus communionem ab illa petere vellet. Vbi concilia coegit? Quomodo turbulenti fratres corripi potuerunt? Vbi Synaxes celebratæ, vbi matrimonia inita? Ad hæc & his affinia quum ille respondisset, *verbum fidei illis prædicatum fuisse qui ad illud audiendum accedere voluerunt, cætera vero partim in afflicta Ecclesia nõ esse expectanda, partim illos assequi potuisse, qui veram Ecclesiam diligenter quæsitam inuenissent.* Dixi non minus ridiculè & ineptè quam impiè & sceleratè hæc ab illo responderi. Hęc enim ne aliquando acciderent, ne prædicationis defectus esset, ne Sacramentorũ vsus petentibus vnquam deesset, ne disciplina iaceret, ne ad fidem Christi aditus aliquando nõ pateret, Deum voluisse vt Christi eius ecclesia mundo semper & gentibus esset conspicua: post exaltationem filij eius, *vt in nomine eius omne genu flectatur, & omnis lingua id est omniũ gentium fides confiteatur quia Christus est in dextera Dei Patris*: quia huic *dedit Deus gentem hæreditatem suam*; quia hoc demum modo *cognoscet mundus quod pater eum misit*: quia deniq; *dederat Ecclesiæ suæ pastores & Doctores* qui futuri essent, *lux mundi*, *Ciuitas super montem posita*, *dati in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei.* Hæc enim & multo his plura in eo loco exposueram operis huius, ad quem locum lectorem tunc referebam. Ad hoc totum, quo certè vno validissimo argumento, occulta, inuisibilis, latitans, & fugitiua Protestantium ecclesia abunde confutatur, Audiamus quid respõdeat. Ait. *Illud verò perodiosum est, te omnia mendacijs peruertere ac rapere in sensum maligna interpretatione longè alienissimum.* Quî sic vir bone? *Defecisse*, inquis, *prædicationem verbi, aut Sacramentorum vsum interijsse non dixi ac ne sensi quidem.* Quod ita non senseris gaudeo. An sic dixeris, mox videbo. Sed interim peto, moueo, vrgeo, si prædicatio verbi in vestra fugitiua his tot seculis non interiit, vt prædicatores istos tot seculorum sectę vestræ proferas. *Quomodo enim audient sine prædicante?* Deinde vbi eos protuleris, vt à quo vel quibus legitimè missi, ordinati, & *per manuum præsbyterij impositionem* ad hoc munus segregati fuerunt, ostendas. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rursum si Sacramẽtorum vsus in vestra fugitiua his tot sæculis non interiit, horum Sacramentorum administratores, & *dispensatores mysteriorum Dei* profer. Ecclesias quoque, Basilicas, & tẽpla in quibus ad illa administranda conuenerint, ostende.

Philip. 2. Psal. 2. Ioan. 17. Ephes. 4. Matth. 5. Rom. 10. 2. Timot. 4. Rom. 10. 3. 1. cor. 4. 4.

C

A Sed vide obsecro quàm nihil adhuc ad rem respondisti. Patuisse aditum ad fidem electis nemini dubium est, quia sine fide non saluantur. Sed quæritur cuiusmodi iste aditus fuerit & quomodo patuerit? An aliter quæso quàm per ecclesiæ vocem? *Quomodo enim credent, quem non audierunt? & quomodo audient sine prædicante? fides ergo ex auditu. Auditus autē per verbum Christi*, vtique prædicatum & resonans in ore eorum, quorum sonus in omnē terram exiuit. Patuit igitur aditus sed per Ecclesiam, eamque propterea, (vt re uera pateret aditus non lateret,) perpetuò cognitam atque perspicuam. Sic *quos Deus prædestinauit, eos & vocauit*. Sed opera & *ministerio seruorum suorum quos misit vocare inuitatos ad nuptias*. Potuit quidem Deus sine vllo ecclesiæ aut hominum ministerio, omnes homines saluos facere, electos vocare, vocatos iustificare, iustificatos confirmare, &c. Sed voluit omnia ministerio suæ ecclesiæ facere, vt tuus etiam Caluinus. G.F. accuratè admodū exponit & explicat. Quare hanc Ecclesiam quærimus, ne illam non inueniendo, in deserta & penetralia hæreticorum incidamus. Quod tamen ne fieret, præmonuit Christus, dicens. *Nolite credere, nolite exire*. Vides ergo G.F. & videt tecum cordatus quisque lector, quā planè nihil ad quæstionem hanc longè maximam responderis. Vides posita tua latitante & fugitiua per aliquot iam secula, necessariò consequi his aliquot seculis non patuisse aditum gentibus ad fidem & baptismum, hæreticis ad resipiscentiam & reconciliationem, fidelibus vllis ad Sacramentorum vsum aut Doctrinæ cælestis institutionem. Vides denique vel hanc ipsam ob causam nihil esse hac tua positione & vanissima latentis in deserto Ecclesiæ opinione, aut ineptis, aut absurdis aut etiam pestilentis. Pergamus ad alia.
B

Rom. 10. Rom. 9. Matt. 22. Institut. lib. 4. cap. 1. sect. 5. Matth. 24. *Absurda grauissima Latitantem Ecclesiam consequentia.*

De schismatibus circa Rom. Pont. electionem, an Ecclesiæ splendori & luci præiudicent.

CAPVT XV.

IN proxima sectione, præcipua & vnica ferè contentio est de schismatibus Roma. Pontificum, ex quibus argutator iste concludere se posse confidit, æque obscuram dubiam & incognitam Catholicā ecclesiam fuisse, illorum schismatum tempore, atque Protestantum erat Ecclesia his tot seculis præualente Romana. Ego autem dixerā, quod de Rom. Pontificum schismatibus obiiciebatur, nihil simile habere cum commentitia Protestantum in deserto Ecclesia. Et rationē subiunxi. Quia aliud est de supremo Ecclesiæ capite dubitare, quæ persona locum legitimè occupet, aliud nullum Ecclesiæ pastorem per mille amplius annos proferre posse. Hic respondet. *Peracutè scilicet. Certè nisi aliud esset, simile omnino non esset.*

Quasi verò etiam de rebus maximè dissimilibus verissimè non dicatur, aliud & aliud illa esse. Dixit Apostolus, vt dissimilitudinem corporum resurgentium, quo ad gloriam &
C dotes glorificandorum ostenderet, *aliam esse carnem hominum, aliam pecorum, aliam volucrum, aliam piscium: aliam esse gloriam cælestium, aliam terrestriū, aliam claritatem solis, aliam lunæ, & aliam stellarum*. Veniat nunc aliquis Origenes, (qui si Theophilo credimus) docuit corpora sanctorum post resurrectionem esse mortalia vt priùs, & dicat contra Apostolum. Peracutè scilicet Apostole Paule. Certè nisi alia esset gloria cælestium, & alia terrestriū, similis vtraque non esset. Nonne tibi egregiè dissimilitudinem ab Apostolo positam refutasse videbitur? Vides ergo & tu G.F. quàm hîc stolidè nugaris, tantùm vt scōmati locum facias, & intemperanti stomacho tuo indulgeas. Addis statim pari temperantia.
" *Quanquam quid fingi potest illo mendacio prodigiosius, nullum nos per totos mille annos proferre posse pastorem Ecclesiæ, quum proferamus plurimos?* Erit hoc mendacium G. F. quum pastores tuos protuleris. Nullos enim hactenus protulisti. Imò disertè dixisti superius *de pastorum serie* " *conseruanda tuam Ecclesiam minimè sollicitam fuisse, aut magnifecisse antecessorum suorum nomina ostentare.* Si ita se res habet, minimè profectò mirū est quòd nullos pastores proferre potes. Sed sanè mirandum valde, (non enim dicam prodigiosum esse mendacium) te qui nullos proferre potes, audere tamē dicere, quòd proferas plurimos. *Arbitror quod etsi tua fraus quia hæretici est, hoc loco nō erubescit, tamē ipsum libri tui atramentū erubescendo cōuertatur in miniū*; quod impudētiæ Iuliani Pelagiani (quā tamē tu longè superas) obiecit Augusti.

1. Cor. 15. Lib. aPaschall. Lib. 3. cap. 23. cōtra Iulian.

Sed existimas te magno & inuicto argumento demonstrasse Romanam quoque atque Catholicam Ecclesiam, cui cæteræ Christianæ gentes communicarunt, non *semper omnium oculis manifestam fuisse, nec ab ipsis* (vt ais) *papistis semper ostendi potuisse; videlicet propter tot schismata quot referuntur fuisse in Ecclesia Romana, quum duo aut tres Pontifices simul imperantes, seque mutuo Diris deuouentes, capitis Ecclesiæ titulum, atque honorem singuli ad se raperēt cæterosque per orbem vniuersum qui ipsos pro legitimis non agnoscerent, communione fidelium priuarent. Et* hîc ais *me tanquam serpentem maximo vulnere in capite accepto in multos contrahere.* Næ tu magnus athletes es, bellator fortis, & robustus venator coram Domino, qui nullo negotio aduersarium premis, cruentas, conficis, vide tamen ne antè victoriam triumphum cecineris. Quare ad illa multa quæ respondi, quàm dexterè tu replicaueris dispiciamus attētè. Dixeram primò; etsi in huiusmodi schismatibus Papa esset incertus, certi tamen erāt singularum Ecclesiarum pastores & Episcopi. Hic respondens. *Sed cū papisticæ Ecclesiæ salus ab vno capite, vt ipsi iactatis pendeat, quæ salutis certitudo esse poterit, cū de capite incerti essent homines?* At huic obiectioni quam facilè præuidebam, tribus modis in proximis subsequentibus verbis occurri. Quare ad illa quid responderis, expendamus. Secundò dixeram nō difficile fuisse doctioribus à quibus multitudo pendebat, intrusum à legitimo dignoscere. D

Hæc enim vna via erat, qua ostendere volui, in Capitis illa incertitudine, non tamen Ecclesiæ salutem esse prorsus incertam. Hîc respōdes. *Verum cū vtrimque essent docti, æquali numero atque eruditione vtros tandem sequeretur vulgus?* At hic tibi ostendendum est, ô bone æquali numero & eruditione fuisse vtrimque doctos. Hoc donec ostenderis, ego sanè non dubitabo in saniori parte quæ verum Pontificem sequebatur, & numero & eruditione multò plures extitisse, qui etiam tandem obtinuerint: intruso Pontifice aut mortuo & nemine illi succedente, aut è Pontificatu deiecto, vt Honorio 2. Cadolo dicto cōtra Alexandrum 5. in 16. schismate, aut denique deserere coacto, vt Anastasio contra Benedictum 3. in 11. schismate; Benedicto 5. contra Leonem 8. in 13. Ioanne 17. contra Gregorium. 5. in 14. & Nicolao. 5. contra Ioannem 22. à Ludouico Banaro Imperatore intruso in 22. schismate. Factionibus enim imperatoriis schismata illa plæraque & nata & nutrita sunt. E

Dixeram tertiò non fuisse illud religionis sed regiminis schisma quæ altera via est ad ostendēdum, salutem Ecclesiæ per huiusmodi schismata non admodum esse periclitatā. At hic replicas. *Cū omnis apud vos religio ab illo regimine pendeat, capite in duas aut tres partes dissecto, quid sani potuit esse in toto corpore?* Primùm respondeo, caput non fuisse in partes dissectum, sed de persona capitis fuisse disceptatum: potiusque corpus Ecclesiæ in varia capita, quam Caput ipsum in aliquas corporis partes fuisse dissectum. Deinde partes illę dissectæ à vero Capite, quæ videlicet intruso pseudopontifici adhærebant, non destiterūt propterea in religione & sana doctrina, integræ & sanæ esse. Religio enim orthodoxa pendet illa quidem à regimine vnius Capitis: sed ad eum finem & eo modo, quo hoc caput Ecclesiæ suæ præfecit Christus. Christus autem præfecit Petrum reliquo corpori; *vt pasceret tam oues quàm Agnos ouilis sui*. Pascit autem Ecclesiam Petrus & successor eius, potissimum & præcipuè, confirmando in fide & doctrina sana. Ideo enim *pro fide Petri oratū est ne deficeret, vt ille conuersus & confirmatus à Christo, fratres quoque suos confirmaret*, vtique in fide & sana doctrina. Quoties ergo oboritur cōtrouersia de fide, tunc maximè est vnius Capitis Authoritas necessaria, ad sanitatem fidei in corpore conseruandā. Rursum etiā absque huiusmodi capite supremo, quam diu reliqua corporis Ecclesiastici Capita sana sunt, sanitas in corpore conseruari potest. Christus enim dedit Ecclesiæ suę, toti videlicet Corpori, *pastores, & Doctores ad consummationem* seu cōfirmationem *sanctorum*; id est fidelium: *Vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento Doctrinæ.* Sed & ipsis quoque Pastoribus & Doctoribus præfecit Christus Petrum, qui *confirmaret fratres suos*, coepiscopos, conseniores & compræsbyteros suos, si quando (vt sæpissime factū est) è pastoribus lupi aliqui eorum facti, *abducerent Discipulos post se*, relicta capitis & corporis vnitate. Tibi ergo quærenti, *quid sani potuit esse in corpore, Capite in varias partes dissecto*, dupliciter respondeo. Sanitas corporis Ecclesiastica absque Supremo eius capite commodè conseruari potest, quandiu vel nulla de fide controuersia oborirur, vel etiā illa oboriēte reliqua capita, reliqui Episcopi & Doctores, populo Christiano nō desunt. Quorū vtrūq; F

Quomodo religio Christiana pendet ab vno supremo capite.
Ioan. 21.
Luc. 22.
Ephes. 4.
Act. 20.

in istis

A in istis oĩbus schismatibus locũ habuit. Minimè, inquis; Nã *in 23. schemate cõtrouersia fuit nondũ etiã apud nos definita de summo & præcipuo totius religionis papisticæ articulo, an Papa sit supra Cõcilium, vel Concilium supra Papam.* Nego hanc Controuersiã esse de præcipuo nostræ religionis articulo, sed vnã esse ex minimis aio. Præcipui religionis nostri articuli sunt in Symbolo comprehensi, & extra Symbolum multi sunt de sacramentis, de iustitia fidei & operum, de gratia & libero arbitrio, de meritis, de peccato originali, aliique permulti quos propius multo ad religionis orthodoxæ præcipua capita accedere, omnes orthodoxi & Catholici semper iudicarunt. Deinde falsum est, non esse eam apud nos adhuc definitam. Etenim quamuis nullo sanè decreto publico. Definita est, tacito tamen Doctorum consensu, (vt aliæ quæstiones in Ecclesia olim exortę non paucæ) planè definita est; vix vno amplius Doctiore theologo aliam hac de re sententiam tenente, quàm quæ antè hanc controuersiam à paucis annis motam, apud Maiores nostros olim obtinuerat, Papam videlicet Concilio, sicuti Caput Corpori præesse & præsidere. Aliter enim ferè nullus ante Concilium Constantiense sensisse legitur. Et causa dubitationis erat, quia non diuino sed humano iure, & positiuis Ecclesiæ decretis primatum Rom. Pont. niti senserunt. Nunc autem nemini amplius Catholico dubium est, prorsus diuino iure & quidem illustribus Euangelij testimoniis hunc primatum niti. Quod & nos in hoc Opere toto lib. 6. abunde ostendimus. Rursum in solo hoc postremo schismate, non in aliis schismatibus controuersia talis aborta est. Postremò non est hæc tanta &
B talis controuersia, quin in vtramque partem sine pertinacia sentire cuiuis docto liceat; donec Ecclesiæ Authoritas partem alteram publico decreto definierit; quod hactenus facere operæprecium non est visum.

Dixeram quartò. Non à Pontifice simpliciter, sed ab hac persona tanquam non legitimè Pontificatum adepta homines se segregasse. Et hoc dixeram vt schismata illa quæ dicuntur, à vestro hodie nefario schismate longè latéque discernerem: & ne rudis lector auditis tot Ecclesiæ Romanæ schismatibus, à Rom. Pont. olim recessum fuisse, sicuti à vobis hodie, sinistrè suspicaretur. Tu tamen vt aliquid olim vestro hodierno schismati simile fuisse ostendas, profers Basiliẽse Concilium, in quo ais *proposita quædam fuisse* (& rectè proposita, Nam disputata illa quidem tumultuosè fuerunt, sed nihil ex eis definitum, de quibus concludis. *Hæc quid aliud quàm defectionem ab ipso Pontifice moliebantur?* Esto, moliti fuerint in illo Concilio Episcopi defectionem à Pontifice; tamen eam non adimplerunt, neque conatus illos impios opere executi sunt. Nam & præcipui eorum mox resipuerũt, Iulianus Cardinalis, Æneas Syluius & alij: & pręterea reliqui omnes paulò post ad obedientiam Nicolai S. accesserunt. Deinde defectionem à Rom. Pontifice, non vt vos ab Antichristo ipso, sed vt à capite non legitimo moliebantur. Tertiò nec ab ipso omnino vt capite recedere volebant, aut Romani Pontificis primatum omnino negare attentabant, sicuti vos: sed tantummodo respectu Conciliorum generalium, quæ illi vel præferre vel certè æquare volebant. Supremum tamen esse omnium cæterorum Episcoporum, & extra conuentum generalis Concilij Authoritatem habere supremam, nunquam illi patres vel negarunt vel negare attentarunt. Quartò sicuti alias in hoc opere diximus, sed propter te dicendum adhuc semel est, Conciliũ
C Basileense licet à duobus Rom. Pontificibus Martino quinto & Eugenio 4. indictum multa piè atque legitimè initio sanxerit; tamẽ quia postea ab eodem Eugenio Ferrariã primùm, Deinde Florentiam translatum obtemperare noluit, nec græcorum dissidiis componendis cum cæteris latinis Episcopis vnanimiter incumbere; sed seorsim colligere, primum Basileæ manentes. Deinde Lausanam commigrantes; ex hac sanè posteriori sua parte non Concilium legitimum, sed conciliabulum iniquum censendum est, & censetur. Quare non magis pro vestra causa hoc Basileense, quàm pro Arianis Ariminense Concilium facit. Quod autem dicis *in 22. & 23. schismatibus fuisse, qui neutri Pontifici adhærere volebant, & in ordinem cogi Pontificem postulabant*: id quidem ideo factum est, quia neutrum legitimè Pontificatum conscendisse, non quia legitimè creati Pontificis authoritatem aliter quàm iam diximus imminui volebant.

Qualis fuerit Concilij Basil. Conuentus.

Dixeram quintò, paucorum annorum hæc schismata fuisse. Replicas tu? *Sed fuerunt plurima & quædam totu ferè 40. annis perdurabant.* Respondeo ego: plurima quidẽ illa fuisse numero 24. aut 25. ad summum, sed ex illis plurimis, vnicum tantum fuisse (non quædã vt tu mendaciter asseris) quod annis 40. perdurauerit: Schisma enim 23. omnium gra-

uissimum, videlicet Clementis 7. & Benedicti 13. qui Petrus de luna dictus est, contra D
vrbanum 6. Bonifacium 9. Innocentium 7. Alexandrium 5. & Gregorium 12. annis 40. plus minus perdurauit. Reliquorum nullum tamen schismatum annum 20. excessit, prçter schisma Gilberti Rauennatis ab Henrico 4. intrusum contra Greg. 7. optimum Pontificem, quod annis penè 30. continuatum est.

De omnium schismatum Eccles. Rom. diuturnitate.

Sed quia diuturnitatem illam schismatum libẽter vrges, & sordes si quæ sint in Ecclesia Dei, vt sus, in horto, cupidè vẽtilas, proferam hoc loco ex Plotino & aliis scriptoribus omnium istorum schismatum quanta diuturnitas fuerit, vt videas tu quantulum hoc totum sit ad annos iam mille penè sexcentos, quibus Ecclesia Romana, & Sedes illa Petri stetit perpetuo, suo semper Episcopo & Pastore dotata. Fuerunt sanè ad summum (vt dixi) schismata 25. Nam alij tantum 23. numerant. Sed ex istis 25. schismatibus, quinque prima statim post electionem publicatam sopita sunt, nec aliquos adhærentes pseudoelecti habebant. Nouatianum enim, qui primum schisma contra Cornelium fecit, tanquam hæreticum non tanquam pseudopontificem alij sectati sunt; vnde Nouatianorum secta. Aliqua schismata dies tantum aliquot continuarunt, vt schisma 6. 7. 8. 10. 11. 12. & 15. Alia quędam menses tantum aliquot perstiterunt, vt schisma 8. cõtra Paulum 1. schisma 14. mensibus 10. schisma 16. contra Benedictum 8. ex parte Siluestri vno mense, ex parte Ioannis mensibus 20. schisma 20. ex parte Victoris contra Innocentiũ 2. mensibus aliquot: ex aliis vero schismatibus quæ diutius perdurasse commemorãtur, schisma 9. anno vno: schisma 13. similiter. Schisma 17. contra Alexãdrum 5. ab Honorio E
per Imperatorem Henricum 4. intrusum annis 5. Schisma 18. annis 29. schisma 19. ab Hẽrico 5. Imperatore suscitatum intruso Gregorio annis 4. Schisma 20. annis 7. Schisma 21. contra Alexandrum 3. à Friderico Barbarossa excitatum annis per tres pseudopontifices sibi succedentes. Schisma 22. à Ludouico Bauaro Imperatore annis tribus mens. 3. de 23. schismate diximus schisma 24. contra Martinum 5. per Alphonsum castellæ regẽ an. 5. Schisma 25. & vltimũ à pseudoconcilio Basileensi contra Eugenium 4. erecto Duce Sabaudiæ fælice 5. dicto, an. 9. quibus expletis seipsum abdicauit. Omniũ ergo schismatum quæ hactenus circa electionem Rom. Pontificis totis his annis mille & penè sexcentis acciderunt, etiam mensibus de quibus constat computatis, non amplius conficiunt quam annos 124. & menses decem: quũ tamen 25. schismata fuerint, & maior sanè eorum pars tam breuis extiterit, vt ne annum quidem aliquod eorum cõpleuerit. Vides igitur G.F. quamuis & plurima hæc schismata fuerunt, & quædam eorũ pluribus annis perdurarunt, tamen paucorum annorum illa fuisse, si cum toto illo tempore conferantur, quo sine vllo schismate Rom. Sedes illustris semper & cõspicua orbi Christiano comparuerit.

Dixeram sextò & postremò, maius pietati & morum sanctitati propter scandalum, quàm fidei & puræ Doctrinæ detrimentum hæc schismata attulisse. Et hęc est tertia via qua ostendere volui salutem corporis Ecclesiastici propter Capitis incertitudinem tantem qualis in his schismatibus fuit, non ita grauiter laborare. Hic respondes. *Imò præterquam quod de summis fidei & Doctrinæ Papisticæ Articulis in nonnullis disceptatum fuit, in omnibus non potuit non maximum esse fidei & Doctrinæ vestræ detrimentum, quum rupes illa Ecclesiæ* F
vestræ solidissima, quæque vniuersum eius ædificium (si vobis credimus) sustinet, ambigua plurium simul Pontificum Authoritate omnia sibi vendicante, hominum studiis in diuersas sententias abeũtibus, pluribus nulla videbatur, omnibus dubia atque incerta fuerit. Quæ de fidei articulis in disceptationem vocatis hic dicis, antea soluimus, & ostẽdimus nec præcipuos illos fidei nostræ articulos esse, nec disceptationem illã aliquid pertinaciter assertum aut decretum coniunctum habuisse, nec denique in quibusdam schismatibus (vt hic falsò rem exag-
1. geras) sed in vnico tantum schismate nempe 23. illam disceptationem quam dicis, ac-
2. cidisse. Quod autem addis, *non potuisse sine magno fidei detrimento illa schismata accidisse quia*
3. *rupes illa cui innitimur, pluribus nulla, omnibus dubia videbatur*, iam etiam antea satis ostendimus, vanum & inane esse à te obiectum terriculamentum. Quod tamen vt magis intelligas, etiam hic addo, Quum Caput Ecclesiæ, (qualem Rom. Pontificem Petri successo-

Vicario Capite ad tempus carere potest Ecclesia

1. rem esse agnoscimus,) ministeriale Caput sit, non vitale (quod Christus est) eo ad tempus carere, & sine illo ad tempus sanum ac saluum consistere Ecclesiæ corpus potest. Nam vt in sacramentis & externa verbi prædicatione ac denique alia quacunque Ecclesiastica functione, qua corpus Ecclesiæ vel pascitur, vel docetur, vel regitur, vel alia

quacunque

A quacunque ratione iuuatur, Deus quidem tam per illa quàm per ministros & dispensatores eorum, ordinarie operatur; sine illis tamen & potest & solet extra ordinem operari, sine sacramentis visibilibus inuisibilem gratiam conferre, sine ministro verbi foris *Vide hac de re huius Operis.* sonante intus docere, sine censura & disciplina externa, intus corripere, arguere, terrere: *Lib.8.cap.4.* nec tamen propterea vel sacramenta vel ministri verbi & prædicatio externa, vel disciplina Ecclesiastica, aut contemni aut in vniuersum superuacanea iudicari debent; ad eundem sanè modum Caput Ecclesiæ supremum à Christo constitutum & salubriter & necessariò existimamus; sine eo nihilominus Ecclesiam suam ad tempus conseruare, & ab hæresi & schismate (quibus potissimum succurrit vnius capitis Ecclesiastici Authoritas) sub incerto ad tempus Pontifice, imò etiã vacante ad aliquot annos Sede, liberam & immunem custodire Deum posse dubitandum non est. Imò (quod amplius 2. est ipsummet corpus communi auxilio Dei non destitutum, semetipsum in fide & doctrina sana firmiter continere sine Capitis Authoritate ad tempus potest: etiam exoriente de fide controuersia; vel ex Regula fidei quam m● dicus tenet, vel ex proxima Pastoris & Episcopi proprij institutione & doctrina. Nec tamen quia ad tempus hoc Ecclesia facere potest, coges eam vt iugiter & perpetuo facere quear. Denique vt ciui- 3. lis Resp. à capite pendet, & tamen sine capite in interregnis ad tempus satis commodè & pacificè subsistit, sic in Ecclesiastico regimine fieri facile posse negari non potest. Maximè quum Ecclesiasticæ sedes vacantes, non eas soleãt afferre Ecclesiæ turbas, cõtentiones, pericula, quæ ex interregnis Rempub. temporalem sustinere sæpissimè cer- 4.
B nimus. Postremò vt a supremo suo vicario capite vnitas Ecclesiæ & politia externa dependet, sic ab Imperatore vno, Imperij externa facies, pax & concordia. Habuit tamen Imperiũ Romanũ sub æthnicis quidem creberrimè, sed sub Christianis etiam Imperatoribus aliquando sua schismata & contentiones circa legitimam Imperatoris personam suosque aut Imperatores, non secus quàm Ecclesia suos Antipapas. Tales erant *Antiimperatores non secus quàm Antipapæ.* contra Othonem 4. electus à Laicis electoribus Philippus. Contra Ludouicum 4. Banarum electus similiter Fridericus. Tres quoque eodem tempore de Imperio contendẽtes, Carolus 4. rex Gallorum, Fridericus Germanus, & Edouardus Anglus: alio quoque tempore Alphonsus Hispanus & Richardus Cornubiæ Comes, regis Anglorũ frater pariter de Imperio litigabant; hominum studiis in diuersas sententias abeuntibus, & aliqua imperij parte in hunc, alia in illum inclinante. Quid? quòd totis 22. annis vel vt alij volunt 28. Friderico 2. excommunicato, in Imperio Romano interregnum fuit? Nec tamen Imperium collapsum, aut denique sine legibus & vera Reipub. forma, totis illis temporibus, à populis imperio subiectis actum est. Quanquam sanè meminisse hic semper debemus inter Ecclesiæ regimen & Reipub. gubernacula. hac in parte latum & ingens discrimen esse; vt ex his quæ iam diximus, facile constare potest.

Nunc igitur quid tandem concludas, videamus. Dicis. *Vt igitur in alijs parum aut nihil habere affine ac simile Rom. Ecclesiam cum illa fugitiua muliere confitear, in hoc tamen quod non semper omnium oculis conspicua ac manifesta fuerit, aliquid esse similitudinis, nemo nisi oculis mentis*
C *captus negauerit.* At vide paucis, quàm claram & illustrem etiam hac in parte Rom. Ecclesiæ à tua fugitiua dissimilitudinem ostendam. Primum tua fugitiua his aliquot seculis, quinque aut sex, quibus ipsemet fateris eam toto orbe latuisse, (sed amplius quàm 1. mille annis vt tui sodales dicunt) nullos potest Pastores & Episcopos suos proferre, *Dissimilitudines variæ inter* per quos & quorum ministerio maximè & propriè conspicua sit Ecclesia. Romana Ec- *perturbatã Ecclesiæ aciem per* clesia vtcunque aliquando supremum suum Caput habuit incertum, tamen singularũ *schismata Rom.* reliquarum Ecclesiarum Episcopos toto orbi illustres atque conspicuos profert. Hæc *Pont. & latitantem Protestantium fugitiuam.* autem duo ex his quæ iam disputata sunt, liquidò constãt. Rursum tua fugitiua tot iam seculis continuò latuit, nusquam visa, nusquam apparens. Rom. Ecclesia si per Antipapas illos intrusos latuisse dici debeat, certè annis paucissimis & perlucidissima atque lõ- 2. gissima interualla factum id est. Deinde tua fugitiua tot seculorum nullos proferre potest scriptores Ecclesiasticos, seu contra hæreses seu dogmaticos, seu Scripturarum in- 3. terpretes: nulla templa, nulla collegia, nulla religionis suæ monimenta ostendere potest. Rom. Ecclesia vtcunque his schismatibus agitata & perculsa suos tamen retinuit doctores & interpretes verbi; sua illorum temporum templa & collegia etiam hodie conspicienda adhuc extant, tam apud vos in Anglia, quàm hic toto orbe Christiano. 4.
Denique in medio horum schismatum Ecclesia Romana, Synodos cogit, hæreses re-

pressit, disciplinam Ecclesiasticam exercuit: In schismate 21. contra Alexandrum 3. D
Vualdenses repressi sunt. In schismate illo grauissimo 23. tribus vno tempore se pro Pontificibus gerentibus, Hussitæ tamen in Concilio Constantiensi damnati sunt. Vestra autem fugitiua totis his mille annis nihil horum ac ne simile quidem aliquid proferre potest. Et tamen audes (quid enim non audet improba & peruicax, hæresis similem prorsus tuæ fugitiuæ Romanam dicere in hoc quod non semper oculis conspicua erat: nec dicere tantum, sed eos omnes oculis mentis captos pronunciare, qui hoc tuũ paradoxum negare ausint; aut qui te cæcum & in media Ecclesiæ luce palpantem cæci quoque & talpis cæciores sequi noluerint.

De templis Ecclesiæ Protestantum: & An aliquod religionis argumentum sit templorum structura.

CAPVT XVI.

LIA quæstio erat de templis, religionis Christianæ monimentis certissimis, ecqua huiusmodi in orbe terrarum suæ religionis propria demonstrare Potestantes possent. Responderas primum, *ex templorum exædificatione non probari pios esse, qui templa extruunt.* Cui nugamento tuo vt satisfacerem, dixi templorum structuram certum esse alicuius religionis argumentum, vtcunque ille qui structuræ Author est improbus & hypocrita esse queat. Moxque intuli, nullam illam religionem esse posse quæ nullum sibi extructum toto orbe templum designare queat. Ad prius horum, quo tua cauillatio ineptissima iugulata est, nihil hîc replicas. Posterius vt potes impugnas, & dicis; *quomodo inter se ista cohærent, alterumque ex altero concludi queat te non videre. Etsi enim* (inquis) *templorum structura aliquam religionem arguat, non tamen inde sequitur nullam esse religionem, vbi nullum sit templum* Istud vt ostendas, expectamus. Ais. *Tribus ferè annorum millibus à constitutione mũdi vera Dei Ecclesia sine vllo in toto orbe extructo tẽplo viguit, plus mille annis vnico templo contenta fuit.* Respondeo breuiter. Ecclesia illa trium mille annorum ante legem datam non habuit politiam externam vniformẽ atque præscriptam. Cultus illius temporis personalis erat prout vnicuique Dei Spiritus immediatè reuelabat. Nondum præscriptis adeo legibus, sacrificiis, ceremoniis in communi societate Deum colebant. Sed fide & sacrificiis, modò huius, modò illius generis, liberè vsurpatis, Deum colebant: vt in Abelis & Caini sacrificiis, posteáque Noe Abrahami & nepotũ eius oblationibus, vsque ad Moysem animaduertere licet. Postea data lege, constituto sacerdotio Leuitico, sacrificiis & ceremoniis præscriptis, vnico vel tabernaculo vel templo contenta erat vera religio, quia vnius populi Synagoga, non omnium gentium Ecclesia (in sola Mediatoris persona postea auspicanda) illa erat. Sed cum de templis vt alicuius religionis monimentis agimus, de Christianæ Ecclesiæ tempore, & de omnium gentium religione toto orbe illustri atque cõspicua loquimur, quam sine templis florere non posse dicimus: in quibus Deus colatur, verbum prædicetur, sacramenta administrenrur. Hic dicis. *Iam à Christi tempore aliquot sæculis Christiana religio per totum Romanum orbem, quod & Origenes & Arnobius testantur, sine templis, sine aris, sine imaginibus floruit.* Ita sanè. Tua te rerum ignorantia audacem facit. Sed lege apud Eusebium ex Philone statim post Apostolorum tempora σεμνεῖα καὶ μοναστήρια, & templa augusta; & loca solitaria Christianorum orationi & vsibus sacris dedicata. Lege apud eũdem celebre Galieni Imperatoris decretum, in gratiam Episcoporum emissum, quo iubet *eos omnes qui loca religiosa quæ spectant ad Christianos possident, ab illis statim discedere*: Et rursum aliud decretum ad alios Episcopos missum, quo potestatem facit Christianis liberam sua cæmeteria, quæ Martyrum memoriæ erant, adeundi & occupandi. Vide etiã apud eundem Eusebium Philippum Imperatorem à Fabiano Rom. Pontifice in vigilia Paschatis à liminibus Ecclesiæ exclusum, & inter pœnitentes collocarum. Disce præterea Decium Imperatorem & Ethnicum, hostem religionis Christianæ acerrimum, ab

Status ante legem quoad templa.

Genel. 4. 8. 12.

Status in lege.

Status post legem.

Cõtra Celsum lib. 4. contra gentes lib. 12.

Templa primorum seculorum post Christum.

Lib. 2. cap. 16. hist. Eccles.

Lib. 7. cap. 12.

Lib. 6. cap. 27.

Chrysost. in orat. contra Gentiles.

E

F

Ecclesia

A Ecclesia Christianorum similiter extrusum fuisse per Babyam Antiochenum Episcopum, quum sacra Christianorum curiosius introspicere præsumeret. Denique ne tempore Constantini Magni, qui primus Imperatorum religionem Christianam armis & legibus tutatus est, cœpisse Christianorum templa existimes, lege apud eundem Eusebium, tum varia templa persecutionum tempore solo æquata, sub Constantino ab ipsis fundamentis denuo erecta; tum etiam latas a Constantino leges de restituendis Christianorum templis, olim persecutionum tempore vel dirutis vel ablatis. Postremò expende diligenter quod notauit Nicephorus, quo tempore Ethnici Imperatores toto orbe Romano dominabantur, tamen & præclara Reipub. munera Christianis cōmissa fuisse (inter quos illic commemorat Dorotheum & Gorgonium,) & præterea exædificata tunc Christianis fuisse non solum *parua oratoria* quæ εὐκτήρια vocat, infra ipsas domos Christianorum; sed etiam *templa augusta, amplitudine & magnitudine admiranda*, quæ dominicas, κυριακὰς, seu etiam Basilicas antiquitas vocabat. Fuerūt igitur etiam in primis illis post Christum seculis templa Christianorum, religionis tum Christianæ certa monimēta; etsi nec tam frequentia, nec ampla & splēdida, quot & qualia postea Christiani Imperatores extruxerunt.

Hist. Eccl. lib. 10. cap. 2. & 5.

Hist. Eccles. Lib 7. cap 2.

At Origenes & Arnobius negant suo tempore fuisse apud Chistianos templa, aras, aut imagines. Sed inspice Origenem iterum (si tamen adhuc inspexisti, nec ex aliena fide locum citasti) & expende quo sensu negat lib. 7. & lib. 8. contra Celsum esse Christianis templa, aras, imagines; & videbis de templis Gētilium non Christianorum eum E loqui. Sed *qui Christianas literas vtriusque testamenti sciunt* (ait Augustinus) *non hoc culpant in sacrilegis ritibus Christianorum quòd construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia sed quòd hæc idolis & dæmonibus exhibent*. Nec alio sensu scripsit Arnobius.

Circa finem lib. 7. & principium 8.

Epist. 49.

Sed esto mi. G. nulla fuerint ante pacem Ecclesiæ generalem, sub Constantino Magno, extructa Christianis toto orbe Romano templa. Ambulauerit semper in tabernaculis & tentoriis cum primis illis Christianis Deus, vsque ad hunc Salomonem nostrū Constantinum. Prophetiæ illæ nondum adimpletæ fuerint de externa etiam *gloria domus huius nouissimæ plus quàm primæ*, quas in dedicatione Ecclesiæ Tyriorum, oratio illa panegyrica apud Eusebium recitata complectitur & enumerat. An propterea pace Ecclesiis reddita ad Christi nomen ac fidem gentibus & principibus terræ concurrentibus, erectis semel toto orbe Ecclesiis amplissimis & innumeris, Christiana religio vlla esse potest, cuius nullum templum, nullum collegium, nullus societatis Chistianę locus per aliquot centurias annorum, demonstrari potest? Quare sicut Augustinus vrgentibus Donatistis, *Apostolorum tempore non inueniri exemplum, aliquid esse à Regibus terræ vel pro Ecclesia vel contra petitum*, ideóque malè fecisse eius temporis Catholicos qui ad compescendos hæreticos brachium seculare inuocarunt, Respondet; *nondum impletam fuisse illam prophetiam, nunc Reges intelligite qui iudicatis terram*, &c. sic de templis Christianorum, etiam si Apostolorum tempore vel aliquot postea seculis nulla extitissent, respondeo: nondum impletam fuisse illam prophetiam. *Maior erit gloria Domus huius nouissimæ quàm* C *primæ*; quæ vel tunc maximè impleta erat quando sub Constantino splendidissima templa exædificata sunt, vt iuxta hanc prophetiam copiosè demonstrat oratio panegirica modo citata. Vides iam ergo opinor, quomodo hæc inter se cohęreant, alterumque ex altero rectè concludi queat nullam esse religionem, vbi nullum sit templum: quando de religione Christiana per omnes gentes, in celebri & constituto cultu multis seculis diffusa, agitur: de qua in hac quæstione agi & inquiri ignorare non potes.

Hist. Eccles. Lib. 10. cap. 4.

Epist. 48.

Psal. 2.

Aggæi 2.

Responderas olim secundò, & hîc rursum impudentissimè reperis, *Constantinum* » *Magnum Basilicas vobis extruxisse, vestræque religionis vsibus*: quod me negante, sic probas. » *Cùm fides & doctrina quam profitemur in præcipuis ac maximè necessariis ad salutem capitibus, ea-* » *dem esse demonstretur ex illius ætatis scriptis monimentis, quam Constantinus amplexus sit, & quæ à* » *religione papistica in eisdem articulis maximè dissentiat, satis vt opinor perspicuum est, Christianæ non* » *papisticæ religionis vsibus exædificatas fuisse à Constantino magnificas Basilicarum templorumque* » *structuras*. Hæc à te generaliter dicta, possent quoque à me generali contradictione ne- » gari, vt non tuam sed nostram fidem atque doctrinam cum ea quam Constantinus amplexus est, eandem esse dicerem &c. Sed quid ex eo fructus lector caperet, aut quid aliud de nobis sentiret nisi vtrunque vanum esse, vtrunque dolo malo agere? Dolosus enim versatur in generalibus. Quare agam ego expressius, vt tuam hic singulerem im-

Quòd Constantinus non construxerit templa protestantium Ecclesiæ. pudentiam nonnihil aperiam, & causæ Catholicæ firmitatem magis ostendam Con- D
stantini fides Romanæ vtique Ecclesiæ fides erat, qui in vna vrbe Roma quinque nobi-
lissima templa extruxit: D. Petri D. Pauli. D. Ioannis Baptistæ quæ nunc Lateranensis
dicitur S. Crucis in Hierusalem, & S. Laurẽtij extra muros. Romana autem fides quæ
1. tunc erat sedente Siluestro 1. eadem nunc Romæ viget sedente Gregorio 13. vt aliter se
2. rem habere doceas, ostendere debes G. F. & nominare Pontificem illum Romanum
qui prædecessorum suorum fidem & doctrinam deseruit, violauit, aut aliquo modo
Sozom. lib. 1. cap. 6. immutauit. Rursum si Constantini fides eadem est quam vos tenetis, quare principi
De vita Constantini lib. 2. cap. 25. & 32. Lib. 3. cap. 2. laico in causis Ecclesiasticis supremum iudicium tribuitis & fœdo iuramento ad illud
vos ipsos obstringitis? Constantinus enim oblatis illi delatoriis quorundum Episco-
porum libellis, & vt de illis cognosceret rogatus: *Mihi*, inquit, *non est fas quum homo sim,
eiusmodi causarum cognitionem arrogare; præsertim quum & qui accusant & qui accusantur sacer-
3. dotes sunt.* Rursus Constantinus signum crucis maximo in precio habuit; & iuxta eius
formam, vexillum seu labarum fabricatum ante se in bello gestari voluit. Vt accuratè
narrat Eusebius. Quin & loco statuæ suæ, more veterum Imperatorũ erigendæ, Signũ
crucis Romæ Victor erexit. Ac denique signo crucis frontem suam in publico homi-
num conspectu signare est solitus: vt idem narrat Eusebius. Vos illud signum ex Eccle-
siis, ex ædibus, ex vrbibus vestris prorsus exterminastis. In frontibus verò non magis il-
lud quàm demon ipse sustinere potestis. Constantini fides an à Matris suæ Helenę fide
4. ac religione diuersa videtur? At illa quanto studio ad loca sancta peregrinata est quan-
De vita Constantini lib. 3. cap. 41. & seq. ta religione lignum Crucis & Martyrum reliquias venerata est, quanta pietate templa E
augustissima religionis Christianæ vsibus extrui fecit, historiæ passim loquuntur. An
vos quicquam cum hac fide, pietate religione commune habetis? Constantinus conse-
5. Lib 4. cap. 23. cratos Martyribus dies honore prosequabatur, & festorum solemnitates in Ecclesiis
celebrari per orbem Rom. præcepit. An vestra perfidia aut doctrina hanc religio-
Lib. 4. cap. 43. & 45. nem, hunc cultum probat, qui Martyres homines mortuos semper nuncupatis, &
illorum venerationẽ idololatriam ducitis? Deinde præsente & inuitante Constantino
in dedicationes Martytij seu templi Hierosolymitani ad sepulchrum Domini celebri-
tate, Episcopi præsentes *incruentis sacrificiis & mysticis consecrationibus diuinum numen placa-
cabāt; & supplices Deo preces pro cõmuni pace, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore & liberis eius offere-
bant.* At fides & Doctrina vestra an vllam templorum dedicationem, vel dedicatio-
nis memoriam & celebritatem fert? Incruenta sacrificia, mysticas consecrationes, ve-
stra prophana mensa nescit. sed superstitioni, imò idololatriæ omnem huiusmodi cultũ
deputat. Vides ergo ex ipsis Constantini rebus gestis quæ eius fides quæ religio fuerit,
& in quam multis & magnis à vobis discrepans, Ostende tu nunc & profer præcipuos
illos articulos fidei, in quibus fides quam Constãtinus amplexus est, à religione nostra
maximè, vt dicis, dissentiat.

Iam verò ætatis illius scripta monimenta, ab Ecclesia eius temporis approbata, si
vel vnam ex vestris nouis dogmatibus, quę contra Ecclesiam Rom. tenetis, approbant,
credam profectò vestris hæresibus tot templa extruxisse Constantinum. Sed magnus
es magnarum rerum asseuerator & ostentator audax: quæ autem asseueras, nulla vel
tenui ratione, argumento, testimonio confirmas. Scilicet pudoris hoc tui atque mo-
destiæ est. F

" Responderas tertiò circa quæstionem de templis, *Apostolos si hoc rogati fuissent non*
" *alia quam Ethnicorum templa proferre potuisse proindeque iniquam esse postulationem.* Replicabã
ego ab Apostolis qui nouam planè & inauditam orbi religionem adferebant, nisi stul-
tissimè illud postulari potuisse; à vobis tamen ęquissimè istud flagitari; qui totis his 1500.
annis veræ Christianitatis vsum & exercitium vobis solis vendicatis. Hîc ergo iterum
" respondes. *Sed cum inualescente his aliquot seculis Antichristi superstitioso ac impio cultu, templa*
" *fere omnia (saltem in his locis in quibus illa pestis grassata sit) fœda idolomania prophanata & ad vsus*
" *papisticos deformata sint, non magis æqua est à nobis quàm ab ipsis Apostolis fuisset templorum ad*
" *omnia religionis nostræ officia inseruientium postulatio: pleraque enim aut vetustate collapsa sunt aut*
" *ad ritus superstitiosos & idololatricos conuersa sunt.* Video nihil tam absurdum esse, quod
Fabula Folconu. frons meretrica affirmare erubescat. Templa vestra proferri nõ possunt, quia vetustate
collapsa sunt, aut in alios vsus conuersa, vt recognosci nequeãt. Debemus igitur tibi af-
firmãti credere, maiores tuos Reges & principes toto orbe fuisse; castra, vrbes, oppida,
palatia

A palatia splendidissima possedisse. Sed ea nunc vetustate collapsa, aut in alios vsus mutata, ostendi amplius non posse. Tristis profecto & deploranda calamitas, tam illustribus testimoniis & monumentis, nobilissimum nomen tuum, ipsamque veritatem destitutā esse. Sed quid agas? *Iam seges est vbi Troia fuit resecandaque falce.* Sic fata volebant, Omnia occupauit Antichristus; templa subuertit; præcones verbi in desertum compulit; scripta monimēta deleuit, sacramentorū vsum & disciplinā Ecclesiasticā sic impediuit, vt ab aliquot iam seculis nusquā apparuerit. Tamē *fuimus Troes, fuit Ilium & ingēs Gloria Teucrorū ferus omnia Iupiter Argos Trāstulit. Incensa Danai dominātur in vrbe.* Planè enim Poeticè fingis, & fabulā narras Fulco, Troiana clade magis fabulosam, dū Ecclesiæ tuæ fictitiæ monimenta conficta nō ostēdis argumētis, nō probas testimoniis, ac ne coniecturis quidē cōfirmas, sed olim ī diebꝰ illis alicubi extitisse vacillāter ais, quasiq;, per somniū narras.

Esto tamē, vt narras; & fuerit non fabula ficta. Nonne ex eo euidēter sequitur penitus oppressam in tenebris iacuisse fugitiuā hāc tuā, & cōtra eā omnibus modis Ro. Ecclesiā præualuisse? Vides ergo latū discrimē postulati huius, à parte Apostolorū; iniquissimi, à parte vestra æquissimi. Illi enim Christi Ecclesiā inchoarūt, & religionis formā nouā penitus auspicati sunt. Vos antiquissimā retinere & cōtinuare videri vultis. Tēpla religionis nouæ quæ nondū propalata fuerat, nulla esse possunt. Tēpla religionis antiquæ quę multis seculis extitisse dicitur, si nulla proferātur, quin vana & cōmēticia sit, dubitari nō debet. Hic ergo nouas adhuc quæris technas, & omnem moues lapidem vt aliquod saltem

B vestigium fugitiuæ tuæ assequaris, & dicis. *Quædam tamen adhuc templa ostendi posse scripsi quorum forma ad vsus papisticos, scilicet ad missam audiendam & idolum altaris* (sic libet tibi blasphemare) *in ipso missæ sacrificio conspiciendum prorsus inepta sit, vt quæ in crucis aut circuli figura extructa sunt.* Sed vbi terrarum? Noli amabó hanc reconditam tuam antiquitatem nobis inuidere. Sed audiuisti fortè quippiam, cuius tamen exactam memoriam non habes. Iuuabo te si possum. Et Moguntiæ in Germania in summo templo, & Romæ in quāpluribus Ecclesiis, eisdemq; antiquissimis vt in Basilica D. Petri, & D. Pauli, in Ecclesia S. Clementis. Sanctæ Potentianæ, S. Stephani quæ rotunda dicitur, in circuli figura extructus est sacrificij locus; non vt tu ineptissimè dicis, in forma ad conspicienda sacratissima mysteria inepta, sed prorsus ad illum vsum aptissima. Vndique enim circunstante populo (vnde & pro omnibus circunstantibus in Canone Missæ oratur) facillimè conspicitur actio tota liturgica. Imò & in huiusmodi omnibus, facie ad populum obuersa Sacerdos vt magis in conspectu sit, sacrificat. Sic enim rotundæ illæ Basilicæ sunt, vt tamen supremum & eminentiorem locum occupet altare. Quare nihil magis hac tua euasione, aut etiam his quæ apud te sequuntur, iusulsius. Adiungis enim rem eandem aliis verbis repetens. *Deinde quæcunque ante decretam ab Antichristo Romano Eucharistiæ adorationem condita videntur, vt vetustiora omnia, ipsa structuræ specie & forma ad hanc rem incommoda sunt: Recenter verò ædificata testantur suos conditores huius adorationis rationem habuisse maximam. Ita vt quocūque in loco tēpli populus consisteret, summū illud altare semper in oculis haberet.* Quā hîc egregie philosopharis, & valdè Architectonicè? Rotūdæ, inquis, figurę tēpla vetustissima erāt, & ad Eucharistiæ adorationē incōmoda. At nō rectè ducis Circinū, & toto planè cælo aber-

Templa forma rotunda ad vsus catholicos aptissima.

C ras. Magis enim oculis patēt quæ vndequaq; cōspici possunt, quā quæ ex latere aut è diametro tantū cōspiciūtur. Quod & veterū theatrorū forma rotūda, & speculatorū hodie loca ad circuli speciē quā maximè possūt accedētia, manifestū faciūt. Recēter verò ędificata, si (vt dicis) eorū cōditores hoc maximè spectassent, vt summū altare in oculis haberetur, profecto nō forma quadrata, aut quadrāgula sed rotūda construxissent; nec ipsius summi Altaris locū parietibus & interstitijs (vt in magnis Ecclesiis fit) hinc inde occultassent, nec deniq; diametrū ipsum solo patēte ad ingressum ostio, vel omnino clausissent vel cācellis obscurassent, sed absq; vllo interstitio, absq; clausura, locū Ecclesiæ patētissimum, inanem & vacuum reliquissent. Quare nihil te hæ miserę cōiecturæ iuuant.

Sed *meus* (ais) *Beda profitetur aliā fuisse formā tēplorū in Britānia, aboriginū Britonum, qui Romanæ Ecclesiæ iugum nō susceperāt, quā fuit eo seculo ab Ecclesia Rom. recepta.* Et remittis nos in margine ad Historię li. 3. c. 4. Certè meus Beda nihil huiusmodi habet, nec in latina origine, nec in versione nostra Anglicana. Hoc solū scribit Beda dicto lib. & cap. quod huc pertinere potest, Ecclesiā quādā vetustissimā D. Martino sacrā, pictorū Australiū Episcopo sedē Episcopatus fuisse, quæ vulgo vocaretur, *Ad cādidā casā, eo quòd ibi Ecclesiā de lapide, insolito Britonibus more, fecerat.* Sed quid hoc ad propositum? Te miserum, qui talia fragmenta hinc inde cōsectaris, omnes angulos scrutaris, scruta & quisquilias voluis & reuoluis, vt aliquod vel vestigium latitantis tuæ deprehendas? Sed quid agas? Improba meretrix

est. Quæri & sollicitari vult, Inueniri & apprehendi non vult. Laterem lauas & Æthiopē dealbas mi G. Nusquam alia in orbe Christiano, quàm Romanæ id est ecclesiæ Catholicæ tēpla reperies, nisi vbi hæreticorum sectæ, etiam tuo iudicio impiæ atq; damnādæ, sua fortè construxerunt. Illa sanè Ecclesia *ad candidam causam* non ab alia forma quā cōmuni sic dicta est, sed ab albo (vt videtur) & candido lapide iā terra gentis nostræ (vti nosti) satis vulgari (nam & ex albis rupibus insulam illam cingentibus Albion olim est dicta) & ad ædificia aptissimo & validissimo; quo tunc de nouo præter veterem morē Britonum, qui vel ex cespite, vel cocto latere, suas ędiculas antea construxerant, exędificata fuit. De forma enim seu rotunda seu quadrata, seu noua seu antiqua, seu iuxta Romanum morem seu præter, nihil illic Beda. Neque etiam indicat ab origine illos Britones Rom. Ecclesiæ obedientiam, quam tu iugum vocas, non agnouisse. Sed in sola Paschatis obseruatione eos à Romanæ totiusque Catholicæ Ecclesiæ more discrepasse scribit: idque, vt ait, *tanquam Barbaros & rudes, qui morem Ecclesiasticum non didicerant*; nō autem (vt tu lectori insinuas) tanquam qui Rom. Ecclesiæ morem scientes & prudentes contempsissent. Atque hæc sunt omnia quæ pro templis, ecclesiæ tuæ monimentis, adeoque quę circa quęstiones propositas vel respondes vel replicas. D

Nam quod addis quasi appendicem (quia dixeram vos non aliter huic quæstioni de religionis vestrę templis satisfacere posse, nisi vos ipsos totius orbis Apostolos esse, alios verò illos sine fructu laborasse &c. dicatis.) *Vos de Apostolis honorificè sentire, quia ex eorum*
" *tantum libris cæterisque scripturis omnem fidei morumque doctrinam petitis; eorumque quoque fructū*
" *amplissimū agnoscere, quia nō in Europæ aliquo Angulo, sed in toto terrarū orbe Ecclesiā ab illis extru-* E
" *ctā semper mansurā & propagatā confiditis*, quā vanè & futiliter à te, dicantur, ex his quæ iā disputata sunt, liquido satis constat. Prius enim quod dicis, omnium hæreticorum vox est & prætextus impius, vt in toto huius operis libro 12. ostendimus. Posterius quod dicis, à te quidem confidenter asseritur, sed nisi ecclesiam Rom. & Catholicam designes atque agnoscas, quā duo gloriosissimi Apostoli Petrus & Paulus Romæ plantauerūt, suoque sanguine confirmarunt, nullo vnquam tempore ostendi potest. Latitās enim tua sic latet, vt vndique à te conquisita nusquam hactenus appareat; ac ne quidem vestigiū eius vllum (ita improbè fugit) assequi adhuc potueris. Sed dic mihi bona fide (si quam habes G. F.) si seriò sentis labores Apostolorum non periisse, sed Ecclesias quas toto orbe plātauerunt, cum fructu amplissimo perdurasse, quare hîc scribis, *Ecclesiam ab illis extructam & propagatam semper mansuram te confidere*, sed non scribis semper hactenus in orbe mansisse, te planè credere? An quia vestram nunc quam Apostolicā esse vultis perpetuo mā-suram speras, Catholicam autem omnium gentiū, siue Romanā, iam olim ab aliquot seculis periisse existimas? Hoc est autem quod dixi, Apostolorum labores per hanc doctrinam vestram inanes, & irritos ac sine fructu à vobis constitui.

Quod de Armenis, Syris & aliis orientalibus populis gloriosè subnectis, *eos in præcipuis religionis articulis pulchrè consentire, & Rom. Pontificem, si qui eius superbiam nouerint, execrari*; quū huius tuæ assertionis testes & Authores legitimos protuleris, quid tibi respondendum vltra sit dispiciemus. Interea quis te ferat, res tantas tua sola Authoritate asserere & confirmare? Quasi tu is esses, qui dicere posses: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius*. Nos contra quid Patriarcha Armenorum ante annos paucos Romæ in persona gesserit, quā confessionem ediderit, ex legitimo teste supra protulimus. Est etiam Romæ Syrorum Ecclesia retro ecclesiā D. Petri, in monte Vaticano sita, vbi ex ritu gentis suæ diuina officia faciunt; quam ante triēnium Romæ vidimus, & videre omnes possunt qui Romæ sunt. Puto si Romanū Pontificem execrarētur, vt dicis; non ita in proximo diuinas laudes celebrarent. F

" Iubes postremo *facessere inanem istam futilemque Romanensium de personarum ac locorum successione iactantiam*: quasi tu sanè ita eā valdè hîc oppugnasses, vt tuis argumentis concussa ac depressa, ne hiscere quidem posthac amplius audeat. Et vides homo infœlix, quo magis illa à te impugnata & lacessita est, eò nunc validius illā esse defensam, clarius explicatam, & luculentius Catholico & erudito lectori corroboratam.

Tamē vt aculeum lectoris in animo postremis tuis verbis, magnus orator, relinquas; ais: *nos aliam quam quæ ab Apostolis tradita & per omnes ætates huc vsque toto orbe conseruata est,*
" *salutem quærentes, ab Apostolorum scriptis prouocare, & ad seriē hominū mortuorū, eorūq; omnibus*
" *probris cōtaminatorū, nō stultè magis ac ridiculè quā impiè & sceleratè cōfugere*. Hic est egregius ille

epilogus

A epilogus quo tuum acutissimum libellũ claudis. Quem si curiosius expandere velim, va-
rias adhuc turpitudines tuas exponere debeo. Sed agam breuissime. Ais primo *nos aliam*
salutem quærere quam quæ ab Apostolis huc vsque est conseruata: Sed vide quam sit hoc menda- *Solos catholicos*
cium impudens; nisi fortè quum nos dicis teipsum intelligas. Nos enim vt non aliam sa- *salutem quærere*
lutem adipiscamur quàm quæ ab Apostolis tradita, & huc vsque toto orbe conseruata *ab Apostolis huc*
est, inhæremus diligentissimè maiorum nostrorum vestigiis, qui certa & perpetua suc- *vsque conseruatam.*
cessione pastorum & populorum, hanc salutem ab Apostolis traditam, huc vsque con-
seruarunt. Vos nullam talem successionem proferre vultis & facessere illam iubetis. Pla-
nè ergo tu is es qui traditam & conseruatam hactenus Doctrinam repudias, & aliã quæ-
ris toto orbe latitantem, sed nusquam hactenus inuentam. Deinde ais. *Nos ab Apostolorũ*
scriptis prouocare. Quo sanè vno mendacio cotem promereris & mentiendi palmam. No-
men enim hoc ipso in opere tribus in libris diligẽter disputauimus, primum de certo &
legitimo canone Scripturarum, inter quas sunt Apostolicæ consignando? Deinde de Lib. 9. 10. & 11
Authoritate & mediis interpretandi easdem? Et quem alium quæso ob finem, de certo
Canone & certa Apostolicarum literarum intelligentia tam sollicitè inquirimus, nisi vt
illis diligenter quidem & assidue, sed legitimè & salubriter vtamur? *Bona enim est lex si quis* 1. Timoth. 1.
ea legitimè vtatur. Alioqui *litera occidit, spiritus autem viuificat*. Tertiò dicis nos *ad seriem nomi-* 2. Cor. 4.
num mortuorum & stultè & impiè confugere. Scilicet sanctissimi Ecclesiarũ Episcopi, & pa- Luc. 20.
stores tot seculorum, tibi homines mortui sunt. *Deus autem viuorum Deus est non mortuo-* Cõtra Iulian.
B *rum*. Quare in Domino mortuos, defunctos libentius quàm mortuos, vocat alicubi Au- Hebr. 13.
gustinus. Sed quid? Stultum aut impium est, perpetuos Ecclesiarum pastores & Episco- Luc. 16.
pos, *quibus obedire, quos audire, à quibus nos pasci & regi* Scriptura docet, diligenter inqui- Act. 20.
rere, ne *quouis vento nouæ Doctrinæ circumferamur*, sed potius *permaneamus in iis quæ didicimus*? Ephes. 4.
Stultus ergo & impius Paulus, qui hunc in finem *datos Ecclesiæ pastores & Doctores scripsit*, 2. Tim. 3.
qui vna cum Sila *circuiuit Ecclesias præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*. Ephes. 4.
Stultus & impius Tertullianus, Irenæus, Hilarius, Augustinus, Optatus, Epiphanius, qui Act. 15.
hanc pastorum & Episcoporum successionem contra veteres omnes hęreses diligentis- Huius operis lib. 4. cap. 3.
simè perurserunt. Stultus deniq; & impius Eusebius cæterique omnes Ecclesiasticæ Hi-
storiæ scriptores, qui hanc vnam successionem personarum & locorum in Ecclesia Chri
sti, summo semper studio annotarunt; & vt rem cognitu dignissimam posterorum me-
moriæ reliquerunt. Scilicet, quia nullos pastores tua fugitiua proferre potest, stultum &
impium est de pastorum successione inquirere. Dicis postremo hos pastores quorum 4.
seriem inquirimus, *homines fuisse plerosque ipsorum omnibus probris cõtaminatos*. Ita homo Im-
purus & impotentis animi, contumelia fœda libellum tuum claudis, sicuti etiam à con-
tumelia auspicatus fueras. Sic sanè oportebat *modestiam vestram Euãgelicam notam esse om-*
nibus hominibus? Mala mens, malus animus: & *ex abundantia cordis os loquitur*. Sed parcat tibi
Deus maledicentiam & maleuolentiam hanc tuã, qui *principibus populi Dei maledicis* te- Philip. 4.
mere, & Christos Domini petulanter tangis: De quibus dicit Scriptura, *Qui tangit vos tã-* Matth. 12.
git pupillam oculi mei. Et rursum. *Qui vos spernit me spernit*. Quod ad rem ipsam attinet, superi- Act. 23.
respondi, nihil obesse Ecclesiæ Dei crimina paucorum. Et hîc meminisse debebas, quod Psal. 104.
super Cathedram Christi sederunt huiusmodi. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite fa-* Zachar. 2.
cere Ego autem Deo meo gratias ago, qui ex hac animi tui maleuolentia qua Ecclesiam Luc. 16.
Rom. & me (vt videtur) acerbè prosequeris, hoc bonum effecit, vt causæ Catholicæ fir- Supra cap. 7.
mitas, tam aduersus latitantem vestram & fugitiuam, quàm pro successione Ecclesiasti- Matth. 23.
ca, hac occasione diligentius sit examinata, clarius intellecta, luculentius & plenius
confirmata.

LIBRI XIII. FINIS.

Laus Deo qui dedit velle & dedit perficere.

D

SPECVLVM PRAVITATIS HÆRETICÆ PER ORATIONES DECEM AD OCVLVM DEMONSTRATÆ.

Authore Thoma Stapletono Anglo S. Theologiæ Doctore & in Alma vniuersitate Duacena Controuersiarum Professore Regio & Ordinario.

2. Timo. 3.

Insipientia eorum manifesta erit omnibus.

E

Reuerendissimo & illustrissimo Domino Gulielmo Sirleto S.R.E. Cardinali Thomas Stapletonus veram & perpetuam fœlicitatem precatur.

VOD ab Vrbe iam ante triennium ferè discedenti mihi, ac iam iam tibi valedicenti (Cardinalis Sirlete) postremum verbum dixisti, vt zelum pro Ecclesia Dei & contra horum temporum hæreticos, (quem tum tibi habere videbar,) constanter retinerem ac fauerem magis, illud verbum à tanta Authoritate & in tali articulo profectum, tãquam aculeum altissimè infixum, ita accepi tunc, cogitaui sæpius pòst, recordor etiam nunc, vt mea sanè studia ac labores literarios (in quibus solis, si tamen vel in illis Ecclesiæ Dei prodesse possum) ad vnius Ecclesiæ Catholicæ sacrosanctam fidem ac religionem ab hæreticorum hodie improbitate & fraude asserendam, quandocunque oportunum esset, deinceps omnino (sicuti hactenus ab annis compluribus feci) conuerterem: nec aliis me F argumentis seu priuatim seu publicè magis exercerem, quàm quibus aut fides Catholica illustrari, aut hæreticorum hodie varia impietas taxari, patefieri, ac refelli posset. Quo sanè factum est, vt non ita multo pòst ad amica studia reuersus, nihil prius aut antiquius habuerim, quàm vt illi Operi nostro, *De Principijs fidei doctrinalibus*, cuius fragmenta quædam & capita penè vniuersa tibi in vrbe communicaueram, grauissimoque iudicio tuo subieceram, in lucem primo quoque tempore edendo (id enim tibi, atque illustris memoriæ Cardinali Hosio placuit:) incumberem. Editum tandem est Authoritate vestra Opus illud. Nec displicere audio. Sed & interea temporis, quum pro more laudatissimo celeberrimæ huius Academię Duacenæ haberentur

A tentur quotannis Arbitrarię quædam disputationes, quas Quodlibeticas vocant, in quibus in omni disciplinarum genere maximo concursu & celebritate de re qualibet quæstiones agitantur; & ego ad aliquid in eo genere dicendum inter alios viros doctissimos, bis continuò prouocarer; volui sanè Authoritatis vestræ amplissimę voluntatem secutus, vtroque tempore non aliis me argumentis exercere, quàm in quibus pro zelo fidei Catholicæ hæreticorum hodie vel nequitiam vel astutiam Catholicis Auditoribus (sed qui hæreticos vndique circumlatrantes ne dicam intus & intimè grassantes patiantur) studiosè aperirem, arguerem, & vt potui refutarem. Placuerunt sanè viris bonis & doctis vtriusque anni Orationes nostræ: seu propter Argumenta non vulgaria, seu quia non vulgariter tractari sunt visa.

Hoc igitur anno à diuersis eruditione, pietate, & Authoritate præstantibus viris (inter quos Dominum Gulielmum Pamelium I. v. Doctorem ac Supremi in Flandria Senatus supremum Præsidem, virum vt literatissimum ita humanissimum ac religiosissimum, Regiæque Catholicæ maiestati in B his turbis Belgicis perpetuò fidelissimum; necnon & R. D. Maximilianum Morillonium Præpositum Ariensem & Diœcesis Mechliniensis Vicarium Generalem, virum quoque non secus pietate & humanitate præstantem, quàm eruditione & prudentia rerum gerendarum excellentem, alterum quoque fratrem Iacobum Pamelium virum doctissimum & in Ecclesia Dei propter egregios labores in illustrãdis veterum patrum scriptis, aliisque priscæ pietatis monimentis eruendis notissimum, mihique à multis annis veteri amicitia coniunctum, honoris causa nominare debeo) multum ac identidem rogatus, vt tam posteriores istas quàm superioris anni Orationes in lucem ederem; parui sanè desiderio, consilio, & Authoritati tantorum virorum non inuitus.

Video enim hæreticos ipsos quacunque data occasione, oportunè importunè, suas declamatiunculas, disputationes, exercitia passim in Germania prælo dare: vt quocunque tandem modo ac via possunt, pessimam suã causam promoueant. Parem sanè diligentiam, industriam, zelum vt in Catholicis aliquando desideraui, animaduertens hæreticos nõ virtute aliqua sua sed ignauia ac socordia nostra proficere, ita in meipso, quantum in me erat, deesse nolui. Sint argumenta pauca, declamationes propemodum extemporaneæ, disputationes non satis excultæ & elaboratæ. Arqui, si magnis ingeniis C non placent, placere mediocribus possunt. Et vulgus fere literatorum nunc est, quod per præsentes hæreses periclitatur magis. Debitores sumus doctis & indoctis: denique turpe est Iudam non dormire: Apostolorum successores altum stertere. Vtcunque est, non displicet his paucis Argumentis variam hodie hæreticorum prauitatem, studioso lectori ad oculum tanquam in speculo demonstrasse. Quam etiam ob causam, quia improbitatem hęreticam potissimum hę Orationes demõstrant, nec illud quidem, vt arbitror, obscure; placuit omnium argumentorum quasi compendium sub hoc titulo proponere, vt *Speculum Prauitatis Hæreticæ* inscriberentur.

Istud autem quicquid tandem aur laboris nostri fuit, aut vtilitaris publicæ esse potest, tuo celeberrimo nomini (Cardinalis doctissime nun-

cupare volui, cuius sanè Authoritate grauissima ad huius generis studium D acriter sum excitatus; cuius in re literaria maximè theologica, & sacra tota Antiquitate maxima laus est in Ecclesia Dei; cuius denique erga me priuatim quum postremò in vrbe essem, beneuolentia & propensio singularis extitit. Voluisti scilicet qua cæteros doctos omnes Doctorum Præses & Mecænas maxime, qua nostrę gentis homines pro fide extorres, qua inter cæteros vel potius supra cæteros R. D. Audoënum Ludouicum Referendarium Apostolicum, Archidiaconum, Officialem, & Canonicum Metropolitanę Ecclesię Cameracensis, virum & pietate & prudentia & eruditione excellentẽ, eisdemque nominibus tam tibi quã aliis permultis Illustrissimis Cardinalibus notissimum, humanitate & fauore complecteris, me quoque eodem commendante Audoëno complecti & prosequi. Huius enim sanè ne prorsus immemor viderer, hoc qualicunque officio, grati animi testimonium dare volui. Non certè quale vel multiplex & recondita eruditio tua merito legat vel Nominis tui amplitudine & titulo dignum sit, sed quale nostra tenuis supellex, occasione iam dicta subministrata, depromere potuit. E Quod vt in eam qua cætera soles tuorum officiã, id est, in optimam partem accipias, meque clientum tuorum numero ascribas, maiorem in modum oro atque obsecro.

A REVERENDISSIMAM ET ILLVSTRISSI-
MAM D. V. ECCLESIÆ SVÆ ET NOBIS DEVS OPT. max. quàm diutisſimè incolumen conſeruet.

Duaci Catuacorum in Belgio: apud D. Amatum: quarto Cal. Aprilis. 1580.

Reuerendisſimæ & Illuſtriſſimæ D. V. humilis ſeruitor

THOMAS STAPLETONVS.

Orationum quodlibeticarum argumenta.

I.

Vtram Eccleſiæ Romanæ religio ab illis hodie reformata fuerit; qui ſe Eccleſiæ reformatores vel Eccleſiam reformatam hodie vocant.

II.

Vtra ſit magis Chriſtiana & Eccleſiaſtica liturgiæ forma, miſſa Catholica, an Proteſtantum quæ vocatur Cœna dominica.

B III.

Vtrum maior ſit in hæreticis noſtri temporis Nequitia quàm Aſtutia.

IIII.

Vtrum horum temporum hæreſes proximam Antichriſto viam parent.

V.

Vtrum vlla ſit in hæreticis horum temporum certa & conſtans doctrina.

VI.

Vtrum vlla prorſus ſit in hæreticis hodie Religio.

QVÆSTIONES QVODLIBETICÆ TRES, IN COLlegio Marchennenſi menſe Decembri anno 1578. Oratione perpetua diſputatæ.

QVÆSTIO PRIMA CVM ARGVMENTIS DE MORE SCHOLÆ.

Vtrum Eccleſiæ Romanæ Religio ab illis hodie reformata fuerit, qui ſe Eccleſiæ reformatores vel Eccleſiam reformatam hodie vocant.

C *1. Argumentum à diſputationum quodlibeticarum Præſide propoſitum.*

Reformatio Eccleſiæ Romanæ quæ hodie inſtituitur, non niſi ex verbo Dei & veteris Eccleſiæ praxi petitur. At hęc ſunt certiſſima inſtituendæ religionis fundamenta: Rectè ergo ab huiuſmodi reformatoribus reformata fuiſſe videri poteſt.

2. Argumentum.

Non eſt melior Eccleſiæ Romanæ ſtatus nunc, quàm fuit olim regni Iſrael ſub Ieboam: quod iſti Reformatores abunde probant. Quia vt apud illos manebat circunciſio, fiebant ſacrificia, lex Moyſaica pro ſancta habebatur, Deus patrum inuocabatur, reliquus tamen cultus totus idololatricus erat; ſic apud Eccleſiam Romanam manet baptiſmus, fit liturgia, Scripturæ in veneratione habentur, verus Deus & Chriſtus inuocatur: Reliqua tamen omnia ſuperſtitionibus & cultu idololatrico plena ſunt. At licuit tunc prophetis, Eliæ, Micheæ, Oſee & Amos illam Iſraeliticam corruptelam arguere, corrigere, reformare: Licebit ergo idem hodie vocatis à Deo ad hoc munus doctis & præſtantibus viris.

Vtrum Ecclesiæ Romanæ religio ab illis reformata hodie fuerit, qui se Ecclesiæ reformatores vel Ecclesiam reformatam hodie vocant. D

VAM Mihi doctissimus D. Quodlibetarius de tantopere hodie iactata, & prætensa Ecclesiæ reformatione Quæstionem proposuit; eam vt hoc loco ac tempore, quantumuis alioqui arduam, implicatam, & calumniæ, atque inuidiæ obnoxiam diligenter tamen discutiam atque pertractem; sane præter amplissimi huius atque ornatissimi collegij postulatum, accedente etiam præstantissimi ac R. D. Abbatis, huius Collegij fundatoris desiderio (cui quanto magis me iam pridem & arctius obstrictum agnosco, tanto in hoc dicendi munere magis gratificari cupio; si tamen quod illi non ingratum & celeberrima hac disputationum quodlibeticarum consuetudine non indignum futurū sit, hic aliquid dicere potuero;) etiam ipsius rei & causæ grauitas, dignitas, magnitudo, vehementer me mouet: vestra porro Auditores humanissimi iam olim mihi in hac celeberrima academia sæpius peroranti perspecta humanitas alacritatem magnam adiecit. Ego sanè vt aliquid de more hoc loco ac tempore dicerem rogatus, quo loco ac tempore maximam mihi de re qualibet dicendi libertatem dari animaduerterem; de eo potissimum liberrimè dicere volui, in quo nimia quadam & plus quàm quodlibetica libertate à quàm plurimis hodie liberè, aut licenter potius, disceptari, disputari, ac decerni video. Est enim hodie hominum genus, qui quidem sanctissimo & gloriosissimo Christianorum titulo vocantur & gaudent, à Christiana tamen sobrietate, obedientia, fideique simplicitate alienissimi sunt, quibus liberum sanè visum est, non quidem de re qualibet, aut animi aut exercitationis ingenij causa, dicere in scholis ac disputare; sed de re omnium grauissima, de sacrosancta religione, qua Deus colitur, qua salus nobis æterna vel cōparatur si rectè illa instituitur, vel amittitur si ab illa deflectatur, quidlibet sentire, docere, facere. Qui sanè homines quum pro sua de religione sacra sentiendi, dicendi, ac faciendi libertate, multa si vi in variis orthodoxæ fidei particulis permutandis, corrigēdis, expungendis, permitterent, multa auderent atque tentarent; in eam tandem licentiam atque audaciam sua libertate proruperunt, vt à paruis initiis ad maximam tandem molem, à modica scintilla ad vniuersæ penè Christianitatis & orthodoxiæ conflagrationem peruentum fuerit. E

D. Arnoldi de Gantou.

Initia & progressus hodierni Schismatis. Art. 71. & 72.

Libuit audaci monacho, Martino Luthero execrandæ memoriæ apostatæ, ante annos iam 60. plus minus, Indulgentias pontificias carpere; *ita tamen vt earum potius nundinationes quàm ipsas reprehenderet.* Sic enim in suis disputationibus primo sui schismatis anno propositis scripsit. Quum autem hæc illi reprehensio bellè succederet; non longè pòst, in concione quadam de indulgentiis, etiam ipsas indulgentias, *vt bonis operibus & salutari pœnitentiæ noxias* reprehendit. Quod etiam cum applausu acceptum quum videret, maiora ausus, nouis propositis articulis, etiam Pontificiam in illis conferendis potestatem, vellicauit. Quam audaciam cum suo principi & auditoribus non displicere animaduertit, (ait enim in præfatione in suas disputationes postea excusas, *hic multi boni viri meas propositiones extollebant,*) in cepta libertate porro pergēs, vniuersam Romanam Pontificiam authoritatem quæ supra cæteros Episcopos illi conceditur, è medio quoque tollere aggressus est: sed paulatim adhuc & pedetentim. *Ego enim* (ait Lutherus in dicta præfatione) *in multis & magnis articulis Papæ non solum cedebam, sed etiam vltro adorabam.* Hac autem perfracta per Lutherū glacie, & perturbata ordinis Ecclesiastici acie, imò ipso iam violato totius hierarchiæ capite, violentius alij irruerunt, & (vt ait ipse Lutherus in eadem præfatione) *vulneratam Pontificis maiestatem ceperunt superbissimè inuadere,* id est, in spargendo & mactando ouili Christo huic Petro commisso licentius grassari. Sed & ipse quoque Lutherus quotidie audacior factus, ne post terga à sociis relinqueretur, alias atque alias quotidie nouas propositiones disputauit, asseruit, docuit. Et causam suæ audaciæ reddit. *Fouebat me vtcunque,* alioqui trepidantem, *aura ista popularis, quod inuisæ iam essent omnibus artes & Romanationes illæ quibus totum orbem impleuerant.* Sic de religione F

A gione Romana & Catholica loquitur homo audacissimus, in priore præfatione operibus suis præfixa. Accessit quoque ad auram illam popularem Maximiliani Imperatoris optimi importuna mors. *Illo enim mortuo* (vt narrat ipse Lutherus in dicta iam præfatione) *factus est iure imperij vicarius dux Fredericus. Tunc desiit paululum sæuire tempestas, & sensim obrepsit contemptus excommunicationis seu fulminis papistici.* Hæc ille. Nempe hinc factum est vt Leonis decimi bullam, quæ proximo anno emanauit, & in qua pestilētissimi doctrinæ Lutheranæ articuli 40. & vnus damnarentur, ne hili quidem faceret audax ille Monachus, sed statim arrepto calamo eam audacissime confutandam susciperet. Erat itaque iam de Lutheri fide, religione, obedientia Christiana prorsus conclamatum: & ab hoc audacissimo homine, liberrimè quicquid libuit asserente ac docēte, totum hoc hominum hodie audacissimorum genus tanquam ab altero Cain Babylonicæ ciuitatis parente descendit; & quod ille in quibusdam liberrimè tentauit, hoc isti in vniuersa religionis orthodoxæ corruptela non minori libertate sibi tentandum, & quoquo modo possent perficiendum putarunt. Itaque non solum in permultis orthodoxæ doctrinæ articulis, à matre Catholica sese segregauerūt, sed etiam (quod paucæ admodum hæreses ausæ fuerunt, Manichæi videlicet, aliique nonnulli (vt notat Augustinus) in ipsa sacrorum & externæ religionis forma dispares esse voluerunt: imò quod nulla adhuc secta ausa fuisse legitur, vniuersam religionis Ecclesiasticæ formam reprehendere, corrigere, immutare non sunt veriti: seseque propterea, nouo sed specioso admodum & populari titulo Ecclesiæ Romanæ atque Catholicæ Reformatores, suamque societatem Ecclesiam Reformatam nuncuparunt. Magna sanè & plusquam quodlibetica libertas Censores se, magistros, & aristarchos totius orbis atque Ecclesiæ Dei instituere. In lib. de vera Relig. cap. 5.

B

Sed & nos quoque pro huius loci ac temporis libertate, in hanc censoriam potestatem liberè tantisper inquiramus, & an nomini suo res tanta respondeat, dispiciamus. Videamus an vel reformatio quæ prætenditur ea sit quæ esse dicitur, vel reformatores qui dicuntur, pro talibus haberi possint ac debeant. Opinor sanè, re tota bene perspecta & ante oculos omnium proposita, vnâ mecum omnes iudicaturi estis nihil esse vel hac reformatione, vel his reformatoribus deformius. Sed ne ante victoriam triumphum canere videamur, demōstremus hoc ipsum prius, quanta sanè & breuitate res tam ampla, & perspicuitate res tam inuoluta demonstrari à nobis potest. Quod vt via aliqua & ratione fiat, id primum inuestigabimus, quid & circa quæ versatur religionis reformatio, de qua hoc loco quæritur. Proximo loco de modo reformationis instituendæ ex parte rei inquiremus. Tertiò ac postremò de personis ipsis reformantibus agemus. Quę tria dum expono, diligenter quæso, quod facitis, attendite.

Quod ad primum attinet, Religionis Christianæ reformatio tam multiplex & varia esse potest, quàm multa & varia sunt ea circa quæ religio Christiana versatur. Illa autem sunt potissimum tria. Religio enim vniuersa qua Deus piè colitur, aut circa fidei doctrinam diuinitus traditam, aut circa cultum externum & publicum à Deo præscriptum aut denique circa vitam & mores iuxta Dei leges institutos versatur. Nam neque

C sine his tribus sana & integra vlla vera religio est; & vbicunque hæc tria sana & integra conspiciuntur, veram ibi religionem esse dubitari non debet. Est autem singulorum horum trium certa aliqua forma, facies, & norma, quam diuinitus acceptā violare, præterire, aut peruertere non licet. Ac de fidei quidem forma seu hypotyposi, dixit Apostolus *formam habe sanorum verborum quæ à me audisti*: & rursum: *obseruate eos qui ita ambulāt, sicuti habetis formam nostram.* Denique & Romanos laudat, *quod obedirent ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi essent.* Vocatur enim hæc forma apud Apostolum regula, ratio, analogia, seu canon fidei Rom. 12. Philipp. 3. Ad Galat. 6. 2. ad Cor. 10. Sed de hac religionis parte seu forma eiusque regula nec hodie quæritur, nec proprie quæri solet, quum de reformatione quæstio instituitur. Non quòd doctrinæ ipsius corruptelæ sint nullæ (tales enim sunt quàm plurimæ, sanè omnes hæreses) nec quòd corruptæ doctrinæ instauratio ad religionem non pertineat, sed quòd alia fidei forma aut regula esse nō potest. Vna enim illa semper est, eiusque regula eadē, & immutabilis, & (vt apposite loquitur Tertullianus) *immobilis & irreformabilis*, ideóque illa aliqua ex parte corrupta nulla superest vera religio; nec ad Ecclesiastici corporis membrum is pertinet, in quo fides corrūpitur. Cultus autem externus quo Deus publicè colitur, vitæ quoque & morum ratio, partim ex se ipso mutabilis est, partim immutationem interdum, & ex aliqua

1. Timo. 2. Philip. 3. Rom. 6. In lib. de velād. virgin.

parte vel patitur, vel etiam postulat, sine religionis iactura, & vniuerso detrimento. Itaque ad duas istas posteriores religionis partes illa potissimum reformatio spectat, de qua tanto molimine hodie cōtrouertitur, tanto studio & contentione agitur quum de reformatione quæritur. Nam doctrina fidei quum eius regula vniformis semper & inuariabilis sit non secus ac scientia in naturalibus restaurari vel redintegrari deperdita potest, reformari corrupta non potest. D

At tamen & inter has duas partes magnum in hac prætensa reformatione discrimē est. Nam cum in omni religiosa reformatione primū ac potissimum locum habere debebat tota illa interioris hominis regeneratio, ac renouatio, quæ sane supposita orthodoxæ fidei puritate & integritate, in vitæ ac morum pietate atque sanctimonia consistit; ita in hac reformatione prætensa reformatores isti & totius orbis Christiani censores præposterè egerunt, vt de hac interiori aut parum aut nihil solliciti, omnes ferè ingenij sui vires, cogitationes omnes, ad alteram illam externi cultus formam in Ecclesia Catholica receptam & constitutam, omnibus modis exagitandam conuerterint; in eaque, vt aiunt, reformanda omni studio & labore contenderint. Qua vna in re vt grauissimè peccarunt, & turpiter in ipso tantæ rei limine ac vestibulo impegerunt, (est enim hæc interioris hominis recta institutio, renouatio, mortificatio alterius externi cultus fundamētum, & sine qua corruit penitus, vanum atque inane est quicquid externi cultus super extruitur:) ita tamen doctrinæ suæ principiis conformiter & consentaneè satis processerunt. Quam enim illi homines internam renouationem aut mortificationē studiosius atque sollicitius tradere & instituere potuerunt, qui vniuersam illam renouationem internam, quam Christi gratia operatur in nobis, *diffusa charitate in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, totamque illam mortificationem, sanctificationem, & vitæ nouitatem in qua ambulādum esse toties literæ Apostolicæ inculcant, nihil prorsus ad iustitiam nostram coram Deo facere, & ad salutem æternam consequēdam non solum nullo modo necessariam, sed neque etiam vllo modo conducibilem, imò vt rigidiores Lutherani defendunt, etiam perniciosam esse, constantissimè docēt; solamque Christi illam perfectissimam iustitiam, & obedientiam, nostram esse omnem iustitiam & obedientiam quam à nobis Deus exigit, nobis videlicet per fidem apprehendentem ac si nostra propria esset, imputandam, veréque attributam, asserunt ad vnum omnes atque tuentur? Itaque quòd ab huius generis reformatione non exorsi fuerunt, imò quòd eam penitus prætermiserint, quamuis turpissimè ab illis vt dixi peccatum sit, & vel inde solum consequatur nullam hanc reformationem esse posse, quoniam suo caret primario capite, & maximè necessario fundamento, tamen minime hoc in illis mirandum est; imò certe posita hac illorum admirabili doctrina, totum hoc illis claro iure donandum est. Si enim (quod illi sibi persuasissimum habent) sola fide piè & purè colitur Deus, fide autem non qua ea quæ ad sanam doctrinam pertinent, aut qua vniuerso verbo Dei credimus, sed qua Christi iustitiam in Euangelio nobis oblatam atque promissam fide apprehendimus; profectò in ea reformatione qua de cultu interno inquiritur, superuacaneum prorsus erit de vitæ ac morum sanctitate, pietate, integritate inquirere, posita semel (quam in hac quæstione illi ponunt) sola illa iustificante fide, quæ legis conditionibus soluta est, & opera non requirit, vt iuxta suorum sodaliū sententiam accurate docet Caluinus, institut. lib. 3. cap. 11. par. 18. Est ergo hæc tota reformationis pars penitus nobis prætermittenda, si quam isti homines reformationem quærunt, pariter inquirere, & de ea conferre volumus. Sit ita ergo, & ad tertiam illam reformationis partem veniamus, in qua omnes illi ingeniorum suorum neruos intenderunt, vt hoc pretextu ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, tanquam à deformatissima quadam papistarum colluuie (sic enim illi, & acerbius multo loquuntur) iustissimis de causis recessisse, aliamque Religionis formā necessariò instituisse videātur.

Rom. 4. E

F

Hic igitur vt pressius rem agamus, & cominus cum præclaris istis Reformatoribus certamen istud ineamus, quęro, quæ est ista tāta deformitas in Ecclesia Catholica, Romana, cuius conspectum Anglici isti, & sanctissimi viri perferre non valentes, ad aliam formam instituendam animum adiecerunt? Aiunt externum Dei cultum in hac Ecclesia, innumeris esse superstitionibus obrutum, sacrilegiis pollutum, idololatriis cōtaminatum, denique vel iudaismi cuiusdā aut paganismi, vel potius Babylonicę meretricis, quàm Ecclesiæ Christianæ faciem hunc cultum præ se ferre. Nempe templa, altaria, sacrificia,

A crificia, nos habere ritu gentilium; sacra vasa, incensa, luminaria nobis esse more Iudæorum, ferias, iciunia, statuas mortuorum (sic enim Imagines sanctorum prophana & vili nuncupatione traducunt, vt olim Iulianus Pelagianus, pro baptizari, perfundi, & Iulianus Apostata pro Christo, Galilæū dicere est solitus) ita nos colere; & ceremoniis propemodum infinitis, in amictu, in gestu, in cātu, ita omnia oppleuisse, vt nihil minus quā sincera pietas & inuocatio pura, nihil magis quàm fœda hypocrisis & morositas pharisaica, vel barbara κακοζηλία in Ecclesiis nostris, in cultu & officio sacro, conspiciatur. Imò omnia ita deformata ac fœdata esse affirmat Caluinus, vt *vix vllum* (inquit) *cum papisticis conuentum habere possimus, in quo non aperta idololatria nos polluamus.*. Grauis sanè hæc & acerba est accusatio, ingens & miserāda deformitas, imò qua nulla grauior, nulla deformior esse possit, si vera sint quæ narrantur. Et quidem esse hanc totam accusationē, hominum sceleratissimorum impudentem calumniam, vel hęc ipsa quam isti homines instituunt, reformatio luculenter docebit. Ponamus tamen interea veram esse quā clamitant, cultus hodie Ecclesiastici deformitatem. Videamus quam isti Reformationem eius loco substituant, & explicata nunc de Reformatione prætensa Reformatorum sentētia, vt cuius generis Reformationem instituere velint iam intelligatur, ad id quod secundo loco tractaturos nos dixeramus veniamus; de modo scilicet Reformationis prætensæ ex parte rei ipsius inquiramus.

Enimuero postquam hodierna Ecclesiastici cultus forma in vniuersum Protestantibus displicet, vt nihil aliud quàm Babylonis cuiusdam facies, vt loquitur Caluinus, 2. pars.
B istic appareat, præstātissimi hi viri vt eam reforment, debent opinor, formam aliquam aliam præexistentem & præconceptam habere, ad cuius normam tanquam ad exemplar quoddam purum atque completum, pulchrum atque perfectum, omniquc tum labe & macula, tum etiam imperfectione carens, hāc suam Reformationem prętēsam, dirigant & secundum eam omnia reforment. Hæc sanè vt arbitror illis non solū ęquissima, sed & necessaria postulatio videbitur. Reformaturi Ecclesiasticum cultum, ad aliquam antiquā Ecclesiæ Christianæ formam & faciem eum reformare & restaurare debent. Alioqui nisi veterem aliquam formā iam antea in Ecclesia Christi olim existentē, cuius normā sequantur, ostendāt, non erit ista quæ prætenditur pia aliqua Reformatio, sed peregrina & prophana erit Trāsformatio, ideoq; horrēda & Satanica Deformatio. *Reformatio omnis formam aliquā præexistentem supponit.*

Itaque hoc in loco recolendū est diligēter Auditores, Deū Op. Max. sicut ab orbe cōdito duos tantū populos, vel duplicē quandā populorum societatē, à qua eius numen publicè coleretur, habuit, Iudæorū videlicet Synagogā, & gentiū seu populi Christiani Ecclesiā; ita duplicē tantum externi cultus formā iuxta quam coleretur, in terris ab orbe condito habuisse. Priorem quidē illā Moyse dictante Deo pręscriptā, & vsq; ad minutissimas ceremonias exactissimè delineatā; idque iuxta exemplar quod illi à Deo in monte monstratum est. Alterā verò partim à Christo viua voce, partim ab Apostolis dictāte Sp. S. institutam. Sicut autem præter vmbrā & veritatē, præter veteris ac noui testamenti statū, præter Moysem & Christum, nihil est in hac militātis Ecclesię religione *Duplex hactenus diuini cultus præscripta forma.* Exod. 25. Hebr. 8.
C tertium; ita pręter has duas formas, pręter hunc duplicē cultū Mosaicum & Christianū, legalē & Euangelicū, Iudaicū & Apostolicū, nulla tertia religionis forma nullus tertius aut dari potest, aut cogitari à fidelibus debet. Nam quod ad primos illos patres attinet, qui ante Moysem Deū coluerunt, quemadmodū magis in personis quā in populis vera tunc religio obtinuit, ita cultus ille externus magis personalis fuit, & vt cuilibet fideli Dei spiritus inspirauerat, quā vel localis vt apud Iudæos, vel vniuersalis vt apud Christianos, certo aliquo ritu præscriptus, quasique circūscriptus. Ideoq; nec Ecclesiæ vel collectionis aliquod nomē in primis illis fidelibus auditū esse legimus: sed data lege, sacerdotibus & ceremoniis institutis, tum primū Ecclesię seu collectionis vox in Scripturis legitur. Nēpe vbi dicitur. *Cur eduxisti Ecclesiā Domini in solitudinē?* Nā sanè quēadmodum *in nullum nomē religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorū vel sacramentorū visibilium consortio colligantur*, vt sapiēter scripsit Aug. sic nisi fiat prius aliqua collectio & coagulatio, sacramētis & signaculis certis, ceremoniis præscriptis, cultu cōstituto non est opus. Sicut ergo tantū fuit hactenus fidelium collectio, prior Synagoga dicta, posterior Ecclesia nūcupata, idque distinctionis causa, vt tradit Aug. Enarr. in psal. 81. ita duplex tantū hactenus cultus diuini forma extitit. Protestantes igitur cultus Ecclesiastici Reformationē inire si volūt; nō tertiā aliquā & nouā à semetipsis inuentā & excogitatā Numer. 20. Contra Faustum. Lib. 19. cap 11.

Reformatorum hodie officium quale sit.

institucre;sed veterẽ aliquã & Christianorũ propriã restaurare debẽt. Erit ergo eorum D
hac in parte officiũ,quale olim vel prophetarũ fuit Ieremiæ,Oseæ,Amos,quũ Synago-
gæ corruptelas taxarẽt,vel pientissimorũ Regũ,Ezechiæ,Iosaphat,Iosiæ qui collapsum,
atque extinctũ penitus per Reges Idololatras prædecessores ipsorũ diuini numinis cul-
tũ diligẽter restaurarũt. Illi autẽ prophetę non vniuersam Synagogæ formã abolendã
existimarũt,quę in tẽplo Hierosolym.obseruabatur,(Nã aliud est de aliis prophetis qui
Israelitarũ in Samaria cultus prorsus idololatricos penitus dãnarunt)sed corruptelas tã-
tum,& superstitiones taxarũt quę irrepserãt:idq; magis ex parte personarũ & sacerdo-
tũ ipsorũ qui rebus sanctissimis turpissimè abutebãtur ad quæstũ,& ad hypocrisim,quã
ex parte rerũ & cultus ipsius qui satis integer adhuc erat,iuxta legẽ Moysaicã:quemad-
modũ etiã Reges prædicti nõ nisi iuxta exẽplar legis quod à sacerdotibus acceperant;
nihil verò nouũ,nihil propriũ inuexerũt;eodẽ sanè modo horũ temporum reformato-
res si tales esse de facto volunt,sibi quoque faciendũ esse statuere debent. At veterem,
inquam,Christianæ Ecclesiæ formã suam instituere & formare reformationẽ oportet.
Et quidẽ præclara huius rei in veteri populo exempla occurrũt,vbi non solũ stante ad-
huc tẽplo sed cessante cultu , restauratio per pios Reges supra nominatos facta est; ve-
rum etiam vbi euerso penitus tẽplo atque deiecto, idem tamen de nouo reædificatum
est,totusque cultus legitimè restauratus,vt à duce Zorobabele,& Nehemia post reditũ
à captiuitate Babilonica,ac postea à Iuda Machabæo post cæsos Antiochi duces.Quã-
ta autẽ religione,quanto studio in tam varia reformatione,laboratũ fuit ne vel latũ vn-
guẽ à veteri forma per Moysem pręscripta recederetur,nihil nouum institueretur,vete- E
ris illius populi historia luculenter ostendit.4.Reg.18.& 23.2.Paral.17.& 29.Esdræ 2.ca.
8.& seq.1.Mach.4. & seq. Hęc opinor exẽpla si Reformatores esse volũt, imitari debẽt.

Prophetæ veteres & Reges quomodo Synagogam reformarunt.

Videamus ergo quã tandẽ formã veterem in hac sua reformatione sequi voluerint,
& ad quod exemplar, ad quẽ typum præcedentẽ deformatã hanc Ecclesiastici cultus
faciẽ reformare & recorrigere,planèque restaurare conati sint. Protestãtes sanè initio
huius infausti schismatis,quemadmodũ in doctrina fidei nõ nisi recẽtiora hæc tẽpora,
& nominatim primò Conciliũ tantũ Constãtiense dãnarunt,sic & in quęstione de cul-
tu externo,de vsu sacramentorũ,de ritibus ac ceremoniis Ecclesiasticis,non nisi poste-
riorũ horũ tẽporum ac seculorũ superstitiones taxarũt.Veterẽ verò illam Ecclesiã quę
primis quingẽtis aut sexcẽtis annis floruit,debita veneratione amplecti,colere , & ob-
seruare tã in doctrina fidei , quã in ratione cultus atque regiminis præ se tulerunt; siue
quia quas in doctrina & cultu corruptelas vocãt , illis primis seculis nondum receptas
fuisse aut certè ex illorũ temporũ historia cõstare nobis tã clarè non potuisse initio exi-
stimabãt;siue vt hac moderata posteriorũ tantũ tẽporum reprehẽsione, & Antiquitatis
prætensa veneratione,non solũ imperitũ populũ , sed & graues præterea ac doctos vi-
ros & sedata quædam ac magna ingenia in suarũ opinionũ nassam pertraherent. Itaq;
Caluinus quemadmodũ de doctrina fidei dicit , *merito veteres illos patres Tertullianũ, Opta-
tũ, Irenæũ, August. argumẽto successionis contra suorũ temporũ hæreticos vsos fuisse, quia extra cõtro-
uersiã erat nihil à principio vsque ad illã ætatẽ mutatũ fuisse in doctrina*: sic etiã de cultu ac regi- F
mine Eccles. dicit, *veteris Ecclesiæ formã diuinæ institutionis imaginẽ quandã oculis nostris repræ-
sentare, ideoq; illorũ temporũ Episcopos tametsi multos canones ediderũt , quibus plus viderẽtur expri-
mere, quàm Sacris literis expressum esset, ea tamẽ cautione totã suã œconimiã cõposuisse ad vnicã illam
verbi Dei normã, vt facile videas nihil fere hac parte habuisse à verbo Dei alienũ.* Hæc ille.Moxq;
Hieronymum testẽ producit,vt de quo tẽpore veteris Ecclesiæ loquatur,certius intel-
ligamus.Deniq; & eodẽ ca.§.3. *Gregorij primũ tẽpore ab antiqua puritate multũ degenerasse Ec-
clesiã scribit*:quẽ etiã Põt.(qui sexcẽtesimo post Christũ anno sedit)*vltimũ* vocat *Romanũ
Episcopũ hoc nomine dignũ* lib.eodẽ c.17.§.43.Cui & Melanchthõ cõsentit qui eundẽ Gre-
goriũ *pereuntis Theologiæ præfultorẽ vocat, qui infælicissimi seculi casum quoad potuit scribẽdo do-
cendoque sustinuit*.Ad hanc etiã sententiã satis multi accedunt Protestãtes,qui Bonifaciũ
3.huic Gregorio(excepto Sabiniano qui sesquiãno tantũ intermedio sederat)proximũ
successorẽ primũ Antichristũ faciunt,& defectionis in Ecclesia quã supponũt,primum
Authorẽ.Tales autẽ sunt Henricus Pantaleõ in sua chronographia,qui hunc Bonifaciũ
3.primũ Papã & primũ summũ Pont.vocat:Ioannes quoque Foxus Anglus in suo Mar-
tyrologio idẽ notat.Deniq;non solũ Melanchthõ in Apologia Cõfessionis Augustanæ
& libro de Ecclesia,sed & nuperrimè Martinus Chẽnicius in examine vt vocat decre-
torum

Vnde Protestantes Reformationis initium sumant.

Protestantium vel crassa ignorantia vel dolus malus.

Instit. lib 4. cap.2.§.3.

Lib. eodem. cap.4.pa.1.

In orat. de corrigendis studiis.

A torum Conc. Trid. in Cap. de Sanctorum cultu, Inuocationem Sanctorum, orationem pro defunctis, Missæ vocabulum & vsum sub hoc Gregorio primo exorta primum & introducta fuisse affirmat. Postremò adeò hoc præ se ferunt sanè Protestantum principes & signiferi vt ante annos iam octodecim plus minus pseudoepiscopus quidam Sarisburiensis in Anglia pro concione Londini præsente Senatu Regio totáque nobilitate, semel atque iterum Catholicos in vniuersum omnes ad veteris Ecclesiæ formam atque doctrinam prouocauerit, idque adeò vt propositis Articulis 27. stipulatus fuerit se Pontificiæ doctrinæ statim velle subscribere, si ex illis omnibus vnus aliquis vno aliquo vel testimonio vel exemplo veteris Ecclesiæ vsque ad annum sexcentesimum confirmari posset: quę arrogantissima prouocatio multis postea piis atque Catholicis libellis Louanij scriptis, atque vernacula Anglorum lingua editis occasionem dedit.

Vanissima Superintendentis cuiusdam Angli Prouocatio.

Hæc ergo tam constans aduersariorum præscriptio & veteris saltem illius Ecclesiæ veneratio, etsi propter posteriora secula, damnata multis nominibus est iniqua, vt olim copiosè demonstrauimus; tamen hoc sanè nomine est æquissima & merito complectenda, quòd saltem formam aliquam Ecclesiæ Christianæ agnoscit, eámque sanè temporis haud dubiè florentissimi, & ab omni corruptionis labe alienissimi, ad cuius normam & exemplum, desiderata hæc tantopere & prædicata Reformatio institui possit ac debeat. Nostrum itaque nunc erat ea quæ hodie à Reformatoribus istis tanquam
B deformia damnantur, ea quæ nunc superstitiones, corruptelas, idololatriam in cultu ecclesiastico vocant, puta templa, altaria, sacrificia, sacra vasa & ornamenta, incensa, luminaria, ferias, ieiunia stata, memorias & imagines diuorum, ipsum Sacrosanctæ Missæ vniuersum ritum & modũ, Sacramẽtorũ numerum, materiã & formã singulorũ, vsus & ritus circa singula, denique alias ceremonias quascunque vel necessariò in religionis vsum assumptas, vel certè vtiliter hodie receptas, ostendere & demõstrare apud veterem illam ecclesiam in vsu etiam christiani cultus recepta fuisse; vel si qua recepta adhuc eo tempore non essent, ex illius Ecclesiæ doctrina ostendere, recipi saltem ea nõ incommodè postea potuisse; vel denique meliori cæpto consilio ea temerè recepta prudenter deserere, omniáque ad illius Ecclesiæ faciem & formam quanto id exactius fieri posset, restituere & restaurare, vt ita tandem pax aliqua in his tantis dissidiis & de religione certaminibus coalesceret.

In Apologia recentiorum Ecclesiæ inter Orationes nostras olim editã.

Sed vniuerso hoc demonstrandi & probandi labore & onere ipsi nos aduersarij infœliciter liberarunt; atque ab hac tota futuræ reformationis & concordiæ spe iidem ipsi nos deiecerunt. Quamobrem inquies, aut quo tandem istud modo? Quia sanè in hac sua sententia nullo modo persistunt, nec pro eo quod sentiunt loquuntur, sed planè vt dici solet, ad populum phaleras. Quantumcunque enim sic in genere interdum loquantur, tamen cùm de certa aliqua cultus Ecclesiastici parte quæ illis displicet, dispu-
C tatur, & veteris illius ecclesiæ vsum, praxim, & testimonia contra ipsos manifestè facere animaduertunt & proferri audiunt; mox priorem stipulationem nihil morati, excipiũt; nihil esse in religione & cultu admittendum, quàm quod vel Christus ipse verbo suo mandauit & Euangelistæ retulerunt, vel Apostoli ipsi accepto ab illo mandato instituerunt. Veterem verò Ecclesiam in hoc genere grauiter peccasse, etiam statim post Apostolos, quòd ritus Iudaicos atque etiam ethnicos præpostera quadam κακοζηλίᾳ, in cultu christianæ religionis vel residere passi sunt, vel ipsimet introduxerunt.

Protestantium tergiuersatio & fœda contradictio.

Sed vulgus fortasse Protestantum & crassiores zelotas hoc facere dixeris; magnos autem illos viros & præcipuos reformatæ religionis assertores, à veteris Ecclesiæ consensu, praxi, Authoritate atque à priore sua assertione minimè recedere. Imo sanè & illi ipsi hoc potissimum & quidem perpetuò faciunt; quorum exempla alij symmistæ diligenter sequuntur. Caluinus enim ipse qui ita veterem Ecclesiam laudat, vt lectorem in ipso disputationis limine more suo inescaret, (quod in multis aliis primariis fidei quæstionibus in illa sua institutione facit) mox vt se premi videt, eam prorsus renũciat, quasique dato libello repudiat. Et videte obsecro quàm parum verecundè, quàm non rarò id faciat. In quæstione de oratione publica pro defunctis habenda, quæ illustris admodum est in Ecclesia christiana ceremonia, sic scribit. *Cum mihi obiiciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vsu hoc receptum fuisse, Respondeo veteres illos hac in re & mandato Dei & legitimo exemplo destitutos fuisse, abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ dederunt.* Hæc ille. Rursum de pœnitentiæ & satisfactionis forma disputans;

Caluini astutia.

Veteris Ecclesiæ forma à caluino repudiata.

Institut. lib. 3. cap. 5. par. 10.

Lib. eodem cap. 4. par. 38.

Parum, inquit, *me monent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere ac durè loquutos.* hæc rursum ille: nempe paulò antè dixerat, *dupliciter illos modum excessisse.* libro eodem cap.3.par.16. Eadem audacia reseruationem ven. Eucharistiæ quum apud vetustissimos patres in vsu fuisse negare non posset, *habent*, inquit, *veteris Ecclesiæ exemplum, fateor: sed in re tanta nihil tutius est quàm ipsam veritatem sequi.* Hæc ille, Institut. lib.4. cap.17. parag.39. móxque eodem capite parag.43. de aliis circa tam venerabile Sacramentum ritibus disputans, vt de pane azimo, de ostensione seu eleuatione, & similibus. *Si quis*, inquit, *vetustate tueri huiusmodi inuentiones velit, nec ipse ignoro quàm vetustus sit Chrismatis & exufflationis in Baptismo vsus, quàm non longè ab Apostolorum ætate Cœna Domini tacta rubigine fuerit: Sed isthæc scilicet humanæ confidentiæ procacitas est, quæ se continere nequit quin semper in Dei mysteriis ludat & lasciuiat.* Hęc ille. Videtis, opinor, quantū veteris Ecclesiæ formę, praxi & ritibus in religione receptis deferat, qui illa omnia humanæ confidentiæ procacitatē, ludúmque & lasciuiam in Dei mysteriis vocat. Quid verò, quòd in tota illa sacratissima liturgiæ Christianę actione, quā Missam vetustissima nūcupauit Ecclesia, veterem illā Ecclesiā prorsus damnat? Ait enim. *Sed & veteres quoq; illos video aliò hanc totā passionis Dominicæ memoriam detorsisse, quàm institutioni Domini conueniebat. Quin & in actionis modo peccauerunt. Imitati sunt enim propius Iudaicum sacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Christus, aut Euangelij ratio ferebat. Non contenti enim simplici ac germana Christi institutione, ad legis vmbras nimis deflexerunt.* Hæc ille. An iste ergo reformator tantus, vel Reformatorum potius magister ac Dictator quidam supremus, veteris Ecclesiæ formam ac typum in hac sua reformatione sequi velle, aut aliquo loco habiturus esse, videri vobis auditores potest? E

Caluini procacitas in veterem Ecclesiam.

Instit. lib.4. cap 18. par.11.

Sed non est hoc huic homini singulare, nec solus hac in re sic sapit. Alter quoq; primarius huius prætēsæ Reformationis architectus Philippus Melanchthon veteris ecclesiæ formam non minus reiicit atq condemnat. Ait enim. *Statim initio Ecclesiæ scriptores veteres obscurauerunt doctrinam de iustitia fidei, & auxerunt ceremonias, & finxerunt esse peculiares cultus, fuerunt duriores quàm oportuit in præcipiendo cœlibatu: miscuerunt adhuc aliquam verecundam inuocationem mortuorum.* Hæc ille. Rursum Comment. in 3. cap.1. Timoth. *Multum*, inquit, *stipularum (quæ contagia opinionum Apostolus nominat,) Augustinus & alij sancti super fundamentum extruxerunt circa ceremonias.* Idem docet ac repetit in locis com. in titulo de Ecclesia.

Melanchthon vet. eccl. formam repudiat.

In comment. ad 1. Cor.3.

Sed quid vnius aut alterius hac in re mentem referimus? Magni illi Magdeburgenses Centuriastæ Reformatorum principes, euidenter ostendunt veteris Ecclesiæ formam in hac sua reformatione minimè gentium sibi arridere. In singulis enim Cēturiis etiam primis illis post Christum natum, quemadmodum in capite quarto quod est de doctrina, vnum articulum habent de *Inclinatione*, vt vocant, *doctrinæ*, in quo vetustissimorum Patrum consentientes sententias de rebus hodie in fide controuersis pro erroribus, næuis, & stipulis illius ætatis diligenter notant; ita quoque in cap.6. de ceremoniis & in cap.7. de gubernatione Ecclesiæ, illorum temporum errores circa cultus diuini formam commemorant; idque sanè tanta diligentia, vt *mysteriū iniquitatis* de quo Apostolus 2.Thess.2. loquitur, in ipsis primis Episcopis, Patribus, & Magistris Ecclesiæ, maximè Romanæ perpetuò operatum fuisse ab Apostolorum vsque ætate ad nostra hæc tempora hoc ipso nomine ostendant. Aiunt enim Centur. 2. cap.6. *quosdam Episcopos rerum habenis potitos simplicem & vulgarem consuetudinem immutasse; Etsi autem in aliis quoque Ecclesiis aliquæ accesserunt ceremoniæ & traditiones, tamen nusquam plures, quàm in Ecclesia Romana accessisse reperiuntur.* In capite 7. eiusdem centuriæ Episcopatus præsidentiam supra presbyteros eorum temporum mutationem fuisse asserunt, & Ignatij antiphonas, aliásque permultas ceremonias apertissimè damnant, partim vt friuolas, partim vt superstitiosas, partim etiam vt cum scriptura pugnantes. Eodem modo in 3. Centuria eisdem capitibus errores notant, ex Tertulliano, Cipriano, & ex Episcopis Romanis illius ætatis circa ceremonias. At verò in 4. centuria sub cuius initio sub Constantino illo Magno primo Imperatore Christiano, (qui quidem religionem christianam legibus & armis tutatus est) florentissima fuit Ecclesiæ forma ac facies, & doctissimorum Ecclesiæ luminum fœcundissima, Athanasij, Hilarij, Optati, Basilij, Nazanzeni, Hieronimi, Ambrosij, Chrisost. Epiphanij, Cyrilli, Theodoreti, Augustini, & aliorū sanè F

Idem faciunt Magdeburgenses.

quam-

A quamplurimorum, videte quæso quam censuram Centuriastæ de eius forma scripto reliquerint. Cap.6. quod est de ritibus & ceremoniis sic scribunt, *de ceremoniis hoc primum in genere lectorem monemus, vt attentè conferat cum superioribus seculis, & obseruet quantum hoc seculum à primitiuæ Ecclesiæ simpliciori statu degenerauit: cumulatis & in Ecclesiam inuectis tum gentilium, tum Iudaicis ritibus, & subinde aliis atque aliis, ex inscitia, superstitione, κακοζηλία, traditionibus humanis excogitatis, approbatis, & vsu receptis.* Hæc illi. Hac denique de causa Confessio Heluetica ab vniuersis penè sectæ Caluinisticæ conuentibus subscripta, & quidem modestissimè concepta, temperare tamen sibi non potuit, quin hanc suam sententiam etsi ciuilius aperiret. De Missa enim in qua religionis nostræ præcipuus cultus est, sic scribunt. *Missa qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis modo non disputamus.* Apertè intolerabilem dicere nolunt. Ab eius forma tamen sibi recedendum esse necessariò putant. Quare illa prioris argumenti pars à D. Quodlibetario proposita, qua ad veteris Ecclesiæ praxim hæc prætensa reformatio instituta dicebatur, quàm nunc variè & mendaciter, addo etiam astutè & fallaciter, à Reformatoribus istis apud imperitum populum iactitetur, facilè mecum omnes perspicitis.

Nunc verò hac admirabili Reformatorum sententia perspecta, qua & veterem quoque illam Ecclesiam, superstitionibus & corruptelis turpiter deformatam fuisse affirment, quæ tandem erit illa forma, quæ cultus Ecclesiastici facies, cuius puritas atque integritas, integerrimis istis reformatoribus placere queat? Quid? nulla hactenus in
B Ecclesia Christi, Ecclesiastici cultus legitima forma extitit? nihil sanctum nihil purum in toto cultu atque politia externa hactenus Ecclesia habuit? *Habuit*, inquiunt, *primitiua illa Ecclesia ipso Apostolorum tempore purissimam tum in ritibus, tum in politia diuini cultus formam. Sed statim post Apostolos obliterata deleta, & abolita illa tota forma est.* Hui tam cito? Sed hoc nunc omittamus, dicturi mox postea plura. Rogo interim, quæ saltem illa primitiua, puta pura, & primò prima forma, ita vnicè vobis placens, tam cito deperdita, tam infœliciter Ecclesiæ Dei statim erepta fuit? Hic respondent. *Simplices & veras ceremonias à Christo institutas, Apostolos diligenter obseruasse.* Audio. Sed has à Christo institutas & ab Apostolis obseruatas qui tandem vobis constat à reliqua Ecclesia neglectas fuisse, aliásque humanas traditiones, quibus Deus frustra colitur, earum loco, vel vnà cum illis inuectas fuisse? *Quia*, inquiunt, *quas Christus instituit vel etiam Apostoli postea ad ædificationem & bonum ordinem atque decorum seruandum ordinarunt & obseruarunt* (hoc enim etiam aliqui reformatores concedunt, vt Magdeburg. Cent.1. lib.2. cap.6. sed addunt *liberè ordinatas, & liberè obseruatas illas fuisse*, vt sanè si fortè Reformatoribus istis etiam illæ propriè Apostolicæ displicuerint, liberè eas deserere, & abolere possint:) *illæ omnes in noui testamenti historia & rebus gestis comprehenduntur, reliquæ non comprehenduntur: ideóque à Christo vel Apostolis neutiquam profectæ fuisse censebuntur.*

Postrema Protestantium sententia de sua reformationis forma.

C Admirabilis hæc sanè est & altissimè petita Reformatorum præscriptio, quam tamen neque omnes admittunt. Nam alij præclari quoque Reformatores, maximè Geneuensis scholæ discipuli, ne quidem Apostolis ipsis hanc potestatem cōcedunt, quam Magdeburgenses Lutheranos concessisse modo audiuistis. Ait enim eorum primus Archididascalus. *Nempe si Apostoli sunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, sed mandata eius à quo missi sunt bona fide perferant.* Hæc ille Instit.lib.4.cap.8.par.4. satis opinor pro imperio, satis Aristarchicè. Itaque iuxta hanc supremi Magistri doctrinam, docent constanter discipuli, *Apostolis hoc tribui non posse sine iniuria Christi*; Sic enim tradunt libelli anonymi Caluinistarum Lugduni gallicè excusi, & illa potissimum Apologia quæ contra Franciscum Balduinum à quodam apostata Carmelita magno impetu effusa est: in qua sanè author, reformationis futuræ normam ac regulam, ipsius D. Lucæ Euangelij limites excedere non patitur. Ipsum enim vniuersa plenius cōprehendisse quę Christus docuit, instituit, fecit. Erit ergo hæc reformatio adhuc paulo altius, vt videtis, repetita.

Caluinus etiam contra Apostolos præscribit.

Sed nunc tam hæc quàm illa altera de solo Apostolorum tempore præscriptio, quot modis & quantis nominibus absurda sit nonnihil dispiciamus. Quod etiam dum facimus, alteram prioris argumenti partem dissoluimus. Primū omnia quæ ad ceremonias & politiam Ecclesiastici cultus pertinent à Christo viua voce mandata fuisse, est audacissimorum hominum sine vlla probatione impudens assertio. Sane Christus ipse apertissimè dicit omnia se non dicere Apostolis, *quia omnia portare non poterant*. Ioan.17. Deinde vt concedamus omnia & singula Christum ipsum viua voce mandasse, tamen illa

Quòd Reformationis linea nec ex solis Scripturis nec à solo Apostolorum tempore ducenda est.

omnia & singula ab Euang.& Apost. scripto mandata fuisse,& ipse Euang. Ioan.in fine D
sui euangelij apertis verbis,& ipse Apostolus Paulus 2. ad Thess.2. iubens *teneri traditiones, tam per sermonem traditas quàm per epistolam scriptas*, luculentissimè negant. Vt taceam quod apostolus Paulus, cùm pauca quædam circa ritus in cœna Dominica obseruandos ad Cor.scripsisset,adiecit. *Cætera cùm venero disponam.Vnde intelligi datur*, (Ait Augustinus) *multum fuisse Vt in illa epistola totum illum agendi ordinem insinuaret Apostolus,quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia*. Iam verò Apostolos ipsos omnia sanè huiusmodi instituisse & ordinasse,concedi fortasse non absurdè potest.Sed(quod obseruare isti Reformatores debent,sed nolunt) aliud est ordinare & instituere, aliud obseruare & executioni mandare.Quæ enim Apostoli statim ab Ecclesiæ initio circa cultum externum præscripserunt,ea statim publicè obseruari ab ipso initio non potuerunt. Non abnuerim sanè Apostolos ipsos aut certè Apostolicos viros,vt Episcopos ab eis ordinatos vel alios 72. discipulos (quid enim obsecro absurdi erit,illos viros in religionis cultu & politia ex Spiritus Sancti suggestione ordinare potuisse,quibus etiam datum est euangelia ipsa conscribere,vt Marco & Lucæ qui Apostoli non erant,maximéque ipsi Paulo tot epistolas scribere, qui de numero etiam duodecim aut Christi in terris discipulus nunquam fuerat?) ea omnia circa cultum & politiam ordinasse,quę postea vniuersa vniuersaliter & necessariò obseruat Ecclesia.Dico vniuersaliter & necessariò, quia diligenter tam in cultu quàm in politia hæc distinctio seruanda est.Primum alterius generis esse, minúsque vel obligare, vel etiam ex seipsis necessaria esse, quæ aliqua certa regio obseruat; alterius vero magísque obligare quæ vniuersa per orbem celebrat,& frequentat Ecclesia.Rursum alia esse que ad ipsam cultus aut politiæ substantiam atque essentiam pertinent.Vt in cultu sacramenta ipsa, ipsorum materiam, formam,ministrum, Sacrificium quoque christianæ Ecclesiæ proprium.In politia Episcoporum & Sacerdotum ordinationem,potestatem,functionem.Hæc enim tanquam planè(vt ita loquar)essentialia Christus Dominus(in quo erat omnis potestas eminenter & excellenter,) ordinasse & instituisse creditur. E

1.Cor.11. Epist.118.

Variæ distinctiones in cultu & politia Ecclesiæ obseruandæ.

Alia verò esse etsi non ad ipsam essentiam & naturam rerum harum pertinentia , tamen ad ipsam integritatem,& bene esse,necessariò quoque vel necessitate finis vel necessitate præcepti spectantia.Hæc Apostoli vel Apostolici viri instituisse creduntur,neque immutari possunt, iuxta Augustini & Cypriani doctrinam. Alia demũ sunt, quæ ad ædificationem præsentem,ad ornamentum & decorem faciant. Hæc sanè vel ab Apostolis instituta sunt, vel ab aliis postea Episcopis & maximè Cōciliis seruata moderatione status & libertatis euangelicæ institui potuerunt.Quæ sanè omnia ab Ecclesiæ quidem succedentibus magistris liberę seruari aut aboleri possunt; vel causis ipsis primæuę institutionis cessantibus , vel quatenus sine periculo perniciosæ dissensionis abrogari poterunt.Ab ipsis vero ouibus nunquam sine pastorum mandato reiici aut contemni F possunt.Quamobrem valebit in hac causa nobilissima illa S.Augustini distinctio, velint nolint Reformatores isti,qua de hac re disputans,& de variis ceremoniis interrogatus respondet.*Ad hæc ita respondeo, vt quid horum sit faciendum. si diuinæ scripturæ præscribit Authoritas,non dubitandum .quin ita facere debeamus vt legimus.Similiter si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia.Nam hoc quin ita faciendum sit disputare,insolentissimæ insaniæ est. Tertium genus eorum est quæ per loca regionésque variantur.Faciat ergo quisque in istu quod in ea Ecclesia in qua venit, inuenerit; dummodo nihil aut contra fidem aut contra bonos mores fiat*. Hæc ille.De iis autem quæ toto orbe in Ecclesia frequentantur, in eadem epistola dicit cap.1. *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus,quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur,dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis,vel à plenariis Conciliis,quorum est in Ecclesia saluberrima Authoritas,commendata atque statuta retineri*. Hæc ille. Quæ ergo Apostoli ordinarunt, ea sunt quæ vniuersa Ecclesia obseruat,vtcumque illa in literis Apostolicis scripta non sunt.

August.de doct. christiana lib.3. cap.9. Et Cyprianus in sermone de ablutione pedum.

August. epist. 118.cap.5.

Et verò quemadmodum in doctrina fidei probant luculenter Catholici, nec Euangelistas nec Apostolos omnia scripsisse, ita multo maximè in hac quæstione cultus & politiæ vera illa proposito est. Nam de ritibus,ceremoniis,& gubernatione Ecclesiastica illustria illa testimonia vetustiss. patrum habemus, Dionysij Areopagitæ Hierarch. Eccles.cap.1.Origenis lib.2.contra Celsum, Eusebij Pamphili demonstrat.euang.lib.1. cap.6.S.Basilij in libro de Spiritu S.cap.27.Epiphanij hæresi 61.Chrisost.hom.1. in acta & in 1.Cor.11.homil.26. August.de baptismo contra Donat. lib.2.cap.7.& lib.5.cap.23.

De cultu & politia ecclesiastica, non omnia scripsisse Apostolis.

In quibus

A In quibus diligentiſſimè docent, non ſolum apoſtolos de facto plurima ſine ſcriptis ordinaſſe, ſed etiam grauiſſimis ex cauſis illud & ſtudio feciſſe. * Ipſa & loca & cauſas huc in medium afferre prolixum nimis eſſet. Illa ergo præclara reſtrictio de forma cultus & politiæ eccleſiaſticæ infra ipſos literarum euangelicarum & Apoſtolicarum cancellos comprimenda, quàm ſit vana & futilis, iam ſatis opinor oſtenſum eſt. *Prolata ſunt hæc omnia in Apologia Recētiores Eccleſiæ.*

Quid verò quod ipſi iſti Reformatores reſtrictionem illam nullo modo obſeruant? Nam vt taceam quàm multa in cultu & politia nobiſcum adhuc obſeruant Reformatores iſti etiam puriſſimi, vt diem Dominicum, alia præcipua feſta, templorum vſum, quadrageſimæ ſaltem aliqualem abſtinētiam, quorum nihil Apoſtoli ordinaſſe in Scripturis leguntur, illuſtre valdo eſt quod reformata illa Anglicana eccleſia quam Scotica confuſio in plærisque imitata eſt, & à Bucerana illa (vt videtur) Reformatione olim in Eccleſia Colonienſi ſed fruſtra tentata ortum accepit, tot & tantas habet nobiſcum ceremonias in cultu, tot officia in politia, vt in baptiſmo crucis ſignaculum, patrinos, profeſſionem fidei, abrenunciationem Satanæ, omnéſque illas veteres ſtipulationum & ſponſionum formulas; In cœna Domini panem azymum & geniculationes; In reliquo cultu pſalmodiam illam alternatē, cantus, organa, ſuperpellicij, & Cappæ geſtationem; Obſtreticum quoque in neceſſitate baptiſmum & ipſum baptiſterium eccleſiaſticum; In politia verò præter epiſcopos ſeu ſuperintendentes, & miniſtros abſque populari electione à ſolo Epiſcopo ordinatos, nec ſemper certæ alicui parochiæ aut curæ *Reformatores ipſi formam à ſe præſcriptam non ſeruant.*

B affixos, etiam Ahiepiſcopos, Archidiaconos, Officiales, Decanos, Canonicos, excommunicationem quoque illam non totius cōgregationis ſed ipſius epiſcopi aut eius ſubſtituti Authoritate factam; vt ſanè hoc ſolo nomine & propter iſtas in politia & cultu obſeruationes, nobilis quædam exorta ſit in Anglia & ampla ſatis Puritanorum ſecta, qui non verbo tantum ſed & ſcriptis libris quibus cęteri Reformati reſponderunt, (ſed replicantibus Puritanis, atque adeo poſt aliorum duplicationem iam nuper triplicantibus,) atque aperta diſceſſione vniuerſam illam Angliæ Reformationem penitus condemnarit, Reformatores iſtos Traditionarios non ſecus ac nos pronunciauerit, Antichriſtianiſmi denique ream proclamauerit: quo ſanè iure, ipſi inter ſe viderint. Neque enim adhuc inter partes litigari ceſſatum eſt, aut concluſi adhuc ſacculi, currente ſemper clepſydra. Vtrumque autem hoc Reformatorum genus reformatas iſtas Heluericas & germanicas eccleſias ſeſe ſequi clamitat. Proferúntque vtrique Petri Martiris, Bullingeri, Caluini, Muſculi, Brentij hac de re literas, iudicia, reſponſa, vtri verius viderint & ipſi. Interea pulchrum eſt hos bellos Reformatores tam bellè inter ſeſe de Reformationis modo conſpirare & tam ſuaui harmonia hoc ſuum canticum nouum concinere. *Puritanorum ſectæ in Anglia cauſa & origo.*

Sed vt ad noſtram quam quærimus Reformationem redeamus, illud nunc diligenter & attentè expendamus, quod veteris Eccleſiæ formam & prima illa eccleſiæ Chriſtianæ ſecula, Apoſtolos proximè ſecuta tam procaciter Reformatores iſti omnes reiiciunt. Videamus, inquam, quo iure id faciūt; videamus an illa potiſſimum forma neceſſariò præſcribere non debeat, ſi aliqua ſaltem cultus & politiæ quæ nunc in vſu ſunt reformatio ineunda eſt; videamus denique an Reformatio eſſe vllo modo poſſit, quæ illam formam non agnoſcit. Quæ tria dum breuiter expendo, diligenter quæſo aduertite. Multa enim quaſi argumentorum ſemina paucis verbis complectar.

C

1. 2. 3.

Dico igitur primùm nullo iure, & non ſine maxima contumelia, imo in Dei ſpiritum blaſphemia, illius ætatis & veteris eccleſiæ Chriſtianæ formam ab iſtis reformatoribus tanquam deformem repelli poſſe. Quid enim? An illa Eccleſia ritus Iudaicos aut ethnicos admittere potuit, quæ vna ne vel Iudaiſmus in eccleſiam inueheretur, vel ethnicorum ſuperſtitionibus vlla ex parte contaminaretur, aliquot ſeculorum perpetuas cruces & perſecutiones in tot mille martyribus pertulit? Quis neſcit in primo illo Apoſtolico concilio Actor. 15. diligentiſſimè contra ritus Iudaicos cautum & decretum fuiſſe? Cúmque paulò pòſt celeberrima illa de paſchate quæſtio agitaretur, nónne illorum opinio penitus reiecta eſt, quæ ad aliquem Iudaiſmum accedere videbatur? At verò cùm vtraque illa Pauli Apoſtoli ad Galatas & ad Hebræos Epiſtola contra Iudaiſmum maximè detonaret, eúmque penè prorſus expungeret, adeò cæca fuit proxima Apoſtolis Eccleſia vt Iudaicos ritus affectaret? Debuit quide non ſine honore ſepeliri Synagoga, & multa legalia etſi iam mortua non tamen adhuc mortifera *Quod vet. eccl. forma deformis eſſe non potuit.* *Quid Iudaiſmi non ſit rea vetus eccleſia.*

Epist.19. ad Hieroymum.
aliquandiu in conuersis Iudæis tolerare oportuit, vsque ad sufficientem Euangelij D
propagationem, ne sic à Iudaismo quemadmodum à gentilismo recessum fuisse videre-
tur, vt doctissimè disputat Augustinus, nihil ominus tamen tum propagato euangelio
Hieron.epist. 11. inter epist. Augustini.
amplius non sunt tolerata, tum etiam in prima ipsa Euangelij herba Nazarçi & Ebioni-
tæ, aliqua Iudaica superstitiosè & Iudaicè retinere volentes ab ecclesia illius temporis
pro hæreticis eiecti sunt. Dico superstitiosè & Iudaicè. Nam varij ritus apud Iudæos
fuerunt, non tamen propriè Iudaici, sed qui vel omnium temporum fidelibus com-
munes sunt, ideóque etiam christianis communes esse possint, vt illi omnes qui ad cul-
tum Dei ordinabantur, & non erant figuratiui: Alij vero tales, qui etiamsi nunc reti-
Hebr.10.
nentur, suntque figuratiui (quia adhuc sub imagine sumus futurorum) tamen ex diuer-
so fine & vsu, fiunt non Iudaici sed christiani: vt de festorum & ieiuniorum obseruatio-
ne eruditè distinguunt S. Hieron. in comm. ad Gal.cap.4. & Leo magnus sermone 4.
de ieiunio 7.mensis. Augustinus quoque contra Adimantum cap.16.

De ethnicismo purgatur vetus Ecclesia.
Epist.49.
Idem de ethnicismo etiam, quem illi Ecclesiæ obiiciunt Reformatores isti, dici co-
piosè potest. Docet sanè Augustinus templa, sacerdotes, sacrificia, *non ideo culpanda quia*
pagani illis vtuntur, sed quia Dæmonius non vero Deo exhibentur: docet porro sacrificium ex-
ternum non alia de causa à Dæmonibus expeti, quàm quia cultus est propriè diuinus.
De ciuit. Dei lib.10.cap.19. Et contra Faustum lib.20.cap.21.22. Imo sanè ostendit Ter-
tullianus habere diabolum suum baptismum, suam panis oblationem, suas virgines &
continentes in lib. de præscript. & lib.1. ad vxorem. Multa de hac diaboli æmula qua- E
dam diuini honoris affectatione scribit Hieron. lib.2. contra Iouinianum: multa etiam
Iustinus martyr in Apologia 2. Sed hæc omnia cùm dæmoniis exhibentur, noxiæ su-
perstitiones; cùm Deo, vera & salutaris religio sunt: vt in prædictis locis omnes isti Pa-
tres docent. Quæ ergo ista Reformatorum horum est non tam intemperies superba,
quàm etiam inscitia crassa, vetustissimæ Ecclesiæ propter religiosissimos in diuino cul-
tu ritus, Iudaismum & ethnicismum obiectare?

Sed agam succinctius. Illa vetus Ecclesia si in tota ratione cultus & politiæ ita turpi-
ter impegit & hallucinata est, vestro ó Reformatores iudicio, quidni pari censura om-
nes hæreses absoluitis, quas illa Ecclesia damnauit? Marcionitas, Manichæos, Sabel-
lianos, Valentinianos, Arrianos, & alia infausta nomina? Quid enim? habere illa Spiri-
tum Dei potuit, vt de sana doctrina iudicaret, vt autem rectè Deum inuocaret, piè
coleret, in legitima politia ageret, habere non potuit? Videtis opinor quantus hic mihi
dicendi campus aperitur, in quo excurrere posset oratio; si aut quæ vobis digna sint
ego dicere vellem, aut quæ causę dignitas postulat omnia percensere ac perurgere per-
gerem.

Sed transeo ad alia. Ecce Apostoli certas ceremonias, certam politiam instituerant:
ecclesias fundauerant; euangelium propagauerant. Quid vel cùm vix dum nata esset, F
mox euanuit, vel prius defecit quàm adhuc bene subsisteret Ecclesia? In certa inquam
diuini cultus forma, in certa & legitima politia subsisteret? Tempus enim libertatis in
statu Euangelico, etsi tollat seruitutem illam Iudaicam quæ erat sub signis non intelle-
ctis, qua tamen seruitute nec illi premebantur, quia saltem in genere intelligebant per
illa signa Deo se seruire, non facit tamen vt nulla habeamus signa, vt eruditè docet Au-
De doctrina christ. lib.3. cap.6. & seq.
gustinus, aut vt nulla sit certa & constituta tum cultus ecclesiastici tum etiam politiæ
forma, atque hypotyposis, qua à quacunque alia religionis specie euidenter distingua-
tur. Dico ergo. Hæc forma aut nunquam est visa, aut statim disparuit? Tot de Ecclesia
Christi per orbem terrarum propaganda & omnes gentes occupatura, in lege, in psal-
mis, & prophetis testimonia, tot prędictiones statim cum Apostolis ipsis perierunt? Ve-
tus est hæreticorum cantilena, *Totus mundus apostatauit, & apud nos solos remansit Ecclesia.*
cap.12.
Hæc Donatistarum vox fuit apud Augustinum, lib. de vnitate Ecclesiæ. Hæc Montani-
starum apud eundem Augustinum lib.32. cap.17. contra Faustum. Hæc Luciferianorũ,
qui *ecclesiam versam esse in lupanar* dixerunt teste Hieron. in dialogo contra illos. hęc Mar-
cionitarum teste Tertull. in præscript. Et denique quorum non? Sed respondemus cum
De vnit. Eccl. cap.vlt.
Augustino, *Nullo modo fieri potest, vt tam cito & ex tot gentibus peritura Ecclesia, tot testimoniis*
tam sublimiter & tam indubitanter prædicaretur. aut quod dicit Tertull. *vt hos solos liberanda*
veritas expectaret. Periit autem & Dei esse ecclesia non potuit, quæ relictis Apostolorum
institutis, nullam diuini cultus legitimam formam tenuit, sed superstitiosè, Iudaicè,
ethnicè

A ethnicè Deum coluit. Aut si tenuit illa ecclesia legitimam diuini cultus formam, quid ab illa forma, ô strenui Reformatores tam trepidè resilitis? At ô Deum immortalem, si illa vetus vera Dei ecclesia non fuit, atque ista posterior vestro iudicio multo minus, quæ vos Deo ecclesia genuit, aut cuius tandem ecclesiæ filij estis? Hic iterum quanto impetu mea in vos excurrere posset oratio, si suo iure vti vellet, facile opinor perspicitis.

Sed ad alia adhuc grauiora festinat; vt cùm nullo vos iure veteris Ecclesiæ formam repulisse ostenderit, id nunc consequenter ostendat, quam vos puri & spirituales homines pro fœda & deformi ecclesiastici cultus atque politiæ forma repulistis, illam esse potissimam formam & hypotyposim quæ necessario & vobis & nobis præscribere debeat, si sanctam aliquam & iustam reformationem inire volumus. Accipio autem hoc in loco illud 4. cẽturiæ seculum, sub cuius initio Constantinus ille magnus Christo nomen dedit; & quo currente seculo tot nobilissima Ecclesiæ Catholicæ lumina superius nominata floruerunt; cuius denique seculi tot & tantas superstitiones, κακοζηλίας, cumulatos Iudæorum & gentilium ritus, taxant & redarguunt Magdeburgenses. Dicô huius potissimum seculi formam, gloriosissimam & perfectissimam ecclesiæ christianæ formam fuisse, & multis de causis in Reformationis negotio præscribere debere. Quod dum breuiter sed euidenter ostendo, iterum quæso, diligenter aduertite. *Quòd veteris Ecclesiæ forma ad futuram Reformationem necessario præscribat.*

B Primum hoc demum seculo veteres illæ nobiles & illustres Esayæ, Hieremiæ & aliorum prophetarum prædictiones impletæ sunt, toto videlicet orbe terrarum saltem cognito, non solum ad Christi fidem tunc cõuerso, sed etiam tunc primum liberè & propalam gloriosum Christi nomen celebrante, & quicquid religionis christianæ erat, liberrimè dictis & factis, fide & cultu exercẽte. Quanta huius rei adferri testimonia possunt? Pauca tantum, sed ni fallor luculentissima breuiter notabo. Quo primum tempore Christianorum ecclesias aperiret toto orbe Constantinus, inter alias multas etiam de nouo extructas & dedicatas tunc ritu solenni ecclesias, illustris illa fuit Paulini Tyriorum episcopi dedicatio, in cuius encæniis in habita panegyrica oratione eleganti & prolixa (quam Eusebius Pamphili historiæ suæ ecclesiasticæ inseruit,) vt alia multa de illius tunc ecclesiæ florentissimo statu decantantur; ita inter cætera de impletis tũc primum veteribus prophetiis multa gloriosè referuntur, quæ hic certe commemorare iucundum fortasse sed nimis prolixum foret. Sanè multis prophetiis ex psalmis & Esaya prolatis, *vt ista*, inquit, *olim verbu diuinitus prædicta Sacris literis commendata sunt, sic euenta earum non amplius auditione sed reipsa nobis traduntur.* Móxque illud Aggæi prophetæ, *Maior erit gloria huius domus nouissimæ quàm primæ*, illo tum tempore adimpletum fuisse bis terve inculcat. Quam etiam prophetiam de Christiana Ecclesia suo tempore completam fuisse diligenter ostendit Augustinus de Ciuitate Dei, libr. 18. capit. 48. Sic Malachiæ prophetiam de inuocatione Dei in omni loco ab ortu solis vsq; ad occasum suo tempore expletam exprobrat Iudæis in oratione aduersus Iudæos tom. 6. Tantumdem quoque de aliis prophetiis suo tempore de florẽtissimo Ecclesiæ statu completis, variis in locis contra sui temporis hæreticos inculcat, de vnit. ecclesiæ cap. 14. & seq. contra Cresconium lib. 3. cap. 65. Tract. 1. in epistolam Ioannis. In lib. de Pastoribus cap. 8. Et in psalmos creberrimè. Idem facit Theodoretus hæretic. fabularum lib. 3. in fine. Chrysost. in demonstratione contra gentes quod Christus est Deus. Hieron. contra Luciferianos. Prosper promiss. & prædict. par. 3. cap. 36. & de vocatione gentium lib. 2. cap. 16. Hoc ergo primo seculo tota illa politia ecclesiæ christianæ, totus ille magnificus & purissimus veri Dei cultus qui totis ante trecentis annis vel in speluncis latitabat, vel in priuatis ædibus, aut certe paruis ædiculis (quas Dominicas vocabant,) obscurius celebrabatur; toto orbe ad Christi gloriam emicuit. Liberam enim & illustrem religionis christianæ formam, primùm sane ipsum templum hierosolymitanum cum suis adhuc ceremoniis superstes, deinde illo destructo perpetua fere persecutionum rabies, potissimum verò quod nundum prophetia illa impleta fuerat, *Erunt Reges nutritij & Reginæ nutrices tuæ*, hactenus impediuerat. Quod ergo Apostoli instituerant, nec dum vel propter Iudæorum infirmitatem vel propter gentium improbitatem executioni mandari poterat; sub hoc Constantino magno primum quasi sub Salomone exædificatũ fuit. Cuius etiam figura esse potuit illa Mosaicæ Synagogæ forma multis ante annis in deserto lata atque præscripta, quàm à Salomone extructo templo ad amussim obseruaretur.

Margin notes: Lib. 10. cap. 4. (beside "prolixa (quam Eusebius…"); Cap. 2. (beside "Maior erit gloria"); Cap. 1. (beside "Sic Malachiæ"); Esaie 49. (beside "Erunt Reges nutritij").

C

Neq; vero huius florentissimi seculi formã integerrimã non potuit non ipse Caluinus D

Caluini cõfessio de veteris Ecclesiæ forma.

ingenue agnoscere in ea epistola quam ad Illustr. Cardinalem Sadoletum scripsit, in qua quicquid ingenuitatis aut modestiæ habuit, ad virum doctissimum & eloquentissimum familiariter scribens declarare voluit. Ait enim. *Si veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Basilij, Augustini, Cyrilli monimenta exprimunt, & deinde ruinas quæ super sunt contemplemur, videri sanè potest, illam fuisse Ecclesiam qualis sub Dauide & Salomone floruit; hanc vero qualis sub Sedechia & Ioacim vitiata erat.* Hæc ille. Vt quid ergo ab hac tam illustri forma præclari isti Reformatores recesserunt, nisi quòd vel illa iam longe alia esse apparet, quàm initio huius schismatis & controuersiæ esse videbatur, (illius temporis exemplis & monimentis nondum tanta diligentia exploratis & explicatis) vel quod aliud præ se ferre apud doctos & magnos viros volunt, vt hac se arte in gratiam & fidem insinuent, aliud postea facere authoritatem iam & fidem semel adepti? Egregia sanè & totius Ecclesiæ Reformatoribus digna, vel inscitia, vel impostura.

Protestantum dolus malus.

Sed vt ad huius seculi formam redeamus, integerrimam sanè illam, & ab omni corruptella purissimam fuisse, vel hoc etiam demonstrat; quod cum tot illa ætate pestilentes hæreses exortæ, tot nefaria schismata nata fuerit, cultus tamen ecclesiastici & politiæ formam quæ tunc obtinebat, nec vlla hæresis in dubium vocauit, nec vllum schisma violauit. Ariani enim, Eunomiani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychetæ, Donatistæ, Pelagiani, Schismatici quoque illi Meletiani, Luciferiani, eodem planè ritu quo Catholici Deum coluerunt; eadem quoque politia vsi fuerunt, vt partim Augustinus in lib. de vera religione cap. 5. partim historia illorum temporum manifestè docet. E Quòd enim eo tum tempore Vigilantius sanctorum & reliquiarum cultum, Ærius stata ecclesiæ ieiunia, & orationes pro defunctis vellicare sunt ausi, doctrinæ adhuc magis quàm vniuersi cultus reprehensio & quæstio erat. Interim sanè si quis cœtus & conuenticula hæreticorum ferè omnium ingressus fuisset, nullam aliam externi cultus formam quàm quæ apud Catholicos omnes in vsu erat, conspexisset. Itáne vero Iudaici ritus, superstitiones & ethnicismi affectatio in ecclesiam illam tunc florentissimam irrepsit, quam tamen capitales illius ecclesiæ hostes non solùm non animaduertere potuerunt nec reprehendere ausi sunt, sed etiam pariter amplecti & venerari voluerunt? Sed infinita sunt illa absurda quæ ponere oportet; innumera sunt illa paradoxa quæ concedere necesse est; nec vllus fere blasphemiarum finis est quas agnoscere conuenit; vt hotum Reformatorum prætensa reformatio eam apud nos quam postulat fidem & authoritatem obtineat. Videte autem qualia.

Quot absurda & paradoxa sibi vleri concedi prætensa Reformatio postulat.

1. Primum in quæstione de Reformatione, de interioris hominis emendatione, de vitæ
ac morum sanctitate nihil disputandum est; quia ad iustitiam aut salutis necessitatẽ ista
2. non pertinent. 2. Ponendum est, Apostolos ipsos nihil aliud in cultu aut mandare, aut
admittere potuisse, quàm Christus viua voce mandauerat, & euangelistæ in scripta re-
3. tulerant. 3. Dicendum est, Si quid fortè illi per Spiritum S. ordinare potuerunt, &
4. illud quoque totum in illotum literis expresſè conscribendum fuisse 4. Concedendum F
est statim post Apostolos puritatem illam, seu euangelicam seu Apostolicam de-
formatam, obliteram, deletam fuisse. 5. Agnoscere nos oportet, nullam hactenus ne
5. quidem cùm maximè florebat religio christiana, legitimam ecclesiastici cultus atque
6. politiæ formam subsistitisse. 6. Dandum illis est, Ecclesiam statum vt in stabili aliqua &
illustri forma subsistere cœpit apostatasse; & mysterium iniqnitatis perpetuò vsque ad
7. Lutherum renatum operatum fuisse. 7. Permittendum illis est, vt abolita, abiecta,
& conculcata veteris cuiusque ecclesiæ forma, nouam ipsi formam instituant, partim
iuxta verbum Dei prout ipsi volunt intellectum, partim etiam præter & extra illud ver-
8. bum, quæcunque illi cultui vel politiæ conuenire existimauerint. 8. Negandum verò hoc totum est ecclesiæ præpositis, episcopis, pastoribus, doctoribus: & si quid illi vel ex sacris scripturis haustum, vel ab Apostolis traditum & hucusque conseruatum, in cultu & politia obseruent, vel si quid præterea ad ædificationem & decorem ipsimet instituant, dicendum est hoc totum esse traditiones humanas, quibus frustra colitur: Deus esse Iudaismos, ethnicismos, superstitiones, idolomanias, & quocunque demum nomine appellitare, aut crimine notare pro suo imperio & potestate libuerit. Hæc vt dixi omnia istis Reformatoribus danda & concedenda sunt, vt illi suam Reformationem statuant. Hæc nisi omnia concesseris, nihil illi egerint. Nam nec absque illis positis progredi

A gredi hoc pręclarum opus poteſt, nec illa probare & pro veris confirmare vllo vnquam ſeculo potuerint. Si quis ergo tam demens & excors, tam vel à communi ſenſu alienus, vel ſuæ ſalutis prodigus eſſe velit, vt hæc illis omnia ſua ſponte concedere & dare velit, fruatur ille ſanè, per me licebit, inſania non aliena ſed ſua: & reformetur magis ſemper ac magis, donec non in Euphorbum nec in porcum, ſed planè in Satanæ membrum, & atheon tandem penitus transformetur. Volo denique vt hoc ſanè ſenſu Reformatores habeantur iſtius reformatæ Eccleſiæ magiſtri & præcones. Imò ſanè non alio ſenſu Reformatores illos eſſe aut dici poſſe manifeſta ratio conuincit. Quod nunc tertio ac poſtremo loco breuiter oſtendam: hanc videlicet prætenſam reformationem quæ veteris illius eccleſiæ formam pro pura & legitima non agnoſcit, veri nominis reformationem nullo modo eſſe poſſe.

Hic ergo repetere mihi breuiter neceſſe eſt quod ſuperius explicatum dedi. Reformationem omnem formam præexiſtentem præſupponere, iuxta cuius normam, idæã, & exemplar inſtituatur reformatio. Hanc formam diuini cultus certam ſtabilem ac cõſtitutam, duplicem tantum hactenus in terris fuiſſe: Moſaycam & Euangelicam ſeu Apoſtolicam. Ceſſante autem penitúſque abolita Moſayca, retinendam eſſe Apoſtolicam. Hanc Apoſtolicam proximos Apoſtolorum ſucceſſores retinuiſſe, & florentiſſimum illud Eccleſiæ Chriſtianæ tempus ſub primis Imperatoribus Chriſtianis exactè *Quòd reformatores nullo modo eſſe poſſunt, qui veteris eccleſiæ formam non agnoſcunt.*

B obſeruaſſe, propter ea quę iam dicta ſunt, manifeſtum eſt. Qui ergo hodie hanc veterem formam tam procaciter reiiciunt, tam audacter repellunt, tam confidenter contemnunt; transformatores certè eſſe poſſunt, & tertiæ alicuius authores, Reformatores eſſe non poſſunt. Sicut autem tertius eccleſiæ ſtatus non eſt, ita nec tertia forma expectanda eſt; niſi fortè ad Antichriſtum hæc nos Reformatio ducat. Illius enim certè ſtatus quidam in terris erit illuſtris admodum & conſpicuus cuius etiam noua quædam erit & à Chriſtianiſmo plurimum diuerſa forma. Hanc illi ſi inſtituunt, apertè id & ingenuè dicant. Nos ſanè Chriſtiani tales formas exhorreſcimus, execramur, deteſtamur.

Sed cui tandem credibile videri poteſt, hos homines tam euangelicos, tantos verbi Dei zelatores, tam ſtudioſos reformatores, tale nefas in animum aliquando induxiſſe ſuum, aut etiã per occaſionem atque obliquè moliri poſſe? Sanè quid in animum induxerint, viderit ille ſolus καρδιογνώστης, Deus. Quid tamen moliantur, obſcurum eſſe nobis non poteſt. Planè tertiam formam cogitant, hactenus in Eccleſia nunquam receptam, ideóque vt Chriſtianam hactenus Eccleſiam funditus euertunt, ita Antichriſtianam egregiè ſtabiliunt. *Proteſtãtium reformatio qualis tandem ſit.*

Quod autem tertiam cogitent & ſtatuant, primum inde eſt manifeſtum, quia non ſolum præſentis ſed & vetuſtiſſimæ quoque Eccleſiæ fórmam repellunt. Deinde ex eo quoque liquidiſſimè conſtat, quòd non iam illorum prophetarum more qui olim in Iu-

C dæa corruptelas & ſuperſtitiones arguebant, ſed planè (quemadmodum etiam ſecundum D. Quodlibetarij argumentum oſtendit) illorum more qui in Samaria ipſa illicita ſacrificia & idololatriam culpabant, ſic eccleſiam iſti reprehendunt, accuſant, damnãt. Aiunt enim nos, ſiue Eccleſiam Romanam quæ nunc eſt, eundem ſtatum habere quem olim habuit Iſraël ſub Ieroboãm. Etſi enim multa religionis chriſtianæ monimenta apud nos maneant vt baptiſmus, Scripturæ volumen, vnius Dei & Chriſti inuocatio, in reliquo tamen idololatras nos eſſe, vt illi olim Samaritani ſub Ieroboam erant, retenta circumciſione, Lege Moſayca & vnius Dei cultu. Neque verò noſtræ tantum ſed & veteris quoque illius Eccleſiæ ſuperius defenſæ ſtatum ac formam Iudaicum & idololatricum fuiſſe. *Illos enim veteres Iudaicum ſacrificandi morem imitatos fuiſſe, & paſſionis Dominicæ memoriam aliò detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini conueniebat*, apertis verbis Caluinus ſcripſit vt ſuprà citauimus. Hoc verò ſuperſtitionis & Idololatriæ caput eſt, cuius nunc accuſatur Eccleſia. Sic Caluinus Inſtitut. lib. 4. cap. 2. par. 9. & ſeq.

Videte ergo obſecro Auditores & attendite. Eccleſiæ præſentis & veteris formam eodem loco habent, quo fuit Samaria ſub Ieroboam. At ea forma prorſus idololatrica fuit, erectis vitulis in Bethel quos populus adorabat. Prophetæ propterea, Elias, Micheas, Oſeas, Amos, qui contra eos vaticinabantur, non ſuperſtitiones & hypocriſim, ſed ipſam cultus ſubſtantiam in vniuerſum damnabant. Sic Elias. *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus ſequimini illum, ſi autem Baal ſequimini illum.* Sic alij eius tem- 3. Reg. 18.
poris prophetæ. Ieremias vero, Eſaias & alij qui contra Iudam vaticinantur, non ipſa ſa-

crificia & formam cultus reprehendunt, sed superstitiones personales, hypocrisim & D
auaritiam sacerdotum atque principum, aliáque populi flagitia taxant. In Iuda enim & Hierosolymis vera erat Synagoga: à qua propterea nec prophetæ illi recesserunt, cùm eam acerbissimè taxarent, nec Christus ipse veniens abhorruit, sed eam sua præsentia sæpius honorauit. Quod vtrumque Caluinus ipse agnoscit, & obseruat Institut. libr. 4. cap. 1. parag. 18. Docet quoque Augustinus contra Parmenian. lib. 3. cap. 4. & de verbis Domini serm. 18. In Israël verò vsque ad captiuitatem perpetua idololatria & schisma erat continuum. Quid ergo aliud agunt Protestantes hac sua comparatione proposita, quàm vt tam veterem Ecclesiam quam hodie Catholicam, magnum esse quoddam schisma populis persuadeant, nusquam vero Ecclesiam vetam substitisse aut certè orbi conspicuam fuisse? Sanè hanc ob causam tum templa Catholicorum non secus ac fana gentilium, tum sacerdotes Catholicos, non secus ac sacrificos Baal, Iouis & Martis, tum etiam Reges Catholicos non secus ac principes Paganos, & Ethnicos detestantur, exhorrent, & damnant. Hinc autem quid consequitur? Profectò vt abolita prius Mosaica, ac nunc reiecta Christiana Deum colendi forma, tertiam illi instituant, haud dubiè Antichristianam. Nulla enim alia tertia est.

Sed & alio hoc argumento luculentissimè ipsimet ostendunt. Volunt enim potius pro Apostolis aut Euangelistis nouis haberi, quàm pro prophetis. Initiò sanè sui schismatis prophetarum exempla & vocationem præ se ferebant; maximè illud Eliæ. Placuit enim valde illa trucidatio sacerdotum Baal quam Elias exercuit. 3. Reg. 18. Placuit quoque illud sacrificium extraordinarium sine mandato legis in monte Carmelo fa- E
ctum eodem cap. Sed quia hoc exemplum etiam veteres hæretici proferebant, Donatistæ apud Augustinum de vnitate Ecclesiæ cap. 12. & Ariani in opere imperfecto Chrysostom. titulo super Matth. homil. 1. & honorificentius, & suis rebus commodius existimabant, si Apostolorum potius sibi personas & officia assumerent. Itaque Caluinus re melius perpensa, hoc sibi non intrepidè affirmandum & ingenuè profitendum
Institut. lib 4. cap. 3. par. putauit. Postquam ergo docuisset, *Apostolorum officium fuisse, vt orbem à defectione in verum Dei obedientiam reducerent; Euangelistas quoque officio illis proximos esse; adeóque vices eorum gerere; hos quoque ad id modo tempus institutos esse, quo erigendæ erant Ecclesiæ, vbi antea nullæ fuerant;* subiungit; *Quanquam non nego quin Apostolos postea quoque, vel saltem eorum loco Euangelistas interdum excitarit Deus, vt nostro tempore factum est. Talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit.* hæc ille. Videtis manifestè quid de se suisque similibus iudicet, qualéque officium sibi suisque hodie tributum esse censeat. Sanè vt sint huius ætatis Apostoli vel saltem Euangelistæ. Idem planè etsi verbis non ita apertis docet Brentius in prolegomenis. Et Musculus in locis com. in titulo de Ecclesiæ ministris. Quid vero putamus? An Apostoli Christum Iudæis & gentibus prædicantes, vel ipsum Iudaismum vel gentilismum reformare sese aiebant? An non planè clamant se
Gal. 5. omnia noua facere, vetera abolere: Non clamat Apostolus. *Si circumcidamini Christus*
Hebr. 7. *vobis nihil proderit?* Non repetit iterum, *translato sacerdotio translatam quoque esse legem?* & F
sexcenta huiusmodi? Vt quid ergo isti, noui Apostoli Reformatorum titulo sese ornãt,
Matth. 10. Act. 20. nisi quia *sub ouium pelle veniunt lupi rapaces, vt abducant discipulos post se?* Probè sciebant homines iam christianos alios Apostolos non agnoscere quàm illos à Christo specialiter missos; vel certè illos quorum prædicatione ad Christi fidem ex paganismo olim, & primò conuersi fuerant. Noluerunt ergo se Apostolos dicere, & translationem sacerdotij aut religionis apertis verbis prædicare: Reformatores haberi volunt & reformationem Ecclesiæ instituere sese verbo tenus aiunt. Mox tamen quum apostolos vel saltem Euangelistas esse alibi scribunt, in suis mendaciis non satis memores, suis se verbis & suo se iudicio vt sorices produnt. Non est ergo in re manifestissima pluribus agendum. Concludam igitur. Si qui hodie Ecclesiæ sese Reformatores esse venditant, & Ecclesiam reformatam vocant, seruata totius corporis vnitate & ordine, communi consilio & studio in aliquam Reformationem vnà cum Ecclesiæ præpositis & doctoribus incumbere voluissent; si de interioris hominis expurgatione & renouatione, quæ totius reformationis religiosæ fundamentum est, sanctè & christianè inquirere eorum doctrina sustinuisset; si veteris Ecclesiæ formam, exemplum, praxim, in hac diuini cultus & politiæ reformatione agnoscere, amplecti, sequi, dignati fuissent; si denique non ipsam religionis Catholicæ substantiam tollere, sacrificium Christianorum abolere,

A abolere, Sacramenta negare, Ordinem & politiam prorsus confundere, & exturbare; sed abusus vel superstitiones quæ circa eadem variis in locis crassa pastorum negligentia irrepserunt taxare,& corrigere decreuissent; eorum sanè nec studia reprehendisset, nec consilia repudiasset Ecclesia Dei Catholica; sed communibus animis tam pium Reformationis opus studiosè amplexa, & persecuta fuisset, idémque iamdudum haud dubiè ad fœlicem exitum perduxisset. Nobis quoque hoc ipso loco ac tempore de hac Reformatione ineunda, grauiter & diligenter cum illis disputare atque conferre, singuláque eius partes in specie tractare & expendere periucundum fuisset.

Nunc autem cùm pestilentissima illorum doctrina interioris hominis Reformationem negligat prorsus,vt minimè ad salutem necessariam; cùm facto grauissimo & horrendo schismate non cum Ecclesia & in Ecclesia deliberare, sed de Ecclesia extra Ecclesiam censuram & iudicium ferre ausi sunt; quum veterem Ecclesiam nō minus apertè quam præsentem taxare,accusare,damnare non sint veriti, idque ætate & seculo florentissimo agnitam atque receptam; quum ipsam religionis orthodoxæ & cultus diuini substantiam, totúmque quasi corpus conuellere conati fuerint; cum denique pro nouis Apostolis, vel vt minimùm Euangelistis haberi voluerint: sequitur profectò euidentissimè, non esse illam quam loquuntur & prædicant Reformationem, sed Transformationem; nec hos homines Reformatores sed Transformatores vocandos & ha-
B bendos esse; omnium planè qui vnquam extiterunt vt audacissimos, ita etiam pestilentissimos. Isti enim sunt qui *Euangelizantes aliud præter id quod accipimus, in aliud Euangelium transferre nos volunt, quod non est aliud: nisi quod conturbare nos volunt & conuertere Euangelium Christi.* Gal.1. Ideóque meritò illis *Anathema* dicit omnis Ecclesia Sanctorum.

Dixi.

Contra prædicta D. Præses Quodlibetarius hunc in modum de more replicabat.

VIA reformatio hodie prætensa hoc potissimum nomine reiecta iam videtur, quod veteris Ecclesiæ formam repudiare videatur, occurrit mihi sanè vnus adhuc scrupus qui nisi soluatur, videbuntur illi non sine iusta & graui causa illius veteris formam repudiasse, ideóque aliundè suam hanc reformationem meritò petiisse. Ipsemet enim Augustinus illius veteris Ecclesiæ doctor celeberrimus scribit, *Christum Dominum qui leui nos suo iugo subdidit & sarcinæ leni, sacra-*
C *mentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, & significatione præstantissimis societatem noui populi colligasse.* epist. 118. cap.1. ad Ianuarium. Hoc autem in illa ipsa veteri Ecclesia minimè obseruatum fuisse idem August. agnoscit. Sic enim scribit epist. 119. c. 19. ad eundē Ianuarium. *Multa hodie obseruantur quæ quamuis contra fidem non sint, ipsam tamen religionem (quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit,) seruilibus oneribus premunt: vt tollerabilior sit conditio Iudæorum: qui etiam si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur.* Hæc ille de sui temporis superstitiosis cultibus & ceremoniis: vnde facilè conficiunt Reformatores moderni, tum huius temporis cultum qui ceremoniis & ritibus numero penè infinitis, obseruatione difficillimis, & significatione satis vilibus atque obscuris repletur, præsenti reformatione indigere; & præterea veteris illius Ecclesiæ formam, (qua tollerabilior fuit ipsa Iudæorum conditio, teste Augustino,) Christianæ reformationi normam præscribere non posse, quippe & ipsam vt ex illis verbis patet, etiam tum temporis corruptissimam. Quæ sanè corruptio, ne Ecclesiæ Christianæ gloriæ tunc primum efflorescenti obsistere videatur, hoc ipsum aiunt in veteri populo non obscurè præfiguratum fuisse.

Nam quemadmodum sub Salomone quidem florentissima & longè perfectissima fuit Synagogæ veteris forma, templo tunc primùm extructo, totáque illa ceremoniarum legalium forma tunc primum plenissimè constituta; statim tamen sub Roboam eius filio facta discessio fuit decem tribuum, grauissimáque pariter diuini cultus in toto

Iſraël corruptela, imò manifeſtus ad Idololatricos cultus relapſus; ſic in Chriſtiano D populo ſub Conſtantino ſanè Magno breui tempore plurimum floruiſſe Eccleſiam Chriſti, patefacta iam chriſtianæ fidei liberrima vbicunque locorum profeſſione, & prædicatione, extructis paſſim & dotatis Eccleſiis, reddira altiſſima pace; &c. tamen eo ipſo tempore in deterius abiir diuinus cultus,& pacem hâc illi magis noxiam quàm crucem præcedentium temporum ſenſit Eccleſia : denique vt diligenter notarunt Cent. 2. cap. 8. Magdeburgenſes centuriaſtæ, *nouas tunc leges ac decreta coacervando, regnum Chriſti ſpirituale in mundanum & politicum cœpit transformari, magiſque Imperium quàm miniſterium quæri.* Hâc ergo dubitationem grauem & ſcrupum non leuem ſi remouere poſſis, huic quæſtioni aliquo modo ſatisfactum à te fuiſſe videri poteſt.

RESPONSIO.

Gnoſco Proteſtantum voces, & plurimorum iam ſcriptis tritam, repetitam, & perpetuò decantatam cantilenam. Illam ſanè Auguſtini & priorem ſententiam grauiſſimam, & poſteriorem querelam iuſtiſſimam, ſuæ quam præ ſe ferunt Reformationis tum cauſam eſſe longè grauiſſimam tum defenſionem meritò iuſtiſſimam Reformatores iſti paſſim prædicant, dictitant, ſcriptitant. Sed vtraque quàm parum illis faueat vbi breuiter oſtendero, paritérque coniecturam illã quam ſubnectunt vaniſſimam eſſe docuero, prætenſam hanc Reformationem & ſine iuſta cauſa ſuſceptam fuiſſe, & nulla ratione defendi poſſe, hac luce clarius ni fallor, demonſtrabo. Et quidem grauiſſima illa Auguſtini ſententia de ſacramentorum noſtrorũ paucitate, facilitate, præſtantia, quanquam de ſacramentis tãtum quæ propriè ita vocantur diſertè loquitur, non de ritibus & ceremoniis vniuerſis; tamen de ipſis quoque ceremoniis vera eſt. Hæc enim omnia in cultu Eccleſiaſtico Chriſtianorum & pauciſſima ſunt, & facillima, & præſtantiſſima; ſi ſacrificiorum & ceremoniarum veteris Synagogæ multitudinem longè maximam, curioſitatem difficillimam, fructum per- colloſſ. 2. exiguum conſideres; *Infirma enim & egena erant elementa, iuſtitiæ carnis, vmbra futuro-* Hebr. 9. & 10. *rum*, &c. vbi ſanè præter ſacrificia & ſacramenta, agnum paſchalem, taurorum & Leuit. 2. 3. hircorum cruenta ſacrificia, oblationes victimarum, purificationes, expiationes, 4. 6. & 7. panes propoſitionis, oblationes ſimilæ, hoſtias pacificorum, hoſtias pro peccatis per ignorantiam, hoſtias pro peccato vltroneo, hoſtiam pro delicto; alia adhuc ſacra, & obſeruationes vel propheticæ vel figuratiuæ penè innumeræ erant, tantáque circa ſingula tam varia tam curioſa obſeruatio; vt qui vnicum Chriſtianorum ſacrificiũ longè auguſtiſſimum, cum vno tantum, aut altero cuius irerandus ſit vſus ſacramento, cum illa tanta multitudine, operoſitate & inanitate hodie conferre velit, ille ſanè Iudaico potius, quàm chriſtiano ſpiritu atque animo præditus eſſe; imo Chriſtianiſmi vel deriſor Lucianicus, vel hoſtis apoſtaticus meritò cenſendus ſit. Quare hac non minus otioſa & inani quàm odioſa & impia comparatione prætermiſſa, ad alteram argumenti partem veniamus, qua ex Auguſtino oſtendere volunt etiam ſua ætate atque in illa F antiquiſſima & florentiſſima Eccleſia tantam ceremoniarum turbam irrepſiſſe, vt *tollerabilior fuerit Iudæorum conditio quàm illius tunc Eccleſiæ*: idque propterea quia *Iudæi quidem varijs & multis, ſed legalibus tamen ſarcinis, & à Moyſe dictante Deo impoſitis onerabantur; Chriſtiani verò illius temporis humanis præſumptionibus*, ceremoniis videlicet & colendi ritibus humano ſtudio inuentis *ſubiiciebantur*. Grauis ſanè hæc & indigna conditio, fœda prorſus & miſeranda Eccleſiæ Chriſtianæ facies ac forma quæque propterea meritò & ipſa Reformatione indiguerit, eius autem quæ nunc quæritur Reformationis forma eſſe non potuerit, ſi tamen vera fuit hæc illius temporis conditio, & vera illius Eccleſiæ facies ac forma.

At, inquies, Auguſtinus hoc diſertè teſtatur vir vt doctiſſimus ita & ſanctiſſimus; ac denique *totius antiquitatis interpres fideliſſimus*, vt paſſim eum vocar Caluinus. Agnoſco ſanè Auguſtini verba prout in argumento citata erant, iámque à nobis repetira, nec vera fuiſſe dubiro. Sed nego hæc verba de ipſius Eccleſiæ cultu, forma, ac facie Auguſtinum *Quo ſenſu Auguſt. ſui tẽporis ceremonias tax auerit.* dixiſſe, vt Reformarores iſti colligunt, & egregiè more ſuo mentiuntur. Auguſtinus enim ſanè in illa ad Ianuarium epiſtola 119. vbi ex profeſſo de ritibus Eccleſiæ & copioſè diſputat, poſtquã multa de variis ritibus generaliter ab vniuerſa Eccleſia receptis, Cap. 18. ideóq; propriè Eccleſiaſticis (iuxta diuiſionẽ in præcedẽti ad eundem Ianuar. epiſt. 118. factam

A factam,& à nobis modò recitatam)diſputaſſet, accedit tandem ſub finem Epiſtolæ ad illas conſuetudines & ritus,*qui varie per diuerſa loca obſeruantur*,de quibus hanc *ſaluberrimã* (vt vocat)*regulam* dat,*vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris,vbicunque inſtitui videmus,vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum nõ improbemus,ſed etiam laudando & imitando ſectemur,ſi aliquorum infirmitas nõ ita impedit vt amplius detrimentum ſit.* Hęc ille. De hoc ergo genere particularium conſuetudinum & rituũ diſputans,etiam inter illa magnam diſtinctionem facit. Nam de ritibus & ceremonijs olim inſtitutis ſed certis tãtum in locis regulam iam recitatam cùm dediſſet ca.18.dictæ Epiſto.de recentibus ſeu recenter vt fit inſtitutis,ſequenti c.19.ſubiungit.*Quod autem inſtituitur præter conſuetudinem vt quaſi obſeruatio ſacramenti ſit* (1. quod & nouum eſt & quaſi neceſſarium tamen atq; cum obligatione præcipitur)*approbare*,inquit,*non poſſum:Etiamſi multa huiuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda liberius improbare non audeo.* Hæc ille.de ritibus non ſolum particularibus, ſed etiam recenter ſæpius inſtitutis,ijſque cum obſeruationis neceſſitate præceptis; in quibus tamen propter ſcandala deuitanda multa tolerat.Moxque hanc totam diſputationem cõcludens dicit.*Omnia itaque talia quæ neque Sanctarum ſcripturarum authoritatibus continentur, nec in concilijs Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorũ locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri poßint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt vbi facultas tribuitur*(id eſt vbi ſcãdali aut ſchiſmatis periculum non eſt)*ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo.* Moxque cau-
B ſam huius ſuæ ſententiæ afferens,ſubiungit verba ab iſtis Reformatoribus truncatim citata.*Quamuis enim neque hoc inueniri poßit,quo modo contra fidem ſint,ipſam tamen religionem quã pauciſsimis & manifeſtißimis celebrationũ ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit,ſeruilibus oneribus premunt:vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum,qui etiam ſi tempus libertatis nõ agnouerint,*
legalibus tamen ſarcinis non humanis præſumptionibus ſubijciuntur. Hæc ille. 1.
Loquitur ergo diſertiſſimè & apertiſſimè Auguſtinus, non de ritibus Eccleſiaſticis 2.
ab vniuerſa Eccleſia receptis, non de ſacramentis & reliquo cultu ex S. Scripturę au- 3.
thoritate deſumpto,non de ceremonijs in Conciliis Epiſcoporum ſtatutis, non deniq; 4.
de particularibus variarum regionum conſuetudinibus,quæ quidem iam olim inſtitutę fuerant,& nihil contra fidem vel contra bonos mores faciunt; ſed loquitur de certorũ hominum voluntariis cultibus præter conſuetudinem inuectis,& cum obſeruantiæ neceſſitate impoſitis; & de diuerſorum locorum diuerſis moribus & inſtitutis, quorũ etiã iuſta ratio reddi non poteſt:hæc omnia meritò vocat præſumptiones humanas,& legalibus ceremoniis multo deteriores:has denique reſecari vult,etiamſi contra fidem non ſunt;ſi tamen facultas datur,ſi ſchiſmatis,ſi ſcandali periculum non eſt.

Protestantium impudentiſſima Cauillatio.

Videte nunc mihi horum reformatorum proiectam audaciam,& frontem planè me-
retriciam;qui quod de particularibus perſonis & locis dictum eſt,ad vniuerſæ illius vete-
ris Eccleſiæ cultum taxandum,formamque & faciem penitus reijciendam referũt:qui 1.
quod de recẽti aliqua inuentione cum præpoſtera obligatione meritò reprehẽſum eſt, 2.
de vetuſtiſſimis multarum Eccleſiarum ritibus liberè obſeruatis temerè reprehendunt: 3.
qui deniq; quod ad priuatas pręſumptiones corrigendas ſapienter ſcriptũ eſt,ad Epiſco-
C porũ & conciliorum ſtatuta cõuellenda impiè trahũt: qui poſtremò quod ſaluo ſcãdali 4.
periculo & non aliter abrogari poſſe iudicatũ eſt,ad quemcunq; eccleſiæ cultũ abrogãdum,etiam cum nefario & horrendo non quorumdam ſcandalo,ſed populorum & Eccleſiarum ſchiſmate, non minori cum impudentia quàm impietate detorquent. Sic illi veterum teſtimonia in cauſis grauiſſimis indigniſſimè peruerrunt.

Talia defenſionis ſuæ munimenta proferunt. His rationibus & cauſis iuſtiſſimis permoti, ad hanc Reformationem ſeu potius nouæ formæ violentam inuectionem accedunt. Neque verò & in coniectura quam ſubiiciunt fœlicius verſati ſunt, in quam tamen magnum ſe aliquid ſapere,& dicere exiſtimarunt. Illa enim tam cita diuiſio populi Iudaici ſtatim poſt extructũ à Salomone templũ, & Synagogæ formã iã pleniſſimè cõſtiturã,ſi typus atq; figura ſimilis alicuius diſceſſionis in Eccleſia Chriſtianorũ, ſtatim poſt Eccleſiarũ pacẽ atq; ſplendorẽ orbi manifeſtatũ futuræ erat (quãquã diuiſio illa per Ieroboã facta,*nõ religionis ſed regni diuiſio erat*,vt notat diligẽter Auguſtinus, ſchiſma autem per accidens conſequutum eſt) tamen non in totius cultus Eccleſiaſtici corruptela & deformatione (qualem Reformatores illi veteri Eccleſiæ impingunt) illa

De vnit. eccl. cap.12.

discessio atque præfigurata defectio locum habuit aut habere potuit, sed in variis hæresibus, maximéque Ariana, illo tunc primum tempore exorta, defectio illa atque discessio verissimè completa fuit. D Nam certè de hac Ariana hæresi sub Imperatore Constantino nata, & toto huius quarti seculi tempore Ecclesiæ Christianæ pacem atque concordiam incredibiliter perturbãte, præmonuit sanctissimum illum Martyrem Petrum Alexandrinum Episcopum Christus ipse; & iã ad martyrium subeundum Imperatoris sententia damnato in visione apparens, tunicam scissam gerens à summo vsque deorsum, & causam percontanti Petro respondens. *Arius hoc fecit qui separauit à me populum hæreditatis meæ*: vt scribit in Martyrologio venerab. Beda. De hac Ariana hæresi præmonitus est etiam diuinitus in Ægypti eremo S. Antonius biennio ante illam exortam, *per visionem calcitrantium mulorum, altaria calcibus demolientium*, & in ecclesia sacra omnia proculcãtium. Vt in eius vita scribit indubitatus Author Athanasius. Denique de hac Ariana hæresi Ecclesiam Dei supra omnes alias quæ vnquam hactenus extiterunt hæreses deuastante, scribit Hilarius, *rarum fuisse apud Orientales Catholicæ fidei vel sacerdotes vel populum inuenire, sed vbique scandala, vbique schismata, vbique perfidias esse*. Hac hæresi grassante scribunt historici diuisionem factam fuisse totius Orientis ab Occidente, non absimilem illi quę erat decem tribuum Israelis, à duabus reliquis & Iuda, idque sub Constantino Constãtini magni, Salomonis nostri filio; sicut illa alia diuisio sub Roboam erat Salomonis alterius filio. Scribit denique Hiero. propter Ariminensem illam fraudem, etiã in Occidente factam, *totum orbem ingemuisse seseque Arianum esse, miratum esse*. Scribit postremò S. Basilius tantam Ecclesiarum desolationem quasique solitudinem ex hac hæresi Ariana inuectam fuisse (quam multis Epistolis ad viuum depingit) vt valde dubitauerit, an illa futura esset nouissima hora vel defectio illa qua semel facta veniret ille filius perditionis Antichristus. E Illa ergo defectio decem tribuum sub Salomonis filio si quid simile in Ecclesia Christi futurum sub Constantino noui nostri Salomonis filio præfigurauit; illud totum in Ariana hęresi, adiunctis etiam aliis variis hęresibus eodem tempore Ecclesiæ vnitatem dissipantibus, Macedoniana, Eunomiana, Nestoriana, Eutichiana, abundè completum fuit. Defectionem autem ipsius ecclesiæ Catholicæ generalem in toto cultu totaque politia sua præfigurare illud non potuit; ne sanè sic discederet Israel, vt non remaneret Iuda; aut sic esset inter Christianos altera Samaria, vt nulla superesset Hierosolyma. Quod sanè Iudeæ & Hierosolymæ exemplum si sibi propriũ esse Reformatores isti seriò cogitant, nosque qui Romanæ ecclesiæ adhærescimus esse illas decem tribus quæ à vero Dei cultu recesserunt, omnino volunt; non recusamus huius rei examen & iudicium prorsus subire, quale olim Iudęi & Samaritæ in simili quæstione sub Ptolomæo Rege Ægypti subierunt, vt videre est apud Iosephum. Atque hæc ad scrupulum tuum eximẽdũ hactenus D. Quodlibetarie pro tẽporis huius instituto breuiter dicẽda habui.

Ariana hæresis defectio similis discessioni 10. tribuum sub Roboam.

In lib. de Synodis.

Socra. lib. 2. cap. 16. Niceph. lib. 9. cap. 12.

In dial. aduers. Luciferianos.

Epist. 62. 69. & 70.

Epist. 61.

Antiquit. lib. 13 cap. 6.

QVAESTIO QVODLIBETICA 2.

Vtra sit magis Christiana & Ecclesiastica Liturgiæ forma, illa quam hodie Cath. & Rom. Ecclesia in S. Missæ officio obseruat, An Protestantum, quæ vocatur Cœna Dominica. F

QVI hodie ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana recesserunt, & tã in doctrina quã in toto cultu eam non deserendã tãtum, sed & tanquã quoddã Antichristi regnũ execrandã & abominandã esse existimarunt, suam verò nouã societatem, ecclesiã esse Dei reformatissimã planéque Euãgelicam affirmãt, nec vllam magis ob causam à Romana Ecclesia sibi discedendũ dicere solẽt, quã propter ipsius Missę execrandam, vt loquuntur, abominationem: nec vlla magis in re sese Euangelicos esse venditare consuerunt, quàm in Cœnæ Dominicæ iuxta Christi institutum pura & legitima celebratione. Itaque sacrosanctum quidem Missę officium omni illi contumeliarum genere afficere, infinitis cõuitiis vel potius conuitiorum plaustris exagitare, opprobriis nefandis-

A nefandiſſimis lacerare,maledictis ſpurciſſimis obruere,Satanicum,idololatricũ, & Antichriſti cultum eſſe clamitare nõ ceſſant. Suam verò Cœnam Dominicã miris illi laudibus extollunt,pro ipſiſſima & puriſſima tanti ſacramẽti celebratione hoc primum ſeculo ecclesiæ Dei reſtituta deprædicant. Operæpretium igitur me facturum putaui, ſi vtriuſque breui & dilucida comparatione facta,vtra ſit demũ magis Chriſtiana magiſq; Eccleſiaſtica,quanto breuius fieri poteſt,oſtendam.Vt ergo primo loco ementitam illã & prophanam Proteſtantum Cœnam(neque enim Dominica ſine blaſphemia ſeriò vocari poteſt)in medium proferam,eiuſque formam hîc ob oculos omnium veſtrum proponam,id ante omnia animaduerſione dignũ eſt,egregios iſtos Reformatores poſt 60. annorum altercationem adhuc in ſua forma non conuenire.Alia enim eſt forma,quam Caluinus Geneuæ præſcripſit,in formula quam vocat Adminiſtrandorum ſacramento-
rum ecclesiæ Geneuenſis,cuius epitomen inſeruit Inſtit.lib.4.c.17.ſect.43.alia quã He- 1.
luetica confeſſio à multis reformatis ecclesijs , ſed Sacramẽtariis ſubſcripta & approba- 2.
ta cap. 21. tradit. alia rurſum quam Anglocaluiniſtæ ex principis præſcripto ſequuntur, 3.
vtcunque hæ tres formæ ad ſectam ſacramenrariam pertineant;ſed longè alia multum- 4.
que diuerſa eſt quam Auguſtanæ confeſſionis ſocij iurati per Germaniam obſeruãt. Iſti enim ſic Caluinianam illam cœnam execrãtur, vt in Confeſſione quam illius ſectæ miniſtri Antuerpienſes in primis illis turbis Antuerpiæ ediderunt,ſic ſcribant. *Caluiniſtarũ liturgia non vno ſacrilegio vitiata,contaminataque eſt,eaq;(proh dolor)innumeras animas æterno exitio inuoluit.* Hæc eſt Martiniſtarum de cæna Caluiniana nobilis cenſura.

Proteſtantes in Cæna ſua forma nec dum conueniunt.

Cap.17. *Martiniſtarum de Caluiniſtarũ Cæna cenſura.*

B Sed vt diuerſitatis partes aliquas proferamus,Lutherani conſecrant & pręſentiã my- 1.
ſterij agnoſcunt.Caluiniſtæ quia poſterius negant,prius prætermittunt ; & nudam inſtituunt hiſtoriæ euangelicæ reperirionem,quam vocant Heluetici Actionem Dominicã.
Lutherani & præmittunt confeſſionem generalem proprio miniſtro ſeorſim factam, & 2.
in ipſa communionis actione generalem confeſſionem faciunt communicaturi.Forma Caluiniſtica;& Heluetica neutra vtuntur. Anglocaluiniſtæ poſteriorem quidem iuxta
præſcriptum principis in vſu habent,ſed priorem omittũt.Lutherani geniculantur cõ- 3.
municaturi,& vbiquitarij Lutherani adorant panem , atque adorandum docent,inter quos eſt hodie Martinus Chemnitius ex ſententia Lutheri,quem ad hoc probãdum diligenter citat in examine decretorum Concilij Tridentini.Eadem quoque geniculatio Anglocaluiniſtis in vſu eſt ex præſcripto principis. At Sacramentarij reliqui omnes, & ipſe Illyricus,aliique Confeſſioniſtæ ab adoratione abhorrent:Communicant verò vel ſtantes,vel etiam ad menſam ſedentes , vel denique tranſeuntes iuxta phaſe Iudaicum, quod quidam in Anglia Puritani faciunt.Caluiniſtica cœna vtitur excommunicatione
inter cœnandum teterrima.Eam Lutherani non admittunt, ac neque Anglocaluiniſtæ 4.
niſi rarius.Caluiniſtæ ſolis diebus Dominicis cœnandum putãt:Lutherani aliis etiã feſtis diebus ipſiſque interdum ferialibus cænare non recuſant.Caluiniſtæ habitu propha- 5.
no & vulgari ad cœnam accedunt.Lutherani ſuperpelliciis quæ vocamus, & interdum 6.
cappis vtuntur:quem ritum ſeruant Anglocaluiniſtæ ex præſcripto principis. Cæteri
C Caluiniſtæ puriores ab illis reliquiis(vt vocant)Antichriſtianiſmi prorſus abhorrẽt. Denique Lutherani in altari celebrant , Symbolum & triſagion latinè decantant , azymo
etiã pane alicubi vtuntur,quod etiam obſeruant Anglocaluiniſtæ ex præſcripto princi- 7.
pis.Caluiniſtæ pane fermentato,in communi menſa,ſuam cænationem perficiunt,omniaque vernaculè. Poſtremò preces habent Lutherani antè ipſam conſecrationem mul- 8.
tas,planè eaſdem quas nos,ſed omnia vernaculè:quas & Anglocaluiniſtæ retinent.Reliqui Caluiniſtæ miſſas faciunt,& ſuas quaſdam nouas , ne quicquam commune habere videantur,ſubſtituunt.Atque in his quidem aliiſque nonnullis forma hæc Proteſtãtica tam à Catholica & Chriſtiana,quàm & inter ſeipſos diſſidet,atque diſſentit.

Hac ergo diſcrepantia demonſtrata,(quæ an eorum Cœnam commendet,veſtro Auditores iudicio relinquo :) ad ea veniamus in quibus vno cõſenſu omnes illorum Cœnæ ab orthodoxa forma diſſentiunt.id eſt,vitia illa omnia recẽſeamus quæ omnibus in vniuerſum Cœnis proteſtãticis,ſeu Lutheranis,ſeu Caluinianis,ſeu Laſcanicis,ſeu Anabaptiſticis inhęrent:poſteàque quæ in illis omnia deſiderãtur,in noſtra Catholica liturgia,quã Miſſam vetuſtiſſimo vocabulo nuncupamus,nõ ſolum reperiri,ſed etiã toti chri-
ſtianæ ecclesiæ quæ hactenus in orbe extitit,conformiter reperiri oſtẽdamus.Ex hac e- 1.
nim oſtenſione manifeſtũ erit,in hoc vno nobiliſſimo exemplo,quàm euidẽter & clarè

2. veteris Ecclesiæ formam Reformatores isti noui penitus abiiciant atque repudient:nec D
præsentem tantum quæ hunc est, sed & vniuersam quæ hactenus à prima Euangelij pro-
pagatione extitit Ecclesiam Christi, omnium illarum blasphemiarum, & horrendę im-
3. pietatis atque abominationis accusent, quas illi Sacrosanctæ missæ seu liturgiæ Catho-
licæ impuro ore affingunt. Hinc etiam elucescet quàm nihil isti Reformatores non Ca-
tholicum tantum, sed ne pium quidem, aut graue, aut diuino cultu dignum, in ea puti-
dissima vanitate, quam pro Missa Catholica substituerunt, habeant. Istud ergo dū osten-
do, diligenter quæso, quod facitis, attendite.
Conueniunt isti neochristiani & euāgelici viri, vt mortē Domini annuncient, vt quod
Christus in mortis suæ memoriam fieri iussit, faciant. Hunc cum Ecclesia Catholica fi-
nem, hunc scopū conuentus sui agnoscere se dicunt. At videte obsecro quā probè istud
1. exequantur. Primū vt ab omni sanctitate eos quā maximè horrere intelligatis, nec loca
Loca prophana non sacra. Deo dicata, nec apparatū vllum sacrū aut religiosum libēter admittunt. Qui purius euā-
gelij sibi nomen venditāt, omnia templa demoliuntur. Si quæ habent à Catholicis ere-
pta, ea omni cultu & decore spoliata, & in formā auditorij potius aut scholæ quā templi
redacta, prophanis ędibus adęquant. Si quæ ipsi erigunt, Caluinistæ quidem Synagogæ
veteris in morē in orbē ea extruūt, vt Antuerpiæ annis præteritis factū vidimus: Luthe-
rani verò oblonga potius & in modū Aulæ senatoriæ exędificant, vt Augustæ Vindeli-
corum, & alibi in Germania nuper vidimus. Ita ab ipsa Ecclesiarū nostrarū forma omnes
2. abhorrent. Altaria omnes deiiciunt, exceptis mollioribus Lutheranis, qui ea etiam cū E
Altaria nulla sed mensa communis. Crucifixi imagine desuper affixa retinent, vt vlmis iam pridem animaduertimus. Alij ve-
rò Altarium loco mensas communes subsistuunt, vt non hic sacrificium Christianorum
sed cōuiuium aliquod aut symposion paganorum peragi certissimè scias. Sacra vasa, ve-
stimenta huic vsui & consecrata, & vario apparatu accōmodata, luminaria, incēsa, & hu-
3. iusmodi execrātur homines pij tāquā ethnicismi vestigia, aut Iudaismi quasdā reliquias,
Vestimenta & vasa communia. quibus tamen omnibus perpetuò celebrata fuit Christiana liturgia, vt mox in nostra
Missa ostendemus. Communi habitu, communibus poculis suā Cœnam celebrāt, excep-
tis vt antea dixi Anglocaluinistis. Parum est hęc omnia contempsisse quæ ad maiorem
1. cultum, reuerentiā & dignitatem sacratissimorū mysteriorum, ad ædificationem & ex-
2. citādam rudiorum deuotionem, ad multarum & magnarum rerum egregiam significa-
3. tionem plurimum facere Ecclesia Christi semper iudicauit? Quod inter alios copiosè
& diuinissimè docet Dyonisius ille Areopagita, ex ipsa Apostolorum prædicatione hau-
4. stum, Ecclesi. suæ Hierarch. cap. 1. & 2. Nam vt nihil prorsus sacrum in horum hominum
Non sacerdotes sed ministri, & plerunque illiterati. cęna agi videas, Sacerdotis ministerium refugiunt, ministros sibi asciscunt homines im-
primis coniugatos, & vt plurimum Mechanicos ac sordidos, quique bonas literas nec à
limine salutarint, tantum in vernaculis bibliis ad vnguem capitulandis egregiè promp-
ti sint: imò qui & in hoc gloriantur, quòd Romanam illam papisticam linguam nunquā
addidicerint; quod totum de nostris in Anglia ministris certissimum est, quorum maxi-
ma iam turba ita rudis est, vt penè in prouerbium apud nos abierit, *ministro indoctior.* De
5. præparatione reliqua ac tempore iam antea in illorum harmonia describenda diximus.
Sic ergo egregiè instructi & comparati, vernacula lingua aliquid aut legunt aut (quod F
Vernacula lingua promiscuè cantitur. rarius fit) cātant. Nam à cantu quoque in rebus huiusmodi qui cœteris puriotes se pro-
fitentur, tanquam à Sirenum cantibus abhorrent. In Anglia quidem cantatur & quidē
suauissimè, adhibitis etiā musicis instrumentis, quæ etiam fœminæ interdum in Eccle-
sia tangunt, non secus ac viri. Admissæ enim ad publicum cantum, quidni etiam ad or-
gana tangenda admitterentur? Quod autem vernaculè omnia fiant, nouum planè, pro-
phanum & in Christiana Ecclesia hactenus inauditum est: in qua latina sola & Græca li-
turgia vsque ad hæc tempora nota fuit. Sed quid demum est quod legunt aut cantant?
Psalmodiam primo loco habent: mox aliquid è scriptura subiiciunt, tam Prophetica &
Apostolica, quàm euāgelica. Sequitur vt plurimū homilia. In quibus omnibus pulchrè
6. viderentur cum Catholica conuenire, nisi hoc totum fieret in Sacræ scripturæ versioni-
Ordo rei totius prophanus & sacrilegus. bus corruptissimis & mēdacissimis, & à tota promiscua plebe, nullo seruato ordine, aut
discrimine, & interiectis diris illis Caluinianis execrationibus, & denique (quod scele-
ris caput est) nulla iusta Authoritate, sed vel priuata libidine, vel laici principis volun-
tate, non ex Ecclesiæ instituto, imò cum Ecclesiæ contemptu manifestissimo, quæ
secus facit, & faciendum iudicat. Quam vnam ob causam cum summo semper sacri-
legio,

A legio, scelere, & schismate eorum Cœnæ coniunctæ sunt. Sed pergamus vlterius. Nam de homiliis ipsorum, vel interpositis de more ad populum concionibus, quid attinet dicere, meras illas esse blasphemias contra Deum, & Sanctos, & Ecclesiam? Quid enim illic aliud, quàm nefandæ illorum hæreses docentur, traducuntur Pontifices, suggillatur Ecclesia, Magistratus quoque interdum & principis legitima potestas taxatur, boni denique ac bona omnia à rudi populo subsannanda & deridenda propinantur? Illud sanè præclarum est quod diligenter monet Heluetica confessio, *in precibus publicis modum esse ponendum, ne nimis sint prolixæ, potiores partes concionibus audiendis dandas esse*, vbi plus doctrinę quàm deuotioni, plus scientiæ quàm conscientiæ excolendæ & purgandæ contra vniuersum doctrinæ euangelicæ sensum apertissimè docent: quod tamen & in Anglicana cœna exactè obseruatur.

Homiliæ blasphemiarum plenæ.

Cap. 23.

Sed his omissis ad caput totius negotij veniamus. Vbi illa gratiarum solennis actio? vbi mortis Domini annũciatio? vbi hostia, vbi sacrificium, vbi mysteria? Quid hic gemmas in sterquilinio quæras? aut à porcis margaritas expectes? Nihil ibi horum: Ne simulatè quidem. Panem certè & vinum mensæ suæ apponunt: sed vulgarem & vbique ferè fermentatum panem, vinum quoque sine aqua cum Græcis: sed non vt Græci: Illi enim ex gentis suæ more non reclamãte Ecclesia, hi ex schismatis libidine damnãte Ecclesia hoc faciunt. Hunc autem panem, & hoc vinum nec in manus accipiũt ante distributionem, nec benedicunt, nec consecrant, nec super illis gratias agunt, quæ omnia Christus fecit, sed illis coram positis historiam Euãgelij legunt: móxque distribuunt, & cum gra-
B tiarum actione accipere iubent, nõ secus sanè quàm de cõmuni pane ac cibo Apostolus fieri præcipit. *Benedicimus enim & gratias agimus Domino* (ait August.) *in omni eius munere, nõ spirituali tantum, sed etiam corporali. Noster autem panis & calix certa consecratione fit mysticus, nõ nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix alimentum est refectionis non sacramentum religionis.* Hæc ille, apertissimè ostendens panem & vinum cœnæ Caluinisticæ simplex esse refectionis alimentum, non aliquod religionis sacramentum; imo verius ientaculum Dæmoniacum, quam Cænam Dominicam. Quid enim hic piũ, quid religiosum esse potest, vbi nullum est religionis sacramentum, nullum mysterium, sacrificium nullum, nulla consecratio, nulla benedictio? sed quod vbique, & passim, & à quouis fieri licet, nuda est & historica rei gestæ narratio, communis panis, cõmunis gustatio, & communis vini consueta libatio? Quid iam alia persequar, aut in alia inquiram, postquã in eo quod Caput & cardo totius negotij est, turpissimè & toto cœlo errant. Videamus tamẽ an in cœteris fœlicius, aut præclarius se gerãt. Vbi hic ergo mysteriorum ostensio & veneratio, vbi Crucis toties repetita signatio *quã in hac mystica cœna fulgere* Chrys. scribit in Demõst. quod Christus est Deus. Vbi denique Inuocatio super dona siue pro viuis, siue pro principibus, pro pace, pro bonis terræ, vel pro defunctis fratribus? Vbi sanctorũ celebris memoria, vbi solenne illud pacis osculum, vbi sacerdotalis super populum benedictio? Nihil hic prorsus horum. Hæc enim omnia boni isti viri pro ea qua in Deum sunt religione explodunt, exterminãt, execrantur. Et tamen videri volũt (si Christo placet)
C ad primæuæ & Apostolicæ ecclesiæ formã egregij Reformatores sua omnia reformasse.

Nullum sacrificiũ nihil, sacrũ.

9.

Nulla consecratio sed elementa vulgaria.

1.

2

3.

4.

contra Faust. lib. 30. cap. 13.

10.

Multa prætereã prætermissa.

Videor iam præcipua rerum capita percurrisse, & Cœnæ huius Protestãticę nobiliores partes attigisse. Itaque ab hac pugna receptui canam, & ad nostram nũc sacrosanctã liturgiam me conuertã. Nam quæ in istorum næniis aut potius sacrilegiis meritò desiderauimus, in nostra iam Missa copiosè demonstrabimus: eaque omnia Apostolica esse, & antiquissimæ ecclesiæ nobiscum communia ostendemus. Quod dum breuiter, & succinctè facio diligenter quęso, quod facitis, attendite.

Catholica & ecclesiastica liturgia (quam Missam dicimus ita à maioribus nostris ante annos ferè mille ducentos nuncupatã à S. Ambr. epistola 32.) non nisi in templo fit honorificè extructo; aut vbi necessitas, vel pietas authoritate legitima id approbãte suadet in oratorio ad hunc vsum sacrato, & ab omni prophano vsu libero. Annon verò sic semper factitatũ erat? Est quidem ita, vt Apostolorum tempore, atque aliquanto pòst quamdiu ferueret persecutio, vel in priuatis piorũ ædibus, vel etiã in cryptis subterraneis quales multas Romæ vidimus, ad sacram Synaxim peragendam conuenirent Christiani; fieretq; vt scribit in Apologetico Tertullianus & lib. 2. ad vxorẽ *furtiua signatio, sacrificiũ cum scrupulo, muta benedictio*, denique ipsorum mysteriorũ *ad absentes delatio, & in arcis asser-*

Templa Christianorum.

natio. vt Iustinus Apolog. 2. & Cipri. serm. 5. de lapsis commemorant. At verò vbi primũ pax aliqua Ecclesiæ data esset, erecta fuisse a Christianis templa, quæ nouo & proprio nomine, Græco quidem κυριακάς, vnde germanicum illud *Kirche* defluxisse videtur; latino vero Dominicas, quia Domino Deo consecratas (vt exponit Eusebius in oratione de laudibus Constantini) postea autem Basilicas propter amplitudinem fortasse & splẽdorem tribunalibus regiis aut prætoriis non inferiorem, quæ etiam certo & solemni ritu consecratæ erant, vocabant; omnes historiæ plenæ sunt. Nam ne Constantinum templorum authorem primum putemus, cuius mater Helena Hierosolymis & in Iudæa complura, ipse vero & Romæ & Constantinopoli magnificentissima ac varia extruxit, teste Eusebio de vita Constantini, ab eodem Constantino latas esse leges legimus, de restituendis Christianorum Ecclesiis, olim persecutionum tempore vel dirutis, vel ablatis; vt narrat idem Eusebius Hist. Ecclesiast. libro 10. capite 5. Sanè diu ante Constantinum & Fabianus Romanus Pontifex Philippum Imperat. & S. Babylas Antiochenus Decium Imperatorem, vel vt alij volunt, Numerianũ, ab Ecclesiæ liminibus repulit, vt narrat: de priori Euseb. Histo. Ecclesiast. libr. 6. cap. 27. de posteriori Chrysostom in oratione contra gentiles Tomo 5. Ipso autem Constantini tempore cum primum Christianam fidem secularis splendor amplexus esset, quàm magnifica quantáque solemnitate dedicata templa essent, vel illa vna Eusebij oratio panegyrica Historiæ lib. 10. cap. 4. inserta satis testatum facit.

Lib. 3. ca. 42. & 43.

Reliquus ornamentorum apparatus, vestium, vasorum luminarium, iisque similium qui nunc in Missa Catholica conspicitur, (quemque pro sua modestia Euangelici isti Reformatores mimicam, theatricam, & gesticulatoriam pompam appellitant) primorum Christianorum liturgiis non defuisse apertissimè ostenditur. Ac de vasis quidem ad huius sacrificij vsum destinatis, & consecratis, antiquissimi & locupletissimi testes sunt, Hieronymus ad Fabiolam. Nazanzenus in oratione ad Arianos & de seipso. item in Apologetico. Basilius in reg. breuioribus. q. 310. Ambr. offic. libro secundo, cap. 28. Concilia quoque antiquissima, Laodicenum cap. 21. & Arelatense primum cap. 13. His enim omnibus in locis Ecclesiæ vasa sacrosancta perhibentur, *ab hominibus laicis non contingenda*. ait Nazanzenus, *in sacros vsus destinata & non nisi in summa Ecclesiæ necessitate prophananda*, quod Amb. piè fecit, quod Patres Arelatenses extra necessitatem factum anathemate notarunt. Celebre est illud quæstoris cuiusdam à Iuliano Apostata ad sacra vasa templi Antiocheni diripienda submisso conuitium. Sacrorum enim vasorum magnificentiam conspicatus, *Ecce*, inquit, *quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur*, apud Theodoretum libro 3. cap. 11. Vestimenta vero quæ nunc sacerdos Ecclesiasticus & liturgicus gestat, si per singula liberet discurrere, omnia primæ Ecclesiæ in vsu fuisse comperiemus. Huc nempe pertinet petalum, seu mitra Episcopalis, quod Ioannem Euangelistam gestasse author est Polycrates Ephesi Episcopus apud Eusebium histor. Eccle. libro tertio, capite 25. Huc infulæ quarum meminit Tertullia. in lib. de Monogamia. Huc orarium seu stola cuius meminit Ambro. in oratione funebri de obitu fratris Satyri. Conc. Bracarense primum can. 32. & Toletan. 4. can. 39. huc pluuialia seu cappæ quas τριβώνας vocat Epiphan. hæresi 15. & 16. huc diaconi Alba, vt eam vocat Conc. Carth. 4. can. 4. στοιχάριον vocatur in liturgia Chrysostom. huc pallæ seú aulæa quibus altare decoratur apud Theodoretum Histo. Ecclesiast. libro secundo, capite 31. huc linteamina atque velamina quibus cooperta olim (sicut hodie) altaria fuisse clarè meminit Optatus libro 6. contra Parmenianum. Huc etiam ἅγια ποδήρη sacrata talaris vestis apud Eusebium libro 10. capite 4. huc postremo pertinent amictus, cingulum, casula, manipularium, corporale, quæ etiam suis nominibus Greci Patres Chrysost. & Basilius in liturgiis suis vocant. ὠμοφόριον, ζώνην, φαιλώνιον, τὰ λῶρια, τὸ εἴλητον. Quę omnia sacra fuisse & huic functioni dicata iidẽ Patres testantur. Illustre est in Theodoreti Historia exemplum de thymelico quodam saltatore, qui emptam fortè sacram vestem in theatro gestãns subito expirauit. Histor. tripar. lib. 5. cap. 37. Similis vltionis diuinæ exempla legere licet apud Victorem de persecutione Vãdalica lib. 1. apud Bedam in Historia Anglicana lib. 1. ca. 29. Conqueritur etiam grauissimè Optatus vtrisque antiquior de spoliatis & prophanatis Ecclesię ornamentis per Donatistas lib. 1. contra Parmenianum.

Vasa sacra.

Ornamenta sacra.

Theodoret. lib. 2. cap. 27.

Luminaria.

Quid quòd etiam luminaria rutilante sole dum Euangelium recitatur in Ecclesiis accensa fuisse, testis est contra Vigilantium Hieron. & ante Hiero. meminit præceptor

eius

A eius Nazanzenus orat. in Pascha, & antè vtrumque Athanasius in exhortatione ad orthodoxos.

Altaria.

De altaribus sine quibus nullum fit sacrificium, & quidem positis necessariò sequitur sacrificium, quod solum θυσιαστηρίου vocabulum ἀπὸ τῆς θυσίας manifestè probat, si hic Antiquitatem in medium proferrem dies me deficeret. Reformatores sanè isti qui magnam Reformationis suæ partem in demoliendis altaribus ponunt, vel altaris nomine mensam intelligi apud veteres volunt, (quia & mensa interdũ vocatur à veteribus propter cœlestis conuiuij mysterium, sicut & ab Apostolo 1. Cor. 10.) vel ab hac interpretatione deiecti in altarium vsu sicuti & in toto reliquo Ecclesiastico cultu Antiquitatem omnem penitus contemnunt. Sed quod Apostolus dixit ad Hebr. 13. *Habemus altare de quo edere non habent facultatem qui tabernaculo deseruiunt*, illud exponit Chrysost. com. ad illum locum hom. 33. de altaribus liturgiæ nostræ propriis. Sicut etiam quod de mensa Domini Apostolus dixit 1. Cor. 10. de sacrificio Christianorum idem homel 24. disertè exponit, cui accedit August. contra aduersar. legis & proph. cap. 19. Lapidea sanè fuisse altaria qualia nunc in vsu sunt, apertè satis August. & Chrysost. docent, quorum ille super corpora Martyrum constructa esse altaria scribit. De ciuitate Dei lib. 8. cap. 27. hic effossa ab hæreticis altaria meminit in Epistola 1. ad Innocētium. Neutrum mensæ eorum conuenire potest.

Atque hæc quidem hactenus de Catholicæ liturgiæ seu missæ apparatu non alio

B nunc quàm olim à 1200. ac 1300. annis fuit. Veniamus nunc ad ipsius missæ Catholicæ partes singulas, eiusque ordinem ac rationem totam cum antiquissimis Christianorum liturgiis ad amussim quadrare ostendamus. Præcipuis tantum partibus insistam, iisque de quibus hodie cum hæreticis disceptatur, & in quibus sacrum hoc officium potissimum constat.

Itaque Missa quidem seu officium illud publicum ad quod omnes conueniebant, non Christiani tantum sed & Catechumeni, imo etiam & Ethnici qui volebant, à psalmodia incipit. Nam quæ hodie præcedunt, magis ad sacerdotis ipsius præparationem meliorem quàm ad huius sacri muneris partes pertinent. Incipitur itaque à psalmodia quæ in eo quod *Introitum Missæ* nuncupamus, completur. In eo semper versiculi aliqui è psalmis dicantãtur. *Priores Missæ partes.* Post psalmodiã sequitur oratio publica, quę quia toti' collectę illic Ecclesię nomine pronũciatur *Collecta* vocatur. Orationē sequitur lectio, deinde Euangeliũ & eius Interpretatio. Quæ omnia Apostolus annotasse videtur 1. Cor. 14. *Cum cõuenitis vnusquisq; vestrũ psalmũ habet, doctrinã habet interpretationē habet.* Atque hæc omnia sic ab initio facta fuisse testes grauissimi sunt Iustinus, & Dyonisius. *Apolo. 2.* *Die solis* (ait Iustinus) *vrbanorum ac rusticorum cœtus fiunt, vbi Apostolorũ Prophetarumque literæ quoad fieri potest prælegunt. Denique cessante lectione Præpositus verba facit adhortatoria.* Quam formam & ante cum scripsit Clemens Constit. Apostolicarum lib. 3. cap. 63. Dyonisius quoque Areopagita Ecclesi. hierarchiæ cap. 3. his verbis. *Pontifex vbi adoleuerit incensum, ac fani ambitũ circumierit, rediens ad sanctum altare, psalmorum melos incipit, concinentibus secum sacra carmina om-*

C *nibus Ecclesiastici ordinis gradibus. Deinde S. Scripturarum lectio recitatur.* Hæc ille. De intermedia collecta sic meminit Chrysost. hom. 18. in 2. Cor. *Communes preces à sacerdote & populo fiunt. & omnes vnam dicunt orationem. Orationem misericordia plenam.* Hoc enim fieri dicit antequam excludantur Cathecumeni. *Assurgitur Euangelio.* Assurgi quoque Euangelio solitum sicuti hodie fit, ex Theophilo Alexandrino discimus; qui quædam corrigens apud Homeritas Arabicum populum quem ad fidem conuerterat, inter cætera ad Euangelij recitationem assurgere docuit. Etenim *considentes* (ait Nicephorus) *Euangelium audiebant aliaque faciebãt quæ functiones Ecclesiasticæ vetabant.* *Lib. 9. cap. 18.* Inuocationem illam misericordiæ diuinæ quæ per græca illa verba fit beatus Gregorius instituit: aliaque ab aliis Pont. Rom. SS. viris adiecta sunt; omnia ante annos vt minimum mille. Sicuti, *Gloria in excelsis* à Simmacho anno 500. tractus à Gelasio 1. anno 480. Symbolum à Damaso, anne 380. Quo finito Symbolo vel ante Damasi tempora finita homilia, Cathecumini & pœnitentes, & energumeni excludebantur: Ideóque hæc missa seu dimissio Cathechumenorum est dicta: in Conc. Carth. 4. can. 84. & in Conc. Agathensi can. 60.

Quæ sequuntur ad Missam fidelium pertinent. In hac autem bone Deus quam nihil habent hodie hæretici Catholicæ liturgiæ affine aut cõsimile? Mihi sanè eorum nænias & blasphemias consideranti visum sæpe est, eorum cœnas maximè Caluinianas, vt *Protestantum cœnæ vt plurimum catechumenorum Missæ sunt.*

maximum illis tribuamus, Cathecumenorum, pœnitentium, energumenorum atque adeo infidelium missas esse: vt cum in cœteris quidem liturgiæ Catholicæ partibus simias & cercopithecas se præstent, multaque ridiculè ad fucum populo faciendum imitentur; in his quæ sequuntur & propria fidelibus sunt, vulpes agant: non nostra simulantes sed omnia demolientes. Nam quæcunque hactenus diximus etiam infidelibus omnia patuisse, vel Conc. Carth. 4. canone 84. luculenter docet, iubēs: *vt Episcopus, nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei siue gentilem, siue hæreticum siue Iudæum, vsque ad missam Catechumenorum.* D

Missa fideliū. Ad fidelium nunc ergo Missam veniamus. Recitato symbolo, aut si id omittitur, lecto Euangelio & homilia ad plebem facta, statim panis & vinum aqua mixtum in altari offeruntur à sacerdote pro se, pro præsentibus, pro tota Ecclesia. An verò nouum istud & à paucis centenariis inuentum? Antiquissimum, Apostolicum est. Iustinus sic scribit Apolo. 2. *Finita adhortatione surgimus omnes & precamur, conclusisque nostris precibus, panis vinumque & aqua offeruntur.* Id est in altari apponuntur. Nam de oblatione quę Deo fit postea agit. Et quia hæc olim quidem à populo, vel à diacono supplente locum

Offertorium. idiotæ, sacerdoti offerebātur, *Offertorij* nomen obtinuit minus latino, vt alia multa, sed Ecclesiastico vocabulo; sicut vnaquæque ars sua habet artis propria vocabula. In hoc offertorio tenens sacerdos panem & calicem totius populi nomine exhibet, & sistit ea super altare, primasque mox facit precationes (pancis ad suam adhuc maiorem præparationem & ad tantum peragendum mysterium excitationem precibus interiectis) de

Obsecrationes. malis depellendis, quas Apostolus 1. ad Timoth. 2. *δεήσεις obsecrationes* vocat. De quibus sic Augustinus scribit Epistola 59. *Precationes seu obsecrationes quas Apostolus fieri iubet, accipio eas esse quas facimus antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici.* Hęc est illa alia oratio quàm Chrysost. ab omnibus fieri dicit, *dum excluduntur à sacerdotalibus ambitibus qui non possunt esse participes sacræ mensæ.* homil. 18. super 2. ad Cor. In hac quoque prima parte offerebant olim fideles sicut hodie; quæ ad altare deponebāt. Huius rei exempla habemus illustria, & in Theodosio magno, celebrante Ambrosio, & in Valente, celebrante Basilio. Hi enim Imperatores munus suum ad altare offerebant, vt narrat per occasionem Theodoretus hist. Eccles. lib. 4. ca. 17. & lib. 5. cap. 17. E

Orationes. Sequuntur Orationes quas *προσευχὰς* Apostolus vocat & quas Augustinus loco citato fieri ab Ecclesia deinceps dicit vsque ad Orationem Dominicam. In his orationibus primum locum habet illa nobilis & celeberrima præfatio, qua sacerdos populum ad tremendorum mysteriorum sanctissimam peractionem attentissimis animis excipiē-

Præfatio missæ. dam mirificè hortatur. Nihil est apud antiquos scriptores luculentius. *Norunt fideles* (ait Augustinus ad Dardanum Epist. 57.) *in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro:* Et iterum in libro de spiritu & litera cap. 11. *In illo verissimo & singulari sacrificio agere gratias Domino Deo nostro admonemur.* Rursus de sequentibus quoque præfationis verbis lib. 2. cap. 13. de bono perseuerantiæ sic scribit. *Quod in sacramentis fidelium dicitur, vt sursum corda habeamus ad Dominum, munus est Domini. De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur: & dignum esse respondent.* Hæc ibi Augustinus. Idem repetit serm. 44. & ante eum Chrysost. in homil. de Encæniis & de Eucharistia tom. 3. Et ante vtrumque Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, vniuersam illius præfationis formam eleganter pertractātes. Hoc est quod Iustinus F

Apollo. 2. dicit, *eum qui primum locum tenet preces gratiarumque actiones pro virili mittere populumque benedicere, dicentem Amen.*

Sāctus, S. S. Sequitur præfationem hymnus ille græcis *τρισάγιος* dictus, quem anno post Christum plus minus centesimo Sixtus Papa instituisse perhibetur: cuius etiā apud veteres frequentiss. fit mentio occasione hęreticorum qui authore Petro Fullone Antiocheno episcopo, huic hymno adiiciebant, Qui crucifixus es pro nobis.

Totum autem qui deinceps sequitur missæ canonem apud Cyrillum hierosolymitan in Catechesibus & apud Amb. lib. 4. ca. 5. de sacramentis penè ad verbū videre est: estque profectò compendium quoddam prolixorum Canonum Basilij & Chrysostomi, quæcunque tandem illa precatio fuerit, quam super oblationem dicendam Scho-

Canon missæ. lasticus ille græcus composuit, cuius meminit Gregor. Epist. lib. 7. epist. 63. Sed vt partes eius singulas persequamur, quæcunque sanè in eo fiunt olim quoque in vetustissima Ecclesia facta eo planè ritu ac ordine quo nunc fiunt, facilè ostenditur.

Primum

A Primùm pro viuis rebusque aliis necessariis tam priuatim quàm publicè in hac precationis formula seu Canone oratum fuisse sic meminit Chrysost. *In mysteriis*, inquit, *communes preces effundimus, pro non initiatis, pro infirmis, pro terræ & maris & vniuersi orbis fructibus sacrificeamus.* alio vero in loco hortãs vt in villis seu prædiis extruantur Ecclesiæ, causam hanc reddit. *Preces illic perpetuo pro te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos. Quid? parum est die oro te in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri, & quotidie pro villa preces ad Deum fieri?* Hęc ille. Nec dissimiliter Augustinus. *Audis*, inquit, *sacerdotem ad altare orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem, pro Catechumenis vt eis desiderium regenerationis inspiret, pro fidelibus, vt in eo quod esse cœperunt eius munere perseuerent.* Hæc ille; Epistola 107. ad Vitalem. Sed vtroque antiquior Origenes *istam commemorationem solam esse* dicit *quæ facit proprium hominibus Deum*: homil. 13. in Leuiticum. Vt taceam Cyprianum qui etiam *sacrificio sacerdotis purgari conscientias* scribit serm. 5. de lapsis. Certè illius magister Tertull. apertè scribit in hac precatione *orari pro Imperatoribus, pro ministris eius pro rerum quiete* &c. in Apologetico ca. 29. Denique & *sacrificare Christianos pro salute Imperatoris* in lib. ad Scapulum. Sed omnium antiquissimus Ignatius in Epistola ad Smyrnenses *sacrificare Episcopum* dicit *pro salute totius mundi*. Omitto Eusebium qui vniuersam hanc formam Demonstrat. lib. 1. cap. 6. describit. Sanè illustre est quod scribit Chrysost. hom. 4. de incomprehensibili Dei natura, *huius orationis tempore homines dæmone agitatos adduci, & capita inclinare iubente Diacono idque ex antiquo patrum statuto: quin & angelos hoc orationis tempore procumbere Domino, & vna nobiscum canere*, alibi scribit: *habere enim iam tempus adiuuans, & oblationem sibi auxiliantem.* In homil. de non contemnenda Ecclesia, & mysteriis.

Commemoratio pro viuis, &c. Homil. 77. in Ioan. Homil. 18. in Acta Apost.

B (margin letter beside "iuuans, & oblationem…")

Facta hac precatione fit etiam sanctorum gloriosa commemoratio, quam veteribus in more semper fuisse tot ferè sunt testes quot antiqui & celebres scriptores. Sed magis illustres proferam. Cypr. iubet Martyrum dies notari, *vt*, inquit, *celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ad commemorationem eorum.* lib. 3. Epistola 6. Tertul. *oblationes annuas fieri* dicit *pro Natalitiis Martyrum* in libro de Corona militis. August. *in honorem Martyrum offerri scribit Deo non ipsis Martyribus*: contra Faustum lib. 2. c. 21. Et de Ciuitate Dei lib. 22. ca. 10. Chrysost. quoque in celebratione Martyrum *litari hostiam, consummari sacrificium* scribit homil. 5. in 1. ad Timoth. *Inspice*, inquit Dyonisius ille Areopagita, *vt sacris memoriis inscripti sunt, de quibus dicitur, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Eccles. Hierar. cap. 3. S. 3. *Commemoratio Sanctorum.*

Istis ergo rite præparatis, consecrationem tandem fieri & sacrificium consummari omnis Antiquitas clamat. *Panis*, inquit Iustinus, *vinum & aqua cum gratiarum actione consecrantur. Neque enim hæc vt communem panem vsitatamque potionem capimus, sed per preces sermonis quem à Domino accepimus consecratus hic cibus est: eunque carnem & sanguinem Iesu Christi esse accipimus.* Hanc mysticam eulogiam, benedictionem, & consecrationem constanter vno ore omnes patres. August. in Epistola 59. & contra Faustum lib. 20. ca. 13. Ambr. lib. 4. de sacramentis ca. 4. Cyrill. in Ioannenem lib. 12. ca. 12. & in præfatione Ephesini Conc. Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 27. Denique illis Christi verbis in vltima Cœna pronuntiatis & super proposita elementa prolatis fieri consecrationem non minus cōformiter S. Patres docent. Chrysost. disertissimè in homil de proditione Iudæ. *Hoc*, inquit, *verbo proposita consecrantur.* Irenæus etiam lib. 5. *Quando factus panis & mixtus calix percipit verbum Dei, fit Eucharistia.* Idem docet Iustinus & Ambr. in locis iam citatis. Quibus accedit Greg. Nyssenus apud Euthymium in Panoplia lib. 2. tit. 21. Et Eusebius Emyss. hom. 5. de Paschate. *Consecratio mysteriorum.*

C (margin letter beside "quit, verbo proposita consecrantur…")

Offerri porrò quod ita consecratur Deo patri, id est Christum ipsum, eo planè modo quo se ipsum in Cœna obtulit, nihil iam est contra huius temporis hæreticos luculentius à Catholicis probatum. Idcirco enim sanè, *sacrificium Christianorum* vocatur à Hieron. in Epistola ad Algasiam & ab August. in oratione contra Iudæos cap. 9. Imò *verissimum & singulare sacrificium* ab eodem August. in lib. de spiritu & litera cap. 11. Idcirco *noui testamenti oblatio* ab Irenæo vocatur lib. 4. ca. 34. *quam Ecclesia*, inquit, *offert Deo per totum mundum.* Idcirco *illud sacrificium* ab Augustino vocatur *quod omnibus veteribus sacrificiis successit.* de Baptismo lib. 3. cap. 19. De Ciuitate Dei lib. 10. ca. 20. & lib. 17. ca. item 20. Idcirco *sancti altaris oblatio* ab eodem Augustino vocatur Epistola 59. Idcirco à Dyonisio *Oblatio.*

Areopagita *salutaris hostia* vocatur *litata Deo* Ecclesf. hierar. cap. 3. Ac denique à Iustino *hostia noui testamenti*: in Apol. 2. D

Crucis signum. Crucis signum in hac liturgia peragenda non secus ac magiam quandam execrantur hodie Reformatores noui, hoc nomine ipsi magis execrandi. Aliud sensit vetus Ecclesia cuius fidelissimus interpres Augustinus. *Signo*, inquit, *crucis consecratur corpus Dominicum & omnia quaecunque sanctificantur cum inuocatione Christi nominis in hoc signo consecrantur.* Serm. 181. de tempore. Quo antiquior Chrysostomus: *Cum sacratissimo*, inquit, *alimur cibo, crux adest, & vbique victoriæ id insigne nobis assistit.* homil. 55. in Matth. Et alibi. *In sacra mensa, in corpore Christi, in mysticis cænis fulget crux.* In demonstrat. quòd Christus est Deus.

Eleuatio mysteriorum. Fit quoque in missa Catholica sacrorum mysteriorum eleuatio quam *ostensionem* vocat Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *eleuari & ostendi* aiunt Dyonisius Ecclesf. hierar. ca. 3. §. 3. & Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: clamante olim diacono, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.

Adoratio. Fit præterea adoratio teste tota Antiquitate, Augustino & Ambros. in exposit psal. 98. Nazanzeno in epitaphio sororis suæ Gorgoniæ. Chrysost. homil. 61. ad populum Antioch.

Defunctorum commemoratio. Fit denique defunctorum pia memoria quod *ab Apostolis ipsis non frustra sancitum esse* affirmat Chrysost. homil. 69. ad populum Ant. & in caput 1. ad Philippenses. Idem testatur Tertull. lib. 2. ad vxorem, *anniuersarias pro d. functis oblationes fieri asserens*; Idem quoque Cypr. lib. 1. Epist. 9. vetans *eius memoriam in sacrificio fieri qui clericum curatorem rerū suarum testamento reliquisset* Aug. verò non solum diligenter distinguit, *alio loco ad mēsam Domini commemorari Martyres vt ipsi orent pro nobis alio loco alios pro quibus ipsi oramus*, tract. 84. in Ioannem quemadmodum in nostra liturgia Cath. fit, verū etiam pro matre sua Monica *sacrificium precij nostri oblatum fuisse* scribit, sicut ipsa moriens desiderauerat. Confess. lib. 9. ca. 19. Quod sanctæ fœminæ desiderium *vt anile votum* superbus & impius Caluinus Instit. lib. 3. ca. 5. vocat, ita doctissimus & Sanctiss. August. in singularem pietatis maternæ commendationem refert. E

Oratio Dominica. Oratione Dominica totum hoc concludi scribit Aug. Epist. 59. & Apostolicum esse Gregorius magnus docet Epist. lib. 9. Epist. 63.

Osculum pacis. Pacis obsculum in mysteriis hisce dari solitum testatur Chryst. hom. 30. in 2. ad cor. Alio verò in loco apertius scribit. *Osculum pacis porrigere tempore quo munera offerūtur in vsu est. Sed vereor ne forte plures ex nobis labiis tantummodo hoc faciant.* Hæc ille de compunctione cordis lib. 1. Huius etiam ritus meminit Cyrillus lib. 12. cap. 54. in Ioannem. Augustinus quoque. serm. 166. de tempore. & eius contemporaneus Innocentius primus Epistola ad Decentium cap. 1. & his omnibus antiquior Tertullianus in lib. de Oratione cap. 14.

Postulationes. In hoc pacis osculo & in illa tota sacerdotis precatione quæ circa illud versatur, fit illa postulatio quam Apostolus 3. loco ponit 1. ad Timoth. 2. *Tunc enim* (ait Aug. Epist. 59.) *Antistes velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* Tunc etiam fit quod scribit Chrys. hom. 18. in 2. ad Cor. in *horrendissimis mysteriis bene precatur populus sacerdoti & sacerdos populo. Nam cum spiritu tuo nihil aliud est quàm hoc.* Sic autem respondemus dicente sacerdote *Pax Domini*, &c. F

Communio fidelium non est pars Missæ necessaria. Hic proximū locum habet fideliū cōmunio, quæ quia in nostra missa parraro fit, clamant Reformatores, indignum facinus, nouam corruptelam, & rem in veteri Ecclesia inauditam. Sed ista fideliū communio prætermissa nec liturgiæ vim ac veritatem eneruat, nec huius tēporis est propria vt simplicioribus persuadent Protestātes. Non primū, quia ad rationem sacrificij satis est, vt is qui sacrificat oblata percipiat. Nec cōmunicantium numerus ad Christi institutionē magis necessario pertinet, quā certus ille & præscriptus duodenarius numerus quo Christus vsus est. Nō secundū, quia disertè clamauit Chr. ante annos mille penè ducentos, *frustra stamus ad altare, frustra habetur quotidiana oblatio. Nemo est qui simul participet.* Hæc ille hom. 3. in Epist. ad Ephes. Ecce & oblationem quotidianā, & neminē tamē participantē. Quid quod & frigidissima ista semel tantū in anno cōmunicandi cōsuetudo, etiam in illa veteri Ecclesia nimium viguit? Hinc sanè exclamat Am. in Italia. *Cur post annum sumis? sicut græci in Oriēte? Accipe quotidie quod quotidie tibi prodest.* Hæc ille de sacramentis lib. 5. cap. 4. Quæ verba repetit Augustinus in Africa serm. 28.

In veteri etiam Ecclesia prætermissa.

A serm. 28. de verbis Domini. Chrysost. quoque in ipso Oriente vehementius hac de re conqueritur. *In aliis*, inquit, *temporibus sæpenumero neque cum mundi estis acceditis. In paschate verò etiam si quid temerarium à vobis sit cõmissum, nihilominus acceditis. O consuetudinem, ô præsumptionem* hom. 3. in Epistolam ad Ephes. Eandem querelã repetit hom. 5. in 1. ad Tim. & hom. 17. in Epistolam ad Hæbræos. Non ergo noua est ipsius liturgiæ corruptela, sed vetustissima est ipsius populi Christiani culpa. De qua vt de multis aliis cum Aug. sapiẽter distinguere oportet. *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus. Aliud quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus tolerare cõpellimur.* Hæc ille contra Faustum Manich. lib. 20. ca. 21.

Sequuntur postremo loco post Collectam posteriorem, quæ postulationis, de qua mox diximus, pars est, gratiarum Actiones: quæ verbis sanè à populo fiunt, aut ab eo qui supplet locum idiotæ cum in fine respondetur, *Deo gratias. Participato enim tanto sacramento*, (ait Augustinus) *gratiarum actio cuncta concludit, quam etiam vltimam cõmendauit Apostolus.* Hæc ille Epistol. 59. Sic & S. Chrysost. *Quæ ad gratiarum actionem pertinent, communia sunt omnia. Neque enim ille solus gratias agit* (sacerdotem dicit) *sed & omnis populus. Prius enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis*, (dum dicit Oremus,) *vt dignè ac iustè hoc fiat gratiarum actionem incipit.* Hęc ille hom. 18. in 2. ad Cor. hoc enim fieri narrat post pacem communicatam. *Gratiarum actiones.* *1. Timo. 2.*

Benedictio quæ in fine datur non est omnium gentium ac locorum: antiquissi- B ma tamen vt ex Conc. Agathensi can. 47. & Aurelianensi 1. Canone 28. manifestè patet. *Benedictio in fine Missæ.*

Habetis Auditores vniuersæ liturgiæ Catholicæ partes, apparatum & ritus, iuxta vetustissimã Christianorum Ecclesiæ formam ex testibus non suspectis, sed probatissimis, succinctè & breuiter delineatas atque descriptas. Hæc liturgiæ Catholicæ forma si superstitionum, si abominationum, si Idololatrici cultus arguenda est; si theatricum & Mimicum spectaculum; si Ethnicismi, aut Iudaismi affectatio; si Cœnæ dominicæ mutilatio aut deprauatio; si denique *Deus Maozim* à Daniele prædictus, quem Antichristus veneraturus est, quia arx regni Antichristi est, habenda hæc liturgia est, (quæ omnia impurissimè & teterrimè affirmant & scribunt Protestantes;) eant nunc & eadem contumelia, verius dixerim blasphemia, vetustissimos patres atque veterem omnem Ecclesiam proscindãt; cum qua illa omnia habemus communia, quorum nomine tam tetras & insanas blasphemias contra Missam quotidie eiaculentur. Si autem veterem omnem Ecclesiam tam tetri criminis tantæque abominationis damnare non audent, aut si audent (quid enim non audent?) Christianæ saltem aures audire perhorrescũt agnoscant Romanæ Ecclesiæ liturgiam solam esse Ecclesiasticam, Christianam, Apostolicam. Suam illam verò vel potius suas illas cœnas (Multiformis enim hæc hydra est) agnoscant ipsissimo Antichristo nondum perfectè manifestato verissimam & apertissimam viam sternere; cui sanè & mysterio iniquitatis perpetuò operanti maximè proprium hoc erit, hoc iuge sacrificium quod Christianis proprium est, & quod ipsemet C Christus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech constituit, è medio tollere, idque *propter peccata* ait Daniel. Agnoscant denique per illos nunc inchoatum id esse, magnaque incrementa accepisse, quod Antichristi tempore futurum SS. Martyr Hippolytus scripsit ante annos 1200. *Ecclesiarum*, inquit, *ædes sacræ tugurij instar erunt, pretiosum corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis.* Hæc ille. Similia scribit Author operis imperfecti in Matth. *hoc sacrificium Christianorum tolletur ab Antichristo, non erit qui Ecclesiam intret aut oblationem offerat Deo.* Denique non alia de causa suo iam tempore vẽturum vehementer metuebat Sanctus Basilius quam quòd *domus precationum clausæ essent & altaria cultu spirituali vacarent.* Epist. 70. & 71. hic est Antichristianismi status, hæc præludia, hæc signa manifestissima, quæ si in nostra Missa iam olim obtinuerunt, multis iam seculis Antichristi regnum stetit, & contra Christi Ecclesiam præualuit. Sed quia quicunque hoc dicit, contradicit Christo dicenti, *contra Ecclesiam meam portæ inferi non præualebunt*, ideoque verè Antichristus est, profectò Antichristi prorsus illi hodie sunt, qui veteris Ecclesiæ sacrificium damnant, & iuge sacrificium ex Ecclesia tollunt. *Cap. 11* *Cap. 8.* *In Orat. de cōsummatione mundi.* *Homil. 47.* *Matth. 16.*

Dixi.

QVÆSTIO QVODLIBETICA 3. D

Vtrum hæreticorum maior ſit nequitia quàm Aſtutia?

August. de Ciuit. Dei lib. 18. ca. 51. Ciprian. in lib. de vnit. Eccle. Author operis imperfecti in Matt. hom. 48. Ioan. 10. Tit. 3. Rom. 16. Gal. 1. Ioan. epiſt. 2.

IN ſcriptura Euangelica & Apoſtolica, quia maximè poſt Euangelij propagationem & Apoſtorum prædicationem graſſaturæ hæreſes erant, quas idcirco idolis gentium, quibus mundus antea faſcinatus erat, ſucceſſiſſe à S. Patribus animaduerſum eſt; ideo potiſſimum & etiam frequentiſſimè de cauendis, vitandis, adeóque fugiẽdis hęreticis à Spiritu S. admonemur atque iubemur. Nam vt Saluator ipſe diſertè docuit quæ veræ eius oues eſſent, *alienos non audire, ſed fugere*; ſic Apoſtolus eius Paulus clara voce præmonuit *hæreticum hominem poſt vnam aut alterã correptionẽ deuitare; declinare quoque ab illis per diſſentiones & offendicula faciunt præter doctrinam, quam didicimus.* Imò anathema illis dicere *qui annuntiant aut Euangelizant præter id quod accepimus*, Denique *ne Aue eis dicere qui falſam doctrinam afferunt.* Huius autem tantæ tam ſeuerę ac toties repetitæ admonitionis, vel iuſſionis potius ac præcepti cauſas, præter alias, duas potiſſimum eſſe, eaſque maximè neceſſarias animaduerto. Nempe vt eſt hoc hominum genus omnium planè nocentiſſimum atque peſtilentiſſimum, (quippe qui fidem ipſam ſacroſanctam, *ſine qua impoſsibile eſt placere Deo* penitus ſubuertunt, ſub veræ tamẽ religionis ſpecie ac prætextu, ideóque tanto pernicioſius quãto occultius,) ſic duas maximè habet nocendi artes; duplici quadam peſte laborant; quas etiam eadẽ ſcriptura Euangelica & Apoſtolica diligenter nobis notauit, tradidit, expreſſit. Sanè vt agnitas caueremus; imò vt toto impetu totiſque viribus quaſi peſtem certiſſimam cito, & procul, fugeremus. Alterum hæreticorum hominum quaſi innatum quoddam & indiuulſum malum, eſt aſtutia, nequitia alterum: ex quibus duobus tertium conſurgit, nequitia aſtutiſſima vel aſtutia nequiſſima.

Hebr. 11.

E

Aſtutia hæreticorum.

Ac de aſtutia quidem hæreticorum in qua excellunt, quia ad nocendum promptior illa eſt, admonuit nos crebro Spiritus Sanctus. *Attendite vobis* (ait Saluator verbo vſus magnæ & ſolertis cuiuſdam diligentiæ:) *à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intus autẽ ſunt lupi rapaces.* Quæ autem maior aſtutia eſt, quàm ſub ſumma & perfectiſſima ſimplicitate, lupinã, qua nulla ferocior eſt, rapacitatem geſtare? Rurſum Apoſtolus vocat hæreticos, *pſeudoprophetas, operios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*, ideóque, *tanquam miniſtros Satanæ transfigurare ſe in Angelos lucis & in miniſtros iuſtitiæ.* Quibus quæſo verbis altiſſime ſimulata ſanctitas & diſſimulata iniquitas clarius aut expreſſius notari potuit? De hac etiam eorum aſtutia dicitur, *ſermo tanquam cancer ſerpere & ſubuertere ſimplicium fidem*, quia videlicet non aperto marte, ſed actis cuniculis animas capiunt: ideóque proprio nomine *ſeductores* in ſcripturis vocantur. Diſertéque Saluator ptæmonuit quòd exurgentes pſeudoprophetæ *ſeducent multos*, ideóque eos diligenter *obſeruandos, & declinandos* monet Apoſtolus, quia *per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium.*

Matth. 18.

2. Cor. 11.

2. Tim. 2.

2 Tim 3. Tit. 1. Ioan. Epiſt. 2. Matth. 24.

Rom. 16.

Ex quibus ſcripturis edoctus Auguſtinus ſapienter notauit, *per impium illum Cham qui interpretatur callidus, hæreticorum genus callidum ſignificari, callidum* inquit *non ſpiritu ſapientiæ, ſed ſpiritu verſipellis aſtutiæ quo ſolent hæreticorum feruere præcordia.* Hæc ille de Ciuitate Dei lib. 16. cap. 2. F

Nequitia hæreticorum.

2. Petr. 2. 1. Tim. 4. 3. Reg. 22. 2. Cor. 11. Ioan. 8. 2. Theſſal. 2.

Rurſum propter nequitiam, qua etiam inſignes futuri hæretici erant, vocantur in Scriptura quaſi proprio quodam epitheto, *magiſtri mẽdaces, in hypocriſi loquentes mendaciũ* Habere quoque *inhabitantem ſpiritum mendacem in ore ipſorum*: Denique *miniſtri Satanæ* qui vtique *pater eſt mendacij.* Ac poſtremò *Antichriſti* Epiſt. Ioannis 2. cuius aduentũ deſcribit Apoſtolus, *eſſe ſecundam operationem Satanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus.* Nulla enim maior nequitia aut iniquitas eſſe poteſt, quàm doctorem veritatis, magiſtrum eſſe mendacij. Itaque Apoſtolus Paulus hæc duo nequitiam & aſtutiam, hæreticorum propria quædam inſignia futura, eo in loco diligenter notauit, quo in loco Magiſterium S. Spiritus Eccleſię datum eſſe diligenter deſcripſit. *Aſcendit*, inquit, *Chriſtus in altum, dedit dona hominibus, & quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdas autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & doctores, ad conſummationem ſanctorũ, in opus miniſterij, ad ædificationẽ corporis Chriſti, ut iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circũferamur omni vento*

Epheſ. 4.

doctrinæ

A *doctrinæ in nequitia hominum,in Astutia ad circumuentionem erroris.* Quandoquidem ergo & cæteræ multæ scripturæ de astutia atque nequitia hęreticorum seorsim, & hoc in loco Apostolus de vtraque coniunctim nos monuit,ideoq; eo præsertim in loco, quo in loco Ecclesiæ saluberrimam Authoritatem ad extirpandas vel etiam abigendas hæreses à Christo datam,eiusq; Authoritatis finem & vsum amplissimum tradidit,descripsit, expressit,existimaui me hoc loco ac tempore,quo passim grassari hæreticorũ agmina quasique locustarum greges orbem penè Christianum depascere cernimus; nec ingratam nec inutilem operam facturum,si hac proposita quæstione quodlibetica,vtra censenda sit in hęreticis magis excellens, nequitiáne an astutia, (vtraque enim illos præpollere scripturæ docuerunt)de vtraque peste hac occasione aliquid differerem; pariterque eadem opera,quàm studiosè, solerter ac vigilanter cauendum nobis hodie, fugiendum, imò & execrandum hoc hominum genus est,si Dei honorem sartum tectum ,si salutem animarum nostrarũ saluam & sanam esse volumus;paucis prout hæc brevitas permittet, admonerem. Quod dum facio diligenter quæso & patienter (Auditores Catholici & orthodoxi) tantisper attendite.

De veterum hæreticorum siue nequitia,siue astutia minùs hoc loco in dicendo laborandum mihi video,vt quęstionis propositæ conclusio aliqua certa statuatur;tam amplã mihi & copiosam dicendi materiam præsentium huius temporis hæreticorum dicta ac facta subministrant.Quia tamen non iniucũdum nec etiam inutile est, quàm veteribus
B hæreticis hi hodie nostri persimiles sint;quámque verè & ad viuum,communem Patrẽ Satanam referunt,(totius nequitiæ principem,& astutię architectum)cognoscere atque perspicere:de illorum quoque hac in parte virtutibus egregiis,aliqua quidem sed pauca & breuiter notabo. Ac video me sanè amplissimum hic dicendi campum vel potius labyrinthum quemdã inextricabilem ingredi.Agam tamen & paucis & ordine quã possum luculentissimo.Priore autem loco de astutia,posteriore de nequitia agemus.

Prima ergo astutia veteribus hæreticis cum nostris hodie cõmunis illa est,longè perniciosissima,quòd in tota doctrina sua solum & purum putum prætexunt verbum Dei scriptum,tanquam omnium de religione controuersiarum componendarum normam vnicam & sufficientissimam.Quo in loco de Scripturarum sacrosancta maiestate,dignitate,excellentia,origine,vsu ac fine,mirum quanta facundia,copia,grauitate disputant, declamant,perorant suosque Auditores tanquam in tertium Cælum raptos,ac nihil nisi Deum ipsum in huiusmodi magistris animo complectentes,in sui admirationem,imò venerationem dementatos & incãtatos cõuertunt. Sed est hoc totum fucus Satanicus & fraus diabolica.Non solùm quia in scripto textu sacrorum Bibliorum omnia doctrinę capita expressè comprehensa non sunt, (quod euidenter ostendunt multa dogmata non scripta contra veteres hæreticos olim definita,vt Patrem esse ingenitum, Filiũ patri consubstantialem,duas esse in Christo naturas, aliáque similia permulta;) sed etiam quia illi ipsi tam veteres quàm noui hæretici, tanti solius scripturæ buccinatores & præcones,quàm plurima tamen extra scriptũ Dei verbum idque vt necessariò credẽda docent,affirmant,tenent.Ariani solas scripturas postulabant apud Athanasium in epist.de Synodis Arimini & Seleuciæ.& apud Augu.lib.1.contra Maximinum & Epist.174. Ijdẽ
C tamen ipsi quàm multa extra scripturas asserebãt, copiosè enumerat Athanasius in epistola iam citata & in disputatione corã Probo Iudice. Solas scripturas postulabant Eunomiani apud Grego. Nazanz.li.5. de Theologia.& apud Basilium lib. 1. contra Eunomium:Eutychiani similiter in Concilio Constantinopolitano sub Flauiano,quod recitatur inCalcedonensi Act.1.& 3.Pelagiani quoque apud Augustinũ in lib.1.de natura & gratia c.39.Iconomachi in Conc.Nicæ.2.Anathematismo 7. Albigenses apud D. Bernardum hom.66.in Can.Vuicleshistæ apud Vualdensem doctrinalis fidei lib.2.c.19.Eorundem tamen omnium hęreticorum propositiones & dogmata quæ mordicus contra Ecclesiam tenebant,erant voces non scriptæ.Hodie verò nostrorum hæreticorum pręcipua dogmata sunt *prophanæ vocum nouitates*, nec in scriptura comprehensæ, nec ab Ecclesia hactenus auditæ.Vt exempli causa, *Imputatiua iustitia;sola fides iustificans: specialis fides & apprehẽsio promissionũ:signũ,figura,energia corporis in Eucharistia,sub pane,cũ pane,in pane:ex solis electis cõstare Ecclesiã.Tã intra Ecclesiã quã extra,Satanã & Antichristũ regnare.Liberũ arbitriũ extinctũ esse aut titulum esse sine re.Sola peccata contra conscientiam esse mortalia:huiusmodi peccata*

De astutia hæreticorum tam veterum quàm hodie.

Prætextus solius Scripturæ astutia diabolica.

Plura de huius generis, astutia, vide Controuersias nostras nostras de Principiis fidei doctr. Lib.12.cap.7.

Protestantium dogmata non scripta.

excutere fidem. Ipsam fidem sine charitate non esse, imò ab illa distinctam virtutem non esse. In omni D
opere bono peccare iustum. Baptismum omnia peccata per omnem vitam consequentia sua vi & recordatione sui abolere. Hæc & alia permulta, voces, propositiones, dogmata sunt nullo scripto verbo comprehensa, & tamen ab illis magistris pertinaciter asserta qui in solo scripto verbo omnem necessariam doctrinam comprehendi & expresse contineri docent. Sed

Prætextus solius Scripturæ multiplex astutia.

1\. fraude, vt dixi, diabolica hoc fit, vt prætextu verbi scripti omnẽ ecclesiæ Authoritatem
2\. rescindant, multas damnatas hæreses renouent, noua quæcunque dogmata in scripturis
3\. expresse non damnata licenter de nouo introducant.

Altera hæreticorum astutia suas hæreses occultare.

Ad alia pergamus: neque enim immorari singulis licet. Astutia illa singularis, & veterũ & nostrorum est, hæreses ipsas suas multis & miris artibus dissimulare, tegere, occultare. De Arianis hoc notat diligenter Hilarius in lib. de Synodis, & eos hoc nomine *lucifugas* vocat Athan. in epistola ad Epictetum. De Sabellianis quoque idem notat Hilarius li. 5. de Trinitate. In Ioanne Hierosolimitano Origenista notat hoc accuratè Hiero. in epistola ad Pammachium cõtra errores eius. Deniq; de Pelagianis multis in locis hoc obseruat Augu. De peccat. mer. & remiss. lib. 3. c. 3. & 13. In lib. de peccato originali ca. 15. & lib. 4. cap. 2. & 3. Idem de Massalianis Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 4. Ac de Bogomilorum principe Euthymius panopliæ par. 2. tit. 23. Ac horum quidem hæreticorum astutia qualis fuerit, explicatè cõmmemorauimus in Controuersiis nostris de principiis fidei doctrin. lib. 7. c. 4. Nostri autem hodie hæretici id faciunt quoq;, & quidem studiosissimè: idque fraudibus & dolis malis partim propriis & pecularibus, partim sibi cum veteribus hæreticis communibus. De vtrisque aliquid dicendum est. E

Quibus artibus suas hæreses occultant hæretici moderni.

Propria quædam & insignis fraus hæreticorum hodie nostrorũ est in dissimulanda sua hæretica doctrina, vt in maximis de fide quæstionibus, scholasticorum disputationes & opiniones priuatas cum Catholica & publica Ecclesiæ doctrina admisceant atque confundant; idque toti ecclesiæ tribuant quod paucorum scholasticorum opinio est, quam vel ecclesia non approbat, vel certè de ea adhuc nihil in alteram partem definiuit. Hac enim fraude efficiunt, vt tum ecclesiæ causa vehementer prægrauetur, tum sua egregiè commendetur: dum videlicet illas quorũdam scholasticorum opiniones parum approbatas validè confutãt, Ecclesiæ doctrinã & religionem Catholicam strenuè expugnasse imperitis videantur. Sic in doctrina de peccato originali in quo potissimum propriè & præcisè illud consistat, de præparationibus ad iustificationem, an ibi sit aliquod meritum congrui, deque ipsa iustificatione nostra, priusne infundatur gratia quàm remittatur peccatum vel contra, istas, inquam, quæstiones quæ ad Catholicam doctrinam necessariò non pertinent; vel de quibus nihil certi est definitum; denique in quibus ante has cõtrouersias natas vel nũc in Conc. Trid. definitas, aliqua imprudenter asserta sunt; exagitant hodie Protestantes, tanquam certissima fidei & salutis nostræ capita, atque à nobis constanter & vnanimiter defensa. Similiter faciunt in doctrina trãssubstanriationis, de quorundam scholasticorum sententia existimantium posse fieri vt manente elementorum substantia, vera tamen constaret sacramenti ratio. Sic denique in Sacramẽtorum doctrina, quæ aliqui scholastici de vi sacramentorum veteris legis minus cõmodè scripserunt, aut etiam de virtute sacramentorum noui testamenti parum dexterè interdum opinantur, ac postremò quæ de cooperatione liberi arbitrij cum prima gratia per similitudines aut exempla minus idonea aliquando disputant, ea omnia ad receptã & constantem atque firmatam ecclesiæ Catholicæ doctrinam fraudulenter referunt. F Atque in hoc toto genere excellit Martinus Chemnitius in Examine decret. Conc. Tridentini. Cæterum friuola adhuc & parua ista sunt, præ aliis illis fraudibus & dolis malis de quibus nunc agemus.

1. Scholasticorũ priuatas opiniones cum Catholica Ecclesiæ doctrina confundunt.

Nempe ne hæreses suas apertè prodere & propalam in arenam producere cogantur, quoties cum Catholicis scriptoribus certamen ineunt ac pugnam instituunt, pro more habent insigni calliditate, statum quæstionis penitus immutare, vt simpliciori quidẽ lectori egregiè imponant atque illudant: aduersario autem doctiori negotium facessant. Sic in quæstione de cooperatione liberi arbitrij cum gratia, statum quæstionis esse aiũt, vnde habeat voluntas hominis nouos illos motus & actiones quibus ad Deum conuer-

Statum quæstionis in primariis cõtrouersiis immutant.

1\. sa iam rectè agere incipit: & se quidem docere ex Deo esse illos nouos motus: nos autẽ affirmare ex libero nostro arbitrio nos hoc habere: quod prorsᵘ Pelagianũ est. Fuit enim hic status

A hic ſtatus quæſtionis, ille ipſemet de quo inter Auguſtinum & Pelagianos olim tantopere certatum eſt. Cæterum hodie cum Proteſtantibus quæſtionis ſtatus eſt, nõ vnde in prima conuerſione nouos animi motus habeat conuerſus (hoc enim quin à diuina gratia habeat nemo Catholicus vnquam dubitauit) ſed quomodo diuina gratia hos nouos motus in homine recenter conuerſo operetur, an ſua ſola operatione, ipſa voluntate nihil agente ſed patiente tantum, quod illi affirmant; an vero cooperante quoque liberè cum diuina gratia ipſa volũtate, adiutorio gratię iam excitata & adiuta. Libertatis enim illa propria quæſtio eſt, ſitne liberum in ſua conuerſione ad Deum arbitrium noſtrum, an non. Nam vndecunque hanc libertatem habeat aſſentiendi vocanti Deo, ſi habet, liberum eſt; ſi non habet, ſeruum eſt. Peſtilens hæc eſt & fraudulenta multum ipſius τοῦ κρινομένου, inuerſio.

Idem faciunt in quæſtione de Iuſtificationis noſtræ cauſa formali. Aiunt enim quæri quæ ſit illa cauſa propter quam quaſi mouentem & efficientem acceptamur à Deo pro 2.
iuſtis, aut propter quam iuſti ſumus: quàm illi aiunt eſſe Chriſti iuſtitiam, obedientiam, meritum: nos verò noſtras qualitates inhærentes cauſam illam eſſe dicimus. Sed fraudulenter agunt. Quæritur enim cauſa non propter quam effectiuè iuſti ſumus, quam efficientem cauſam in ſolo Deo per Chriſtum ponimus; ſed per quam vel ſecundùm quã iuſti ſumus, ſicuti paries eſt albus propter pictorem dealbantem effectiuè, per albedinẽ inhærentem formaliter.

Idem faciunt in quæſtione de ſacrificio miſſæ, neſcio quas quorundam ſcriptorũ opi-
B niones proferentes, claram autem & dilucidam Catholicæ doctrinæ ſentẽtiam in Con. 3.
Trid. ſeſſ. 22. can. 1. & 2. traditam. & in ca. 1. ac. 2. eiuſdem ſeſſionis explicatam diſſimulãtes. 4.
Nec diſſimiliter faciunt in quæſtione de tranſubſtantitione diſputantes, an poſſit cũ pane ſubſiſtere in Sacramento Corpus Chriſti, cùm quæſtio ſit non, an hoc poſſit fieri diuina potentia abſoluta, ſed an ex verbis Chriſti dicentis, hoc eſt corpus meum, talis ſenſus poſſit aut debeat orthodoxè conſequi. Eadem planè fraude verſantur in quęſtione de reſeruatione ven. Sacramenti, de Purgatorio, aliiſque quæſtionibus hodie ab illis 5.
in Controuerſias vocatis; quæ omnia hoc loco explicare nimis eſſet prolixum. Atq; hęc de aſtutia noſtris propria.

Nunc ad illas fraudes veniamus quas cum veteribus hæreſibus communes noſtri hæretici habent in occultandis ſuis hæreſibus. *Qui enim male agit, odit lucem.* Vna & inſignis Ioan. 13.
fraus eſt, quod communicant ſæpe in verbis & forma ſermonis cum Catholicis, re tamẽ tota diſcrepãtes, & venena hac inſidiosè hac arte occultantes. Huius fraudis exempla ſunt, quòd ex verbis Dei tandem conuicti, agnoſcunt bona opera renouatorum atque iuſtorum eſſe iuſtitiam, ſed approbationis tãtùm non veritatis, quod eſt re ipſa iuſtitiam illis negare. Item, eſſe nos iuſtos iuſtitia quadam nobis propria nec extra nos poſita: ſed quia Chriſti iuſtitia nobis realiter imputatur, non quia verè nobis inhæret iuſtitia, quã Chriſti gratia per Spiritum S. operatur in nobis; quod eſt iuſtitiam nobis propriam & in nobis poſitam verè negare.

3. Sub verbis Catholicis dogma hæreticum occultant.

1.

2.

C Denique pœnitentiam, orationem, aliaque bona opera, nos iuſtificare quatenus ex fide fiunt, ſcribunt; ſed non eo ſenſu hoc ſcribunt, quo docetur fides eſſe initium & fun- 3.
damentum illorum aliorumq; bonorum operum, verùm quia nihil aliud illa bona opera eſſe cenſent quàm fidem ipſam, cuius ſolius opus eſſe volunt, quicquid iuſtus rectè & pie facit; quod eſt rurſum verbo tenus cum Catholica loqui, re tota diſſentire. Rurſum 4.
per ſacramenta ipſa verè offerri, exhiberi, atque etiam conferri gratiam Lutheranorum ſentẽtia eſt, cõtra allegoricos tropos ſacramẽtariorũ. Nõ tamẽ alio ſenſu hoc docẽt quã quia ſunt organa ſeu inſtrumẽta per quæ Deus reuelat, proponit, offert, & exhibet beneficia Chriſti, per fidẽ acceptãda: eodẽ planè modo quo per verbũ prædicatũ aut lectum Spiritus S. eſt efficax ad ſalutẽ omni credẽti; quia videlicet ſacramẽtorũ ritus & ceremoniæ, ſic incurrũt in oculos & excitãt fidẽ, ſicuti verbũ prædicatoris incurrẽs in aures ſimiliter excitat. Qui ſanè ſenſus à Catholica doctrina tã procul abeſt, quã priorũ verborũ forma ad Catholicã doctrinã propè acceſſit. Poſtremò docẽt Caluiniſtę realiter nos cõmunicare corpus & ſanguinẽ Chriſti in venerabili ſacramẽto, & quo totus Chriſtus ve- 5.
re nobis & realiter exhibetur. Sed ſenſus eſt quod fide à nobis apprehendatur etiam in cœlo abſens: fidei enim tantam vim eſſe, vt efficiat ea quæ verè abſunt verè nihilominus eſſe præſentia. Qui ſenſus portentoſus à Catholico ſenſu, cuius tamen verba retinent,

plus quam toto cœlo aberrat. Hæc sunt exempla aliquot huius generis astutiæ longè callidissimæ, & ad decipiendum efficacissimæ, sed cum veteribus hæreticis communis. D

Exempla vide longè luculentissima de Pelagianis circa verbum gratiæ & adiutorij apud Augustinum in lib. de gratia Christi cap. 2. 7. 9. 31. & 33. & de natura & gratia cap. 11. Circa effectũ baptismi in paruulis in lib. de peccato originali cap. 18. & de gratia Christi cap. 21. 32. & 33. Denique circa peccatum Adami in lib. de peccato orig. ca. 15. & 16. In his enim omnibus in forma sermonis cum Catholicis ita probè cõueniebant, vt non solùm Iudicibus suis doctis & sanctis Episcopis imposuerint, sed & ipsemet Augustinus se pro- *Sub verbis patrũ sensum hæreticũ occultant.* pemodum quoque deceptum fuisse scribat. Similis huic astutia illa est qua solent quidã huius temporis hæretici vocabula & phrases veterum patrum retinere, & sub eisdẽ hæ-
1. reticam sententiam inducere. Exempli causa quia distinguit August. in fine lib. de Spiritu & litera, & in lib. de perfectione iustitiæ, de iustitia perfecta & imperfecta, retinent illi hanc distinctionem; sed ita vt iustitiam imperfectam exponant illam esse quę aliquid semper immunditiæ & labis habeat, ideoque apud Deum verè peccatum semper sit. Eodem modo quia August. sine peccato neminem viuere & si posse concedit, vtũtur &
2. illi his Augustini verbis, vt probent hominem semper peccare & neminem iustum esse posse: Cum tamen August. de peccatis venialibus tantum illud dixerit, quę iuxta eius do-
3. ctrinam iustitiam non impediunt. Nec dissimiliter quod aliqui interdum Patres sola fide hominem iustificari dixerint, eo sanè sensu, vt opera legis vel naturæ sine fide & gratia Christi sensu Apostolico excludant, vel etiam quia absque fide nulla opera valẽt, trahunt illa patrum verba retenta verborum forma ad portentosum illum sensum, quo fides absque vllis operibus etiam in fide & gratia Christi factis in negotio iustificationis sit sola. Non minus certè hæc, quàm illa altera astutia pestilens est. In vtroque autẽ astutiæ genere, illud quod de sui temporis hęreticis notat S. Basilius locum habet, vbi dicit. E
Epist. 73. *Verbis fidei more medicorum vtuntur pro commoditate aliter atque aliter sese ad affectionum rationẽ ac varietatem attemperantes.* Hæc ille. Video me in hac enumeratione plus æquo prolixum esse. Itaque de vna adhuc insigni admodum Astutia, tam veterum quàm nostrorum hodie hæreticorum vbi dixero, ad nequitias pertexendas nostra se conuertet oratio.

Aliud astutiæ genus per hæretico dogmatis alterum extremum, proprium dogma tueri. Cùm veritas sicut virtus in medio quodam consistat; habeátque vtraque hinc inde, hæc quidem vitiorum, illa falsitatis extrema; vt vni semper veritati plura aduersentur falsa, ideoque hæresis omnis seu falsa doctrina in extremo aliquo versetur; mira quadã fraude hæretici tam veteres quàm hodie noui vt suæ turpitudinis extremum celarent, in alterum falsæ doctrinę extremum vehementer inuehere solent, idemque aduersariis suis impingere: non secus ac si de auaritia accusatus contra prodigalitatem declamaret vel prodigum esse aduersarium clamitaret.

Antiqui lib. 13. Cap. 18. Quem sanè in modum Pharisæos qui humanas suas traditiones contra Scripturam ventilabant, & Sadduceos qui nihil extra Scripturam admittẽdum esse dicebant, olim inter se commissos fuisse, & intestina odia multis annis exercuisse commemorat Iosephus. Exempla iam breuiter, sed illustria primum veterum, postea nostrorum subijciam.

Veterum hæreticorum in hoc genere exempla. Ariani Dei filium blasphemantes, Dei patris honorem multis verbis extollebant, & *sub vocabulo ingeniti* (ait Athanasius) *animi prauitatem occultabant.* In lib. de decretis Nicænæ F Synodi. Ijdem quoque Meletium orthodoxum personarum Trinitatem docentem Sabellianum esse clamitabant, vt narrat Theodoretus hist. ecclesi. libr. 2. cap. 31. Arius quoque ipse, *simulabat se Sabellium impugnare* ait Athanasius in lib. ad Serapionem. Hic autem Sabellius pro tribus personis Deum trinominem posuit personarum distinctionem negans, de quo lege Hilarium lib. 7. de Trinitate. Rursum Ariani *diuinitatem filij negantes, humanitatem Christi magnificè extollebant,* & (ait Athan. serm. 3. contra Arianos) *cùm abominabile esse eorum dogma apud omnes viderent, statim veluti fulchrum quoddam ruinosæ hæresi excellentiã humanitatis Christi subijciebant.* Alij verò hæretici qui Spiritum S. negabant, sed filium Dei agnoscebant, *Arianis se contradicere simulabant,* ait idem Athanasius in libro ad Serapionem.

. Sed excelluerunt in hoc genere Pelagiani, qui vt varias suas hæreses tegerent, Manichæos qui in altero extremo versabantur sese impugnare dicebant: ideoque Catholicos ipsos, Augustinum maximè, qui eorum dogmata refellebant, Manichæos esse proclamabant. *Ecce* (ait Augustinus de Pelagianis) *vnde noui hæretici Manichæorum nomine obiecto,*

A *obiecto, vim veritatis subterfugere se putant, quæ Manichæos tamen Pelagianosque simul subuertit.* Contra duas Epistolas Pelagi. libro tertio, ca.9. Et singula explicans eiusdem operis lib. Cap.4.
sequenti dicit. *Quid prodest Pelagianis quòd in laude creaturæ dicunt Deum omnium nascentium* 1.
esse conditorem, quod negauit Manichæus; docens naturam hominum esse opus principis tenebrarum, quando interea negant Deum esse omnium Saluatorem? Hoc enim faciũt negãdo cum peccato originali nasci paruulum. *Et sic inter vtrosq; vel apud vtrosque Dei creatura quæ est in infantibus, perit.* Quid eisdem prodest, quòd laudant nuptias, quas damnabant Manichæi, quando propterea hoc dicunt ne vel in nuptiis Christianorum vllam agnoscãt vitiosam esse cõ- 2.
cupiscentiam, vel ne ex eisdem fateantur nasci paruulos peccati reos? Quid eisdẽ prod- Ibid.cap.5.
est, quòd laudant legem veterem quam damnauit Manichæus, dum propterea legẽ laudant vt gratiam excludãt? Quid eisdem prodest, quòd laudant liberum arbitrium, quod 3.
negauit Manichæus, dum propterea laudant vt adiutorium gratiæ minus necessarium ostendant? Postremò quid eisdẽ prodest, quod laudant S. Prophetas & Patriarchas quos Ibid.cap.6.
reprobauit Manichæus, dum idcirco laudant sanctos, vt eos doceant sine peccato pror- 5.
sus in hac vita vixisse? Hæc de Manichæis & Pelagianis Augustinus, de quibus dicit *quòd* Ibid.cap.7.
morbis inter se contrariis confligunt, dissimili voluntate, simili vanitate: separati opinione diuersa, sed propinqui mente peruersa. Nam hoc interim commune habebant: quod gratiam Christi simul oppugnabant, baptismum Christi simul euacuabant: carnem Christi simul exhonorabant: sed modis causisque diuersis. Hæc Augu. contra duas epistolas Pelag. lib.2. cap.2.

Videte nunc obsecro & aduertite paulisper Auditores inter Protestantes hodie &
B Pelagianos eandem (vt sic dicam) dissimilem similitudinem, & eandem astutiam. Protestantes enim in quæstione de gratia & lib. arbitrio Pelagianos errores & dogmata nobis impingunt, seque ac suam doctrinam Pelagianorum hæresim impugnare aiunt. Sed id dum faciunt, in Manichæi insanias ruunt, & Scyllam Pelagianam declinãtes, in Charijbdim Manichæam impingunt. *Protestantes quo modo cum Manichæis conspirant dum Pelagianos deuitant.* Quid enim illis prodest contra Pelagianos agnoscere concupiscentiam ex peccato originali inuectam, non autem naturalem esse, dũ in- 1.
terea cum Manichæis eandem cõcupiscentiam sic exaggerant, vt omnem vitiorũ ac scelerum perpetuum fomitem illam esse doceant, *quæ* (ait Caluinus) *non secus atque incensa for* Instit.lib.2.
nax flammam & scintillas efflat, aut scaturigo aquam sine fine egerit, sic peccati nouos assiduè fructus cap.1.par.8.
parit. Hæc ille. Quid eis prodest contra Pelagianos adiuuantem gratiam asserere, cum ta- 2.
men cum Manichæis liberum arbitrium tollunt, & vel titulum esse sine re vt Lutherus asseruit, vel certè merè passiuè se habere cum prima gratia omnes affirmant? Quid eis prodest quod contra Pelagianos naturæ vires ægras fatentur, quando interea cum Ma- 3.
nichæis insanabiles faciant? Ideo enim iustitiam operum per gratiam renouantem negant, quia nondum sic sanatam aiunt vt possit iustè operari. Quid eis prodest cõtra Pelagianos agnoscere in peccato originali nasci paruulos, quando cum Manichæis nihilo- 4.
minus affirmant, *baptismum nihil cuiquam ad salutem afferre?* Postremò quid eis prodest cõ- Aug.hær.46.
tra Pelag. docere neminem sic perfectè iustum in hac vita esse, vt sine peccato veniali 5.
viuat, ideoque remissionem peccatorum per totam vitam esse necessariam, quando in-
C terea cum Manichæis docent impossibilitatem obseruandi mandata? Quare morbis inter se contrariis Pelagiani & Protestantes laborant. Vtrique enim per verum volunt seducere ad falsum. Vtrique dum ab aliis hæreticis ad seipsos homines volunt traducere mutare illis morbum cupiunt, non sanare: Denique vtrique præditi sunt dissimili voluntate, simili vanitate; separati opinione diuersa, sed propinqui mente peruersa. Nam gratiam Christi simul oppugnant, illi vt non necessariam, isti vt non sufficientem. Baptismũ 1.
Christi simul euacuant, Illi vt non necessarium peccato originali, isti vt non necessarium 2.
omnino ad salutem. Peccatum originale simul peruersè exponũt: illi prorsus negando, 3.
isti eius reliquias nimium exaggerando. Paruulorum salutem simul destruunt, illi eos mox natos illuminari à Christo asserentes, propter illud, *Erat lux vera*, &c. teste Augu. de Instit.lib.4.
peccatorum Mer. & remiss. lib.1. cap.25. isti etiam nondum natos esse filios Dei propter cap.15.par.10. & cap.16.p.6.
illud *Ero Deus tibi & semini tuo*: vt docet Caluinus. Denique iustitiam Christianam simul peruertunt: illi ex solo lib. arbitrio comparari eam posse docentes, isti ne quidem ex adiutorio gratiæ ad illam perueniri affirmantes.

Postremò rectè quidem contra Pelagianos fatentur non in lege, non in doctrina, *Protestantes etiã cum ipsis Pelagianis in multis conueniunt.*
non in reuelatione, non in exemplis vel Christi vel sanctorum, denique non in natura

consistere gratiam iustificantem, improbè tamen cum eisdem Pelagianis in sola remis- D
sione peccatorum hanc gratiam consistere apertissimè docent. Rectè cõtra Palagianos
2. agnoscunt cõcupiscentiam esse vitium naturæ per peccatum corruptæ etiam in sanctis
remanens, non autem esse naturale. Sceleratè tamen contra Ecclesiam tenent sic esse
vitium, vt sit etiam in renatis proprij nominis peccatum: quod Catholicorũ esse senten-
tiam mentiebantur Pelagiani teste Augustino. Rectè agnoscunt contra Pelagianos in
3. Con. 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 13. baptismo fieri remiss. peccatorum: sed sceleratè faciunt quod nec per baptismum id fie-
ri concedunt, nec verè radicitus tolli, sed tantum radi peccata docent, quod Catholicis
etiam impingebant Pelagiani, teste Augustino. Rectè denique gratiam Christi grauitò
iustificantem sine vllis præcedentibus meritis contra Pelagianos docent: sed improbè
Ibidem. tamen propterea negant ad iustificationem aliquid facere obediẽtiam legis, quod pro-
4. pterea negare Catholicos Pelagiani obijciebant eodem teste Augustino. Postremò re-
Con. 2. epist. Pelag. lib. 3. cap. 2. ctissimè in singulis actibus necessitatem gratiæ contra Pelagianos docent: sed impro-
bissimè inde consequi volunt, nihil propterea facere liberum arbitrium. Sic enim & ipsi
colligebant Pelagiani dicentes; *Si indiget homo auxilio gratiæ ergo non est liberum arbitrium.*
5. apud Augustin. Epistola 106. & apud Hiero. ad Ctesiphontem. Egregia ergo & callidis-
sima sed vana & improba astutia Pelagianismum se impugnare Protestantes aiunt, &
Pelagianismi Catholicos redarguunt, dum Pelagium declinantes, vel Manichæo adhæ-
rent vel in tertium quoddam extremum delati, deteriora Pelagianis docent.

Video me dum has astutias nostrorum hodie hæreticorum commemoro, longius
Aliæ adhuc astutiæ hæreticorum hodie. progredi quam huius temporis ratio postulat. Itaque multis aliis prætermissis, vt, quod E
inter disputandum *miscent quæstiones non necessarias, copiose probando quod in quæstione non est,*
Con. 2. epist. Pelag. lib. 1. cap. 10. more etiam Pelagianorum teste Augustino, quod grauissimos quosdam errores *quæstio-
nes esse præter fidei periculum*, quum vrgeri se vident affirmant; vt de Pelagianis quoque
notat Augu. de peccato origin. libro 2. cap. 22. quòd denique dogmata, cultus, & ritus
Ecclesiæ præsentes execrantur, & damnant, tanquam verbo Dei contraria, superstitio-
num, abominationum & idolomaniæ plena; eadem tamen dogmata eosdem cultus &
ritus in sanctis Patribus & veteri Ecclesia *pro nænis, pro stipulis, pro contagio illius seculi toleran-
da dissimulent*, istis inquam & multis aliis astutiæ & calliditatis generibus prætermissis, ad
alteram huius quæstionis partem venio, & de nequitiis hæreticorum aliquid dicere ag-
grediar.

Qua etiam in parte plurima mihi prætermittenda video, si vestra Auditores patientia
& tanto ornatissimorum virorum consessu nimium abuti nolim.

De nequitiis hæreticorum. Cùm itaque nequitiæ hæreticorum tam veterum quã hodie nostrorum valde sint va-
In Orat. cum controuers. nostris de Princip. fidei Doctr. excusa. riæ multiplices, atque insignes, quin & ipsa hæresis summa sit quædã ex seipsa impietas;
neq; de hac intrinseca huius mali peste, de qua olim copiosè me dixisse in scholis nostris
memini, neque de veterum hîc nequitiis quicquam attingam. In nostrorum quoq; hæ-
reticorum nequitiis percensendis nihil dicam de spoliis & rapinis Ecclesiarum; omit-
1. tam seditiones, rebelliones, & infinitas tam corporũ quàm animarum strages quas de-
2. derunt: Tacebo *quod ædificant Sion in sanguinibus* (quod vehementissimis verbis Michæas
Cap. 1. propheta execratur) & Apostolos huius ætatis quum esse se dicant, parum Apostolicè F
3. ne dicam pistolicè aut potius mahometicè (de quo scribitur *quòd gladio legem tulit*) Euan-
gelium suum propagare studeant. Prætermittam veteres hæreses quas renouarunt, Ma-
nichæorum, Pelagianorum, Iconomachorum, Vigilantij, Ætij, Iouiniani, Donatistarum
4. & aliorum; Non attingam pestilentissima dogmata, Solam fidem iustificare, id est, *iusti-
5. tiam fidei solutam esse conditionibus legis, nec solum opera non requirere, sed nec cum iustitia operum
Pestilentissima Protestantium dogmata. stare posse*, vt disertè scripsit Caluinus: obedientiam enim quam requirit à nobis Christus
non aliam esse quàm credere *& per fidem currere ad gratuitas epulas illius qui fecit cænam ma-
gnam*, vt docet Illyricus in lib. contra Tiletanum. Denique *quoties lapsi fuerimus, repetendam
esse baptismi memoriam, & hac armandum esse animum, vt de peccatorum remissione semper certus
securusque sit*, vt scribit Caluinus Institu. libro 4. cap. 15. pa. 3. Dissimulabo portentosa dog-
6. mata, quæ disseminarunt, vt Deum esse authorem mali, nec ordinatorem tantum sed
Protestantium portentosa dogmata. & operatorem peccati: Deum non plus posse quàm ordo rerum iam creatarum postu-
lat imò quàm in scripturis se facturum reuelauit; Christum quoque in Inferno ditos
damnatorum cruciatus in animo subijsse; quæ omnia execranda dogmata execrabilis
ille Caluinus docet Institu. libro 2. cap. 4. par. 3. lib. 4. cap. 17. par. 24. libr. 2. capite 7. pa. 5.
lib. 2.

A lib.2. cap. 16. par.10. Non commemorabo denique horrendas blasphemias in Aposto- 7.
los, quos *garrire ad libitum* scribit Caluinus, lib. 4. cap. 8. sect. 4. *si quicquam plus doceant quā* *Exercanda blasphemia.*
Christus viua voce antea docuit; & in Spiritum Sanctum de quo idem dicit, *attentè notandam* *Ibidem para. 8.*
esse restrictionem illam, suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, vt non alia possit suggerere
Spiritus Sanctus quàm quæ Christus viua voce docuit: hæc inquam omnia, has tot & tantas,
tam infandas, tam execrandas nequitias; hoc loco, ac tempore breuitatis causa non
attingam.

Illud vnicum nequitiæ genus tractabo, quod propriè hæreticis in scripturis tribui
iam dudum ostendimus. Mendacia eorum persequar, quia propriè & Antonomasticè 2. Petr. 2.
magistri mendaces à principe Apostolorum hæretici vocātur. Sed nec omnis generis mē-
dacia illis propria hoc loco persequi vel etiam attingere vllo modo potero. Ab illis er-
go & numero penè infinitis & turpitudine maximis illorum mendaciis percensendis 8.
hic supersedebo, quibus Sacratissimas scripturas, cōcilia, patres, historias veteres in suis
disputationibus & scriptis deprauant, mutilant, & mendacissimè allegant. Illa solum- 9.
modo mendacia hoc loco attingam, quæ quamuis tam euidentia sint & luculenta vt
palpari quodammodo à quouis possint; perniciosissima tamen sunt, & quibus non aliis
magis non solum simpliciori populo imposuerunt, sed etiam apud cordatos ac pruden-
tes imò & pios, ac Deum timentes viros, in grauissimum odium atque inuidiā, religio-
nem, & doctrinam Catholicam adduxerunt.

Ista mendacia ea sunt in quibus Catholicæ doctrinæ ea affingūt atque attribuunt, *Hæreticorū horda mendacia circa doctrinæ Catholicæ capita controuersa.*
B & tanquam totius Ecclesiæ Catholicæ receptissima dogmata & sensum constantissi-
mum confutant, quæ non solum Ecclesiarum magistri, & docti interpretes aliquando
vel per somnium non cogitarunt; sed quæ etiam maiori ex parte vixè rudi plebecula
Catholicus aliquis aliquando senserit, aut in animum seriò induxerit. Ea dum hic non-
nulla & præcipua commemoro, paulisper quæso aduertite. Videbitis enim quibus arti-
bus & dolis malis Catholicam doctrinam, quam hodie papisticam per contemptum
vocant, apud tam multos tam exosam & detestabilem reddiderint.

Aiunt, docent, scribunt, nos Catholicos dicere contra voluntatem Dei fa- 1.
ctum fuisse, quod quædam ab Apostolis scriberentur, imò hoc illos prohibuisse: *Circa scripturas*
quia scilicet docemus nusquam hoc Apostolis à Christo (quod legimus) præceptum
fuisse.

Aiunt, docent, scribunt, nos Catholicos dicere habere Ecclesiam authoritatē reii- 2.
ciendi scripturam, quam certo constat diuinitus inspiratam esse: & quod ipsa scriptura
omnē suam Authoritatem ab Ecclesia mutuatā habeat, non ab authore ipso S. Sancto,
adeo vt si Ecclesia præsens scripturam sua Authoritate desereret, non plus illa per se va-
leret, quàm fabulæ Æsopi. Quia scilicet docemus scripturas nobis non innotescere (or-
dinariè loquendo) nisi per Ecclesiæ Authoritatem, sicuti alia omnia dogmata per ean-
dem Authoritatem nobis ordinariè innotescunt.

Aiunt, docent, scribunt, nos Catholicos dicere donum interpretationis sic esse *Interpret. Script.*
successioni & cathedræ alligatum, vt quicunque ad Episcopalem thronum eueha-
tur, eius qualescunque interpretationes statim recipiendę sint, ex priuilegio loci. 3.
Quia sanè docemus ab Ecclesiæ magistris & Pastoribus in vnitate Cathedræ Ecclesia-
C sticæ permanentibus, & vnanimiter dicentibus petendam esse Scripturæ Interpreta-
tionem.

Aiunt, docent, scribunt, nos dicere ac docere veterum Patrum Interpretationes 4.
esse simpliciter recipiendas, siue verbis Scripturæ consentiant, siue non. Mētiuntur, in-
sidiantur, tergiuersantur. Nam illas admittimus consentientes cum verbo Dei: sed
vtrum consentiant necne, Ecclesia illas approbando iudicauit, non quorumcunque est
hoc iudicium.

Aiunt, docent, scribunt nos pugnare pro traditionibus non scriptis contra scri- 5.
pturam, quia multas agnoscimus extra, & præter scripturam. Item quod illas an- *Circa Traditiones.*
teponimus mandatis diuinis, quia æquamus non scripta Dei mandata, scriptis man-
datis.

Aiunt, docent, scribunt, nos Catholicos tribuere bonis operibus impiī ante iu- *Circa iustificationem.*
stificationem, meritum iustificandi: & quod eadem opera disponentia ad iustificatio-
nem soli tribuimus naturæ: Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur. Constans enim est

Catholicæ Ecclesiæ doctrina, talia opera disponere non mereri, & specialis gratiæ opera esse non naturæ. D

8. Aiunt, docent, scribunt, apud nos paradoxotaton esse quod fides sit nomen Dei, & quod per fidem intelligamus historicam notitiam & nudum assensum reuelatis. Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur. Docemus enim illam esse assensum ex dono gratiæ intus docentis, & testimonium perhibentis, quantumuis & Ecclesiæ vocem foris audimus.

9. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere semper esse dubitandum de gratia Dei, & conscientiam semper debere fluctuare, quia non docemus illorum inanem fiduciam seu præsumptionem, aut quasi de spe firma ac certa nihil doceret Ecclesia.

10. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere ac docere remissionem peccatorum & primam adoptionem ex meritis nostris pendere; quia docemus vitam æternam bonorum operum meritis comparari. Quæ duo quàm sint diuersa, nemo fidelis non intelligit.

11. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere ac docere Philosophos & gẽtes saluari per opera naturæ seu moralia absque fide in Christum: quia docemus quædam opera præparatoria ante acceptam iustificationem per speciale auxilium gratiæ Dei fieri, quæ & Deo sint grata, & nos ad iustitiam disponant.

12. Aiunt, docent, scribunt, nos docere bonorum operum necessitatem in adultis ad iustitiam, quia sacrificium & meritum Christi insufficiens existimamus ad nos coram Deo iustificandos: ideóque nostra opera addenda esse passioni Christi vt ex vtrisque debita mensura iustitiæ expleatur. Quum tamen non ignorent nos non hac de causa, sed propter manifestissimas Scripturas hæc opera in adultis exigentes hanc bonorum operum necessitatem docere. Quæ etiam docemus tum per Christi gratiam à nobis fieri, tum per Christi meritum cui innituntur, merendi vim & valorem accipere. E

13. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere ac docere, quod sacramenta nouæ legis conferunt gratiam sine vllo bono motu suscipientis: quia sanè docemus ea conferre ex opere operato: id est, gratiam quæ confertur non per dispositionem suscipientis quasi causam eius vel meritoriam vel aliquo modo efficientem, sed per signum sacramentale diuinitus institutum rite disposito conferri.

14. Aiunt, docent, scribunt, nos ponere efficaciam in sacramentis tãquam in causis partialibus, quæ adiuuent diuinam virtutem: quia docemus per sacramenta Deum operari, quæ ipsemet instituit.

15. Aiunt nos excludere fidem ex toto vsu sacramentorum, quia videlicet eam supponimus, nec expressam eius semper mentionem facimus.

16. Aiunt, docent, scribunt, nos dicere quòd prosunt sacramenta iis qui sunt in peccatis mortalibus; quia docemus ea prodesse non ponentibus obicem, id est, (aiunt illi) nõ habentibus propositum de nouo peccandi. Sed latius nos illum obicem accipimus & intelligimus: (quod nec illi ignorant) nempe pro complacentia & delectatione aliqua siue pro indolentia præteritorum peccatorum.

17. Aiunt, docent, scribunt, nos docere fractum esse prorsus baptismi fœdus, quia pœnitentiæ secundam tabulam asserimus: quod tamen non fractum sed violatum & nobis iam sine noua pœnitentia inutile factum docemus. F

18. Aiunt, docent, scribunt, nos docere ab intentione ministri interiori & circa effectũ sacramenti veritatem & vim sacramenti pendere, quia intẽtionem requirimus faciendi quod facit Ecclesia: quæ certè intentio non circa effectum, sed circa actionem sacramenti versatur.

19. Aiunt, docent, scribunt, nos Catholicos docere in baptismo non dari Spiritum S. nec tunc fieri filios Dei, quia docemus in confirmationis sacramento Sp. S. dari: quasi nesciant ad varios effectus Sp. S. dari. & Apostolos ipsos ad vim remittendi peccata accepisse Spiritum S. antè passionem. Ioannis 20. sed ad robur docendi, ac piè viuendi accepisse Spiritum S. in die Pentecostes.

20. Aiunt, docent, scribunt, nos docere manifestam ἀρτολατρίαν, seu panis adorationem, cum tamen certissimè sciant nos docere, nihil substantiæ panis aut vini remanere.

Aiunt,

A Aiunt, docent, ſcribunt, nos tribuere externæ adorationi Euchariſtiæ maxima merita, ſine vlla pœnitentia, aut vera fide: cùm certò ſciant ne quidem ſacramento ipſi ſuſcepto tale aliquid nos tribuere. 21.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos perſuadere populo, multò eſſe præſtantius circumgeſtatam Euchariſtiam publico feſto venerari, quàm ad eius communionem accedere. 22.

Aiunt, docent, ſcribunt, Eccleſiam vendicare ſibi poteſtatem diſpenſandi de Calice, etiamſi Chriſtus inſtituerit, etiam de præcepto vtramque ſpecialem: quum tamen non ignorent de Chriſti Inſtitutione circa vtramque ſpeciem diſtribuendam nos longè aliter ſentire ac docere. Nempe talem diſtributionem perpetuò futuram Chriſtum non inſtituiſſe vel præcepiſſe. 23.

Aiunt, docent, ſcribunt, ſacrificium Miſſæ, & ritus eius deſtitui, non tãtum Scripturæ ſed etiam totius Antiquitatis teſtimoniis. Quum tamẽ ipſimet propter huius Sacrificij ritus ipſam Antiquitatem Iudaiſmi & Ethniciſmi affectati accuſent. 24. *Circa Ceremonias.*

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere eum mortaliter peccare qui qualemcunque ceremoniam in Miſſæ celebratione prætermiſerit; illis quoque ceremoniis nos peculiaria merita tribuere. Neutrum, opinor, vel ſimpliciſſimus aliquando ſacerdos ſibi vnquã vel in animum induxerit. 25.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere quoſcunque ritus ſeruandos eſſe ſi iubeat Pontifex, etiam ſi ex verbo Dei impij & noxij eſſe deprehendantur: quia ſanè docemus conſuetos & receptos Eccleſiæ ritus, non eſſe temere violandos, aut à quouis priuata libidine commutandos. 26.

B

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere ceremonias in adminiſtratione ſacramentorũ æquè eſſe neceſſarias atque ea quæ Chriſtus ipſe inſtituit, quum tamen non ignorent clariſſimè Catholicos diſtinguere ea quæ ad eſſentiam pertinent ab iis quæ ad integritatem: & vtraque ab iis quæ ad decorem & ornatum, vel etiam ad ædificationem ſpectant. 27.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos quaſcunque corruptelas & ſuperſtitiones approbare, ſi aliquam vel Antiquitatem vel generalem acceptationem adepta fuerint; quia ſanè tales vel toleramus interdum pacis cauſa, vel non ſtatim abrogamus ad illorum tumultuoſos clamores. 28. *Cælibatus.*

Aiunt, docent, ſcribunt, nos damnare laicorũ coniugia pro vita carnali & mundana, & prohibere nuptias, cum Manichæis, quia virginitatem eis anteponimus. 29.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos Donatiſtarum furorem renouare, quia infamem concubinarium à ſacris altaribus arcemus. 30.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos idola colere & ſaxa venerari, quia diuorum Imagines honoramus. 31. *Imagines.*

Aiunt, docent, ſcribunt, nos mortuis ſacra facere quia Sãctorum feſta celebramus. Et in hoc genere non verecundantur dicere nos plus Chriſtophoro quam Chriſto deferre. 32. *Inuoc. S.*

Aiunt, docent, ſcribunt, nos donum fidei excludere, quia Eccleſiam audimus. 33. *Pœnitentia.*

C Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere Contritionem oportere ſufficientem eſſe, dolorem quia deſideramus vehementem.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere omnium peccatorum plenam & perfectam enumerationem eſſe neceſſariam, ſiue ea meminiſſe poſſimus ſiue non: quum tamen apertiſſimè doceamus ea eſſe aperienda quorum meminiſſe poſſumus adhibita debita diligentia. 34.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere hominem tum tantum eſſe in ſtatu gratiæ, vt accedat ad ſacramenta, quando eſt purus & purgatus ab omni prorſus peccato: quia mortali peccato vacuum huiuſmodi eſſe debere piè docemus. 35.

Aiunt, docent, ſcribunt, nos Pont. Rom. Deum quendam in terris facere, eique tribuere diſpenſandi poteſtatem, contra Apoſtolos & Euangeliſtas, contra vetus & nouũ teſtamentum. Sed mentiuntur, inſidiantur, tergiuerſantur. 36. *Rom. pont.*

Aiunt, docent, ſcribunt, nos docere ſacerdotem eſſe mediatorem inter Deum ac homines, & quod Chriſto proprium eſt, Sacerdotibus tribuere: quia docemus, eos illius 37. *Sacrificium.*

sacrificij ministros esse in quo mediator Christus Deo patri ab Ecclesia offertur, & pro Ecclesia offertur. D

38. Aiunt, docent, scribunt, nos dãnare creaturas Dei cum Manichæis, & ponere sanctitatem in delectu ciborum, quia ieiunia Ecclesiastica seruamus in quibus mortificationem corporis & obedientiam exercemus.

39. Aiunt, docent, scribunt, nos ponere sanctitatem & cultum in vestitu & habitu sacerdotali vel monachali: quem non ad sanctitatem sed ad sanctitatis admonitionem & significationem, itemque ad distinctionem gestamus.

40. *circa Eccles. Authoritatem.* Aiunt, docent, scribunt, nos prælatis Ecclesiæ infinitam potentiam quiduis iubendi & instituendi tribuere: denique tam ea permittendi quæ Christus prohibuit, quàm ea prohibendi quæ Christus instituit.

41. Aiunt, docent, scribunt, nos docere præstantiora esse opera, quæ mandatis Ecclesiæ præscribuntur, quàm quæ Deus ipse in verbo suo nobis præscripsit. Cuius mendacij nullum vel apparentem fucum habent.

42. Aiunt, docent, scribunt, in doctrina pœnitentiæ altum esse apud nos de fide silentium, & spem veniæ omnem nos excludere. Sed mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur apertissimè.

43. Aiunt, docent, scribunt, nos eos tantum esse in statu gratiæ & ad Cœnæ Dominicæ communionem admittendos esse, docere, qui puri purgatique ab omni peccato sunt. Caluinus Instit. lib. 4. c. 17. paragr. 41. Quum clarè sciant nos de peccatis tantum mortalibus hoc docere, non autem de venialibus, sine quibus in hac vita nemo etiam sanctissimus viuit. E

Hæc sunt quæ mihi occurrere, & in mentem his diebus meditanti venire potuerũt, contra Catholicam & orthodoxam doctrinam, contra notissimas fidei nostræ regulas, luculenta & splendida nostri temporis hæreticorum mendacia, quibus illi populum colos. 1. Christianum hodie fascinarunt, *vt non obedirent Euangelio quod audierunt, quod prædicatũ est in vniuersa creatura quæ sub cœlo est*: quibus Ecclesiæ Catholicæ doctrinam sacrosanctã in opprobrium, calumniam & contemptum per summum nefas adduxerunt: Denique in quibus illustres se admodum mendaciorum Magistros præstiterunt & omnes vt arbitror, cuiuscunque ante hæc tempora sectæ hæreticos fortiter superarunt.

Quæstionis resolutio. Vt hanc ergo quæstionem concludamus & toti huic disputationi celeberrimæ finem salutarem imponamus; pro quæstionis sanè solutione respondendum & concludendum ex præmissis existimo, hæreticorum sanè omnium in genere maiorem esse astutiam & calliditatem, quàm nequitiam & impietatem: Fuco enim quodam & specie pietatis atque doctrinæ ad hæreses amplexandas ante hæc tempora Christiani allecti sunt, magisque seducti quàm adducti. Nostrorum autem hodie hæreticorum maiorem esse nequitiam quàm astutiam; plusque eos scelere & impietate, quàm dolo & calliditate præualuisse.

Disputationis autem præsentis (si non displicet Auditores humanissimi) hic finis erit, vt hac qualicunque explicatione accepta; primùm de Reformatione prætensa sed vera totius religionis transformatione & innouatione quadam tertia; deinde de horũ Reformatorum cœna nihil minus quàm Dominica, Christiana aut Ecclesiastica; ac postremò de hæreticorum sanè omnium, sed huius temporis maximè & multiplici astutia, & incredibili nequitia; sic ex hoc loco discedamus, vt hoc hominum genus tanquã animarum nostrarum pestem certissimam, tanquam reipublicæ Christianæ hostes longè infestissimos, tanquam denique diuini nominis ac numinis prophanatores teterrimos, studiosè declinemus, quàm longissimè à nobis abarceamus, ac denique odio perfectò oderimus. F

Dixi.

A QVÆSTIONES QVODLIBETICÆ ALIÆ tres in collegio Regio mense Decembri anno 1579. Oratione perpetua diſputatæ.

QVAESTIO I. CVM ARGVMENTIS.

Vtrum horum temporum hæreſes proximam Antichriſto viam parent.

Præſidis Quodlibetarij Primum Argumentum pro parte negatiua.

ETERES hæreſes maximè contra Chriſti Domini perſonam militabant, vt Ebionis, Marcionis, Valentini, Manichæi, Arij, Apollinaris, Neſtorij, Eutychetis & Monothelitarum: quarum etiam pugna tam vehemens, ſeductio tã valida fuit, vt ex illis omnibus, variiſque Hæſitantium ſectis poſt Concilium Chalced. exortis, conflatus tandem Mahometiſmus Chriſti nomen penitus abolere ſummo conatu attentauerit; & de facto maximam Orientis partem, totamque Africam, & (vt hodie compertum eſt) totam Indiam Orientalem vel à fide Chriſti B abduxerit, vel ad Mahometis cultũ traduxerit. Vt pote cuius vnicus ſcopus fuerit, (vt Alcoranus ille paſſim ſcribit) *vnum eſſe Deum ſine Participe*; id eſt, ſine illa perſona quem filium Dei & diuinitatis conſortem eſſe credimus. Præſentes verò hæreſes ſanam doctrinam de Chriſti perſona prorſus integram retinent & illas hęreſes veteres contra Chriſti vel diuinitatem vel humanitatem veram nõ ſecus atque Catholici execrantur. Quare ſi vllæ hæreſes viam Antichriſto proximam paraſſe cenſendæ ſunt, potius de veteribus illis quàm de noſtris hodie cenſendum hoc eſt.

Secundum Argumentum.

NOua hæc & reformata religio (quæ prauitatis hæreticæ arguitur) duobus potiſſimũ capitibus nititur, quæ vtraque Chriſti gloriam & maieſtatem vel maximè illuſtrant. Quorum vnum hoc eſt, nihil in fidei dogma aut cultum religionis recipiendum docere, quàm quod Chriſtus ipſe viua voce iñ terris docuit, & in ſcripta Euangelica relatum eſt. Alterum eſt quod fidem mediatoris Chriſti ita diligenter prædicant & vehementer extollunt, vt illa ſola fide quæ gratuitam Dei miſericordiam in vno Chriſto reſpicit, quæque non aliam quàm ipſius Chriſti iuſtitiam credenti certiſſimè imputandam apprehendit, vniuerſam noſtrãm ſalutem, iuſtitiam, ſpem & fiduciam conſiſtere doceant. Quo vno nihil potuit ad Chriſti gloriam, & ad illius beneficia prædicanda magnificentius doceri. Detrahitur enim rebus aliis omnibus vt ſoli Chriſto totum tribuatur. Eſt ergo incredibile ad Antichriſtum hos homines viam parare, eamque C proximam & expeditiſſimam, quorum doctrina vnius Chriſti gloriam tam excellenter illuſtrat.

ORATIO I. QVODLIBETICA.

Vtrum horum temporum hæreſes proximam Antichriſto viam parent.

IN celeberrimam hanc quodlibeticam paleſtram iam ſecũdò prouocatus (Auditores humaniſſimi) & ab iis magnopere rogatus, quibus meam hac in re operam negare cõmodè non potui; planè quod in ſuperioris anni curriculo feci vt contra præſentes hæreſes aliquid diſputarem, idem & nunc nihil mutato conſilio denuo mihi faciendum eſſe iudicaui. Video enim cõtra hoc peſtilens malum nihil ſatis vnquã aut frequenter,

aut acriter,aut copiosè dici posse.Adeo illud & vberrimam disputandi materiam præbet;& tam infestè præterea non in vicinia rãtum tota,vt à multis iam annis,sed in ipsis nunc intimis visceribus nostris grassatur;vt de hoc malo vel solummundo vel certè potissimum disputare debeat,qui cum aliquo Auditorum fructu & laboris sui commodo disputare vult.In pace summa Ecclesiæ,quum circum latrantis hæresis vox nusquam audiretur,scholasticę tantum & de subtilioribus circa fidei mysteria quæstionibus erãt disputationes istæ Quodlibeticæ. Hinc enim tot hodie scholasticorum de rebus grauissimis disputata legimus quodlibetica. Sed alias disputationes, quæstiones alias, hæc ætas postulat;hic locus desiderat; hoc auditorium à me præsertim, qui hæreticorum antagonistem me publicè profiteor,meritò expectat.Agamus ergo & nobilem illam hisque tẽporibus imprimis necessariam quæstionẽ à Doctissimo Domino Quodlibetario mihi hodie propositam expendamus.Quæritur, an horum temporum hæreses proximam Antichristo viam parent, vel quia ita quasi ad hereticæ prauitatis summum fastigium per illas peruentum est,nihil vt huic prauitati addi queat, ideóque postremæ sint istæ, veluti in hoc genere perfectissimæ;vel quia huiusmodi sanè sunt vt ad venturum Antichristum mortalium corda mirificè disponant,& ad eum recipiendum viam & latissimam & expeditissimam aperiant. D

Et grauiter sanè in vtramque partem à Doctiss. Domino Quodlibetario disputatũ est,vt in tam dubia & difficili quæstione, quò se animus inclinet, haud ita facilè prima statim facie perspicere liceat. Ego verò vt quod prorsus sentio liberè & breuiter & apertè dicam,horum tempor*u*̃ hæreses planè huiusmodi esse iudico, vt hæ solæ & proximam & paratissimã Antichristo viam parent.Cuius meę cogitationis causas & rationes tum varias tum grauissimas dum profero atque demonstro,diligenter,quęso,quod faciris,attendite. E

Propositio.

Omnes hæreses Antichristo viã parant.

Ac illud primum nemo mihi,opinor, negabit, omnibus hæresibus quæ post Christi legem promulgatam in Ecclesia exortæ sunt,commune hoc esse,vt magno illi Antichristo viam parauerint,aliæ magis,aliæ minus.Hac enim sanè de causa de sui temporis hæreticis,Simone Mago,Ebione Cerintho,Menandro dixit Ioannes Apostolus.*nunc Antichristi multi facti sunt*:seductores videlicet & præcursores Antichristi. Quod in Epistola 2.clarius expressit,dicens, *multos seductores exiisse in mundum* : Móxque eum qui *non confitetur Christum in carne venisse,esse seductorem & Antichristum.* Antichristos ergo vocat ipsos seductores & hæreticos,quia magni illius ministri & præcursores sunt.Hac etiam de causa vocat hæreses Paulus *mysterium iniquitatis quod operatur* tantisper *donec reueletur suo tempore ille homo peccati*, Antichristus.Hoc enim per illa verba Apostolum intelligere, & non solum persecutiones principium qui fidei aduersantium rectissimè exponunt Theodoretus,Sed[illegible]ius,& alij patres.Sed quemadmodum primum Christi aduentum eiusque sacramenta multæ sanè figuræ & prædictiones propheticæ præcesserunt,ex illis tamen nobiliores & expressiores illæ fuerunt, quæ proximè Christum attigerunt (exempli causa bapti[illegible]mi typus erat sed obscurissimus quod in creatione mũdi Spiritus ferebatur super aquas Gen.1.vt rem explicat S. Hieronymus in dial. contra Luciferianos,alius paulò clarior Aqua diluuij,vt declarat August.lib.12.cap.14.& 17.contra Faustum:tertius adhuc typus manifestior transitus maris rubri vt exponit Cip.lib.4. Epist. 7.quartus posterior sed illustrior, Iordanis ipse, siue quum eum sicco pede totus Israel transiret,vt Amb.docet lib.1.in cap.Lucæ:siue denique quum lepra Naman Syri in eo purgaretur,vt idem docet Amb.in ca.4. Lucæ 1.quintus verò & postremus & maximè illustris typus erat probatica piscina,vt exponit Chrys.hom.35. in Ioannem disertè docẽs propiores semper veritati imagines illustriores semper fuisse,(sicuti familiares regij hastatis honoratiores esse solent)sic planè secundi aduentus Christi pariterque venturi Antichristi(qui non adeo multum illum præcedet, si [1] Irenæo, [2] Augustino & [3] Theodoreto credimus)præcursores hæretici cum omnes sanè sint; expressiores tamen illi & illustriores in hoc genere sunt qui proximè Antichristum præcedunt. Hoc sanè ipsum disertè nos Scriptura Euangelica docere & præmonere voluit.Saluator enim certè signa tam aduentus sui quàm Antichristi ex proposito tractans, de hæresibus eo tempore præualituris dicit.*Multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos.* Et iterum adhuc clarius.*Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ,& dabunt signa magna,& prodigia,ita vt in errorem inducantur,si fieri potest electi.* Nec dissimiliter describens Apostolus tempora periculosa quæ in F

1.Ioan.2.

2.Thessal.2.

In comm. ibidẽ.

Figuræ quò propinquiores veritati eò illustriores.

[1] Lib.5.
[2] Lib.20.c.19. De ciuit. Dei.
[3] In comm. in 2. Thess.2.

Matth.24.

A quæ in nouissimis diebus instabunt, inter cœtera de grassaturis hæreticis dicit, futuros homines *corruptos mente, reprobos circa fidem, qui resistent veritati*. 2. ad Timoth. 3. & 6. Hęc ergo nouissimorum temporum & venturi in proximo Antichristi signa quum sint, videamus diligenter, an nostri huius temporis hæretici, illi pseudochristi & pseudoprophetæ sint qui proximè Antichristum præcedent. *2. Tim. 3. & 6.*

Primum sanè illud considerandum est ideo hæreticos præcursores esse Antichristi & mysterium iniquitatis per hæreses operari, quia id agit per hæreses diabolus, vt Christi nomen ac fidem paulatim & pedetentim penitus subuertat. Successerũt enim sanè idolis gentium hęreses pseudochristianorum, vt per fidem Christi subuersis iam idolis, per hæreses fidem subuerteret Satan, qui per idola amplius seducere non potuit. Quod diligenter docuerunt SS. Patres, Cip. in lib. de vnitate Ecclesiæ. Augu. de Ciuit. Dei lib. 18. ca. 51. & Author operis imperfecti hom. 48. in Matth. Videndum igitur, an per præsentes hæreses plenè, & consummatè mysterium iniquitatis iam operatum fuerit; nihil vt amplius desit quominus illis admissis, vniuersa Christi fides pessundetur, itáque via Antichristo paratissima sternatur. *Quare hæretici præcursores sunt Antichristi.*

Hoc autem vel inde non difficulter ostendi potest, quod cùm mysterium iniquitatis in eo sanè consistat, vt vniuersum quidem fidei symbolum credentium animis paulatim eripiat, potissimum verò, vt Christi Domini mediatoris humani generis authoritatem ac maiestatem totam funditus euertat, erit tum demum huius iniquitatis mysterium cumulatissimè consummatum, cum quicquid ad fidem in Christum propriè spectat, labe- *Mysterium iniquitatis quo demum modo compleatur.*
B factatum, concussum, ac denique subuersum fuerit: Fides autem in Christum totũ planè Christum complectitur: nõ personam eius tãtum, sed & mysticum corpus eius quod est Ecclesia, quæ sanè sunt *duo in carne vna*, iuxta Sacramentum illud magnũ, quod quasi admirans Apostolus expressit. Ad Eph. 5. cap. Mysterium igitur iniquitatis vt prorsus perficiatur, vniuersam fidem & de Christi persona (prioribus symboli articulis contaminatis,) & de Christi corpore mystico (posteriori simboli parte adulterata) subuertere debet.

Cœpit itaque hoc mysterium iniquitatis. i. hæc occulta & fraudulenta per homines Christianos Christianæ religionis impugnatio, ab ipsa benedicta persona Saluatoris nostri; & quidem calentibus adhuc prædicationis euangelicæ cunabulis: vt de suo tempore Paulus diceret, *mysterium iam operatur iniquitatis*. Itemque Ioannes Apostolus, *nunc Antichristi multi facti sunt*. Talis erat Simon ille magus qui etiã totum præcipere Christo voluit, seipsum virtutem Dei magnã dictitans, idq; adeo vt statua adhuc viuẽti erecta pro Deo magno à Romanis coleretur: Tales erãt Ebion, Carpocrates, Cerinthus qui Christum hominẽ tantũmodo nõ etiam Deum esse dicebãt, quos hoc nomine Antichristos & seductores B. Ioãnes vocat. In hac parte mysterij cõficiendi pergebant Basilides, Cerdon, Marcion, & Apelles, qui putatiuũ non verũ hominem Christũ esse asserebant, Apostolorum tẽporibus proximi. Quorum etiam sententiam promouit Valentinus asserens non ex virgine Christum carnem accepisse, sed è cœlo attulisse. Operati sunt adhuc magis hoc mysterium iniquitatis ex hac parte Theodoti duo, Artemon, & Aschepio datus, de quibus Tertu. de præscrip. in fine & Eusebius li. 5. cap. 27. His postea accesserunt Paulus Samosatenus, & Manichæus: quorum ille Christum hominem tantummodo, hic pu- *Mysterium iniquitatis circa Christi personã cœpit.* *2 Thess. 2.* *1. Ioan. 2.* *Tertul. in Apologet. cap. 23.* *Iustin. Apolog. 2. August. in lib. de hæres.*
C tatiuum esse hominem docuit.

His quasi velitationibus & leuioribus pugnis præmissis, quos tamen multum antea promouerat Origenes, iusto tandem certamine mysterium hoc iniquitatis aggressus est Arius: qui Christum non quidem purum aut putatiuum hominem creaturam tamen (licet *non sicut cæteras creaturas, quia ex non entibus, quia sapientia Dei ingenita & inoriginata est, vnaque ex potestatibus quas condidit Deus*,) sed Deo patri inæqualem miniméque consubstantialem, magna sapiẽtiæ opinione ideoque maiori cum fraude atque animarum perniciæ dogmatisabat. In hac enim vna hæresi sic efficaciter mysterium hoc iniquitatis contra benedictam Christi Domini personam operatum fuit, vt etiam ab ipso Christo sanctissimo Martyri Petro Alexandrino Episcopo in vinculis propter nomen Christi posito reuelatum fuerit, per hunc Arium *Christi vestem quæ est Ecclesia fœdissimè dilaceratam fuisse*. *Athan. in epist. de Synodis Arimino & Seleucia.* *Tertium seculũ.* *Vener. Beda in Martyrologio.*

Neque tamen adhuc completum sanè ex hac parte mysterium fuit. Reliquum autem complementum breui sanè tempore & mire quadam atque præcipiti celeritate accessit. Mox enim eodem adhuc seculo contra Christi personam portentosa dogmata

cuomuerunt, Aetius, Eudoxius, Eunomius non solùm de inæqualitate, sed etiã de dissimilitudine filij cum patre, idque per omnia, vt blasphemauit Eunomius. Hos mox secutus est Photinus Sirmius Christi diuinam natiuitatem negans, quasique Ebionis insaniã renouans. Nec longè post Appollinaris ex altera parte Christi humanitatem vellicans, eamque sine anima aut mente humana susceptam fuisse docens. Mox verò sub initium alterius seculi & Pelagius Christi gratiam multis modis hostiliter oppugnauit, & Nestorius ex vno duos Christos facit personas multiplicans, vt Ebionis & Photini hæresim sub hoc prætextu restauraret. Nec mora, vix hac hæresi profligata, emergit altera prorsus contraria, sed Christo Domino nõ minus iniuria. Eutyches enim sic vnam Christi personam agnoscit, vt duas naturas Dei & hominis in vna Christi persona subsistere negaret. D

Quartum seculum. Nec longè post cùm de persona & natura Christi satis per ministros suos altercatum fuisse diabolus perspexisset, de voluntate & operationibus Christi litem mouit. Quare sub alterum seculum Monothelitarum hæresis ad hanc mysterij partem exactiùs adhuc perficiendam exorta est. Interim tamen donec hæc accessio fieret, ex illa Nestoriana & Eutychiana hæresi aduersa fronte inter se colluctantibus, fœdissima quædam nouarum sectarum colluuies, quas vno hæsitantium vel ambigentium nomine (Διακρινομένους Græci vocant) compræhendunt historici, Orientem totum peruagatur. Tales erant Acephali, Iacobitæ, Theodosiani, & Iulianistæ vnam Eutychetis hæresim varia sententiarum diuersitate amplexi; hoc tamen sua pestilenti fraude efficientes, vt per vnius operationis confessionem naturæ quoque vnitatem inferrent; *vt sic non illi Synodo Chalcedonensi, sed Synodus ipsa illis communicaret:* sicuti gloriantur apud Paulum Diaconum. Rursum Tritheitæ, Agnoitæ, Theopaschitæ, Armenij, Seueritæ, Apthartodocitæ, Phantasiastæ, omnes Nestorij hæresim sed incredibili discordia tuentes: & de Christi Domini persona detestanda sibique aduersantia dogmata defendentes, vt explicatè commemorat Liberatus in suo breuiario, & Niceph. lib. 12. c. 45. sed distinctè confutat Leontius Byzãtinus in libello de sectis Act. 5. & seq. E

Hist. lib. 18.

Tom. 2. conc.

Quintum seculum. Ista colluuies quarto quidem seculo exorta, sed toto etiam quinto seculo perdurans, vsque ad Gregorij Magni tempora vt ex eius Registro liquidè cõstat, quum vndiquaq; sanam fidem de Christi Domini persona contaminasset, ac labefactasset, horrendam illam tandem maximéque detestandam Mahometis sectam peperit. Hic enim insignis pseudopropheta & *desolatorius Amalech*, vt à Paulo diacono vocatur, à Sergio & Ioanne Arianis & Nestorianis hereticis edoctus, & iuxta illorum detestãda dogmata suam prophetiam fabricans, Christi Domini maiestatem, fidem, doctrinã, ac legem sub finẽ quinti seculi penitus sustulit, seq; ipsum ac suum Alcoranum eius loco supposuit, breuiq; tempore per discipulos eius in quã plurimis gentibus, explosa Christiana fide obtinuit. Mox enim proximo seculo Sarraceni (quorũ ille viuens dux & propheta erat) anno quidẽ 35. Alexandriã & totam Ægyptum occuparũt, sub Cyro Monothelita Alexandrino tũ pseudopatriarcha. Quorum aduẽtu Christiana fides sic toto illo latissimo tractu celeriter extincta est, vt quinto decimo post anno, patriarcharum Alexandrinorũ successio penitus disrupta cessauerit, nec nisi titulares Episcopos ab eo tẽpore illa sedes habuerit. Quin & proximo post an. 36. Hierosolyma quoq; & magna Syriæ pars per eosdẽ Sarracenos Romanis c*e*pta est, pariterq; fidès Christiana erecto Mahometismo: adeo sanè, vt Sophronius tunc Hierosolymorum Episcopus, Haumar Sarracenorum ducem Antichristũ esse existimaret, vti cõmemorat Paulus Diaconus. Ab hoc enim anno (donec quingẽtis ferè post annis à Latinis recuperata terra sancta fuerat) Hierosolymitani Patriarchæ numerari desinũt. Statim verò biennio post (an. 38.) Antiochia & reliqua Syriæ pars eodẽ modo occupata est. Nec mora, sexto post anno (anno 40.) Persidem quoq; Sarraceni possidẽt: cui amplissimæ gẽti ita suũ Mahometẽ obtrudũt, vt eti*am* Sarracanos eos vocari coëgerint vt scribit Paulus Æmilius. Quid, quòd & in alterã orbis partẽ traijciẽres, quindecim annis post, (an. 650.) Africã occupant, suũque Mahometẽ vastissimis illis populis prò Christo colendũ imponunt? Et has quidẽ gentes omnes cũ adiacentibus prouinciis & populis (exceptis Armenis, Iberis, & Alanis, qui quo tẽpore Persidem & Assyriam occuparent Sarraceni, fortissimè illis restiterunt, seseque & religionem Christianam ab illorum tyrannide soli vindicarunt, vt scribit P. Diac. lib. 18. hodiéque adeo magna ex parte retinent) ad hunc vsque diem Mahometismus obtinet. Nec hoc solùm sed & prætere a vniuer-

Lib. 8. epist. 35. & 16. lib. 11. epist. 55.

Mahometus exortus.

Sextum seculum

In Mahometismo mysterij iniquitatis operatio ex; vna parte completa. F

Lib 18.

Lib. 1.

A vniuersam penè Græciam totumque Orientalis orbis tractum iam sub Turcarum Dominatu,qui à principio ferè Sarracenis iuncti, illorum peste à per intestinam dissensionem Domini facti, nomen ipsum vna cum gente sustulerunt. Denique & præter istos etiam innumeros Orientales Indiæ populos eadem peste à mulris iam seculis correptos comperimus.Nam vt alias adhuc Christiani orbis prouincias idem Mahometismus ad tempus occupauerit,vnde postea fortiter & viriliter eiectus fuerit,vt Italiam ipsam, insulásque adiacentes,multò maximam Galliæ partem,ac denique nostrorum ferè Patrum memoria Hispaniarum nō modicam portionem,sub nomine Maurorum qui alias Sarraceni sunt,nihil attinet hoc loco exactius commemorare.

Videtis igitur Auditores beneuoli, quā longè latéque mysterium iniquitatis contra sanam fidem de Christo,quod ad personam eius attinet,operatum atq; perfectum fuerit.Atque hæc sanè tanta huius mysterij iniquitatis operatio, hæc tāta christianismi per hæreses illas supradictas perturbatio,totóque penè Christiano orbe profligatio, multis & olim & hodie magnis & doctis viris causam dedit cogitandi,dicendi,atque docendi, hunc Mahometem magnum illum esse Antichristum qui Christi nomen ac fidem toto orbe subuerteret.A quorū tamen sententia vt semper alienissimus fui,vtpote quæ multis & maximis argumētis facilè euerti posset,ita vel hoc vnum huius eorum erroris causam esse grauissimam animaduerto,quòd mysterium iniquitatis (cuius operatio ad magni vsque Antichristi aduentum non desinit) non satis oculatè perspexerint non secus B circa Christi corpus mysticum quod est Ecclesia & quæ eò pertinēt, quam circa Christi personam propriam versari:nec priùs esse completum hoc mysterium atque cōsummatum,quàm omni ex parte Christum profligauerint,& tam corpus quā Caput,tam posteriores symboli partes quā priores,tam cultum ipsum & colēdi normam quàm eum qui colendus est denique tam medicinam ipsam humani generis quàm medicum, è cordibus hominum penitus extirpauerit. Hoc enim non secus ad proprios Antichristi præcursores & ad hoc mysterium iniquitatis quam prioris generis hæreses pertinere & efficax esse,luce clarius in sequentibus ostendemus. Interim tamen notandum hoc loco quàm diligentissimè priorem huius mysterij iniquitatis partem in mahometismo cōpletam atque consummatam;maximas in Christiana religione strages edidisse.Neq; enim post sectas contra Christi personam enumeratas, vlla alia noua secta in eo genere exorta deinceps est;sed quicquid ab hæreticis postea contra Christi personam in posterioribus hisce seculis deliratum fuit,aut vetus erat hæresis denuo renouata aut certè quod ad aliquam illarum veterum facilè reduci posset.

Mahometus Antichristus ille magnus non est.

Nunc autem ex altera parte contra posteriores Symboli partes,contra Christi corpus mysticum,contra Ecclesiam Dei,contra communionem Sanctorum,contra remissionē peccatorum,contra Sacramenta ipsa quæ medicinæ nostræ vasa & instrumēta sunt,denique contra cultum Christianis proprium, mysterium quoque iniquitatis diligenter operatum est,sed nostra iam ætate completum videri potest; ideoque ad Antichristum suspiciendum proximè & immediatè præsentes hæreses manuducunt. Quod dum breC uiter demonstro diligenter quæso,quod facitis, attendite.

Altera pars mysterij iniquitatis.

Mysterium iniquitatis vt verè mysterium esset, id est, vt latenter & occultè sub fuco semper aliquo & prætextu pietatis operaretur,ne totum suum venenum vno semel impetu effunderet,diligenter cauit.Itaque dum Christū caput peterent hæretici,eius corpus mysticum nulla interea ex parte violare apertè & directè voluerūt. Quam etiam ob causam quia Christi corpus mysticum hodie petit hæresis, de Christi persona doctrinā sanam vtcunque diligenter retinet.Nimirum vt veteres hęreses contra Christi personā, Sacramentorum communem vsum ad prætextum Christianitatis retinuerunt, sic aliæ hæreses quæ contra Ecclesiam & sacramenta pugnant,sanam de Christi persona doctrinam eodem prætextu retinent.Hinc factum est,vt totis illis primis seculis quibus cōtra Christi personam(vt iam ostendimus) hæretici dimicarunt,parū aut nihil contra Ecclesiam aut cultum ipsum per mysterium iniquitatis actum fuerit.

Mysterium iniquitatis quare sit dictum.

Quarto demum seculo Iouinianus, Vigilantius, Ærius, aliquas Ecclesiastici cultus particulas,sed minimo ac nullo ferè successu vellicauerunt. Neque enim vel sectatores multos habuerunt vel diu perdurarunt. Ab istis exordior, quia Nouatiani etsi Ecclesiæ potestatem vellicasse videantur , non tamen illud eorum dogma de lapsis non recipiendis contra Ecclesiæ Authoritatem directè dimicabat , sed in ipsius

Mysterium iniquitatis contra Christi corpus quarto seculo coepit in Vigilantio Iouiniano, Aerio.

peccati præpostera exaggeratione propriè consistebat. D

Quintum seculum. Xenaias & Serenus Iconomachi.

Quintò seculo primus Iconomachus exortus est quidam Xenaias Persa, sed adeo obscurus vt nullo eius nominis aut factionis secta vel illo vel sequenti seculo orbi apparuerit: nisi fortè Serenum Massiliensem huic adiungere velis de quo Greg. lib. 9. epist. 9. Eodem seculo Iacobitæ auricularis confessionis necessitatem primi negarunt, si vera narrat Buchingerus.

Sextum seculum Armenij. Lambetiani.

Sextò seculo Armenij ad hoc mysterium iniquitatis magis aggrediendum doctrinam S. Eucharistiæ primi corrumpunt, vt author est Euthymius in panopl. parte 2. ti. 20. Ijdē in sacrificiis vinum aqua non miscent. teste Nicephoro lib. c. 53. purgatoriū ex parte negarunt, & liberum quoque arbitrium si Guidoni Carmelitæ credimus in li. de hęresibus. Eodem seculo Lambetiani libertatem rerum omnium promiscuam monachis cōcesserunt, vt commemorat Damasc. Herc. 98.

Anno 700. Iconomachi. Pauliciani.

Proximo autem seculo plenis velis Iconomachi grassati sunt, & Ecclesiam Christi in Oriente sub Philippico, Leone Isauro, & Constātino Copronymo, vehemētissimè perturbarunt. Eodem quoque seculo Pauliciani signum crucis Christianos dispicere, nullaque veneratione afficere impiè docuerunt; apud Euth. panopl. parte 2. ti. 21.

Ann 800. Claudius Taurinensis. Schisma Græcorum.

Sequenti quoque seculo cum Occidentem etiam hæc Iconomachia penetrasset, Claudius Taurinensis illa peste infectus alia etiam nefanda adiecit, Reliquias, Peregrinationes, Inuocationem Sanctorum negās, & in hac parte mysterij iniquitatis paulò apertius progrediens. Denique eodem seculo schisma Gręcorum contra Romanæ sedis primatum, contra purgatorium & alia quædam efferuescere cœpit, vt iam non obscura signa aduentantis maioris complementi darentur. E

Ann. 1000. Berengarius.

Et ecce tibi sub decimi seculi initio, quod caput huius partis in mysterio iniquitatis est, aggressus audacter Berengarius Gallus, primus mortalium de venerabili Eucharistia execrandum & propudiosum suum dogma proposuit. Idem quoque (quod alterum huius partis caput est) sedem Apostolicam & caput Ecclesiæ aggressus, Romanam Ecclesiā vocare non est veritus *Ecclesiam malignantium*, *Concilium vanitatis*, *& sedem Satanæ*. vt author est Lanfrancus contra Berengarium. Sed quia nondum venerat hora huius complendi mysterij, citò hæc iniquitas repressa est, ipséque Berengarius ad saniorem mentē reductus. Eodem tamen seculo eandem ven. Eucharistiam ex parte sacrificij taxant Bogomili hæretici; quorum princeps Basilius etiam idololatriæ S. Patres accusare non est veritus, vt author est Euth. in pan. pa. 2. tit. 23. c. 11.

Bogomili. An. 1100.

Iam verò proximo siue vndecimo seculo, vt verè iam *post mille annos solutus Satanas* videri queat (vt Ioannes prædixit Apocal. 20.) nempe vt ex hac parte mysterium iniquitatis operosius operaretur, & plenius conficeret; multa & varia hæreticorum turba exorta est, quæ quam iniquitatis telam hodiernæ hæreses cumulatissimè confecerunt, tāto adhuc antè tempore permissione diuina sollicitè ordirentur. Hoc enim demū seculo præter clancularios Berengarij discipulos variis in locis latitantes (quales erāt publicani illi seu Cathari quorum meminit Conc. Late. sub Alexandro 3. c. 27. pa. 1. & quales Polydorus Historiæ Ang. lib. 13. ex Germania in Angliam venisse commemorat, & ante eum Gulielmus Neubrigensis Historiæ suæ lib. 2. c. 13. & Tandæmum nescio quem Antuerpiensem, tam huius venerabilis Sacramenti, quā totius Ordinis sacerdotalis egregium contemptorem (de quo supplementum Sigeberti) primum Petrobrussiani & Henriciani imagines & templa destruebant: Cōsecrationem Eucharistiæ negabant, Orationes pro defunctis, Inuocationem Sanctorū, Peregrinationes, dies festos, Chrismatis & olei consecrationes, Sacerdotum excommunicationes ridebant, vt eorum synchroni Cluniacēsis & D. Bernardus testantur: Deinde eiusdem sectæ Alij, Apostolicos sese vocantes eodem ferè tempore his nefandis dogmatibus & alia de nouo adiiciebant, baptismum infantum, purgatorium, aliáque multa Ecclesiæ dogmata irridendo. Eodem etiam seculo Petrus Abailhardus cum suis de potestate clauium, de originali peccato, de concupiscentia, de discrimine, & causis peccatorum docuit nostris hodie hæreticis similia, mysterium iniquitatis adhuc magis operans, quod isti hodie postea cumulatissimè cōplerent. Quid, quòd & his hæreticis alterius nominis (quia varia de suo vnaquęque hæresis protulit, vt pro parte quælibet sua hoc iniquitatis mysterium operaretur) sed eiusdē perfidię accesserūt Vualdenses siue pauperes de Lugduno dicti, qui præter supradictas blasphemias grauiora & apertiora futuræ defectionis indicia protulerūt. Apertè enim primatū Rom. F

Publicani seu Cathari. Tandæmus. Petrobrussiani & Henriciani. Serm. 66. in Cant. Apostolici. Petrus Abailhardus. Ber. ep. 183. Vualdenses.

A Rom.Ecc.primi negant.Canones Ecclesiæ reiiciunt.Indulgentias irrident.Laicis æquè ac sacerdotibus consecrandi & absoluendi potestatẽ cõcedunt.Postremò vt hoc primo supra millesimum annum seculo solutum se Satanas egregiè ostẽderet,eodem tempore Albigenses in comitatu Tolosano in Gallia eadẽ ferè quæ superiores hæretici dogmatizabãt,illa de suo adijcientes,quòd & Eucharistiam blasphemarent & lib. arbitriũ, pœnitentiam,confessionem, extremam vnctionem negarent.Itaq; hoc sanè seculo totum suum ferè venenum cõtra Ecclesiã & cultum Ecclesiasticum euomuisse Satanas, & mysterium iniquitatis ex hac parte penitus complesse videri fortasse poterit. *Albigenses.*

Sed ludus ac iocus hæc omnia sunt prout hæreticorũ nostrorum rabies postea dedit. Quod vt cumulatiùs,imò cumulatissimè præstarent, accesserũt adhuc alij huius mysterij cooperatores & prodromi egregij,priusquam hodiernum quod videmus cõplementum & totius iniquitatis cumulata perfectio accederet. Adhuc enim proximo sequenti seculo Almaricus maiorem lucem huic cacãgelio allaturus & prædictas hæreses magna ex parte tenuit (vt huius sectam perstringere videatur S.Tho.inOpusc.17.c.12.& 18.c.1.) & præterea tum vbiquitatem Brentij propriam, tum etiam specialẽ fidem in sensu Caluini docuit,vt author est Vincentius in speculo lib.29.ca.107. *Ann.1200. Almaricus.*

Rursum sequenti seculo (an.1300.) Lolhardi in Germania adhuc propius ad Lutheri tenebras,quibus orbis Christianus excæcandus erat,accedentes, quinq; tantũ Sacramenta agnouerunt;Ieiunia,festa,consecrationes templorum & altarium prorsus sustulerunt; Denique Romanam Ecclesiam aperta voce contempserunt : vt commemorat *Ann.1300. Lolhardi.*
B Trithemius in Chronicis ad an.Domini 1315.Omitto hoc eodem seculo flagellãtum ridiculam sectam,& Marsilium Patauinum, qui multa Protestantibus nostris similia docuerunt;id est, mysterium iniquitatis ad viam Antichristi postea per Lutherum aperiẽdam magna etiam ex parte operati sunt.Accessit sub huius seculi finem tãquam omniũ harum velitationũ colophon,detestandæ memoriæ Ioannes Vvicleph, qui omnes ferè prædictas hæreses cum suis Lolhardis in Anglia parturiens, eas postea quia domi nõ licuit apud infœlices Bohemos per discipulos suos Ioan.Hus,& Hiero. Pragensen disseminauit. *Flagellantes. Marsilius. Vvicleph.*

Moxque sub principium sequentis seculi variæ Hussitarum factiones & sectæ, infausta Vviclephi propago,Orebitæ,Iacobitæ,Paulini,Taboritæ, Adamitæ, infœlicem Bohemiæ populum,tanquam locustæ Ægyptiacæ depopulatæ sunt , cum incredibili non tãtum animarum,sed etiam corporum strage; vt prolixè commemorat Æneas Siluius in historia Bohemica c.35. & seq. *Ann. 1400. Hussitarum secta.*

Verumenimuero velitationes erant hæc omnia & præludia tantum,atque initia malorum.Etenim quia nondum completa erat malitia Christianorum,nondũ plenè abundauerat iniquitas,nondum prorsus refrigerat charitas,nec odium in clerum & præsertim in Rom. Ecclesiam adeo adhuc vehementer hominum animos occupauerat , non nisi paucos modò in Gallia modò in Germania homines, & non nisi vnicam Bohemorum gentem peruadere hoc malũ potuit.Nostris hodie temporibus , vel potius nostris hodie peccatis,(*Robur enim datum est* Antichristo & satellitibus eius *contra iuge sacrificium propter peccata* ait Daniel)seruatum hoc fuit vt nostro hoc demum seculo,Lutherus,Caluinus,Melanchthon,aliique operarij subdoli nascerentur,qui mysterium hoc iniquita- *Mysterij iniquitatis complemẽtum cur nostro tempore. Cap.8.*
C tis completa iam hominum malitia,exabundante iniquitate, refrigescẽte imò extincta penitus charitate;prorsus complerent,omnibusq; numeris absolutum redderent : vt nihil planè Antichristo vẽturo desit,quod viam ei præparare,& ad eum suscipiendum hominum corda efficacissimè disponere queat.Quicquid ergo hactenus Satanas ad mysterium iniquitatis ex parte corporis Christi mystici operandum,per Iouinianum,Vigilantium,Ærium,per Iconomachos,Iacobitas,Armenios,per Berengarium, Abailhardum, Almaricum,per Petrobrussianos,Henricianos,Albigenses,Vualdenses; deniq; per Lolhardos,Vviclephistas,Hussitas,per tot secula,tot in locis,tãto studio(sed incassum quodammodo & sine fructu)cõtendit, sudauit, elaborauit;hoc tandem vniuersum multóq; eis plura,per Lutherum, Caluinum , Melanchthonem , aliosque euomuit, & fœliciori successu (de quo non semel ex parte diaboli Lutherus triumphat) confecit. Hæreses enim hodiernæ præter illa omnia pestilentiæ dogmata iam commemorata nihil penitus intactum reliquerunt,quod contra Ecclesiam Christi,contra Sacramenta Ecclesiæ,

D

contra remiſſionem peccatorum & communionem Sanctorum, denique contra cultũ Dei vniuerſum dici aut diſputari poſſit. Quod ne lõga hîc cõmemoratione opus ſit, accipite hac de re ipſorum Archihæreticorum huius remporis confeſſionem manifeſtam. Lutherus in libello cui titulum dedit Præmonitio ad Germanos an. 31. de Catholicæ ecclesiæ doctrina ſic loquitur. *Nulla eſt literula tam parua in eorum doctrina, nec vllum opus adeo modicum, vt non abneget ac blaſphemet Chriſtum, violetq; fidem in ipſum.* Hæc ille. Similiter Caluinus Inſt. lib. 4. c. 2. par. 9. *Vix vllum cum papiſtis conuentum poſſumus habere, in quo non aperta idololatria nos polluamus.* Hæc ille. Agnoſcunt igitur vniuerſam Eccleſiæ doctrinam ab ipſis damnari, & rem ſanè ſic ſe habere in proxima mox Oratione in particulari oſtendemus. Dico ergo iniquitatis myſterium ex parte corporis Chriſti myſtici, & ex poſteriore Symboli noſtri parte, tot antea ſeculis paulatim & per gradus vtcunque prouectum; per pręſentes hæreſes prorſus eſſe completum & conſummatũ: ſiue corpus ipſum quod eſt Eccleſia in ſeipſa conſideres, ſiue Authoritatem eius quacunque tãdem ex parte ſpectes, ſiue denique Sacramenta eius & cultum externum vniuerſum reſpicias: Quo ex loco ad prius Argumentum doctiſſi. Domini Quodliberarij patet reſponſio. Præſentes enim hęreſes vtcunque ſanam doctrinam de Chriſti perſona integram retinere, vetereſque hæreſes contra Chriſti vel diuinitatem vel humanitatem ſeriò execrari videantur; Antichriſto tamen viam & expeditiorem & magis propinquam quã veteres illę contra Chriſti perſonam ideo parant, quia myſterium iniquitatis ex vna quidem parte per illas alias hæreſes cœptum & conſummatum, iſtæ hodie ex altera parte eaque (vt mox videbimus) Antichriſto magis propria, compleuerunt, omnibúſque numeris abſolutiſſimum dederunt. E

Quibus ita poſitis, adhuc magis infero, quemadmodum myſterio iniquitatis contra Chriſti perſonam per tot ac tantas veteres hæreſes completo, aduenit Mahometiſmus totumque ferè Orientem & meridiem breui tempore (extincto atq; ſubacto Chriſtianiſmo) occupauit, *à qua orbis parte incipere debuit defectio, ſicut ab illa prima profluxit Euangelij propagatio*, vt notat ſapienter Baſilius; ſic myſterio iniquitatis per recentiores poſteriorum ſeculorum hæreſes contra corpus Chriſti myſticum ex altera parte hodie cõpleto atque cõſummato nihil aliud expectãdum eſſe quã vt proximè poſt iſtas adueniat Antichriſtus, qui quod reliquum eſt Chriſtianitatis in Occidẽtali hac & Septẽtrionali orbis parte ſimiliter deuaſtet. Ad quẽ duplicem myſterij iniquitatis effectum fortaſſe ſignificandum, Chriſtus in perſona in Oriente cõuerſari voluit, Caput autem Eccleſiæ ſuæ vicariũ totiúſque Authoritatis Eccleſiaſticæ principem Petrum in Occidẽte poſuir. Cuius etiã rei nõ leue argumentũ & hoc eſſe poteſt, quod quẽadmodum quo tẽpore per hæreticos antedictos, & Sarracenos in Oriente & meridie, primò Arianiſmus, deinde Mahometiſmus ſummo ſtudio propagatus eſt; quinto videlicet ſexto & ſeptimo ſeculis; eodẽ tẽpore permultæ Occidentis & Septẽtrionis nationes atq; inſulæ ad fidem Chriſti perductę ſunt, quaſi in ſupplementũ defectionis quã ex illa parte myſteriũ iniquitatis operabatur videlicet Lazi, Heruli, & Hũni ſub Iuſtiniano Imperatore, Angli per Gregoriũ Magnũ, Hollãdia, Phriſia, Vveſtphalia, & magna pars Germaniæ per Anglos, Vvillibrordũ, Suibertum, Leuinũ Marcellinũ, Vvinfridũ, aliàs Bonifacium, & Offo, Flãdria per Eligiũ, Bauaria per Rupertũ, Saxones ſub Carolo Magno, aliæq; per alios prouinciæ: Eodẽ planè F modo hoc noſtro tẽpore multis à fide Catholica per præſentes hæreſes deficiẽtibus, ad huius operanris myſterij iniquitatis ſupplementũ, nouis & inauditis antea populis, non ſolùm in vtraq; India, Oriẽtali & Occidentali totáq; America, ſed etiam & vltra Sinarum populos, in remotiſſimis Iaponiæ Inſulis, fides Chriſti & quidẽ incredibili auiditate & fructu prędicatur, propagatur, & dilatatur. Dicente enim Chriſto quòd *prædicabitur hoc Euangelium omnibus nationibus & tunc veniet conſummatio*, & ante illam conſummarionem veniat Antichriſtus oportet, certè illa vniuerſa prędicatione nũc demum (vt videtur) facta, & iſtę poſtremæ hæreſes, & hæc poſtrema quaſiq; vltimata per pręſentes hęreſes diſpoſitio meritò videri poteſt. Cõfirmat autẽ nõ leuiter hãc ſententiã noſtrã Status veteris Synagogæ, tã in toto decurſu ſuo quã etiam imminente iã eius in proximo ruina. Illa enim cũ ad ſtatũ quẽdam ſub Regibus ſuis flerentiſſimũ perueniſſer, citò ſanè (facta decẽ tribuũ diuiſione) ad Idololarriã (hęreſum noſtrarũ typũ) deflexir. Nec in Samaria tantũ ſed & in ipſo Iuda, Achaz quidẽ manifeſtus idololatra extitit, Iorã verò, Ochozias, Athalia, impij cùm eſſent, libertatem tamen veræ religionis permiſerunt, ſicuti Ioas pius

Epiſt. 70.

Vtriuſque defectionis ex vtraque parte myſterij iniquitatis ſupplementum ſimile.

Epiſt. Indica & Iaponica.

Matth. 24.

Ex ſtatu veteris Synagogæ præſentium hæreſum ad Antichriſtum præparatio colligitur.

A pius initio quum esset, idololatria tamen tolerans, idololatra tandem ipsemet effectus est: quales etiam post eum Amazias filius eius sub finem vitæ Manasses & Ammon fuerunt. *Primò templi destructio per idololatriam.* Quorum regum adeóque ipsius populi impietatem multiplicem quum totis 390. annis Deus tolerasset, leuioribus interim castigationibus eos erudiens, vniuersum tandem in captiuitatem abduci est passus. Postea vero reædificato templo, & cultu Dei restituto non tamē amplius Reges sed duces, nec prophetas (nisi vnum forte sub initio Malachiam) sed Scribas à Deo accepit Synagoga. Sed & sub hoc 2. templo partim per 1. hæresim Samaritanorum & æmulum templum in monte Garisim, partim per græcas *Secundo templi status vnde perturbatus.* superstitiones sub Græcorum tyrannide Hierosolimis inuectas, partim denique per sectam Sadducæorum per Ioannem Hircanum pontificem in summum Senatum (quem 2. Sanedrim vocabat) deiectis Pharisæis cooptatam cito perturbato atque corrupto; interitus eius accelerauit. 3. Mox enim eiectis prius Pharisæis (id est legitimis Synagogæ magistris) per Aristobulum & Alexandrum Reges sectæ Sadducæorum, ac deinde Hircano per Pompeium restituto, in idem religionis ius vtrisque admissis & vtraque religione Sadducæorum & Pharisæorum approbata ad Herodem externum delatum est imperium, *Philo.* qui mox vniuersum Sanedrim sustulit, proselytos substituens, multisque aliis in rebus Religionem contaminauit, vt Messiæ iam aduentus, qui penitus sublata veteri nouam formam institueret, fuerit plusquam oportunus planéque necessarius. Non certè dissimiliter in hoc Ecclesiæ statu, florente illa maxime sub Constantino aliisque Imperatoribus Christianis & Catholicis, mox tamen in hæreses varias quibusdam eorum

B prolapsis, Constantio, Valente Zenone Arianis, Anastasio, Eutycheta, Leone, Philippico, Constantino, Iconomachis, Heraclio eiusque nepote Constante Monothelitis post aliquot secula Orientale imperiū Mahometismus occupat. Occidentis autē & Ecclesia & imperium vtcunque nihilominus aliquot post seculis egregiè floruit, tamen nec Constantinos, Valentinianos & Theodosios imperium, nec Augustinos, Hieronymos, Basilios, Chrysostomos Ecclesia habuit; sed variis mox hæresibus diu afflicta Ecclesia, & græcorum schismate tanquam altero monte Garizim magis dilacerata, hodie profectò penitus obruta atque pessundata videtur: Imperium quoque diu multumque agitatum quàm nunc tenui ac penè nullo filo pendeat, nemini obscurum arbitror. Quid ergo restat nisi vt per præsentes hæreses Ecclesia ex omni sua parte laborāte, Imperio verò ruinam iam in proximo pariter minante, hæ proximè venturo Antichristo censeantur hæreses, vt olim casura Synagoga dissensiones & schismata proxima erant aduenienti Christo?

Sed vtcunque se habet ista comparatio, illud profectò non oscitanter aduertendū est, quod quemadmodum per veteres hæreses cōtra Christum inuecto Mahometismo, Orientale imperium concidit, sic per hæreses contra corpus Christi Imperium quoque Occidētale penè ad nihilum redactum est. Etenim sanè si rectè aduertimus vtriusque & Ecclesiæ & Imperij Romani incrementa pariter atque defectus, videbimus vtrumque pariter (à quo tempore in Cōstantino Magno cōiuncta fuerunt) & floruisse & de-

C fecisse: vt semper florente religione floruerit Imperium, inualescentibus hæresibus ceciderit Imperium. Quam sanè ob causam Apostolus Paulus disputans de aduentu Antichristi, & causas moræ describens, hæc duo coniunxit. *Nunc* (inquit) *quid detineat scitu, vt* 2. Thess. 2. *reueletur suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Causa ergo moræ & dilationis Antichristi duplex est. Vna mysteriū iniquitatis per hæreses operans, donec compleatur. Altera Romani imperij robur & fortitudo quo stante Antichristus præualere non poterit. Hoc enim intellexisse Apostolū illis verbis, *qui tenet nunc teneat* &c. vnanimi consensu Patres græci & latini docēt: Chrysost. Oëcumenius, Theophilactus in commentariis. Hieron. in Epist. ad Algasiam q. 11. August. de Ciuit. Dei lib. 20. cap. 19. Ambrosius in commentariis ad hunc locum. Tertullianus in Apologetico cap. 32. & in lib. ad Scapulam cap. 2. Et Lactantius lib. 7. cap. 25. Nec aliud docet Danielis prophetia cap. 11. prædicens videlicet fore vt quemadmodum regnū Assyriorum à Babiloniis, Babiloniorū à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonū à Romanis destructum est, ita & Romanorum ab Antichristo, ipséque Antichristus à Christo destruetur. Totum enim Romanum imperium per hæreses, Antichristi præambula, (sunt enim hæretici eius præcursores) particulatim quidem atque membratim discerpitur; ab ipso autem Antichristo totaliter & finaliter destruetur. Hac

Ecclesia & Imperium pariter defecerunt. sanè de causa obseruare licet vtrumque hoc eadem opera Satanā diligenter cōfecisse: D
per hæreses inquam & *mysterium iniquitatis operatum esse*, & *illud quod tenebat*, suique Antichristi aduentum remorabatur, Romanum videlicet imperium, paulatim è medio sustulisse. Sic sanè grassantibus per orbem Arianis sub Constantio & Valente, Ostrogotthi in Italia & Visegotthi in Hispania Imperij partes occuparunt. Sub Honorio autem & Valentiniano 3. necdum extincto Arianismo, accedentibus etiam Pelagianis, Donatistis, Manichæis, Nestorianis & Eurichetistis, Vandali Africam occupant, Hunni Galliam & Italiam deuastant: Picti & Saxones Britanniam opprimunt à Romanis tandem desertam: idque propter hæresim Pelagianam & alia schismatica, vt fore quodammodo prædixit Gildas sapiens. Eodem modo sub Zenone Isauro Ariano, & Anastasio Eutychiano Imperatoribus, Italiam Gotthi, Africam Vandali tenent. At verò florentibus sub eodem Anastasio & passim grassantibus variis illis Nestorianorū & Monophysitarum sectis, quæ Hæsitantium vno nomine vocabantur, Bulgari Illirium & Thraciā pulsis Romanis, Hæruli Italiam occupant. Deinde verò sub Heraclio & Constante Monothelitis, occupantibus hæreticis Alexandrinam, Antiochenam & Constantinopolitanam sedes patriarchales, Siriam, Ægyptum, Persidem, Africam Sarraceni Mahometani Romanis eripuerunt. Denique per Iconomachiam, & schisma græcorum, quis nō videt vniuersum illud Orientis imperium tandem concidisse, & in Mahometani Turcę potestatem venisse? Annon verò & Bohemicum regnum è manu Sigismundi Imperatoris Zisca ille Hussita penè extorserat? Nempe hanc ob causam pariter cum Ecclesia *Quare pariter cum Ecclesia defecit imperium.* deficit imperium, vel quia propter Ecclesiam Romanam stabilitum est imperium, ideóque eo iam confirmato & vniuerso orbe subacto sub Augusto Cæsare Ecclesiæ sponsus & Caput Christus in mundum venit; vel etiam quia hostes Ecclesiæ Imperij quoque hostes sunt, vel vt apertius dicā, quia ipsius hæresis aut perpetuus & indiuiduus comes, aut certè iusta Dei vindicta per quam hæreses & schismata punire solet, est popularis seditio ac rebellio. Loquuntur id clara voce bella nostri temporis Germanica, conflictus Heluetici, tumultus Gallici, calamitas præsens Belgica, hæreticorū fraude & malis artibus concitata. Dico ergo paratissimam & apertissimam Antichristo viam per horum temporum hæreses factam esse, conculcata nunc eorum opera Authoritate tota Ecclesiastica, iacente quoque penéque ad nihilum redacta Imperatoria maiestate, vel etiam quacunque seculari potestate, seu regia seu ducali, seu denique ciuica & senatoria. Atque hæc de præparatione ad Antichristum per hęreses futura, ex scripturis & rebus anteactis, de mysterio quoque iniquitatis ex altera sua parte per præsentes hæreses completo, ac denique de iis quæ in genere docere possunt per horum temporum hæreses viam Antichristo proximam præparari, hactenus. E

Videte autem per Christum vos rogo & diligenter aduertite nunc Auditores, quot adhuc & quàm variis modis aliis, quamque efficaciter præsentes hęreses ex iis quæ illis propria sunt, Antichristo non tam fenestram recluserint, quàm ianuam totam omnibus planè sublatis repagulis & remoris latissimè aperuerint.

1. Primùm quia adueniente Antichristo nihil magis in officio continere fideles poteст quàm Authoritas Ecclesiæ; (quam si audiunt, aures Antichristo præbere non possunt,) hanc omnem Authoritatem (quod nulla hactenus hæresis fecit) penitus hodie cōculcarunt; siue Concilia Episcoporum, siue S. Patres & doctores, siue ipsos seorsim Episcopos & pastores respicias. F

Propria quadā causa cur præsentes hæreses proxima Antichristo videātur.

2. Secundò quum nihil in mundo gloriosius Christo testimonium præbeat quàm sua Ecclesia (quam idcirco restem sibi toto orbe futuram constituit) Ecclesiæ testimonio & Authoritate reiecta, nonne Christus abiicitur, & Antichristus egregiè stabilitur.

Act. 1. 2 1. 5. 10. 22. 26. Ioan 15. Car. 15. Isaiæ 43.

3. Tertiò ne nouum aut durum, aut aliquo modo scrupulosum sit, Antichristo aures præbere, iam diligenter Christianorum corda per præsentes hæreses assueuerunt, nouis subinde magistris, nouis doctrinis, variis & peregrinis auscultare, fauere, credere.

4. Quartò quia viam latam Antichristus docebit, voluptuariam, dissolutam, epicureā; angustæ viæ quam Christus docet planè contrariam; ad hanc iam egregiè præsentes hęreses disponunt; imò huius disciplinæ præclara fundamenta iecerunt, scholas publicas erexerunt, fructúsque vberrimos protulerunt per solius fidei doctrinam, per bonorum

operum

A operum(quod ad salutem aut iustitiam attinet)contemptum,per confessionis & pœnitentię neglectum,denique per ieiuniorum reliquęque mortificationis ad subsannatio-vsque despectum.

Quintò quia Authoritatem & maiestatem Christi Domini omnibus modis Antichristus vellicabit atque conuellet, ad hoc etiam facilè persuadendum per præsentes hæreses egregiè sunt homines instructi,qui videlicet iam ab illis didicerũt varias Christi promissiones & prædictiones irritas & vanas fuisse. Illum enim inter cœtera promisisse quòd *contra Ecclesiam suam portæ inferi non præualerent*,quòd *cum suis futurus esset omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*,quòd daret illis *spiritum veritatis qui doceret illos omnem veritatem,& maneret cum illis in æternum*; nunc autem secus factum fuisse; ipsius enim Ecclesiam statim ab Apostolorum suorum temporibus,vel certè multis iam seculis defecisse,multisque tum erroribus tum superstitionibus obrutam extitisse, Spiritu veritatis caruisse,imò idololatricam fuisse.Et hoc sanè argumẽto Dauid ille Georgius Basileæ post mortem exustus, vsus est, vt se Christum esse confirmaret, non autem Iesum quem nos credimus.Hoc argumento adductos multos hodie(proh scelus)nouos Christos hæc ætas vidit,& nuper Anglia flammis vnum absumpsit.Denique hoc argumẽto liber ille execrandus de tribus impostoribus vel potissimum nititur. 5.

Matth.16. Matth.28. Ioan.14.& 17. Nordonici ann. 1579. mensis May 20.

Sextò cum Christi gloria in mortis suæ efficacia potissimum consistat, hodiernæ hæreses quæ illius virtuti maximè derogant (1. quia non veram sed imputatiuam tantùm remissionem peccatorum per Christum nos consequi: 2. quia illius mortem ad redemptionem à seruitute culpæ efficacem non fuisse,3.quia nullam nobis veram iustitiam illius mortis merito procuratam fuisse docent (Christi profectò maiestatem magno Antichristi bono plurimorum in animis vehementer labefactarunt. 6.

B

Iam verò planè corroborat & conficit Antichristi doctrinam, nulla esse religionis Christianæ sacramenta à Christo instituta ad salutẽ efficacia,sed notas tantum & signa nuda illa esse,planèque adiaphora.Sic enim de baptismo ipso Caluinus suos docuit illique hodie mordicus passim tenẽt.Quàm nullo negotio has nobis notas extorquebit. Antichristus?aut quis volet pro notis & signis eiusdemque adiapboris cum capitis periculo Antichristo resistere? 7.

Instit. lib.4. cap.15.

Porrò in reliqua fide conuellenda nihil planè est quòd laboret Antichristus positis hæreticorum hodie paradoxis.Nam vt reliqua taceam, nõne & scripturas ipsas quibus solis deferre hodie hæretici vidẽtur facilè euacuabit,sublata iam antè horum hominũ opera,illa tota Ecclesiæ Authoritate per quam Scripturæ nobis pro veris & indubitatis Dei verbis confirmantur,admissa quoque illa libertate has & illas particulas è canone Scripturarum excindendi? 8.

Quid quòd fidem ipsam ex doctrina Protestatum nullo negotio fidelibus eripiet Antichristus,quum iuxta illos fides qua iustificari & saluari homines possunt,non sit fides Catholica vniuersum Dei verbum complectens, (hoc enim omnes negant) vel etiam fides propriè Christiana captiuans intellectum in obsequium Christi (hoc enim disertè negat Caluinus) sed fides quædam specialis,circa vnum speciale obiectum, speciater quoque considetatum,quàm ipsi sibi finxerunt & cõmenti sunt.Hoc enim certè positο ad ipsam quidem specialem fidem facilè conniuebit Antichristus(vt pote quam nihil illis profuturam optimè nouit)sed hoc vel maximè vrgebit,saluantem & iustificãtem fidem non esse de Christo nato, passo,&c. neque aliquam sensus nostri submissionem circa obiecta non apparentia;indéque conficiet non sanè difficulter,suis vt portẽtis & signis mendacibus ad oculum illustribus,ab hominibus iam reprobis circa fidem & mente corruptis credatur. 9.

Instit.lib.3. cap.2.par.2.

C

Iam verò in cultu Christianis proprio penitus extirpando, nihil est planè quod laboret Antichristus. Omnia iam illi & quidem diligentissimè per præsentes hæreticos confecta sunt.Non enim statas tantum ceremonias & ritus,nec altaria tantum ac tẽpla egregiè demoliti sunt,sed(vt omne prorsus Antichristi successibus impedimentum tollant,)ipsummet iuge & proprium Christianorum sacrificium,in quo maximè tollendo laborare Antichristus debuerat,isti iam hæretici vbicunque præualere potuerunt, penitus sustulerunt. 10.

Hìc autem locus est auditores, in quo maximè proprios & proximos Antichristi precursores horum temporum hæreticos esse euidenter deprehendatis.Iugis enim sa-

In quo horum temporum hæretici veri & pro-

priè sunt proximi Antichristi præcursores. cap. 9.

D crificij cessationem & Daniel & Christus præsentis Antichristi certissimam notam esse describunt. Hæc est enim *abominatio desolationis*, siue desolatio abominanda, *stans in loco sancto*, de qua Daniel dicit. *In dimidio hebdomadis*; id est florente Antichristo, *deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem perseuerabit desolatio*. Templum autem hoc loco intelligitur tam Hierosolymitanum (quod est typus Ecclesiæ) paulò ante vastationem templi, quàm Ecclesia ipsa paulò ante consummationem mundi. Hæc enim duo (quia vnum alterius figura & typus est) frequenter in Scripturis coniunguntur ac commiscentur. Quod etiam de Scriptura Euangelica solerter notat S. Aug. Epist. 80. Rursum cap. 11. idem describens Daniel, *auferent*, inquit, *iuge sacrificium & dabunt abominationem in desolationem*: At verò cap. 12. disertè iam de fine seculi differens, dicit: *à tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium & posita fuerit abominatio in desolationem dies 1290. beatus qui expectat & peruenit vsque ad dies 1335.* hoc est ad 45. dies qui triennio & semestri Antichristi supererunt ad pœnitentiam. Quod totum apertius describens in Euangelio Saluator, *quum videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco Sancto quæ dicta est à Daniele Propheta*, id est iuge sacrificium sublatum & adorari Antichristum, *tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c.* quæ sequuntur. Mox enim de pseudoprophetis magni Antichristi præcursoribus, & de aduẽtu filij hominis Saluator apertè loquitur, ne de sola Ierosolymorum vastatione vel se vel Danielem loquutũ esse existimemus. Quod etsi Aug. in Epist. 80. semel dixerat, postea tamen seipsum corrigens ait, *alio modo posse intelligi*.

Dan. 9. 11. & Ioël 2. Matth. 24. & Luc. 21 Matth. 24.

Patres iugè sacrificium sublatum certum Antichristi signum esse docent.

E Quare ex his sanè Scripturis edocti alij patres, nullum certius vel aduentantis vel iã præsentis Antichristi signum & argumentum esse docent, quàm sublatum iuge sacrificium Christianorum; quod veteribus omnibus sacrificiis (maximéque agniculis duobus qui singulis diebus iugiter, vnus manè alter vesperi cum simila conspersa immolabatur vt exod. 19. præscribitur) successit. Sic Irenæus lib. 5. Theodoretus in com. ad cap. 12. dan. Author operis imperfecti in Matth. homil. 49. & omnium clarissimè S. Hyppolitus in Orat. de consummatione mundi hunc & Danielis & Matthæi locum exponũt. Quam etiam ob causam Sanctus Basilius videns suo tempore per grauissimas Arianorum persecutiones, *domus precationum clausas esse*, *Altaria cultu spirituali vacare*, *neque oblationes neque incensum neque locum vbi possit coram Deo offerri sacrificium amplius superesse* (vt Epist. 70. scribit) mox Epist. seq. ad Alexandrinos eadem passos scribens, ait. *Accedit ad hasce animi mei disceptationes & ista cogitatio. An nouissima hora est, & hoc pacto initium sumit defectio vt iam deinceps reueletur iniquus ille filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus?* Hęc ille, de illa desolatione Ecclesiarũ & iugis sacrificij cessatione loquens, quam per occasionem tantum persecutio Ariana inuexit, non autem quam propriè Ariana hæresis procurauit. Quanto magis hodie initium sumere defectionem, vt reuęletur breui Antichristus, cogitaret, assereret, clamaret vir tãtus, si quod nos videmus videret, non per occasionem tantum præsentum hæresum claudi Ecclesias & altaria cultu spirituali vacare; sed præsentium hæresum hoc esse proprium & præcipuum dogma, nulla debere esse altaria, nullum sacrificium externum, nullam oblationem atque incensum? itemque hunc esse proprium & præcipuum præsentium hæresum fructum, finem, scopum, non claudi sed penitus subuerti omnes Ecclesias? exterminari, spoliari, occidi sacerdotes, & sacrificos omnes? Si iã tergo certissimè omnis Ecclesia Dei, quia initium iam sumpsit defectio, de qua Apostolus dicit, *nisi venerit discessio primũ, &c.* hoc est, iam in proximo est Antichristus, iam cæpit abominatio desolationis, quia iuge sacrificium aufertur non per occasionem aut indirectè, sed tanquam hæreticæ horum temporum doctrinæ caput. F

Basilius epist. 70. & 71.

Primarius Antichristi scopus vt tollat iuge sacrificium.

Notandum verò diligenter non hæreticæ tantum horum temporum doctrinæ, sed & ipsius Antichristianismi hoc caput, hunc conatum ac scopum præcipuum fore, vt Ven. Eucharistiæ & iugis sacrificij cultũ tollat: idque tres maximè ob causas. Vna est, quod in ea sit proprius Christianorum, maximus, atque præcipuus Dei cultus. Altera, quòd in ea sit perpetua mortis Dominicæ commemoratio, quam hominũ animis omnino eximere totis viribus contendet Antichristus. Tertia est eaque Antichristo magis propria, quòd nihil in terris propius ad Christi propriam personã accedit aut pertinet, quàm Ven. Eucharistia, quæ ipsius est ipsissimum corpus & Sanguis. Hanc ergo omnibus modis persequi, hãc funditus tollere, huic totis viribus aduersari volet haud dubiè Antichristus.

A Antichriſtus. Ad quam rem leui brachio conficiendam quanta bone Deus adiumenta, quàm facilem & expeditam hodie viam, Proteſtãtum in hoc vno capite doctrina attulit? Tamenne dubitamus has demum hæreſes, expeditiſſimam & proximam Antichriſto viam ſternere?

Sed alia argumenta breuiter colligamus; vel potius argumentorum ſemina quàm breuiſſimè ſpargamus. Proximus Chriſti præcurſor S. Ioannes pœnitentiam & verbo & exemplo mirabiliter docuit. Hodierni hæretici & verbo & exemplo magis, omnis pœnitentiæ ac mortificationis hoſtes, nonne ipſiſſimi & proximi Antichriſti præcurſores omnium iudicio videbuntur? Idem Ioannes deſignauit Chriſtum eſſe Agnum Dei qui tollit peccata mundi; Iſti docent Chriſtũ qui nõ tollit, ſed tegit peccata mũdi, per imputatiuam peccatorum remiſſionem non veram. Rurſum S. Ioannes *conuertit corda patrum in filios & incredulos ad prudentiam iuſtorum.* Iſti à Deo patrum noſtrorum fideles auertunt & à prudentia iuſtorum credentes auellunt. 11. 12. 13.

Signa aduentantis Antichriſti deſcribit Chriſtus Matt. 10. & expreſſius S. Hippolitus in Orat. de conſummat. mundi, frequentia ſcandala, fraterna odia, mutua diſſidia, Regum bella, populorum clades, diſſenſiones ciuium, rixas domeſticorum atque affinium. Hæc autem omnia & ſingula per præſentes hæreſes hanc orbis noſtri partem iam penitus inundarunt. Præclari igitur ſunt & planè proximi Antichriſti præcurſores. 14. Rurſum quum proxima illa & vltimata diſpoſitio ſit, quę proximè attingit formã compoſiti, forma autem Antichriſti propemodum propria & eſſentialis ſit, primum, *extolli* 15.
B *ſupra omne quod dicitur Deus*, id eſt, ſupra omne quod colitur & venerationem habet, hoc eſt, *Deum patrum ſuorum non reputare* (vt in Antiocho Antichriſti typo deſcribit Daniel) Cap 9. deinde quod *ſupra quàm credi poteſt vniuerſæ vaſtabit*, vt ſcribit Daniel, id eſt, veritatẽ omnem auferet vt mendacium ſtatuat idque tanto ſtudio vt proprius quodammodo eius Cap. 8. character futurus ſit *ἀρνοῦμαι*, nego, vt ſcribit Primaſus in Apoſt. cap. 13. poſt. S. Hippolitum Mart. in Orat. de conſummatione mundi: vnde & ab Apoſtolo vocatur *is qui aduerſatur ὁ ἀντικείμενος*; profectò in vtroque hoc genere præſentes hæreſes quum excellant, proximè ad Antichriſti formam accedere, ideóque proxima & vltimata diſpoſitio eſſe meritò iudicabuntur. Ac ſanè quod ad prius attinet, ſic Deum patrum noſtrorum præſentes hæreſes penitus reiiciunt, vt S. quidem Patrum in ſcriptis libris Authoritatem nullo loco habeant, Patres autem in ſacris conciliis congregatos niſi præuio priuatõ examine non admittãt, paternas denique traditiones in cauſa religionis nullas ferant: vt vel hodie veriſſimum ſit quod de ſuo tempore grauiter conqueſtus eſt Baſilius, ideóque Antichriſtum aduentare ſuſpicabatur, videlicet, *vnum nunc crimen quod & vehementer punitur, eſſe, ſi quis paternas traditiones diligenter obſeruet.* Hæc ille. Quod ad poſterius attinet, ſic in vaſtando, contradicendo, negando, tota hodie Proteſtantum doctrina verſatur, vt verè nihil ſit illa aliud, quàm mera contradictio, doctrina negatiua, & ablatiua religio: quod mox in altera quæſtione luce clarius demonſtrabimus. Pariterque oſtendemus characteris beſtiæ Antichriſti propriam ſcripturam (*ἀρνοῦμαι*) in qua & numerus characteris exactè continetur; in hæreticorum hodie doctrina exactè 2. Theſſ. 2. Epiſt. 70.
C inueniri.

Sed nunc alia argumentorum ſemina fundamus. Hodiernæ hæreſes aiunt iam Antichriſtum veniſſe, in ſede Romana illum his multis ſeculis reſediſſe; non enim vnã perſonam ſed ſucceſſionem quandam perſonarum hoc nomen ſignificare. Quid verò eſt ad Antichriſtum quum venerit ſuſcipiendum efficacius? Ab illis enim demum Chriſtianis facillimè recipientur, qui nihil minus cogitabunt quàm eſſe eum Antichriſtum. Quomodo autem cogitabit quiſquam aliquem deinceps fore Antichriſtum, cui iam perſuaſum eſt veniſſe Antichriſtum? Quis ergo dubitat præſentes hæreſes hoc efficere, vt incautos omnes opprimat Antichriſtus? Rurſum Cathedram Petri ab ipſo penè Eccleſiæ exordio occupaſſe docent Antichriſtum. Quicquam ne verò ad Chriſti ignominiam grauius, ad Antichriſti gloriam excellentius dici potuit? Quàm facilè enim non fuiſſe illum Chriſtum perſuadebit Antichriſtus, cuius primariam cathedram, & quam reliqua tota Eccleſia venerabatur, non Chriſti doctrinam tenuiſſe, ſed ſibi viam præſtruxiſſe docebit? 16. 17.

Deinde quum homo peccati ſit Antichriſtus, certè qui peccati regnum dilatant, proximam Antichriſto viam patant. Hoc autem multipliciter hodiernæ hæreſes fa- 18.

ciunt. Primùm per ſolam illam & ſpecialem fidem quam ſtatuunt ſine vllis bonis ope- D
ribus iuſtificantem ac ſaluantem: deinde per illam doctrinæ ſuæ partem qua nullis Ec-
cleſiaſticis legibus Chriſtianum teneri, nulla eſſe volunraria pietatis & ſupere rogatio-
nis opera Deo ſingulariter grata imò neque ipſa mandata eſſe ad obſetuandum ita vt
oportet poſſibilia, ac Poſtremò vel ipſos inuoluntatios carnis corruptæ motus eſſe verè
peccata hominē ex ſeſe dãnanria, ideóque omnia opera eriam renati quantumcunque
bona non ſolũ eſſe imperfecta ſed etiã immunda, ideóq; nulla verè bona dogmatiſant.

19. Poſtremò Antichriſtus ſic extolli dicitur *vt ſedeat in templo Dei, oſtendens ſeſe tanquam*
2. Theſſ. 2. *ſit Deus*. At verò & iſtud nullo negotio obtineat Antichriſtus quum venerit, iam eſt ei
per præſentes hæreſes egregiè proſpectum, dum temporales ſuos dominos facit vna-
quæque hodie hæreſis in templo Dei ſedere, id eſt, eiecta poteſtate Eccleſiaſtica quàm
Chriſtus inſtituit, eam religionis formam præſcribere, illud doctrinæ genus admittere
pro puro puto Euangelio, quod à temporali domino loci approbabitur. Sic enim in va-
riis nobiliſſimæ Germaniæ prouinciis, ſic in miſera Anglia fieri cernimus. Imò quod
amplius eſt, cauſis Eccleſiaſticis præeſſe debere, adeóque de doctrina fidei iudicare
principem oportere, docuit ad tempus Melanchthon, tenet Brentius, iurant Angli. Sic
apud Anglos ſedet hodie in templo Dei fæmina: qualis fæmina? formam religionis
præſcribit, edicta promulgat, leges fert. Quidni tantundem & multo quidem facilius
Antichriſtus obtenebit? Sanè hoc ptoprium Antichriſto fore, vt Epiſcoporum ſe iudi-
cem ſupremum conſtituat; neque quicquam grauius eum poſſe admittere, grauiter &
copioſè docet S. Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. E

Quibus omnibus ita poſitis (nam longiori demonſtrationi ſuperſedendum video)
alteri doctiſſ. Domini Quodlibetatij argumento vbi reſpondero, huic diſputationi fi-
nem imponam. Quod igitur docent hodie Proteſtantes, nihil aut in fidei dogma aut
in cultum religionis recipiendum niſi quod Chriſtus viua voce docuit, eſt quæ pro hu-
iuſmodi in ſcripta Euangelica relatum, non illud Chriſti gloriam & Maieſtatem illu-
ſtrat, ſed & Spiritum S. blaſphemat, & in Apoſtolos atque Eccleſiam contumelioſum
Ioan. 16. eſt, & ipſi denique Chriſto luculentam iniuriam facit. Chriſtus enim Spiritum S. pro-
miſit qui ea doceret quæ Apoſtoli eo præſente adhuc portare non poterant, eiuſque
officium deſcripſit eſſe non ſolum ſuggerere quæ ipſe docuerat, ſed tiam docere quæ
deinceps docenda fuerant. Eccleſiam quoque, maximè Apoſtolos ſic audiri Chriſtus
Luc. 16. voluit vt diceret, *Qui vos audit, me audit*. Non ergo Chriſtum honorant ſed ei pretextu
hypocritico incredibiliter detrahunt præſentes hæreſes, dum Chriſtum ſolum in Scri-
20. pto Euangelij verbo audiendum docent. Similiter mediatoris Chriſti fidem non illu-
ſtrant hodie præſentes hæreſes dum illi ſoli ſalutem tribuunt ſed fœdiſſimè conta-
minant & penitus obruunt: Primum quia non Chriſti fidem ſed ſuam ſpecialem fidem
quæ nihil cum ea commune habet, ſceleratiſſimè hac arte perſuadēt: deinde quia Chri-
Hebr. 9. Tit. 2. ſti mediatoris merito & morti nobiliſſimum effectum, qui eſt mundatio conſciētiæ ab
operibus mortuis impietate maxima detraherunt. Rurſum quia gratiã mediatoris qua
nouam creaturam facit, hęc etiam doctrina multis modis extenuat, deniq; quia ab om-
Math. 5. ni bonorum operum ſtudio prorſus auocat, atque ita Chriſti gloriam, qui glorificatur
2. cor. 6. per opera bona noſtra maxima ex parte obliterat. Quibus omnibus in rebus quanto illi F
magis Chriſti glotiæ detraxerunt, tanto proculdubio magis Antichriſti cauſam & glo-
riam promoueruut.

I. Epilogus. Quamobrem vt omnia ſummatim colligamus, quum præſentes horum temporum
hæreſes myſterium iniquitatis quod vſque ad Antichriſtum ſemper operatur, iam ho-
die ex altera eius parte penitus compleuerint, & Chriſti corpus quod eſt Eccleſia om-
ni ex parte vellicauerint atque diſcerpſerint, ſicuti veteres hæreſes Chriſti perſonam:
1. quum Romanum Imperium, quo ſtante Antichriſtus præualere non poteſt, præſentes
2. hæreſes non ſecus in occidente quàm veteres in oriente labefactauerint, peneque
3. iam ad nudum nomen contraxerint: quum veteris Synagogæ occaſum eadem quo-
4. dammodo ſigna præceſſerint, qualia hodie conſpicuuntur; quum iam demum prædica-
5. to vniuerſis gentibus Euangelio, conſummatio approximare videatur; quum Eccleſiæ
6. iam Authoritas prorſus ſublara in fidei obſequio amplius non contineat; quum no-
7. biliſſimum in terris de Chriſto teſtimonium repudiatum ſit; quum vitæ voluptuariæ
8. ſchola quàm docebit Antichriſtus iam erecta ſit floreatque imprimis; quum Chriſti
promiſſiones

A ptomiſſiones vanitatis arguant,vnde ipſe Chriſtus conſequenter vilipendatur: quum
glorioſiſſimę eius mortis ac paſſionis efficacię,ideóq; gloriæ & maieſtati Chriſti nefariè 9.
detrahatur;quum omnibus ſacramẽtis,id eſt,propriis religionis vinculis & retinaculis, 10.
Chriſti Eccleſia exuatur;quum Scripturas ipſas, omni ſua firma & ſtabili Authoritate 11.
ſpoliatas,videamus,quum fides ipſa Chriſtianorum, qua ſaluari ſe credunt, non ſit am- 12.
plius fides mediatoris,ſed noua quædam; quum cultus Chriſtianorum vniuerſus, iam 13.
totus ſublatus ſit;quum quod caput totius cultus eſt, & in quo tollendo proprie atque 14.
præcipuè ſataget Antichriſtus,iuge videlicet ſacrificium iam ſublatum,omniſque con-
tumeliæ,opprobrij & iniuriæ genere affectum ſit, nihil vt eo deſpicabilius, nihil magis
abominandum cenſeatur; quum hac ratione, & Chriſtus ipſe, & mortis eius perpetua
memoria,grauiſſimè violetur:quum pœnitentiæ doctrina ridicula iam effecta ſit;quum 15.
ſingula Satanæ tendicula ad animas capiendas,quæ aduentantis Antichriſti ſigna Sal- 16.
uator deſcripſit,iam conſtructa & explicata ſint;quum propria quaſi Antichriſti forma, 17.
vtpotè *illud quod aduerſatur & quod extollitur*, in hodiernis hæreſibus maximè eluceat;quũ 18.
ex doctrina iam præſentis olim Antichriſti, omnis de venturo Antichriſto cautela ne- 19.
ceſſaria, penitus præſcindatur;quum Eccleſiæ Chriſti primaria ſedes ſtolidiſſimè fun- 20.
data oſtendatur,quod ad Chriſtum fundatorem haud dubiè redundat: quum peccati 21.
regnum per quod maximè regnabit Antichriſtus, mirificè iam roboratũ, & dilatatum 22.
B ſit;denique quum vt in templo Dei ſedeat Antichriſtus,via & ratio expeditiſſima hodie 23.
adinuenta ſit:quum inquam hæc omnia & ſingula,per præſentes hæreſes,& per doctri-
nam quam attulerunt cogitata,prolata,cõfecta fuerint;nihil planè addubito præſentes
hæreſes,omnium quæ vnquam à Chriſto nato fuerunt, viam Antichriſto & paratiſſi-
mam,& omnino proximam præparaſſe.

D.Præſes Quodlibetarius,de more Scholæ in hac verba contra aſſertam Concluſionem,replicabat.

TSI euincere penè videantur quæ dicta ſunt, has demum hæreſes proximam ad Antichriſtum viam parare, tamen quo minus in eam adhuc cogitationem planè deſcẽdam,& vt aſſenſum meum rei tantæ adhibendum,adhuc cohibeam,vnum quiddam eſt quod me plurimum mouet:& ni fallor,merito.Illud tamen ſi expedire potes,planò herbam porrigã, & in tuã ſentenriã animo pedibúſq; deſcẽdam.
Eſt vero huiuſmodi. Antichriſtus ſanè ille magnus, & quem proprio
quaſi epitheto,*hominẽ peccati & filiũ perditionis*, antonomaſticè vocat Apoſtolus, non niſi
ſub finem & conſummationẽ ſeculi, venturus creditur *quem videlicet dominus deſtruet illu-* 2.Theſſ.2.
ſtratione aduentus ſui:& per quem graſſabitur ac præualebit tum illa *deſolationis abominatio*,à Dan.9.
C Daniele prædicta, tum etiam, *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſq; tunc*, quæ Matth.24.
vtraque non niſi etiam ſub finem ſeculi aduenient.Nam idcircò rogatus ibidem Salua-
tor,à diſcipulis ſuis *de ſigno aduentus ſui,& conſummationis ſeculi*, hoc de Antichriſti perſe-
cutione futura,inter alia reſpondit.Sed eodem loco præmonuit Saluator,*de die illa &*
hora (ſcil.aduentus ſui) *neminem ſcire neque Angelos cælorum*. Quod iterum repetiit, idem Act.1.
iterum poſtulantibus diſcipulis,dicens.*Non eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ po-*
ſuit Pater in poteſtate ſua.Si ergo de conſummatione ſeculi, & conſequenter de Antichri-
ſti aduentu,qui proximè illam præcedit,nihil certo ſciri poteſt, profecto de ſignis pro-
ximè Antichriſtum præcedentibus,(quorum è numero vnum eſt pſeudoprophetarum
præcurſus & ſeductio,eodẽ matt.cap.24.)certo aliquid ſciri aut determinari non poteſt.
Itaq; vt alia ſigna à Saluatore commemorata, tum aliis iam ſeculis & ætatibus magna ex parte acciderunt,tum etiam hodie non deſunt,nec tamen Antichriſtus venit:ſed eadem adhuc ſub illius aduentum,denuò accidere poſſe negare audeat nemo,(vt prælia gentium,peſtilentias,fames,tertæmorus,& ſimilia)ſic de hæreſibus ſtatuendum eſt, vtcunq; nũc graues ac variæ ſint,tamen non eſſe illas poſtremas,& Antichriſto proximas; ſed poſſe adhuc alias vel grauiores vel ſimiles exiſtere. Ne ſi id negetur, vel quod aliis ſignis conceditur,id huic vni negetur,(cuius tamen nulla ratio apparet,) vel (quod deterius eſt)aduẽtu Antichriſti,& conſequenter Chriſti,aliquid nos certo ſcire ac determinare poſſe præſumamus.Fuerit ergo temerarium iſtud certo affirmare, ptoximas Antichriſto eſſe præſentes hæreſes,vel(quod idem eſt)viam illi proximã per illas præparari.

DIffiteri non possum eruditiss. D. Quodlibetariȩ, Argumentum istud quod in vltimum hunc locum seruasti, quasique aduersæ opinionis robur vniuersum, in extrema acie collocasti; & me quoque non semel commouisse, quo minus in sententiam, quam nunc argumentis quibus potui astruxi, descenderem. Et illud tamen, vtcunque in speciem validum, atque robustum Deo propitio amoliar, nihilque planè contra sententiam à nobis positam, militare, nisi vehementer fallar, ostendam. Sunt autem (si rectè assequor,) duo argumenti huius vestri capita, quasique fundamenta; quibus si satisfiat, toti argumento satisfactum esse videri potest. Prius est, quum hæreses signa tantum sint Antichristi venturi, vt ex Scripturis citatis patet, quare illæ vtcunque graues, & pestilentes sunt, postremæ censeri debeant, ita vt nec illis similes nec grauiores postea existant, quum reliqua signa omnia, quæ cum hæresibus enumerauit Scriptura, & sæpius acciderint, & denuò accidere posse nemo verisimiliter negaturus sit. Alterum caput est temerarium, videri de proximis Antichristo hȩresibus, aliquid certò decernere, quum de ipso Antichristi aduentu, nihil certo sciri queat, vt etiam Scripturæ citatæ docent. D

Ad prius respondeo, magnum esse inter hæreses, & cætera signa ex Scripturis commemorata, quod ad Antichristi præsignificationem attinet, latúmque discrimen. Hæreses enim, non solum signa præcurrentia sunt, sed etiam cooperantia & disponentia. Per hæreses enim mysterium iniquitatis operatur, id est paulatim perficitur, atque consummatur. Passiuè enim lego illud Pauli vocabulum ἐνεργεῖται: sicuti in variis aliis locis apud Paulum accipitur. 2. Cor. 1. pro ¹ *vestra salute quæ operatur* 1. Thess. 2. *Sermo* ² *dei qui operatur in vobis.* Ro. 7. ³ *passiones peccatorũ operabantur in nobis.* Quum ergo natura rerum postulet, vt proxima dispositione præsente, sequatur effectus & terminus motus, nisi extrinsecus aliquod impedimentum adueniat, secundarijs & proximis causis potentius, certè ex natura rei, postremæ & Antichristo proximæ, præsentes hæreses censendæ sunt, quatenus ad eum suscipiendum efficacissimè disponunt. Et signa quidem eadem diuinæ alicuius operationis, vindictȩ, iustitiæ, sæpius occurrũt: vel vt sȩpius homines admoneantur, vel vt alterius generis, etsi eiusdem grauitatis, vindictam præsignificent, Qualia ferè erãt terribilia illa è cœlo signa, non diu ante excidium Hierosolymitanum, vt latè describit Egesippus, & sub Galieno imperatore, Romanas prouincias Barbaris peruadentibus, vt Aug. notat, ac denique vastatæ per Gothos, ac postea Vandalos vrbis Romæ, itémque translationis Imperij Orientalis in Occidentem temporibus, vt historiæ nobis produnt. Causæ verò disponentes, maximè diuinitus patefactæ, atque prędictæ, non ita recurrere conuenienter possunt, aut etiam solent. Saltem quicquid sit de extrinseco impediente, ex natura rei præsentes hæreses vt proximè, ad Antichristum disponunt, ita illi proximæ simpliciter, censendæ sunt. Aliud sanè est quid diuina vel bonitas misericorditer differre, vel iustitia protinus accelerare velit, cuius rei iudicium penes homines non est. E

¹ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης. ² ὃς καὶ ἐνεργεῖται. ³ ἐνηργεῖτο.

Lib. 5. cap. 44.

Epist. 80.

Ex qua etiam consideratione, patet ad alterum argumenti caput, expedita responsio. Antichristo enim certè proximas esse has hæreses, quod ad ipsam vel hæresum naturam, & grauitatem, vel Antichristi doctrinæ formam, & rationem pertinet, sciri & inueniri potest. Ex Scripturis enim, totáque rei theologicæ scientia, vtraque cognoscuntur. Ipsius tamen Antichristi post illas aduentum, certò nos scire, ac determinare posse, absit vt præsumamus. Neque enim post veteres illas hæreses, contra Christi personam, quum iam ad summum peruenissent, paulò post Concilium Calcedonense, in varijs illis & detestandis sectis, quas hæsitantium, seu ambigentium vocari diximus, Mahometismus statim (qui ipsarum omnium complementum fuit) aduenit, aut obtinuit. Centum enim & amplius anni adhuc abierant, antequam Mahometes, ille impius, suas præstigias orbi propalaret. Itaq; sicuti illud Christi, *Prædicabitur hoc euangelium in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio*, exponit sapienter Augustinus, *tunc veniet, id est non ante veniet quanto autem post veniet, nobis incertum est*; sic quod eodem euangelij loco dicit Saluator *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ &c.* móxque paulò post infert, *tunc apparebit signum filij hominis in cœlo* (nam quòd interponitur quod *statim post tribulationem dierum illorũ Sol obscurabitur &c.* Rectissimè Augustinus spiritualiter intelligi vult de Ecclesia, magnísque in ea luminibus, in tanta hæresum tentatione ac tribulatione defecturis) hoc inquam quod statim infertur, *tunc apparebit signum filij hominis in cœlo*, hoc modo intelligendum est, vt non statim secundus Christi aduentus, & ante eum Antichristus indubitanter adueniat; sed quod non prius vtrúmque veniat, quam ista signa præcesso- F

Matth. 4.

Epist. 78.

Epist. 80.

A rint; quando autem aut quanto post tempore veniet, incertum nobis esse: *quorum non est scire tempora, & momenta quæ pater posuit in potestate sua.* Erunt ergo istæ hæreses Antichristo proximæ, viámque illi expeditissimam præparare censebuntur; nec tamen vel aliorum signorum frequēti iterationi repugnabit, vel temerarium aliquid de Antichristi aduentu hæc sentētia nostra pronunciabit. Nec certè vt de Antichristi aduentu aliquid singulare stultè & temerè proferrem, sed vt præsentes hæreses quam detestandę & execrabiles sint, omníque studio supra omnes quæ vnquam extiterunt fugiēdæ & abominandæ hac occasione ostenderem, eas Antichristo proximas, & ad eum fine difficultate vlla recipiendum efficacissimas esse demonstrare volui. Hęc habui quæ huic seu argumento soluendo seu scrupulo eximendo pro temporis angustia breuiter responderem.

QVÆSTIO II. QVODLIBETICA.

An vlla sit apud huius temporis hæreticos certa & constans doctrina.

B

ÆRITVR nunc secundo loco, an vlla sit apud huius temporis hæreticos certa & constans doctrina. Doctrinam hoc loco appello, fidei christianæ dogma, circa quod errare damnabile fuerit idēmq; huius tēporis hæreticis proprium, quod videlicet contra veterē Ecclesiā, quam Romanā nos dicimus, (Papisticā illi vocant,) recenter controuersum illi omnes vnanimiter tenēt, tenuerúntque semper à primo suæ reformatæ quam vocant Ecclesiæ exortu. Illorum enim doctrina censenda est quam illi seorsim tenent & docent, non quam communiter nobiscum agnoscunt. Illam enim à nobis acceperunt atque didicerūt: itaque non illorum sed Catholica est. Illa quoque demum certa & constans eorum doctrina iudicanda est, in qua & omnes conueniunt, (alioqui incertum erit, cuius demum sectæ vel personæ sit doctrina verior & Euangelio magis consentanea) & semper conuenerunt: Alioqui si de re eadem non eadem dicunt, sed modo hoc modo illud affirmant, nihil erit in eorum doctrina constans, stabile ac firmum. Deníque doctrinam hic intelligimus fidei dogma necessarium: Nam de iis quæ ad fidei necessitatem & naturam non spectant, aliter atque aliter sentire ac docere, sine periculo salutis licet, sine detrimento fidei doctissimi in Ecclesia viri solent.

Doctrina nomine quid hoc loco intelligatur.

Quæritur ergo an Reformatæ Protestantum Ecclesiæ (hoc enim vocabulo generaliter innotescunt) certam aliquam habeant & constantem de fide doctrinam, ab ipsis
C nunc recenter in lucem prolatam: propter quam videlicet merito Reformatores Ecclesiæ & Euangelici doctores ac magistri existimari debeāt, sicuti vocari volunt. Absq; aliqua enim certa & cōstanti doctrina nulla hactenus secta extitit; nulla vel vera vel falsa religio coaluit. Et certè admirabile, ne dicam incredibile esset huius reformatæ Ecclesiæ, quæ tot populos ac principes in suam sententiam pertraxit; quæ tantam sibi eruditionis opinionem tot scriptis libris vendicauit; nobis autem omnem veræ religionis crassam & affectatam ignorantiam adeoque palpabilem impingit; quæ denique de restaurato verbo dei, de Euangelij Luce, de doctrina prophetica & Apostolica apud illos solos purè putidè prædicata & intellecta confidentissimè gloriatur, nullum tamen esse fidei dogma, nullum doctrinæ sacræ caput, ab illis restitutum (inuentum enim dicere nefas fuerit) quod certum & constans sit. Dico tamen & (fauente Deo) Luce clarius demonstrabo, nullam planè ne quidem in vno vel minimo articulo ad fidem vt dixi necessario, huiusmodi apud eos doctrinam esse. Quod dum facio breuiter per singula discurrendo, diligenter quæso quod facitis attendite. Omnia enim religionis hodie controuersæ capita celeri pede percurram, & in singulis eorum vel incertam hæsitationem vel manifestam inconstantiam ostendam.

Primū ergo Protestantū hodie doctrina propria in qua omnes vnanimiter & cōstanter conueniunt, negatiua est tota, affirmatiua nulla. Quicquid autem affirmatiuè docēt

Protestantium doctrina negatiua.

aut in eo omnes non conueniunt,aut variè & mutabiliter illud tradiderunt. In quibus omnes conueniunt sunt ista. Non esse veram Ecclesiam quæ dicitur Catholica. Rom. Pont. non esse caput Ecclesiæ.Traditiones extra Scripturam non esse recipiẽdas. Non esse septem sacramenta.Eadem non conferre gratiam.Transsubstantiationem elementorum in ven.Euch.non esse.Sub vna specie non esse communicãdum. Confessionem peccatorum sacerdoti non esse faciẽdam.Nullas satisfactiones pro peccatis suscipiendas. Missam non esse sacrificium, non esse propitiatorium; Non esse consecranda templa,altaria,vestes,eóque pertinentia. Nulla esse merita vitæ æternæ. Legibus Ecclesiæ non obligari fideles.Non esse ieiunandum.Non esse celebranda festa ad eius præscriptum.Non esse orandum pro defunctis.Non esse inuocandos Sanctos. Non esse peregrinandum religionis ergo.Non esse venerandas Sanctorum reliquias. Non esse venerandas Imagines Christi & Sanctorum.Non esse emittenda vota perfectionis.Non esse lingua populo ignota officia diuina celebranda: Nihil valere Indulgentias.Non esse liberum arbitrium.Ex bonis operibus non iustificari quemquam. D

Hæc & alia adhuc fortasse multa(quorum meminisse non possum) omnes vnanimiter tenent.In his omnes conueniunt.Sed sunt hæc omnia puræ negationes ex quibus nihil concludi posse docet disserendi ars.Nihil credendum ponunt cui tanquam fundamento & basi circa sua obiecta nitatur spes;nihil eorum fides habet quod intellectui probet aut conuincat, ratione alioqui vel sensu non apparens.Quod vtrunque veri nominis fidei proprium, imò intrinsecum esse Apostolus docuit, definiens fidem esse *substantiam* seu basin *rerũ sperandarum,argumentũ non apparentiũ* Hoc igitur quod solum certo & constanter tenent,Non est aliquod fidei dogma,sed multorum dogmatum mera negatio.Est doctrina negatiua & ablatiua religio. Habet illum proprium Antichristi characterem ἀρνοῦμαι.Nego. Negant enim hæc & illa; & in istis suis Negatiuis confirmandis atque roborandis,mirum quanta facundia qua copia disputant, prædicant, scriptitant: Homines nimirum(vt de Manichæis Augustinus quorum pestilenti sectæ nouem se annis iuuenis addixerat,animaduertisse se scribit) *plus in refellendu aliu diserti & copiosi quam in suis probandu firmi & certi*: quam etiam ob causam *ne apud illos penitus hæreret, vel vltra gradum Auditorum quem vocabant ascenderet*, sese reuocatum & impeditum esse idem scribit Augustinus. At dicet mihi aliquis: Vtcunque in his iam commemoratis Articulis omnia sint negatiua,habere tamen reformatas has Ecclesias alia certa dogmata,partim his negatiuis affirmatiuè contraria, partim alterius generis: quæque sint huius reformatæ religionis propria dogmata,purè putè Euangelica; ex quibus illorum doctrina magis propriè constat & religio innotescit. Cui respondeo habere sanè illas vtriusque huius generis dogmata affirmatiua: sed aio nihil eos in illis certum nihil constans habere,Quod nunc per singula discurrendo breuissimè ostendam. E

Hebr.11.

Lib. de vtilit. cred.cap.1.

In dogmate affirmatiuo quod sunt tot negatiuis substituunt Protestantes, nihil certum aut constans habent.

Ac primum, Ecclesiam negant eam esse quæ Catholica & Romana dicitur. Sed vt huius negationis loco,aliquod certum dogma de vera Ecclesia ponerent, vide quæso quàm nihil certum & constans ponere potuerunt. Docent enim Ecclesiam alij inuisibilem esse vt initio Lutherus in libr.de seruo arbitrio,Musculus in locis com. Caluinus Inst.lib.4.cap.8. alij visibilem esse vt in posterioribus scriptis Melanchthon, idémque Caluinus eodem lib.cap.1.Rursum alij illam omnibus seculis extitisse,nec interire posse docent,vt Caluinus & posteriores:alij non esse hoc necessarium affirmant, vt Lutherus lib.allegato.Ex illis qui semper extitisse Ecclesiam affirmant, alij in omni ætate cognitam & visibilem, vtcunque afflictam & sub cruce positam, alij in occultis electis, in reliquiis,& in deserto latitasse Ecclesiam docent.Priorem sententiam Lutherus in tractatu de notis Ecclesiæ,& Mel.in locis com.Posteriorem studiosè Caluinus Inst. lib.4. cap.2.& Musculus in loc.com.tuentur. F

1. In doctrina de Eccl.

2. circa notas Ecclesiæ.

Iam verò notas veræ Ecclesiæ alij septem ponunt,vt Lutherus in tractatu supra dicto, quæ etiam vellet vocari septem Sacramenta: alij 4. tantum vt Magdeburgenses Cen. 1. Quem etiam numerum retinet Illyricus in Acta cap.2. sed in rebus dissentit. Alij tres solum vt Mel in resp.ad art. Bauaricæ Inquisitionis: quos etiam hodie Vvittenbergenses tenent: saltem anno 1570.tenuerũt in thesibus Georgij Maioris propos.117. illo annò editis.Alij denique duas tantum notas esse volunt,vt idem Mel.in repetit.cõfessionis Augustanæ & in loc.com.& Caluinus Instit.lib.4.cap.1. Vides ergo quam nihil constans in doctrina de Ecclesia habent.

Similiter

A Similiter Authoritatem Ecclesiæ penes Episcopos & Pastores eius esse negant vnanimiter omnes. Sed si quærimus in quo vel quibus hanc Anthoritatem illi ponunt, alij respondent in tota congregatione illā esse; vt plerique protestantes: alij in paucis Spiritu donatis, vt Magdeburgenses docent: alij in ministris à tota congregatione constitutis, vt Saxonici Lutherani: (ex qua sententia papatus Saxonicus nomen suum accepit) alij denique in principe & magistratu laico, vt docet Brenrius & Laicocephali Angli sub iuramento publico asseuerant. *3. Circa Authoritatem Ecclesiæ.*

Nec aliter de Patrum Authoritate couueniunt. Alij enim primorum tantum seculorum, alij etiam posteriorum, alij nullos prorsus patres in Authoritatem recipiunt, quod docuit Lutherus in lib. de seruo arbitrio. Concilia quoque Lutherus primò omnia excepto Constantiensi, Lutherani postea rantum 4. Prima, vt Mel. in resp. ad art. Inquis. Bauaricæ, & Caluinus Inst. lib. 4. cap. 9. Alij denique tria tātum vt Martinistarum confessio. an. 67. Antuerpiæ edita prætermisso Chalcedonensi: postremò nulla admittunt. *4. circa Patres.* *5. circa Concilia.*

Sacramenta septem esse negant omnes; sed de numero nihil illi sibi certum ponunt. Alij enim quatuor retinent, vt Vvittembergenses. Euchariſtiam, baptismum, pœnitentiam, Ordinem: Alij tria tātum excluso Sacro ordine, vt Lipsenses: alij denique nisi duo vt magis hodie recepta protestantum doctrina habet, Quo vno in argumento, quo modo & quoties à seipso diuersa docuerit Melanchthon docet egregiè Fred. Staphylus. Apolog. par. 3. Similiter conferre illa gratiam negant omnes; sed non vno modo. Alij enim necessaria tamen esse volunt: alij etiam efficacia ponunt; alij neutrum sed adiaphora tantum, merásque esse notas & signa docent. *6. Circa Sacramentorum numerum.* *7. Circa effectū Sacramentorum.*

B

Elementorum transmutationem in Vener. Eucharistia negant omnes. Sed in aliqua certa doctrina quæ huic negationi opponatur non conueniunt. Alij enim adesse nihilominus corpus & sanguinem realiter & corporaliter volunt cum pane, vt plerique Lutherani: alij sub pane vel in pane, vt alterius generis Lutherani: alij non corporaliter sed realiter tamen, vt sophisticatur de suo canale Caluinus. Alij nec realiter nec corporaliter sed purè spiritualiter per fidem vt Zvvingliani propriè: alij nihil horum omnium sed vel figuratiuè vt Oecolampadius, vel significatiuè vt Carolostadius, vel denique per modum vbiquitatis, vt Brentius. *8. Circa Transsubstantiationē.*

Merita Bonorum operum quoad vitam æternam negant vnanimiter omnes De Meritis tamen bonorum operum non idem censent omnes. Lutherani enim, & maximè Chemnitius in Examine agnoscit & docet mereri bona opera & temporalem & spiritualem mercedem non in hac vita tantum sed etiam in futura: contra Caluinus nullū prorsus bonorum operum meritum esse vult. Liberum arbitrium negant sanè satis vnanimiter omnes; sed non eodem sensu & modo. Alij enim ponunt illud saltem in renatis vt molliores & meliores Lutherani, alij negant vt Illyricani & Caluinistæ. Alij in humanis & adiaphoris concedunt etiam ante gratiam, vt Melanchthonici posteriores. Alij negāt vt Lutherus ipse cum rigidis suis sectatoribus. Alij denique saltem ad malum in omnibus inueniri: Alij ne ad malum quidem vt idem Lutherus in artic. 36. & lib. de captiu. Babylonica. *9. Circa Merita* *Institut. lib. 3. cap. 15. par. 4.* *10. Circa liberū arbitrium.*

C

Pœnitentiæ sacramentum negant sanè omnes; sed de ipsa pœnitentia alius docet ipsam significare dolorem & contritionem, vt Mel. alius tantum nouam vitam vt Lutherus: alius cum contritione fidem, vt Lipsenses theologi. Prædicari autem in Euangelio pœnitentiam alius dicit vnius peccati tantum, videl: Incredulitatis, alius pec. omnium. Alius impropriè & per accidens, alius ex consequenti, tertius per antithesim, quartus quod aliquatenus, quintus quod arguat incredulitatem, sextus quia paruam reiicit fidem 7. quia minus principaliter prædicat pœnitentiam. Hæc de Vvittembergensibus Illyricus in informat. de quibusdam doctrinæ Christ. articulis. In his ergo omnibus quæ præcipua sunt fidei nostræ Capita, aliquid ne certum aut constans in doctrina Protestantum vides? *11. Circa Pœnitentiæ Sacramentum.*

Sed pergamus ad alia, Ordinationem quandam ministrorum verbi, etsi non vt sacramentum, tamen vt vocationem necessariam retinent omnes aut ferè omnes: Hanc tamen alij volūt cum impositione manuū fieri vt docet accuratè Caluinus Inst. lib. 4. c. 3. alij sine ea solo vocante magistratu vel etiam tota congregatione, vt Rigidi Lutherani. *12. Circa Sacramentum Ordinis.*

Baptismi sacramentum Lutherani necessarium fatentur, Caluinistæ negant: Authore Caluino Inst. lib. 4. cap. 15. In eodem alii ceremonias admittunt Ecclesiasticas, vt *13. Circa Baptismum.*

molliores Lutherani in Germania & Anglocaluinistæ: alij nullas vt Caluinistæ cæteri, & Puritani in Anglia. D

14. Circa Cœnã Dominicam.

In cœna quam vocant Dominica, alij geniculantes communicant vt Lutherani molliores, qui etiam adorant, & Anglocaluinistæ qui non adorant: alii stantes, vt Caluinistæ plærique, alij sedentes, alij etiam transeuntes. In reliquo cultu externo quem omnes vnanimiter ab Ecclesia præscriptum repudiant, nihil vnanimiter obseruant. Alij enim festa Sanctorum in solis scripturis expressa, vt Caluinistæ & nostri Puritani, alii etiam quorundam Martyrum, vt Anglocaluinistæ, alii nulla prorsus, ne diem quidem dominicam vt Anabaptistæ, aliique fanatici. Alii rursum stata ieiunia quædam vt Quadragesimam, in quibusdam Germaniæ partibus & in Anglia: alii nulla stata sed omnia libera esse volunt, vt cæteri ferè Caluinistæ.

15. circa festa & ieiunia.

In dogmatibus quæ omnes communiter tenent, non eodem modo tenent.

Sed ista minutiora prætermittamus. Ad grauiora redeo. Quædam habere videntur, eadémque maximi momenti dogmata, ipsísque propria, in quibus præclarè conueniunt. In illis fortasse certam aliquam & constantem doctrinam retinent. Sunt autem illa dogmata huiusmodi. Sola fides iustificans. Imputatiua Christi Iustitia. Certitudo gratiæ. Concupiscentia in renatis est peccatum. Communio sub vtraque specie. Papam esse Antichristum. In his enim certè & omnes vnanimiter conuenire videntur, & magna Christianæ doctrinæ pars consistit, & sunt positiua atque affirmatiua omnia. Sed respondeo pauca admodum hæc esse præ tanta aliorum articulorum multitudine, in quibus plurima negarunt, nihil adhuc certum & constans posuerunt. Deinde nego etiam in istis paucis illos inter sese conuenire. E

16. circa solam fidem iustificantem.

Primùm enim, solam fidem iustificare omnes sanè vnanimiter dicũt. Sed nec fidem, nec solam omnes eodem modo intelligunt. Alii enim fidei nomine solum credere promissionibus diuinis, alii viuam & necessariò operantem fidem (quorum vtrumque docuit fraudulenter Lutherus in lib. de capt. Babyl.) alii rursum fiduciam ipsam, vt plerique Lutherani veteres; alii non fiduciam sed organum & instrumentum apprehendens ipsam iustitiam & salutem vnde postea fiducia consequatur vt recentiores Lutherani; alii nihil horum sed certam notitiam & persuasionem salutis vt Caluinus definit. Inst. lib. 3. cap. 2. Deinde solam fidem alii sic docent vt bona opera prorsus excludant tanquã nec efficacia ad iustitiam, nec omninò necessaria, vt Caluinus & Illyricus eorúmque sectatores audacissimè affirmant: alii etsi non efficacia, tamen necessaria agnoscunt vt Melanch. in locis com. & alij molliores Lutherani. An ergo in hoc tam illustri dogmate aliquid tibi certum aut constans docere videntur?

17. circa Imputatiuam Iustitiam.

Similiter Imputatiuam Christi iustitiam alii extrinseca tantùm denominatione intelligunt, vt veteres Lutherani & Caluinistæ alii formaliter nostram esse nósque ea verè donari, vt Chemnitius ac recentiores Lutherani. Alii negant prorsus, vt Osiandrini. Certitudinem quoque gratiæ alii & quidem plærique tam ex parte nostra quàm ex parte Dei statuunt; alii ex parte tantùm Christi docent, ex parte autem nostra dubitationi locum esse affirmant, quales sunt molliores Lutherani, quos hoc nomine semipapistas vocat Caluinus Inst. lib. 3. cap. 2. Concupiscẽtiam in renatis peccatum quidem esse omnes docent: sed alii damnans & vastans conscientiam quantum ex se est, vt plærique; alii sic peccatum vt tamen omnis tollatur reatus, quod implicat cõtradictionem vt Vvittembergenses: alii denique veniale tantùm vt Chemnitius Lutheranus in examine decret. Conc. Trid. rem mitigat. Communionem quidem sub vtraque specie, omnes flagitant, sed alii vt necessariam omnino propter Christi Institutionem, alii vt alioqui mancam ex parte sacramenti, alii verò non vt necessariam aut perfectam, sed propter libertatem christianam; quia res est adiaphora, vt expresse docuit Lutherus in lib. de formula Missæ, & de cap. Babyl. & ad Bohemos, itémque Mel. in loc. com. an. 21. F

18. circa certitudinem gratiæ.

19. circa concupiscẽtiam in renatis.

20. circa communionem sub vtraque specie.

21. circa Romanæ Sedis apostasiam.

Denique Papam esse Antichristum clamant vno ore omnes: sed alii hoc nomine non personam aliquam sed sedem ipsam & vniuersum corpus succedentium Pontificũ, alii singulas personas intelligi volunt. Rursum alii à Bonifacio 2. ab annis mille, plus minus; Alii à Zosimo Papa, alii denique à Victore tempore Irenei, alii postremò ab ipso Petro (in quo non obscura Antichristi signa sese deprehendisse [1] Beza & [2] Illyricus scripserunt) hanc Antichristi sedem ortum cæpisse, indéque continuasse scribunt. Nec ergo etiam in istis dogmatibus quæ vtcúmque pauca, sola tamen sunt ipsis hodie propria & affirmatiua, & in quibus conuenire videntur, aliquid certum & constans docent:

[1] In explica. methodo in 2. Thess. 2.

[2] In catalogo testiũ veritatis.

sed de

A ſed *de rebus eiſdem* (more ſanè hæreticorum omniũ vt notauit olim Irenæus lib.5.cap.20.) *alio atque alio modo loquuntur*: homines videlicet (vt Paulus huiuſmodi deſcribit) *ſemper diſcentes, ſed nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*. Et rurſum: *Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Quam enim illi tandem veritatis ſcientiam aut ſuorum dogmatum intelligentiam nacti fuiſſe videri poſſunt, qui nullo adhuc in dogmate certum aliquem & fixum pedem ponere, nullam certam veritatem ſtatuere ac definire potuerunt? 2.Timo.3. 1.Tim.1.

Quid quòd præterea (vt magis ac magis hanc eorum incertitudinem demirere) non ſolum ſingulæ ſectæ, ſed ſinguli ferè Archihæretici, & magiſtri ſectarum, propria quædam habent dogmata, quæ nec diſcipuli omnes vnanimiter tenere voluerunt. Deum eſſe Authorem mali non ordinatorem tantum, & effectiuè non permiſſiuè tantum, peccati cauſam eſſe, docuit inuerecundè Caluinus. Sed non eum omnes Caluiniſtæ in hac blaſphemia ſequuntur. Eiuſdem proprium dogma eſt (Inſt.lib.1.cap.13. ſect. 2. & 23.) filium Dei eſſe αὐτόθεον: nec à patre eſſe ſed à ſeipſo; quod neſcio an aliqua hodie Caluiniſtarum congregatio teneat. Nam quod omnipotentiam Dei diſertis verbis negat, nec ab ordine rerum iam poſito & conſtituto eum recedere poſſe affirmat, eſt illi cum multis aliis ſuis ſectatoribus commune. Brentio proprium eſt Chriſtum ſecundum humanitatem vbique eſſe: quod cæteri non ſolùm in genere Proteſtantes, ſed etiam Lutherani plærique deteſtantur, Neſtorianam illi hæreſim & Eutychianam quoque ſcriptis libris impingentes. Singularis fuit Andreæ Oſiandri de eſſentiali Dei iuſtitia, & Franciſci Stancari illi oppoſita de iuſtificatore Chriſto ſecundum humanam naturam tantum doctrina; quam ex tota turba proteſtantum nulla ferè congregatio diu tenuiſſe videtur. Anabaptiſtarum, Trinitariorum, Svvenkfeldianorum, & ſimilium portentoſa dogmata prætermitto, ne ſingula commemorando in nimiam prolixitatem excreſcat oratio. Illud prætermitti non debet, horum hominum doctrinam non ſolum ideo incertam eſſe, quia quid ipſimet certò conſtituant, incertum ſemper habent (cuius rei cauſa eſt quia nullo Authoritatis diuinæ fundamento nituntur, ſed ſuus cuique animus & ſenſus Author eſt, quid docere, quid credere debeat, vt olim de Manichæis notauit Auguſtinus) ſed præterea quia non ex rei veritate ſaltem ipſis apparente de doctrina fidei iudicant & ſententiam ferunt: ſed planè prout ipſis commodum aut incommodũ eſt, aiunt & negãt. Exempli cauſa quum adhuc noui & pauci eſſent, Eccleſiam fidelium docuerunt eſſe cætum hominum ſoli Deo cognitum, mundo autem incognitum: Contra quum in numerum ſatis magnum excreſcere cœperunt, Eccleſiam docent eſſe cætum *viſibilem, &c*. Hoc enim ſecreto quodam cõſilio ab illis factum fuiſſe prodidit Fredericus Staphylus Apolog. prioris par.3. Similiter quum nullas adhuc vires haberent, perſecutionem & crucem eſſe propriam veræ Eccleſiæ notam diligentiſſimè docuerũt, fidémq; liberam eſſe debere nec vllis vinculis aſtringi, vt docuit Lutherus quùm à Comitiis VVormatienſibus rediret. Contra vbi fortiores ſunt ad ſuam perfidiam Catholicos cogunt & legibus aſtringunt. Huc pertinet quòd aliquot annis conſtantiſſimè docuerunt, propter cauſam fidei non eſſe quemquam morti adiudicandum: ex quo factũ eſt vt hæc etiam controuerſia diligenter à Catholicis contra huius temporis hæreticos tractata & diſputata fuerit. Nunc verò rerum potiti in Anglia non ſolùm perpetuis vinculis, rapina bonorum, & exilio mulctant Catholicos, ſed etiam morte atrociſſima affecerunt non paucos; quorum etiam de ſeminario Põtificio in hac Alma vniuerſitate iam dudum poſito duo extiterunt, non ob aliam cauſam morte atrociſſima affecti quã quia pro ſacerdotibus deprehenſi, & in fidei Catholicæ profeſſione conſtantes eſſent.

22. Diſcipuli diſſentiũt à magiſtris.

Inſtitut. lib.1. cap.4. par.2. & 3.

Inſtitut. lib.4. cap.17. par.24.

B

contra Fauſtũ. lib 23.cap.13.

23. Rem eandem modo affirmant modo negant prout ipſis commodum aut incommodum eſt.

Alphonſus de caſtro & alibi.

C

Cuthbertus Maine & Ioannes Nelſon preſbyteri.

Sed quid externis exemplis opus eſt? Nónne iam in hoc nuper florentiſſimo Belgio, quum adhuc ſuperiores viderentur Catholici, Libertas vtriuſque religionis paſſim deprædicata, promiſſa, & mutuo compromiſſo etiam iuramento interueniente (pudendo exemplo) roborata eſt? Sed vbi illi planè ſuperiores ſunt, vt in Hollandia & Zelandia itémque Gandaui, nónne iam ſola obtinuit hæreſis, pulſis Catholicis?

Simili fraude & perfidia quum adhuc nudi & miſeri eſſent, clamabant cum Vadianis veteribus hæreticis bona Eccleſiaſtica luxui tantùm & ſeculari pompæ materiam ſubminiſtrare; debere miniſtros verbi vel Apoſtolico more nihil poſſidere, vel certè paucis contentos eſſe. Nunc verò in Anglia & alibi rerum ipſi potiti, epiſcopatus opulentiſſimos, decanatus, Archidiaconatus, Canonicatus, aliáque optima beneficia nacti etiã

maiori pompa procedunt,luxu diffluunt,& fastu turgescunt. Quod in illis acerbissimè D
secta puritanorum reprehendit.

Huius etiam generis est quòd in Germania & Anglia illa religio tenenda est, quam princeps amplectitur,probat,iubet.In Gallia,Scotia,& hoc Belgio,etiam contra reges arma pro religione sumere licet, adeóque iugum Regis excutere & alium principem asciscere.

Eodem pertinet quòd in plærisque & Caluinistarum & Martinistarum conuenticulis, iurisdictio Ecclesiastica non alia est quàm quæ ex verbo Dei scripto colligi potest;ideóque apud eos nec Archidiaconis,nec decanis, nec Archiepiscopis locus est. At habet hæc omnia deformata Caluinantium Anglorum Ecclesia. Rursùm alij illi non nisi iudicio totius congregationis excommunicant, aut alioqui in delinquentes aliqua pæna Ecclesiastica animaduertunt.At verò tam in Ecclesiis Saxonicis quàm in tota Anglia, excommunicationis & reliquæ disciplinæ Ecclesiasticæ forma penè eadem est qualis apud Catholicos:ex quo factum est vt illarum quidem Ecclesiarum politia cæteris Lutheranis & Caluinistis papatus Saxonicus nuncapatus sit: Anglocaluinistis verò Puritanorum secta acerbissimè sese opposuerit.

Sed illustre illud est quòd quamdiu Lutherani numerosiores, pauciores Zvvingliani essent,omnibus modis satagebant Svvingliani vt saltem pro fratribus à Lutheranis haberentur: quia non ad fidei quæstionem aut fundamẽtum pertinebat illud in quo dissentiebant : reclamantibussemper Lutheranis & pertinacissimè illud negantibus; vt prolixè narrat Io. Lauatherus in hist. sacram. & post eum Brentius in Recognitione E
contra Bullingerum. Postquam verò ex altera parte Lutheranismus frigere & Caluinismus florere cæpit,econtra factũ est vt Lutherani (inter quos præcipuus est Andreas Smidelinus & Martinus Chemnitius)hanc contentionem non esse tanti momenti nũc teneant, quin & pro fratribus haberi Caluinistæ & Ecclesiæ membra censeri debeant. Nam & sic apertè Brentius homo Lutheranus etiam scribens cõtra Bullingerum , *Non damno* (inquit) *ecclesias Zvvinglianorum sed damno eorum dogma*. Ita isti homines pro temporum ratione, aliud atque aliud de fidei dogmatibus pronunciant. Quod damnauit accerbissimè Lutherus quia contempsit paucos, non damnat Lutheranus videns esse multos.

Simile est de Augustana Confessione quam Sacramentarij omnes multis annis sese mordicus tenere affirmabant.Nunc apud puros Caluinistas nihil ea despicabilius est. Hac ergo in parte nõ solũ incerta & inconstãs,sed planè ambulatoria est horũ hominũ religio atque doctrina : vt de his hominibus verissimum sit, quod de sui temporis Arianis scripsit Hilarius. *Postquam scribendæ & innouandæ fidei vsus inoleuit & noua potius cæpit condere quam accepta retinere,nec veterata defendit,nec innouata firmauit, & facta est fides temporũ potius quàm Euangeliorum : dum & secundum annos scribitur, & secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum est atque etiam miserabile,tot nunc fides existere quot voluntates,tot nobis doctrinas esse, quot mores : & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur vt volumus , aut ita vt volumus intelliguntur.* Hæc ille in libr.ad F
Constant. de suis Arianis. Sed multo hæc hodie veriora sunt in nostris Caluinistis, Martinistis,aliisque pestilentibus horum temporum sectis. Clarum enim est ex iis quæ iam diximus,& luce ipsa meridiana,opinor,clarius,in tota positiua doctrina in dogmate affirmatiuo nihil certum nihil constans habere huius temporis hæreticos: sed vt plurima quidem orthodoxæ fidei capita negarũnt ac sustulerunt,satis & constanter & vnanimiter,ita quod istis negatiuis pro certa &stabili doctrina substituerent , tanquam doctrinam verè Euangelicam atque propheticam,(quam iam olim sepultam & obrutam sese rediuiuam in orbem attulisse iactitant,)nihil eos prorsus constitutum habere, nihil firmum ac stabile docere. Quis igitur dubitabit veros hosce esse Antichristi ministros, cuius proprium erit *omnia supra quam dici potest vastare*, cuius character erit ἀρνοῦμαι nego; veros esse *lupos & latrones qui non venerunt nisi vt mactarent ac perderent*,veros denique *mendacij magistros & pseudoprophetas*, qui nihil ipsi afferentes,veritemtãtùm abstulerunt?& ex puris mendacijs omnem suam doctrinam ac religionem construxerunt.Pro huiusmodi ergo, Auditores christiani,hos homines habetote:&tanquã certissimas orbis christiani pestes fugite, & excramini.

Protestantium doctrina ambulatoria.

Hilarius in lib. ad constãtium.

Dan.8.
Ioan.4.
2.Petr 2.

QVÆ-

A

QVÆSTIO QVODLIBETICA III.

Vtrum in horum temporum hæreticis vlla sit prorsus Religio.

E tertia mihi à doctiss. D. Quodlibetario proposita quæstione dicturus, Auditores, pactum quodammodo vobiscum inire vehementer desidero: huiusmodi sanè, vt si nullam propsus in nostri temporis hæreticis religionem esse demonstrauero, illud mihi sanctè promittatis omnes, fore vt hoc hominum genus non solum omnes auersemini, caueatis, fugiatis; quod puto nos per superiores iam orationes, à fide & æquitate vestra obtinuisse, sed etiam vt hos homines tanquam certissimas & teterrimas Reip. Christianæ pestes vnusquisque pro virili sua totis viribus persequatur, ac longè latèque a finibus suis exterminet. Sin illud vobis minus demonstratum dedero, me mortalium omnium qui viuunt vanissimum habeatis. Periculosa hæc fortasse conditio, & parum modesta postulatio euiquam videri queat. Sed age. Res ipsa loquatur. Videamus, inquiramus, an vlla sit prorsus in huius
B temporis hæreticis religio.

Primum non quæro an vlla sit in illis vera religio, id est veræ religionis doctrina, vera & legitima cultus diuini ratio (quo sensu de vera religione disputat August. in lib. cui illum titulum dedit, itemque Lactantius) sed vt magis miremini id prorsus quęro, an vlla sit seu vera seu falsa, seu seria seu ficta in hodiernis hæreticis religio? id est, an vllum habeant diuini numinis cultum cum obsequio & reuerentia coniunctum. Sic enim religionem non male definiuit Author ethnicus: ideoque in suos libros retulerunt scriptores ecclesiastici, vt D. Tho. 2.2. q. 81. art. 1. Isidorus lib. 10. ca. 17. Aetymolog. Aug. in lib. 83. q. q. 31. *Religio est quæ superioru cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniámque affert.* An huiusmodi aliquam diuini numinis curam, id est timorem & obsequium quasi cultum internum, itemque ceremoniam id est cultum externum hæretici habeant quæro. Deinde (ne etiam illos hoc loco nimium premere videamur,) non iniquiremus in Actus religionis imperatos (vt scholastici loquuntur,) id est quos producit, religio mediantibus alijs virtutibus quas illa ad diuinam reuerentiam ordinat (futuros alioqui indifferentes & vel morales tantum virtutes vel ne virtutes quidem si aliquo malo fine fierent:) quales enumerat Iacobus dicens, *religionem mundam & immaculatam apud Deum esse, visitare pupillos & viduas, &c. & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* De huiusmodi religionis actibus in hæreticis hodie nō inquiremus: à quibus quàm
C longissimè absint, omnes norunt qui illos norunt. Aut certè si qui illorum huiusmodi pietatis opera interdum exerceent, si eleemosynas dant, si castitatem colunt, si veritatem loquuntur cum proximo suo, si opera misericordiæ faciunt, nunquam ista religiosè aut ex religione faciunt; nunquam illa ad Dei cultum referunt; vtpotè qui non huiusmodi operibus vllis (quæ semper immunda & imperfecta censent) sed sola fide Deum coli, placari & promereri pertinacissimè docent, sibíque ipsis firmissimè persuaserunt. His ergo Religionis actibus prætermissis hoc nunc tantum quærimus, an vlla sit in illis Religio secundum proprios & elicitos Regionis actus. Huiusmodi autem certè sunt vel interni vel externi. Interni sunt ipsa mentis deuotio, qua quis se Deo quasi demouet, ad omne eius obsequium & cultum paratissimus: itémque oratio mentalis qua quum Deo supplicatur, profitetur vnusquisque se Deo vt omnium bonorum Authore indigere, eíque se subiicit: quod est reuerentiam & honorem exhibere, in quo propriè consistit Religio.

De internis istis Religionis actibus non admodum sollicitè inquiremus, partim quia non nisi de externis Ecclesia iudicat, & solus Deus scrutatur corda & renes; partim quia exteriores actus (de quibus mox dicetur) facilè nobis indicabunt, quę sit interna protestantū Religio. Illud vnū monebimus, fieri vix posse vt apud illos homines vlla sit interna Religio, qui internam sanctitatem (quæ sola ratione à religione differt: applicantur enim Deo quæcunque sanctificantur: maximè verò mens humana suos actus per sanctitatem Deo applicat quasíque consecrat) in fidelibus renatis nullam esse docent, nisi

Marginal notes: *Statu.* — *Cic. in Rhetor.* — *Religionis definitio.* — *cap. 1.* — *Interna religio in hæreticis hodiernis esse non potest.*

nisi quæ sit non solum imperfecta, sed etiam immunda, sordida, deóque semper quantum ex se est, ingrata & exosa: quæ omnia sanctitati (quæ propriè munditiam notat) ex diametro opponuntur. Sic enim illi de reliquiis peccati Originalis; & de corruptione naturæ, quam concupiscentiam vocamus, philosophātur: ideóque nullam esse operum iustitiam, imò vt Luthero placuit, iustum in omni opere peccare, nec tātum venialiter, sed etiam ex natura rei mortaliter dogmatisant. Cuius sanè doctrinæ Authores & sectatores, quo tandem modo ad internam sanctitatem contendere censebuntur, qui ad nullam huiusmodi perueniri in hac vita posse profitentur? Deinde quorum tota doctrina est fiducia & certidudo gratiæ atque salutis, quem illi timorem habere, religionis matrem atque altricem possunt? Illam ergo Religionis partem, vt dixi, prætermittemus, vel vt de qua iudicari non possit, vel vt de qua inquirere non sit opus. D

De externo cultu & externis religionis actibus inquiramus, an iuxta illos vlla sit in horum temporum hæreticis religio. Aio ergo nullam prorsus in hodiernis hæreticis,

Propositio. quod ad externum Dei cultum attinet, religionem esse. Illud autem probo, quia Deum nec in se, nec in suis, vllo religionis actu colunt, atque ita omnino non colunt. Quod ad

Externus Dei cultus triplex. prius attinet, colitur sanè Deus in se externo cultu, tribus omnino modis. Primò adoratione ipsa corporali; deinde rerum externarum in cultum quendam exhibitione; postremo earum rerum quæ ipsius Dei propria sunt, in certum cultum assumptione. Ad

Adoratio corporalis apud hæreticos hodie nulla hæc enim tria capita omnis externus cultus reducitur.

Quod ad primum attinet, externam omnem corporis adorationem, vt genu flexiones exemplo Pauli ad Eph. 3. imò Christi ipsius Luc. 22. prostationes, exemplo quoq; Christi ibidem: pectoris tunsiones exemplo publicani pœnitētiæ Luc. 18. idque in locis sanctis, quæ domus orationis à Christo vocantur Mat. 21. adeò non exerceēt horum temporum hæretici, vt hoc totum diuini cultus genus penitus subsannent, exibilent, superstitionis ethnicæ & Pharisaicæ hypocriseos condemnent. Itaque in horum omnium auditoriis (neque enim templa agnoscunt) sedentariam quandam Religionem vbique videas, in quibus videlicet vel legenti vel concionanti Ministro sedentes auscultant, vel pariter concinentes sedent. Nunquā autē genu flectūt, nisi fortè cōmunicaturi, vt quidam Lutherani & nostri Anglocaluinistæ: qui ex principis præscripto, non ex Religione id faciunt. E

Alterum cultus genus quod in rerum externarum exhibitione, (quæ videlicet Deo in cultum quasi sistuntur & exhibentur) consistit, in sacrificiis & votis eò pertinentibus torum versatur. Et quidem ad sacrificium ipsum externū (qui proprius, summus & perpetuus Dei cultus est, in omni ætate ante legem, sub lege, sub Euangelio, à piis peractus & vsitatus,) referuntur sanè oblationes voluntariæ & decimæ præscriptæ, propius autē pertinent templa ipsa, altaria, sacerdotes, totus denique templorum apparatus, diuino cultui sed potissimum sacrificio dicatus, consecratus & mancipatus. Iam verò ab hoc

Hæretici hodie externum nihil Deo in cultum exhibent. vniuerso cultu tantum absunt nostri temporis hæretici, vt Sacrificium quidem ipsum Christianorum proprium, augustissimum, diuinissimum, non irreuerenter adeant, non irreligiosè tractent, non negligenter omittant; sed execrabiliter damnent: opprobriis, iniuriis, blasphemiis, & innumeris & teterrimis lacerent, onerent, obruant. Oblationes autem voluntarias adeò non faciunt, vt facientes sceleratè irrideant; iam olim à maioribus nostris factas & ad pios vsus ac Dei cultum, in Monasteriis, collegiis, xenodochiis destinatas, sacrilegè aboleāt, diripiant, euertant. Decimas vero nusquam illi persoluunt (nisi principum legibus adacti, vt in Anglia) sed vbicunque possunt & decimas & primitiās & quicquid diuino cultui impenditur, pariter diripiunt. Templa egregiè spoliant, altaria subuertunt. Reliquum totum apparatum, vasa, vestes ornamenta templorum homines religiosi & pij, ne quis sit amplius eorum abusus, in suos ipsorum sacratos (quis dubitat?) conuertunt vsus. Huc pertinet quod rituum & ceremoniarum omnium quibus hæc pars diuini cultus vel necessariò ornatur, vel piè augetur, vel fructuosè perficitur, vsum ac sanctitatem omnem pari qua cætera pietate ac religione prosequentes, despiciunt, derident, abolent. His accedit quòd sublatis istis omnibus nullum illi prorsus externum sacrificium substituunt, quo Deum colant: ideóque in quo religionis propriè dictæ caput consistit, in eo vel quod prætexant nihil habent ac nec habere volunt. F

Votorum omnium vincula homines in religione liberrimi dissoluunt: quod vt efficacius perficiant, virginitatis sanctitatem (quam *ideo quia Deo dedicatur maximè laudandam*

A *dam* docet August. in lib. de sancta virginitate,) vt quiddam ex impossibilibus è medio tollunt: paupertatis professionem subsannant; obedientiæ voluntariæ humilitatem execrantur: omnem deinde ex voto susceptam vel carnis mortificationem, vel spiritualem meditationem, & exercitationem, id est, omnem veræ Religionis perfectionem damnant. Quam etiam ob causam, monasteria omnia, vbi religionis perfectio iuxta certas regulas exactius obseruatur, funditus isti euertunt vbi possunt; infinitis maledictis lacerant, vbi euertere non possunt. Nihil ergo rerum externarum in diuinum cultum exhibere, nullo externo obsequio, suam erga Deum reuerentiam ostendere, hæc demum apud horum temporum hæreticos summa Religio est. *cap. 8.* *Hæreticorum hodie summa religio quæ.*

Sed pergamus ad alterum, ac postremum externorum Religionis actuum genus, quod in earum rerum quæ Deo propriæ sunt ad cultum, inde Deo exhibendum assumptione versatur. Assumuntur sanè ad diuini numinis cultum, vel ipsa Sacramenta à Deo instituta, vel eius Sanctissimum nomen. Et quidem per sacramenta ipsa coli Deum, tam vetera in lege veteri, quam noua in Euangelio promulgata, nullus vnquam adhuc fidelis populus aut ignorauit, aut dubitauit. Imò quum *religionem à religãdo animas nostras Deo propriè dici*, omnes hactenus fideles intellexerint, vt docet Lactantius lib. 4. August. in lib. de vera Religione cap. vlt. magisque confirmat Retract. lib. 1. cap. 13. *sine sacramentorum autem visibilium cõsortio, nullum populum colligari, aut in vllum religionis nomen, siue verum,* *Hæretici hodie per Sacramenta Deum non colũt.*

B *siue falsum, coagulari posse didicerint*, vt docet idem Augustinus contra Faustum: soli tamen nostri hodie hæretici, sine vllo prorsus qui per sacramenta fit cultu, & Deum rectè coli, & veram religionem consistere posse, existimarunt. Itaque ex Sacramentis, quæ septẽ nobis Christus Dominus Instituit, duo illi tantum retinuerunt: eaque sine vlla cultus aut Religionis specie. Hanc enim sanè ob causam, etsi initio quidem sacramenta ista ceremonias dici, quibusdam eorum non displicuit (sic enim confessio Augustana loquuta est,) postea tamen magis placuit, eas pro notis tantum, & signis admitti, baptismum quidem notam initæ societatis, cum Ecclesia fidelium, Cœnam verò dominicam, vt signum ac memoriam mortis dominicæ, nihilque amplius. Quod totum, vt suis magis ac magis persuaderent, Baptismum primum, omnes ritus, ac ceremonias in Ecclesia Dei, à prima Antiquitate obseruatas sustulerunt; sola verborum forma retenta quam Christus præscripsit: eundémque minimè esse ad salutem necessarium, sed rem planè adiaphoram docuerunt. Cœnam verò dominicam, non in altari, sed in mensa communi; non ornamentis, non vasis, non ritibus, aut ceremoniis vllis, quæ cultum diuinum aliquo modo referant, & repræsentent: sed habitu vulgari, vasis prophanis, corporis gestu familiari peragere, & administrare suos docuerunt. Hanc etiam ob causam, omnem & gratiæ efficaciam, & sanctitatis opinionem, vtrique huic sacramento ademerũt. Imò puriores Euangelici, vix sacramenti quidem nuncupatione ea dignantur, sed illud ablu- *Lib. 19. cap. 11* *Cal. Instit. lib. 4. cap. 15.*

C tionem, hanc communionem & synaxim fidelium, frequentius nuncupant. Itaq; actiones volunt esse, non Religiosas & sacras, ad cultum Deo exhibendum, sed Euangelicas, & historicas, ad rerum pro nobis gestarum memoriam retinendam. Sic illi sacramenta Religionis nostræ, in quibus secundum sacrificium ipsum, præcipuus Dei cultus versatur, ab omni cultus specie ac ratione, longissimè auellere, omni studio conati sunt.

Iam verò quod ad diuini etiam nominis assumptionem, ad Dei cultum attinet, in eo sanè solo aliquam religionis saltem speciem habere videntur, nullam tamen re vera religionem exercent. Diuinum enim sanè nomen, vel in iuramento (quod tres suos comites habet, Iustitiam, Iudicium, & veritatem,) vel in adiuratione, quæ ad aliorum ædificationem fit: vel denique in inuocatione, ad orandum, vel laudandum Deum, in actum, religionis assumitur. His enim tribus modis, non legitimè tantum, & piè, verumetiam religiosè, & certo diuini Numinis cultu, nomen Dei à fidelibus assumi potest, & interdum debet. Quod ad iuramentum attinet, aliquæ sanè horum temporum hæreses, vt Anabaptistarum sectæ, ne vllo modo vel minimam religionis speciem habere videantur, prorsus in homine Christiano damnant, nec vllo loco, vel tempore, vel casu, admittendum docent. Cæteræ sectæ, iurant illę quidem; sed an per actum religionis id faciant, dubitari fortasse possit, nisi vel quàm parum sanctè fidem iuramento datam obseruent, alicubi incompertum esset, vel in cæteris rebus omnibus quàm parum sint Religiosi, vniuersa eorum doctrina, ne dicam mores ac vita, nobis abundè planum non *Iuramenta quã sanctè colant.*

non facerent. Sanè hoc hominum genus, quàm fidem nullam seruat, quàm leuiter & nefariè iuret, periuret etiam in rebus longè grauissimis, & ad Reip. principum, ac Ecclesiæ Dei statum, vel honorem, salutem, vel conseruandam, vel perdendam pertinentibus, vt antiquiora taceam, fex ista & colluuies belgica, sub nostri temporis Catilina & Ieroboa Gulielmo Auriaco duce, longè testatissimum orbi Christiano dedit. D

In adiuratione dæmonum quātum valeant.

Adiurationes verò quæ potissimum per exorcismos exercentur, contra dæmones, interposita diuini nominis Maiestate, apud hæreticos nostri temporis tam non sunt in vsu, quàm sese in hoc genere nihil proficere posse, facilè intelligunt. Quod quùm duobus primariis Archihæreticis, Luthero Vvittenbergę, in sacrario circa puellam arreptitiam, & Caluino Geneuæ, circa Matthiam è viuo mortuum factum, infaustè accidisset, minimè mirum videri debet, si cæteri minorum gentium dij, vel hoc attentare postmodum ausi non fuerint, vel attentantes ridiculum exitum habuerint.

Fride. Staphylus in apol. para. 3. & vita Caluini gallica.

Nulla religione Deum inuocāt.

In tertio genere quod inuocationis est, vel orando, vel laudando Deum, si nullam hodie hæreticorum Religionem esse dixero, iniuriam illis fortasse luculentam fecisse, etiam multorum hic iudicio, videri potero. Verumenimuerò audacter dico, & euidenter ostendam, nec in hoc genere vllam hodie prorsus Religionem illis esse. Primum ergo in laudibus diuinis, seu psalmodiis quas exercent, quæ obsecro religio, quæ reuerētia, quis cultus diuinus esse potest, dū promiscuè omnes, vtriusq; sexus, omnis ætatis, omnis ordinis homines, idq; ad maiorē despectū, & minorem reuerentiam, imò apertò sacrilegio (quia totius Ecclesiæ Dei formæ hoc modo se data opera opponūt;) vulgari & prophana vernacula lingua, cantillāt omnes, & cantitāt? Non *illæ suaue sonātis Ecclesiæ voces* sunt, quæ iusto modulamine; & religioso concentu, à sacris viris ad hoc initiatis, & institutis pronunciatæ, Augustinum nondum Baptizatum ad lachrimas Mediolani acriter commouerunt, vt ipsemet narrat; sed qualem describit hæreticorum sui temporis conuersationem Tertullianus, *futilis hæc est, terrena, humana, sine grauitate, sine disciplina,* cantillatio: quis initiatus, quis laicus incertum est: *pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.* Hæc ille in præscripto. Deinde si aliquo certo concentu hoc fiat, mutuáque psalmorum decantatione, vt in Catholica, damnant hoc puriores euangelici, vt apud nos Puritani: qui hunc in modum psallere, aiūt esse non psalmos in Dei laudem decantare, sed versiculos propheticos in modum pilarum, hinc inde versare & iactitare. Porrò vt ab hac psalmodia, omnem prorsus religionem abesse sui intelligant, diligenter & disertè cauent; primum ne præter publicam psalmodiam quicquam orent; deinde ne inter psallendum genu flectant: & vt tota illa psalmodia, & oratio quam breuissima fiat, iuxta Vviclephi veterem insaniam; euangelicæ verò vel prædicationi, vel lectioni, potissimum tempus, totáque attentio tribuatur: denique ne preces publicæ, in omnibus Ecclesiis quo ad formam & tempus sint pares, sed vt libertate sua vtatur Ecclesia qualibet. E

conf. lib. 9. cap. 6.

Conciones cōtra religiosam psalmodiam.

Vvald. de Sacram. tom. 3. tit. 1.

Hoc enim totum docet disertè Confessio Heluetica, à quamplurimis ecclesiis Caluinicis approbata, cap. 23. & vsus Anglocaluinistarum ex parte ostendit. Postremò ne vlla ratione hic modus orādi Deum, pro actu religionis habeatur, docet diligēter Flaccus Illyricus. *Orationem ipsam quatenus est supplex petitio, non esse proprie opus bonum, sed meram mendicationem stipis apud diuitem: quam* (inquit) *quomodo pauper aliquis, suum esse bonum opus erga diuitem dicere auderet?* Hæc ille in Claue Scrip. pa. 2. tra. 6. in tit. de varia operū præd. Cuius sententia si aliquid veri haberet, eodem argumento fides Lutherana, non esset bonum opus. Illa enim est quasi mendica manus, qua promissio gratuita oblata, accipitur vt ipsemet definit Illyricus. Sed vt ad rem redeam quando aut quo tandem modo isti homines Orationem & inuocationem diuini nominis pro actu religionis exercere, & per eam Deum colere existimari possunt, qui ne quidem bonum opus, hoc pietatis genus esse, asseueranter docent? Imò quorum etiam doctrina est, pro remissione peccatorum orationes nihil facere, vtpotè quam ante omnem orationem per fidem adepti sumus, adeóque certitudine fidei illam tenemus? Planum est nihil eos ne in ipsa quidem diuini nominis inuocatione religionis ponere. Hāc sanè ob causam (vt multa paucis cōplectar) & festorū frequentiā accusant ac tollūt, & ipsa festa (in quibus *ipsi Deo beneficiorū eius dicamus sacramúsq; memoriam,* ait August.) nulla solēnitate, minore deuotione peragūt; & ieiuniorū rigorē quæ ad celebrationem festorū debitā nos disponit prorsus cōdemnāt; & orationū assiduitatē quæ propriè in festis exercetur diabolicè subsannāt. Quibus tamen F

In claue pa. 2.

De ciuit. Dei lib. 10. cap. 4.

A tamen duobus ieiunijs & orationibus, Anna dicitur *seruiisse Deo in templo* (λατρεῦσαι) no- Luc.2.
cte ac die. Nulla ergo prorsus in vniuerso externo diuini numinis cultu apud horum tem
porum hæreticos religio est, nulla reuerentia, Dei Opt. max. honor nullus.

Et quid mirum est, Auditores, nulla apud hos homines prorsus in externo cultu re- *Quare apud*
ligionem esse, quorum hominum certa, constans, & manifesta doctrina est, sola fide Deū *hæreticos hodie*
coli, honorari, glorificari, solam fidem plenam esse & consummatam pietatem, sola de- *nulla sit religio.*
nique fide nos Deo placere, iustificari, saluos esse? Sic enim à suo Luthero didicerūt, qui
in lib. de libertate Christiana hæc singula à me commemorata, multáque alia in lau-
dem solius fidei confidentissimè sed impudentissimè docuit. Hæc enim certè causa est,
quod de reliquo toto cultu nihil pensi habentes, bonorum operum nullam penitus ra- Heb.13.
tionem ducentes, Apostolicum illud de operibus misericordiæ, quod *talibus hostijs prome* Rom.12.
retur Deus itemque illud, *vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placen-*
tem, rationabile obsequium nostrum, surda vel incredula potiùs aure accipientes; soli autem
fidei incumbentes, ac sola fide promereri, placari & coli Deum sibi persuadentes, nullā
prorsus, ne simulatam quidem Religionem retinuerunt.

Ac de Religione quidem seu cultu diuino ex parte Dei ipsius hactenus. Nunc neq; *Hæretici hodie*
Deum in suis vllo modo hos homines colere, quam breuissimè potero ostēdam. Video *Deum in suis nō*
enim exhaustam pene clepsydram, & elapsum dicendi tempus. Hæretici ergo hodierni *colunt.*
Deum in suis, neq; Angelis, neque Sanctis, neque ministris super terrā, seu spiritualibus,
B seu secularibus colunt: sed in his omnibus Dei maiestatem inhonorant, violant, blasphe-
mant. Angelis & Sanctis pariter nec honores deferunt, nec preces offerunt, nec illam
quam habent rerum nostrarum, vel cognitionem, vel curam concedunt: sed hæc omnia
negando, irridendo, damnando, omnem quoque in hoc genere cultum, honorem, & ve
nerationem illis debitam prætermittunt. Omnem *Religiosam solennitatem qua populus Chri-* cōtra Faustū
stianus memorias martyrum concelebrat (vt antè annos 1200. scribit August.) negligunt. At- lib.29. cap.21.
que vtinam hac sola negligentiæ culpa tenerentur, vtinam memorias & monimenta ip-
sorum impiè non subuerterent, vtinam reliquias eorum sanctissimas, & corpora thau-
maturga summo sacrilegio, & Barbarie plusquam turcica propalam non comburerent;
vel etiam in cloacas & sentinas non proijcerent. Quod in Gallia & Turonis circa S. Mar
tini, & Pictauij circa S. Hilarij, & Lugduni circa S. Irænæi ossa, & Reliquias, Barbari hu-
gonotæ fecerunt. Ac S. quidem Irenæi caput in Cloacam publicam proiectum, ac à ple
beio quodam Catholico inde clam sublatum, posteáque Ecclesiæ restitutum, ante trie-
nium Lugduni læti vidimus, ac religiosè venerati sumus.

Ministris Dei in terris ita parum deferunt, vt ordinem Ecclesiasticum vniuersum cō-
culcent, potiùs quam contemnant: Sacerdotes verò Dei altissimi sacrificare & mactare,
hoc demum religiosum esse, & præclarum Deo obsequium arbitrentur. Supremum autē
Patrem Patrum, Christi vicarium, & Petri principis Apostolorum successorem, & vnicū
nunc in orbe Christiano Sedis Apostolicæ Episcopum reliquum, adeo parum religiosè
colunt & obseruant, vt magnum illum Antichristum hanc personam esse, ore sacrilego
sed stolidissimè proclament. Notiora sunt hęc omnia, quàm vt vlla probatione aut de-
monstratione egeant.

C Sanctos Patres & doctores Ecclesiasticos (nam quòd scholasticos etiam doctores vi-
lipendant, inscitiæ potius & ignorantiæ horum hominum, quàm arrogantiæ & irreue-
rentiæ imputauerim) sed Doctores Ecclesiasticos, nobilissima Ecclesiæ Christianæ lu-
mina, quorum scripta legerunt, eruditionem agnoscunt, pietatem non ignorant; ea ta-
men sacrilega temeritate, (quùm apertè suis dogmatibus eos aduersari vident) reij- *Mel. & Musc.*
ciunt prorsus ac respuunt, despiciunt atque contemnunt, damnant denique, vt eos *in loc. com.*
non solum, *vt homines errare potuisse atque errasse*, non solùm *seculi sui contagio aliquo asper-*
sos fuisse, non solum *næuos & stipulas sanæ doctrinæ admixtas habuisse* affirmauerint (quæ
priores fuerunt & moderatiores Sanctorum Patrum reprehensiones à Melanchthone, cal. Inst. lib. 4
Musculo, aliísque mollioribus Lutheranis prolatæ) sed etiam *Iudaismi affectationem*, c. 18. par. 11. &
ethnicismi superstitiones, & cæcitatem, denique *frigidam & deformatam theologiam, ex la-* in tra. de scan-
cunis Philosophorum depromptam posteris suis tradidisse, ac postremò, omnes ad vnum dalis
in quibusdam primariis fidei dogmatibus, *planè cæcutisse, totaque vita errantes, nisi an-* Luther. in lib.
te mortem reducti fuerint, neque sanctos, neque Ecclesiæ membra fuisse, nescio maiori ne de seruo arb.
impudentia an impietate scripserunt. Sic enim in Caluini Institutione, in Magde- Cent. 4. cap. 6.

burgentium Centuriis, in Lutheri lib. de seruo Arbitrio legimus. Nec in genere tantùm D
ita S. Patres taxare, vilipendere & condemnare audent, sed & singulos Parres singulis iniuriis, opprobriis & maledictis afficiunt, onerant, lacerant. Et Ciprianus quidem Mōtanisat, Chrisostomus Origenisat, Augustinus argutulū & sophistam agit, Hieronymus Manichæum sapit, & nuptiarum hostis est. His illi præcipuos Patres emblematibus ornant & titulis condecorant. Hac illi veneratione & religione Sanctissimos illos viros, Dei ministros, Ecclesiarum magistros prosequuntur. An verò nihil hac in re contra Religionem sese peccare existimant? Meminerint igitur quod Saluator dixit. *Qui vos spernit me spernit:* & iterum veteri populo Deus. *Non te spreuerunt sed me.* Nouerint etiam non alia de causa Ætium atheon vocatum fuisse, quàm quòd Clementem, Africanum, & Origenem, antiquos Patres prorsus reiiceret, vt refert Socrates in historia. Quo etiam nomine discipulus eius Eunomius ἄθεος quoque à D. Hieronymo nuncupatur in epist. ad Pamāchium & Oceanum contra errores Ioan. Hierosolymitani. Quantò magis athei, sine Deo ac religione vlla hi homines sunt, qui tot seculorum; Patres, qui Spiritu Sancto inspirato loquuti sunt, impiè & sacrilegè repudiant?

Magde. Cen. 1. Heshusius in lib. de seru. arb. Cal. Inst. lib. 4 cap. 15. & in minor. prophe.

Luc. 16.

1. Reg. 8.

Lib. 2. cap. 28.

Concilia porro ipsorum patrum adeo parū religiosè & reuerenter audiunt, vt illa planè omnia tam antiquissima quàm recentiora, nō nisi suo priùs examini subiecta, vllo in loco habere velint. Sic enim de hac re tota pronunciat Caluinus. *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impedire debent, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, & verbo domini examinemus, ac probemus num ex Deo sint.* Hæc ille: satis opinor pro imperio hæretico, sed longè profectò à sobrietate, pietate, religione Christiana atque Catholica. E

Institut. lib 4. cap. 9. par. 12. & 9.

Sed quid de Patribus atque conciliis horum hominum religionem irreligiosam notamus? Ipsos Apostolos aliquid præter Christi viua Oracula loquentes, garrire ad libitū, & fines sui mandati excedere, scribere non erubescunt. *Nempe* (inquit Caluinus) *si Apostoli sunt, ne garriant quicquid collibitum fuerit, sed mandata eius à quo missi sunt, bona fide perferant.* Sanè quàm reuerenter & Religiosè de Apostolis loquitur: & si Paulo astitisset dicenti, *Cæteru ego dico, non dominus. Si quis frater vxorem habet Infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*: móxque de vidua, *beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam*, bonus (opinor) iste & religiosus Caluinus, pro religioso suo in Deum zelo, officij sui hunc Apostolum quam primum monuisset, ac dixisset. Si Apostolus es, ne garrias quicquid collibitum fuerit, sed mādata eius à quo missus es, bona fide perferas memineris que (hoc enim in Caluino sequitur loco citato) *clara Christi verba quibus legationem suam terminauit, quum collegis tuis mandaret ut irent ac docerēt omnes gentes quæcunque præcepera.* Hac opinor religione Paulum correxisset Caluinus, qua sanè omnes Apostolos corrigit, ferulæque suæ ac virgulæ Censoriæ subiicit: si quid fortè docere audeant, quod viua voce Christus ei non mandauerit.

Cōtumelia Caluini in Apost.
Institot. lib 4. cap. 8. par. 4.

1. cor. 7.

Matth. 28.

Sed vt hoc totum minus ægrè feramus, etiam ipsum Spiritum S. homo sacrilegus in ordinem redigit. Ait enim. *Illa restrictio attentè notanda est, vbi partes Spiritui Sancto assignat Christus, suggerere quæcunque ante ore docuit.* Hęc ille: docens propterea neque ipsum Spiritū Sanctum aliud posse aut debere Apostolos & Ecclesiam deinceps docere, quam quod F
Christus ipse ore & viua voce in terris existens docuerat. An verò huic irreligiositati aut sacrilegio quicquam adhuc reliquum esse, aut vel minimam religionis micam horū hominum doctrinæ superesse existimare possumus?

Blasphemia in Spiritum Sanctum.
Instit. lib 4. cap. 8. par. 8.

Ita sanè dixerit quispiam. Nam Christum saltem reueretur & ad Christi Domini Maiestatem asserendam, hæc de Apostolis & Spiritu Sancto, etsi parum prudenter ac piè, quadam tamen erga Christi verba & doctrinam religione tactus dixisse Caluinus videri potest. Sed videte nūc auditores ne Christi etiam verba reuereri quicquam Caluinum, quando contra se stare manifestè & apertè videt.

Ne christum quidem reueretur Caluinus.

Sic contra Lutheranos vrgentes ipsa verba Christi, *Hoc est corpus meum*, ne tropum Caluini admittant, scribit Caluinus. *Vtcunque verborum Christi reuerentia tangi se quiritentur, quo minus figuratè intelligere ausint, quæ apertè sunt dicta, non est tamen hic satis iustus prætextus cur omnes quas contra obiicimus rationes ita respuant.* Hæc ille. Videre clarè huius hominis religiosam reuerentiam verborum Christi. Vult contra Christi verba *vtcunque apertè dicta, suas quas contra obiicit rationes audiri.* Non vult *Religionem verborum Christi satis istum prætextum esse cur rationes ab ipso prolatæ respuantur.* Non vult denique *verborum Christi*

Institot. lib. 4. cap. 17. par. 20.

Rom. 13.

reuerentia

A *reuerantia tangi* Lutheranos, sed rationum potius & argumentorum quæ ipsis adfert Authoritate ac pondere moueri. Hæc est Caluini, hæc est hæreticorum hodie erga Dei ministros in terris spirituales, erga Patres, erga Concilia, erga Apostolos, imò erga S. Sanctum & Christum ipsum, reuerentia cultus, religio.

Minus nunc miremini, Auditores, si secularibus potestatibus, si principi, si magistratui, si Regibus & ducibus ab eo missis passim horum temporum hæretici resistunt, passim rebelles & seditiosi existunt, vbi suis dogmatibus aduersos eos habent, vt clades Germanicæ, Pugnæ Helueticæ, Geneuensis rebellio, bella Gallica, tumultus præsentes Belgici, toti orbi notissimum faciunt (qua etiam in se quàm nulla reuerẽtia *Dei ministros qui non frustra gladium portant*, prosequuntur, quàm iterum irreligiose *Dei ordinationi resistunt*, satis ostendunt) postquam spiritualem omnem in terris potestatem penitus contemnere ac vilipendere, Sanctos Patres repudiare, Concilia ad examen suum vocare, ipsos Apostolos, ac (proh blasphemia) Spiritum S. verum Deum in ordinẽ redigere, denique ipsius Christi Domini verba suis rationibus subiicere, scelerati homines & furca digni non sunt veriti.

Veteres itaque hæretici magna sanè ex parte religionem Christianam contaminarũt, magna temeritate & impudentia circa fidei mysteria versati sunt: At nostri hodie omnẽ & religionem exuisse, & pudorem abiecisse videri possunt. Quæ enim cæteri, aliqua saltem Religione tacti violare au negare non sunt ausi, ea nostri hodie perfricta ad omnẽ audaciam fronte, & violare, & negare, & damnare nihil formidarunt. Pelagiani *non audebant dicere exorcismos & exufflationes in baptismo mendaciter geri*, ait Aug. At quis nescit à nostris hæreticis ista duo etiã derideri? Donatistæ *nullo modo audebant fateri Ecclesiam Cypriani tempore, aut ante Donatum natum perijsse*, vt idem commemorat Augustinus. Nostri hodie multò audaciores, etiam ab Apostolorum temporibus eam defecisse, multisque superstitionibus & erroribus contaminatam fuisse affirmare non verentur. Ijdem Donatistæ *Primò quidem frangebant, postea tamen languente furore vel remouebant vel radebant altaria quasi traditorum sacrificijs polluta*: sed tollere, subuertere non audebãt, quod nostri hodie passim fecerunt hæretici. Non audebant ijdem *legitimum Missæ*, id est, Canonem mutare. Nostri non illam partem mutare, sed totam liturgiæ Catholicæ formam ipsumq; sacrificiũ abolere voluerunt. Arius quantumuis insanus & proiectus hæreticus, *baptismi tamen formam propter nimis apertam transgressionem mutare non est ausus*: ait Theodoretus. Nostri hodie & huius Sacramenti antiquissimas ceremonias, & aliorum Sacramentorum tam formas quam materias penitus sustulerunt. *Originis veteris consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu* S. ait S. Basilius. Consuetudinem autem intelligit *glorificandi modum*, vbi gloria cantatur patri, & filio, & Spiritui Sancto. At ecclesiæ consuetudines nihil hodie morari hæretici, omnem ferè glorificandi Deum modum ac formam, omnem cultus diuini rationem immutarunt: idque pro sua religione solum & maximè cauerunt, ne quicquam cũ Ecclesia Dei in conuentibus illis suis schismaticis & orandi formis commune haberẽt. Vnde verò hoc totum, nisi quia cæteris olim hæreticis aliqua saltem religio inerat, nostris hodie est nulla? Nisi quia cæteri non omnem penitus pudorem aut Ecclesiæ Dei reuerentiam exuerant, nostri verò ne pilum quidem boni Christiani habere volunt?

Veteribus hæreticis nostri hodie audaciores, & quare.

B

Epist. 105. & de pecc. orig. lib. 2. cap. 40. De vnico bapt. cap. 14.

Optatus lib. 6. contra Parm.

Hęr. fab. lib. 4.

Lib. de Spiritu S. cap. 29.

C Quamobrem vt finem dicendi faciam, vestráq; patientia (Auditores ornatissimi, & humanissimi) amplius non abutar, quum in hęreticis horum temporum nullus sit diuini numinis cult⁹, iuxta proprios religionis actus in genere & natura sua acceptos; quũ ab interno cultu eorũ quidẽ doctrina abhorreat, externũ verò in corporali adoratione prorsus vt vanum & superstitiosum irrideant, in sacrificio autẽ & voto, omnibúsq; eò pertinentibus, (quibus Deo in cultum exhibemus & sistimus quæ ab eius bonitate accepimus,) penitus tanquam idololatricum & ethnicum aboleuerint, proculcauerint, dãnauerint: in tertio demum genere quo in diuinum cultũ ea assumimus quæ Dei ipsius sunt, vel ab ipso instituta, nec vllis sacramentis Deũ colãt, nec eius sanctissimũ nomen in vllã religionis actũ assumant, sed variè & detestandè prophanẽt, nõ in laudibus diuinis, non in publicis precibus nõ in festorũ sacra solẽnitate, vllam religionis partem ponant, postremò quũ Deum neque in Angelis vel sanctis suis neque in ministris & vicariis eius super terrã seu spiritualibus seu secularibus, reuereantur, venerentur, colãt, profectò, quod initio dixi, absque omni exaggeratione & amplificatione, verè & simpliciter affirman-

Epilogus.

dum & concludendum eſt, in horum temporum hæreticis nullam prorſus religionem eſſe, nullum diuini numinis cultum, reuerentiam, honorem nullum. D

Quæ quum ita ſint iterum atque iterum expendite Auditores chriſtiani, (per Chriſtum Ieſum & per ſalutem omnium veſtram vos oro atque obſecro,) expendite inquam quo demum loco habere, quanto ſtudio, quanto conatu cauere, deteſtari, fugere debeatis, teterrimas haſce & certiſſimas animarum noſtrarum peſtes, ne dicam & corporum & fortunarum & vniuerſi fundi noſtri calamitatem, ſiue Martiniſtæ, ſiue Caluiniſtæ, ſiue Geuſij, ſiue Hugonoti, ſeu quocunque tandem nouo ideoque putum Chriſtiano nomine vocentur, de quibus videlicet, ex his quæ diximus iam clarè cõſtat, primum eſſe illos veriſſimos & proximos Antichriſti præcurſores, quoſque ſeducunt, ad Antichriſtum recta ducere, deinde nullam apud eos certam, & conſtantem doctrinam eſſe, quam certò amplecti poſſet qui ad eos ſe recipere vellet; poſtremò nullam in illis prorſus Religionem eſſe qua Deum colant, qui ſub eorum auſpiciis Deo militare volunt.

Dixi.

ORATIO IN HARVM Controuersiarum auspicatione ad Auditores habita.

De hæresis in genere grauitate, & horum temporum hæresis multiplici enormitate.

B

VIT semper in Ecclesia Dei (Auditores) doctrina fidei maximè necessaria: Nec vlla magis aut vtilis disciplina, aut laudabilis industria, aut illustris ingenij & studiorũ exercitatio habita est, quàm quæ in fidei veritate, integritate, & maiestate explicanda, asserenda & illustranda versata est Optimè illi de Ecclesia meriti semper visi sunt, summā illi laudem perpetuò consecuti sunt, proximè illi ad Apostolicam, imò ad Christi Saluatoris functionem accedere semper existimati sunt; qui in fide Christiana, Catholica, Orthodoxa, ita labores suos ac studia collocarunt, vt vel eam docendo traderent, & explicarent; vel difficiliora indagando aperirent; vel denique oratione & viuæ vocis ministerio illustrarēt. Quum enim varia sint fidei & veritatis illius æternæ, vt simpliciter priuatim docendæ, vel accuratius in scholis inuestigandæ, vel aeriùs de superiori loco exornandæ, munera atque officia; in singulis profectò ingens est vtilitatis fructus & laudis cumulus. Etenim hi omnes illud Saluatoris proprium quasi atque præcipuum munus exercent, de quo ipse dixit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundũ veni, vt testimonium perhibeam veritati.* Quod quidem ab eo quàm diligentissimè factum fuisse, & ipse ad Iudæos commemorat, dicens; *Ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt:* & Euangelista refert, narrans, quòd *circuibat Iesus omnes ciuitates & ca-*

C *stella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni:* Hoc denique præcipuum illud munus est, quod eius in terris vicem ac locum gerentibus mandauit, dicens. *Euntes docete omnes gentes; docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Neque verò minus fuit hoc munus vtile, quàm est illustre. Admonens enim Apostolus Timotheum suum, vt attenderet sibi atque dctrinę; addit: *Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies; & eos qui te audiunt.* Quo quidem vno quis fructus vberior cogitari, aut expectari potest?

Studij Theologici partes. — *Doctrina Theologica excellentia.* — Ioan. 19. — Ioan. 18. — Matth. 9. — Matth. 28. — *Doctrina Theologica vtilitas.* — 1. Tim. 4.

At enim, quum in omni hac doctrina Sacra, quam Theologiam dicimus, sit semper istud verissimum; vt nobilitate operis, & amplitudine fructus, nulli aut arti aut scientiæ aut labor cedat, omnes superet: tùm verò in ea Sacræ doctrinæ parte, quæ circa hęreses profligandas, & fidem Orthodoxam asserendam versatur, vel maximè ac potissimùm istud locum habet. Etenim quum veritas tam res diuina sit, vt Saluator ipse se veritatem esse pronunciauerit, dicens; *Ego sum via, veritas, & vita:* veritatem autem non omnem aut quamlibet, vt nec viam quamuis aut vitam qualemcunque; sed *viam, veritatem, ac vitam* illam intellexerit, quæ ad Deũ ducit quæ Deus est; conficitur sanè, hęresis profligationē & Orthodoxiæ assertionem, rem esse maximè diuinam; vtpote quæ veritatem docet, falsitatem repellit, illam quæ Deo & rebus diuinis aduersatur. Rursus, quum fidei integritas tam sit vtilis & necessaria, vt sine ea, *impossibile sit placere Deo*; ideóque *fundamentum &*

Hæresum profligatio potissima S. Theologica pars. — Ioan. 14. — Hebr. 11.

basis ab Apostolo vocetur earum rerum omnium quæ speramus & expectamus;tam euidens est,vt dici non sit opus, de integritate fidei & Orthodoxia doctrinam longè esse vtilissimam. D

Maior fidei quã morum cura in Ecclesia. Huc accedit,quòd in Sacra de moribus & vitæ præceptis doctrina,multa etiam prudenter & laudabiliter,non solũ necessariò,tolerãtur & dissimulantur interdum ab Ecclesia.

De fide & operibus cap.5. *Nam ad sanam doctrinam pertinet*,ait Augustinus,*vt canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ tolerentur*:Et rursum alibi.

contra Faust. Lib.20.cap.21 *Aliud*,inquit,*est quod præcipere iubemur, aliud quod emendare præcipimur;& donec emendemus,tolerare cõpellimur*.

1.Timoth.6. At verò, in fidei doctrina,nihil vnquam tolerandum,nihil dissimulandum iudicauit Ecclesia nihil vel minimum admittendum, quo eius illa integritas,puritas,& perfectissima vnitas vlla ex parte violaretur: memor profectò grauissimi & Apostolici illius verbi.

2.Tim.1. *O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates & oppositiones falsi nominis scientiæ*. Et rursum. *Formam habe sanorum verborũ quæ à me audisti in fide*.

Theodoret. histor. eccles. Lib.4. cap 17. Quo sanè factum est(quemadmodum scribit Basilius) *vt qui sunt in sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinant, sed pro illorum defensione,si opus sit,nullum non mortis genus amplecti parati sint*.

Aoalog. 3. ferè in medio. Idcirco etiam(vt meminit contra Ruffinum Sanctus Hieronymus) *etiam propter vnum verbum aut duo quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abiectæ sunt ab Ecclesia*.

In tract.de fide. Imò,*nihil periculosius his hæreticis esse* scripsit Gregorius Nazanzenus,*qui quum integrè per omnia decurrant,vno tamen verbo ac si veneni gutta, vnã illam ac simplicem fidem dominicæ & exinde Apostolicæ Traditionis inficiunt*.

De Ciuit. Dei Lib.10.cap.23 Tãta videlicet debet esse in fidei integritate Religio,vt ne verbo quidem eam violare fas sit. Nam quum in cæteris disciplinis,*liberis verbis loquantur Philosophi;nec in rebus ad intelligendum difficillimis, offensionem aliquam religiosarum aurium pertimescant; nobis tamen ad certam regulam loqui fas est; ne verborum licentia etiam de rebus quæ his significantur impiam gignat opinionem*. Hæc Augustinus. E

1.Ioan 1. Matth.13. Matth 25. 1.cor.5. Gal.5. Tit.3. Epist.2.

Itaque quum in morum quidem & vitæ agendæ ratione,etiam enormia crimina interdum tolerentur,exiguæ certè peccatorum labes & maculæ nunquam desiderentur; (*si enim dixerimus quia peccatum non habemus*,)dixit vir ipse sanctissimus(*nos ipsos seducimus. & veritas in nobis non est*,)longè aliter in fidei ratione,ne verbo quidem ab eius Regula aberrare fas est:sed & leuissimus quisque error sollicitè exploditur.Sic sanè in Euangelio, *sinuntur zizania crescere vsque ad messem in agro dominico, & rete Apostolicum ex omni genere piscium trahit*,quin de ipsam vnitatis Cathedram occupantibus dicitur;*Quæ dicunt facite,quæ autem faciunt,nolite facere*.

Philip.1. Ioan.10. Matth.18. Matth.23. Contrà verò,de hæresi & fidei violata integritate; *Auferte malũ* (ait Apostollus)*ex vobismetipsis*:& *vtinam abscindantur qui vos conturbant*: denique *hæreticũ hominem post vnam aut alteram correptionem deuitari*, præcipit. Ioannes autem Apostolus *ne Aue quidem ei dicendum* monet.*Quicunque enim*(ait)*ei Aue dicit, communicat operibus eius malignis*.

Adcò latum magnúmque discrimen est in morum vitio, & fidei corruptela; vt quum vtrumque perniciem adferat,& animam perdat;alterum tamen etiam in Ecclesiæ colũnis toleretur;nec in minimo quopiam feratur alterum:patiatur Apostolus *prædicari Christum siue per occasionem,siue ex voluntate*; prohibeat Christus *alienorum vocem vel audire tantùm*:imò iubeat diligenter *attendere à falsis Prophetis*:clamétque,*nolite credere,nolite exire*.

Quæ quidem omnia demonstrant,detestandum quoddã & perniciosum imprimis malum hęresim esse;fidei verò illibatam quandam & verè sacrosanctam esse oportere integritatem & puritatem:quam quidem vel ex minima parte violare,summum sit nefas,enorme penitus flagitium,execrandum sacrilegium. F

Iam verò,si semper ista vera sunt,& semper extremum quoddam malum hæresis est; quid de hac infœlicissima ætate nostra cogitandum vobis,dicendum mihi est;in qua nõ verbo vno aut altero fidei integritas violatur,non aliqua fidei pars,cáve in rebus aut minus necessariis aut illustribus,vellicatur;(quod tamen ipsum nullũ modò ferẽdum erat, sed totis etiã Christianis pectoribus detestandũ & anathematisandum) verũ incredibili quadã & plus quàm proiecta sceleratissimorũ hominũ audacia,totis mendaciorũ & putidissimarũ hęresum rapsodiis,fides penè vniuersa pessundatur; vndiq; & ex omni parte audacissimè impugnatur,in rebus planè summis & diuinissimis singulari impietare euertitur,vt nõ iam hęresis,quã Apostasia quędã,aut Atheismus potiùs eorũ animos occupasse videatur,qui hodie fidei integritatẽ violare sunt ausi. Sed ne impetu magis quàm ordine feratur Oratio;quum hodiernum is dies(Auditores,quod quidem vobis omnibus,mi-

A bus, mihi, huic Scholæ nostræ, huic celeberrimæ Academiæ faustum faustum fœlixque sit) ad Controuersiarum huius temporis Professionem me vocet; & de modernis hæresibus disserendi atque docendi prouinciam auspicari iubet: operæprecium me facturum putaui, si ante certamen ipsum, & tantæ disputationis ingressum, de huius Instituti nostri ratione, de huiusce professionis nostræ vtilitate, dignitate, atque in hoc etiā rerum motu necessitate, pauca hodie prælibarem. Illud verò aptiùs aut efficaciùs me facere non posse existimaui, quàm si primo quidem loco, de ipso hæresis malo in genere pauca dixero; deinde verò de horum temporum hæresibus copiosiùs disseruero. Docebunt enim illa duo, quàm sit labor vtilis, quàm opera illustris, quàm necessarium studium, Controuersias horum temporum nos quidem publicè profiteri, vos autem sedulò & attentè excipere. Hoc igitur dum facio, diligenter quæso, quod facitis, attendite.

Partitio.

Quàm tetrum sit perniciosum, & enorme malum hæresis, multis quidem Argumentis ostendi potest; sed vt id quod (vt ego quidem cēseo) præcipuū in hoc genere est, breuiter perstringam, videtur certè omnis hæresis, omne in se malum complecti, & cōpleta quædam esse Malitia, vel potius malorum quoddam Compendium. Quum enim duæ sint præcipuæ virtutes, ideóque gratissimæ, adeóque cæterarum omnium virtutū radices & fundamenta, *Fides & Charitas*; sic vtrique aduersatur hæresis, vt Fidem penitus tollat; malitia autem & maleuolētia perpetuò flagret. Est enim hæresis, si rectè rem perpendas, quædam infidelitas, & vera totius fidei abnegatio. Est prætereà semper cum superbia, inuidia, odio, contemptu, & incredibili quadam philautia coniuncta. Ex his igi-
B tur duobus, hæresis enormitatem expendemus.

Prima orationis pars de Hæresi in genere.

Hæresis omnium malorum compendium.

Quid hæresis quædam est infidelitas vel etiā Atheismus.

Ac primùm sanè hæresem omnem infidelitatem quandam esse, adeóque Atheismum, non difficulter ostendi potest. Nempe sic ἄθεον & absque Deo esse, vt Deum penitus non agnoscas, tam rarū est & in auditum scelus, vt qui eò amentiæ prolapsi fuerint, tanquam monstra & portenta hominum habiti sint: paucissimíque inuenti fuerint, Diagoras nescio, quis, Hippias, Nicanor, & vnus aut alter alius, quos propter portentosam varietatem nominatim nobis historiæ prodiderunt, & inter nostros, Clemens in Stromatibus. Alioqui sanè semper ab orbe condito Deum in Thesi omnes gentes coluerunt: Alij certis & præscriptis ritibus; siue cruentis & rudioribus, vt apud Scythas & incultas alias gentes; siue mollioribus & magis policitis, vt Græci ex Phylosophorum placitis, Romani ex Sybillinis libris & Numæ legibus, Galli ex Druidum institutis, Ægyptij ex Sacerdotum suorum doctrina, Persæ ex Magorum præcipitis, Indi ex Brachmanorum & Gymnosophistarum decretis. Alij denique etsi promiscuo cultu, coluerunt tamen, & Barbari vocantur. Nulla enim tam fera, tam immanis vnquam natio fuit (ait Tullius) quàm non imbuerit religio deorum. Ideóque vniuersum hominum genus in quatuor quasi sectas (quod ad Dei cultum attinet) distribuit Epiphanius, & post eum Damascenus: in Barbarismum, quo illi laborabant qui promiscuè Deum vel Deos colebant, fecerúntque (quod Israëlitis disertè in Deuteronomio prohibetur,) singuli quod sibi rectum videbatur; in Scythismum, qui cruenta & crudelia habuit sacrificia; in Græcismum, qui plures Deos colebant: & in Iudaismum, qui
C solus erat antè Christi aduentum verus Dei cultus. Adueniente autem Christo, iam nō est amplius (vt Paulus scripsit) *Gentilis & Iudæus, Barbarus & Scytha, sed omnia in omnibus Christus.* Itaque, vt cœpi dicere, omnes ab orbe condito gentes Deum in Thesi colendum putarunt, & aliquo demum modo coluerunt. Semper fuit Atheismus execrabilis.

Atheismum.

1. Toscul.

In principio panary.

Quatuor totius orbis sectæ ante Christi aduentū

coloss. 3.

Quo nomine adeò male audiebant Christiani propter nouam Euangelij prædicationem ab omnibus illis quatuor sectis diuersam, vt S. ille Martyr Polycarpus exclamare coactus fuerit in pleno tribunali. *Deus tollat atheos:* vt meminit Iustinus Martyr, & post eū Tertullianus. Sed omniū gentium, Græcorum, Scytharum, Barbarorum illud vnū crimen erat, quòd errarunt in Hypothesi: *quòd Deum non vt Deum glorificauerunt aut coluerūt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Quòd quidē tantum crimen fuit, vt Apostolus Ephesios ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ, *homines sine Deo in hoc mundo* vocaret. Non quia nullum Deum colerēt: sed quia nec verum Deum colebant, nec rectè. Alioqui sanè & ex ipsis Ephesiis & ex reliquis gentibus (quas ibi omnes alloquitur Apostolus) plurimi etiam vnum Deum agnoscebant: sicuti ex multorum & Poetarū & Phi-

Iustinus in Apologia 1.
Tertullianus in apologet.
Rom. 1.

ephes. 2.

losophorum veterum testimoniis demõstrat Iustinus Martyr, in libro περὶ θεοῦ μοναρχίας. D
Celebrè quoque illud Sophoclis hominis Atheniensis dictum est: εἷς ὡς ἀληθῶς, εἷς ἐστὶ
In Stromat. Θεὸς, ὃς τὸν οὐρανὸν ἐποίει, τήν τε γῆν. De quo sanè vno Deo quia præclarè Plato Philosopha-
Lib.2. de cu- batur, vocat illum Iustinus Martyr *Philosophum Christianum*, Clemens Alexandrinus, &
rat. græc. af- post cum Theodoretus ex Numenio, *Moysen Atticum*. Eundem tamen, quia in hypo-
fect. In præscript. thesi errauit, & multum à solida & tota veritate deflexit, *condimentarium hæreticorum*, si-
Hæretici vocan- cuti & alios omnes Philosophos, *Patriarchas hæreticorum* appellat Tertullianus: & cum
tur à Patribus. ἄθεοι. cum cæteris gentibus ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ pronunciat Apostolus. Est ergo Atheismus non
solùm nullus, aut plurium Deorum cultus, sed etiã ipsius veri atque vnius Dei, non ve-
Serm. 2. cõtra rus, non legitimus cultus. Et hac sanè de causa hæretici ipsi ἄθεοι à Patribus vocantur.
Arrianos. Socrat. lib.2. c.8. Sic enim Eunomium ἄθεον appellauit S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium &
Hist. Tripart. Oceanum cõtra errores Ioannis Hierosolymitani. Sic Arrius vocatur ἄθεος apud Atha-
Lib 5. cap 39. nasium: & Aëtius in historia Ecclesiastica, hoc quasi cognomine insignitus fuisse perhi-
betur. Est enim profectò idem in hæreticis qui in Barharis, Græcis, & Scythis Atheis-
mus. Maximè tamen Barbarismum sapiunt omnes hæretici. Hæreticorum enim pro-
αἱρεῖν. prium est id agere, id credere, id docere: non quod præcipitur, nec quòd oportet, sed
quòd ipsis videtur, quod ipsi volunt, quod ipsimet elegerunt. Hoc enim sonat vox hæ-
contra Faust. resis, quæ electionem notat. Hic ille fuit Donatistarum morhus, vt sodalis ipsorum Ti-
Lib.17. cap.3 conius refert. *Quod volumus, sanctum est.* Hinc etiam Manichæis eodem morbo laboran-
tibus, (communis enim omnium hæreticorum est) rectissimè dixit Augustinus. *Apertè* E
dicite vos non credere Christi Euangelio. Nam qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non
Cõtra Collatorem cap.26. *creditis, vobis potius quàm Euangelio creditis.* Quod sanè vnum, vt omnium inter gentes erro-
rum, ita omnium in Ecclesia hæresum fons est. Idcirco enim, *nihil vel Græciæ scholæ vel*
De ciuit. Dei *Romana eloquentia* (vt notauit Prosper) *circa inueniendum summum bonum & dignoscendam*
Lib.8. cap.3. De consensu *veritatem efficere potuerunt, quia semetipsis ducibus vtebantur.* Idcirco etiam (vt scripsit Augu-
euangelist. stinus) *inter Socraticos & à Magistro discipuli & inter se condiscipuli dissenserunt, quia vbi cuique*
Lib.1. cap.18. *visum est, ibi finem boni posuerunt.* Hęc est illa execrabilis in religione ἐπιεικία & moderatio,
Lib.4. ita Deum colere vt ipse velis, & vt tu colendum arbitraberis, quæ certa est totius reli-
ἀπομνημονευμάτων. gionis pestis & ruina. Quanto rectius ipse Ethnicus Socrates? cuius sententia erat, (vt
meminit Augustinus) *sic Deum coli oportere, quo modo se ipse colendum esse præcepit.* Non qui-
dem νόμῳ πόλεως & pro cuiusque regionis ac ciuitatis lege (vt illud Socratis narrat Xeno-
phon) sed ex ipsius Dei lege, imperio, ac voluntate. Alioqui (vt ex Socratis dicto infert
Augustinus) *qui alio modo Deum colere vult, quàm se colendum ipse dixerit: non vtique Deũ colit,*
sed quod ipse finxit: idolum mentis & phantasmatis sui. Qui autem idolum colit, *quum ido-*
lum nihil sit in hoc mundo, profectò nihil colit, éstque sine Deo in hoc mundo: Ex quo ite-
rum sequitur esse hæresim, atheismum.

Iam verò adeo omnis hæresis idololatria est, proindéque Apostoli iudicio (ad
Ephes.2.) atheismus, vt propterea idolis gentium hæreses recta linea successisse, passim
Sancti Patres tradiderint: neque etiam Sacra Scriptura tacuerit. Quicquid enim de
euertendis idolis prædixerunt, quicquid de fugiendo idolorum cultu præceperunt; id
totum non de illis manufactis tantùm, saxeis & ligneis, aureis & argenteis, sed & de hæ- F
resibus in Ecclesia Christi exponit sæpius B. Hieronymus, in cõmentariis ad Ezechielis
cap.8. ad Oseæ cap.11. ad Zachariæ cap.13. ad Danielis cap.5. Ad cuius sententiam acce-
Enarrat in Psal. 80. p.29. dit Sãctus Augustinus super illa Psalmistæ verba, *Non erit in te Deus recens.* atque itẽ in Io-
super librum Iosuè. sue cap.27. vt taceam Vincentium Lyrinensem, qui vtrumque in hac parte copiosè se-
quitur. Sanè insigni dæmonis fraude, & certo dolo, in Ecclesiam Christi destructis ido-
Hæreses idolis successerunt. lis, hæreses irrepsisse, & tota temporum series docet, & diligenter præterea notarunt
Sancti patres, August. de Ciuitate Dei, lih.18. cap.51. Cyprianus in lih. de Vnitate Eccle-
2. Cor.11. siæ, & Author operis imperfecti in Matthæum Homil.48. Nec alia de causa hæreticos
2. Petr 2. *Satanæ ministros* Apostolus vocat, & *Magistros mendaces* Petrus nuncupat. *Diabolus autem*
Ioan.8. *est mendax & pater eius; & quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Omnis enim hęresis
de suo loquitur. Sola veritas Catholica, communis & omnium est: *Nec mea nec tua* (ait
Confess. lib. 12. cap.25. Augustinus) *nec huius nec illius; sed omnium nostrum quos ad eius cõmunionem publicè vocat Deus.*
Figmentum proprij cerebri, commẽtum & idolum vnaquæque hæresis est. Alius Mar-
Hieron. in Ezech. cap.8. cionis, alius Manichęi, alius Arrij Deus est qualem sibi quisque animo finxit, non qualẽ
Deut.32. diuinitus reuelatum Ecclesia tradidit. Hæc sunt idola & dij alieni, post quos abire vetat
manda-

A mandatum. Isti sunt de quibus Moyses præcauens prædixit. *Noui recentésque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Omnis enim hęresis noua est, quia & antiquior semper ac prior est; veritas (vt docet sæpe Tertullianus) & antiquitate semper caret ipsa falsitas, vtpote quæ diu nunquam in Ecclesia permanet, vt literæ Apostolicæ docent.

In lib. de præscript. & lib 4. aduers. Marcionem.

Quin & propterea omnis hæresis idolum est, quia se pro Deo venditat omnis hęreticus; sibi credi flagitat; etiam vniuersa repugnante totius orbis Ecclesia: dicente videlicet vno hæretico, *Ecce hic est Christus*: Et, *Scio me mea dogmata habere de cælo*, quę dixit & scripsit Lutherus; clamãte altero hæretico: *Ecce illic est Christus, magnæque temeritatis esse, pronũciare, vltimum iam Eliam in persona Lutheri venisse, ac si præcisa esset manus Deo, ne quem præstantiorem parémue postea emittat:* quæ scripsit post Lutherum Caluinus. ægerrimè ferens vltimum Eliam Lutherum à suis dici, quia & ipse alius vult Elias esse. Quanquam sanè & multis rettò seculis Manichæi magistro suo hanc landem præoccuparunt. *Hoc enim* (ait Augustinus) *quasi proprium atque præcipuum Authoris sui laudibus tribuunt, quòd dicant illa quæ ab antiquis figuratè in libris de diuinis mysteriis posita sunt huic qui vltimus, venturus erat, soluenda & demonstranda esse seruata. Et propterea post illum iam neminem Doctorem diuinitus esse venturum.* Hæc August. cont. Epist. Fundamenti cap. 23. Et quis nescit tantundem de Mahomete in suo Alcorano dici? Adeò denique idolum est hęresis, & verè idololatra est omnis hæreticus, ac sine Deo in hoc mundo, vt D. quidem Hieronymus, *hominem hæreticum eodem planè loco quo gentilem se habere* scribat: iuxta illud sanè Saluatoris; *Qui Ecclesiam*

Lutherus in lib. cõtra Regem Angliæ. Surius in cõ. ad an. 39.

In principio dialogi cõtra Lucifer.

Matth. 18.

B *non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*: D. verò Augustinus *longè infideli deteriorem hæreticum esse* asserat: iuxta illud profectò B. Petri dictum, *Melius erat illis non cognoscere veritatem, quàm post agnitionem retrorsum recedere.* Quanquam tamen non ea tantùm de causa quòd retrocedat, & fidem datam frangat, peior idololatra hæreticus est, sed & inde quoque quòd grauius scelus est *Ecclesiam scindere, quàm idolis sacrificare*, vt Nouatum admonuit Doctissimus ille Dionysius Alexãdrinus Episcopus. Quod etiam pœna schismatis grauior, quã idololatriæ in Scriptura veteri declarat. *Idololatria enim gladio punita est, schisma hiatu terræ, sepultis Authoribus viuis, & cæteris cælesti igne consumptis: vbi non dubitatur sceleratius fuisse commissum, quod grauius erat vindicatum;* vt sapienter scribit Augustinus. Nempe quum totius religionis in Deum fundamentũ sit obedientia, & illud quod Apostolus dicit, *captiuare intellectum in obsequium Christi*, vnde sequitur *veram religionem* (vt scribit Tertullianus) *dubitabilem non esse*, ac propterea nec disputabilem, sola hæresis omnem obedientiam tollit; *& quicquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginata fuerit, religionis nomine obseruat;* atque ita non Deum sed *sua phantasmata colit: qui sanè* (ait meritò Augustinus) *deterier quidam & inferior est simulachrorum cultus.* Si quid enim in fide Catholica agnoscit hæreticus, id non ex fide à Deo reuelata per Ecclesiæ ministerium, sed ex suo arbitrio tanquam probabile & sibi non aduersum agnoscit: & opinatur, non credit. Quæ quidem omnia satis demonstrant (nam in singulis prolixos esse non licet) ita fidei aduersari hæresim, vt omnem planè fidem tollat: nec id tantum efficiat, vt minus se rectè fides habeat, sed vt nulla planè fides supersit: sitque propterea omnis hæresis quidam Atheismus.

De ciuit. Dei. Lib. 21. cap. 25.

2. Petr. 2.

Euseb hist. Eccl. lib. 6. cap. 36.

Exod. 37.

Numer. 16.

De baptism. contra Don. lib. 2. ca. 6.

2. cor. 10.

In præscript.

August. de vera Religione, cap. 38.

C Iam verò sic Charitati, alteri illi præcipue atque primariæ virtuti, ex Diametro repugnat hæresis, vt ne vestigium quidem charitatis vllum in homine hæretico persistere valeat. *Non enim habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem*: ait grauissimè Augustinus. Ac ne quidem habere potest. Quum enim Charitas sit proprium & præcipuum donum Spiritus Sancti (*diffunditur enim illa in cordibus nostris per Spiritum Sanctũ qui datus est nobis*) profectò quia extra Ecclesiam, extra vnitatem, extra Corpus Christi Spiritus S. non est, in hæretico qui Ecclesiæ non diligit vnitatem, Charitas Dei esse non potest, Ideo constanter alibi asseuerat Augustinus. *Credamus fratres; Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet & spiritum Sanctum.* Proinde aptissimè vocauit Apostolus Iudas hæreticos *qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes.* Sunt quidem & in Ecclesia animales & carnales homines, *qui non percipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei*: habent tamen ipsum spiritum Dei; vt multi animam humanam habent, qui eius tamen vsum legitimum nesciunt. At verò hæretici ita animales sunt, vt ne habeant quidem Spiritum Dei. Est enim huius Spiritus vnitas in vinculo pacis quod omnes hæretici violant ac disrumpunt. Adeò denique ab omni charitate, ideóque & virtute (radix enim omnium virtutum est Charitas, vt vitiorum cupiditas) alieni sunt hæretici, vt è solis sceleratis &

De bapt. contra Donat. lib. 3. cap. 16.

Rom. 4.

Tractat. 32. in Ioan.

Cap. vnico.

1. cor. 2.

August. Serm. 11. de verbis Domini.

Non sunt hæretici nisi improbi.

improbis hominibus hæretici fiant. Sic enim post beatum Cyprianum in libro de vnitate Ecclesiæ, grauiter &(vt ego quidem arbitror,) verissimè scripsit vir ille doctissimus diuus Augustinus: *Ex his hominibus hæreticos fieri, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominus perirent.* A quo non est diuersum quod scripsit beatus Apostolus Ioannes. *Si fuissent ex nobis,* vtique boni & veri filij Dei, *mansissent nobiscum.* Neque enim, *qui super Petram* & Christi amorem, sed *qui super arenam* & rerum caducarum voluptatem *domum suam ædificauit*, irruente procella damnum sustinuit. Nec solida grana, sed leues paleas, omnis doctrinæ ventus circumfert. Videris ergo vt vna ac sola hæresis omnem fidem euertat, charitatem expellat; vel certè deperditæ prorsus & eliminatæ iam anteà charitatis argumentum sit; ideóque vniuersi mali complementum quoddam & compendium, quasique altera per Antiphrasim pandora, censenda sit. Possent quidem ista pluribus demonstrari. Sed vereor ne præstitutæ breuitatis modum etiam hæc pauca excesserint. D

Lib. de vera Relig. cap. 8.
1. Ioan. 2.
Matth. 7.

Venio nunc itaque (Auditores) ad alteram illam Orationis meę partem, quę vt magis est necessaria, ita vti spero nec iniucunda erit: si tamen præsentium malorum, quibus nec adhuc emersimus, iucunda esse potest recordatio. Nempe de præsenti hæresi & de horum temporum insania paulò copiosiùs agemus, non quidem vt eam Oratione illustremus, sed vt variam eius atque multiplicem turpitudinē ante oculos vestros ponamus, indéque huius nostri instituti ac Professionis siue necessitatem, siue vtilitatem, seu vultis etiam dignitatem demonstremus. Quę enim hodie vniuersum pene Christianum orbem occupauit, non tam hęresis quàm Apostasia, & quasi alterum fidei diluuiū, tot & tam variis nominibus est detestāda, tātas & tā graues habet execrationis causas, vt nec vnde ordiri hanc telam debeas, nec vbi Oratio exitum inueniat, facilè scias: siquidem omnia quæ hîc dici poterant, & pro iustæ sanè indignationis dolore, dici meritò debebant, non dico exornare & illustrare, sed vel percēsere & commemorare quis vellet? Quid enim est, quod aliquando hæresem illustrem fecit, hoc est, insigniter nequam, nobiliter flagitiosam, egregiè perniciosam, cuius etiam nomine horum temporum hæreses illustres non sint; imò verò palmàm coronam impietatis ferant? Solet hæresis mendax & procax esse, meretricia fronte, si tamen fronte, Scripturas deprauare, addere, tollere: Patrum scripta corrumpere: Catholicam calumniis, conuitiis atque mendaciis traducere, proterere, obruere. At quæ vnquam hæresis huic nostræ par fuit, aut quidem esse potuit? E

Altera Orationis pars de horū temporum Hæresibus.

Hæreticorum mores.

Quantam Scripturarum farraginem in omni dogmate Catholico, isti belli homines & quàm variè corrūpunt? Primum totos libros è Sacro Canone eradunt. Machabæorum volumina, D. Iacobi. Petri & Ioannis posteriores Epistolas pro Apocryphis censeri volunt: & totius orbis Censores è Sacrorum Scriptorum Senatu mouent. Patrum sanè hac in re suorum, veterum hæricorum, mensurā implentes; Marcionis & Manichæi: quorum hîc totum vetus Testamentum, & ex Euangelio Matthæi Caput primum, aliásque particulas, codices esse & scripta diuina negauit: ille & Lucæ Euangelij sustulit, suo quodam supposititio, & ex 14. Paulinis Epistolis 9. tantùm retinuit. Vt taceā Arrianos qui idem in Epistolam ad Hebræos attentarunt, & Aëtium qui tantundē fere in veteri Testamento ausus est; vt de his quidem [1] Theodoretus & [2] Epiphanius; de illis [3] Augustinus & [4] Tertullianus scribunt atque commemorāt. Nunc verò Scripturas quas retinent, quot & quàm indignis modis deprauant? Modò nouis suis, eisdemque hodie permultis versionibus, peruersionibus dicerem, in audito scelere sic loqui Sp. S. faciunt, sicut ipsi volūt: suúmque nobis pro Dei verbo obtrudunt. Neque enim sic Tigurina vt Vvittembergensis, non ita Geneuana vt Franchofordiensis versio habet. Aliter vertit Lutherus, aliter post eum Zvvinglius: differenter ab vtroque Caluinus: vt taceam quòd sæpius ac subinde suas iidem versiones cudunt atque recudunt; fingūt atque refingūt. Vt idem planè his accidat, quod de Marcionitis scribit Tertullianus. *Quotidie reformant Euangelium suum, prout à nobis quotidie reuincuntur, aut erubescunt ipsi de magistro suo vbique traducto.* Quæ quidem ita se habere, partim copiosè describit Fridericus Staphylus Apologiæ prioris part. 2. partim domestica nos nostrarum calamitatum exempla docuerunt. Iam verò ipsos textus quos integros relinquunt, quàm graui scelere cōtaminant, dum nouum illis sensum affingunt, & in Ecclesia Dei inauditum? Deficeret me tempus, si harum rerum infinita † exempla (quę quidem facilè proferre possem) hoc iam F

Scripturarum per modernos hæreticos deprauatio.

[1] In præf. cōment. in epist. ad Heb.
[2] Hæres. 76.
[3] ad Quoduult Deum hæ 46.
[4] lib. 4. cōtra Marcionem.

Lib. 4. aduers. Marcionem
† Vide huius Operis lib. 2. lib. 2. cap. 9 & cap. 5. 8. & 9. 21. 22. & 23. 31. lib. 5. cap 4. & 25.
Lib. 10. cap. 6. & seq.
Lib. 11. cap. 8. 9. 10.

A iam loco ac tempore producerem. Sed fiet istud cōmodissimè atque plenissimè in tota hac futura nostra Professione: maximè verò in harum quas iam auspicamur, Controuersiarum, tractatione.

Adeò verò res hæc certa & explorata est, vt quidam etiam Catholici scriptores, de locis scripturarum ab hæreticis hodie turpiter deprauatis, volumina expressa conscripserint, eadémque loca in natiuum suum ac germanum sensum magno & laudabili studio restituerint. Quod quidem inter cæteros præclarè præstitit Renatus Benedictus in sua Panoplia.

SS. Patrum deprauatio per modernos hæreticos facta.

Quod ad Conciliorum, Pontificum & sanctorum Patrum scripta attinet, quid illa dicam ab istis hominibus corrumpi, deprauari, & in sensus alienissimos obtorto collo trahi? Fecerunt id quidem initio copiosissimè, & more veterum hæreticorum; quē perpetuum fuisse Patres Sextæ Synodi proclamant. Quàm diu scilicet vel pro se stare patres adhuc existimarēt; vel horū nominibus ac prætensa Authoritate abuti, adhuc suis rebus & alliciendo in suam nassam paulatim populo, commodum existimabant. Quo in genere insignis est illa sancti Augusti deprauatio, quam Authore Luthero, Augustana Confessio coram Germaniæ principibus magna cōfidentia citauit, eandémque postea maiori impudentia non solùm typis excusit, sed in certis etiam Colloquiis tueri semper voluit, quia sic videlicet semel dixerat Lutherus. Pro eo enim quod scripsit Augustinus, *Dimitti Concupiscentiam in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur:* quæ est Catholica & orthodoxa sententia, aiunt illi dicere Augustinum, *Dimitti peccatum in baptismo, non vt non sit sed vt non imputetur*: quæ est horum hominum hæretica
B sententia de imputatiua non vera per baptismum peccatorum remissione, ex qua mox conficiunt *imputatiuam* suam iustificationem. Tanti momenti fuerat, pro *Concupiscentiæ* vocabulo, *Peccatum* nefariè supposuisse. Excelluerūt in hoc genere duo in nostra Anglia pestilentes seductores, & pseudoepiscopi, Iuellus Sarisburiensis, & Hornus Vintoniēsis. Quorum vterque (sed Iuellus magis) editis vernacula lingua opusculis, aliquot mendaciorum centenaria in sola Scripturarum & Patrum maximè corruptione, breui tempore conflarunt ab orthodoxis & Catholicis Anglis Louanij tunc agentibus, eorum mendacia etiam editis libris propalantibus adeò manifestè deprehensi & euidēter conuicti, vt post aliquot responsionsiones frustrà tentatas (replicātibus strenuè Catholicis) à Magistratu tandem, pro plenissima & absoluta responsione, crudele edictum obtinuerint, de huiusmodi Catholicorum libris nullo modo sub grauissima pœna vel in regnum importandis, vel à quopiam illic retinendis. Et sic quidem tum omnes ferè Protestantes in ipso huius certaminis initio, tum etiam nostri isti Domestici vsque ad dicti certaminis exitum admirabilem, in patrū corruptelis studiosè versati sunt. Adeò sanè vt hoc ipso nomine vir doctissimus, nobilis & prudentissimus Fridericus Staphylus postquam toto & amplius decennio Lutherum audiuisset, & ad amplos ab ipsis Lutheranis principibus honores capessendos inuitaretur, à tota tandem Lutheranorū & Protestantum factione, sese abripuerit; & ad Catholicæ matris gremium piè se recepe-
C rit. Verùm enimuerò quum huiusmodi fraudes, mendacia & corruptelæ diu valere non poterant (veritas enim temporis filia) maius aliquid ausi sunt. Vniuersos enim Patres & Concilia ad vnum omnia (ô facinus incredibile) prorsus repudiare, & ab omni Authoritatis pondere ac loco deiicere non sunt veriti. Quod quidem qua audacia ab illis factum fuerit, in primis hisce (quas tractare instituimus) Controuersiis declarabitur.

De Nuptiis & concupiscentia li. 1. cap. 25.

Superintendentes Angli Magistri mendaces.

Catholicorum libris edicto respondetur.

Ioan. Lyresius cleuensis in vita Staphili.

controuers. 1. Lib. 3. cap. 4.

Sed prętereo Scripturas & Patres, in quibus licet maiori scelere, non ita tamē aperto & passim cognito versantur. Ad notiora venio. Nempe quę notissima sunt Catholicę fidei dogmata, quæ vulgo fidelium compertissima, quæ ad ipsam fidei Regulam pusillis magnique communem pertinentia; mendaciis tamen & calumniis impudentissimis, alia esse quàm sunt, mentiuntur. Et quia veritatem ipsam orthodoxā solidè impugnare non possunt, falsos & erraticos sensus quos impugnent, scelerate confingunt. Profectò enim qui vniuersum illud grassantium hodie hæresum chaos, & vastum quasi Oceanū penitius introspiciet, videbit multo maximam illarum partem, ex putidis & meris calumniis, ex luculentis & splendidis mendaciis esse conflatam. Quarum rerum, si pauca de multis exempla audire libeat, quis nescit eas & Pelagianorum superbiam, circa naturæ vires relictas concursum liberi arbitrij cum gratia, & bonorum operum meritum;

Hodierna hæresis ex mendaciis conflatur.

Veteres hæreses catholicæ doctrinæ falsò imposita.

Manichæorum ac Tatianorum sordes, circa Cælibatus defensionem; Donatistarum fu- D
rorem, quia infamem concubinarium à sacris altaribus arcemus, Catholicæ doctrinæ

Status controversiarũ à Protestantibus inversi.

impingere? Nam quòd in quæstione ipsa de gratia & libero arbitrio, de iustificationis nostræ causa formali, de possibilitate obseruationis mandatorum, de consignandis per Ecclesiam scripturis, aliisque quæstionibus grauissimis, statum Controuersiæ & ipsum τὸ κρινόμενον (*in astutia ad circumuentionem erroris*) prorsus immutant, inuertunt, atque peruertunt, soli doctiores, nec illi semper omnes, fortasse animaduertũt. Quoties verò (notioribus enim insistam) & de Iudaica pædagogia, & de Pharisaica superstitione, & de cultu denique gentilitio Catholicam accusant; dum ritus Apostolicos & Ecclesiæ instituta, pro mandatis hominum, & egenis huius mundi elementis traducunt? Huc enim pertinere stata ieiunia, feriarum obseruationes, diuorum inuocationes, imaginum ve-

Mendacia manifesta.

neratione, stolidissimè iudicant & clamosissimè vociferantur. Quid grauiora illa referam, quòd fidei dono diuinitus infuso nihil nos prorsus tribuere, quòd Christi passioni ac meritis nos omnia derogare, quòd plus vni sancto Antonio, aut sancto Christophoro, quàm ipsi Christo deferre, quòd Rom. Pontificem in terris pro Deo colere, quòd sacras vtriusque Testamenti scripturas nullo in precio nos habere, inuidiosè clamitent, & sceleratè mentiantur? Nam quòd in imaginũ cultu, & sanctorũ inuocatione de idololatriæ nos grauissimo scelere arcessunt, asserentes nos saxa & homines mortuos pro diis colere, vsitatissimum apud ipsos est, & tamen sceleratissimum, planéque Ethnicus E

Lib. 4. cap. 14. lib. 10. contra Iulianum.

quidã seu furor seu error, qui idẽ olim circa Martyrũ memorias & cultum Christianis obiecerunt; vt videre est circa Polycarpi reliquias apud Eusebium, & in Iuliani Apostatæ obiectis apud Cyrillum. Quam verò in sacratissimorum mysteriorum cultu,

In apologetico, & lib. 4. contra Marcionem. Lib. 20. cap. 13. contra Faustũ.

ἀρτολατρείας nobis impingunt, etiam Ethnicum furorem superat. Illi enim infanticidia & magias (vt refert Tertullianus & post eum Augustinus de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 53. & Athenagoras in Apologia pro Christianis.) Cereris quoque & Bacchi cultum, (vt commemorat idem Augustinus) Christianis propter hoc Mysterium inscienter obiiciebant: isti verò non pari inscitia, sed maiori blasphemia, panis pistorij cultum & Deum impanatum clamitant. Piget profectò in eorum commemorandis mendaciis pergere. Illud cõfidenter dixerim, nullã esse doctrinæ Catholicę partẽ quã vellicẽt (vellicãt autẽ partes omnes, vt mox dicemus) in qua pro erroris fundamento, nobile mendacium non struant. Et, vt pauca adiiciam, quot & quanta sunt quæ in vna pœnitentiæ doctrina de

Mendacia Protestantum circa doctrinam Pœnitẽtiæ.

nobis mentiuntur? Nos videlicet docere ac docere, Contritionem oportere sufficientẽ esse, & quæ sceleribus commissis prorsus respondeat, vt huius sacramenti pars esse possit. Nos docere, in Confessione, singulorum & omnium peccatorum plenam semper enumerationem esse necessariam, siue ea meminisse possumus, siue non. Nos in satisfactione docere, per iniũctas pœnas compensari pœnas æternas. Denique in tota pœnitentia altum esse apud nos de fide silentium, & spem venię nos omnem excludere. Hęc illi de Catholica doctrina asserunt, sic illi de nobis splendidè mẽtiuntur? tot illi in vnius sacramenti doctrina egregia mendacia simplici plebeculæ persuaserunt. Sed mihi credite Auditores, tot & tanta sunt horum hominum mendacia, circa Religionis orthodoxæ doctrinam, aliter ab ipsis quàm verè à nobis asseritur, singulari fraude reprehen- F
sam; vt non quidem Orationis tantùm modum excedant; sed & nullo etiam immenso volumine, commodè illa comprehendi valeant. Itaque huic rei inuitus, vt de cæteris aliquid dicam, hunc finem impono.

Ad alia venio, quibus hodiernæ hæreses, quàm sint pestilentes, breuiter demonstrabo. Hęresis omnis etiam in re leui & minoris momenti, tamen semper perniciosa & detestabilis est habita, ideóque (vt modò ex D. Hieronymo diximus) etiam propter vnum

Hæresis hodierna vniuersum religionis corpus occupans.

aut alterum verbum hæreses ab Ecclesia eiectæ sunt. Quæ autem hodie grassantur hæreses, tanquam febris quædam Ethica totum religionis corpus occupant, omnes sanæ doctrinæ partes corrumpũt, sacratissimas etiam & maximè vitales partes sua peste corripiũt, idque adeò infestè, vt quæ Catholica summè veneratur, & summo habet in precio, ille maximè sugillent, damnent, abominentur. Quod paucis nunc rerum grauissimarum exemplis ostendo. Quid in cultu diuino & vniuerso religionis obsequio, Sacro

Totus externus christianorum cultus abolitus.

Missæ officio venerabilis Eucharistię mysterio, habet Ecclesia, habuítue vnquam excelsius, sacrosanctius, diuinius?

Nonne

A Nonne huc & huius vnius in cultum, omnis ille templorum magnificus splendor, altarium vniuersus decor, cæterarum rerum quæ huc pertinent multiplex apparatus, totúsque Christianorum externus cultus, sacerdotum veneranda institutio, sacramentorum omnium varius vsus vel omnino destinatur, vel in eo vno consummatur atq; perficitur? Quas verò in hoc vnum Mysterium blasphemiarum moles, quæ conuitiorum & maledictorum plaustra inuexerunt? Quid apud ipsos despicabilius, quid execrantur & abominantur magis? Rursum quid in doctrina fidei magis necessarium, & salutare, quàm rectus Sacramentorum vsus? Hunc autem vniuersum non tam illi peruerterunt, quàm penitus euerterunt.

2. *Sacramentorum doctrina tota conuulsa.*

Ex septem enim duobus tantùm retentis, illa sic deformarunt, vt alterum quidem illorum ad Cœnæ Dominicæ inane nomen redegerint (vt taceam quòd variis sacrilegiis profanarint) Alteri (baptismo scilicet) fructum & vim omnem ademerint. Sacrum Ecclesiæ Ordinem, quem summo in honore esse voluit Christus, sic illi in ordinem redegerũt, vel potiùs omni Ordinis dignitate spoliarunt: nihil vt iam sit apud eos vilius & execrabilius homine initiato. Nec ad contemptum tantùm; sed etiam ad necem & immanes cruciatus, hoc vnum satis sit, sacerdotem esse, vel (vt illi loquuntur) sacrificulum rasum. Iam verò, de eo quod in vniuerso hoc Ordine ac hierarchia supremum est, & quem nos pro Christi vicario, pro summo in terris iudice, pro Apostolico capite agnoscimus, quid putatis illis animi esse? An eos mediocriter illum spernere, an leuiter contemnere? Imò B vero totis inuidentiæ atque malitiæ faucibus, inflatis superbiæ buccis, dilatantes sicut infernus os suum, hunc virum Apostolicum, solum iam Apostolicæ sedis Antistitem, ipsissimum esse Antichristum audacissimè dicunt, procacissimè defendunt, pertinacissimè etiam scriptis libris, paritérque impudentissimè atque stultissimè contendunt.

3. *Ordo Ecclesiæ perturbatus.*

4. *Hierarchia Ecclesiastica caput indignissimè violatum.*

Omitto alia: Quòd fidem iustificantem ad vanã & perniciosam fiduciam, & ad solas Dei promissiones apprehendendas, contraxerint bona opera omni merito & retributionis æternæ præmio spoliauerint: mandatorum Dei obseruationem impossibilem esse dogmatisauerint; relicta ad agonem carnis vitia verè esse in renatis peccata: omnes eorum actus iustos contaminare: denique verè peccatores in iusto Dei iudicio ex sua natura baptisatos omnes constituere, asseruerint; imò præclara multa pietatis exercitia, stata ieiunia, præscriptas orationes, peregrinationes ad loca sancta, pro impia superstitione condemnauerint. Parum est, quòd in rebus ad salutem maximè necessariis perniciosi & pestilentes, in fidei sacrosanctis mysteriis prophani, in Ecclesiæ Ministris sacrilegi sunt. Etiam in Angelos & beatos illos spiritus violentas manus iniiciũt. Nam & cognitionem illis rerum nostrarũ demunt & curã atque amorem nostri negãt; & quicquid illis cultus exhibetur, id in Dei contumeliam verti, præposterè docent. Penè prætermiseram, quòd & defunctis fratribus luculentas iniurias faciunt, dum Orationes, eleemosynas, sacrificia quæ pro illis fiunt, iuxta perpetuum Ecclesiæ Catholicæ morem, & Apostolorum instituta, sceleratè damnant.

5. *Præcipuorum fidei dogmatum corruptela.*

6. *Angelorum dignitas violata.*

7. *Mortuis Fratribus irrogata iniuria.*

Sed caput totius blasphemiæ & abominationis est, quòd nec ipsius Dei Optimi Maximi Supremam Maiestatem intactam reliquerint. Nam & illum cum C impurissimis Manichæis, Authorem & effectorem (non ordinatorem tantùm) mali atque peccati esse docuerunt. Eius autẽ omnipotentiæ, arrogantissimo furore, limites posuerunt: eum asserẽtes ab ordine rerum iam posito & constituto recedere nõ posse, nec aliquid facere quod ei repugnet: imò nec amplius quicquã posse efficere, quã quod in sacris Scripturis apertè se facturum prædixit. Quid quòd nec à sacratissima Trinitate sibi tẽperarint, sed illi quidẽ, quos hoc nomine Trinitarios nuncupant, horrendas nec hoc loco nominandas blasphemias in sacratissimum Numen, ore plus quàm Sathanico euomuerint, ipse verò Caluinus, noua etiã & nefanda hac in parte dogmata orbi propinauerit, quorum vnũ illud est de filij Dei αὐτϑεία. Quicquã ne his malis adiici potest? Aut si vlla hæresis Atheismus censenda est (vt modò demonstrauimus) erit ne aliquãdo aut fuit vnquam grauior, verior, & execrabilior Atheismus, quàm qui hodie per has hæreses regnat? Videor fortasse multa enumerasse. Sed plura profectò prætermisi quàm dixi. Nihil enim de liberãte gratia in fatalẽ necessitatẽ permutata, de libero arbitrio in seruũ redacto, de cœlibatus & virginitatis virtute heroica vel Angelica potius, in promiscuam penè fornicationem, certè in illicita post diuortiorum coniugia (altero adhuc coniugum superstite) & ali-

8. *Ipsa Dei maiestas violata.*

Calu. Institut. lib. 4 cap. 17. Par. 24.

9. *Sacrosancta Trinitas blasphemata.*

10. *Alia adhuc fidei & pietatis dogmata adulterata.*

cubi etiam quibus Bernardini Ochini arridet doctrina,in polygamias conuersa:nihil de D
Ecclesiæ ipsius docentis,attestantis,aut aliquid fidei determinantis voce neglecta, iudicio contempto,Authoritate penitus conculcata; nihil de ipsa tota Ecclesia tam pastorũ quàm populorum prorsus Antichristianismi damnata, nec à paucis seculis, sed ab ipsa vsque Apostolorum ętate,nihil de innumeris aliis dico,quæ nec singula oratione complecti,nec memoria retinere valeo.

Veteres hæreses renouata. Pene ausim dicere nullam olim hæresim extitisse, quę quidem circa Ecclesiæ corpus, & extra Christi personam versatur,quam noui isti hodie cacangelici non renouarint,& Herculeo sanè labore,tanquam Cerberum ex inferno non resuscitarint.Quis nescit eos cum Pelagianis,infantibus Christianorum parentum absque baptismi sacramento promittere vitam ęternam; cum Manichæis docere aquã baptismi nihil ad salutem facere: Liberũ arbitrium tollere, & concupiscentiæ naturalis malo nimium exaggerato, peccati perpetuum & ineuitabilem fomitem seu *fornacem potius*,(vt Caluinus loquitur)*incensam quæ scintillam & flammas efflat,vel scaturiginem quæ aquas sine fine egerit*, tribuere, Deum denique Authorem mali ponere?cùm Donatistis propter vitia cleri & Ecclesiæ siue vera siue falsa,à clero & Ecclesia nefario schismate sese separasse; in solis actu bonis & sanctis Ecclesiam ponere;Ecclesiam toto orbe periisse,ac in paucis remansisse,Catholicam non ex totius orbis communione,sed ex omnium mandatorum & sacramentorum obseruatione vocari,aliáque permulta dicere ac docere:cum Eunomio,&(vt refert Theodoretus)cum Simone Mago solius fidei sufficientiam(operum iustitia contempta) docere;cum Vigilantio reliquias sanctorum contemnere;cum Iouiniano virginitatis meritũ & voti obligationem damnare;cum Aërio orationes pro defunctis & stata ieiunia negare;cum Anomæis & eodem Aërio legibus Ecclesiæ teneri nolle;cum Nouatianis soluendi peccata plenam & veram potestatem ab Ecclesia tollere,cum Iconomachis & Manichęis,sanctorum imagines ferre nõ posse;cum Iuliano Apostata cultum Martyrum idololatriam censere;cum Pepuzianis & Marcionitis,Ordinem in Ecclesia confundere?Denique cum Berengario,Albigensibus,Vvaldensibus,Vvicleffitis & Hussitis, cum Abailhardo,Almarico, aliisque olim damnatissimis hæreticis omnia ferè ab illis asserta dogmata iam renouasse?

Institut. lib. 2. cap 1 par. 8.

Fabul. hæret. lib. 1. E

Sunt hæc omnia notissima.Nam secretiora illa quæ alunt monstra,quæquesibi inuicẽ Cadmæi isti fratres impingunt,vt sibi ipsis inuicem notissimi, rerúmque suarum mutuò conscij,hoc iam loco studiò prætermittimus, alias ipsa inter profitendum (Deo dante) in lucem producturi.

Hæc est illa nostri temporis Babylon, quæ sub omni ligno frondoso diuaricata est pedes suos,& fornicata est cum amatoribus multis,quæque derelicto fonte aquę viuæ, effodit sibi cisternas has veteres non valẽtes tenere aquas.Hęc est illa procax meretrix, quę infantem vult diuidi.Sic illa hodie Christi inconsutilem tunicam,furore plus quàm Barbarico in partes innumeras fœdissimè discerpsit.Sic & nouas hęreses in dies cudere, & obsoletas iam multisque seculis sepultas ab orco reuocare non destitit. Quòd si verò quanta rerum inscitia,quàm insulsis & stolidis argumentis(maximè in primis illis huius Apostasiæ annis)quàm lubrica inconstantia,quanta opinionum ac sententiarum varietate,dissonantia,planéque pugna irreconciliabili, quibus fraudibus & technis vsi fuerint,quanta etiã impudẽtia,quo progressu non iam ad vnam reformatam, sed ad quamplurimas deformatissimas religiones ac sectas peruentum sit, vt hanc suam *Susceptam* tãdem aliquando stabilirent, & idolum tam multiceps orbi commendarent, copiosè hic & explicatè dissererem,me quidem dicentem tempus deficeret,vos autem hanc fœdã religionis faciem non tam hęresim quàm Atheismũ,Sathanismum,& merum esse Antichristianismum meritò iudicaretis.Sed hæc in Professionis huius nostræ progressu,Deo dante,præstabuntur.

Vide huius operis lib. 4. cap. 13. F

Quæ sanè ita quum sint; imò longè grauiora, tetriora, & abominanda magis sint, quàm ego aut dixi,aut dicere valeam;quid nobis animi, quid nostri officij esse oportere existimatis?Sanè cum fructum,quem proprium hæreses secum afferre solent,sedulò capere nos conuenit. Sapientissimus enim rerum Moderator Deus, quemadmodum, *Sapientiæ suæ magis congruere vidit,ex malis bona facere, quàm nulla mala esse permittere*, sic magnum hoc hæresis malum non aliter permittit,quàm vt inde bonum faciat. Videre autem quale & quantum bonum. Sicut enim animi vis seu facultas duplex est,intellectus & vo-

Qui ex hæresi fructus capiendus.

August. Enchirid. cap 27. & de ciuitat. Dei lib. 22. cap. 1.

A & voluntas; ita vtrique facultati ex vno hæresis malo, ingēs bonum accessit. Nam quum
intelligentiæ auctum lumen prudentiores, voluntatis ad virtutem capessendam incita-
tio maior, meliores nos faciat, ipsius hæresis fructus hic est, vt illa & diligenter inspecta
cautiorem & fortiter superata illustrem Orthodoxum reddat. Mirabili sanè Dei consi-
lio, vt quum hæresis omnis, insigni Sathanæ fraude ad fidem euertendam, & Charitatē
radicitus extirpandam, adinuenta & inuecta sit (sicuti modo demonstrauimus) contrà,
& ad illam magis stabiliendā, & ad hanc illustrius cōmendandam, hęresis valeat. Ac de *Pietas per hæreses magis elucescit.*
posteriori quidē isto, apertè per Apostolū spiritus sanctus dixit. *Oportet hæreses esse, vt qui*
probati sunt inter vos, manifesti fiant. Nemo enim æstimet bonos posse de Ecclesia decedere (ait B. Cy *1. Cor. 11.* *In lib. de vnitate Ecclesiæ.*
prianus) *Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes*
paleæ tempestate iactantur, Inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Vt in fornace aurum,
sic in hæresi Catholicus probatur. Turbata aqua sordes despumat, & purior post agita-
tionem efficitur.

Hic itaque vnus hęresis fructus est; vt quanto hæretici sceleratius religionem omnem
dissipant & conuellunt, tantò nos mordicus magis & constātius auitam fidem comple-
ctamur, nec ab ea nos diuelli aut minis aut blāditiis, aut vi aut dolo sinamus. Nulla enim
maior laus quàm in media hæresum procella, immunem te ab hæresi seruare. Gloriatur
in Domino S. Hieronymus, *quòd ab ipsis incunabulis Catholico esset lacte nutritus.* Et addit. *Ne-* *In epist. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Orig.*
mo magis Ecclesiasticus est, quàm qui nunquam hæreticus fuit. Similiter & sanctissimus Basilius.
B *Licet reliqua*, inquit, *vita nostra digna sit cuius gratia ingemiscamus, tamen de hoc vno in Domino*
gloriari ausim, quòd nūquam falsas opiniones habuerim de Deo, neque aliter sentiendo, animi iudicium
in fide mutauerim. Præclara sanè laus, illa maximè ętate, in qua prærer Eunomianorum, *Epist. 79.*
Macedonianorum, Nouatianorum sectas & schismata, *totus pene orbis* (vt scribit Hierony- *In dialogo aduersus Luciferianos.*
mus) *se ingemuit Arrianum.*

Alter est idémque amplissimus, & huic magis loco proprius fructus, vt quanto se fal- *Orthodoxa fides per hæreses magis illustratur.*
sitas obtrudit magis, tanto clarior & illustrior elucescat veritas. Nempe faciunt omnes
hæreses, vt in controuersiam vocata dogmata, accuratius examinentur, examinata for-
tiùs confirmentur: confirmata illustrius commendentur, sic denique commendata fir- *Epist. 105.*
miùs retineantur. *Hæreticorum quippe inquietudine* (ait S. Augustinus, vir vnus vel maximè
illam expertus, & in ea compescenda exercitatissimus) *vt scripturas vigilantius perscrutemur,*
vnde nos ouili Christi noceant, illis posit occurri, tanquam de somno ignauiæ nostra excitatur industria.
Ita per multiplicem gratiam saluatoris etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit
in adiutorium. Hæc ille. Rursum alibi. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum* *In lib. de vera Religione c. 8.*
Callida inquietudine exagitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & in-
telliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio discendi existit oc-
casio.

Hęc ille de Ciuit. Dei lib. 16. cap. 2. *Vtamur ergo hoc diuinæ prouidentiæ beneficio* (vt monet ali- *Enarrat. in Psal. 54.*
bi idem celeberrimus doctor) *vtamur hæreticis, non vt eorum approbemus errores: sed vt Catholi-*
cam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiam si eos ad sa-
C *lutem reuocare non possumus. In hoc enim prosunt, quòd ad verum quærendum, carnales Catholicos, ad*
verum aperiendum Spirituales excitent. Quod quidem ita se habere, quis hodie non videt?
Quàm multa nunc intelligimus, cernimus, palpamus, quæ quidem antè Controuersias
has natas, ne per somnium quidem cogitabamus? *Nunquid perfectè de Trinitate tractatum*
est (ait Augustinus) *antequam oblatrarent Arriani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum est,*
antequam obsisterent Nouatiani? Nunquid perfectè de baptismate tractatum est, antequam contradi-
cerent foris positi rebaptisatores? Sic, & multò sanè magis, de dogmatibus illis omnibus, quæ
ab hæreticis hodiè impugnata modò commemoraui, perfectè nunquam disputatum
& tractatum fuit, antequam illa dogmata in Controuersiam isti foris positi Prote-
stantes vocassent. Et hoc sanè sensu verum est, quod veritati Euangelicæ lucem
magnam præsentes Controuersiæ attulerunt: non quòd hoc nomine hæreticis ipsis
aliquid debeat Ecclesia (vt vanissimè Confessionis Augustanæ architecti aliique
Protestantes gloriantur, multum scilicet ipsis debere Ecclesiam Dei, de illustratis *Protestantium vana iactatio.*
multis doctrinæ Euangelicæ articulis, &c.) sed quòd ipsius veritatis natura illa
est, Deique pariter sic eam ordinantis prouidentia, vt ex contradicentium hæreti-
corum inquietudine, mutuóque conflictu magis illustretur veritas: ipsius videli-
cet veritatis Magistris magis euigilantibus, & tum indagandæ tum explicandæ ve-

In lib. contra Donat. post Collat. c.34.

veritati ſollicitiùs incumbentibus. Itaque vt olim Donatiſtis Auguſtinus, ſic nos Prote- D
teſtantibus hanc vanam laudem & gratiam aucupantibus, reſpōdemus. *Non ipſis ſed Deo hinc potius agimus gratias. Vt enim hæc omnia* hæretici *vel loquendo vel legendo* vel diſſerendo vel ſcribendo, *pro cauſa noſtra* magis illuſtranda *promerent atque propalerent, veritas eos torſit, non charitas inuitauit*. Eſt ergo iſtud orthodoxæ doctrinæ (licet ex mala cauſa) præclarum adiumentum, & totius literaturæ ſacræ ampliſſimum ornamentum.

Controuerſiarū Doctrina quam vtilis.

Nulla verò eſt diſciplinæ Theologicæ pars, quæ ex præſentium Controuerſiarum diligenti tractatione vehementer nō illuſtretur, & exornetur. Etenim ſi ſcripturas ſpectes,
1. quum illa *Scripturarum loca diligentiſſimè memoriæ mandanda ſunt*, (vt ſalubriter monuit Au-
Tract. 2. in epiſt. Ioan. guſt.) *quæ contra præſentes hæreſes valent plurimùm*, quantā ediſcendis optiméque Intelligendis ſcripturis, occaſionem hæc Controuerſiarum tractatio ſuppeditabit, quum nulla nō
ſcripturæ loca hæreſes hodiernæ aliqua ex parte contaminarint? Quòd ſi dogmata &
2. ſcolaſticam palæſtram conſideres, quàm varia, quámque crudita & vtiliſſima exercitatio ex his tibi Controuerſiis, quum de peccato originali, totáque hominis Chriſtiani
3. iuſtificatione agetur, depromi poteſt? Ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ accuratā cognitionem ſic præſentes Controuerſiæ inuitant, vocant, impellunt; vt qui in iſtis ſtudioſè verſatus
fuerit, illius peritiſſimus euadat neceſſe ſit. Nec enim ſine maxima & locupletiſſima re-
4. rum hiſtoricarum ſupellectile conquiſita, perluſtrari & diſcuti præſentes Controuerſiæ poſſunt. Ad lingarum ſtudium ſic te excitat Controuerſiarum examen, vt nunquam te hodie theologum & Orthodoxiæ Aſſertorem ac vindicē profiteri ſatius ſit, quàm abſq; trium linguarum ſaltem mediocri cognitione, ad eius vel tractationem publicam, vel E
diſciplinam accuratam accedere.

Quæ ſanè eo loco quum ſint; optimè illi ac præclariſſimè de Republ. hac Belgica, ac de iſta præſertim celeberrima Academia Duacenſi meriti ſunt; qui nouo quidem ſed neceſſario & ſaluberrimo inſtituto, Controuerſiarum Profeſſionem in ſchola hac theolo-

Profeſſionis Cōtrouerſiarum Neceſſitas.

gica erexerunt. Neque enim omnibus vel integrum vel tutum eſt, imò ſaluberrimis decretis interdictum eſt, ipſarum hæreſum fontes & origines, ipſáque pernicioſiſſimorum librorum Authentica inſpicere; vel etiam dogmata Controuerſa per ſe priuato vnumquemque ſtudio expendere, tractare, conuincere.

Nec tamen tanta peſtis curari non debuit, quæ in intimis Reipubl. viſceribus graſſatur, & ſerpit tanquam cancer, clanculū ſe inſinuans, inſidioſè blandiens, à leuioribus incipiens, ad ſupremam impietatem propellens. Itaq; vt olim cōtra philoſophos Chriſtianā fidē miro ſtudio exagitantes, & variis ſtrophis ac ſophiſmatibus orthodoxæ fidei ſimplicitatem ac puritatem contaminantes (vnde *omnium hæreticorum Patriarchas*, Philoſo-

In lib. de præſcript.

phos appellauit Tertullianus) nobilis ſchola Alexandriæ erecta eſt, cui diutiſſimè præfuerunt nobiliſſima Eccleſiæ lumina Pantænus, Clemens, Origenes, Dionyſius, & alij; ita hodie contra hæreticos omnem fere religionis orthodoxæ partem vellicātes, vndique oggannientes, ſapienti conſilio hæc Controuerſiarum profeſſio inſtituta eſt; quæ illorum fraudes omnes in ſingulis Controuerſiis aperiret; Orthodoxiæ partes omnes ſo-

Profeſſionis Cōtrouerſiarū multiplex vtilitas.

lidè defenderet; paſtores animarum ſaluberrimè contra ouium certiſſimam peſtem inſtrueret; ipſas oues egregiè contra hæreſes muniret, Sacræ paginæ ſententias ab illorum deprauationibus vindicaret; ſuúmque verbo Dei verum atque germanum ſenſum reſtitueret, Hiſtorias, Patres, Concilia, & vniuerſam purioris (vt loquuntur) Eccleſiæ Anti- F
quitatem, pro Orthodoxia ſtare demonſtraret.

Ad quam ego his diebus, vtriuſque Senatus Academici & Ciuici iudicio, aſſumptus; quid operæ ac ſtudij præſtare, quem fructum afferre valeam; equidem incertum habeo. Illud tamen vnum conſtanter aſſeuerare non vereor: ſi quid in re theologica valeo, poſſum, intelligo; id me in hoc diſciplinæ genere potiſſimùm ſcire & intelligere.

In quo quidem genere, vt aliquid ſcirem, Sanctæ Theologiæ ſtudium ab ineunte ętate ſponte amplexus ſum; vt haberem ſanè, quo orthodoxam fidem in qua puer natus ſum, aduerſus circumlatrantes hæreticos in medio quorum educatus ſum, ſtrenuè defenderem. Neque verò minor mihi nunc voluntas adeſt, eam alios docendi, atque aduerſus Eccleſiæ hoſtes propugnandi ſtudium, quàm olim aderat eam priuatim diſcendi. Imò certè (vt quod res eſt, dicam) libentiſſimè id doceo, quod olim auidiſſimè didici. Hæc eſt enim profectò illa ſcientia quam ſemper ſine ſimulatione didici

&ſine

A & fine inuidia communicaui. Quaptopter si in hac obeunda prouincia, voluntatis propensio alacris quicquam valet (quæ in rebus arduis præstandis vel maximè valere solet) eam certè in me maximam & vehementissimam hic adesse existimetis velim. Quum enim in hac professione, duo potissimum spectare (ni fallor) Professor debeat, primùm hæreticos quàm maximè traducere; eorum fraudes, mendacia, & imperitiam, blasphemias, & errores, & id genus alia aperire, ostendere, & demonstrare; arguere & refutare: deinde Auditorum, & præsentis temporis necessitati, atque vtilitati in toto docendi genere hæc omnia accommodare; illud profectò semper libétissimè feci, istud eò nunc libentiùs faciam, quãto me huiusmodi Auditores habere certius intelligo, qui nihil prius nihil antiquius habent, quàm in orthodoxa & Catholica fide (nequicquam vndique circumlatrantibus hæreticis) sanos & integros persistere: alios etiam vt idem præstent, docere & mouere posse. Itaque omnia de nobis optima sperare licet. Faciet profectò vestra in audiendo sedulitas & assiduitas, vt ego in docendo minimè futurus sim piger aut perfunctorius.

Dixi.

B DE CAVSA GRASSANTIVM HAERESVM.

Oratio in Licentiæ Theologicæ Comitijs habita.

VÆ sunt (Auditores) in omni genere bonorum & malorum, siue animi, siue corporis, siue fortunæ, fælicitatis & infælicitatis humanæ partes. In bonis quidem altera pars in conquirendis, in conseruandis altera versatur. Similiter in malis prima fælicitas est, in ea nunquam incidisse, altera, vbi incideris, quam celerrimè te inde expedire. Ex malis verò & bonis ea, quę ad animum spectant, primo loco haberi, omnium sententia est. Inter animi porrò bona & mala, præcipuũ quoque illud esse, quod ad Religionem & Dei cultum attinet, nemo dubitat. In ipsa autem Religionis & diuini cultus ratione, quum multa quoque illa complectatur, fidem sanam primum locum obtinere, etiam extra controuersiam est. Siquidem *sine fide impossibile esse placere Deo*, nemo fidelis ignorat. Ergo in hoc toto genere summum bonum esse rectam fidem, summum malum deprauatam, quam hęresim vocamus, pariter in confesso est. Ad Heb. 11.

C Aliquid ergo ex hoc loco de more hodie dicturus, & ea dicere volẽs quæ cum aliqua publica omnium nostrũ vtilitate & fructu essent coniuncta, de ipsa Hęresi suprema quadam animi peste atque pernicie dicere institui. Non quidem ipsam definiẽs, aut eius vel turpitudinem describens, vel quę eam consequuntur mala enumerans, sed duas illas circa hoc grãde malum infælicitatis partes persequẽs, primùm de hoc tanto malo penitus à nobis auertẽdo differam, quæ prima fælicitas est: posteriùs de eo, si fortè irruerit excutiẽdo, agam: hoc est, de illa ineunda ratione, quæ inter medias hęreses tutus ab hęresi viuas, quæ altera fælicitas est. Vtrumque sanè ex occasione cãdidati huius nostri hominis Angli, qui inter medios hęreticos natus, institutus, edoctus, omnibúsque & amicitiæ, & affinitatis, & fortunę vinculis astrictus; quum prima illa fęlicitate gaudere nõ potuit, Hęreses nescijsse, & in gente hæretica non vixisse, saltem secunda potitus est, ab Hæreticis se fæliciter expediuisse. Vtrumque etiam huic loco, & his Auditoribus necessarium.

Quis enim nescit vulgare illud, tum tua res agitur, paries cum proximus ardet: nec importunum esse de incendio extinguendo prouidere, cum in proximo flamma depascit? Imò quis non videt, sic in proximo illam grassari, vt non tam ceruicibus nostris imminere, aut lateribus insidiari, quàm ipsis iam membris nobilissimi huius Belgij insidere, atque in ipsis visceribus, alibi apertè, vbique clanculum grassari cõspiciatur? Vt

taceam ipsam hæresis naturam, quæ talis est, vt nullis se limitibus contineat, nullũ graſ- D
De vtilitate credendi c.14. 2.ad Tim.2. sandi finem faciat, donec totum complcat orbem: tum quia *indomita propagandi nominis libidine laborat*, vt notauit Augustinus, tum quia *sermo eorum tanquam cancer serpit*, vt docuit Apostolus.

Hæc ergo omnia, si nihil esset aliud, tùm de prima illa ratione, tùm de altero hoc officio etiam apud Catholicos Auditores dicere ac disserere, meritò moueant, vrgeant, impellant. Quanquam sanè ipsa illa ratio auertendæ omnis hæresis talis est, vt si hæc ita se non haberent, satis per se sola doceat, de commercio & fuga Hæreticorum tempestiuè præmonendos esse Catholicos.

Agamus hoc ergo & dispiciamus, quæ sit illa ratio, qua omnis hæresis penitus auertatur, id est, qua fiat, vt nulla Hæresis præualeat, vt nullus seductor persuadeat, vt nullus Pseudopropheta aliquam sibi multitudinem conciliet. Vulgare est; sublata causa, tolli effectum. Quæramus ergo, quæ sit hæresis omnis causa, non dico inueniendæ & excogitandæ ex parte seductorum, sed propagandæ & dilatandæ ex parte populorum. Videamus qui factũ sit, vt hæreses in orbe Christiano aut nunc præualeant, aut olim prçualuerint. Illud enim fortè si sciatur, & eiusmodi sit, quod studio & industria caueri possit, scietur eâdem opera, quid illud sit: quo præstito, nulla vnquam hæresis gentem, aut, populum obtinebit. Istud ergo Oratione hac nostra demonstrare conabimur. Vos diligẽter quæso, quod facitis, attendite.

Multa sanè in medium afferri possent, in quibus grassantium Hæresum causam ponere probabiliter liceat: De quibus etiam singulis copiosè, & grauiter disputare non esset E
difficilè. Sed ne longè abeam, & breuitati studeam, ipsam (ni fallor) huius mali radicem & causam intrinsecã, relictis aliis, quæ fomenta magis, quàm causæ sunt, aperiam. Nempe qui vniuscuiusque hæresis scatebras primamque originem penitus introspicit, aut radices curiosius perquirit, non aliam eius originem, fontem, primumque parentem esse videbit, quàm solam inobedientiam, contumaciam, superbiam. Nam, vt totius veræ Religionis fundamentum est obedientia, & illud quod Apostolus dicit *captiuare in-*
2.cor.10. *tellectum in* [obse]*quium Christi*: ita totius Hæresis initium est inobedientia, & vt Cyprianus non semel monuit, *non aliunde hæreses & schismata nata sunt, quàm quòd Sacerdotibus, Dei vi-*
Lib.1. Epist.3. & li.4.epist.9. *cem gerentibus, ab vniuersa fraternitate non obtemperatur.* Hæc verò animi contumacia in vniuersa fraternitate, quando aut in quibus fratribus, id est, Christianis locum habet? Non sanè in quibusuis Christi nomen profitentibus, qui alioqui carnales & animales sunt. Hi enim habẽt spiritum Dei, licet *ea quæ sunt spiritus Dei, non præcipiant*: quia vel ex ignorantia rerum vel ex carnis infirmitate in multis offendunt.

1.cor 2. cap. vnic. ad Tit.3. Sed ille præfractus animus qui Schisma gignit aut fouet, illi qui *seipsos segregant, sic animales sunt*, (teste Apostolo Iuda) *vt ne spiritum quidem habeant*: *suo* videlicet *ipsorum iudicio subuersi*, vt Apostolus ait. Hæc affectio nisi in summa quadam & penitus deplorata impietate non consistit. Nemo enim repentè fit turpissimus, neque ad singularem illam arrogantiam & tumorem, quę Hæresim vel gignit & in orbem producit, vel productam alit, fouẽtque, nisi certis impietatis gradibus peruenitur. Restat ergo, vt illic dominetur hæresis, vbi regnat impietas, vbi flagitiosè viuitur, vbi completa est malitia. Idque non tam in ijs qui docent impia (quanquam & in ijs quoque) quàm in ijs qui audiunt, & docentibus aurem præbent. Quę sanè omnia si argumentis & exemplis copiosè demõstrare vellem, nimium fortasse prolixus essem. Sed dicam breuiter. F

Matth.24. Saluator in Euangelio cum de futuris hæresibus dixisset, *multi Pseudo prophetæ surgent & seducent multos*: formidandam illam prophetiam, vt loquitur S. Basilius, addit, *& quod-*
Epist.77. *iam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, quasi causam subijciens futuræ seductionis. Nam (quod obseruatione dignum est) per omnes sanè ætates, à nato Christo seductores fuerunt, sed non semper seduxerunt multos: non semper præualuit seductio, quia non semper abundauit iniquitas. Id exemplis ostendam vno aut altero. Hæreses omnes certè præcipuè vel contra Christum Ecclesiæ Caput, vel contra Ecclesiam quod est corpus Christi, aliæ tectius, aliæ apertius, dimicarunt. Sed fuerunt in vtroque genere primum quidem quasi velitationes quædam, postea autem iusta certamina, completa iam hominum malitia. Nam grauissima & teterrima illa contra Christi Saluatoris diuinitatem, hæresis vulgò Ariana dicta, ab Ario quidem cœpit, quo tẽpore maximè grassabatur & vno quasi impetu per vniuersum orbem peruagata est. Non tamen ab ipso

Ario pri-

A Ario primam suam originem traxit, sed longo ante tempore sub Zepheryno Papa, Artemō quidā hæreticus eius fundamēta iaciebat, vt scribit Athanasius in Epist. de Synodis Arimini & Seleutiæ, & cōmemorat Eusebius in historia Ecclesiastica. Eidem quoque hæresi ante Arium Carpocrates, Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenus incremēta dederunt. Hi enim omnes Christum creaturam & tantummodo hominem esse docuerunt vt memoriæ prodiderunt Epiphanius, Philastet, Augustinus, Theodoretus, & alij omnes, qui de Hæresibus scribunt. At præualere hæc execrabilis hæresis non potuit vsque ad Arium, non aliam sanè ob causam, quàm quòd antè Arij ætatem in perpetuo ferè persecutionum exercitio probati & expurgati fideles, pietati (vt fit) & diuino cultui magis sedulò inuigilabant, seseque quasi ad præsentem pro Christo mortem oppetendam comparabant. Certè Christianos homines quum mundus odio haberet, ad Christi fidem, nisi qui mundum cōtemneret, nemo ferè accedebat. Aut si mundi amore imbutus accederet, non difficulter illum deponebat, iuxta illud Cypriani argumentum. *Cum mundus oderit Christianū, quid amas eum qui te odit?* Reddita autem Ecclesiis pace, id est, summa securitate & otio, fræna libidini ac cupiditati laxabant Christiani vt cæteri homines. Refriguit charitas, abundauit iniquitas: & (vt Cyprianus de interuallis tātùm, quasique breuibus induciis pacis Ecclesiasticæ suo tempore datis, conqueritur) *traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corrupit, donec iacentem fidem, & penè dixerim dormientem, censura cœlestis erexit. Studebant*, inquit, *augēdo patrimonio singuli, & obliti quid credentes aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore amplianB dis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina.* Hæc illa, multáque ibi alia in eam sententiam.

Ath. nas. ... — Euseb lib. 5. cap. 27. — Serm. 4. de mortalitate. — Serm. 5. de Lapsis.

Multò autem magis, longéque licentiùs, quo tempore Arius suam hæresim propagare cœpit, libidini & voluptati, laxatæ passim habenæ sunt, quantò securior pax, & trāquillitas certior data Ecclesiis fuit, regnante Imperatore Constantino, nō minus Christianissimo quàm potentissimo. Facta enim tum illa est quam S. Antonius Heremita in reuelatione biennio antè præuiderat (vt in eius vita scribit indubitatus Author Athanasius) *calcitrantium mulorum indisciplinatio, altaria calcibus demolientium, & in Ecclesiis sacra omnia proculcantium.* Illa sanè calcitratio (ait Athanasius) Arianorum impietas fuit, quam in figura prædixit Moyses. *Impinguat, incrassati, dilatati, recalcitrauerunt.* Nam omnis generis impietatem in vulgo Christianorum, maximè ipsorum præsulum, per totum Orientem obtinuisse tum temporis, grauissimè conqueruntur Sancti patres, Athanasius in illa S. Antonij vita, & in Epist. ad solitariam vitam agentes, & Nazanzenus in Apologetico, historia quoque Ecclesiastica passim commemorat, vbi flagitia Arianorum & immanitates leguntur, penè incredibiles. In qua profligata Christianorum hominum impietate, cum perpetua videlicet Ecclesiæ pace crescénte otio, & refrigescēte charitate, aliæ mox contra Christi personam immanes hæreses Nestorianorum, Eutychetarum & Monothelitarum exortæ sunt, & per multas gentes inualuerunt: sicuti & generalia ex toto orbe Concilia contra illas coacta satis loquuntur, & præterea post illa Concilia tum Zenonis ἑνωτικὸν edictum, tùm Epistolę illustrium virorum pro Chalcedon. Con-C cilio, quas ἐγκύκλια vocat Cassiodorus apertè legentibus demonstrant. Nec dissimile omnium flagitiorum pelagus in populo Africano inundasse, quum eam Ariana hæresis potestate Vandalica armata extremis modis affligeret, tectè quidem Victor, & Possidonius in vita Augustini insinuant, copiosè autem & prolixè narrat Saluianus Episcopus Massiliensis. Adeò sanè vt quamuis illa Arianorum rabies fuerit longè truculentissima, tamen si vera narrat Saluianus, minora passi fuerint quàm commeriti, nec flagitiis flagella responderint. At antiquiora ista, magis fortasse obscura sunt maximè cum ita breuiter notantur potius quàm ostenduntur. Aliud exemplum subiiciam magis euidens & illustre.

In vita S. Antonij. — Deut. 32. — Athanas. in epist. ad solit. vitam agentes, & in Apologia ad Constant. — Nazanzenus in Apologetico. — Institutionis diuinarum lect. Lib. 1. cap 11. — Tom. 2. cōcil. — Lib. 3. hist. de persecutione Vandalica. — Saluianus de Prouidentia lib. 7. & 8.

Contra Christi corpus quod est Ecclesia, variæ olim hæreses extiterunt, ex quibus tamen aliæ apertius illam impugnarunt, vt Donatistæ, qui palam profiteri non verebātur, *periisse de toto orbe Ecclesiam, & in sola Africa remansisse*, quam etiam Montanistarum apertam vocem fuisse commemorat August. cont. Faustum. Aliæ tectius sanè & maiori fuco ipsam tamen & ipsius iugulum petebant. Qui enim Ecclesiæ Dei in remittendis peccatis potestatem, vt Nouatiani, ac post eos Luciferiani, eleuabāt: qui Ecclesiæ ritus

August. de vnitate Eccl. cap. 12. — Lib. 32. cap. 17.

leges, dogmata vellicabant, vt Aërius orationem pro defunctis & stata ieiunia; Iouinianus, votum virginitatis, Vigilantius, cultum Reliquiarum atque sanctorum; Iconomachi, imaginum cultum; Berengarius, veritatem Corp. Domini in Ven. Eucharistia; deinde Vvaldenses, Albigenses, Petrus Abalhardus, Almaricus, Henriciani, ac postremò ipse Vvicleff. & Ioan. Huss. qui omnes Rom. Pont. authoritatem, Sãctorum inuocationem, Peregrinationum, ieiuniorum, votorum, cælibatus, sanctissimas leges reprehendebant; hi inquam, omnes & alij illis similes per varias ætates exorti, Corpus Christi, quod est Ecclesia, impugnabant. Sed erant hi omnes velitationes tantum quædam & præludia diaboli, quibus Christianum orbem tantisper exercebat, & ad immanem istã, quam hodie cernimus, Apostasiã potius, quàm hæresim, paulatim manu ducebat. Nam præter Nouatianos & Iconomachos, quorum illi à Cypriani ætate, vsque ad Theodosij secundi Imperium annis 200. plus minus, longa successione perdurarunt, sed paucis tãtùm in locis: hi latissimè quidem per totum Orientem propagati sunt, sed post vnũ aut alterum seculum extincti sunt: reliquæ illæ omnes citatæ Hæreses & sectatores paucissimos habere, & nusquam diu subsistere potuerunt. Nam Aërius *fugatus ab omnibus Ecclesiis, vicis, ac ciuitatibus*, vt scribit Epiphanius, *in siluis cum suis latitabat*. Vigilantius exiguam solam Galliæ partẽ seducere potuit, statim quippè à Hieron. profligatus. Iouiniani hæresis citò, ait August. *oppressa & extincta est, nec vsque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit peruenire*. Berengarius nec sectatores habuit, nec mori in sua sententia voluit. Albigenses circa solum Tolosæ comitatum in Gallia, sicuti & Vvaldenses circa solum Lugdunũ, Abailhardus in sola etiam Gallia sua dogmata propagare potuerũt. Latius paulò serpsit Vvicleffi furor, sed in Anglia statim industria Henrici 5. Anglorum Regis nobilissimi sopitus est, in sola Bohemia inualuit.

Heres. 75. / Ad quod vult-Deum. Hær. 82.

Quæ autem huius rei causa est, quòd eædem hæreses, quæ nunc quidem totũ Christianum orbem peruagarunt, & ingentes populorum multitudines in suam insaniam pertraxerunt, olim & in tam paucis locis restrictæ, & tam citò extinctæ fuerunt? Certè non minus olim argumentis veteres illi hæretici egerunt, quàm hodie nostri. Eadem sunt apud Epiphanium Aërij argumenta, contra orationem pro defunctis & stata Ecclesiæ ieiunia, eadem apud Hieronym: contra reliquiarum cultum Vigilantij scommata; Eadem apud eundem Hieron. & August. in lib. de sancta Virginitate, Iouiniani contra virginitatis meritum obiecta, quibus hodie hæretici vtuntur: eadẽ Berengarij fraus & impietas, quæ hodie Zvvinglij: nec alia Vvaldensium, Albigensium ac ipsius Vvicleffi arma & tela sunt contra Rom. Eccl. eiúsque potestatem, leges, ceremonias ac ritus (sicuti apud D. Bern. Thom. Vvaldensem, Petrum Cluniacensem, Lanfrancum, & alios videre est (cum iis quibus hodie Lutherani, Caluinistæ, cæteráque huius ætatis portenta vtuntur. Eadem quoque à Catholicis hodie Doctoribus & Scriptoribus sedulitate, eruditione, constantia ipsis hæreticis responsum est, quibus olim veteribus, ne dicam maiori. Siquidem & ipsorum veterum Doctorum argumentis & armis pugnatum est, & aliorum inuentis multa sunt addita. Quod tam immensa varietas Scriptorum hodie Catholicorum de rebus controuersis locupletissimè testatur. Cur ergo persuasit Lutherus, præualuit Caluinus, & derisus est Vigilantius, explosus Iouinianus, contemptus Aërius, repressi, sopiti, extincti cæteri omnes? Quæ tanti discriminis tantæque rerum discrepantiæ causa esse potest? An Christus olim Ecclesiæ suæ adfuit, nunc deest? At disertè promisit, se affuturum illi *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. An quia Pastores fortasse officium non fecerunt, oues necessario errarunt? At clamat Apostolus, *dedisse* Christum *Pastores, Doctores*, &c. non frustrà, sed *ad consummationem Sanctorum, ad ædificationem Corporis Christi*; non ad certas ætates & momenta temporum, sed *donec occurramus omnes in vnitate fidei*, &c. An docuerunt fortasse quæ recta sunt, sed ob improbam & flagitiosam ipsorum vitam, minus illis creditum, minus obtẽperatum est? At disertè præmonuit Saluator: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere*. Et rursum, *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*. Quæ ergo tandem causa est, quod anteactis seculis exierunt Antichristi multi, surrexerunt Pseudoprophetæ, fuerunt seductores quos iam cõmemorauimus: sed quod Christus adiunxit, *& seducent multos*, nunc demum hac nostra ætate factum est, antea factum non est? Non est inquam, antè tam vbertim & copiosè factum nec ita peruagatum malum. Quid alias causas quærimus, quid moras nectimus & declinamus cor nostrum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis? Non

Matth. vlt. / Ephes. 4. / Matth. 23. / Luc. 10.

A Non alia causa quærenda est, quàm quæ à Saluatore subiecta est. *Quoniam abundauit iniquitas, & refrigescet charitas multorum*: Non alia quàm quæ in veteri populo persecutionũ & vastationum, quas à gentibus pertulerunt, causa fuit. In his enim omnibus clamarũt Prophetæ: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Et illę persecutiones typus erant hæresum noui Testamenti. Nostri enim Idumei, Philistei, Assyrij, qui *ad alienos Deos nos vocant quos non coluerunt Patres nostri*, sunt hæretici. Propterea hanc etiam propagandæ olim hæresis causam Apostolus apertissimè pronunciauit. *In nouißimis*, inquit, *diebus instabũt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum magis amatores quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Hi enim resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Hæc Apostolus. Satis clarè ostendit, quales homines futuri essent qui resisterẽt veritati, & qualia tunc tempora. Quòd ergo præualeat hæresis, siue contra Christum, siue contra Ecclesiam: siue contra caput, siue contra corpus, non alia causa est, quã quòd in toto fidelium populo abundat iniquitas, refrigescit charitas, consenescere iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicum est. Inter adulteros erubescit castus, & in turba vitiorum locum habere virtus non potest. Isaiæ.59. Deut.31. 2.Timoth.3.

Quanquã in hac etiã vitiorũ fœda colluuie discrimen quoddã obseruare licet. Nam illis hæresibus quæ Christum Dominum & Caput petebant, quia ad intellectum magis B & ingenium, quàm ad vitæ morumque rationem illæ pertinebant, erãtque quæstiones arduæ arte & studio inuestigandæ, stabat à parte Sacerdotum & Pontificum potius hęc impietas, quàm à parte populi. Illorum enim contentione, inuidia, & superbia factũ est, vt hæreses illæ contra Christi personam præualerent, spectantibus potius, quàm approbantibus populis, suósque magis Episcopos sequentibus, quàm doctrinas illas nouas, sanæ & orthodoxæ veteri fidei sua sponte & electione præferentibus. Quas enim ipsi quæstionem lites non capiebant, propter ipsos assertores, & cum ipsis defendebãt. At verò quæ contra Ecclesiæ potestatem, leges, dogmata, exortæ hæreses sunt, quia ad vitã & mores immediatius spectabant, & quandam in tota cultus ratione libertatẽ seu licentiam potius inuehebant; vt illæ præualerent, stabat à parte populi & ipsius vulgi hæc tota ferè impietas. Et ex Episcopis ipsis ac Ecclesiæ Pastoribus paucos sectatores habuerunt, à priuatis potius, & aut laicis, aut in nulla Ecclesiastica dignitate constitutis hominibus promulgatæ: Quod in nostri temporis hæresibus manifestissimum est. Sunt enim popularia ferè omnia, mollia, dissoluta, & carni placentia, quæ hæc nostri temporis in orbem inuexit hæresis. Nullis orationum, ieiuniorum, vigiliarum legibus astringi: nullis Sacramentorum, ceremoniarum, obseruationum finibus contineri: nullam pro peccatis pœnitentiam subire: in bonis operibus nullam salutis partem ponere: in sola fide seu fiducia potius ac præsumptione superba, vniuersam salutem collocare. Ipsam verò veri nominis fidem tam liberam & laxam statuere, vt nullis Conciliorum, Pontificum, Patrum, temporum, locorum aut totius Ecclesiæ Decretis, placitis, sententiis, præiudiciis, vsu, aut consuetudine, aut teneri, aut instituí, aut diri- C gi se patiatur: sed soli Verbo scripto innitatur: & hoc ipsum Verbum scriptum pro canonico & legitimo verbo Dei probent ac recipiant quod velint: probatum denique ac receptum exponant vt velint. Quæ sunt popularia, mollia & placentia, si hæc non sunt? Et putabimus, vt hæc tam placentia & popularia passim ita obtinerent, totque sectatores reperirent, aliam causam subesse potuisse, quàm ipsius populi corruptelam ad omne scelus proiectam, & totius iniquitatis abundantiam? Hodierna hæresis genius.

Sed ab hac nostra oculos tantisper auertamus, & ipsius hæresis naturam in vniuersum inspiciamus. Nam de ea agi cæptum est, vnde in hanc nostri temporis paulatim se deflexit oratio. Dico igitur, omnis hæresis hunc genium quendam esse, vt non nisi in profligata & conclamata hominum impietate præualere, aut totas gentes diutius obtinere vnquam possit. Moyses ille de futuris Pseudoprophetis populum moniturus, *si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba illius: quia tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrùm diligatis eum ex toto corde vestro, an non.* Videmus hîc manifestissimè ideò permissos à Deo falsos prophetas, vt tentaret Dominus an toto corde eum sui diligerent. Quod quidem si fieret, si Deut.13.

Ephes.3. *habitante Christo in cordibus eorum per fidem*, in *charitate radicati & fundati* (vt Apostolus loquitur) ab omni impietate immunes essent, surdo caneret Pseudopropheta ille. Cōtrà si in homines impuræ vitæ Pseudopropheta incideret, nullo negotio in sua retia pertraheret. Ne verò in nostris noui Testamenti Pseudoprophetis hoc locū nō habere existi-
2.Petr.2. mes, præter id quod Apostolus Petrus futurū dicit, vt *quemadmodū erāt Pseudoprophetæ in*
Matth. 7. *populo, sic & in nobis erunt*, & quòd passim in Euangelio Pseudoprophetarum nomine hęretici notantur, disertis verbis Apostolus Paulus prædixit, idcirco *oportere hæreses esse, vt*
1.Cor.11. *qui probati sunt in nobis, manifesti fiant*: hoc est, vt palam innotescat, qui verè ad corpus
1.Ioan.2. Christi pertinebant, qui & nomine & re Christiani essent. Et propterea de iis qui per Schismata exeunt, ait Ioan. *Non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique*
2.ad Tim.2. *nobiscum*. Si viua & electa membra essent, habentes signaculum hoc, *recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini*: omnes Hæreticorum voces tanquam Sirenum cantus surdis auribus præternauigassent. Ex qua Apostolica doctrina edoctus Sanctus
De vera religione cap.5. Augustinus grauiter & verissimè scripsit, *ex his hominibus hæreticos fieri, qui si in Ecclesia permansissent, nihilominus errarent*, id est, per sceleratam vitam perirent. In quam etiam sentē-
Lib. de vnitate Ecclesiæ. tiam eleganter Cyprianus, *Nemo*, inquit, *æstimet bonos posse de Ecclesia decedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactan-*
Matth.7. *tur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur*. Nempe veri nominis Christianus, *qui audit verba Dei & facit ea assimulatur* in Euangelio *ei qui ædificat super Petram qui* Christus est, in eo solo spem ponens, ei soli adhærere pro summo bono habens. Hunc tempestas nō concutit; hic nullo nouæ doctrinæ vento rapitur. Hic vocem alienorum non audit. E
Ideóque Saluator, vbi monuisset attendere à falsis propheris, statim hanc parabolam subiecit. *Qui verò audit verba Dei, & non facit, hic ædificat domum suam*, id est, fidem suam *super arenam*, id est, lubrica & caduca huius mundi, conformans se huic seculo nequam &
Rom.8. viuens *ex prudentia carnis quæ legi Dei subiecta non est*. Et omnis huiusmodi, *quam descendit pluuia, & flauerunt venti*, quum tentat Pseudopropheta & nouæ doctrinæ ventus spirat, *cecidit domus eius & facta est ruina eius magna*. Horum ergo hominum multitudo quo maior est, quo grandior palearum numerus, eò proficiunt seductores magis, eò grauius propagatur Hæresis.

Hanc sanè ob causam Spiritus Sanctus in diuinis scripturis non tam Pastorum & Sacerdotum vel improbitati, vel inscitię, quàm ipsius populi cupiditati, seu morum, seu fidei in Ecclesia Dei corruptelam vitio vertit. Hinc Ieremias, quum dixisset, *Prophetæ prophetabunt mendacium*, quod ad ipsos seductores seu Archihæreticos pertinet, addit: *&*
Ierem.5. *Sacerdotes applaudebant manibus suis*, id est, inuenerunt Doctrinæ suæ præcones: sed & præterea adiunxit, *& populus meus dilexit talia*, quasi dicens: nisi primis seductoribus alij scelerum ministri accessissent, nisi populus dilexisset talia, illa vtique mendacia minimè præualuissent. Quid quod Esaias vniuersam huiusmodi malorum causam soli populo
Esaiæ 30. tribuere videtur? *Populus*, inquit, *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea quæ recta*
2.Timot.4. *sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores* Nec dissimiliter Apostolus Paulus. *Erit*, inquit, *tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt, sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* F
Planè cum Propheta Apostolus hoc docet, pruritum aurium in populo, & cupiditatem errorum, ipsis erroribus viam strauisse; imò, vt illi præualerent in tota causa fuisse. Fit
Esaiæ 1. enim vt *propter peccata populi dentur pueri principes eorum, & effeminati dominentur eorum*.
Oseæ 1. Quod Esaias pędixit. Vel vt Oseas cap. 1. expressius monuit, *Erit sicut populus, sic sacerdos*, vt propter populi præcedentia flagitia, impius pòst præficiatur sacerdos, quasi dignum patella operculum, vel potius aptum flagitiis flagellum. Sed ad iudicium Dei illud, non ad hęresis naturam spectare dixeris. Fateor id quidem, eò tamen spectat (quod ad rem præsentem satis est,) vt hæresis incrementum à populi vitio ortum cepisse ostendant. Qua quidem in re vt Dei iudicia occulta & mirabilia, iustissima tamē sæpe exercentur, proximam tamen factæ seductionis causam ab ipso populo, qui seductoribus aurem præbere voluit, profectam fuisse negari non potest. Quod sapienter Augustinus
De baptism. contra Don. lib.4.ca.19. contra Donatistas olim notauit. *Sic fiunt*, ait, *hæreses & Schismata, quum dicit plebs carnalis quæ in charitate Dei fundata non est, ibo post amatores meos, cum quibus vtique siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ turpiter fornicantur. Nisi enim seductores isti à plebibus*

seducta

A *seducti vicissim seducerentur, quum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi, vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur, propter sacramenta & scripturas quas tenent ad speciem, non ad salutem: nunquam profectò ipsi seductores hæc sibi tanta ac talia arrogarent.* Hæc Augustinus ipsum reuera totius hęresis fontem digito demonstrans & graphicè depingens. Etenim quam aliam vniuersę huius, quam cernimus in Germania, Gallia, Anglia, multisque aliis in locis cuiusdam quasi desolationis & Apostasiæ potius, quàm hęresis causam hodie extitisse arbitramur, nisi quòd ad voces leuissimorum hominum & impurissimorum nouas doctrinas asserētium, statim sequutus est applausus populi, statim *captiui abducti sunt*, non solùm mulierculæ, sed & viri *onerati peccatis, qui ducuntur variis desideriis*. Nempe populus *dilexit talia*, populum delectabat, contra Clerum & Ecclesiæ Principes aut audire, aut dicere aliquid noui, *pruriebat auribus populus, dicentes in cordibus suis, loquimini nobis placentia.* Nisi enim populū ipsum non tam obsequentem, quàm ad huiusmodi anhelantem, nec tam improbos duces sequentem, quàm ipsos ad se duces pellicientem ac prouocantem, & istam quā vocant Euangelicam libertatem vltrò appetentem, ac auidissimè sitientem, seductores isti inuenissent, vt inuicem etiam ipsi ab hoc applausu populi seducerentur, iam olim cum suis antecessoribus Iouiniano, Berengario, Vvicleffo & aliis hæc hodie hæresis damnata ac sepulta iacuisset, nec tam nobiles in Ecclesia Dei strages edidisset.

2.Timo.3.

2.Tim.4.

Quæ quidem omnia ne vel ex stomacho, vel leui aliqua coniectura dicere videar, B Ecce afferam in medium primum illum horum temporum Seductorem, ac totius huius factionis Ducem, Schismatis Antesignanum, Hæresis authorem, damnatæ memoriæ Mart. Lutherum, hoc ipsum, quod dico, sua sponte asserentem, vt habeatis confitētem reum. Etenim commemorans ipse in præfatione priore operibus suis præfixa, quasique historiam texens initij & progressus doctrinæ suæ, & successus in ea (vt ait) diuinitus dati, primùm *casu se, non voluntate aut studio, in has controuersias incidisse, Deum testans asseuit.* Deinde *suspensis*, inquit, *animis expectabant omnes euentum tantæ rei, quam nullus ante me nec Episcopus, nec Theologus ausus esset attingere. Fouebat autem me vtcunque aura ista popularis, quòd in visa iam essent omnibus artes & Romanationes illæ quibus totum orbem impleuerant.* Hæc illæ ibi: Rursum in altera præfatione: *Vnus*, inquit, *eram per imprudentiam in istam causam lapsus, quum non liceret referre pedem. Sed hic multi boni viri meas propositiones extollebant.* Hinc scilicet illæ lachrimæ, hæc totius fundi nostri calamitas, nouatori Luthero tam facilè aures præbuisse: Romanæ Ecclesiæ insectatori, propter cæcum & præiudicatum eius Ecclesiæ odium, statim applaudisse, & Ioannem Pæan cecinisse. Sed qui tandem hoc factum est, vt Lutheri popositiones hominibus tum placerēt? Causam reddit ipse Lutherus. *Inuisæ*, inquit, *iam erant omnibus artes, & Romanationes illæ* Hoc est dicere: Corruptę iam erant hominum mentes cæco & prępostero odio, Rom. Curię, non distinguere valētium, inter abusus & inter rectum rerum optimarum vsum: inter auaritiam & scelera priuatorum hominum, & inter publica & necessaria Reipub. munera: denique inter vitam & mores hominum, & inter doctrinam & voces Pastorum. Postremò, iam antequam Lutherus loqueretur, erant homines Lutherani. i. hostes Ecclesiæ Dei. Iam enim exarerat, & refrigerat charitas, *in qua radicati & fundati* esse debebant: illa inquā charitas, quæ *non deserit frumenta propter paleas*: illa charitas, propter quam *alter, alterius onera portare iubemur*: illa charitas, *quam non habet nisi qui diligit Ecclesiæ vnitatem*; illa denique charitas seu amor, & reuerentia Pastoribus debita, de qua dicit Saluator, *quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Hæc sola charitas, quæ *sola facit discrimen inter filios Dei, & filios Diaboli*, quia in multorum cordibus tunc non fuit, inuenit quibus persuaderet Lutherus. Hæc eadem in quibus hodie non est, inueniet si quando loqui liceat, & hic, & quouis alio in loco, quibus nullo negotio persuadeat Lutheranus quispiam, aut alius seductor quiuis, etsi alioqui homo is sit siue indoctissimus, siue impurissimus. Nec enim huiusmodi homines aliud faciunt, quàm arefactis iam lignis paleis, & stipulis, ignē admouere. Follibus & flabellis non est opus. Sine impetu, sine impulsu accenditur hæresis, vbi semel refriguit charitas: vbi super fundamentum non aurum, & argentum bonorum operum, sed fænum, ligna, & stipulæ operum carnis superextruuntur. Imò absque apposito extrinsecus igne, absque seductoris opera, huiusmodi paleæ sæpenumero ex semetipsis concipiunt flammam, excitant discordiarum incendia, recedunt è grege, Pastorem deserunt; schismata faciunt. Quot hodie homines absque seductoris alicuius

Lutherus in Prafat. priore operum Vvitteberga excus. an.1558.

C (margin at "tas, quæ non deserit…")

Ephes.3.
August. serm. 18. de verbis Domini.
Gal.6.
Aug. de bapt. contr. Donat. lib. 3. cap. 16.
Tract. 5. in Epist. Ioan.

opera,nec audito aliquo pſeudoprædicante,nec lectis Proteſtantum libris,nec Principum metu impulſi,ſed contrà à Catholicis Paſtoribus diligenter inſtituti,ex fama tantum Euangelicæ huius libertatis illecti,& attracti,ex ſolo odio Eccleſiæ Dei incitati,& impulſi,ſub Catholico Principe fœliciter agentes,exierunt tamen,& Schiſmati hodierno ſeſe adiunxerunt? Quod niſi domeſtica huius Belgij exempla,nimis apertè,& luculenter oculis noſtris ſubiicerent,eſſet fortaſſe aliquot exemplis demonſtrandum. Non ergo vel ex ipſis nouæ huius doctrinæ aliqua probabilitate,vel ex ipſorum pſeudoprædicantum aut eruditione aliqua ſingulari,aut ſanctitatis ſpecie (quæ duo ſimplicioribus, aut infirmioribus, facilè imponunt) ſed ex ſola iſta carnalium hodie hominum, & palearum ac ſtipularum multitudine ingenti, ex completa hominum malitia factum eſt,vt tot hodie gentes,hæreſis iſta carnalis peruagata ſit. D

Quod ſi cui adhuc minus probabile videtur,reſpiciat ille mihi tantiſpet, proximos Maiorum noſtrorum ætates:reuoluat Eccleſiæ hiſtoriam ab annis ducentis, trecentis, quadringētis. Meminerit grauiſſimas Germanorum,Gallorum, Anglorum, & aliarum gentium querelas,contra Rom. Curiæ (vt illi dicebant) auaritiam, ambitionem, tyrannidem. Legat acerbiſſimas Imperatorum quorundam offenſiones,contra ſui temporis Romanos Pontifices,Friderici Barbaroſſæ,& Henrici 2. Anglorum Regis contra Alexandrum 3. Henrici 4. contra Gregorium 7. Hildebrandum dictum. Henrici 5. contra Paſcalem 2. Philippi contra Innocentium 3. Ludouici 5. Bauari contra Ioannem 22. & Philippi Pulchri Gall. Regis contra Bonifacium 8. Ioannis Anglorum Regis contra Innocentium 3. Videat deinde ſcriptas à viris doctis his de rebus querimonias graues, acerbas,amarulentas, pro Imperatorum iure (vt illi aſſerebant,) contra Romanos Pontifices,vt Leodienſis Eccleſiæ prolixam Epiſtolam,contra Paſchalem 2. Venerici Vercellenſis Epiſcopi contra Gregorium 7. pro Henrico 4. Dantis Aligerij de Monarchia libros tres. Marſilij Patauini Defenſorium pacis, aliáque permulta Guilielmi Occam ſcholaſtici,Nicolai Cuſani Cardinalis,Ioan. de Parrhiſiis Doct. Theologi,ſcripta in lucem edita. In quibus omnibus contra Rom. Curiæ vitia,abuſus,& tyrannidem, (vt illi loquuntur) magna & mali exempli libertate diſputatur. Nec tamē iſti vel Imperatores, vel Scriptores alioqui Catholici,à Rom. Eccleſiæ vnitate ſibi propterea recedendum, aut Schiſma faciendum putarunt: multò minus Blaſphemas hæreſes,in odium eius Eccleſiæ (quod Lutherus fecit,vt ipſemet ſeipſum prodit,in Epiſtola ad Argentoratenſes) inducendas exiſtimarunt. Imò (quod adhuc multò magis admirandum venit) eodem hoc tempore,quo tam graues eſſent contra Rom. Eccleſiam, populorum & principū offenſiones,non deerant ſeductores apetti, qui idem docerent quod poſtea Lutherus, nec tamen illis fides vel à populis,vel à Principibus habita eſt. Quum totum Imperiū in armis eſſet propter Philippum Imperatorem,quem cōtra Othonem 4. ab Innocēt. 3. confirmatum Principes Electores laici elegerant, Almaticus ſuas hæreſes tanto tumultu propagauit,vt cogeretur contra eas Concilium Latranenſe: nec tamen qui Philippo contra ſummum Pontificem,& clerum totum fauebant,Almorico ſeductori adhærere voluerunt. Sic in maxima illa contentione inter Alex. 3. & Frid. Barbaroſſam, Vvaldenſes zizania ſua ſeminarūt. Sic denique quum eodem tempore, & propter Huſſitas Vvicleffi progeniem, ac Lutheri proauos, & propter fœdiſſimum Schiſma circa Rom. Eccleſiæ Pontificatum,tribus vno tempore ſe pro Pontificibus gerentibus, Generale illud Conſtantienſe Concilium conuocaretur: non eſt tamen aut propter tam graue ſcandalum,aut propter tantos ſeductores, ab Eccleſiæ Rom. vnitate diſceſſum. Quam tandem putamus aliam huius rei cauſam eſſe poſſe, quàm quòd hodie quidem, quum Lutherus & ſui ſeductores agere ceperunt,planè abundauit iniquitas,planè omnis refriguit charitas,prorſus completa eſt malitia? Maiorum autem noſtrorum ætate, etſi magna rum fuit hominum iniquitas,grauis temeritas contra Christi Vicarium,fœda adulatio Principum ſecularium, ingens inſolentia priuatorum hominum: ſic tamē erant illi ipſi in charitate (de qua modo diximus) radicati,& fundati,vt à fide Maiorum, ab Eccleſia Dei,& à Religione Catholica,nullo modo ſe abduci paterentur. Reſtat ergo,immanem,incredibilem,& maiorem quàm quæ verbis exprimi poſſit,hominum & populorum iniquitatem, morum ac vitæ turpitudinem hodie fuiſſe, qui hæreſes iſtas tam facilè admiſerint,tam auidè amplexi fuerint, denique tātos progreſſus facere paſſi ſint. Sequitur etiam,non minorem, imò maiorē illorum hominum ſeu imprudentiā fore,

Naucler. Sabellicus. Abbas Vrſpergenſis. Pantaleō in chronicis.

E

In volum. operū de Iuriſdict. Imperiali,&c. Baſil. an. 66.

Platina in Innoc. 3.

F

A fore, qui etiam tantis aliorum periculis fæliciter edocti, istis hæresibus vllum, vel minimum aditum, posthac patefieri patientur. Sequitur deinde vnicum, & optimum, contra has & omnes hæreses remedium esse, bene viuere, in charitate radicari, & fundari: super petram ædificare, non super arenam: ædificare quoque non lignum, fœnum, & stipulas, sed aurum, argenrum, & lapides pretiosos; vt si tempestas etiam hâc fortè transierit, si ventus nouæ doctrinæ etiam hoc in loco (quòd absit,) insonuerit, tamen stet solida, & inuicta domus nostra: nec circunferamur vt paleę, sed in area Dominica, tâquam plena, ac turgida grana, immoti persistamus.

An huiusmodi granis & frumentis Dominicis, Ecclesiæ huius Belgicæ area repleatur, an potius palearum numerus excedat: an passim abundet iniquitas, refrigescat charitas: dominentur flagitia, exulet pietas: an populus inquam ipse, in vera Ecclesiæ Dei. i. superiorum suorum & ministrorum Dei charitate radicatus, & fundatus persistat, nô est meum hoc loco discutere. Pastoribus illud & Ecclesiasticis declamandum, vnicuique etiam apud se ex publica rerum experientia expendendum, relinquo. Verùm istud ausim intrepidè affirmare. Si florentissimum hoc Belgium, in charitate radicatum, & fundatum persistat, si scelera, flagitia, inobediêtia, reliquámque omnem impietatem dominari non sinat, fore vt prorsus immune, ab hac hæresum contagione fæliciss imè persistat, sicut hactenus fæliciter perstitit. Hoc si nô facit, sed vel hominum aut ordinum aliquorum, vel status aut gentis alicuius odio, atque inuidia, transuersos se agi, & à charitate excidere sese patiantur (nolim quidem malus ominator esse,) sed hoc sanè liberè dicam:
B illud facient, quod & his, & aliis hęresibus volent, claudere nequeant. Nam & odium, liuor, inuidia, mutua discordia omnibus ianuam aperiet, quam postea quum omnes hæreses intromittit, & semel intromissa hæresis, non tam facilè è finibus eiicitur, quàm nondum admissa auertitur. Exemplo & documento nobis esse possit ad vtrumque, id quod iam postremò dixi, factû illud Bonifacij Comitis, alioqui Catholici viri, qui propter priuatam simultatem, contra Imperatorem Valentinianû Iuniorem, ab eo falsò in suspicionem vocarus, Vandalos & Alanos homines Arianos, in Africam induxit, qui pulsis, occisis, & crudelissimum in modû mactatis Catholicis, Arianismû per totam Africam erexerunt, nequicquam postea ipso reluctante Bonifacio: Factum quoq; Stiliconis, qui ob parem, sed dissimulatã simultatem cum Honorio Imperatore, Gotthos in Europã inuexit, per quos Arianismus Italiam infecit, Hispaniam ad multos annos penitus perdidit: & vt vnum puerum purpura indueret, totius ferè humani generis sanguinê fudit, ait Paulus Diaconus, lib. 13. historiarum. Docere etiam hoc potest vicina Anglia, vbi Principis priuatum contra Rom. Pont. odium, turpe repudium approbare nolentem, primû schisma, postea putidissimas omnis generis hæreses inuexit, quas Rex ipse licet omnia tentaret, auertere postea non potuit. Doceant idem postremò, hic in proximo, fœdæ Galliarum cædes ac strages, vbi propter simulates priuatas duarum potentisśimarum familiarum, penè iam obtinuit Caluinismus, nec adhuc illa flamma extincta est. Facit enim certè omnis iniquitas ad hæresim aditum. Sed odium, simultas, inuidia, patentisśimam illi sternit viam, allicit, inuitat, fouet. *Schisma enim* (ait Optatus) *sparso coagulo pacis, dissipatu sensibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur.* Contrà, omnis bene acta vita,
C egregium est contra omnes hæreses remedium. Charitas autem & mutuus proximi, maximè totius Ecclesiæ propter Deum amor, præsentisśimum est, & validisśimum, contra huiusmodi malum amuletum. Quemadmodum enim *non habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem* (vt grauiter contra Donatistas sæpe scripsit Augustinus) sic illam qui habet, hanc necessariò diligit: diligendo obsequitur, obsequendo renet, tenendo adhæret, nec vlla se ratione ab hac Domini sui Sponsa, diuelli patietur. Sic hæresis auertitur: sic à populis & gentibus facilè cauetur, ne vnquam pręualeat seductio; vtcunque exurgant seductores. Sic hactenus ab hæresi hodierna immunes illi populi fuerunt, & adhuc sunt, quotquot ista adhuc tempestas non inuoluit. Sic etiam deinceps immunes semper erunt: alioqui cum cæteris similia passuri, aut etiam fortè grauiora; quò minus aliorum exemplis vndequaque appositis cauere, & sapere noluerunt, si in hac quam dixi charitate, radicati & fundati, perpetuò persistere non velint.

Sunt quidem alia media quibus hæreses arceanrur, vt leges & edicta Principum, vigilantia Pastorum, frequens & in Scholis, & in Ecclesiis Doctrina.

Sunt & aliæ causæ quæ hæresim fouent, vt Principû fauor, nouitatis studiû, & ad credê-

Paulus Diaconus lib. 14 hist. Hemr. 8.

Lib. 1. contra Parmen.

De bapt. lib. 3. cap 16. Tract. 35. in Ioan.

dum quibusuis, vel credula simplicitas, vel improba temeritas. Sed & frustrà illa media D quæruntur, si flagitiosè viuitur, & parum illæ causæ nocebunt, si pietas adsit *in charitate radicata atque fundata*. Est ergo propagandæ hæresis causa maxima, propria, perpetua, vita hominum flagitiosa. Est ad auertendam hæresim remedium optimum, validissimũ, vnicum, *sobriè, & iustè, & piè viuere in hoc seculo*. Video me longius oratione prouectum esse quàm putabam, nec posse exhausta iam clepsydra de altera illa acquirenda fœlicitate, id est, de officio pij & prudentis viri, qui inter medias hæreses iam introgressas, & dominatum obtinentes, instituitur, cõuersatur, viuit, hoc iam tempore differere. Quare illa parte in aliud tempus reiecta, cum in hunc nos locum aut hæc, aut similis occasio ad perorandum inuitabit, ad nostrum iam candidatum me conuerto.

Ephes.3.

Tit.2.

Dixi.

DE OFFICIO PII VIRI INTER MEDIOS HAERETICOS AGENTIS. E

Oratio in Comitiis Doctoralibus habita.

VMANARVM rerum indagator sagacissimus, & vanitatum huius seculi contemplator acertimus, Sapiens ille Salomon, inter cætera multa humanæ vitę documenta, etiam illud sapientissimè in suo Ecclesiaste tradidit: *Mane semina semen tuum, & vespere, ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: et si vtrunque simul, melius erit.* Quod aliis verbis, & apertius vestigiis huius insistens Ecclesiasticus, monuit dicens: *In die bonorum, non immemor sis malorum.* In quibus sanè verbis docuit nos Spiritus Sanctus: eam in rebus lætis atque iucundis moderationẽ tenere, vt nec prosperis præsentibus elati, nec de futuris aduersis securi, de his potius inter media bona prospicere, & cogitare (quæ est omnium rerum vicissitudo, & in alteram ac deteriorem fortunam, procliuior lapsus,) quàm in præsentibus bonis nulla mala formidare, aut humanæ fœlicitatis constantiam aliquam esse existimare velimus. Huius rei exemplum illustre, & documentum sempiternum, vir ille sanctissimus ac sapientissimus Iob occurrit. Ille enim cùm vir ditissimus esset, haberet liberos plurimos, omnes opulẽtos, in maxima rerum affluentia positos, qui facerent conuiuia per domos, vnusquisque in die suo; sic tamen in diebus bonorum, non immemor erat malorum, *vt cùm in orbem transissent dies conuiuij, mitteret ad filios suos Iob, & sanctificaret illos, consurgensque diluculo, offerret holocausta per singulos: Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei in cordibus suis*: & addit Scriptura. *Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Nobile & illustre imprimis exemplum tùm sapientis viri, & ad vtramque fortunam comparati, tùm diligentiæ paternæ ergà filios suos. De quibus, etsi maximas lætitiæ causas haberet, metuere tamen & formidare tempestatem maluit, quam de præsenti serenitate, læto & exultanti animo securus esse. F

Eccles.11.

Eccles.11.

Iob.1.

Quidni verò & eodem nos hodie animo esse, easdem cogitationes induere par est? Alma parens nostra, Celeberrima hæc Academia Duacensis, Schola hæc Theologica, magnam hodie lætitiam præ se fert. Ad huius diei solennitatem nouo gaudio exultat, & laborum præteritorum oblita, in quibus quotidie desudat, hodie frõtem exporrigit, nec meminit amplius pressuræ, quia natus est homo in mundum. Imò tanquam altera Rebecca, post aliquantam sterilitatem, gemellos fœtus peperit. Duo noua in Academiç lucem lumina produxit: non quidem talia, vt alterum dilexerit, alterum Deus odio habuerit, vt de gemellis illis, Iacob & Esau Scriptura meminit; sed contrà, ambos Deo charos, religione, eruditione, fidei confessione, ambos illustres: quorum alter à teneris annis, seculum & spem seculi, alter ab aliquot iam annis patriam, fortunas, & spes omnes, amore Christi dereliquit, amisit, abiecit. Maximam profectò, charissimi filij, hæc mater

vestra,

A vestra, de vobis hodie lætitiam, ac iucunditatem concepit. Ecce enim duas gentes videt in vtero suo, & duos populos ex ventre suo diuidi. Nam tu quidem, religiosissime Turpini, nobilissimo tuo Belgio, insigne Decus futurus, hanc illustrem & sanctissimam gentem, in qua natus es, Deo tuo conseruabis, ac populum Duacensem, imò Artesiam totam sacris tuis concionibus, singulari vitæ sanctitate, in Catholica fide & officio continebis. Tu verò, grauissime & eruditissime Bristoe, (te enim, & gentem tuam, posteriore loco hîc compellare debeo, etsi maior sis filius, quia & hic quoque maior seruiet minori,) genti illi tuæ, vtinam tam piæ quàm potenti, vtinam tam religiosæ & fideli, quam feroci & opulentæ, vt nunc ornamentum es clarissimum, quasi luminare, in medio nationis prauæ, ita adiumentum olim, & patrocinium futurus es maximum, vt suscites illic Tabernaculum Dauid, & reædifices diruta Iacob patris tui. Hunc ergo gemellum fœtum, hoc tam nobile par luminum, hæc Duarum gentium ornamenta, ex vtero suo hodie vno partu prodeuntia, ingenti animi lætitia excipit, celebri triumpho ornat, celebritate hac maxima, & frequētissimo hoc cōsessu suo, honore prosequitur Schola hæc mater vestra, imo vniuersa Academia. Sed quia monet nos sapiens, vt in die bonorum nequaquam immemores simus malorum: quidni cum beato Iob, sanctificemus hodie hos filios nostros, & per illos hanc reliquam prolem, quam adhuc parturimus in Domino? Quidni offeramus holocausta per singulos, etiam in diebus conuiuij, in diæ hac solennitatis & lætitiæ ipsorum? Quid verò est aliud sanctificare hos filios, quàm id agere, vt sancti sint, ne fortè peccent Domino in cordibus suis? Sancti enim profectò iam

Fr Ioan Turpin Prior Dominicanorum Duaci.

M. Richardus Bristou Anglus

B sunt, & filij Sanctorum, quia fidem, & Sacramenta tenent, quæ sanctam Ecclesiam constituunt. Vt ergo in eadem sanctitate persistant, vt ab hac vnitate fidei in qua nunc stant, nunquam sese auelli patiantur, id verò, si non displicet, filios nostros præmonebimus.

At quorsum istud, dicet quispiam. Quid enim ab his filiis metuas in pace Catholica, sub Rege Catholico, animo & pectore Catholicissimo, viuentibus? Sanè quod metuit ille optimus pater Iob: Ne fortè mutata olim rerū facie, & hac pace Catholica, in schisma turbulentum transeunte, peccent in cordibus suis, relicta vnitate, & nouitatem amplexi, At vanus, inquies, hic metus est. Melius de hoc nostro Belgio, melius de his filiis Duacensibus cogitare & sperare debebas. Ego verò optima spero & confido. Sed da etiam veniam a mori. Nam.

Res est solliciti plena timoris amor.

Da veniam, si in pacis tempore de bello prospiciam. Da veniam, si in die bonorum, nō immemor sim malorum. Quanquam tamen quis paulò cordatior, post fœlicissimam hactenus in his locis vnitatis Catholicæ pacem, aliquas hîc tandem in Religione turbas, meritò non reformidet? An nescimus, vndique in proximo hanc flammam depasci, nec tam ceruicibus nostris hunc gladium imminere, quàm in ipsis iam visceribus, ac coniunctissimis membris nostris alicubi apertè grassari, vbique clanculum serpere? An ignoramus, huius generis hunc morbum esse, *vt serpat tanquam cancer*? Aut meliores sumus pa- 2. ad Tim. 2.

C tribus, & fratribus nostris, qui ante oculos nostros hæc passi sunt? Certè manus Domini, flagellū Dei est, hoc tam immane, & penè vniuersum, Christiani orbis schisma. *Calix*, inquam, *est in manu Domini, vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc*, ex hac gente in Psal. 74.
illam tanquam tempestas transiit: *Veruntamen fæx eius non est exinanita. Bibent omnes peccatores terræ*. Vbi enim causa morbi eadem est, signa, fomenta, & symptomata eadem, vt aliàs hoc loco copiosè ostēdimus, morbum quoq; ipsum inualiturum dubitare vix possumus. Vbi eadem prꝯualituræ hæresis signa, fomenta, præsidia; luxus, pompa, dissoluti mores in Clero: odium, inuidia, & superbia in populo: abundans iniquitas, refrigescens charitas: ipsam quoque hæresim preualituram semel, plusquā probabile est. Sed vtinam vanus, planeq; vanissimus hic noster metus sit. Vtinam nullum hîc periculum subsit, in quo tamen maximum & præsentissimum subesse ego censeo. Saltem ex sapientis consilio & paterno affectu istud præmonuisse, me quidem non pigebit: vos autem Auditores Ornatissimi, plurimum vti arbitror, iuuabit: & vel contra periculū imminens, aliqua ex parte armabit, vel satis armatos in ea qua statis sententia confirmabit. Quum itaque in Licētiæ laurea, non ita pridem hoc in loco me Prꝯside collata, de causis omniū hæresum, maximè ita hodie grassantium, & prꝯualentium differuerim, nosque ab illis causis immunes, minimè esse metuendum meritò sit: id nunc agam, quod eo tum loco ac tem-

pore acturum me olim profitebar, vt videlicet Officium pij viri, ipso iam grassante Schi- D
Propositio. smate, quale esse debeat ostendam. Argumentum sanè & huic tempori pernecessarium, & longè amplissimum: cuius partes omnes persequi si nunc vellem, prolixior æquo futura esset oratio. Itaque, præcipuas tantùm attingam: ita sanè vt semina potius argumétorum spargam, quàm vt iusto labore vniuersum hunc dicendi campum, excolendum suscipiam. Vos, quæso, diligenter quod facitis attendite, & singulari huic humanitati vestræ, qua singulos hactenus clarissimos viros perorantes patienter audistis, hunc nunc cumulum addite.

Status. Fingamus ergo (atque vtinam fingamus, nec in periculum semel veniat, cuius nunc figuram conijcimus,) grassari etiã hoc in loco, in his mænibus, in hac celeberrima Academia, turbam illam schismaticam atque hæreticam, seu Martinianam, Caluinicam, siue denique Anabaptisticam: audiri in pagis, in vicis Pseudoprædicantum voces, cóspici mensas illas prophanas altarium loco, cessare iuge sacrificium, tolli è medio Sacramentorum vsum, Crucifixi Saluatoris nostri, omniumque sanctorum monimenta, & signa, subuerti, denique id agi hîc duaci, quod in Germania, in Gallia, in Anglia, multis iã annis actum est, quod in Hollandia ac Zelandia (proh dolor) nunc agi ceptũ est. Quo hic animo, qua méte, pium, ac Catholicum virum esse decet, ne & illum turbulenta tempestas inuoluat, ne fidem hæretica pestis corripiat, ne à societate Catholica schisma diuel-
Vni ac soli Catholicæ Ecclesiæ esse adhærendũ. lat? An eius generis varias hodie de Religione sentétias esse putamus, vt quia Christum omnes profitentur, perinde sit cui parti adhæreas, & in omni secta salutem te reperire posse confidas? Sanè, inquiunt quidam hodie mendaces Magistri, quia fundamen- E
tum omnes tenemus, Symbola omnes amplectimur, Apostolicum illud, Nicenum, & Athanasij, Constantinopolitanum, aliorumque antiquiorum Cóciliorum, omnes Chri-
Libellus anonymus de officio pij viri sic docet. stiani & Catholici sumus, vtcũque vel in ceremoniis & ritibus discrepamus, vel in quæstiunculis quibusdam aliter sentimus. Itaque, modò pacem cum omnibus colam, nec aliter sentientes iudicem atque condemnem, me Catholicum esse non ambigam. Ita sanè quidam officium pij viri definiendum hodie putarunt.

Cæterum hæc non tam sententia, quàm dementia, & suũ potius Epicureum, & Atheũ redolens, quàm sapiente, & sobrio digna, licet multis argumentis fortissimè reuelli posset, nunc tamen pro multis hoc vnum dicam. Symbolum Apostolicum, Nicenũ & Cóstantinopolitanum, te profiteris amplecti. At in eo habes, credere te Ecclesiam vnam, sanctam, Catholicam, Apostolicam. Istud verò quid tãdem esse existimas? An vt credas quidem esse huiusmodi aliquã in terris Ecclesiam: sed vbi illa sit, & an tu ad eius membra pertineas, quæ & quãta sit eius potestas, quid illi Reuerétiæ, quid Obedientiæ debeatur, quæ Doctrina, quæ mysteria, quæ Sacramenta eius sint, nihil tuã referre? Equidé sic Paganismum, Turcismum, & nullas non sectas crediderim. Nam illas extate in orbe, nimiũ habeo compertum. Dubitas ergo, te sic in Symbolo credere Ecclesiam, vt nó solùm esse huiusmodi quiddam firmiter credas, sed planè ea omnia credas, quæ credit Ecclesia? eã fidem teneas quam tenet Ecclesia? eas hæreses damnes quas damnat Ecclesia? Maximè, quum vnam illam esse profiteris. Si enim vna est, non in quibusuis sectis, sed in hac vna, & sola, salutem expectes oportet. Hoc enim esse proprium veri populi, & Ciu- F
De ciuit. Dei lib. 18. cap. 41. itatis Dei, vt vnam certam Religionem teneat, Ciuitatis autem Babylonicæ, vt promiscuè falsa, cum veris doceri sinat, pulchrè demonstrauit Sanctus Augustinus. Tu ergo Catholicus quum sis, & vnius Catholicæ membrum, hoc antè omnia persuasissimum habere debes, ab hac vna recedendum non esse: sectas alias omnes quas ista condemnat, à te quoque toto pectore anathematisandas esse: & hoc esse quod in Symbolo profiteris, credere te Ecclesiam Catholicam vnam &c. Deniq; nó nisi in hac vna, Chri-
August. epist. 48. ad Vincét. sti nomẽ profiteri te posse: *nec putare*, vt olim Donatistæ putabant, quũ adhuc liberè agerent quod vellẽt, *nihil interesse vbi fidem Christi tenerent*: sed (vt ijdem iam per Imperatorum leges correcti iudicabãt) *hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur*: quemadmodum commemorat August. Quam etiam ob causam & ille propter Donatistas, & ante eũ Cypria-
Cyprianus dicto lib. nus, propter Nouatianos à schismate reuocandos, aureos illos libellos scripsẽrũt, *de vnitate Ecclesiæ*. Vbi inuictis & multis argumentis docét, non posse illos in Christum crede-
Aug. de vnit. Eccl. cap. 4. Lib. 1. epist. 6. ad magnum. re, qui Ecclesiam nó credunt: *non posse illos Deum patrem habere, qui Ecclesiam non habent matrẽ*: vel denique vt loquitur Augustinus, *eos qui vnitati Ecclesiæ non communicant, etiam ab ipsius Christi testificatione dissentire*. Quam ob causam & Nouatianos symbolo non credere pro-

A dere probat Cyprianus, & Ariano Ecclesiam non tenere probat Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos: Quanquam & hi non de ecclesia, sed de Christo litem mouerent, & illi non contra Christum, sed contra Ecclesiam eiusque potestatem disputarent. Existimare denique debes, adeo esse vtriusque Christi & Ecclesiæ, inseparabilem nexũ, tam *magnum esse hoc sacramentum*, tam arctam copulam in Christo & Ecclesia, vt alterum qui neget, vtrumque negauerit, & frustrà se Christianum vocet, qui ecclesiæ vnitatem non tenet: ipso Christo de Ecclesiæ suæ magistris dicente: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*: vt propterea falsò & frustra Deum se putet habere patrem, qui ecclesiam non habet matrem.

ad Ephes. 4.

Luc. 10.

Bene ergo habet. In vna fide, in vna Ecclesia manendum est. Animo & voluntate ad alias sectas accedendũ non est. Cæterũ quæritur, an idẽ quoq; palàm semper & in casu iam proposito profiteri necesse sit. Quæritur inquã, an grassante iam & præualescẽte aliqua secta, vt in Hollandia & Zelandia magna ex parte nunc fit, disiecta ecclesiæ acie, perturbatis ordinibus, non minus quàm in ipsa ecclesiæ pace, vero & apertu vultu, Catholicum te præbere, & profiteri, sub periculo salutis æternæ necessarium sit. Audio enim Apostolum ad Romanos dicere, *corde creditur ad Iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Audio illum apud suos Corinthios, *prouidere bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Audio denique illum suis Thessalonicensibus scribere: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Et in causa fidei hoc potissimum obtinere non dubito. Sed in huiusmodi rerum

Professionem fidei esse necessariam & quatenus.

Rom. 10.

2. Cor. 8.

1. Thess. 5.

B motu, dominatibus Sectariis, & hæresum Magistris, an nihil tẽpori, nihil necessitati concedendum sit, an ab omni protsus huiusmodi hominum consortio, ac communione, necessario abstinendum, id fortasse quæri & dubitari meritò potest. Et, vt apertius dicam, quid, inquies periculi est, si nouos hos prędicantes interdum audiero, si libros eorum legero, si argumenta vt fortius confutem intellexero, si ineptias vt magis eos rideam, animaduertero, si conuentus eorũ prophanos atque ridiculos, vt in nostra sacratissima Religione magis confirmer, conspexero? Dicam adhuc amplius. Quid piaculi aut periculi, si etiam Sacramenta ab eorum manibus percepero? An propterea fidem negasse, aut ab Ecclesiæ vnitate excidisse videri potero, si interea in fide, & pace Catholica, animo, & consensu perstitero? Grauis sanè & multiplex hæc quæstio est, & cui paucis satisfacere velle, esset exigua scapha altitudinem mari emetiri te posse putare. Dicam tamen ad singula aliquid, vt potero breuissimè, & ad rem appositè.

Et vt à postremò incipiam, quod est grauissimum, atque in iis quæ leuiora videntur (sunt tamen æque grauia) desinat oratio, Sacramentorum communionem nullam prorsus cum Hæreticis aut Schismaticis intercedere debere, ita clarum & cõpertum est, vt de ea re differere velle, esset fortasse rem clarissimã disputando ambiguam facere. Hoc vnum dicam, non aliam esse vnius Religionis certissimam notam, quàm eorundem Sacramentorum, vnam atque eandem societatem. Hoc enim vnum pro validissimo argumento sumit Augustinus, nullam fuisse apud Philosophos veri nominis Religionem, *eò quòd scholas haberent dissentientes, & templa communia: eadem sacra in templis susciperent, contrarias*

Nullam cum hæreticis sacramentorum communionem esse oportere.

Auguſt. de vera relig. cap. 5.

C *sententias in scholis personarent.* Contrà, hoc vno argumento apud solos Catholicos Christianos esse veram Religionem demonstrat, quòd nõ solùm ab illis abhorrẽt, qui in ipso Sacramentorum ritu, & cultu externo, apertè discreparent, vt à Manichæis & illis similibus, sed etiam ab illis, quia *paria Sacramenta, & ritu non dispari celebrantes, sola sententia & doctrina dispares essent: vt quorum doctrinam non approbarent, nec Sacramenta cum illis communicarent.* Sicuti de Photinianis, Arianis, & alijs permultis notat, in lib. de vera Religione. Nempe vnus est hic, nec minimus, Sacramentorum finis ac vsus, vt societatẽ fidelis populi, tanquam vincula & nexus quidam colligarent. *Neque enim in vllum nomen Religionis, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio, colligentur*: vt contra Faustum Manichæum docet August. Quæ si ita sunt, vnitatem Catholicus tenere non potes, qui cum hostibus vnitatis in Sacramentis communicas. Sunt enim retinendæ vnitatis vincula & nexus, sunt societatis Christianæ notæ, & Characteres diuina Sacramenta, quæ propterea ab hoste, aut apud hostem, non nisi transfuga potes accipere. Ad illam enim sectam vnusquisque pertinet, in qua Sacramenta percipit. Quod illi. Sanctissimi Maiores nostri rectè intellexerant, qui extrema pati maluerunt, quam ab hæreticis, vel cum Hæreticis, Sacramenta accipere. Habes huius rei illustre exemplũ Constantinopolitanos Catholicos, qui nullis tormẽtis adigi põ

Lib. 19. cap. 11.

terant,vt cum Macedonio Hæretico communicarent:apud Sozomenum lib.4.cap.19. D
Theodor.lib. 4. cap. 16. & 14. Idem de Edessenis Catholicis,videre licet apud Theodoretum lib.4.c.16. & de Samosatenis lib.4.ca.14.hist.Ecclesiasticæ.Legis hoc nomine laudatum Satyrum, Ambrosij fratrem,apud ipsum Ambrosiū in sermone de obitu eius.
Ambros. de obitu Satyri fratris. Moyses quoque celeberrimus Monachus,eodem nomine celebratur apud Theodoretum,lib.4.cap.21.Hermigildum quoque Hispanum Regis Arriani filium,hoc nomine martyrio affectum,legis apud Gregorium magnum Dialog.lib.3.ca.31.
Greg. dialog. Lib.3. cap.31. Africanorum autem Catholicorum infinitam turbam,mille calamitates hoc nomine passam,legis apud Victorem lib. 2. & 3. de persecutione Vvandalica.
Victor. lib. 2. & 3. Dies me deficeret,si huiusmodi exemplis recensendis immorari vellem.

Hæreticorum templa non adeunda, nec cum illis orandum. At inquies,etsi Sacramentis communicare non liceat,præcibus saltem & Officiis eorum interesse,vnâque orare licebit,eaque de causa eorum conuentus siue templa adire, nefas non erit.Nec hoc quidem homini Catholico vlla ratione licebit.Neque enim minus oratio,quàm Sacramentorum vsus,vnitatis argumenta,notæ & vincula sunt arctissima.Hanc ob causam oratio illa Dominica à Saluatore dictata,communis est,nō priuata cuiusque,& omnium atq; totius corporis nomine probata, non huic aut illi propria. Volens quoque in Euangelio Saluator,cum demum orādi modum qui fructuosus esset futurus docere,*Si duo*,inquit,*ex vobis consenserint super terram, de omni re quācunque petierint,*
Matth.18. *fiet illis à Patre meo,Vnanimitatem prius posuit*(ait Cyprianus)*concordiā pacis antè præmisit,vt con-* E
Cyprian. lib. de vnit. Eccl. *ueniat nobis,fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire,qui cum corpore ipsius Ecclesiæ & cum vniuersa fraternitate,non conuenit? Itaque Dominus de Ecclesia sua loquitur,ad eos qui sunt in Ecclesia,quum dicit:Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo,ibi ego sum in medio eorum.* Hęc Cypri.lib.de vnitate Ecclesiæ.Sic & Augustinus.*Ille*,inquit,*in templo Dei orat,qui orat in pace Ecclesiæ,in vnitate corporis Christi,quod constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum*
In præf. enarrat.in Psalm. 130. Non ergo fructuosa, sed sacrilega illa oratio est, quæ in Schismate fit,
Psal.108. iuxta illud Dauidicum:*Fiat oratio eius in peccatum.*

Concedo,inquies,quando ab ijs qui Schismati consentiunt,in Schismate oratur.Sed si solo corpore præsens,toto animo alienus,vnà cum Schismaticis orem, nec quia placet illa nouitas,aut societas,sed quia impulsus, & coactus, illis me adiungo, an propter pręsentiam illam,& inuoluntariam,& solùm corporalē,Schismatis reus peragar, & orationem sacrilegam fecisse censebor?Omnino,si Spiritum sanctum in Scripturis loquentem audis.In schismate illo Chore,Datham,& Abyron,clamat ad populum vniuersum Moyses:*Separamini à tabernaculis istorum hominum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne in-*
Numer.16. *uoluamini in peccatis eorum.*Hîc enim non authores tantùm, & animo participes schismatis,sed & præsentes inuenti,pariter à Deo puniendi ostenduntur, vt docuerunt ex hoc loco sancti Patres,Cyprianus & Chrysostomus. Propterea Dauid in persona fidelium
cyprian.lib.1. Epist.6. chrys.Hom.18 in 4.ad ephes. Psal.25. omnium dicit:*Odiui Ecclesiam malignantium,& cum iniqua gerentibus non introibo.* Quibus verbis non consensum tantùm,sed & accessum negat impiorum cętibus.Quod quidem per omnes ætates,à Christiano populo,Religiosissimè semper obseruatum fuisse, Maiorum res gestæ loquuntur.Quum Nouatiani Carthagini grassarentur,scribit ad populum F
Carthaginensem diligenter B.Cyprianus,eorum tum Episcopus,sed absens, ne vlla ra-
Exempla veterū christianorum. cypr.lib.1. Epist 8. tione ad Schismaticorum conuentus accedant.lib.1.Epist.8. Quū passim in Oriente dominarentur Ariani,& Eunomiani,scribit Basilius.*In plurimis ciuitatibus populum cum mulieribus,& pueris,ipsisque senibus, ante portas effusum sub dio preces fundere solitos, omnes aeris iniurias magno animo sustinere,nec ad hæreticorum oratoria ingredi vllo modo velle.* Narrat de populo
Basil.epist.69. Alexandrino Theodoretus,quòd pulso Athanasio ipsorum Episcopo, *conuenerint in cœmiterio ad orationem,nec vllis minis vel cruciatibus adduci potuerint, vt Georgio Ariano se coniun-*
Theodor. lib. 2.cap.14. *gerent*, vtcunque eos vexante & excarnificante, ex mandato Imperatoris, Sebastiano Duce.Nec minor fuit Antiochenorum Religio,qui deiecto Eustathio Catholico Episcopo,sub Euphronio & Phlacito Arrianis Pseudoepiscopis, *ab Ecclesiastico conuentu sem-*
Lib.1.cap.22. *per abstinebant*,vt idem refert Theodor.Tantundem de Samosatenis refert idem Theod.
Lib 4.cap 14. qui pulso Eusebio Cath.Episcopo,ad vnum omnes ab Ecclesia abstinebant,& in illa solus ille Pseudoepiscopus Eunomius agebat,*nemo aut in eius conspectum venit,aut sermonem*
Lib.2.cap.17. *cum eo contulit,etsi alioqui vitam apud eos valde modestè instituisset.*Romanorum etiam par religio,ab eodem Theod.refertur.Pulso enim Liberio,& suffecto in eius locū Fælice *nemo ex Ro-*

A *ex Romanis* (ait Theod.) *in Ecclesiā dum ille intus erat, ingredi voluit*: Plena est his exemplis historia Ecclesiastica. Hæc populi Christiani fides, hæc Religio, hoc officium boni viri olim fuit, quum hæresis inualesceret.

Præter hanc populi fidem, vide etiam doctissimos & sanctissimos viros, eadem religione vsos fuisse. Origenes, quo nihil in prima ætate aut sanctius, aut doctius fuit, vnâ cum Paulo quodam Antiocheno Marcionita hæretico, in eadem familia necessitate compulsus habitans, *nunquam tamen induci potuit, vt precibus vnà cum illo inter esset*. Quod vt singulare in eo pietatis documētum recenset Eusebius D. Augult. iam ex Manichæo Catholicus factus, & contra eos scripturus, præfatur secum illis mitissimè acturum, nihil durius aut acerbius dictutum, denique eis quātum quidem liceat sese accommodaturum, *hac tamen*, inquit, *lege seruata, vt vobiscum non orem, vt conuenticula vobiscum non celebrem, vt Manichæi nomē non accipiam*. Hæc ille. Hæc te Catholicorum & Patrum, & populorum exempla doceāt, quisquis Catholicus es, ne ad schismaticorum templa aut conuentus orationis causa aliquando accedas. Ratio autem & in Sacramentorum, & in orationum, cum schismaticis communione vitanda vna & eadem est, Spiritus Dei indiuiduus, cum vna & sola Catholica Ecclesia nexus. Nam & sine Spiritu Dei, tanquā anima & vita operum omnium, nec Sacramenta, nec orationes, nec quicquam aliud fructum adferunt, aut Deo grata sunt: & in sola Ecclesia tanquam in templo & domo sua, habitat hic Spiritus. Quod quidem totum, quia sine longa demonstratione operosiùs explicari non potest, hac breui notatione contentus, ad alia me conuertam. Nam
B hæc sanè duo non difficulter fortasse, verè Catholicus concesserit, cum schismaticis nec Sacramentorum, nec orationum communionem ineundam esse. At in aliis illis iam propositis, parem esse Religionis & cautelæ necessitatem, non ita facilè in animum induxerit suum. De illis ergo agamus, & officium pij viri quale etiam circa illa sit, breuiter ostendamus.

Origenis exemplum.

Lib. 6. cap. 3.

Augustini.

Contra epist. fundamenti. cap. 3.

Causa, quare cū Schismaticis orandū non est.

Tria verò adhuc sunt, de quibus meritò quæritur, an dominantibus Schismaticis, à Catholico & pio viro, licitè & legitimè fieri possint. Primùm, an eorum conciones frequentare, secundò, an libros editos legere; tertiò, an & quatenus cum illis conuersari liceat. Nam quod ad primum attinet, vulgò quidem & leuissimè id à plærisque fieri, qui tamen Catholici censeri volunt, cernimus. Etenim (vt externa taceam) quis nescit, in hoc Belgio, his postremis annis, ad pseudoprædicantium voces passim excursum esse, & foris quidem extra mænia repletos populis agros, domi desertas Ecclesias fuisse? Denique vix hoc pro crimine habitum fuisse, si ad noui alicuius prædicantis doctrinam audiendam, & à viris, & à fœminis, & à pueris, & à senibus, & à populo, & à Clero curreretur? Quid verò? Hoccine pij & Catholici viri officium putamus? Aut vllo modo hoc

Hæreticorum conciones & prædicationes nullo modo esse adeundas, aut audiendas.

Catholico licere arbitramur? Taceo hîc periculum præsentissimum, vt hausto illo dulci 1.
nouæ doctrinæ veneno, ex Catholico repentè schismaticus fias. Quod & euidenti ratione facilè demonstrari posset, & ipsa rerum experientia nimis clarum fecit. Omitto 2.
iniuriam quam facis matri tuæ, Ecclesiæ Dei, dum adulteram, & pellicem eius, tua præsentia honoras. Nihil dico de graui scandalo, qui pessimo hoc exemplo tuo *percutis, conscientias aliorum infirmas, & per te peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus* 3. 1. cor. 8.
C *mortuus est*: Dum videlicet alius putat id licitè fieri, quod à te Catholico viro publicè factum videt. 4.
Illud dico, illud vrgeo, hoc dum facis, Christum Dominum, Principem Pastorum, vnicum Magistrum tuum contemnis, abiicis, conculcas. Quid? An nunquā audiuisti, aut si audieris contempsisti illud Christi grauissimum interdictum; *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, &c. Ecce prædixi vobis, Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est nolite exire*. Audistine vocem Saluatoris? Non solùm dicit, nolite credere; nec dicit Ite quidem, audite audacter; sed credere nolite: Verùm dicit, & prudētissime dicit: *Nolite exire*. Nolite accedete, nolite appropinquare. Rursum Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum*. Non solùm non sequuntur, non consentiunt, non applaudunt, sed & longissimè fugiunt. Non solum eorum dogmata & mysteria ignorant, sed nec vocem audire sustinent. Itáque parum est, quòd eorum verbis non credis: Ne audire quidem eorum verba debebas. Hæc Christi Domini, hæc olim Prophetarum veterum, hæc postea Apostolorum vox erat. Clamat Ieremias: *Nolite audire verba Pseudoprophetarum, qui prophetant vobis, & decipiūt vos*. Iubet ne audire quidē. Sic sapiens ille Salomō de fornicaria hæresi quæ aduersatur

Matth. 24.

Ioan. 10.

Ierem. 34.

Prou. 5. sapientiæ, scribens: *Longè*, inquit, *fac ab ea vias tuas, & ne appropinques foribus domus eius.* Et D
quare? *Omnes qui ingrediuntur eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Nempe hæc est illa spelunca latronum, de qua verè possis dicere: *Vestigia cerno, omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.* Hæc est illa Circe, hi Sirenum cantus, quos vt cuites, prærternauigare obturatis auribus debes. Hi sunt illi, de quibus Apostolus dicit:
2. Tim. 2. *Sermo eorum vt cancer serpsit.* Et iterum: *Rogo fratres, vt obseruetis eos qui dissentiones & offendicula faciunt, præter doctrinam, quam vos didicistis, & declinate ab illis.*
Rom. 16. Declinare te vult, non omnino accedere. Et quare? *huiusmodi enim perdulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.*
Epist. 2. Acrius verò adhuc præcipit Ioan. *Si quis, inquit, veniet ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Vides tantùm abesse vt eum docentem audias, planè vt eum ne salutare quidem debeas. Et tu tamen Catholice, nequicquā prohibente Christo, frustra clamantibus Prophetis, incassum monentibus Apostolis, etiā ad horum hominū conciones, (blasphemias dicerem) excurres, adstabis, audies? Quid? Aut durum tibi hoc præceptum, aut superuacaneum videtur esse concilium? Si durum putas, dic amabo, quid facilius, quid leuius, hunc in modum tibi præceptum dari? Vade ad lupanaria, conuersare cum meretricibus, spectator fornarum esto, concupisce audacter, sed concupiscentiam vinces, nec animo, nec opere, nec verbo, nec facto, in malum consentias: an potius sic dicere: fornacem fuge, ad flammam non accesseris, concupiscentiæ ardores caue, occasiones deuita, vt castitatem conserues? Quis dubitat, hoc, quàm illud, & facilius obseruari, & commodius præcipi, & diuinius custodiri? Nisi fortè prudentius sit per præcipitia, & lubrica, & deuia vagari, quàm in plano & regia viā E
Matth. 5. ambulere. Quòd si in cautela viræ & morum, iussit Saluator vt vitetur periurium, *non iurare omnino*; vt vitetur homicidium, *non irasci omnino*; vt vitentur adulteria, *non concupiscere omnino*; Quibus verbis, *non noua adiecit præcepta, sed rationem qua tutius conseruarentur vetera, aperuit*, vt docet August. quid miraris, si etiam in cautela fidei, vt hæreses vitentur, iubet
August. contr. Faust. lib. 19. cap. 16. Saluator ad hæreticos *non exire, alienorum voces fugere*, iubet Paulus *eos declinare*, iubet Ioan. *ne Aue quidem eis dicere?*

Et sanè omnis hæresis, & schisma, quędam circa Religionem fornicatio, Vnde Apo-
2. Cor. 2. & 4. 1. cor. 6. S. Tho. in com. ibidem stolus, hæreticos vocat *adulterantes verbum Dei.* De hoc autem peccati genere dicit Apostolus, *fugite fornicationem.* Reliqua vitia, vt ódium, superbia, auaritia, vincuntur resistendo, quia *quantò magis circa illa particularia quæ tractat atque considerat, tanto minus in eis inuenit vnde delectetur.* Ostendit enim ratio, diuturna & diligenti habita consideratione, quàm
Hæresis fugienda vt fornicatio vanè superbitur, quàm ineptè pecunia amatur, quàm temerè vindicta appetitur. At verò in luxuriæ vitio, quanto magis particulare obiectum cogitatur, tanto magis accenditur. Vincitur autem fugiendo, & omnem de illis rebus cogitationem, primo quoque tempore deponendo. Nec aliter se in hæresi res habet. Excutienda vt vipera, fugienda vt pestis, abominanda vt certa pernicies est, nullo modo expendenda, tractanda, consideranda. Illam enim expendere (nisi docendi causa), est de fide dubitare, indéque in hæresis præcipitiū derepentè prolabi. Non ergo durum, sed & facillimum, & salubertimū
Ioan. 10. præceptū est, *alienorū voces ne auudire quidem sed fugere ab eis.* Si superuacaneum hoc putas esse consilium, téque satis fortem in fide ac robustum putas, vt etsi eos audias, nihil tamen tibi inde periculi metuas, primùm illud Apostoli memineris: *Qui se existimat stare,*
1. cor. 10. Irenæus lib. 3. cap. 3. *videat ne cadat*, Deinde, dic sodes: An tu fortior sancto illo Polycarpo Martyre, qui Marcionem hæreticum, ne alloqui quidem dignatus est, vt refert Irenæus, & commemorat ex eo Eusebius lib. 3. cap. 13. móxque addit. *Hæc fuit Apostolorum & Discipulorum religio, vt neque verbo tenus communicarent iis, qui adulterant veritatem.* Religio, inquit, & timor. Tu ergo illis aut religiosior, aut fortior? Aut tu Ioanne prudentior, qui *balneum, in quo Cerinthus hæreticus lauerat, ne ingredi quidem voluit*, vt idem meminit Irenæus lib. 3. ca. 3. Quod Apostoli factum imitati sunt Samosateni Catholici, qui, cum ab balneum venissent in
Theod. lib. 4. cap. 14. histor. Eccles. quo lauerat, Eunomius hæreticus, *illo egresso, omnem aquam è balneis per cuniculos in cloacam emittunt, & recentem parari iubent*: vt refert Theodoretus lib. 4. cap. 14. Tu denique religiosior Antonio illo Eremita sanctiss. & Eremitarum patre, cuius illa morientis ad discipulos suos vox erat? *Zelum meum contra hæreticos omnes, & veritatis hostes tenete; Scitis, quia*
S. Antonij præclara vox. *nihil vnquam illis molliter aut pacificè loquutus sum. Itaque venena eorum & colloquia prorsus vitate.* Hæc ille, vt in eius vita scribit indubitatus Author Athanasius. Nec dissimilis est S. Basilij, ad suos quoque monachos admonitio. *Congressus*, inquit, *illorum subdolos, & ad subuer-*

A *subuersionem audientium instructos declinetis*. Móxque huius rei tres causas subiungit. Primã, *vt dilectionem*, inquit, *erga nos sinceram custodiatis*. Nemo enim pastorem suum colere, & cum hæreticolibenter conuersari potest. Alteram, *vt patrum fidem infractam, & sanam seruetis*: Tertiam, *vt apud dominum tanquam probati, veritatis amici deprehendamini*. Hæc ille. Postremò si Iudæi, *in omnibus Synagogis suis, & per singulos dies, sub nomine Nazarenorum, anathematisent nomen Christianum*, vt commemorat Hieronymus: quidni veri fideles, sic hæreticorum & nomen, & voces, exhorreãt, & per singulos dies detestentur, vt ab eorum non dico conuentibus, sed & planè consortio omni, non secus atque à serpentibus, & viperis abstineant? Epist 75. In comment. ad Isai. cap 5.

Video me huic parti paulò diutius immoratum fuisse, quàm nostræ clepsydræ iam penè exhaustæ cursus patiatur. Sed illud commodi accessit, quòd hanc partem dũ prolixius tractaui, cæteris quoque quæ supersunt, quodammodo satisfecisse videri possim. Quùm enim non minus periculum sit, in Hæreticorum libris legendis, quàm in eorum concionibus audiendis, & exempla ac præcepta, quæ commemorauimus, non doctrinas tantùm, sed & ipsa in vniuersum commercia, atque consortia ipsorum Archihæreticorum, penitus declinanda, atque adeo fugienda docuerint: profectò quæ de horum hominum, vel scriptis libris, nullo modo legendis, vel commercio & societate fugienda, proximo iam loco dici debebant, ex his quæ iam dicta sunt, satis clarè colligi, & euidenter elucescere possint. De vtroque tamen, vno verbo quàm breuissimè aliquid submonebo.

B Mouet enim sanè multùm viros doctos, & alioqui egregiè Catholicos, non licere ipsis, maximè inter medios hæreticos agentibus, & eorum quotidie contra veritatem Catholicam blasphæmias audientibus, huiusmodi hominum scriptos de rebus cõtrouersis libros legere, indéque argumentorum, quibus nituntur, vim atque momenta cognoscere, vt semel cognitis diligenter respondere atque satisfacere valeant. Sic enim affecti non solùm licitè, sed & laudabiliter ac piè se facturos arbitrantur, si pro zelo religionis quo flagrant, huiusmodi libros diligenter perlegant. Vt minimum, extra periculum schismatis, plærique se esse exstimant, qui id faciunt: siue quia grauiter interdictum id esse à Sede Apostolica nesciunt; siue vt sciant, quia recta intentione id faciunt, ad ipsos huiusmodi interdictum non pertingere, arbitrantur. Sed grauis hic est, & periculosissimus bonorum virorum error. Cuius fundamentum illud esse videtur, quòd ipsius fidei vel addiscendæ, vel afferendæ, vel denique propugnandæ, cuiusmodi tandẽ medium, quæ ratio sit, aut ignorant, aut non satis aduertunt. Nempe (vt vno verbo rem totam explicem,) meminisse omnes debemus, oues nos esse, ouilis seu gregis dominici, siue vulgares & agnos, ex laicorum scilicet numero, siue huiusmodi quidem, quibus aliqua ratione alios pascere ex officio incumbis, quia Pastores aut doctores sumus, vni tamen summo Pastori & ποιμεναρχῃ subiecti. Siue autem in primo, siue in secundo ordine consistimus, oues sumus, & ab alio pascendi, non ipsi nobis pascua & pabula diligere pro arbitrio possumus. Et primi quidem ordinis oues, in tota ratione fidei, hoc obseruare debent, vt à sola pastorum voce pendeant, illud Saluatoris diligentissimè recolentes, *qui vos audit, me audit, & illud item Apostoli: Fides ex auditu. Quomodo autem audient sine prædicante?* &c. quæ sequuntur. Qui secundi ordinis sunt, etiam in grauioribus causis, idem præstare debent, memores sanè vni soli esse dictum: *Confirma fratres tuos*: nempe ipsos Pastores, & compræsbyteros, in aliqua causa fidei fluctuantes, & dubios corrobora. Hoc itaque posito, quia oues sumus, audire vocem Pastoris debemus, & ab illo discerenon solùm quid sit fidei, quid non, sed etiam quid ad fidem conseruandam spectet, quid non; quale istud est, sintne hæreticorum libri legendi, & quatenus. Hic enim quia agitur causa fidei, & in eius controuersia cuiusque non est de causa cognoscere, aut partium querimonias, & merita causæ expendere: relinquamus hoc Iudici, & eius sententiam expectemus. Hæreticorum libros non esse legendos. Luc. 10. C Rom. 10. Luc. 22.

Sed vir doctus est, & qui aduersarios legendo, plurimum aliis prodesse possit. Facilè quidem responderem, *Melior est obedientia, quàm victima*, nec propter opus charitatis, deserenda Iustitia, iuxta illud Apostoli, *non faciamus mala, vt proueniant bona*. Sed nolo sic cum docto viro rusticè agere. Illud vrgeo: Ordinem in Ecclesia, quo nihil est salubrius, perturbare non debes. Esto enim: fueris de illorum numero qui sine periculo tuo, vt tibi videtur, hoc præstare possis: Respondeo tibi quod, olim Honorato Manichæo, respondit 1. Reg. 15. Rom. 3.

ſpondit Auguſtinus. Videbatur enim ille ſine duce, ſine magiſtro, ſolis lectis Scripturis D
De vtilitate credendi c.10. ſacris, de vera Religione iudicare, & vi ingenij, diuina, ſecreta certa ratione capere facillimè poſſe. *Etſi, inquit, facto tibi nihil nocebis, nocebis tamen exemplo cæteris.* Sed & præterea quotus quiſque eſt, qui de ſe nō plus ſentiat, quàm poteſt? Quàm ſumus cæci noſtrarum virium iudices, & arbitri? *Itaque ordo ille & ratio ſeruanda eſt, quæ ſine cuiuſque periculo ſeruari poteſt. Quod quidem facile fit. ſi etiam hi qui volare poſſunt, ne cui ſit periculo exemplum, paulisper cogantur incedere, qua etiam cæteris tutum eſt. Hæc eſt prouidentia veræ Religionis. Hoc iuſſum diuinitus: Hoc à beatis Maioribus traditum: Hoc ad nos vſque ſeruatum: Hoc perturbare velle atque peruertere, nihil eſt aliud, quàm ad veram Religionem ſacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec ſi eis concedatur quod volunt, poſſunt quò intendunt, peruenire. Cuiuſmodi enim libet excellant ingenio, niſi Deus aſsit, humi repunt. Tunc autem Deus adeſt, ſi ſocietatis humanæ in Deum tendentibus, cura ſit,* ſi nihil ſingulare, nihil præter ordinem diuinitus inſtitutū, facimus. Hæc Auguſtinus in aureo illo libello de vtilitate credendi. Cuius conſilio, quia ſumma ratione nititur, & vniuerſam tam ineundæ, quàm aſſerendæ fidei rationem complectitur, vt acquieſcere, planè Chriſtianum & Catholicum eſt, ita reſiſtere, & reluctari velle, ſpecie ſchiſmatis carere non poteſt. At dicet aliquis, multa ſunt in hæreticorum libris eruditè diſputata, & quæ etiam ad Scripturarum cognitionem egregiè conducant. Et habemus hac in re clariſſimorum virorum exempla: D. Hieronimi, qui in Epiſtola ad Minerium & Alexandrum non facit hoc tantùm, ſed & tuetur factum, ſequutus illud Apo-
1.Theſſal.5. ſtoli: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete:* Theophili Alexandrini apud Socratem lib. 6. ca. 17. & Dioniſij Alexandrini quoque Epiſcopi apud Euſebium lib. 7. cap. 7. qui omnes E
hæreticorum libros diligenter legerunt. Quare ergo ſaltem doctis viris eorum lectio hodie non permittitur, vt & hic etiam liceat ſpoliare Ægyptios; ad Eccleſiæ caſtra ditanda? Huic doctorum hominum hodie periculoſæ ſanè, & imprudenti, querimoniæ,
Moral. lib. 5. cap. 11. breuiter cum B. Gregorio reſpondeo. *Hæretici miſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona auditores ad ſe trahant, & exhibēdo mala, latenti peſte corrumpant.* Hæc ille. Cum B. quoque Leo-
Epiſt. 93. ca. 15. ne magno eius nominis primo reſpondeo. *Quamuis ſint in hæreticorum ſcriptis quædam quæ videntur eruditionis, & pietatis ſpeciem habere nunquam tamē vacua ſunt venenis.* Hæc ille. Quis ergo cum certò ſalutis periculo incertum oblectamentum quærat? Deinde non ego exiſtimauerim, hęreticorum labores ad veram Scripturarum cognitionem aliquid
In præſcript. conferre, ſed potius cum Tertulliano dixerim: *Illic & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi aduerſitas inuenitur doctrinæ.* Hæc ille. Quis enim neſcit, illorum hoc maximè intereſſe, vt ad falſæ doctrinæ ſuæ commendationem, Scripturas omnes illu-
2.Petr.2. ſtrent? Huc accedit, quòd quum Hæretici omnes *ſint magiſtri mendaces*, vt eos Apoſtolus Petrus rectiſſimè vocauit, ideóque inter pauca vera, innumera neceſſariò ſpargant mēdacia, metuendum ſanè maximè eſt, ne in fidem ſemel admiſſis, etiam in iis quæ mentiuntur, temerè & pernicioſè credatur. Exempla verò producta, nihil noſtros iuuant, niſi & pares ſe eruditione, ac vocatione illis iudicent, & præterea eandem hodie Catholicorum Scriptorum penuriam eſſe oſtendant, quæ illorum tempore fuit. Eſt enim ſanè præpoſtera illa diligentia, vel curioſitas potius, quod domi locupletiſſimè habere potes: in tanta Doctiſſimorum Catholicorum Scriptorum varietate, foris apud hoſtes
Epiſt. ad Suniam. & Apoſtatas; & (vt ait Hieronymus) *aurum in luto quærere.* Ne dicam cum iniuria id Ca- F
tholicæ Matris, aut potius Spiritus S. fieri, quaſi illa tam ſterilis & infæcunda doctorum virorum ſit, vt eruditione pares, cum hæreticis poſt tot ſeculorum curricula, nondum
Luc.16. protulerit. Etſi enim *filij huius ſeculi, prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua*, tamē in generatione non ſua, ſed noſtra non item. Sed quia in ſingulis prolixos eſſe non licet, ad alia pergo.

Supereſt poſtremò, de ipſo hæreticorum conſortio breuiter aliquid dicere. Qua in re vt media via incedas, nec externis periculis non neceſſariis te exponas, nec fidē etiā tuam periclitari ſinas, hic modus tenendus eſt, vt in perturbato quidem Eccleſiæ ſtatu, qualem nunc fingimus, dominantibus ſcilicet & omnes Eccleſias occupantibus hære-
De hæreticorum conſortio fugiendo. ticis atque ſchiſmaticis, cum promiſcua quidem & vulgari ſchiſmaticorum plebe vendere, mercari, aliaque commercia & ciuiles ſocietates inire vetitum non ſit, quia neceſſarium eſt? Quemadmodum enim, *cum ebrioſis, maledicis & rapacibus iam* paſſim cōmiſce-
1.Cor.5. mur, & *cibum cum eis ſumimus, etiam ſi fratres ſint*, & vnius Eccleſiæ Catholicæ nobiſcum membra, ſecus quàm Apoſtolus precepiſſe videtur; quia huiuſmodi hominibus iam

mundus

A mundus plenus est,(vnde hac de re Augustinus docet,quòd tunc sanè *Apostoli præceptū nullo modo negligendum est, quando sine periculo violandæ pacis fieri potest*) & qui horum commercia vitare vult, *de hoc mundo exeat oportet*: ita cum schismaticis vulgaribus, in simili schismaticorum grassante turba,nisi de hoc mundo exire velimus, commercia ista necessaria ineunda sunt. At verò quomodocunque grassante & dominante hæresi, cum ipsis schismatum Magistris, Authoribus, Ducibus,aut quomodocunque ministris, atque fautoribus, nulla ratione homini Catholico communicandum est, ne quidem in vita hac communi,& societate ciuili.Nam de huiusmodi dixit Apostolus Ioan.*Ne Aue ei dixeritis.Si quis*,inquit,*venit ad vos,& hanc doctrinam non adfert*,(vide,de afferentibus & docentibus nouam doctrinam lòquitur)*nolite recipere eum in domum,ne Aue ei dixeritis.Qui enim dicit illi Aue,communicat operibus eius malignis.Ecce,prædixi vobis, vt in die Domini non cōfundamini.*Hæc ille.De huiusmodi dixit Apostolus Paulus, *obseruate eos qui dissensiones faciunt præter doctrinam quam accepistis,& declinate ab illis.* Declinari,deuitari prorsus iubet, Authores ipsos sectarum *qui faciunt dissensiones*.Huiusmodi denique sunt lupi illi,de quibus cauendis,vniuersis fidelibus dedit Saluator mandarum, dicēs discipulis suis ac turbis:*Attendite vobis à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium*,sub prætextu ministrorum verbi Dei,*intus autē sunt lupi rapaces*,*vt abducant discipulos post se*.Huiusmodi sunt latrones illi,qui *non veniunt nisi vt mactent,& perdant*,quos fugiendos docet Saluator,id est,vt ad illos nullo modo accedas.Quem verò hæc Saluatoris,&Apostolica,luculenta præcepta non mouent, vt planè sibi persuadeat,à mendaciū Magistrorum, & Pseudo-
B prophetarum consortio abstinendum esse,non ille meis verbis, aut rationibus quibuscunque,quæ adhuc afferri possent,quicquam mouebitur.

Contra Parm. Lib.3. cap.2. — Epist.2. — Rom.16. — Matth.7. — Act.20. — Ioan. 10.

Qui autem vlla se vel ratione,vel authoritate moueri sinet,is sanè his rectè perpensis,& intellectis quæ iam diximus, id sibi in posterum persuasissimum habebit, boni & Catholici viri,officium hoc esse, grassante semel & obtinente hæresi, primùm quidem vni,& soli Catholicæ Ecclesiæ,animo & voluntate,firmissimè & constantissimè adhærere:deinde fidem,quam animo tenet,eatenus sanè publicè profiteri,ac præ se ferre,vt nec à schismaticis Sacramenta percipiat,nec vnà cum ipsis oret,nec eorum conciones vlla ratione adeat,nec huiusmodi hominum libros,nisi accepta potestate legat,nec denique cum sectæ magistris vllam vitæ societatem,quantum fieri potest,ineat. Hæc qui præstiterit, verè ille & re, & nomine, Catholicus erit. Horum vnum qui prætermiserit,à schismatis piaculo tutus non erit. Hæc autem si difficilia videntur, cogitandum est,pro fide qua viuimus,& stamus,omnia etiam extrema subeunda esse,& hanc esse illā *pretiosam margaritam*, *pro qua inuenta*, *vadit homo & vendit omnia quæ habet, & emit eam*, & hunc denique esse casum(cessante Ethnicorum persecutione,in quorum locum hæresum authores,sicut in ipsarum hæresum locum idola successerunt,)in quò illud Saluatoris locum habet.*Si quis venit ad me,& non odit patrem suum, & matrem,& vxorem, & filios,& fratres,& sorores,adhuc autem & animam suam,non potest meus esse discipulus.*Hæc enim omnia cum ipsa patria,beneficiis,patrimoniis,bonis atque fortunis omnibus,abiicienda potius sunt,& pro stercore conculeanda ea retinenda,inualescente semel hęresi,vel latum vnguē à fide Catholica,quæ vnica est,& simplicissima, auelli nos & abduci patia-
C mur. Hic enim illa Ieremiæ vox semper auribus nostris intonare debet. *Fugite de medio Babylonis,vt saluet vnusquisque animam suam.Nolite tacere super iniquitatem eius.* Illud quoque Sapientis:*Qui amat periculum,peribit in illo*, Et *qui tangit picem,inquinabitur ab ea*. Postremò illa Augustini saluberrima,& verissima sententia,semper in memoria habenda est:*Nihil sic debet formidare Christianus,quàm separari à corpore Christi quod est Ecclesia. Si enim separatur à corpore Christ,non est membrum eius.Si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem*(ait Apostolus)*Spiritum Christi non habet,hic non est Christianus.*Hæc ille.Sic comparatos nos esse oportet,chariss.filij,oborta semel hîc(quod absit) illa tempestate quæ vicinos vndique deuastauit:huc armatura præmuniri necesse est,*vt possimus resistere in die malo,& in omnibus perfecti stare.*Quæ si importunius in hac lętitia vestra, imò omniū nostra, suggessi,excusabit me ille sapiens qui iubet nos,*esse memores malorum in die bonorū*.Si malus ominator videar,excusabit me sanctus ille Iob,qui in diebus conuiuij *sanctificauit filios suos,afferens holocausta per singulos*,

Epilogus. — 1. — 2. 3. — 4. — 5. — 6. — Matth.13. — Luc.14. — Hierem.51. — Eccl. 13. — Eccl. 13. — Tract. 27. in Ioan. — Ephes.6. — Eccles. 11. — Iob.1.

Dixi.

APOLOGIA RECENTIORIS ECCLESIÆ SIVE

D

Contra Præscriptionem Potestantum, qua veteris tantùm Ecclesiæ testimonia, in dirimendis controuersiis admittunt, posterioris reiiciunt.

ORATIO IN LICENTIÆ THEOLOGICÆ LAVREA SVSCEPTA, HAHITA.

QVOD semper optaueram, Amplissimi, & Ornatissimi viri, doctissimi & humanissimi Auditores, vt quod Theologum & Ecclesiæ filium decet, Theologorum recentiorum causam agere, & Ecclesiæ hostes publicè traducere, oportuno aliquo loco, ac tẽpore concederetur: ad illud nunc hodiernus is dies, ad illud frequens hic vester cõsessus, ad illud ordo hic nobilium, & doctorum virorũ amplissimus, E volentem inuitat, ac prouocat, conaturum iam diu excitat, & currenti calcar apponit. Quum enim ex hoc loco aliquid agere Theologo dignum, hic locus iubeat, hoc tẽpus exigat, iucundissimus hic conspectus uester admoneat: nihil profectò huic vel loco aptius, vel tempori accommodatius, vel tantæ nobilissimorum, & doctissimorum virorum assidenti coronæ gratius, ac oportunius, posse me dicere existimaui, quam vt Theologiæ candidatus Theologorum causam agerem, & Catholicæ filius, Catholicæ patrocinium susciperem. Neque enim nescij estis, in ea nos tempora hodie incidisse, quæ vt in totam Ecclesiam, ita præcipuè in Theologorum nomen, ac caput, hostiliter conspirarunt: quæ vt totius Ecclesiæ, ita præcipuè Scholæ Theologicæ authoritatem, ac fundamenta conuellunt.

Quas sanè nefarias, & sceleratas improbissimorum hominum cogitationes, vt Satanas promoueret, ac effectui aliquando daret, infinitas in hunc ordinem calumnias congessit, conuitiis & opprobriis inauditis, Theologorum Principes cõspersit, ac apud rudes & indoctos traduxit: nulli conrumeliæ, nulli mendacio, nulli blasphemię parcẽs, vt hanc aliquando grauissimorum virorum, saluberrimam authoritatem conuelleret, & senes, vt aiunt, è ponte deturbaret. Sed inter cæteras, quæ sanè & dictu nefandæ, & numero penè infinitæ sunt, nulla profectò fœdior, nulla grauior, nulla perniciosior cõtumelia, calumnia, blasphemia excogitata, & in medium prolata, ab illis Satanæ ministris est, quàm ea vna, qua totum recentiorum Theologorum, ac Patrum venerandum Senatum, è subselliis detrahere, totam posteriorum horum temporum diuturnam seriem perfidiæ damnare, totos denique hos mille annos, Christiana fide penitus exuere, vna impudentissima Præscriptione, & effronti audacia, sunt ausi. F Sic enim (vt vno verbo infinitam eorum insaniam complectar) præscribunt hodie, contra Ecclesiam, cõtra Scholas, contra Theologos & Scriptores Ecclesiasticos, infausti huius ætatis hæretici, vt dicant, hos totos mille annos, in tenebris plusquàm Cymmeriis volutatos, ac fœdis superstitionibus penitus immersos, Christianæ professionis nomen tantùm obtinuisse, fide caruisse, omnes qui eo toto tempore scripserunt, docuerunt, floruerunt, seu scholasticos, seu quoscunque alios Scriprores, ac magistros Catholicos, cæcos Duces fuisse, proindéque in discutiendis quæ hodie vigent innumeris illis controuersiis, solos illos primæ Ecclesiæ Patres, solos primorum quatuor, vel quinque, vel ad summum sex centenariorum Scriptores esse audiendos. Qui autem ea tempora sequuntur, seu sanctus ille Gregorius, seu Beatus Bernardus, seu Venerabilis Beda, seu quisquam alius fuerit, eos omnes tanquã infames homines & iam falsitaris conuictos, à publico veritatis testimonio, esse repellendos. Hanc iniquissimã impudentissimorũ hominum

A hominum & ſuperbiſſima Præſcriptione conuellere, ſimúlque Recentioris huius ętatis fidem, Patrum & Theologorum authoritatem tueri, hoc ego tempore, hac oratione noſtra, donãte Deo, inſtitui. Neque enim vel huic loco, vel his temporibus, vel auditorum horum grauitati, ac prudentiæ accommodatius, aut gratius, me quicquam poſſe dicere, exiſtimaui.

Hanc autem Recentioris huius Eccleſiæ Apologiam ſic inſtituam, hanc arrogantiſſimæ hæreticorum Prę́ſcriptionis proiectam audaciam ſic retundam, vt primùm quidem quàm ſit ea iniqua, & ab omni penitus ratione aliena, duabus potiſſimũ de cauſis oſtendam. Secundo loco, quanta cum blaſphemia ſit eadem coniuncta, dilucidè demonſtrẽ. Hæc duo capita, dum pro huius quidem temporis ratione breuiter, pro rei autem dignitate, quàm poſſum grauiter, & ſolidè, pertracto, diligenter quæſo, quod facitis, attẽdite. Partitio.

Ab initio ſtatim infauſtę huius & nefandæ hæreſis, quæ ſua nunc immani colluuie, & tetra fœditate, totum penè Chriſtianũ orbem (proh dolor) conſpurcauit, non defuerunt viri docti, & Theologi eruditi, qui cum ipſis infandæ huius ſectæ magiſtris, cõſertis quaſi manibus dimicarunt, & pro fide Catholica ſtrenuè cõcertarunt. Illos inſignes & præclaros viros hîc recenſere, nõ eſt opus. Ipſi beata iam ſunt in pace, & viuunt nomina eorum in æternum. In hac autem concertatione præter ipſas ſacroſanctas Scripturas, Cõciliorum, Synodorum, ſanctorum Patrum ac doctiſſimorũ Eccleſiæ luminũ, ſacroſancta Decreta, ſolidæ rationes, clariſſima teſtimonia, à noſtris in mediũ proferebantur. Horũ
B quùm ſe & multitudine obrui, & authoritatis pondere proſterni videret Lutherus, Melanchthon, Caluinus, & cætera illa ſceleratorum hominum turba, eorũ maximè qui his iam poſtremis centenariis in ſumma fidei pace liberè, clarè & dilucidè de rebus omnibus ſcripſerunt, nec illa in ſuas partes aliquo modo trahere ſe poſſe cernerent: omni ſtatim depoſito pudore, omni exuta boni viri facie, impudentiſſimè clamare cæperũt, hos poſtremos Centenarios, non fidei Chriſtianæ, ſed ſuperſtitionis cuiuſdam Papiſticæ tẽpus fuiſſe. Ad primam Eccleſiam, ad antiquiores Patres appellãt. Illam eſſe ſolam purã, & illibatam fidem, quam primi poſt Apoſtolos magiſtri tradiderũt, quęq́ue ex primorũ tantum Centenariorum monimentis erui poſſet, inuidioſè clamitant. Hinc factũ eſt, vt Lutherus quidem in captiuitate Babylonica, Caluinus in Epiſt. ad Sadoletum, & in Prophetas paſſim, Melanchthon in locis communibus poſteriùs editis, & Andreas Smidelinus in Reſpõſione ad Apologiam Frederici Staphili, primos tantùm 500. poſt Chriſtũ annos Eccleſiæ Chriſti concedant, reliquos mille annos nõ Chriſti, ſed Antichriſti eſſe clamitantes. Hinc porrò fit, vt poſteriorum Patrum ſcripta ſanè omnia & ſingula, ac totius huius temporis teſtimonium, inaudito quodam faſtu ac ſupercilio, nõ vt Ariſtarchi cenſoria aliqua virgula notent, ac corrigant, ſed vt noui quidã Cęſares penitus abrogẽt, & toto orbe Romano exulare iubeãt. Hinc deniq; Prę́ſcribũt nobis pro ſuo imperio, in cõtrouerſiis de Religione tractãdis, ſeu ad praxim illæ, ſeu ad doctrinã ſpectẽt, nõ niſi ex primis illis annorum Cẽtenariis, petenda teſtimonia, depromenda exempla, adhibenda cauſæ patrocinia. Ac nos quidem ſanè antiquiſſimorũ Patrum Venerandis veſtigiis, ita cupidè inhæremus, & purioris illius Eccleſiæ (vt loquuntur) teſtimonia tãta auiditate ininquirimus, vt ex illis penè ſolis, noſtrorum de rebus hodie controuerſis libri cõſiſtant, Status.
C illis penè ſolis innitantur. Quod ſanè adeo cõfidenter faciũt & fecerunt ſemper Catholici Scriptores, vt nemo adhuc (quod ſciam) Catholicus contra hanc iniuſtiſſimam aduerſariorũ Præſcriptionem, vel verbum ſcripſerit. Id quod ex optimę ſuę cauſæ magna confidentia faciunt, nõ quia Præſcriptionem tam ſuperbam probent, aut vlla ratione ferendam putent. Nam ita antiquiorum ſeculorũ teſtimonia perquirere, vt poſteriora impietatis & cęcitatis dãnemus, vel illis nos ſolis aſtringi debere putemus, illud verò & impium & iniquiſſimũ. Quod vt nunc probemus, iniquitatem huius nefariæ Præſcriptionis, primo loco (vt antea propoſuimus) oſtendemus. Eam verò duobus nos modis probaturos diximus.

Primũ ergo, iniquã eſſe hãc Præſcriptionẽ dicimus, propter paucitatẽ Scriptorũ, qui 1.
ex primis illis Cẽtenariis nobis iã ſuperſunt. Deinde propter modũ ipſum, quẽ in ſcribẽ- 2.
do illi primi Patres tenuerũt. Hoc vtrumq; quũ breuiter oſtendero, ad impietatẽ huius 3.
nefariæ Præſcriptionis explicãdã, noſtra ſe cõuertet oratio. Paucitatẽ ergo primę Eccleſiæ Scriptorũ (quæ primi capitis prima probatio inſtituta fuit) multis argumẽtis colligim⁹. Nã vt de ipſis Euãgeliis, & Epiſtolis Apoſtolicis nihil dicamus, quæ oĩa data potius Paucitas ſcriptorum primæ Eccleſiæ.

occasione, quàm dedita opera scripta fuisse, & antiquissimi Historiographi notarunt, & D

Lib. 3. cap. 24.

ipsa legentibus argumenta ostendunt, eorum sanè proximos successores *scribendi minimam habuisse rationem, nec tam edendis libris, quàm erudiendis populis operam dedisse*, scribit apertè Eusebius Pamphili in Historia Ecclesiastica. Et sanè qui attentius totam illam vetustissimorum Scriptorum Bibliothecam euoluit, reperiet illam ferè omnem aut in hæreticis & gentilibus confutandis, aut in Epistolis & Apologiis occasione aliqua data scribēdis consistere.

Hinc Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Iustini Martyris, Ignatij & aliorum scripta. Pauci enim, aut nulli eo tempore (primis dico centum aut ducentis annis) vel Scripturas relictis commentariis illustrarunt, vel Homilias suas ad populum scripto reliquerunt, vnde certior Sacramentorum, & doctrinæ hodie controuersæ ratio, hauriri possit. Postea quidem hæc cæpta fieri, sed perpetua quasi illorum temporum, vel à gentibus vsque ad annum trecentesimum & amplius, vel ab hæreticis vsque ad annum ferè quingentesimum persecutio, ita partim scribendi hoc studium perturbauit, partim quę scripta erant, è medio sustulit, alia quoque infortunia, totas nobis toties Bibliothecas eripuerunt, vt rarissimos iam horum temporum Scriptores, necessariò habeamus. Huius rei locupletissimi testes esse possunt eorum libri, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis scripserunt. Qui enim Eusebium, Hieronymum, Cassiodorum, Gennadium, Trithemiū, Honorium, aliósque legerit, & quot iam Scriptores, etiā ab illis enumerati perierint animaduerterit, non sine lachrimis, opinor, videbit, quanta iam veterum Scriptorum penuria laboremus. Causas verò penuriæ istius varias & multiplices inuenio. E

Causæ iacturæ veterum Scriptorum.

In trecētis illis primis post Christum annis, Antequā Imperatore Constantino, Christianam fidem amplectente, pax Ecclesiis redderetur, persecutiones illæ à prioribus imperatoribus, contra Ecclesiam excitatæ, non minus librorum erant, quā hominum non minus codicum, quàm corporum. Vnde apud Christianos, non tantùm qui fidem abnegabant, sed & qui libros & scripta sacra persecutoribus tradebant, Apostatæ habebātur. Hinc illa nominatissima Cæciliani Carthaginensis Episcopi (vnde & donatistarum scisma ac postea hæresis emersit) accusatio agebatur, quòd in persecutione Diocletiani, libros sacros tradidisse diceretur: ex quo factum est, vt Catholicos tunc Cæciliano cōmunicantes, Donatistæ traditores appellarent. Porrò in grauissima illa decem annorū persecutione, sub Diocletiano, & Maximiliano Imperatoribus, sacri libri, & Patrū enarrationes (vt notauit Nicephorus) in foro comburebantur. Quantam hîc optimorū Authorum iacturam factam esse putare possumus? Licinius ille Tyrannus, vnà cum Constātino Magno aliquandiu imperans, ita præclaram huic rei nauabat operam, vt *literarum hostis*, ab Historicis vocaretur, & in Osorio. At vero Iulianus Apostata, omni prorsus literarum studio, Christianis interdixit. Valente quoque Imperatore, crudelissimas de successore suo agitante quæstiones, omniáque omnium scripta, & scrinia, perscrutante factum est (vt notauit Ammianus Marcellinus) *vt per Orientales prouincias omnes, metu similiū exurerent libraria omnia, Tantus vniuersos inuaserat terror.* Neque verò sub his tantùm Imperatoribus crudelitate, & terrore, omnia permiscentibus perierunt nobis Authores boni, & antiquissimi illi primorum temporum Scriptores. Hic enim si conquieuisset hoc malum, posterorum saltem industria resarciri illud potuisset. Verum accessit his malis, immanis illa Barbarorum turba, Vandalorum, Hunnorum, Gothorum, Herulorum & his similium in Romanum Imperium, Africam, Hispaniam, Galliam, Italiam, totúmque etiam Orientem circa quadringentos post Saluatorem annos irruentium, omniaq; vastantium, sacraq; ac prophana miscentium. Notauit hoc circa hæc tempora Sabellicus, cùm diceret, *ob multorum populorum incursiones, optimorum Authorum destructiones esse consecutas.* Huius quoque rei argumentum, ex Augustino colligi potest, sub cuius mortem, prima illa Vandalorum irruptio, in Romanum Imperium incidit. Scribit enim alicubi, *perpaucos fuisse suo tempore in lingua Latina Scriptores. In Græca autem*, inquit, *quis numeret?* At verò hodie ex vetustissimis illis primorum temporum Scriptoribus qui Augustinū pręcesserunt longè plures habemus Latinos, quàm Græcos. F

Vide August. lib. cōtra Fulgentium Donatista. Numer. 12. & lib. 7. c. 1. 2. De baptism. contra Donat.

Lib. 7. cap. 3.

Histor. Tripart. lib 1. cap. 9. lib. 7. cap. 28.

Tripart. Hist. lib. 6. cap. 17.

Lib. 29. Histor.

contra Faust. lib. 3. cap. 2.

Ex quo constat, magnam post eum vastationem consecutam. Porrò in Concilio Carthaginensi tertio, cui interfuit Augustinus, citatur *Capuensis quædam plenaria Synodus.* Huiusmodi nunc extat nulla. Citatur etiam sæpissimè ab Augustino contra Donatistas disputante, *plenarium totius Orbis Concilium pro Baptismo Hæreticorum non iterando.* Quo etiam

Can. 38.

A vtitur tanquam antidoto fortissima, contra Concilia illa Africana, quibus tantopere Donatistæ innitebantur.

De bapt. par. lib.1.cap.18. & lib.4.cap.6. lib.6.cap.7. & 13.

Huiusmodi tamen Concilium hodie non reperitur. Nam quòd quidam hodie docti viri, illud ab Augustino toties commemoratum, Nicenum illud magnum, & primum esse putant, mihi nullo modo fit verisimile. Est enim plus quàm probabile, si Nicenum illud fuisset, quòd vel semel illud in creberrima illa mentione facta, Augustinus nominasset: tum propter illius Concilij Authoritatem maximam, tum propter controuersiæ quam tractabat magnitudinem. Sanè in re multo minoris momenti illud Concilium nominatim citat.

Deinde tale videtur hoc concilium fuisse quod ob hanc potissimum quæstionem de baptismo hæreticorum vocaretur. Niceni verò Concilij causas, ex proposito commemorans, & commendans Athanasius, in Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ, de hac re prorsus tacet. Rursum tale erat hoc Concilium, quod aliis variis Synodis & in Africa, & in Asia hac de re collectis satisfaceret, eásque ita corrigeret, vt Episcopi ipsi, tam Africani, quàm Orientales, qui cum Cypriano contrarium decreuerant, sententias suas hac de re postea mutarent. Nam ita hoc factum fuisse illustres testes sunt Sanctus Augustinus contra Cresconium Donatistam, libro tertio capite secundo, & paulò antè eum Hieronymus, qui *eosdem ipsos Episcopos nouum emisisse decretum narrat.* Quod certè tam cito, & tam solenniter factum non fuisset, sine Concilij magis vniuersalis ipsis adhuc viuentibus congregati authoritate. Quod si ita est, Nicenum multis annis præcesserit necesse est. Nam quòd Diuus Hieronymus scribit loco citato, Nicenam Synodum omnes hæreticos suscipere, exceptis Paulianistis, est quidem ita vt in Can. 19. illius Synodi illos solos rebaptizandos censeat: sed non propterea illud fuisse Concilium, de quo toties Augustinus loquitur, inde colligitur, quòd in eo Can. de tota hac quæstione, nihil directè concluditur, nec euidenter asseritur: quod tamen in illo Concilio, toties ab Augustino citato euidentissimè, & plenissimè, factum fuisse, ex illa tam frequenti & confidenti eius citatione facilè constat. Quare excidit nobis haud dubiè, Concilium illud longè grauissimum, atque plenarium. Quid quod multis ante Augustinum annis in Synodo secunda Arelati habita allegatur *generale Concilium sub Beati Martini* vel (vt alij legunt) *Maurini tempore ex omnibus mundi partibus in eadem vrbe Arelatensi celebratum*? Sed eius hodie ne vestigium quidem apparet. Ex quibus omnibus perspicuum fit, posterioribus haud dubiè persecutionibus, grauissima hæc primæ Ecclesiæ monimenta erepta nobis esse.

Epist.110.aliisque in locis.

In Dialogo aduersus Luciferianos.

Can.18.

Neque verò ab externo solùm hoste passa hæc est Ecclesia, aut ab infideli tantùm & Barbaro, sed & à Domesticis quoque, quos enutriuerat vt filios, sed ipsi spreuerunt eam. Nam & hæretici quoque Catholicorum libros, & scripta crudelissimè, si quando fortiores eos esse contigerat, depopulabantur. Ariani Bibliothecam Alexandri-
C nam, optimis, & antiquissimis Authoribus instructissimam, penitus incenderunt.

Cuius rei locupletissimus testis est Athanasius ille Magnus, reliquíque Ægypti Episcopi, dum Marco Roman. Pontifici *pro exemplaribus Niceni Concilij* eo quoque tempore, *incendio absumptis* scribunt, simúlque *Arianorum tyrannidem, in Episcoporum libris concremandis* ostendunt. Pestis ista Arianica quantò diutiùs ac potentiùs Orbem Christianum occupauit, tantò ab ea grauiùs ac vehementiùs, hoc in genere peccatum fuisse, verisimile est. Sed & Donatistæ, patrum suorum hæreticorum mensuram implentes, si Augustino credimus, *Catholicorum libros incenderunt.* Atque hæc quidem omnia in prima illa Ecclesia, & intra quadringentorum plus minus annorum ambitum, contigerunt. Iam verò si posteriorum persecutionum, & vastationum Historiam, vsque ad annum Domini sexcentesimum texere vellemus, & quas toti Italiæ ferè ducentis annis, Longobardi clades intulerunt perstringere, immane quantus dicendi campus, in quo excurrere posset oratio, daretur. Ego verò ex paucis his exemplis, liquidò iam vobis constare arbitror, quanta necessariò ex his, quæ diximus, Scriptorum antiquissimorum paucitas consequatur.

In Epist. ad Marcum Papam.

contra Gaudentium lib. 2.cap. 14.

Quæ cùm ita sint, quàm inhumaniter & iniquè, ne dicam temerè & impudenter, illi agant, qui grauissima fidei nostræ Mysteria, adeóque singulos ritus ac ceremonias, non aliter agnoscunt, nisi ex hac incertissima Antiquorum Scriptorum paucitate, certa

illis & manifesta omnia, idque abundanter, & copiosè reddantur, vestro iam omnium D iudicio perpendendum relinquo.

Mysteria fidei partè & obscuriora prima Ecclesia scribi solita. Venio nunc ad primi capitis secundam causam. Iniquissimam enim esse hanc hæreticorum de primis illis quingentis aut sexcentis annis præscriptionem dicimus, non solùm propter Scriptorum illius temporis, qui quidem hodie supersunt, paucitatem, sed multò magis propter modum ipsum scribendi quem illi antiquissimi Patres & Scriptores tenuerunt. Nempe, sicuti Apostoli ipsi (vt diligenter notauit Eusebius Pamphili in demonstratione sua Euangelica) *quæcunque à Christo quasi sapientioribus, & magis spiritualibus præcepta fuerant, illa in tantùm quos capaces eorum esse intellexerant, sine scripto tradiderunt, quæ verò infirmioribus, & vulgo fidelium conuenire existimabant, eorum quædam quidem in scripto reliquerunt, quædam verò per sanctiones & ritus, non scriptos obseruanda tradiderunt*: ad eundem planè modum, & primæ Ecclesiæ Patres, quotquot sexcentis illis primis annis floruerunt, Apostolorum vestigia, & exempla sequuti, fecerunt. Notauit hoc in illis disertè Basilius Magnus, moremque ac studium istud Maiorum suorum, pluribus uerbis & commemorat, & commendat.

Lib. 1. Cap. 6.

Cap. 27. Sic enim in libro de Spiritu Sancto, postquam varias traditiones, tacita & arcana doctrina relictas, enumerasset, subiungit: *Reliqua item ex qua sunt scriptura? Nonne ex hac non publicata & arcana doctrina, quam in minimè curioso ac sollicito silentio Patres nostri conseruarunt? Rectè illi: vt pote docti, Mysteriorum reuerentiam, ac authoritatem, silentio custodiri. Quæ enim ne inspicere quidem fas erat, non imitatis horum doctrinam, quomodo par erat in literis velut in triumpho ostentare?* Comparatione deinde facta cum Sanctuario veteri, eiusque arcanis mysteriis, *ad eundem*, inquit, *modum etiam hi qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt, Apostoli & Patres, in occulto ac silentio mysteriis, Authoritatem conseruarunt.* Nimirum aderant tum permixti Christianis in vrbibus Ethnici & Iudæi, in Ecclesiis Catechumeni, idque totis illis sexcentis annis, vsque ad Gregorij Magni tempora. Hinc factum est, vt nec dicentium vel libera in Ecclesiis audiretur, nec manifesta in scriptis libris doctrina legeretur: peruentura haud dubiè in aduersariorum manus, quibus nec doctrina ad sugillanda, nec malitia ad irridenda nostra mysteria deerat. E

In Apologetico cap. 9. Hinc Tertullianus quùm grauissima illa de infanticidio calumnia obiiceretur, licet Apologiam institueret, tamen de Sacrificio Christianorum, summo silentio tacuit. Sic *Lib. 9. contra Iulianum.* Cyrillus Alexandrinus, obiicienti & quærenti semper Iuliano Apostatæ, cur non sacrificaremus, de mentis & animi spirituali sacrificio, fusissimè respondet; de Ecclesiæ illo singulari & mystico Sacrificio ne verbum quidem. Sed apertissimè hunc Patrum sui *De Theologia lib. 1.* temporis morem notauit Gregorius Naziãzenus. Sic enim scribit. *Non cãtemus*, inquit, *canticum domini in terra aliena, videlicet citra vllum discrimen quibusuis audientibus siue ij sint generis nostri, siue peregrini, amici, siue inimici, candidi, siue maligni, quorum vnicum est studium nostris insidiari.* Et paulò pòst. *Quòd si sapientiam nobis inimicam* (admixtos Philosophos & infideles intelligit) *explodere non licet, in illud saltem vno consensu incumbamus, vt secreta quæ sunt, & à vulgi conspectu semota, secretò quoque tractemus, & quæ sancta sanctè. nec in profanas aures, quæ silentio sunt adoranda, proiiciamus. Alioqui declaramus apertè, quia qui Dæmonia adorant, & turpium tùm fabularum, tùm rerum sunt cultores, eos nobis esse longè Religiosiores. Illi enim hi qui non eisdem initiati sunt sacris, sanguinem suum citiùs quàm quædam arcana sua impartirent.* Hæc ille. F

Adeo autem celandorum hoc Mysteriorum, in Christianis studium, etiam ipsis Ethnicis innotuit, vt Aurelianus Imperator Ethnicus, sic ad Pontifices suos Ethnicos Romæ agẽtes scripserit, vt meminit in eius vita Flauius Vopisc⁹. *Miror*, inquit, *vos patres sancti, tam diu de aperiendis Sybillinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis.* Intellexerat videlicet homo Ethnicus & gentilis, in Christianorum Ecclesia Mysteria omnia, ritus ac ceremonias sacras ita summo quodam & sacro silentio occultari, vt earũrerũ nihil ad prophanorũ hominum aures, peruenire vnquam potuerit. Quòd si fortè tandem aliquando, fidei quædam Mysteria, Patres illorum remporum fusius, & apertius pertractabant, id hæreticorum sola importunitas extorsit. Sic enim in causa Trinitatis omnium sanè diuinissima, & difficillima, variæ illæ Sabellij, Arrij, Macedonij & Eunomij hæreses ad diligen-

Vopiscus in Aureliano.

A tiſſimam, & munitiſſimam, Myſterij illius altiſſimi diſcuſſionem, vel inuitos Patres trahebant.

Notauit hunc Eccleſiæ morem Auguſtinus, ſic ſcribens: *De Trinitate perfectè tractatum non eſt, antequam oblatrarent Arriani: de Pœnitentia perfectè tractatum non eſt, antequam obſiſterent Nouatiani; de Baptiſmate perfectè tractatum non eſt, antequam contradicerent rebaptizatores Donatiſtæ.* In illis autem fidei ac doctrinæ Catholicæ dogmatibus, de quibus totis illis ſexcentis annis dubitatum, aut controuerſum non erat, (qualia plæráque ſunt, quæ hodie ex certis, & indubitatis, controuerſa & dubia fecit improbitas, & impietas hæretica) illorum temporum Patres parciſsimè & rariſsimè, diſſeruerunt.

Hoc ita ſe habere, in quibuſdam Eccleſiæ Sacramentis, de quibus tunc fiebant nullæ, hodie plurimæ, & maximæ fiunt controuerſiæ, exempli cauſa clariſſimè demonſtrabitur. Beatus Chryſoſtomus è ſuperiori loco apud populum agens, quum de baptiſmi ritibus apertè aliquid diſſerere, quàm maximè cuperet, non liceret autem per prophanos illos & catechumenos Concioni admixtos, ſic auditores ſuos allocutus eſt: *Cupiam ſanè clarè proferre verba, ſi per prophanos illos liceret* (Ethnicos, & Catechumenos, quibus Conſtantinopolis abundabat, intelligit:) *Nam hi difficiliorem nobis interpretationem reddunt. Cogunt enim, aut non clarè dicere nos, aut myſteria vulgare. Dicam tamen, ſed quantum fieri poteſt adumbratè. Nam poſt arcana illa verba & metuenda, poſt horribiles canones, dogmatum de cælo transmiſſorum, ad finem adiungimus, Credo in reſurrectionem mortuorum.* Hæc ille. Baptiſmi ritus & cerimonias inſinuans, quas hodie vſque tenet Catholica.

De Sacramētis quam parcè olim ſcriptum fuerit.

Homil. 40. in 1. ad Cor.

B

Idem de Sacramento Ordinis, eiúſque item ceremoniis, ſic alibi ſub inuolucro loquitur, *Ordinaturus*, inquit, *adſtantium vocat preces, & ipſi ſententias ferunt & acclamant, id quod initiati faciunt. Non enim fas eſt, non initiatis omnia detegere.* Hæc ille. Eundem quoque morem Innocentius 1. Roman. Pontif. huius σύγχρονος, & contemperaneus ſeruat. De Sacramento enim Confirmationis, ex quæſtionis cuiuſdam occaſione diſſerens, quum multa dixiſſet, *Verba verò* (inquit) *dicere non poſſum, ne magis Myſterium prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.* Atque hæc in illis tribus Sacramentis, ſic illis tunc temporibus ſcripta videmus.

In 2. ad Cor. Homil. 18.

Epiſt. 1 cap. 3. ad Decētium.

In genere autem, de omnibus Myſteriis eundem obſeruatum ſemper morem fuiſſe, tradit apertè Diuus Ambroſius, in lib. de iis qui initiantur myſteriis. Illum enim ſermonem ſuum, quia non niſi ad iam baptiſatos habebat, ipſemet rationem reddit his verbis. *Nunc de Myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante Baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam, nondum initiatis, prodidiſſe potius quàm edidiſſe æſtimaremur.* Hæc ille, apertiſſimè morem Eccleſiæ veteris, quem iam diximus demonſtrans.

Cap. 1.

Iam verò in ſummo omnium, & celebratiſſimo venerabilis Euchariſtiæ Sacramento, circa cuius materiam, ſubſtantiam, effectum, vſum, ritus, ac ceremonias, infinitas hodie nobis controuerſias, quæſtiones, lites, & contentiones, infauſta hæc noſtrarum temporum hæreſis, peperit, paritque indies, quantis perpetuo compendiis, & βραχυλογίαις primorum ſeculorum Patres ſunt vſi, quàm nihil clarè, nihil apertè, nihil copioſè, ſed omnia ſuccinctè, myſticè, & quaſi ſub ſilentio tradiderint, plurimorum nunc Patrum breuibus ſententiis, breuiter ab oculos ponam.

C

Origenes antiquiſſimus Græcorum Scriptor, cùm de hoc myſterio pertractaret, tanquam rem notam, nec vulgandam citò præterit, dicens: *Nouit qui Myſteriis imbutus eſt, Carnem & Sanguinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & ſcientibus nota ſunt, & ignorantibus patêre non poſſunt.* Idem facit Homil: 13. eiuſdem operis. Tertullianus ad vxorem ſcribens; *Non ſciet,* inquit, *maritus quid ante omnem cibum guſtes? & ſi ſcierit panem, non illū credet, qui dicitur.* Sub nube hęc ita proferuntur, vt ſi in ea fortè incidat Ethnicus, non capiat myſterium.

Orig. in Leuitic. Hom. 9.

Lib. 2. ad vxorem.

Sic Epiphanius, quum hiſtoriam Cœnæ Dominicæ obiter vellet exponere, prorſus à Sacramenti verbis abſtinet. *Videmus,* inquit, *quod accepit Saluator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quòd ſurrexit in Cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egit, dixit, hoc meum eſt hoc, & hoc.* Quis hæc niſi Chriſtianus, iſque ſacris Myſteriis initiatus, intelligeret? Hoc nimirum eſt myſticè Myſteria tractare. Iſychius ſimiliter vetuſtiſſimus Scriptor, quum de hoc Sacramento verba faceret: *Præueniens,* inquit, *Dominus ſemetipſum*

In Anchoratu

Lib. 1. ca. 4. in Leuiticum.

in Cœna Apostolorum immolauit, quod sciunt qui Mysteriorum percipiunt virtutem. Videre vt D ad scientes loquitur, non vt nescientes quicquam doceat. Eodem planè modo Theodoretus, quotidiani Sacrificij vsum, vnicæ in Cruce oblationi minimè repugnantem, volens insinuare, *Clarum*, inquit, *est hu qui sunt in diuinis rebus eruditi, nos non aliud Sacrificium offerre, &c.* Ita rursum commonefacit, tanquam de re nota, nihil autem clarè docet, aut demonstrat ipse. Manifestius verò hoc alibi facit. Interrogante enim aduersario, *quid appellas donum quod offertur ante inuocationem sacerdotis*, respondet orthodoxus. *Non oportet apertè dicere. Est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos.* Móxque respondetur ænigmaticè, tacitis panis & vini vocabulis D. autem Chrysost. etsi vnus omnium copiosissimè, & frequentissimè de hoc Sacrificio, & Sacramẽto scripserit, nihil tamen apud eum compendiis istis, & præcisionibus frequentius. Agens enim hac de re apud populum; *Sciunt*, inquit, *initiati quid dicatur*; & alibi: *Scitis qui imbuti estis Mysteriis.* Et iterum: *Nostis id quod dicimus: siue sexta feria, siue Sabbato, siue in Dominica die, siue in celebritate Martyrum, eadem litatur hostia, idem immolatur Sacrificium.* Rursum quoque: *Sequamur*, inquit, *initiati, quæ dicuntur, norunt fideles.* vt in Oriente Chrysostomus, ita in Occidente Augustinus, plusquam Laconica verborum breuitate vtitur, quoties de hoc mysterio differit. Agens enim alicubi, apud populum de Ecclesiæ Sacrificio, *Nostis*, inquit, *quale Sacrificium: norũt fideles.* Et ibidem paulò pòst: *Norunt fideles. Disputari inde modò non potest.* Et alibi: *Nouerunt* (inquit) *qui legunt, quale Sacrificium obtulerit Melchisedech.* Quam locutionis formam multis in locis vsurpat. Contra aduersarium legis & Proph. cap. 20. In Psal. 33. Conc. 1. in Ioan. E Tract. 26. Ex quibus omnibus loquendi formulis, quum constet, Patres illorum temporum, de Sacramentis religionis nostræ, nihil fusè pertractasse, nihil copiosè disseruisse, nihil aperta narratione demonstrasse, sed parcè & breuiter summa rerum capita attigisse, & res grauissimas leuiter ex proposito prætervolasse, omniáque ad auditorum, & legentium notitiam retulisse; quis non videt, iniquissimam esse illorum, & ab omni ratione, ac æquitate alienissimam Præscriptionem, qui dogmata hodie controuersa, maximè circa doctrinam Sacramentorum, & Religionis cultum, non nisi ex illorum Patrum, ac seculorum documentis clarissimis, testimoniis apertissimis, praxi perspicua, & dilucida peti, probari, & demõstrari volunt? Quum enim isti nullam prorsus rationem habeant, vel eo tunc tempore scribentium paucitatis, vel librorum quæ inde secuta est, iacturæ & infinitæ vastitatis, vel ipsius in scribendo breuitatis, ac parcitatis, seu propter primorũ Patrum, in mysteriis fidei occultandis reuerentiam, seu propter Ethnicorum & Catechumenorum, perpetuam cum fidelibus commixtionem, istos sanè homines corúmq; furiosam Præscriptionem, ab omni penitus ratione esse alienissimam, quis dubitet?

In commẽt. ad cap. 8. cum Heb.

Dial. 2.

Homil. 27. in Gen.

Hom 22. ad Hebr. Hom. 5. in 1. ad Tim. Hom. 51. & 61 ad pop. Antio.

Enarrat. in Psal. 21. cõc. 2.

Venio nunc itaque, ad alteram illam Orationis nostræ partem, longè grauissimam, & vestra (ornatissimi Auditores) diligenti attentione dignissimam, in qua non de iniquitate, temeritate, aut leuitate aliqua, sed de nefanda, & abominanda, Christianisque auribus, & cordibus detestanda blasphæmia, Præscriptionis huius impudentissimæ, agendum nobis erit. Hoc ergo in loco, hac in causa, nõ animis solùm, sed & affectibus adeste, mecúmque impietatem istam, post hominum memoriam sceleratissimam, serio considerate. Quid enim est quod audent, aut potius quod non audent dicere? Ausi sunt & dicere, & scribere, & toti posteritati editis libris commendare, his totis mille annis, totum Christianum Orbem, sub Papatũ, (sic enim loquuntur isti κακόδοξοι) superstitionibus infinitis inuolutum, erroribus innumeris implicatum, idololatriæ denique cuiusdã crassissimæ, reum fuisse. Ipsum porro Ecclesiæ Caput & Principem, ipsummet esse Antichristum: *Nos enim* (Ait Caluinus) *scelerati illius & abominandi sub Antichristo regni, Ducem & Antesignanum apud nos facimus Rom. Pont.* Cæteros autem Episcopos, Abbates, Monachos, Præsbyteros, totúmque Clerum, ac populum Christianum, quotquot iam his mille annis Rom. Pont. vt Vicario Christi, obedientiam præstiterunt, membra esse Antichristi & filios perditionis. Theologos porrò, ac Scholasticos, magistros omnes, qui hoc toto tempore docuerunt, tenebrarum magistros, cæcos duces, atque adeò, vt verbo cõtumeliam addant, parasitos Pontificios, & lixas regios, superbissimè appellitant. O sceleratam blasphemiam. O proiectam audaciam. O portenta hominum in vltimas terras deportanda, imò ex omni terrarum Orbe, quàm longissimè exterminanda. Liceat hic mihi (per vestram omnium humanitatem & pietatem, rogo) mutato nonnihil orationis genere, ipsos hic aduersarios nostros compellare, & ad illos tanquam præsentes

Part 2. De impietate Præscriptionis huius.

Institut. lib. 4. cap. 2. par. 12.

A Orationis velum conuertere.

Vos hic ergo compello tota Proteſtantum confuſa turba, vos ſanctæ Eccleſiæ (Matris olim veſtræ, ac adhuc etiam noſtræ) non iam filij, ſed ſpurij & Apoſtatæ, ad vos hæc noſtra ſe cõuertit Oratio. Illáne Eccleſia verbi Dei Incarnatione fundata, cœleſtibus promiſſis ſtabilita, Sanguine Vnigeniti redempta, aduentu S. Spiritus confirmata, Apoſtolica prædicatione erudita, Martyrum cruore ſignata, poſt ſexcentos tandem annos veſtro iudicio deſiit, vt mille penè iam annis ſeducta, & nequiſſimis erroribus implicata, in fine tandem ſeculorum apud paucos reuiuiſceret? Hocne in Euãgelio reperitis? Iſtúdne ex verbo Dei didiciſtis? An non prorſus contraria legitis? *Ego*, inquit Saluator, *vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi: quæ cùm diceret, Apoſtolis loquebatur, ſed nos intelligebat*, ait Auguſt. *Nunquid enim Apoſtoli hic futuri erant vſque ad conſummationem ſeculi?* Ecce ergo perpetuò, præſentem Eccleſiæ ſuæ auditis Chriſtum. Vſque ad conſummationem ſeculi dicit, non in cõſummatione ſola: vſque ad finem, non in ipſo fine tantùm: vſque ad exitum rerum, non in ipſo demum exitu, vt ante exitum tot eam annis deſeruerit. Rurſum *ſuper hanc petram*, ait Chriſtus, *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Aperitè ergo oculos, & videte perpetuam Chriſti Eccleſiam, videte ſolidam, validámque, vt aciem caſtrorum ordinatam, & vt petram im-

(Matth. 16. Enarrat. in Pſal. 47. — Matth. 16.)

B mobilem, aduerſus quam nec portę inferi præualebunt. Et qua fronte vos ſuperſtitiones, qua fronte errores, qua fronte idoli cultum aut in ea, aut contra eam præualuiſſe dicitis? An fortè portæ inferi præualere non potuerunt, ſed portæ Romanæ poterant? Sed & iterum; Chriſtus *rogauit Patrem, vt alium Paracletum daret Eccleſiæ ſuæ, vt maneret cum ea in æternum, Spiritum veritatis.* Si Spiritum veritatis in æternum, quomodo ſpiritum erroris per tot Centenarios? An irrita Chriſti verba, o Verbi Dei Aſſertores, dicemus? aut contra Chriſti diſertiſſima verba, Eccleſiam nobis ſua cæleſti præſentia perpetuò adminiſtrandam, contra portas inferi ſemper muniendam, Spiritu veritatis in æternum dotandam promittentis, & aſſerentis; veſtris vaniſſimis, & ſceleratiſſimis verbis, eam defeciſſe, abertaſſe, & diris erroribus implicatam fuiſſe aſſerentibus, credendum putabimus? Hóccine eſt ad verbum Dei, fidem (quod pollicitamini) reuocare, vt verbis veſtris contra Chriſti verba credamus? Hóccine eſt Euangelij lucem prædicare, vt Euangelij lucem prædicare, vt Euangelium perpetuis iam in tenebris obuolutum, ipſo etiam reclamante Euangelio doceatis?

(Ioan. 14.)

Quid, quòd non Euangelio ſolùm, viri Euangelici apertè cõtradicitis, ſed & propheticam quoque doctrinam (quam vobis ſolis magno ſupercilio arrogatis) hac veſtra præclara Præſcriptio penitus proſcribit? Ecquid enim in Pſalmis, & in Prophetis, frequentius aut clarius reperitur, quàm Chriſti Eccleſiam, a ſuo primùm exordio, ad fines vſque ſeculorum, perpetua ſucceſſione decurrere, & perdurare? Pauca de multis breuiter per-

C ſtringam, & notabo potius, quàm oſtendam. In Pſalm. 88. ſic legimus: *Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generatione & generationem ſedem tuam.* Et iterum: *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mẽtiar, ſemẽ eius in æternum manebit.* Quæ verba ſi cum Iudæis potius ad Salomonem, quàm cum Eccleſiæ Patribus ad Chriſtum referri vultis; (hoc enim inſaniæ veſtræ conuenit) at illa, opinor, ad Chriſtum ſpectare non negabitis, ipſis etiam Phariſæis, & Iudæorum principibus, iam olim præſente Chriſto id confitentibus, quæ idem Propheta dicit: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quòd ſi in æternum Sacerdos, quomodo tot annorũ cẽtenariis, ſine ſacerdotio, ſine Sacrificio, ſine Eccleſia? An fortè dicturi eſtis, quòd dixerũt olim Donatiſtæ cum hæc audirent vt meminit Aug. *Iam hoc factũ eſt. Iam crediderunt in Chriſtũ omnes gentes. Sed illa Eccleſia quæ fuit omniũ gentiũ, iam non eſt, periit?* Imò hæc planè ſunt verba veſtra, hæc vox omniũ veſtrûm eſt, periiſſe his nongentis annis, veram Chriſti Eccleſiam. Ex hoc enim vno abſurdo, illa veſtra Prꝗſcriptio abſurdiſſima nata eſt. At audite, per ſi qua adhuc in vobis reliqua eſt, fidem veſtram, per amores omnes rogo, quid de hac voce, olim Donatiſtarum, nunc veſtra antiquiſſimus ille & ſanctiſs. Pater, Doctórque celebratiſſimus D. Auguſtinus ſenſerit. Sic eam commendat, ſic exornat. *Hanc*, inquit, *vocem abominabilem, & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernicioſam, præuidit Spiritus Dei, & per Prophetam in perſona Eccleſiæ dixit, Exiguitatem dierum meorum nuncia mihi. Quid eſt, quod neſcio qui recedentes à me, murmurant*

(Pſalm. 88. — Pſal. 109. — Enarrat. in Pſal. 101. — Enarrat. in Pſal. 101.)

D

contra me? Quid est, quòd perditi me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt quia fui, & non sum amplius. Annuncia ergo mihi exiguitatem dierum meorũ. Non à te quæro dies illos æternos. Illi sine fine sunt, vbi ero: Non ipsos quæro. Temporales quæro, temporales dies mihi annuncia. Quamdiu ero in isto seculo, annuncia mihi, propter illos qui dicunt. Fuit Ecclesia & non est: propter illos qui dicunt: Impletæ sunt Scripturæ: Crediderunt omnes Gentes: sed apostatauit & periit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annũciauit, nec vacua fuit vox ista. Quomodo annunciauit? Ecce, inquit, *ego vobiscum sum ad consummationẽ seculi.* Hæc hactenus Augustinus contra suos olim Donatistas. Hæc & nos contra vos hodie, non tam nostros, quàm Ecclesiæ, & ipsius Christi aduersarios, simili insania laborantes, similiter proferimus ac repetimus.

De ciuit. Dei Lib. 18. cap 29
In proœmio in Esaiam.
Cap. 9.
Cap. 54.

Sed redeo nunc ad prophetica, & vnum vobis Esaiam non tam Prophetam, quàm Euangelistam (sic enim ab Augustino & Hieronym. nuncupatur) oppono. Sic de Messiæ Regno, quod est Ecclesia, scribit. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super Solium Dauid & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternum.* Rursum sic alibi gentes in persona Dei alloquitur Propheta: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas vltrà super terram. sic iuraui vt non irascar tibi & non increpem te, Mõtes enim commouebũtur, & colles contremiscent: Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dominus.* Potuítne quicquam clariùs aut apertiùs dici? Aut contra hæc quod aliqua fronte vel mussitari queat, habetis? Annon etiam clarissimo Noë exemplo animi sui sententiam Propheta explicat? Non videtis, quòd sicuti post primum illud sub Noë, totius orbis diluuium, nullum tale aliud denuò futurum, Deus certissimè promisit: sic post illam omnium gentium, ante Messiæ aduentum cœcitatem (solis Iudæis, vt tunc solo Noë, cum suis, in arca Synagogæ seruatis) nullam deinceps similem futuram, clarissimè pollicetur? Et audetis tamen vos, (quãquam quid est quod non audetis?) hanc omnium gentium cœcitatem, tanquam nouum totius Orbis diluuium, his totis mille annis, iam factam fuisse ptonunciare? Quid ergo ad hæc Prophetæ verba dicitis, quid vel hiscere potestis? Non desunt acutis hominibus prompta perfugia. Respondet intrepidè Caluinus vester, & in hunc Esaiæ locum commentans, istud nobis non veri commentarij, sed commenti potius vanissimi, homo impudens obtrudit. Sic enim in postremum iam productum locum scribit. *Tametsi* (inquit) *innumeris superstitionibus omnia polluta sint, vt propemodum obrutum fuerit Christianum nomen, aliqua tamen Ecclesiæ forma, quamuis mutila in orbe remansit.* Rursum paulò pòst: *Tametsi Ecclesia fluctuet, atque agitetur variis modis, inter has tempestates, tamen quia Dominus perpetuam sui nominis memoriam esse vult, eam tuebitur ac defendet.* Pulchrè, sanè, & bellè responsura. Schemate quodam & tropo remotionis rhetoricæ, apertissimam & clarissimam veritatem offuscare, verbísque paulò concinnius dispositis, ac connexis, Lectori fucum facere, vafer, & versipellis homo molitur.

E

In commentar. in cap. 54.
In cap 55.

F

Sed non ita facilè manifestissimæ, & fortissimæ veritatis, aut extinguitur splendor, aut retunditur acies; nec verborum fucus, rei grauitatem quasi leuis arundo, immobilem Petram concutere potest. *Pollui omnia superstitionibus innumeris, Obrui quoque propemodum Christianum nomen, & mutilam Ecclesiæ formam remanere,* quæ dicit Caluinus, ex diametro repugnant misericordiæ sempiternæ, qua misertus est gentium Deus; misericordiæ, quæ non recedet ab Ecclesia gentium, & fæderi pacis, quod non mouebitur, quæ omnia dixit Propheta Esaias. Hoc non est prophetæ verba commentario illustrare, sed est Prophetam, & Deum ipsum commenti, & (ô blasphemiam) mendacij arguere. Propterea sanè adhuc apertius idem alibi Propheta eandem hanc Dei promissionem repetit & inculcat. *Quum venerit,* inquit, *Sion Redemptor, &c. Hoc est fœdus meum cũ eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te: & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis seminis tui: dicit Dominus, Amodo & vsque in sempiternum.* Hic ergo quid dicis, Caluine? In hæc verba quid tandem commentaris? quem fucum facies? quam fraudem inuenies? Libet hîc cum Augustino sic in simili causa exclamante, dicere: *O violentia veritatis, quolibet aculeo, quibuslibet vngulis fortior ad exprimendam confessionem.* Hîc enim vi veritatis victus Caluinus, verissima hæc verba vel inuitus protulit. *Promittit propterea inæstimabili hoc bono, Ecclesiam nunquam priuatum iri, quin Spiritu sancto regatur, & fulciatur cælesti doctrina. Parum enim esset nobis, semel offerri Euangelium, nósque Spiritu donari, nisi apud nos perpetuò*

Esaiæ 59.
In lib. contra Donat. post collationẽ cap. 24.

A petuò residerent. Et paulò pòst. *Promissio eiusmodi est, Dominum sic affuturum Ecclesiæ, sicque eius curam habiturum, vt tam priuari doctrina nunquam sinat.* Hic ergo te teneo, Caluine, hic te vrgeo. Hæc te nostra, imò tua te ipsius cruentat oratio. Corruit iam penitus hæc tua, tuorúmque, petulantissima præscriptio. Corruit totius nouitatis, ac falsi nominis Religionis vestræ fundamentum. Corruit simul quicquid tam lubrico fundamento superextruxistis.

Si enim (quod ipsemet fateris,) *inæstimabili hoc bono*, (sic enim rectissimè id vocas,) Ecclesiam suam Deus ditauit, *vt Spiritu Sancto semper regatur, vt cælesti doctrina semper fulciatur, vt apud eam Euangelium perpetuò resideat*, vt denique *sic adsit Ecclesiæ suæ Deus, vt vera tam doctrina nunquam priuari sinat*, quæ omnia tua sunt verba: quanta tu absurditate, quãta impudentia, quanta repugnantia dicis, his totis mille annis *superstitionibus* non paucis, sed *innumeris*, nec quædam, sed *omnia* Religionis Christianæ *polluta fuisse*, ipsúmque *Christianum nomen, obrutum propemodum iacuisse*? Hæccine cohærent? Hæccine conueniūt? An non potius ex diametro, & δὶς διὰ πασῶν vt dicunt, repugnant, & dissident? Sed illum iam, eiusque consimiles missos facio.

Ad vestram nunc prudentiam, grauitatem, æquitatem, amplissimi & ornatissimi Auditores, nostra se reflectit Oratio. Vestrum hic grauissimum iudicium, vestram sententiam appello. De hac istorum hominum admirabili præscriptione, quid pronunciandum sit, ad vestrum planè arbitrium refero. An aliud profectò censebitis, quàm & iniquissimam illam esse, & ab omni ratione alienissimam, & cum summa pariter ac inaudita in Deum ipsum blasphemia coniunctam? Nemini me herclè obscurum iam esse arbitror, diligenter expensis iis quæ diximus, Ecclesiam Christi adeò esse sibi similem, adeò vnam ac eandem, quantum ad veritatis ipsius vim, ac fidei sinceram doctrinã spectat, vt nulla eius ætas, nulla successio, alterâ potior haberi debeat. Non enim ad certa tempora, sed ad perpetuum quoddam tempus, sine aliquo interuallo, diuina quæ audiuimus, verba se porrigunt. Quódque de Ecclesię firmitate, fide, ac robore in Scripturis prædicatur, non minus ad posteriores Ecclesiæ annos, ac ætates, quàm ad priores pertinet. Antiquitati quidem certè multum defertur: sed Ecclesiæ consensus à quocũque ille tempore petatur, eandem vim habet. Quin imò, si posteriorum horum temporum summam in Ecclesia pacem, doctorum virorum multitudinem, acria ingenia, acerrima studia consideremus, si quam facilè sit inuentis addere, quantique momenti, aliorum studiis, ac laboribus, nouos accessisse sudores, nouas lucubrationes, cogitemus; si quot his postremis Centenariis, ad fidem Christianam Gentes conuersæ, quot sanctissimarũ Religionum præclari ordines inuenti, quot de rebus grauissimis Concilia habita, quot hæreses eruditè confutatæ fuerint, si postremo quãta tùm in sacram paginam optimorum interpretum, tum ad formandam pietatem homiliarum eruditissimarũ seges prodierit, quam præclara in omni scientiarum genere, sed maximè in studio Theologico, monimenta in lucem, & manus hominum exierint, vt ad methodos multa fuerint redacta: quæ antea confusa, explicatius tradita: quæ antea obscura erant, attentè & consideratè perpẽdamus: videbimus profectò (vna Antiquitatis grauitate excepta) Ecclesiã C & Theologos posteriorum horum temporum, eos dico qui his nongẽtis & amplius annis floruerunt, cum prima illa Ecclesia, satis laudabiliter, & sine inuidia posse comparari. Illud sanè extra controuersiam est, ad dubia fidei clarè & euidenter discutienda, certius & copiosius ex hac ætate nobis suppeditari, quàm ex primis illis seculis. Quæ vnica causa erat arrogantissimæ huius, & petulantissimæ præscriptionis ab hęreticis excogitatæ. Quæ quum ita sint, nec illa iam amplius superba præscriptio, apud pium quẽquam valere, sed omnium prorsus bonorum, ac prudentum auribus tanquam & ex se iniquissima, & in Deum blasphema explodi, & recentiorum harum ætatum Theologis, Patribus, ac Magistris, suus constare honos, sua concedi Authoritas debet.

Epilogus.

Recentioris Ecclesiæ encomium.

B

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM FRAN. RICHARDOTI REVERENDISSIMI, EPISCOPI ATREBAT. EX MANDATO Senatus Academici Publicè habita apud Dominicanos. Duaci mense Augusto. 1574.

D

VEM in rebus omnibus quasi circulum, & periodum natura posuit, vt à paruis initiis exorta vnaquæque res, ita certis gradibus, atque vestigiis, incrementum capiat, vt ad iustam demum perducta mensuram, decrescat postea, ac eisdem gradibus ad interitum tendat; idem & in artium quoque, ac scientiarum omnium disciplinis, idem & in ciuitatum, Rerumpublic. atque Regnorum origine, progressu & exitu, accidere quum soleat (Magnifice Domine Rector, Ornatissimi, & humanissimi auditores.) non minus profectò hodierni luctus memoria sollicitos, quàm eius causa mæstos nos omnes atque afflictos tenere debet. Etenim celeberrima hæc Academia Duacena, à paruis initiis ad ingentem splendorem euecta, & vix dum adulta, maxima sui incrementa, paruo momento nacta, his postremis diebus, & quidem vnius anni curriculo, variis detrimentis sic afflicta, magnis ornamentis sic spoliata, subsidiis & adiumentis maximis, paulatim, & certis quasi gradibus sic orbata fuit, vt non tam hæc præsens iactura, quæ tamen est grauissima, mœrorem adferre, quàm imminentis adhuc acerbioris cuiuspiam casus, metus, & solitudo, anxios nos tenere posse videatur. Tanta enim certè adolescentem, & florentem egregiè Academiam istam, derepentè mala ceperunt, & eo quidem ordine veteribus noua continuò penè successu accesserunt, vt si præpotens Deus, piis placatus precibus, perpetuis his malis finem non imponant, & irruentibus in nos fluctibus repagulum non iniiciat, sed cœptum ea cursum tenere permittat; formidare meritò omnes debeamus, ne qua celeritate fœliciter breui momento creuit, eadem infœlici exitu ad immaturum interitûm citius tendat. E

Neque enim adhuc annus est, quòd duos præstantissimos viros, & huius Academiæ alterum quidem ornamentum singulare, alterum præsidium amplissimum Cancellarium Galenum, & Abbatem Lentallerium nobis ereptos luximus, & oratione funebri, pro Academiæ in eos studio condecorauimus.

Accessit hodie tertius, vnus sanè qui Academiam istam, & eruditione, ac virtute plurimum ornauit, & authoritate, ac gratia vehementer promouit, Franciscus Richardotus, Reuerendissimus nuper Atrebatensis Episcopus, pariter nobis his diebus ereptus, qui vt grassantis huius mali, quo Academiæ tot columina, vno ferè momento eripiunrur, cumulum auxit, ita ne grauius adhuc idem malum grassetur, metum iniicit. F

Etenim cum nullum malum solum veniat, & semel irrita fortunata, non facilè denuò artideat, sed inclinatem ad ruinam, ac nutantem porrò impellat, ac præcipitem crudelis agat, fit sanè, vt funestos interdum, & fatales (vt cum vulgo loquamur) annos, diuinæ prouidentiæ iusta moderatio inferat, nec ab infligendis pœnis (quum semel cœperit) prius desistat, quàm ad purum excoxerit & sordium fœces omnes penitus absterserit. Quo in genere grauissimum est illud, satisque frequens & vsitatum, quod per Prophetam facturum se Deus subinde comminatur, dicens: *Ecce Dominator, Dominus exercituum, auferet à Ierusalem & à Iuda*, (ab Ecclesiastica & ciuili Repub.) *validum & fortem Iudicem, & Prophetam aliorum, & senem honorabilem vultu & consiliarium, sapientem de architectu & prudentem eloquij mystici* Siue enim præteritos iam dudum annos recolamus, & vel ad annum illum supra sesquimillesimum vigesimum septimum, toti Italiæ ab atroci terribilique armorum strepitu, ab inusitata frugum penuria, à pestilenti cæli, atq; aëris inclementia, supra omnes, quorũ patres nostri meminissent, maximè dirũ & perniciosissimum, oculos coniiciamus, siue propiora & domestica inspiciamus, & anno quidem 58. vnà cum potẽtissimo monarcha Imp. Carolo 5. tres præterea Reges, Ioannẽ Lusitaniæ

Esaiæ 3.

Paulus Iouius hist. lib. 26.

A Lusitaniæ, Christianum & Christernum Daniæ, quatuor verò Reginas, Eleonoram *magni principes breui tempore defuncti.* Franciæ, Bonam Poloniæ, Mariam Pannoniæ, & alteram Mariam Angliæ, vno ferè momento sublatas meminerimus, vt taceam quatuor Principes Electores, Moguntinum, Treuerensem, & Coloniensem Archiepiscopos, atque Otthohenricum Comitem Palatinum, ducem quoque Venetorum, eodem etiam anno 58. defunctos, anni verò 60. vnum mensem, qui duos Reges Franciscum 2. Galliæ, & Gustanum Suediæ, Ernestum quoque Bauariæ Ducem, & Michaelem Archiepiscopum Salisburgensem, magnos imperij Principes è medio sustulit, ad memoriã reuocemus; profectò diuinæ indignationis, & proiecti ad vindictam brachij, maximum argumentum esse debet, & adhuc extensæ manus eius, iustam formidinem iniicere meritò possunt, quòd nec vnius adhuc anni elapsus curriculus, in hac mediocri Academica Repub. tres maximas columnas Matthæum Galenum, Cancellarium doctissimum atque grauissimum, Ioannem Lentalerium, Abbatem optimum & munificentissimum, Franciscum Richardotum, vt Episcopum celebratissimum, ita huius Academiæ parentem, Mecænatem amantissimum, & studiosissimum, è viuis eripuerit. Vt sanè non solùm studiosè pro officio, sed etiam prudenter, & grauiter pro rei ipsius dignitate, Academia fecerit, hoc publico indicto conuentu.

In quo quidem non minus pro Academiæ salute, apud diuinam clementiam supplicari, vt qui funestus fuit hactenus, & multis nominibus calamitosus nobis annus, placato piis precibus cælesti numine, fælicior exeat, & inferendis malis finem imponat,
B quàm pro ipsius Richardoti meritissimo honore ex hoc loco dici voluit. Atque illud quidem alterum, quia omnibus, commune est, ego sanè & Academiæ nomine, & meo quàm possum maximè, & enixissimè vobis omnibus commendo. In omnibus enim his non est auersus furor Domini, sed adhuc manus eius extensa. *Esaie 9.* Alterum verò quod mei muneris proprium esse, Senatus Academicus voluit, fauente Deo & vestra omniũ humanitate fretus, aggrediar. Quanquam sanè ne multas ob causas, & mihi non parũ difficilis, & vobis minus iucũda hæc futura sit oratio, est quod meritò formidem. Etsi enim nihil facilius quàm de Francisco Richardoto dicere, in quo vno homine ornando, ars & natura certamen iniisse videri possunt, (sic & artium omnium adiumentis, & naturæ dotibus singulis plenissimè instructus fuit,) vt tantarum virtutum iucunda esse debet, & grata recordatio; tamẽ tùm maximarũ rerũ tãtam varietatẽ breui oratione cõplecti, quasiq; Homeri Iliada nucleo inclusam tenere, tu de rebus passim notissimis agere, & in nostra ipsorum calamitate describẽda versari, (quãtò enim magis Richardotum laudamus, tantò nobis excellentius bonum ereptum ostendimus,) non immeritò pertimesco, ne & illud mihi futurũ sit difficillimum, & hoc vestris auribus parũ gratum. Verùm enimuerò hanc geminam difficultatem, vestra & æquitas, & prudẽtia facilè superabit: si & me leuiora prætermittentem, grauiora quædam succinctius percurrentem, paucis verò rebus grauissimis, & maximis, paulò diutius immorantem, æquanimiter audieritis: & erepta nobis, vel potius ab authore suo, repetita in vno homine tot pariter bona, prudenter tuleritis. Eo autem ordine hæc nostra feretur oratio, vt primo quidem loco quis vir ante & extra Episcopatum fuerit; deinde qualem se exhibuerit, se in Episcopatu gesserit;
C tertiò ac postremò, huic Academiæ qualem se exhibuerit, quanrumque hæc illi debeat, ostendatur. Quæ singula dum pertracto, vos quæso diligenter, quod facitis, attendite.

Itaque vt infantiam omnem, & primam illam ætatem prætermittam, cuius quidem *Narratio.* res gestæ inditia magis virtutum sunt, eáque sæpenumerò fallacia, quàm iusta laudis argumenta; virum iam, & adultum factum Richardotum nostrum inspiciamus, & quibus ille gradibus, ad supremum hunc disciplinarum, virtutum, atque honorum apicem cõscẽderit, cõsideremus. Sanè vt ex ephebis iam excessit, & sui iuris factus, virtutis suæ argumenta præbere cœpit, tãto literarum exarsit amore, tanto discẽdi flagrauit desiderio, vt sæpenumerò ne prandens quidem, à libris potuerit adolescens reuelli. Quum autem & desiderio responderet ingenium præstantissimũ, non deessent subsidia literaria, adessent magistri optimi, potissimum studiorum pensum sacræ Theologiæ piè consecraret, breui quidem tempore (quid enim improbus labor non vincit?) sacræ paginæ Mysteria, infatigabili studio, & perpetua lectione perquisiuit, didicit, tenuit: Patrum vetustissimorum, tam Græcorum, quam Latinorũ volumina, sedulò euoluit, in scholastica

A nent, vt à natura ægrum, ita in curanda ægritudine difficillimum. Neque verò minor est in Episcopi persona habenda ratio, quã in ipso opere adeundus labor. Debet enim Episcopus nõn tantùm irrepræhensibilis esse, nulli sceleri, nulli crimini affinis, sed & multis præterea virtutibus ornari, quas diligenter Paulus ad Timotheum describit, vt sit videlicet *sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis, Doctor*. Neque his etiam virtutibus mediocriter ornari Episcopum conuenit, sed planè excellenter & supra cæteros quoscunque. Sunt enim *lux mundi* vt præluceant cæteris, ait Saluator: *exempla fidelium sunt* (ait Apostolus) *in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*. Denique *forma gregis ex animo*, vt monuit Petrus. Ex his autem omnibus & singulis, si quicquam prætermiserit Franciscus Richardotus, Atrebatum semel Episcopus factus, minimè eum à nobis laudatum hodiè existimate. Sin verò illa vniuersa cumulatè præstiterit, quid huius viri laudi addi portò queat, non opinor expectabitis.

1. Timot. 3. Matth. 5. 1. Tim. 4. 1. Petr. 5.

Ac virtutes primùm quas flagitat Apostolus, ita in hoc præstantissimo viro eminuerunt, vt planè hoc nomine lux fuerit mundi, exemplum fidelium, & forma gregis. Nam vt de sobrietate nihil hoc loco dicam, quam perpetua victus moderatio, & mixta semper tùm lectioni sacræ, tùm sermonibus aliis grauissimis, mẽsa, in qua semper aliquid doctum, subtile, accuratum dicere, vel audire voluit, satis superque demonstrat: vt de ornata vitæ honestate, quam admirabilis morum comitas satis declarauit: de pudicitia quã tota vita loquitur, nihil hic copiosius agam, cum plerisque extra functionem tam cõmunes hæ virtutes sint, de prudẽtia hospitalitate, doctrina, virtutibus magis Episcopo propriis, plenius dicendum arbitror. Enimuero quod in Episcopo vt difficillimũ est, ita maximè desideratur, sic prudentia in rebus gerendis, & administrando hoc tanto munere valuit, vt quæ maxima prudentiæ Episcopalis pars est, nemo hoc viro fœlicius, atque facilius, singulis sese hominibus commodum præstiterit, nemini tamen aut turpiter adulatus, aut cùm res ita postularet, correptionem debitam subtrahens: planè alter Paulus factus, omnia omnibus vt omnes lucrifaceret, varius quoque ac multiplex, non vtique dissimulatione mutabilis, sed accommodatione facilis, nec prætermittẽdo grauitatẽ, sed exhibendo pietatem: omnino qualem describit Chrysostomus, *Pontifex grauis & cor datus, sed minimè factiosus; venerabilis, sed humanus; conspiciendus quadam maiestate princeps omnibus tamen appellandis, comis & integer, officiosus denique ac humilis, sed minimè seruilis; postremò acer & vehemens, mansuetus nihilominus & iucundus*. Talem Richardotum fuisse, omnes qui Richardotum norunt, probè meminerunt. Quòd quidem totum quantò difficilius fuit & studij maioris tantò & pulchriùs & laudabilius fuisse quis dubitat? Iam verò in monendo, arguendo, & corripiendo (quæ altera prudentiæ episcopalis pars est) sic modum tenuit, & moderatum se præbuit, vt habita horum temporum planè infœlicissimorum rationc, *& canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ interdum toleraret, & canibus sanctum, vbi pax Ecclesiæ tuta erat, non daret*. Vt qui ab Augustino suo didicerat, *seueritatem exercendam in peccata paucorum, monendum verò, docendum, & ex scripturis comminandum, in multitudine peccantium*.

B

Virtutes eius in Episcopatu.

Lib. 6. de sacerdotio.

August. de fide & operib. cap. 5. epist. 64.

C Quod quidem ille quàm abundè, & sedulò prçstiterit, mox dicemus. Hospitalem quoque ac benignum, non cupidum non auarum esse vult Episcopum Paulus. Huius in Richardoto virtutis argumenta, sunt frequentes Eleemosynæ, non quidem vulgò & temerè factæ, sed piis, ac studiosis, liberaliter impartitæ, mensa quoque non sordida, nec magis quàm par erat, magnifica, nec cuiuis obuia, nec bonis vnquam negata. Solus certè, absque Cleri testimonio, domi nunquam cibum capere solitus fertur. Sed tenuiora sunt ista, & quæ priuatos parietes rarius egressa, commendationem istam publicam minus desiderent.

Ad illud venio, quod vltimo loco Apostolus posuit, & quod tanquã maximè in Episcopo necessarium flagitat. Vult eum esse doctorem, & (quod in Epistola ad Titum addit) *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Paratus quoque semper* (vt monet Petrus) *ad satisfactionem, omni poscenti rationem de ea quæ in ipso est spe, & fide*. Quo quidem in genere quã illustris & celebris hic noster Richardotus extiterit, quantũ & sudauerit & effecerit, me sanè tacente, omnes intelligitis, & vniuersum Belgiũ cõpertũ habet. Etenim in diuini verbi prędicatione, & populũ pro cõcione docẽdo nemo Francisco Richardoto magis assiduꝰ, & laboriosus fuit, nemo maiore cũ fructu, & populi vtilitate docuit. Quis enim hoc

Tit. 1. 1. Petr. 3.

Quantus doctor & concionator fuerit.

admirabilem huius viri,& propè diuinam dicendi vim,in differendo vbertatem,in persuadendo acrimoniam,in exhortando suauitatem,in deterrendo verborum fulmen,in tota oratione accuratam,& exquisitam eruditionem,pro auditorũ tamen captu & loci, & personarum ratione,non dico satis pro rei dignitate exornare & illustrare,sed vel cõmemorando percensere & enarrare queat? Sanè quemadmodum in dicendi vi, aureũ illud Ioannis os facilè æquauit,vt in omnem partem,auditorum animos mirabili facilitate flecteret;sic in doctrina sana,siue hæresim profligaret, siue orthodoxiam stabiliret, argumentorum soliditate fortissimum Augustinum: sententiarum pondere & grauitate, suauissimum Ambrosium;verborum delectu & splendore,elegantissimum Hieronymũ, pulcherrimè referebat;& ad viuum planè repræsentabat. Hoc sanè orationis flumine, hac singulari facũdia,seu latinè peroraret,seu in vernaculo pro suggestu ageret,(in vtróque enim sic excelluit,vt si gallicè declamantem audisses,literatas illas linguas, & exoticas neglexisse eum existimares,si in Romanum sonum lingua se verteret,latinum totũ diceres,ita nihil peregrini sermo redolebat,) sic in vtroque hominum affectus mouit, delectauit,docuit,vt non Atrebates tantùm,sed tota Artesia,nec Artesia solùm,sed vniuersum Belgium,nec modò Belgiũ,sed & Gallia,& Burgundia:quid partes dico? sed totius Orbis clarissima lumina Richardorum,hoc nomine in summa admiratione, & pretio haberent,mirificè eius dicendi suauitate delectarentur, maximam denique ex eius orationibus vtilitatem caperent. Quot ille & quã assiduas singulis penè Dominicis, aut Festis,domi cùm esset,elaboratas, & expolitas, planeque diuinas, apud suos Atrebates conciones habuit? Quis nescit,in more hoc illi his iam postremis annis fuisse, vt in celebrioribus illis Quadragesimæ,& Aduẽtus Dominici feriis, in sua passim diœcesi,aut hîc (vt frequentius) Duaci,aut Bethuniæ,aut Armenteriæ,aliisve in locis perpetuò concionaretur? Quanta ille cum laude,quo etiam fructu,quã sæpissimè in Aula Bruxellensi, in plenis comitiis,& coram summis principibus,ad hoc seriò & multum expetitus, Diuini verbi semina sparsit,& huius suæ incomparabilis eloquentiæ, Principum animis aculeos infixit,vestigia impressit,desiderium reliquit? Nec minori cum eloquentiæ & eruditionis fama,& opinione iam à triginta annis, Lutetiæ Parisiorum, è superiori loco populũ docuit. Quin & Louanij interdum,hortante Granuellano, sic olim concionatus est, vt etiam doctissimorum ibi Theologorum animos,ad maximam sui admirationem, penèque stuporem concitaret. Bezuntij,verò in Burgundia,potẽti hac sua facundia,dura sæpeque reluctantia eius populi corda,ad literarum amorem incendit, & saxea penè atq; siluestria quum essent,ad disciplinarum cultum,tanquã alter Orpheus, inflexit. Deniq; in his locis omnibus,vbicunque serpẽtes & aspides,hæreticos, & sceleratos, inuenerat, non sic obturare aures potuerunt, quin huius Vlissis facundia, & voce, incantantis sapienter ad suauiorem mentem,& meliorem frugem,subinde plurimi reuocarentur.

Facundia eius incomparabilis

Assiduitas eius in dicendo.

Penè pretermiseram,quòd in Sacro,& oecumenico Concilio Tridentino,coram totius huius Christiani Orbis luminibus,in doctissimorum, pariter & sanctissimorũ Pontificum,celeberrima corona,de collapsæ disciplinæ restauratione,de orthodoxa veritate,verbo,& sanguine tuenda,de Catholicæ Ecclesiæ maiestate reparanda, de aliis multis rebus grauissimis,grauissimè,copiosèque disseruit:& omnium illorum patrum, in se ora,vultúsque conuertit,admirationem excitauit,beneuolentiam conciliauit. Quis verò maior aut vberior,huius eloquentiæ suæ fructus expectari potuit, quam quòd hac assiduitate,& industria,docendi in Catholica,& orthodoxa fide,ouile suũ (vndique lupis grassantibus,& circumlatrantibus hæreticis) fœlicissimè continuerit? Neque verò in publicis tantùm concionibus,(in quibus regnabat hic noster Richardotus,) Doctoris munere præclarè functus est egregius hic Episcopus,sed & præterea frequentibus Synodis Atrebati habitis,in Pastorum,ac Sacerdotum suæ Diœcesis mores, ac doctrinam inquisiuit,de officio pastorali monuit,docuit,præceptis & legibus datis, instruxit. Editis etiã variis scriptis de Parochorum munere,de rebus hodiè controuersis, & Pastores, & populum,& oues,& agnos,quia singulis adesse non potuit,absens docuit. Quotannis præterea,vt minimùm semel gregem suum, passim per oppida & vicos, præsens visitauit, quin & priuatim differendo,ac persuadendo,nonnullos ab hęresi, ad Catholicæ matris gremium,reuocauit:& errãtes per deuia oues,in caulas reduxit. Verè bonus Pastor, doctus scriba,sapiens Architectus,fidelis paterfamiliâs, honorabilis vultu, & consiliarius, & prudens eloquij mystici,denique veneficus incantans sapienter, verè Doctor in populo,po-

In Concilio Tridentino quàm clarus extit.

A pulo, potens exhortari in doctrina sana, sal terræ, lux mundi, exemplum fidelium, forma gregis. Talis ac tantus Episcopus Richardotus fuit. Tales autem deinceps, vt optare debemus, ita sperare vix possumus. Vix enim cum tanta eloquẽtia, tam solida & multiplex eruditio, aut cum vtrâque tanta morum comitas, & laudatissima humanitas, in vno homine, infælicissimo hoc seculo reperiantur. Ferè enim aut loquutores egregij, eruditionem solidam, summis tantùm labris attingunt, multiplicem prorsus negligunt, aut solidè, & variè eruditi, eloquentiam vel contemnunt, vel ad eam nati non sunt: plærumque verò, quibus hæc insunt, vel vtraq; vel alterutrum, præpostero & stultissimo fastu supercilium obducunt, tetrici & agrestes fiunt. Deníque vt hæc omnia vni homini concedãtur, rarissimè huiusmodi ad Episcopatus locum euehitur. Postremò, vt vir tantus ac talis Episcopus fiat, otio plærumque ac inertiæ, beneficium nacti plærique se dedunt: concionandi, docendi, pascendi munus paucissimi strenuè per seipsos, administrant. Quanta ergo, quàm singularis, & planè diuina Atrebatensis Diœceseos, totius Artesiæ, Belgij & Ecclesiæ Dei hactenus fælicitas fuit, Richardotum Episcopum habuisse, virum vndequaque doctissimum, dicendi ac docendi vi incomparabilẽ, moribus ac tota vita longè humanissimum, atque suauissimum, laboris præterea ac studij patientissimum, tanto hodierni luctus, atque Obsequij huius publici grauior causa nobis omnibus, quotquot hic adsumus huius ouilis grex, data est.

Venio nunc ad extremam orationis meæ partem, in qua de rebus Duacensibus agendum mihi video. *Incredibile studium in Academiam Duacensem.* B Etenim vt vniuersum quidem ouile suum, hic bonus Pastor, & literatos omnes, hic vir doctissimus mirè dilexit, sic Academiam Duacenam, in sua hac diœcesi fæliciter collocatam, vnicè complexus est, & arctiori quodam amoris vinculo, & necessitudinis fœdere, sibi copulandam duxit. Hanc ergo omnibus quibus potuit modis commendauit, ornauit, iuuit. Quid enim ille non tẽtauit, quibus vnquam laboribus pepercit quam aliquando occasionem prætermisit, vt Vniuersitatem Duacensem, aut verbis amplissimis apud Principes viros, sedulò commendaret, aut docendo ac dicẽdo ornaret, aut subsidiis & eleemosynis partim ipse, pro satis mediocri fortuna sua iuuaret, partim alios ad iuuãdum subinde excitaret? Hanc nempe celeberrimam Academiã, vt hoc loco statueretur, plurimum contendit, laborauit, perfecit Episcopus Richardotus. Hanc iam institutam, in ipsa inauguratione, primisque Academiæ auspitiis, splendidissima habita oratione, primus illustrauit, & consecrauit Episcopus Richardotus. In qua sacram Theologiam, & diuinæ paginæ interpretationem primus docuit, primus auspicatus est Episcopus Richardotus. Quod quidem eius in auspicantem tunc Academiam, ornandã & fouendam, singulare studium ita nobile & illustre fuit, & hoc illi nomine Rex Catholicus Philippus, scriptis ad eum literis, magnas gratias impensè ageret. Neque verò quo cæpit studio, & amoris impetu, hanc Academiam prosequi, ab eo postea tota vita quicquam remisit, quin imò ad vltimum vsque spiritum, ea constantia, hanc semper in deliciis habuit, coluit, obseruauit, vt (quod quidem sempiterna memoria & recordatione dignum est, æreisque tabulis inscribendum) iam triduo ante mortem, vocato ad se Canonicorum Ecclesiæ suæ collegio toto, illis præsentibus amorem erga hanc Academiã suam, publicè testaretur, & quia sibi iam ex hac luce migrãdum esse prospiceret, nec iam C amplius ei adesse aut prodesse se posse cerneret, eos omnes vehementer rogaret, & plurimis verbis flentes iam, & præ mœrore vix iis quæ dicerentur attendentes, iterum atq; iterum obsecraret, vt à futuro sibi in Episcopatu successore, suo nomine enixè peterent, hanc vt Academiam Duacenã, pro cõmendatissima habere, & non minùs in Duacensis Academiæ patrocinium, quã in Atrebatensis Episcopatus dignitatem succedere vellet. Planè magis de Academiæ salute, quàm de sua vita sollicitus, & ita erga eam affectus vt non ob aliud viuere, aut imminens fatum declinare velle videretur, quàm vt nobis & huic Academię Duacenæ prodesset. Cui quidem eius flagrantissimo in nos amori quid addi porrò possit non video.

Et sic quidem vniuersam ille Academiã, incredibili quodã amore, ac fauore prosequutus est. *Quo amore Scholam Theologicam complexus fuerit.* Scholã autẽ & studium Theologicũ præ cæteris adamauit, coluit, ornauit, magnus hic Theologus, & Episcopus Richardotus. In Schola enim Theologica primũ magisteriũ, & supremã Doctoratus laureã, celebris ac piæ memorię Matthęo Galeno cõfetẽs, ipsum Galenũ sacræ Theologiæ tũ professorẽ primariũ miris laudib⁹ extulit, præclara oratione ornauit. In schola Theologica frequẽter ille, pro singulari sua in hoc sacrũ studium

propenſione, totis menſibus docuit, legit, profeſſus eſt, & Paulinas Epiſtolas admirabili facundia, maiori eruditione, maximo ſtudio & labore, in Cathedra Theologica interpretatus eſt. Quàm etiam frequenter, & libenter diſputationibus ipſis Theoligicis interfuit, & omnium ac ſupremus Doctor, audire cum cæteris non docere voluit? Comitia autem Theologica, tùm alia multa, tùm illud in quo Doctores his poſtremis annis crearentur, non ſolùm præſentia ſua, à principio ad finem vſque, multarum horarum ſpatio honorauit, ſed & illuſtri atque accurata habita Oratione, maximũ illi decus atque ſplendorem attulit. Cuius quidem Orationis, incredibili facundia habitæ, maxima eruditione inſtructæ, meminiſtis etiam adhuc (opinor,) quotquot adfuiſſe poteſtis, obliuiſci certè nunquam poterit ſchola Theologica. Taceo hîc quòd inopes, afflictos, & extorres Theologos, frequentibus eleemoſynis iuuerit. Omitto quòd in collocando hic Theologorum, atque Paſtorum ſeminario, ſummo ſtudio incubuerit. Nihil dico, qua ſedulitate, alacritate, prudentia, Vniuerſitatis cauſas vel hic, vel alibi rogatus egerit, patrociniũ ſuſceperit, honorem, priuilegia, ornamenta, omnibus quibus potuit modis defenderit, conſeruarit, auxerit. Prætereo etiam, quæ plurima, & maxima, in huius præſtantiſſimi viri laudem dici poſſunt, de incredibili eius circa publicam pacem, incolumitatem, ſalutẽ conſeruandam, ad extremum vſque ſpiritum zelo, cura, labore: tanto ſanè vt (qua authoritate, & gratia, apud Principes viros meritò valebat,) vniuerſa hæc Reſpublica, eius patrocinia in rebus arduis non ſemel experta, plurimi in magnis periculis ab eo conſeruati fuerint, nonnulli etiam ciues, vitam ei ac ſalutem debeant: vt verè pater patriæ, verè amator fratrum, cum lamentante Ieremia; verè vir deſideriorum cum orante Daniele; verè zelator domus Dei cum ſanctiſſimo Elia; verè currus & auriga Iſrael cum fortiſſimo Elizeo, dici poſſit, ac debeat. Prætermitto denique prudens & ſciens, quæ de huius optimi Epiſcopi, maxima in Deum Religione ac pietate, penè infinita, dici poſſunt: hâc enim virtutem in Epiſcopo, cum Apoſtolo Paulo ſupponimus, non oſtendimus. Si cui tamen ea de re quippiam audire libet, ei illud vnum inſtar omnium ſit, quòd ſanctiſſimum virum, Abbatem Aquicinctenſem nuper defunctum, totius (vt omnes norũt) ſanctitatis, pietatis, ac Religionis ideam, nõ ſolùm intimè dilexerit, vt fratrem, viciſsimque ei vnicè charus fuerit, verùm etiam Epiſcopus cùm eſſet, eum coluerit vt Patrem, veritus ſit vt magiſtrum: nihil abſque eius cõſilio & authoritate in rebus grauiſsimis ſtatuere, ipſius autem arbitrium, voluntatem, ſententiam, pro oraculo ſemper amplecti, ſedulò & diligenter exequi ſolitus. Sed hæc vt dixi omnia prætermitto. Sunt enim hęc notiſſima, neque commemorari a me omnia poſſunt, & tempus iam elapſum video.

Reip. Belgicæ ſtudium.

Arcta amicitia cum Io. Lentallero Abb. Aquicinctenſi.

Quare orationis vela contrahemus, & id vnum addemus, obſequium quidem iſtud, & qualecunque grati animi teſtimonium, Vniuerſitatem Duacenſem. Franciſci Richardoti virtutibus, & meritis, quàm libentiſsimè hodie præſtitiſſe. Richardoti autem memoriam, & tam optimi parentis ac pręſtantiſſimi Epiſcopi recordationem, ex Duacenæ Academiæ animis, & monumentis, nunquam excidere poſſe. Si enim vir eloquentiſsimus, doctiſsimus, humaniſsimus, ſi Epiſcopus eruditiſsimus, optimus, vigilantiſsimus, ſi Academiæ huius, imò totius Belgij parens quidam, patronus & Mecœnas amantiſsimus, diligentiſsimus & conſtantiſsimus Franciſcus Richardotus fuit: profectò nec virum doctiſsimum celebrare, nec optimum Epiſcopum venerari, nec Academiæ Duacenæ columen ſingulare, colere, prædicare ipſa Academia Duacena vnquam deſinet.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN LAVDEM R. D. IOAN. LENTALLERII ABB. AQVICINCT. DVACI, EX MANDATO *Senatus Academici, publicè habita.*

Febr. 19. An. 1574.

I quo primùm die, diuinis planè auspiciis, & fauente numine, celeberrima hæc Academia Duacena aperiri, & celebrari est cœpta, eodem die, vt id populo Duaceno, toti Belgio, atque vniuersæ Ecclesiæ Dei faustè, fæliciter, prosperéque eueniret, à Deo Opt. Max. more institutoque Maiorum, precati sumus, (Mag. D. Rector, clariss. D. Doct. Doctiss. & humaniss. Auditores) profectò hoc die, vt vestræ omnium mentes, atque setentiæ, cum auspiciis illis Academicis, votisque cōsentiant, eaque res vobis, totique Academiæ, pacem, incolumitatem, honorem, & optata incrementa afferat, ab
B eodem Deo Opt. Max. idem precandum censeo. Etenim si illa solennis initiorum precatio, Academicis auspiciis, votisque consecrata, rātam habet in se vim & religionem, quantam Academiæ dignitas postulat; iis sanè hominibus, per quos hæc Academia, aut fæliciter hactenus stetit, aut mirabiliter creuit, maximaque cepit incrementa, vt idem tota Academia solemnibus votis comprecetur, & summa ratio, & ipsius Academiæ dignitas postulat. Nam optare quidem Reip. omnia faustissima atq; lætissima, solenne & omnium est: Viros quoque fortissimos, quorum opera & labore, consilio & auxilio, aut florere cœpit, aut creuit Respub. præsentes ac viuos venerari, colere, obseruare, penè omnium est, & qui secus fecerunt perpetua grauissimâque ignominiæ nota, apud totam posteritatem laborarunt, vt Athenienses, qui Aristidem iustum ciuitate expulerunt: Themistoclis præclara facta, exilio damnarunt: Socratis sapientiam morte mulctarunt: Vt Romanos taceam, qui Scipionibus suis sepulchra Romana negarūt. At verò qui Reipu. suæ columina viua colerent, mortua atque defuncta, nullo studio atque honore prosequerentur; aut nunquā hactenus extitisse, aut si vspiam extiterunt, pro monstris, & portentis hominum, habitos fuisse existimarim. Nam viuos sanè Reipu. parentes, & patres patriæ, nō colere, despicere, ingrati animi est; mortuos sine honore prǣterire, etiam astuti: vt videlicet dum viuos colimus, mortuos despicimus, præsens quidem beneficiū cupidè complecti; adepti autem beneficij nulla gratitudine affici, & (quod sordidorum est proprium,) non honestare, sed vtilitate rem metiri videamur.

A qua quidem ingratitudinis & astutiæ sordidæque dissimulationis nota, vt celeberrima hæc Academia, quàm longissimè se abesse, illustri testimonio doceret, quo studio,
C fauore & honore, sapientissimi viri Ioannis Lentallerij Monasterij Aquicinct. Archimādritę, nuperrimè dignissimi, adhuc viuentis optimos conatus semper est prosequuta: eodem hodiè, & quidem non minori, defuncti memoriam prosequitur: tùm vt virum optimè de se meritum, digna celebritate honoraret, tùm verò vt quibus ipsa Academica auspicia, votis precibusque consecrauit, eisdem eius hodie incrementa, publico hoc celeberrimoque suorum omnium conuentu, commendaret. Duæ enim (vt ego quidem accipio) hodiernæ huius celebritatis causæ sunt. Optimi Mecænatis defuncti memoria: & similium Mecænatum aptata successio. Quorum alterum atque postremum, votis & precibus omnium tacitè hodie commendatur, vt Deus Opt. Max. qui singulari beneficio, hunc nobis præstantissimum virum dedit, complures Lentallerios Academiæ huic dare, porrò pergat; eodemque fauore incrementa ista ad culmen euehat, quo ipsa initia ad præclara hæc incrementa perduxit.

Alterum & tota ista sacri muneris operatio, religiosè præstat, & hac prætereà oratione publica, cumulatius præstari placuit. Quam quidem publicè perorandi, & sapientissimum hunc Archimandritam, dignis laudibus exornandi prouinciam humeris meis,

licet ad hoc onus imparibus,& parum suffultis, à Magnificentia sua clarissima, totoque D ornatissimo Senatu Academico impositam, vt pro tanti viri dignitate, pro ipsius Academiæ desiderio, pro meo quoque in vtrumque officio & obseruantia, quantum quidē in me est, obeam atque perficiam; sic rem ipsam aggrediar, vt id ante omnia præmoneã, ne quisquam vel de sapientissimo hoc Abbate, tam tenuiter cogitet, vel de nostris viribus tanta sibi promittat, vt eius viri admirabiles virtutes ac dotes omnes, hàc nostra qualicunque oratione comprehendi tantùm & enarrari, non dico illustrari, & exornari posse existimet. Neque enim vel tam exigua scapha tanti Maris altitudinem emetiri, vel tam obtusa oculorum acie ita rutilantem Solem cominus intueri valeam. Planè longissimè superat & nostras dicendi vires, & cogitationis meæ aciem, sanctissimi huius Abbatis ingens quidam rerum bene gestarum Oceanus, & cælestium virtutum splendidissimum iubar. Neque verò in hac causa me vinci quicquam pudebit, nisi fortè præstantissimi viri gloriæ inuidere velim, cuius tanta est virtus, vt omnem illam orationis copiam, vehementer exuperet. Id tantùm metuo, ne pro vestro erga illum studio, qui virum laude dignissimum tenuiter laudatum, ægrius fortasse feretis, vt parentum non satis iusta encomia, dolenter audiunt germani filij, expectationi omnium vestræ minus satisfecero. Sed huic sanè seu timori meo, seu desiderio vestro, illud remedij facilè adhiberi potest, si quia de rebus pariter compertissimis dicturus sum, quæ ego fortasse prætermisero, iis quæ à me dicentur adiiciat vnusquisque de suo atque ita ex simul coniunctis vestris & meis, quasi ex diuersis floribus, contextam laudum coronam, huic Sacro Capiti E imponamus; vt etsi à me parum laudatus, tamē à nobis simul omnibus laudatissimus hodie celebretur.

Narratio. Iccirco vt ad rem ipsam accedam, cogitanti mihi attentius, vnde potissimum huius viri laudes exordiar, aut quo primùm nomine eum prædicem, idem planè accidit, quòd in amænissimo horto constitutis euenire solet, vbi maxima florum varietas & aspectu iucundissima, & odore suauissima, huc illucque spectantium oculos attrahit, vt quem primùm carpere, aut cui insistere libeat, dubius planè animus pēdeat, ambigat, fluctuet, hæreat. Est enim verè Paradisus quidam omnium virtutum, & pratum amænissimum huius viri vita, qui verè dum viueret, bonus odor erat Christo, odor vitæ ad vitam, qui lux erat splendissima, sic lucens coram hominibus, vt viderent eius opera bona, deumque glorificarent, quotquot aut eum de facie norunt, aut de eo per famam acceperunt. Sol inquam erat, & luminare quoddam magnum in hoc mundo. Quid Solem dico? ipso vniuerso cælo hoc aspectabili, multò splendidior atque illustrior, erat huius viri vita. Neque verò per hyperbolem hoc à me quisquam dictum putet. Quin vt mecum idem omnes sentiatis, facilè effecero. Quot enim impij quum cælum hoc intuentur, astra & sydera omnia conspiciunt, blasphemant nihilominus, non erubescunt, non confundūtur? At quis tam perfrictæ frontis vnquam fuit, qui Ioannis Lentallerij conspecto vultu, ipsa totius virtutis & sanctitatis idea, qui hunc, inquam, Abbatem sapientissimum coram intuens, religionis cultorem maximum, honestatis & pietatis exemplar vnicum, grauitatis & prudentiæ specimen singulare, multiplicis eruditionis arcam, & thesaurum F quendam locupletissimum, patientiæ, castitatis, humilitatis totiusque sanctitatis expressam effigiem, omnium denique virtutum atque charismatum (singulari & rarissimo Dei munere) Pandoram quandam, nec coram intuens tantùm, sed & eius suauissima eloquia dulciora super mel & fauum, auribus accipiens, penitus atque è vestigio de seipso non erubesceret, non confunderetur, non sibi ipsi vehementer displiceret? Sed singula fortasse magis audire libet, ne dum generalia loquimur, minus huic viro propria dicere videamur.

Agamus ergo, & vt omnibus virtutum, ac charismatum numeris absolutissimum hūc virum fuisse ostendamus, quatenus tantisper illa quæ huiusmodi aliquē constituere possint atque efficere. Sanè & omnia huic præclarissimo Abbati affuisse reperiemus, & nihil in eo mediocre, sed omnia summa extitisse animaduertemus. Ego verò nullo modo ea bona hic consectabor, quæ solida & vera bona non sunt.

Non ex generis aliqua nobilitate, non ex diuitiis & opulentissimi illius Monasterij Præfectura, non ex gloria quæ illas potius, quàm veras virtutes hodie comitari solet, eum prædicabo. Ne si nobilem, diuitem, & honoratum dixero, vos ita hinc discedatis, vt hæc inter bona me authore habeatis, & fluxa hæc atque caduca, ne dicam

A noxia plærumque atque lætifera admirari, & in pretio habere ex hac oratione nostra discatis. Verùm inde laudis in eo materiam capiam, vnde & ipse iustissimè laudari debeat, & vnusquisque nostrûm quod imitari possit, meritò & tutò desumat.

Quid ergo, aut quæ potius tandem illa sunt, quę hominem Christianum, id est, verę Religionis cultorem, omnibus virtutum numeris absolutissimum reddũt? Optandum sanè erat, huiusmodi virum, primùm summa in Deum charitate flagrare, deinde ne sibi soli vtilis esset, non minori erga proximũ dilectione affici. In his enim duobus (ait ipsa Veritas) tota lex pendet, & omnis iustitia adimpletur. Charitatis in Deum, quod maius aut argumentum, vt adesse probetur, aut exercitium vt quum adsit conseruet, aut denique adiumentum vt magis ac magis augeatur, esse potest, quàm vt (quod Saluator monuit) relictis omnibus in sæculo, eum solum sequamur? Hoc verò ab ineunte ętate ita fecit, vt iuuenis adhuc portaturus iugũ Domini, ab adolescẽtia sua, Monachũ se professus fuerit Ordinis S. Benedicti, idque in Cœnobio Aquicinctensi, huic nostro Duaco fœlicibus sanè auspiciis vicinissimo. In hac professione quàm se turpi otio minimè dederit, aut corruptos tunc aliorum mores sectatus haud fuerit: & tota reliqua vita clarè loquuta est, & illius adhuc ætatis studia, luculenter demonstrant. Ingenij enim acumine singulari præditus, Lutetiam Parisiorũ mittitur literarũ causa, quas ille (vt mox dicemus,) non oscitanter audiuit, sed summo studio perdidicit. Inde ad Monasterium reuocatus, tanta & Religione & prudentia se gessit, vt per omnes inferiores officiorum gradus cõscendens, ad supremam tandem eius præfecturam, omnium consensu, incredibili studio, & maxima bonorum omnium expectatione, eueheretur. Quo quidem loco constitutus, vt solum purùmque Dei amorem, sibi perpetuò in tota hac monastica sua professione, ante oculos propositum fuisse, omnes intelligerent, omnésque eius conatus, cogitationes, studia, in hunc vnum scopum dirigi, & hac vna regula vt nauclerum inspecta sua Cynosura, duci & flecti illum, exploratum omnes haberent; nec de ditandis parentibus, nec de ornãdo speciosis ædificiis Monasterio, non de dilatãdis fimbriis cogitat, meditatur, molitur, sed (quod ardentissimis votis diu multùmque, quum adhuc Prior esset, expetiuerat,) statim ac primo quoque tempore, assumpto sibi in hunc finem Priore, viro sanctiss. pariter ac doctissimo, Fratre Dyonisio D'ostrelio, in sui Monasterij reformationem, in collapsæ disciplinæ restaurationem, in Regulæ D. Benedicti veram atque legitimam obseruationem, omnes cogitationum & studiorum suorum vires, cõuertit. Quam quidem rem arduam licet, aliisque permultis impossibilẽ visam, qua pietate & constantia aggressus est, eadem fœlicitate atque virtute confecit. Adeo sanè vt à compluribus iam annis, Aquicinctense illud Monasterium ita pietate, humanitate, eruditione, omnique vera Religione, ipsorum Cœnobitarum fulgeat atque resplendeat, vt sit sanè inter cætera sui ordinis Cœnobia, quasi inter planetas Phœbus, aut stellas inter Cynosura minores. Cuius quidem vnius rei historia, si ante oculos hic vestros poneretur, huius sanè viri & zelum Religionis flagrantissimum, & in laboribus sustinendis indefessum animum, & in re tam ardua perficienda (vbi consuetudo rem penè in naturã verterat) prudentiam admirabilem, non sine stupore inspiceretis. Verùm istud pertractare, huius loci non est, ac multò minus huius temporis. Itaque, Charitatis eius in Deũ argumẽta sunt ista plenissima, vt nihil de priuata eius & quotidiana deuotione, nihil de admirabili eius & planè diuina rerum diuinarum assiduáque (quum per negotia liceret) contemplatione, nihil de vitæ eremiticæ frequenti desiderio hoc loco dicam.

Fit Monachus.

B

Fit Abbas.

Reformator Monasterij.

Monasterij Aquicinctensis vera laus.

C

Nam quæ de altera nunc eius erga proximum charitate dicemus, illius quoque in Deum amoris, certissimi & locupletissimi testes esse possunt. Etenim Abbas factus, nihil prius neque antiquius habuit, quàm vt ingens illa sumptum inanissimorum (vt mollisimè dicam) parsimonia, quæ ex facta illa reformatione Monasterio accessit, in pios atque pauperum vsus tota conuerteretur. Itáque præter quotidianas & priuatas eleemosynas, quæ quotannis ad aliquot florenorum millia excrescere solebant, ad publicas etiam iuuandas necessitates, & non ad Monasterij tantùm sui, sed ad totius Belgij reformationem, (quãtum in ipso erat,) sic animum applicuit, vt primùm quidem in villa sua Fechencurtensi Gymnasium celebre erigeret, magistros & præceptores aleret, qui eius municipij ac vicinorum pagorum pueros ac iuuenes, honestissimè in bonis literis, ac maximè in pietate ac catechesi Christiana erudirẽt, instituerent, formarent. Deinde verò, huius celeberrimæ Academię hoc in loco à Maiest. Catholica instituẽdę-

Maxima eius eleemosyna.

Gymnasium in villa sua extruit.

A ac simplex;varius tamen ac multiplex,iuxta cuiusque rei & personæ proprietatem,omnibus commodus, aptus,idoneus.Sic enim inter perpetuas sollicitudines,quas præter domesticas & necessarias,vt quàm plurimis prodesset,ipse sibi innumeras asciuit,pacato semper animo cōstituit,vt quod de S. Antonio Archiepiscopo Florentino legimus, sic vir iste reconditum quendam, & occultum mentis angulum, intactum semper haberet,solique Deo dicatum,ad quem negotiorum strepitus,& curarum anxietas, irrepere & penetrare non posset: sed vbi à negotiis distitisset, sine vlla sui perturbatione aut immutatione, eò tanquam ad asylum paratissimum se reciperet, & ad interiorem hominem veluti qui profectus esset, quasi domum rediret. Nempe quum duæ sint partes totius humanæ in hac vita perfectionis; Contemplatio & Actio, Deum purè colere, & proximis plurimum prodesse, sic vtramque hic noster adeóque perfectissimè compleuit, vt nemo illo sanctior, religiosior ac magis in Deum pius, nemo publicæ vtilitatis studiosior, nemo in iuuandis quàmplurimis liberalior extiterit. Sic tamen in vtroque versatus, vt alterum alteri (quod sæpè per imprudentiam fit) non obesset,sed contra(qua erat prudentia singulari,penéque incomparabili) alterum ex altero mirificè iuuaretur,studium proximi pietatem in Deum acueret, & exerceret, hæc rursum pietas ad illud studium perpetuò stimularet,vt hæc illi calcar esset,huic illud cotis officium præstaret. *In vita eius apud Surium mē Ianuar.*

Sed tempus præterlabi video, quod singulis immorati non patitur. Idcirco breuiter quæ supersunt expediam. Quid aliud in viro præstantissimo, & Abbate dignissi-

B mo exoptari potuit?Virum optimum iam fuisse & prudentissimum, demonstrauimus. *Praclara eius eruditio.*

Sed indoctum fortasse & illiteratum putabis. Imò verò non tantus erat literarum amator,licet amator maximus, quàm erat literarum cultor studiosus, & in omni doctrinarum genere egregiè versatus. Quod certè à me hoc loco, in tanta doctissimorum virorum corona, silentio prætereundum non est. Nempe præter Latinæ linguæ cognitionem, vsumque eius expeditum & elegantem, quo eum plurimum valuisse omnes scimus, etiam in Hebræa lingua nonnihil, in Græca plusquam mediocriter illum versatum fuisse priuatim cognoui, quum in eius olim Monasterio agente me, his de rebus mecum sepe dissereret. Sacræ verò literaturæ ita sciens erat, vt non solùm in Sanctis Scripturis, & Sanctis Patribus præclarè versatus, sed & scholasticorum Doctorum subtilitates,diligenter scrutatus fuerit, eorumque sententias accuratè obseruarit:Id quod in frequentibus subinde in mensa sua disputatiunculis, quum hospites interdum abessent, ita declarauit, vt de sententiis scholasticis, non solùm acriter dissereret, sed allatis ex tempore libris, & designatis locis, suam sententiam confirmaret. Id quod præsens sepè ipsemet vidi, & ab aliis sæpius factum esse intellexi. Habuit præterea vir doctissimus, priuatam & instructissimam Bibliothecam, in qua se quum per negotia liceret, libentissimè exercebat: vt taceam quod semper in mensa aliquid doctum, ex antiquioribus plærumque Patribus legi voluit. Denique ita cum doctis viris doctè agebat, & de rebus literariis eruditè ac promptè disserebat, vt eum

C virum,qui illum non nossent,solis suis libris affixum esse crederent. Illud profectò admiratione dignum mihi semper visum est,vt vir iste sapientissimus,in eâdem sæpissimè mensa,in maxima hospitum(vt fit) varietate,cum viris doctis doctissimè, cum nobilibus viris prudentissimè,cum piis & religiosis sanctissimè,cum rudioribus humillimè & mansuetissimè,eodem ferè temporis puncto dissereret,sermonésque conferret,vt verè alter Paulus omnibus omnia factus esset, Iudæis Iudeus, Grecis,Grecus, Barbaris barbarus, non prætermittendo decorum, non deserendo grauitatem, sed omnibus impartiens pietatem.

Ac illustria quidem sunt ista,& in sapientissimo Abbate præclara virtutum ornamenta. Sed quia Christianum virum, id est veræ Religionis cultorem perfectissimum, & omnibus suis numeris absolutissimum describimus,his quæ dicta sunt minimè contentos esse oportet.Neque enim præclara tantùm egisse,sed & fortiter pro Christo aduersa pertulisse debet, qui viam illam arduam & angustam, planéque perfectissimam, ambulasse probabitur.*Omnes enim qui piè volunt in Christo viuere, pati in hoc seculo persecutiones oportet,& tunc demum conglorificabimur,si cum Christò compatimur.* Nec aliunde Apostolus Paulus *ministrum se Christi esse plus aliis* confirmauit, quàm ex variis & innumeris calamitatibus quas perpessus fuerat, *in laboribus pluribus, in plagis supra modū,in ieiuniis multu,* 2.Tim 3. Rom.8. 2.cor. 6.

in frigore & nuditate, in labore & ærumna: de his, (inquit,) *gloriabor. Virtus enim in infirmitate perficitur.* Hanc vero perfectionem, in Abbate isto sanctissimo defuisse, arbitramur? Imò vero ita plenissimè adfuit, vt non eum inferiora, quàm plurimis gloriosis Christi Martyribus, tormenta subiisse, ac animo fortissimo tolerasse, crediderim. Nempe ab annis iam ferè viginti, ab ipsa hac inita Monasterij sui Præfectura, ita perpetuis cum morbis cõflictatus est, morbo autem articulari, acutissimo atque grauissimo, vt sanitatẽ suam quia raram & breuem, *Inducias* vocare lepidè & apto vocabulo solitus fuerit. Hũc enim illi morbum quasi assiduum, & intestinum hostem Deus dedit, qui eum præclarè exerceret, qui vt Paulum angelus Satanæ colaphisaret, qui eum tanquam aurum in fornace exploraret, Deóque suo animam purissimam, & ab omni labe plenissimè defæcatam sisteret, & exhiberet. Sanè vir iste pientissimus, vt de Tobia legimus, *quia acceptus erat Deo, necesse fuit vt hæc eum tentatio probaret.* Et probauit ita quidem, tantúsque factus est, cum tentatione prouentus, vt in mediis ac summis doloribus, vix ab eo gemitus, nisi quem vis morbi expressisset, audiretur: imò sapientissimè in extremis morbi aculeis philosopharetur; quòd si vel verbulum asperum, fortè excidisset, semetipsum vehementer statim increpabat. Sanè posita ad lectuli pedes Christi Saluatoris torcular, calcantis imagine, ita in eam mentem oculósque inter medios cruciatus defixit, vt dolore proprio postposito, densas lachrymas effundere, Christo compassus aliquando visus fuerit. Vt nihil profectò vel huius viri tormentis grauius, vel eius incredibili patientia illustrius videatur. Accessit ad has omnes virtutes tanquam ad ingentem cumulum noua perfectio, singularis & perpetua animi humilitas laudum fuga, gloriæ præsentis contemptus maximus. Cuius quidem rei argumenta infinita, si per tempus liceret, commemorare hîc possem. Sed hoc sanè totum, & admirabilis eius morum comitas, & Collegij sui rarissima eáque clancularia visitatio, nulla sui vnquã ostẽtatio, quòd nihil denique vel in Collegio suo, vel alibi ad pompam, sed omnia ad quàm maximam aliorum vtilitatem extruxerit, satis superque demonstrauit.

Incredibilis eius tolerantia.

Tob. 12.

Nota insignem pietatem.

Diuina eius humilitas.

Quòd si ergo, is demum cumulatissimè perfectus, & omnibus numeris absolutissimè pius meritò censebitur, qui charitate in Deum flagrantissimus, amoris in proximum studiosissimus, zelator domus Dei, & morum reformator maximus, pauperum, piorum, ac boni publici fautor liberalissimus extiterit, qui prudentia singulari omnia administrarit, eruditione multiplici illustris fuerit, nec minori fortudine aduersa perpessus, quam stabili moderatione secunda dispõnẽs, humilitate postremò perfecta præditus: erit profectò is ipse sapientissimus hic noster Abbas, Ioannes Lentallerius. Qui pietate quidem & religionis cultu sincerissimo, non alter tantùm nostræ ætatis Blosius extiterit, sed & ipsos Antonios, Hilariones, Macarios, Pachomios. Sabas, propemodum æquarit: certè boni publici studio, liberalitate, munificentia, eruditione, prudentia, Benedictos, Mauros, Gregorios nobis referat, & sua præstantia vitęque sanctitate antiquorum temporum desiderium lenierit, præsentium temporum corruptissimos mores plurimum correxerit, & densissimam eorum caliginem, sua claritate, & vniuersa quadam virtute mirificè illustrarit. Cui quidem viro, vt hodie gratitudinis ergò, vniuersa Academia conuentu hoc celeberrimo, hæc iuxta persoluit: ita vt alterum huic similem Deus Optimus Maximus Academiæ resuscitet, communibus votis precatur & exoptat.

Epilogus.

Dixi.

A

ORATIO FVNEBRIS ET PANEGYRICA IN LAVDEM MATTHÆI GALENI ACADEMIÆ DVACENÆ CANCELLARII.

Præpositi D. Amati & S. Theol. Professoris Primarij, in Scholis Theologicis habita die Sancti Matthæi. 1573.

SCRIBIT Plutarchus Cheronęus, Themistoclem Atheniensiū Ducem, & Imperatorem celeberrimum, quum in Olympiæ celebritate omnes omnium oculi, contemptis certaminibus in illum vnum præsentem essent conuersi, in eóque spectando, diem totum consumpsissent, & eum cum plausu & admiratione, peregrinis & aduenis ostendissent, digitóque demonstrassent, lætum ad amicos dixisse: eo
B die suorum omnium laborum, quos pro Græcia suscepisset, fructum se amplissimum reportare. Fuit enim id grati animi, tam celebre & publicum testimonium, nobilissimo Duci meritò longè gratissimum. Tantundem hodie (Magnifice Domine Rector, clarissimi Domini Doctores, Amplissimi & ornatissimi viri, doctissimi & humanissimi Auditores,) in hoc frequentissimo consessu vestro, in hac attentione & expectatione omniū vestrum, in his oculis, his animis vestris, celeberrimus Duacensis Academiæ Professor & Cancellarius, Matthæus Galenus & animo ad amicos præsens, & voce per amicū absens, lætissimus dicit, se hodie laborum suorum omnium, quos pro celeberrima Duacensi Academia suscepit, fructum aplissimum reportare. Hodie enim videt, in se vnum vestra omnium ora, vultúsque conuersos: ad se vnum contuendum, admirandum, laudibus celebrandum, quicquid doctum & nobile Duacum habet, confluxisse: de se vno quia dicendum erat, relictis curis omnibus, omnes huc excurrisse. Neque enim mihi vnquam persuaserim, vt decentem quem cernitis audiretis, sed vt absentem quem desideratis spectaretis, eo sanè quo solùm iam licet modo, pręclara rerum gestarū recordatione, in hūc locū frequētes vos cōuenisse. Nēpe facilè cogitastis, de Matthæo Galeno dicturum nihil nisi præclarum, illustre, & auribus vestris vt propter rerum magnitudinem dignissimum, ita propter beneuolentiam in eum vestram, iucundissimum dicere potuisse. Quemadmodum enim qui gemmas aut aurum distribuit, nihil (quantumuis det exiguum,) nisi pretiosum, & porrigentis manu dignum, dare potest; ita rectissimè iudicastis, de præstantissimo Theologo, & optimo viro Matthæo Galeno dicere volentē,
C nihil tenue, exilè nihil, aut hac attentione vestra indignum afferre in medium potuisse. Sic & in pretiosis vnguentis, non tantùm si quis totam effundat hydriam, verùmetiam si quis vel summis digitis superficiē attingat, & aërem nouo calore asperſit, & quotquot adsunt, suauitate fragantiæ repleuit. In rebus enim præstantibus etiam modicum delectat, iuuat, illustrat.

Itaque pręclarè se res habet. Vestra expectatio Galenus est: mea oratio Galenus est. Dolemus omnes, quòd vix etiam intimis salutaris amicis decesserit, quod abripuerit eum vis morbi prius lætiferi, quàm vulgò cogniti, quod denique mortuum iam nobis cernimus, quem & nobis, & Ecclesiæ diutissimè victurum sperabamus. Sed resarciet aliqua ex parte grauissimam hanc iacturam, pręsens oratio. Nam & eo in medium hîc producto, quasi abeunti valedicemus, & eius sanctissimè acta vita à nobis vtcunque declarata, speculum & exemplar erit nobilissimum, quo nobis & Ecclesiæ quàm diutissimè viuat. Si enim ea virtutis vis est, vt etiam quos nunquam vidimus, admirari, diligere, colere, & imitari nos faciat: notissimus nobis omnibus Matthæus Galenus, quomodo nō perpetuum erit Academiæ Duacensi, omnium virtutum exemplar, industriæ & labo-

ris ſpeculum, eruditionis incomparabilis monumẽtum? Et nunc quidem (vt arbitror,) D harum rerum iucundiſsima erit recordatio, & memoria ſuauiſsima, cùm remiſit ſe, & deferbuit nonnihil acerrimus ille mæſtitiæ impetus, & doloris aculeus, quo tanquam repentino, eóque grauiori inflictio nobis ex huius viri morte vulnere, obſtupuimus magis attoniti, quàm iuſtum animo dolorem concipere, aut conceptum concoquere poteramus. Leniuit iam dolorem dies, diſcuſſa paulatim ingentis triſtitiæ nube, quæ primo momento habita, vulnus adhuc recens & calens exacerbaſſet oratio, hac iam temporis interpoſita mora, (quæ vt veritatis eſt filia, ira doloris eſt medicina,) quaſi reddita animis ſerenitate, reſplendens iubar, recreabit atque reficiet. Fecit hoc enim, ne in ipſis exequiarum ſolemnibus hęc noſtro Galeno iuſta perſolueremus. Ac neſcio quò modo ſic Deo rem ipſam & animum noſtrum moderante, in eum hodie diem incidimus, qui doctiſſimo Galeno celebris ſemper & illuſtris fuit. Hic enim Diuo Matthæo Apoſtolo ſacer, Matthæo Galeno ſacratiſſimus ſemper eſt habitus. Hoc ille D. Matthæi die olim ex hoc loco (ô quanta facundia, pietate, eruditione quanta?) cognomini ſuo Diuo Apoſtolo panegyricam orationem habuit, quæ hodie typis excuſa, cum omnium doctorũ admiratione legitur. Hoc ille D. Matthæi die, Delingam Academiam celebrem ingreſſus eſt, ſubiturus ibi (vt mox dicemus,) incredibiles pro Eccleſia Dei labores. Circiter hunc D. Matthæi diem, hanc ille noſtram celeberrimam Duacenſem Academiam ingreſſus primùm eſt, futurus hic talis ac rãtus, qualẽ omnes nouiſtis, & non ſinè magnis E ſuſpiriis, iam deſideratis. Et quidni hoc ille D. Matthæi die oratione funebri & panegyrica, ipſo iam penè octauo migrationis ſuæ die, ex omnium deſideriis & votis, in hoc ampliſſimo cætu & conſeſſu celebrandus eſt?

Ego verò, non quòd vnus præ cæteris omnibus hoc commodiſſimè præſtare poſſem, ſed quòd vnus inter cæteros libentiſſimè vellem, de Galeno dicturus, hunc locum conſcendi. Siue enim celeberrimos Patres imitari liber, Nazianzenum & Ambroſium, quorum ille patrem defunctum, fratrem Cæſarium, ſororem Gorgoniam, & amicum Baſilium, hic fratrem Satyrum, pios Imperatores Theodoſium, & Valentinianum, oratione Funebri celebrauit, à me certè & beneficiis amantiſſimus pater, & officio collega ac frater, & omni humanitate, ac beneuolentia, amicus integerrimus, non ſolùm cõmodè prædicatur, ſed hoc quicquid eſt officij, ſuo optimo iure vẽdicat: ſiue ad id, quod par & æquum erat, attendere velimus, profectò nec facultatis ſuæ Profeſſori Primario, eiuſdem facultatis Profeſſor, nec venerabilis Collegij Amatenſis Præpoſito digniſſimo eiuſdem collegij Canonicus, nec totius Academię Duacenſis primo & ampliſſimo Cancellario, eiuſdem Academici Senatus membrum, hac qualemcunque tandem operam negare debuit. Itaque quæ ſingula dicturo, præſidia ſolent eſſe maxima, hîc ita adſunt vniuerſa, vt nihil ferè deſiderari poſſe videatur. Nam & dicendi campus patet ampliſſimus, & eius de quo dicetur recordatio, vobis eſt iucundiſſima, & dicturus ipſe non tam ad hoc munus officio eſt obſtrictus (licet obſtrictiſſimus) quàm ſponte & voluntate affectus. Quæ tamen omnia cùm hic conueniant, neſcio qui fiat, vt in ipſo dicendi limine, atque veſtibulo vacillet animus, caligat intentio, fluctuet, ambigat, hęreat oratio. F Hinc enim magnitudo rei terret, inde copia & varietas diſtrahit: conantem alacriter mæror deiicit: inde eluctantem metus excipit, ne animo res, & rebus verba non reſpõdeant, néue optima cauſa malè dicendo pereat.

Sed his omnibus malis, quibuſcum, dum hæc meditor, grauiter his diebus conflictatus ſum, veſtra mihi, vt naufrago tabula, occurrit humanitas: quæ quidem à me in tam inopinata amiciſſimi viri morte, mæſtitia planè & mærore deiecto, valetudine parùm firma afflicto, alia heſterno die ex hoc loco perorandi prouincia impedito, non eã dicendi vim acrimoniam, & impetum expectabit, quem Galeni vera laus meretur, ſed quem præſens mea infirmitas præſtare valet. Qua quidem veſtra omnium humanitate fretus, ad rem ipſam me accingo. Id tamen ante omnia edico, nemo vt hîc mæſtus, nemo deiectus aſſideat. Vt attentis auribus, ita animis erectis, quæ dico accipite. Neque cum Galenum laudo, ereptum tibi Galenum doleas, quiſquis Galeni admirabiles virtutes auidè expectas. Primùm enim lætandum magis quòd Galenum habueris, quàm dolendum quod Galenum amiſeris. Illud enim gratuitum Dei donum erat, hoc naturæ debitum eſt. Si præſenti bono vt Dei ſingulari beneficio vſus es, id non tibi ereptũ, ſed ab auctore repetitum iudicabis. Et fortaſſe idcircò à nobis hoc tantum bonum immaturiùs

A maturiùs repetitum est, vt quale ac quantum illud esset, clariùs intelligamus. Quemadmodum enim oculi, quod iusto propiùs admotum est non vident, sed opus habent moderata quadam interualli distantia; ita animos minus gratos, videmus bona præsentia sæpè aut fastidire, aut non aduertere: iis autem ereptis, eorum sensu demùm attingi, & desiderio affici. Deinde nec Galenum amisisti, qui habes perpetuò quod in Galeno imiteris. Imò magis Lacedæmoniis suis Lycurgus mortuus, quàm viuus præstitit, & Africanum illum Scipionem, Fabium Maximum, Camillum, quos viuos & præsentes inuidia expulit, mortuos & absentes pro nobilissimis Ducibus Roma venerata est. Sic mortui Miltiadis trophæa dormire Themistoclem non sunt passa: Herculis res gestę Theseo somnum, Alexandri mortua imago Iulio Cæsari lachrymas excussit: plúsque mortui viuos ad virtutem stimulabant, quàm viui suos incitare potuerunt. Itáque Galenum non amisimus, quotquot Galenum imitari volumus. Agite ergo, sic de Galeno dicamus, vt & eius virtutes meritò admiremur, & ipsas (quò minus eum desideremus) imitemur. Hic enim erit (Auditores) duplex totius orationis meæ finis: vt Matthæi Galeni memoriam, dignis & veris laudibus celebremus: ad eius autem imitationem, nos ipsos (maximè quotquot hic sacræ Theologiæ candidati sumus) sedulò excitemus. Sic enim & aliquid Catecheticum hæc habebit oratio, ne frustrà huic orationi hodierna cesserit Catechesis. Vos ergo (Auditores) non dicam attendite, sed sedulò quæso quod facitis, facite.

mortui magis mouent quam viui.

MATTHÆVS GALENVS in Vvalachria Zelandiæ natus, honesta familia, municipio Vvestcappellij antiquissimo, quod à Maioribus decus & splendorem non accepit, B suis ipse virtutibus acquisiuit: eo profectò nomine commendatior, quòd non aliena, sed sua virtute nisus, ad hoc honoris & amplitudinis fastigium conscendit. Nisi fortè torrentem magis admirere, quàm fonte: cùm hic ex propriis venis scaturiat, ille alienis aquis superbus decurrat. Itáque nihil in Galeno deprecabimur, quòd nõ longo Maiorũ stemmate illustretur, nec auitis & paternis luminibus fulgeat. Ille sui splendoris fax est, qui vera virtute, & pertinaci studio, ab imis ad summa peruenit, vt verè de illo dixeris, quod Salomon scripsit: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Nactus itaque in prima ætate optimos & prædiuites Mecænates, Antonium Henrici, & Antonium Simonis, eiusdem municipij conciues, qui perspecto excellenti eius ingenio, ad labores & literas nato, pietatis quoque & virtutis studioso, liberaliter quæ necessaria erant suppeditarunt primis illis Rhethorices & Poëseos disciplinis, vsque ad summum citius perductis, eos in grauioribus studiis progressus fecit, vt prima iam Theologica laurea donatus, quæ penè summi Theologi essent, Louanij exerceret. Illic enim cùm adhuc Baccalaureus esset, collecto aliquot sociorum numero, artem illam oratoriè & facundè res sacras tractandi, vt pro concione & ad populum (vbi mouendus auditor est non docendus tantùm) aptè & accommodatè pro cuiusque rei natura ageretur, priuatim docuit: magno sanè labore suo, maximo aliorum cum fructu. Hinc enim prodiere postea C Pastores aliquot in Ecclesia Dei insignes, qui in quo solo valere Hæretici putabantur, longè eos præcellerent. Hanc illis artem traditam in editis postea *Paralipomenis* expressit. Quibus etiam eodem tempore adiunxit. *Areopagitica Hildvvini, originem Monasticos, libros* quoque de *Sacerdotio*, & item *de Sacrificio*, varia & recõdita eruditione plenissimos. Talis hic noster Galenus adhuc Baccalaureus, vt hîc iam facilè (quod aiunt) ex vnguibus leonem.

Narratio.

Prouerb. 30.

Scripta eius adhuc Baccalaureum.

Factus postea Licentiatus, vocato tum temporis ex Dilingana Academia in Angliam à Rege Catholico, celeberrimæ memoriæ viro Petro à Soto, qui vnà cum Martino Rithouio, cum honore à nobis nominando, Reuerendissimo nunc Iprensi Episcopo, tum Dilingæ in Sueuia sacras literas profitebatur, eiúsque in locum suffecto nobilissimo Lutheranorum Antagonista, Gulielmo Lindano, nunc Ruremundensi Episcopo, ac eo quoque breui ad maiora reuocato, cùm ex Academia Louaniensi peteretur qui tantis viris succederet, & sua etiam celebritate illorum desiderium extingueret, (quod quàm sit difficile & arduum, facilè omnes perspicitis) Vnus inuẽtus est Matthæus Galenus, & auctoritate Ruardi Tapperi viri celeberrimi, & dicti iam Rithouij extrusus, qui hanc tam difficilem & celebrem Prouinciam obiret. Dilingam ergo ipso die Sancti Matthæi hic noster Matthæus ingressus, quasi in palæstram athleta descendens, quos non labores pertulit? Quæ non certamina subiit? Quis illi dies, non dico sine linea,

fed fine iusto opere præteriit? Vix ibi toto triennio egerat. Sed in hoc vix triennij spatio, cogitate quàm vultis immensos exantlatos labores; expectate quàm vultis amplissimos laborum fructus: Vincam omnem & cogitationem & expectationem vestram. D
Non minus tibi hominem liberum, laborum, studiorum, vigiliarum imperaisse videbitis, quàm qui sub S. obedientia in S. societate degentes, admirabiles (vt hîc in proximo videtis) labores subeunt. Postquam paucis primis mensibus cum collega docuisset, toto reliquo tempore solus, idque bis in die docuit. Et vt pertinacissimam hominis in docēdo assiduitatem compertam habeatis, videte quos illic. S. Scripturæ libros exposuerit, quæ præterea dogmaticè, illo exiguo tempore tradiderit. Euangelium Lucæ, Euangelium Ioannis, Epistolam priorem ad Corinthios, Epistolam ad Titum exposuit, & dictauit. In dogmatibus, primum & secundum Magistri Sententiarum explicuit, Damasceni quatuor libros de Orthodoxa fide, (quos etiam eodem tempore e Græco sermone accuratè verrit, sicuti & eiusdem libellum de dormientibus in Christo) docuit: & ita docuit, vt (quod & singularis eruditionis, & magni laboris erat,) Latinos Theologos cum Græcis perpetuò concordaret, & vtriusque Ecclesiæ (nequicquam reclamantibus & mentientibus Hæreticis) vnam esse, & eandem fidem ostenderet. Addidit etiam huic labori, insignem Tractatum de hæresi, & Schismate, cum explicatione etiam compendiaria 103. hæresum, quarum maximam partem prolixè Epiphanius refutauit. Atq; hæc quidem illi quotidiana docendi munera. Quid verò? Dominicis ac aliis festis diebus eum vacasse putatis? Minimè uerò. Sed quibus alij diebus feriantur, & fractas nonnihil corporis vires, plurium dierum studio reparant, atque reficiunt, in his ferreus iste & adamantinus Galenus, in perpetuis curis pertinax perdurauit. In huius enim triennij primo quidem anno, singulis Dominicis ac festis diebus, omnia totius anni Euangelia, pro concione ad Clerum & studiosos explicuit. Secundo anno, pari modo totius anni Epistolas: Tertio anno, psalmos sacrificales & cæteras omnes Missæ partes eisdem diebus exposuit. Et vt nihil in hoc indefessi laboris homine desideres, inter hæc omnia grauissima rerum sacrarum studia, etiam iuuentuti formandæ & instituendæ operam dedit. Quam ita præclarè instituit, vt singulis item Dominicis & festis, præter conciones quas ipsemet primo mane habuit, aliquis iuuenum finitis Vesperis, ab eo conscriptam orationem publicè declamaret: idque de virtutibus & vitiis, de fide & hæresi, atque eò pertinentibus. Vt harum tandem Declamationum panegyricarum, & concionum à iuuentute Sueuica pronunciatarum, centurias aliquot conficeret, quarum omnium Catalogum cum ad olescentum nobilium nominibus, illustri Abbati Campidonensi, Principi Imperij, dicauit: & propter debellatas hæreses & vicia, Sueuicum Trophæum nuncupauit. Et talis quidem publicè Galenus, Louanij ac Dilingæ fuit: vt meritò iam nec Petrum a Soto, nec Martinum Rithoulum, nec Gulielmum Lindanum, etsi omnes præstantissimos viros, & huius ætatis lumina, Academia Dilingana desideraret. E

Docet Dilingæ.

Priuatim autem quis illic fuerit, vt hæc publicè, labore penè incredibili præstare posset, nec attinet multis dicere, nec ita commodè sciri potest. Latet enim bonorum virorum domestica virtus, quantò magis boni sunt, suaque innotescere non sinunt. Duo tamen erant (de quibus nobis constat,) quæ ego existimo ad hunc tātum perferendum laborem, vlm omnem, aut certè maximam cōtulisse: ieiunium, & oratio ferè perpetua. Nam & à carnis semper abstinebat, raptim quoque ac modicè pransus: & quotidiè (ô sanctum virum) diuinis Mysteriis operabatur. Atque ita quidem quotidianum cœlestis vitæ pabulum, vires animo subministrauit: moderatus cibi vsus, ne corpus grauaretur, effecit. Venio nunc ad Duacēsia. Media enim prætereo, vt exitū tandē inueniat oratio. F

Matthæus Galenus vir tantus ac talis, euocatus tādem Dilinga melioribus auspiciis, circiter hunc ipsum D. Matthæi diem Duacum ingreditur. Euocatus autem eodem tempore, & à Senātu Duacensi, & à Reuerendiss. ac sapientissimo Abbate Aquicinctensi, Academiæ potius operam suam dedit, vt magis Ecclesiæ (quod semper vnicè spectauit,) prodesset. Quid hic verò Duaci præstiterit, toto hoc iam quo docuit decēnio, qualis hic & quantus vir fuerit, quorsum attinet dicere? Sunt enim ista non præsentibus tātum, & toti Duaco, sed & vniuerso (vt opinor) Belgio, cognita & compertissima. Oportet tamen ad huius viri celebritatem, breuiter (vt hactenus,) quæ præcipua sunt attingere, & prima rerum fastigia carpere. Nam vniuersa dicere, & singulis insistere, nec nostrarum est iam virium, nec huius orationis fines patiuntur. Vnde ergo exordiar?

Aut

A Aut quibus potiſſimùm inſiſtam? An hîc opimam nactus conditionem, otioſè ac luxui dedit, aut quicquam de priſtina ſua ſedulitate ac ſtudio remiſit? Imò verò adeò eundem ſe ſemper virum, ad extremum vſque vitæ diem præſtitit, vt ne in ipſa hac poſtrema infirmitate, ab euoluendis libris & ſtudiis ſibi temperauit. Quo loco tamen lugere magis, quàm laudare libet, quòd ſtudiorũ improbitate, importune ſe nobis vir tãtus eripuerit.

Sed vt ordine de Duacenſibus eius rebus geſtis agamus, hic vnus cum altero ſolùm collega, pluribus hic annis æſtum ac pondus diei perferens, ea fœliciſſima facultatis Theologicæ fundamenta poſuit, vt ita nunc illa floreat, magis vt facilè florere non poſſit, abſque neceſſariis illis, quibus adhuc caret, Collegiorum & Burſarum ſubſidiis: his etiam difficillimis temporibus, & à ſtudio Theologico alieniſſimis. Enimuero non ſingulis tantùm diebus ex profeſſionis ſuæ ratione docendo, ſed & præterea toto quinquennio, diebus feſtis omnibus catechiſando, idque gratis, & abſque honorario, in ipſis quoque initiis, vnà cum profeſſione ſacra, linguam etiam Hebræam ſeorſim publicè docendo, quàm nulli labori parſerit, quàm pertinaciter incubuerit, vt Academiæ Duacẽſis incunabula, ad maturitatem quam nunc cernitis peruenirent, & omnes intelligitis, & vterque Senatus præclarè profeſſus eſt, cùm tãtorum eius laborum intuitu, vt vtraq; huius oppidi Præpoſitura, altera poſt aliam condecoraretur, apud Reg. Cathol. Maieſtatem, effecerit. Etenim quis Galeno magis in docendo aſſiduus, quis laborioſus & accuratus magis? Quis ita cellæ & clauſtro Monachus, quàm Muſæo & libris Galenus, affixus fuit? Quis niſi aut ad ſcholam, aut ad Senatũ Academicum foras vnquam prodeũtem

Geſta eius Duacenſis.

Eruditio eius & ſtudium.

B Galenum vidit? aut in plateis publicis conſpexit? Sed de pertinaci, improbo, & indefeſſo eius in ſtudiis labore, nimis fortaſſe multa diximus. Hæc enim neceſſariò (etſi alioqui non conſtarent) tamen credenda forent, cùm tantum ac talem, in omni eruditionis genere Galenum fuiſſe ſciamus, vt abſque incredibili ſtudio, tantus ac talis euadere nõ potuerit. Quis enim totius antiquitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm profanæ, auidior helluo? Quis hiſtoriarũ omniũ peritior? Quis trium linguarũ penè vſq; ad inuidiã & exceſſum, accurata cognitione illuſtrior? Quis in ſcripturis & Patribus magis verſatus? Quis deniq; magis abſoluti, & veri Theologi nomine dignus? Hæc itaq;, vt omnibus notiſſima prætereo. Nec etiam quãtus, & quàm illuſtris orator fuerit, opus eſt dicere. Hic enim locus, hæc Cathedra (Auditores,) prẹter quotidianas ſuas lectiones, magna dicẽdi vi traditas, in illo ſuo quinquẽnali Catechiſmo, in creberrimis quas hîc habuit inter Comitia Theologica orationibus, quantus & quàm celebris orator fuerit, recenti memoria loquitur. Quis enim vnquam etiam in roſtris illis Romanis (vnum, ſi libet, Tullium excipe) aut diſertiùs & explicatiùs egit, aut maiori laterum firmitate diſſeruit, aut clariùs pronunciauit, aut luculentiùs & doctiùs perorauit, quàm in hac nuper Cathedra, Matthæus Galenus? Sanè vt hanc partem abrumpam, tantus orator Galenus erat, vt ad laudandum pro dignitate Galenum, alio planè Galeno opus ſit. Sed hæc quidem omnia, quæ hactenus diximus, huiuſmodi ſunt, vt ad aliorum vtilitatem & fructũ ſpectent omnia oſtendantq; Galenum virum à Deo in difficillimis his Eccleſiæ tẽporibus datum fuiſſe, ad publicum

C & maximum Eccleſiæ ſuæ bonũ. Quo ſanè loco grauiter ingemiſcere & conqueri liberet, tam immaturè in florenti penè adhuc ætate, tantum nobis ereptum virum eſſe, niſi hoc iam antea præſtitutum eſſet, non eſſe hîc à quoquam luctui & dolori indulgẽdum: ſed ei ſanè ſeu amoris officio, ſeu naturæ impulſui ſatisfacere debere, quod his iam præteritis diebus factum eſt.

Venio nunc itaque ad maiora, & in quibus vera ac ſolida Matthæi noſtri laus cõſiſtit. In tanta enim & tam multiplici eruditione, ac honoribus huic eius eruditioni collatis, nec illũ vnquam ambitio inquieta pellexit, nec auaritia ſordida fœdauit: ſed quę Theologo, & Sacerdoti neceſſariæ imprimis virtutes ſunt, honores fortiter contempſit, diteſcere nec per accidens voluit. Nota ſunt & comperta quæ loquor. Nouit vterq; & Academicus, & huius oppidi Senatus, quòd vtranque Præpoſituram non niſi rogatus accepit. Primam verò quæ S. Petri eſt, & propter adiunctam præbendam opulentior, quòd diu aſpernatus & reluctatus vix tandem accipere perſuaſus fuerit, teſtes ſunt aliquot huius oppidi nobiles Decuriones, quos & præſentes video. Illud verò quantæ fortitudinis & integritatis animi argumentum eſt, quòd ſtudiorum & otij literarij cauſa, opimam S. Petri Præpoſituram, ſed curis temporalibus multum implicatam deſerere, & ad Amatenſem honoratiorem quidem paulò, ſed multò tenuiorem migrare voluerit?

Pietas eius & vitæ integritas.

Quin etiam oblatam sibi ab aula Bruxellensi, in eadem Amatensi Ecclesia Præbendam, D sine vllo adiuncto onere, constantissimè respuerit, idque nō sine magnorum virorum indignatione. Nempe vt alter Fabritius, imò Fabrico maior (quia hic Christi & studiorum, ille honoris & quietis propriæ causa hoc fecit) Præpositus esse diuitum maluit, quàm diues: & locupletes facere, quàm locuples esse. Notiora hæc sunt. Secretiora autem illa, qualem se priuatim exhibuerit, quàm crebras eleemosynas fecerit, quis vel cōmodè scire, vel vt sciat, breuiter explicare queat? Quando ille à paupere, aut minus locuplete Theologo promotionum vnquam emolumenta accepit? Quod etiam & quàm multos de suo iuuit, vt cæteris oneribus pares essent? Quàm selectam ille sibi, & omni optimorū auctorum genere instructissimam Bibliothecam, reliqua pecunia comparauit? Hic illi solus pecuniæ vsus, vt præter necessarium victum atque vestitum, vel eleemosynas faceret, vel libros compararet. Hoc Theologo, hoc sacerdote, hoc Galeno dignum erat. Nempe vt alter Basilius, præter libros & supellectilem sacram nihil habebat. Vnde (his exceptis) testamentū non fecit: quia (vt de Augustino legimus) vnde faceret, pauper Christi non habebat. Verè in magna opulentia pauper Christi, qui dicere cum Apostolo poterat: *Scio abundare: scio & penuriam pati.* Verè vir Apostolicus & beatus. Verè te (Galene) beatum dicimus. Si enim scripsit sapiens; *Beatus ille vir, qui post aurum non abijt: nec sperauit in pecuniæ thesauris: quis est hic, & laudabimus eum: facit enim mirabilia in vita sua:* meritò te beatū dicimus, Galene, (libet enim rantisper S. illam animam tuam compellare, meritò te in morte tua laudamus, quia mirabilia fecisti in vita tua. Non abiisti post aurum, non sperasti in pecuniæ thesauris. Felicem te prædicamus. *Felix enim* (ait ibidem Sapiens) *qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Si libuisset abire post aurum, sperare in pecuniæ thesauris, quò te (Galene) abire non licuisset, expetitum in Germania ab Episcopis & Principibus, dirandum hic Duaci Præbendis & beneficiis, si non dico quærere, sed si oblata, penéque obtrusa acceptare voluisses? Huc huc oculos, Theologi & Sacerdotes, conuertite. Matthæum Galenum, Theologorum & Sacerdotum Speculum conspicite. Si enim (vt scripsit Hieronymus) *ignominia est omnium Sacerdotum, proprijs studere diuitiis*, Sacerdotis Galeni magna gloria erit, easdem contempsisse. Hoc vnum autem cùm dico, quanta me bona dicere putatis? Si enim *omnium malorum radix, cupiditas est* (vt Apostolus dixit) qui radicem sustulit, quomodo fructus etiam omnes non resecuit? Sic itaque cogitate, contemptorem pecuniarum Galenum, à cæteris omnibus vitiis immunem fuisse quæ secū pecuniæ amor vt indiuiduas comites trahere solet. Sed ad alia transeamus.

Nazianz. in Monodia. — *Possidonius in vita Augustini cap. vlt.* — *Philip 4.* — *Eccle. 31.* — E — *In epist. ad Nepotianum.* — *1. Tim 6.*

Huic admirabili continentiæ, qua mundum vicit, orationes & ieiunia frequentissima adiecit, quibus diabolum & carnem superauit. Quandò enim ille ab oratione destitit, qui quotidie & singulis diebus (nisi sola aduersa valetudo impediret) Sacrificium obtulit, hoc quotidiano deuotionis genere mirabiliter delectatus, & (vt alter S. Thomas Aquinas,) singularem in illa sacrosancti Mysterij frequentatione voluptatem capiens? Quid illius ieiuniis magis singulare, qui præter stata Ecclesiæ tempora, quorum erat obseruantissimus, etiam Feriæ secundæ & quartæ ieiunium adiecit, abstinendo à carnibus, & vna refectione contentus per totum annum, solis Paschalibus exceptis diebus. Qua in re & Religio eius laudanda est, & commendanda prudentia: qui sic sibi ex Religione imperauit ieiunium, vt publica tamen Ecclesiæ gaudia prudenter coleret. F

Scripta sacra. Iam verò quod in ipsis studiis suis non minorum pietati & religioso Diuini numinis cultui operam impendit, quàm iis rebus quæ doctrinam afferunt, scripta eius etiam in hac parte & labores literarij fidē faciunt. Sic enim theorias Liturgicas seu preces & meditationes pias, iis qui sacro Missæ officio intersunt vtilissimas, Flandricè & Latinè conscripsit, nunc autem & Gallicè versæ extant, sæpius ac subinde recusæ. Sic vitam sancti Vuillebrordi Angli, Frisiorū Apostoli, tribus libris accuratè descripsit. Sic sancti Georgij Martyris vitam, egregia oratione illustrauit. Sic de reformanda Ecclesia, in Synodo Cameracensi, de Satanicis illis abolendis choræis, ex hoc loco, magna facundia, zelo & pietate maxima declamauit. Sic denique scripturas sacras tùm noui, tùm veteris Testamenti hoc loco enarrans, non interpretem tantùm doctissimum, sed & perpetuum quodammodo Ecclesiasten egit, ea quæ ad vitæ sanctitatem morūmque probitatem pertinerent, accuratissimè semper & concionabundè pertractans.

Neque verò sic Deo & studiis Sacerdos hic optimus, & Theologus celeberrimus vacauit

A vacauit, vt à conuersatione ciuili & humanitate alienus esset. Sed quod de Sanct. Antonio scribit Athanasius, eum in solitudine & montibus licet versatum, iucundum tamen atque affabilem fuisse, id de Galeno norût amici eius omnes, illum licet studiis ac libris incredibiliter affixum, periucundum tamen atque affabilem, omnique humanitate & lepôre plenissimum extitisse, quoties interpellari aut volebat, aut negotia patiebantur. Sanè sic amicitiam coluit, vt cû non temerè, nec sine delectu, amicos sibi asciuerit, ascitos constantissimè retinuerit, omni obseruâtia coluerit, nec offendere, nec offendi (quæ prima amicitiæ lex est) aliquando voluerit. Quod quia expertus loquor, & libentiùs narro, eo confidentiùs affirmo. Vir præterea integerrimus, & excelsi animi si quis alius, ab omni dissimulatione alienissimus, popularis auræ & opinionum vulgarium contemptor maximus, calcator seculi & terrenis omnibus rebus superior, sapiens & doctus Scriba in regno cœlorum; veritatis assertor constantissimus, vitiorum impatiens, virtutum amator ardentissimus. Ex quo sanè effectum est, vt authoritatem apud omnes & Cancellario & Galeno dignam obtineret: eum colerent vicini Prælati, veneraretur Academia, complecterentur boni omnes. In rebus autem fidei, quæ ad Dei & Ecclesiæ honorem facerent, Zelator fuit vehementissimus, Catholicæ doctrinæ propugnator acerrimus, hæreticorum Antagonista fortissimus. Hic enim Zelus domus Dei, quo supra modum flagrabat, hoc sanctum pectus, ignis ille & flamma perurens erat, quæ eum ne in tam assiduis studiorum laboribus perferendis, vnquam deficeret, refouebat: & vt porrò semper pergeret, perurgebat. Valida enim est sicut mors dilectio. Hinc sanè magnus iste Zelator, & alter Phinees, ancipiti illo gladio verbi Dei, hæreticos fornicantes, & verbum Dei adulterantes transuerberans, stilo luculento & dentato, Protestantes sæpius acerrimè perstringens & prouocans, eorum quidem inuidiam erga se magnam conflauit, perterrefecit sic tamen, vt nemo hactenus Protestantium in eum replicare ausus fuerit. Hinc porrò vir in studiis laboriosissimus, desides & ignauos homines exosos habuit, studiosos autem, & labori literario gnauiter insudantes, mirabiliter colebat. Pios autem maximè, & pro Ecclesia Dei aliquid perpessos, afflictos, & * extorres, vt seipsum charos habebat: tanto zelo, pietate tanta, vt quod sæpè sermone vsurpare solebat, re ipsa copiosè præstaret, sibi potius quam huiusmodi hominibus defuturum se dicens, quicquid in ipso esset, præstare quod posset. Qua de re plura dicerem, (est enim in hoc vno maxima Galeni laus) nisi & ipse ex eorum numero essem, & rem totam me tacente optimè omnes intelligeretis. Sed manet te tua merces, Galene, imò ea nunc frueris ac potiris: merces, inquam, illa, de qua dicit Saluator, *Qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ habebit.* Breuiter, vt videtis, multa percurri, & notaui potius quàm ostendi. In hac tamen breui varietate, plura me vereor tacuisse, quàm dixisse.

Moreum comitas & totius vitæ grauitas.

B

** Anglos pro fide Duaci exules summo fauore & amore complexus est.*

Matt. 10.

Quæ enim in hoc summo Theologo, & sancto Sacerdote summa erant, id (inquam) quod intrinsecus latet (omnis enim gloria filiæ Regis, cuius hic filius erat ab intus est) illa oculos & iudicium humanum fugiunt. Illa Deo & Angelis eius iam conspicua, admirabilem splendorem reddunt. Talia sunt flagrans Dei & proximi amor, perpetua vitæ continentia & castitas, gemitus & suspiria sancta, frequens meditatio & rerum diuinarum contemplatio, frequens corporis castigatio, & his consimilia pietatis exercicitia. Hæc quia ignoramus, tacemus. Ignoramus, inquam, quia pleniùs explicare, & apertiùs commemorare non possumus: scimus tamen, sicut ex fructibus arborem, ex palmite radicem. Qui sunt autem huius arboris fructus, qui palmites radicis? Illam respicite nobilem, eruditam, sanctam * Abencurtij familiam. Quos ibi fructus Galenus protulit, quos illic palmites germinauit, seu ad parentem vtrumque, seu ad liberos, seu ad affines & cognatos oculos conuertimus? O verè sanctam & totius sanctitatis, religionis, pietatis, modestiæ, virtutis effigiem illam Abencurtij familiam. Quid familiam dico: Ecclesiam potius, quàm familiam dixeris. Imò Monasterium potius, quàm Ecclesiã. Vbi quasi in altero Beth-lehem cum Paula & Eustochio, Hieronymus sanctè hactenus disseruit, & virgo sacerdos virgines efformauit. Ignosce mihi, vir illustris Iacobe Danusi, per illam Galeni amicitiam te rogo, (qua nihil tibi in terris charius esse scio,) si te præsente de tua familia liberius dico. Galenum laudo, & tuam familiam tacere potero? Radicem perscrutor, indago, exquiro; & fieri id plenè potest, nisi fructus & folia con-

C

** Hic D. Abencurtius mox post mortem Galeni & coniunx eius nobilissima D. Antonia de Burgundia Ducissa Atrebatensis perpetuã continentiã in manus episcopi vouerunt & obseruant seorsim viuentes; hic in monasterio, illa in suo castro manet.*

cutiantur,inspiciantur,colligantur,degustentur?Tuæ familiæ sanctitas, Galeni corona, D
gaudium,gloria est,quæ hic taceri non potest.Sed parco modestiæ ac pudori tuo, qui si abesses,plura profectò hac de re dicerem.Vtinam verò quod de familia hac sancta diximus,vbi præceptor & pater Galenus erat,idem de illa Galeni familia,cui Præpositus datus fuit,dicere licuisset.Dixissemus autem,si eo diutius frui licuisset.

Venio nunc (Auditores,)imò ipsa res me sensim perduxit,ad eam orationis meæ partem,quæ vt omnium iucundissima esse debebat,quia postrema, ita vehementer formido,ne futura sit omnium tristissima & maximè luctuosa.Hactenus enim vitam sanctè & laboriosè actam,præclaras & iustas Galeni laudes, iucundo quodam & suaui orationis filo texuimus,in quo non tam laborare, quàm amœnissimè expatiari nostra videbatur oratio.Eò nunc tandem peruentum est,vt cuius vitam descripsimus, mortem commemoremus: id est,vt qui bona ac beneficia huius Scholæ,huius Academiæ, totius Ecclesiæ recensuimus,eiusdem nunc calamitatem & iacturā grauissimam describamus. Quid est enim aliud,Matthæum Galenum hac vita defunctū dicere,quàm Theologorum decus,Sacerdotum speculum,virtutum omnium exemplar sublatum,Collegium Amatense optimo Præposito spoliatum,Scholæ Theologicæ lumē extinctum,Academiæ Duacensis splendorem singularē,ereptum dicere?Siccine separas amara mors, & vnico ictu tot illustria corpora per vnius latus transuerberas?Siccine nostrum Galenum in florenti ętate,annorum plus minus quadraginta sex,sic Scholæ,sic Academiæ huic , sic Ecclesiæ Dei necessarium importunè rapis?Sed querelas mittamus inanes, ne legem quam modò ipsi tulimus,primi omnium violemus:ne vel Deo ingrati,qui vt diu hoc bonum nobis impertiit,ita cùm sibi visum est,quod suum erat repetiit: vel ipsi Galeno inuidi esse videamur,qui non tam nostro magno malo,quàm suo maximo bono , ad meliorum vitam indubiè transiit.Confidenter enim cum S.Augustino dico : Credidi propter quod & locutus sum,malè mori nemo potest,qui benè vixerit.Tibi ergo(Magne Galene)qui pro Ecclesia Dei maximos labores sustinuisti,qui in sacris studiis & ineunte ætate , omnem vitam sanctè transegisti,qui studiorum magnitudine ita te attriuisti, & spiritus vitales exinanisti,vt leuis te febricula etiam inter optima sanitatis indicia , consequente per defectum spirituum spasmo,seu epilepsia nobis eripuerit, qui Catholicæ fidei propugnator acerrimus,virtutum omnium & cultor maximus & magister peritissimus , sobriè,iustè,& piè in hoc seculo vixisti,qui bonum certamen certasti , cursum consummasti,fidem seruasti, qui in illo tuo cum aduersario extremo certamine,paucis antè mortē horis,alta voce cantasti(nunquam aliàs cantare solitus:) E

O tortuose serpens,qui mille per Mæandros
Fraudésque flexuosas,agitas quieta corda,
Discede,Christus hic est:hic Christus est,liquesce.
Signum, quod ipse nosti,damnat tuam cateruam.

& hoc diuino & Cygneo cantu,cruentā bestiam abegisti,déq; ea trium phasti:qui denique vtroq; Sacramēto munitus,integro adhuc iudicio,etiā post illa administrata, astātibus(adhoc enixè rogatus)secūdò benedicēs , in magna totius corporis pace,absq; lucta atque certamine,vltimum spiritū (quod hisce oculis mæstus vidi)emisisti,& verè in domino obdormisti.Tibi magne & (quod non dubitamus)beate Galene,verè & ex animo gratulamur,palmam iam & præmia laborum tuorum,coronam iustitiæ adepto , te verò in mōtis vertice iam constitutum,vt nos adhuc inter tribulos & spinas anhelantes ex alto respicias,rogamus:& quod suum recens defunctum amicum Basilium orat Nazianzenus,hoc ego tuo tibi merito amicus,hoc Ecclesia tua Amatensis, hoc Schola hæc tua Theologica,hoc Academia Duacēsis enixè te orat,tuis hoc age precibus,vt tota nobis vita in melius permutetur,vt Ecclesia tua Amatensis pietate reluceat,vt Schola hęc tua Theologica eruditione floreat,vt alma hæc Academia vtraque præfulgeat. F

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVI in hoc Opere vel contra hæreticos orthodoxè explicantur, vel alioqui per occasionem tractantur & elucidantur.

Præ

5 *Maxi*

INDEX RERVM HOC IN OPERE CONTENTARVM, QVÆ ANnotatione dignæ videbantur. Numerus paginam, litera lineæ locum denotat.

A.

Nn

Comme-

D.

Duplex

in

F

G

commenta

Pro-

X

Z

FINIS.

PRIVILEGII SVMMA.

CAROLVS IX. Francorum Rex, suo diplomate sanxit, ne quis opera Thom. Stapletonij, antè sexennium à die primæ editionis numerandum, præter Michaëlem Sonium bibliopolam, imprimat, néue alibi impressa diuendat in Gallijs. Secus qui faxit, mulcta fisco applicanda, alijsque pœnis indictis damnabitur, vt latius patet in literis Priuilegij indultis Lutetiæ quinto Nouembris, 1570.

AD LECTOREM.

Habes hic (lector candide) quæ grauiora errata castigando reperire potuimus & quamuis adhuc superant nonnulla, leuiora certè sunt illa quam tuis auribus digna videbantur, quæquidem relegendo quæso boni consulas. vale.

Errata sic corrigitò.

Pag. 496. pro est. respondebat. lege est responderat. p. 500. pro exctere. l. exercere. ibid. pro aduersires. l. aduersariis. pag. 501. pro fatere. l. fateor. p. 502. pro goget magog. l. gog & magog ibid. pro sacramento. l. sarmentea. ibid. pro etsi. l. & si. p. 504. pro pertin. l. pertinere iudicaret. ibid. pro quos de re. l. quasi re. p. 508. pro fiet, in eo. l. fiet, in eo. p. 509. in margine ad lineam. 44. l. cap 3. sect. 4. p. 510 pro viuegon. l. viram ibid. pro legont or. l. loquantur. p. 514. pro Nan. l. non. p. 516. pro de non, trato. l. demonstro. p. 517. l. tantum qualis) se ne, vnbus terseter quoque qualis. p. 519. pro aduersas assertione n. l. aduersus præsumptiones Michaelis & reorum archiepiscoporum. c. 9. concil. tom. 3. tam etiam quia propter prædicti articuli (filióque) assertionem &c. ibid. l. 37. dele illa verba: præsumptiones Michaelis &c. vsque ad (filióque) p. 520. l. 6. dele orbe. p. 521. pro prouintias. l. prouintias. ibid. pro vicinam galliam vbi. l. vicinam galliam eam quodammodo ostendimus, saltem vbi. ibid. l. 37. dele ostendimus. p. 523 pro catholicam dictam. l. catholicam vulgo dictã. p. 524. pro in fide l. in fine. ibid. pro naui. l. neue. & pro censeas l. cesseas sed vt. p. 525. pro nō magis vestra. l. non numquam vestra. p. 529. pro protulerit. l. protulerit. ibi. pro o Zosymy l. à Zosymo. p. 530. pro per'ibent. l. prohibent. ibi. verbum prædicationis, adde, seminauit & post. l. 40. dele seminauit. ibid. pro perscriberentur. l. proscriberentur. p. 531. pro in vestitu n omnium. l. in vestitu omnium. ibid. pro ne illa sit. l. ne vlla sit. p. 532. pro seriolo. l. herulo. ibid. pro si nbertum, leomium, n ercellum, vinfridum. l. suibertum, Marcellinum, leuinum, vinfridum. p. 532. pro pertulistis. l. protulistis. ibid. pro omnib us, l. in omnibus. ibid. pro palena. l. palestina. p. 535. pro do trina nati ne. l. do trina est nati ne. ibid. pro diserima. l. disserimina. p. 536. pro hunc m dum. l. hanc in modum. p. 537. pro amplo ut oberiudato. l. amplo ut orbe oberrudato. p. 538. pro sit. l. sane. ibid. pro adhuc ser opulus. l. adhuc me scrupulos. ibid. pro talem. l. tales. ibid. l. 52. (ac locis vnde) dele. ibid. post (sedibus) adde (ac locis vnde.